MATTHAEI RADERI
DE SOCIETATE IESV,
AD
M. VALERII MARTIALIS EPI-GRAMMATON
LIBROS OMNES,

PLENIS COMMENTARIIS,
NOVO STVDIO CONFECTIS, EX-PLICATOS, EMENDATOS, ILLV-stratos,

Rerúmque & verborum, lemmatum item, & communium locorum varijs & copiosis INDICIBVS *auctos*,

CVRÆ TERTIÆ,
Plurimis locis meliores.



MOGVNTIÆ,
Sumptibus IOANNIS KINCKII, Bibliop. Colon.
Excudebat Hermannus Meresius.

Anno M. DC. XXVII.

Cum autoritate Superiorum, & priuil. S. Cæs. Maiest.

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS VVV. DOMINIS VELSERIS,

MARCO II.VIRO, VRBI PRÆFECTO,
MATTHAEO ÆDILI,
PAVLO CONSVLI,

MATTHAEI FFF. ANTONII NNN.
PATRICIIS AVGVSTANIS,
B. R. NATIS.

ADDVCO vobis, ampliſſimi VVV. Muſam è Celtiberorum Auguſta Colonia, Coloniam Auguſtam Vindelicorum; antiquam illam quidem, & ante mille quingentos eoque amplius natam annos, ſed nouo paullò antè commentariorum ornatu cultam, iamque recentatam, rallaque ſeu vitrea veſte pellucentē, quæ endromidis ſolocce priùs tecta, & ſepulta tenebris iacebat, ſqualebatque: nec quam venuſta eſſet, niſi à paucis admodum, peruidebatur. Tametſi ego tantùm frontis honeſtatem aperio, nihilq; oſtendo, quod ore careat, aut pudore; nō minùs ſollicitus, quid ſeponam, quam exponam. Veſtrorū autem nominum titulis inſignibus hanc camœnam meam prodire volui, vt illuſtrior & auguſtior in publico appareret, maioremq; fidem apud ſenatum Palatinum mereretur, ſi frons ipſa antiſtites eruditionis, veluti vindices & aſſertores ſtudiorum meorum præ ſe ferret. Inuitatus ſum elegātia ingeniorū veſtrorū, omni diſciplinarum genere excultorū, quæ quāto ſublimiora, tanto ſimul modeſtiora humanioraq; experiebar; vti non ſolùm, ad vos Muſæ omnes, vt quondā ad Herodotū, diuertiſſe, ſed cum Gratijs ipſis penitùs in veſtra domicilia immigraſſe, aut potius inter vos natæ & educatæ videantur. Accedit ad hæc æterna litterarū ornamēta virtus immortalis, quā declarat ſapientia & cōſilium in deliberando, prudentia in agendo, conſtantia in exequendo, cultus

auitæ religionis, & aduersus cœleste numen, omnesque cœlites Catholica Romanaq; pietas, charitas in ciues, clemētia in omnes. Eadem elucet virtus in admodū R. & amplissimo viro Antonio Vellero Spalatensi præsule, Canonico Frisingensi, litteris iuxta Græcis ac Latinis, diuinis & humanis instructissimo, eadem in Iulio elucet, eluxisset eadem in Hieronymo ornatissimo adolescente, cuius spem nobilissimæ indolis, immatura fata præter spem nobis eripuerunt. Virtutem porrò vestram geminat & illustrat antiquæ nobilitatis decus: habet enim virtus in excelso sita faciem augustiorem. Sed ego Panegyrin, futuram Isocratica Plinianaque longiorem, non instituo; notus mihi pudor, & modestia vestra, quam onerare, quamuis rectissimis verissimisque laudibus vt aggrediar, offensam nullis rationibus eluctari possim.

Αἰδήμονες γὰρ οἱ ἀγαθοὶ ζῶντες κἀν
μισοῦσι τοὺς ἐπαινοῦντας, ἐὰν αὐτῶν ἄγαν.

Me verò, vt omnes, non minùs delectat, & capit domestica comitas & facilitas vestra, quam publica virtutis atque dignitatis auctoritas. Quoties ego Marce, te coram, quoties per scripta, in perplexis antiquitatum vestigijs hærens, nec vnquam frustra consului. Omnium mihi bibliothecarum vestrarum thesauri semper patuerunt. Vadatum me obstrictumque plurimis vestris muneribus & officijs agnosco. Agnoscit, prædicatque mecum beneuolentiam erga se vestram, maiorumque vestrorum, & Velsericæ gentis vniuersæ Societas nostra, quam auctoritate defendere, consilijs iuuare, beneficijs ornare nunquam desijstis. Conatus igitur meos, & studium colendi nominis vestri, spero vobis non ingratum fore, quando à vestrarum virtutum admiratione verè proficiscitur. Valete VV. amplissimi, nobisque & Reipub. fœlices sospitesque viuite. Augustæ Vind. Cal. Febr. A. P. C. N. cIↃ. IↃ. C. X.

Amplitudinum VV. obseruantissimus

MATTHÆVS RADERVS.

PRAEFATIO AD LECTOREM, Editionis iam vltimo recognitæ.

Cui fini scripti cōmentarij noui ad Martialem.

ANte annos aliquammultos bono Reipub. literariæ consulturus, poetam eruditum & argutum libris commentarys explanandum suscepi, mihiq; studium fuit, subsellijs & cathedris seruire: eaq; propter omnes curas & cognitiones eò verti, vt mentem poetæ & intima sensa penetrarē ac aperirem; deinde geminis variorum scriptorū dictis sententijsq; illustrarem, aut sicubi opus, testimonijs ac tabulis firmarem. Excurri etiam nunc in ἔθη & ritus veterum, nunc in mores & ἤθη, antiquitatis vestigia diligenter persecutus, quando vel locus admonebat, vel vsus & res exigebant. Ita factum est, vt mihi opus sub manibus cresceret. Quod nisi ego Lælios Decimos potius cum Lucilio, M. Tullio, Plinio & alijs spectassem, pluriumq; rationem habuissem, omninò cum Flacco, Plotio, Vario, Mæcenate placere Persiis, rarisq; auribus studuissem, atque totam interpretandi rationem in pauca dicta collegissem. Didiceram enim ἐκ τῶν παλαιῶν τῶν ἀρχαίων σχολίων ad Pindarum, Apollonium, Callimachum, Æschylum & alios, methodum auctores explanandi. Animaduerteram, qualis ad Virgilum Seruius & Donatus: ad Flaccum Acron, & Porphyrion; ad Iuuenalem anonymus; à quibus sanè nimium quantum ætas nostra, paucis demptis desciuit; quæ ideo veniam meretur, quod à fontibus & temporibus scriptorum longius abest. Et poeta noster in paucis doctus, & præ cæteris αἰνιγματώδης ac tenebricosus maiore face indigebat. Non quod illius vel genus dicendi intricatum sit & abditum; vel ille voces insolentes, & verba desita ex Titinnijs & Paccuuijs consectari consuerit; Quid enim compositione Martialis explicatius, quid verbis simplicius? Sed quod nos ipsi non satis ab antiquitatis & veteris memoriæ rebus parati obscuritatem nobiscum ad illius lectionem adferamus, vel hebetiore sensu, vim, argutiam, & acumen epigrammatis non assequamur. Quæ causa est, vti non ita preßè & arctè, sed plenè & copiosè enarrandum hunc poetam putaremus,

Cur tam copiosi.

Quam Iustus etiam Lipsius V.C^mus in litteris suis ad M. Velserum, non potuit non probare, quamuis ipse succinctus scriptor; Martialem, *inquit*, qui ad te & tuos, vidimus: multa bona, voluissem strictiùs quædam dicta. Sed ille caussas suas habet: pro hoc æuo iustas, pro veteri improbandas. At scenæ etiam Roscius seruiat, si viuat.

Iustus Lipsius ad M. Velserum.

Res præterea communis & publica honestas fecit, vti prætextata

Quamobrē ab omni obscœnitate repurgatus.

verba, & molliores versiculos præteriremus, quod omnis labor noster Gymnasiis publicis, & iuuentutis vsibus consecrandus esset. Quapropter improbum Cupidinem amandamus ad eos, qui proscriptum dolent fremúntque.

Nobis non licet esse tam Latinis
Qui Musas colimus pudiciores.

Nihil ad hæc templa & sacraria sapientiæ, nisi castum, sanctum, integrumq́; adspiret; ne iuuentus dum quærit scientiam, perdat innocentiam. Accipe ergo has meas tam primas, quam secundas, & iam tertias curas, multis partibus auctas, emendatas, & veluti nouo cultu, decore abiecto, ornatas Si δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, *vellem tertias & postremas esse* σοφωτάτας. *Hoc certè vnum studui maximè, vt germanissimam auctoris mentem optima mente interpretarer. Quam si in primo & altero commentario non semper sum assecutus, conatus sum hoc postremo propius assequi. Quod si & hic mihi* παρόραμα δι' ἀβλεψίας *acciderit,* μόνος γὰρ ὁ θεὸς τοῦτο γέρας ἔχει, τὸ τῆς ἀναμαρτησίας, *cogitabis neque te, neque mortalium quenquam de suo aliquid promentem,* ἀναμάρτητον καὶ ἀδιάπτωτον *esse. Quare æquum est te cognoscere & ignoscere. Æquum lectorem amamus, monitorem modestum admittimus, molestum conuitiatorem odimus. Et sunt, eruntq́; semper qui simul & redhostire velint, & pariare possint. Non audeo (quod quidam de se) nec volo gloriari:*

Simonides.

Μωμεῦνται δέ με πολλοὶ ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί,
Μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

IVDICIA DOCTORVM VIRORVM de his commentarijs.

Martini Delrij ad Marcum Velserum.

LEgi partem magnam Commentarij in Martialem, qui ad te à Radero nostro, cui gratulor. Liber totus laboriosus, vtilis, iudiciosus: quot illic nominati, quos ego librorum helluo, nec editos sciebam? tali in eremo versor, vbi nec nomenclatura quidem scriptorum prodeuntium ad manum.

IACOBVS GRETSERVS DE IVRE PROHIBENDI malos libros.

ET nuper accuratius Matthæus Raderus: addito etiam copioso commentario, quo non veterem illum impuri & liberi oris, sed nouum puræ & pudicæ linguæ Martialem feliciter interpretatur, qui insuper notat Martialem à sui quoque æui magistris & doctoribus videri castratum; aut certè ne castraretur, timuisse; nam ad Cornelium scribens, ferrum deprecatur;

Quare

Quare depositâ seueritate
Parcas lusibus & iocis, rogamus,
Nec castrare velis meos libellos.

Cuius precibus meritissimò occluduntur aures. *Sed dices,* mutuum muli: socius socium scabit. *Sunt quidem testes domestici certiores, præsertim tam remoti & tantæ auctoritatis, quantæ noster Delrius & Gretserus. Possem plures sistere; ne tamen hic rimam inuenias, ecce dabo tibi externos tantum.*

EX IVSTI LIPSII LITERIS INEDITIS.

De Commentarijs edendis.

AT tu cur in vate nostro Hispano tardas? si ab imperio, bene est, nec vltra quæro. Si ab animo tuo, expostulo, & his te stimulis eò compello. Nónne alios vides, siue audis, in fines tuos venire & eos pabulari? Non est è tua, non est è publicà re, vt ego sentio: & quanquam isti [illegible] adferant, & Varrones aut Verrios meros iactent: malo te Modestinum aliquem & Probum, & lucem, non coruscationem nobis dare. Velserus noster quin idem adsuadeat, nullus ambigo.

EX LITTERIS ROBERTI TITII AD MARCVM VELSERVM II. virum Augustanum III. *nonas Maij,* M. DC. III.

HAbes litteras à Mercuriali nostro, & à me salutem plurimam, quam etiam nuncies velim magno viro Matthæo Radero, ipse interim ab occupationibus meis forsitan impetrabo, vt aliquot lineas amoris mei & obseruantiæ testes eidem exarare possim. Admiror equidem vehementer hominis ingenium, fateorque me non vidisse à multis annis copiosiores atque eruditiores commentarios, quàm quos ipse ad obscurissimum poetam nuper confecit: ei Radero nemò sanè præiuit, vt viribus duntaxat ingenij nixus tantum onus pertulisse dici possit; nam Calderini, si verum fateri volumus, nulla ratio habenda est, adeò ieiunè, ac plerumque ineptè peruerseque epigrammatarium illum interpretatur: hæc mea de Raderi commentarijs pura puta, vt ita dicam, sententia est, quam vt ex animo proferri à me intelligas, & non ad gratiam alterutrius vestrum, siue etiam vtriusque, propediem ostendam, in quo is mihi non plenè satisfaciat, vt reliqua ipsius à me probari non dubiè cognoscas: puto autem hoc mihi licere sine tuâ vel ipsius offensione, quod si secus censeas, non committam, vt tuam auctoritatem, non plurimum apud me valere, quemadmodum quidem ea semper valere debet, existimare possis. Offensiuncula illa mea leuior omnino fuit, quàm vt tantus vir vllo modo se purgare debuerit, aut mihi tot verbis satisfacere, in quo tamen ingenuitatem hominis & candorem summum agnosco, quo magis amicitiam ipsius expeto, quam si tu mihi conciliaueris, mirum quantus cumulus accedet, non dicam meo in te amori; cui quidquam amplius addi non potest, sed numero beneficiorum, quæ à te me accepisse nunquam diffitebor.

BERNARDVS AVTVMNVS ANNOTAtionibus in Persium.

p. 188 ad Sat. 4.

INdicio erit elegantissimus Raderus, suæ Societatis, mea quidem sententia, decus indelebile. Hic verò suis quoque præclaris Annotationibus beauit distichon illud Martialis: *Castora de Polluce* &c. vide primam editionem lib. VII. ep. 56.

EX EIVSDEM LITTERIS AD ME.

ET sanè illi tui ad Martialem, hoc est ad alteram sphingem commentarij, ostendunt te ingenio atque eruditione plurimum abundare; nec est quod notas meas in

as in eos magnoperè expectes, quandoquidem sunt rerum leuissimarum, & quarum nulla prorsus ratio haberi debeat à te viro cunctarum bonarum artium copia affluenti. Communicabo tamen tecum quasdam meas cogitationes, si ita tibi visum fuerit, postquam ad vrbem me contulero, nam nunc quidem ruri dego procul à libris & schedis, in quas quædam conieci Martialem percurrens, tuosq́; commentarios leuiter delibans: ac iam nescio quid Velsero nostro subindicaui, cum literarum argumenti inopia valde laborarem. De mollibus illis Triuiæ templi honoribus habeo nonnulla alia, quæ post ad te perscribam; nam non valde mihi placeo de emendatione quam feci. *Nec Triuiæ templi moles laudentur in horas.* quomodo nec tuum *Iones* libenter receperim. Videbis etiam sat scio, quæ de *Lybica testa, & ficu gelata* eidem significo: denique onerabo te his nugis, vt hinc intelligas me tuarum scriptionum esse valde studiosum; sunt enim perelegantes, & varia reconditaque eruditione refertæ, vt rectè sentiat Scaliger, qui eis plurimam laudem tribuendam censet.

IOSEPHVS SCALIGER MARCO Velsero.

VAlde laudo operam Raderi vestri in Martialem. Itaque me auctore multi emerunt illum librum, vt ego excandefecerim precium illius. Laudo, inquam, eruditionem hominis, & candorem Germanicum, qui sine vlla rubigine & maledicentia, tam benè de bono scriptore meritus sit.

PROGRAMMA.

TAndem CVRA SECVNDA, *cura felix*
RADERI *redit, expedita chartis;*
Docto pumicis expolita cultu;
Primis auspicijs probata, votis
Nunc optata venit tuis secundis.
Argutos Epigrammatum libellos,
Datq́; ipsum tibi lima MARTIALEM,
Quem mundi proceresq́;, principesq́;
Romani salis ebrium poëtam,
Musæo madidum lepore; plenum
Doctis delicijs, facetijsq́;,
Mensas inter, & ambulationes
Ingenti simul ambitu tulêre.
Sed tum fœdus adhuc, parumq́; cinctus,
Floræ sipariumq́; fibulamq́;
Diducens sacra Gaditana scenis,
Indignas facilis stolas resoluit,
Et castum pepulit togis pudorem.
At feliciter hanc virilitatem
Occidit PRIOR *&* SECVNDA CVRA,
Phœbeis resonantibus Theatris,
Docto præcipuè virûm senatu.
Plausit Bilbilis, Hispalisq́; plausit,
Et quascunque reponit Astur oras;
Iam castum & nitidum redire ciuem,
Quem matrona legat, legatq́; virgo,
Pubeda, iuuenes, senes, Catones.
Sensit Gallus, idemq́; Belga sensit;
Teucrorumq́; nepos acutus Auson;
Germanusq́; graui Magister vsu;
Et quisquis bonus arbiter Thaliæ est;
Commendare suis nouum poetam
Ausi; quin etiam inuidos Theonas,
Mystas Turpilios, bara Tribunos
Non nemo petijtq́;, contuditq́;.
Ergo CVRA PRIOR *tulit fauorem;*
Quid iam CVRA *dabit* SECVNDA*? Plausum.*
Curas TERTIA CVRA *tollet omnes.*
Et somnum feret omnibus scholarchis.

Gaspar Rhey de Soc. IESV.

AD

AD M. VALERIVM MARTIALEM, LVCVLENTISSIMIS R. P. MATTHÆI RADERI DE SOCIETATE IESV, COMMENTARIIS ILLVSTRATVM AVGVSTINI MAIANI IC. Augustani Phalæcium.

Vod te Roma legat, dolere quendam,
Et rumpi inuidia, in sinus amici
Et fundis lepida admodum querela,
Facetissime Martialis, olim:
Et, quòd te digito notent in omni
Turba, illum inuidia premente rumpi:
Tùm, quòd Cæsarea benignitate
Istud ius habeas, erat datum quod
Natorum patribus trium probatis:
Et, quòd possideas sub vrbe rus, &
Ædeis exiguas in vrbe iactes.
Quin rumpi inuidia colas si amicos:
Si conuiua frequens feraris esse:
Si te conspiciat probari, amari,
Disrumpi inuidia tumentiore.
Quid si nunc oculis notaret idem,
Insignem pietate moribusq;,
Iucundum ordinis eruditi ocellum,
RADERVM celebreis tuos per orbem,
Selectorum Epigrammatum libellos
Purgatos vetito modo iocandi,
Ut pisceis varios ferente iactu,
Lini multiplici ligamine arctos,
Discernunt, aliis procul remotis,
Probatos modo, & vtiles legentes.
Lauti carminis, ergo, & albicantis
RADERI inuidus, ille si videret
COMMENTARIA docta, acuta, tersa,

 Refer-

Referta omnigena eruditione,
Græca, Romulea, proba, vetusta:
Vt iam tam facilè assequi tuam sit
Cultam Pieridem pudicam, amœnam,
Mordacem, variam, facetam, acutam,
Blandam, haud elogiis probis carentem,
Quàm cum Roma tuam Camœnam amauit:
Non rumpi inuidia amplius maligna,
Sed ruptum aspiceremus, iliisq;
Prolapsis vacuum iacere terra.

AD SECVNDAS CVRAS
R. P. MATTHÆI RADERI.

Felici, liber, euola volatu;
Quid lapsum trepidas adaucte pennis?
Non audax tibi cera finxit alas,
Vt Sol Icariam nouet ruinam:
Sed prudens tibi lima finxit alas,
Ne Sol Icariam nouet ruinam.
Felici, liber, euola volatu;
Lautus Vindone, quid times fluores?
Clarus lumine, quid times nigrores?
Sordes despice, laute, Ramicosas
Noctes despue, clare, noctuasq;
Et tantum treme scripta Zoilorum,
Quantum Luna canum sonos tremiscit,
Et runcans pecus edocet Mineruam.
Quantum saxea silua, siue rupes
Impacto ariete iunceo fatiscit.
Testem iuro Iouem, Iouem probasse
Isthæc omnia dicta Mome, credis?
Felici, liber, euola volatu:
Tantis vndiq; & vndecunq; & vsq;
Prægnans diuitiisq; laudibusq;

Gemmans

Gemmans floribus hinc & hinc disertis;
Quas Permeßidos educauit imber;
Quas Musæa rigauit usq; cura;
Quas dextrè sociauit ungue & arte;
Magnus Pieridum potensq; Mystes
RADERVS: *quid ago? omnium virorum*
Verè Mercurialium medulla.
Hunc quis sat canat usq; & usq; & usq;?
Quem sic Scaligeri probant vel hostes?
Quem largæ segetes probant amicum?
Quem, patrem vocet ipse Martialis?
Quare nil trepidesúe, palleasúe:
Felici, liber, euola volatu.

IOANNES DREXEL, I. D. S.

INDEX

OMNIVM LEMMATVM, SIVE INSCRIPTIONVM.

Prior numerus librum, posterior epigramma libri ostendit.

A, librum Spectaculorum.

A.

Ad Arte-

 Caput

In Cora-

De He-

De muli-

Ad Poti-

T.

De Ton-

SYLLABVS EPIGRAMMATVM IN COMMVNES LOCOS DIGESTORVM.

Prior numerus librum, posterior epigramma libri ostendit.

A. librum spectaculorum.

A.

B.

C.

Incre-

D.

E.

F.

G.

H.

In pocula.

XENIA.
XIII.

APOPHORETA.
XIV.

AD

INDEX AVCTORVM.

Demo-

Index Auctorum.

Labeo

Index Auctorum.

Symma-

Index Auctorum.

AD M. VA-

AD
M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATVM LIBROS, PROLEMMATA.

VITA MARTIALIS, EX IPSO MARTIALE potissimùm deprompta.

CAPVT I.

Nomen, patria.

MARCVS VALERIVS MARTIALIS, patre Frontone, matre Flaccilla, Bilbili in Celtiberia Claudii Imperat. anno præterpropter primo, Christi XLIII. quamquam hoc ex coniectura magis, quam ἀποδείξει, natus, Calagurritanus fuit alumnus quàm obscurus maiorum natalibus, tam clarus ingenii monumentis. De nominibus poëtæ constat ex omnium codicum fide, qui M. Valerium Martialem præferunt, quæ, num ipse sibi adsciuerit, an à parentibus acceperit, in medio relinquo. Quanquam Marci & Valerii Romana nomina Romæ primùm assumpta iudico. Ciuem enim Romanum fuisse, nullus dubito, cum aliis ipse ciuitatem impetrarit, vt lib. 3. epig. 94. gloriatur in Næuolum.

Quot mihi Cæsareo facti sunt munere ciues,
Nec totidem famulos suspicor esse tibi.

Nec factum, sed natum, alioqui patronum suum carmine laudasset. Facilis verò erat tum aditus ad ius ciuitatis, quod Claudius tam vile fecerat, vt vitreis fractis vulgo diceretur emi. Otho verò peregrinis etiam donauit vt Dio in Claudio & Othone testatum reliquit. Bilbilis colònia Augusta dicta est, vt ipse scribit lib. 10. epigr. 103.

Municipes Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat.——

Et extat in Tiberii Imperat. æreo nummo AVGVSTA BILBILIS. Vespasianus autem Plinio teste lib. 3. cap. 3. vniuersæ Hispaniæ ius Latii dedit, ciuitatem postea Caracallus. Marci ergo & Valerii nomina more ciuium Romanorum, qui prænomen, nomen, cognomen ferebant, sibi poeta legit, arbitratu reor suo. Marci fortè & Martialis, quod mense Martio esset editus. Illi enim Marci, vt veteres tradunt, vocabantur. Valerii nomen vel à Mœcenate suo aliquo Valerio, vel Valerio Flacco familiari poeta, vel fortè ob memoriam Catulli, quem est imitatus, qui & ipse Valerius audiuit, sibi sumpsit; nec enim à maioribus acceptum arbitror, etsi non ignoro, nomina nouis ciuibus assumpta ab iis, quorum beneficio ciuitatem impetrassent, sua verò pro cognominibus seruata. Quod lib. 1. de bello Gallico Cæsar ostendit, cùm ait: *Commodissimum visum est M. Valerium Procillum, Caij Valerij Caburri filium, cuius pater à Caio Valerio Flacco ciuitate donatus erat, mittere.* Et Cicero ad Acilium: *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, ei Dolabella rogatu meo ciuitatem impetrauit, qua in re ego interfui. Itaq; nunc P. Cornelius vocatur.* Idem ad eundem Acilium: *C. Auianium Philoxenum Cæsar meo in beneficio in Nouocomenses retulit, nomen autem Auianij consecutus est, quòd homine nullo plus vsus est, quàm Flacco Auianio meo familiarissimo.* Item in Verrē: *Q. Lutatius Diodorus beneficio Q. Catuli à Sulla ciuis Romanus factus, eademq; ratione de Dione, qui beneficio Q. Metelli ciuis factus, Q. Cæcilius Dio est appellatus.* Sub imperatoribus, cum Romana ciuitas integris prouinciis daretur, hi, qui ciuitatem Romanam consequebantur, vel Imperatoris prænomen & nomen, vel eius, aut eorum, quorum præcipuè subsidio ciuitatem impetrassent, nomina ferebant. Verum cum Antonius Caracallus Imperator, constitutionē edidisset, quæ lib. 1. Digestorum sub titulo de statu hominum refertur, qua omnes eos, qui in vrbe Romana essent, ciues esse voluit; tum pro cuiuscunq; arbitrio nomina sumpta, aut nobilissimarum familiarum, quæ iam defecerant, aut noua excogitata, vetere vocandi consuetudine, quæ

ad ea vsque tempora, parum certè violata perdurauerat, paulatim postea labante. Quæ præcipua causa fuit (quod portento simile est) vt post Caracalli tempora, intra paucissimos annos horum nominum vsus per mille annos conseruatus, omninò dissipatus, & in noua vocabula transformatus. Nam nulla deinceps nominis, prænominis, vel cognominis distinctio obseruata est, sed omnia in fœdissimam barbariem versa, antiquitatis cognitionem omni ex parte perdiderunt. Hæc Panuinius de antiquis nominibus Romanorum. Consule & Sigonium & Vrsinum de nominibus & familiis Romanorum, Volateranum Anthropol. Martialem (quamuis & hoc Romanum) à parentibus indigitatum siue à Kal. Martiis, quibus est editus, siue maiorum arbitratu ob Martis cultum & memoriam censeo. Martiales porrò nostro poëtæ ferè æquales plures lego apud scriptores. Est apud Lampridium Gargilius Martialis, paulò tamen nostro Martiale minor. Celebrat Tacitus Cornelium Martialem primipilarem. Laudat noster Martialis Iulium Martialem familiarem suum. Vixit eodem ferè æuo S. Martialis, Gallorum Mystagogus Lemouicensis Pontifex, scriptis primùm suis nobilitatus, dein etiam sanguine pro Christi nomine profuso purpuratus. Notus est & ille Martialis apud Herodianum lib. 4. Caracalli percussor. De Kalendis Martiis poëtæ natalitiis ita lib. 10. epigr. 24. Martialis ipse canit.

Martiales circa illud æuum plures clari. Vnde nostro videatur dictus.

Natales mihi Martiæ Kalendæ
Lux formosior omnibus Kalendis.

Quando natus.

Et lib. eodem epig. 92. *Martem mearum principem Kalendarum.*

Coquus audit apud Lampridium in Alexandro Seuero, *vt Martialis Coci*, inquit, *Epigramma significat quod contra quandam Gelliam scripsit huiusmodi:*

Cum leporem mittis.

Martialis vnde Coquus dictus.

Coquum item appellat Ioannes Salisberiensis lib. 8. Polycrat. cap. 6. & cap. 13. & lib. 7. cap. 12. Auctor Sophologii, præter alios quosdam, qui vitam Martialis conscripserunt. Quod nomen an gentilitium sit, an postumum & hominum studio inditum, non decerno. Sunt qui censeant à conuiuiis, quæ frequenter celebrat, Xeniis, Apophoretisque hoc illi nomen conditum, alii reipsa coquum egisse principiò existimant Titius lib. 7. cap. 21. A maioribus adhæsisse illi potius existimem, seu parens coquus ab artificio audiit, seu à maioribus accepit. Ob tam pauca epigrammata, quibus conuiuia celebrat nomen culinarium hanc indeptum esse non est vero simile. Ex hodiernis scriptoribus Casaubonus, Rob. Titius, Claudius, Musambertius seu Marcilius, iterum coquum indigitant. alii negant; natumque errorem huncce x corrupto Lampridii codice coniiciunt, qui ita legunt. *Vt Martialis coce* pro *quoque*. Sic enim priscè scribebatur. vnde coci seu coqui vox deriuata ac deprauata. Meursius de gloria, Clauerius in vita Persii. Ramiresius ad prim. ep spect. Sed ego codicem illum antiquum Lampridii optarem inspicere, & in rem præsentem venire; Quid enim? in hac sola voce errarunt librarii, in cæteris emendatè scripserunt? Aliud est, quod me mouet, vt eam scripturam ita legendam putem, quod ipse sententiæ ordo desideret *quoque*. Sic enim Lampridius: *Idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt eos qui leporem comederint, vt Martialis quoque epigramma significat.* Cognoscis lector, quàm opportunè cadat hic illud *quoque*? Scripturam ergo priscam confirmat ipsa series & mens verborum. Etsi non necessario legas *quoque*. constat enim sensus nihilominus integer & perfectus si legas *coci*. mens tamen inclinat in *quoque*. Multa etiam Scriberius super vocè coci ad Epist. libro 1. præfixam & Parthius lib. 6 c. 1. qui cocum appellat. & super ea re disputat, copiosius: Est cum καὶ ἀντονομασίαν epigrammatarius, vt Homerus vel Virgilius poëta, Demosthenes vel Cicero orator, philosophus Aristoteles dicitur. Parentum nomina, nisi filius cantasset, obliuione sepulta iacerent, lib. 5. immortalia reddidit epigr. 35.

Hanc tibi Fronto pater, genitrix Flaccilla puellam.

Parentem tamen affirmant aliqui coquum dictum lectumque. Vxorem habuit Clodiam Marcellam ex gente Claudia plebeia lib. 12. epigr. 21.

Municipem rigidi quis te Marcella Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?

Et mox: *Te citò ridebit peregrinus Clodia partus,*
Romanam ducat quam magis esse nurum.

Ita distichon hoc legit Iosephus Scaliger ad illud Catullianum:

Dulce rideat ad patrem.

Et Martiale tamen discis, Clodiam hanc Marcellam non Romanam sed Hispanam & Bilbilitanam patria fuisse, vt meritò dubitare possis, an ex gente Claudia Romana fuerit hæc Marcella, versum ergo Martialis rectius scripserim, vt ante habuit

Vide lib. 12. epig. 21. Patria Bilbilis.

Nec citò ridebit peregrini gloria partus.

In patria laudanda tam diligens & frequens est, vt illius amantissimum facilè intelligas lib. 1. epigr. 62.

Te Liciniane gloriabitur nostra,
Nec me tacebit Bilbilis.

Lib. eodem epig. 50. *Vir Celtiberis non tacende gentibus,*
Nostraq; laus Hispaniæ,
Videbis altam Liciane Bilbilim
Aquis & armis nob lem.

Lib. 10. epigr. 103. *Municipes Augusta mihi, quos Bilbilis alto*
Monte creat, rapidis, quos Salo cingit aquis,
Ecquid læta iuuat vestri vos gloria Vatis?
Nam decus & nomen, famaq; vestra sumus.

Et mox in sequ nti. *Illinc te rota tollet, & citatus*
Altam Bilbilin, & tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis.

Lib. 12. epigr. 18. *Me multos repetita post Decembres*
Accepit mea, rusticumq; fecit
Auro Bilbilis & superba ferro.

Sed de patria Martialis & hac Bilbili plura lib. 1. epigr. 50. Romam venit, cum annum ageret alterum & vicesimum Nerone imperante, egit in vrbe annos quinque supra triginta, discessit septimo & quinquagesimo. Quod ipse me docet poëta cum lib. 12. epigr. 31. de hortis Marcellæ vxoris ita canit:

Quando Romā venerit. *Quamdiu Romæ.*

Munera sunt Domino post septima lustra reuerso.

Lib. verò 10. epigr. 104. à patria se triginta quatuor annos abfuisse adhuc in vrbe degens scripsit. Porrò lib. 10. epigr. 24. de suis Kalendis, monet se quinquagesimum septimum annum attigisse

Quinquagesima liba septimamq;
*Vestris addimus hanc * focis acerram.*

** Vel huc*

Ex quibus concludo, poetam sub Nerone, Galba, Othone, Vitellio, Vespasiano, Tito. Domitiano, Nerua, Traiano Romæ vixisse, cùm, vt planè sentio, sub primum Traiani annum, quòd ab eo negligeretur, in patriam redierit, ibique post quadriennium, summum quinquennium exactum, vltimum vitæ diem clauserit, ita vt ἑξηκονταετὴς ferè obierit, aut annum vltrà vitam propogarit. Obiit ergo anno post C. N. CIV. aut quinto, Traiani quarto aut quinto, Sura & Seruiano iterum Coss. Olymp. CCXX. A. 2. post V. C. DCCCLIV. Romæ Domitiano, immò & Tito charus gratusq; fuit, magnisq; honoribus & donis ab vtroq; ornatus. Iure nempe trium liberorum, quod solus Imperator conferebat, maximæque argumentum gratiæ erat. De quo Plinius minor, Tacitus, Lipsius, alii & nos suo loco. Gloriatur de hoc munere poëta lib. 3. egigr. 94.

Iure trium liberorum donatus.

Titus & Domitianus.

Præmia laudato tribuit mihi Cæsar vterq;,
Natorumq; dedit iura paterna trium.

Et lib. 9. epigr. 99. *Rumpitur inuidia, tribuit quòd Cæsar vterq;*
Ius mihi natorum, rumpitur inuidia.

Et lib. 2. epigr. 92. *Natorum mihi ius trium roganti*
Musarum pretium dedit mearum,
** Solus qui poterat. Valebis vxor;*
Non debet Domino perire munus.

** Cæsar nempe Tribunatum gessit.*

Creatus est tribunus, quod lib. 3. epigr. 94. iactat:

Est & in hoc aliquid vidit me Roma tribunum.

Ornatus est equestri dignitate. ibidem.

Et sedeo, qua te suscitat Oceanus.

Hoc est, specto in theatris ludos inter equites. Prædicat eandem lib. 5. epigr. 13.

Sum fateor, semperq; fui, Callistrate pauper,
Sed non obscurus, nec malè notus eques.

Auctus est donis in vrbe & ruri. domicilium sibi assignatum in vrbe, & rus suburbanum docet lib. 9. epigr. 99.

Rumpitur inuidia quòd rus mihi dulce sub vrbe est,
Paruaq; in vrbe domus, rumpitur inuidia.

Et lib. 10. epigr. 58. *Dum suburbani dum iugera pascimus agri,*
Vicinosq; tibi sancte Quirine lares.

Lib. item 8. epigr. 61. *Sed quod sub vrbe rus habemus æstiuum,*
Vehimurq; mulis, non, vt antè, conductis.

Prædium Nomentanum pluribus versiculis nobilitat lib. 6. epigr. 43. lib. 7. epigr. 92. lib. 10. epigr. 94. & 48. lib. 13. epigr. 119.

Italiæ quoque partem eam obiit poeta, quam olim Æmiliam, seu togatam Galliam dixere, nunc Lombardia cis Padum nuncupatur, ibique nobilissimas vrbes lustrauit; Forum Cornelii seu Immolam, vnde tertium epigrammatum librum emisit, vt lib. 3. epigr. 1. & 4. scribit:

Hoc tibi, quidquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia Romanæ, nomine dicta togæ.

Et:
Si quibus in terris, qua simus in urbe rogabunt,
Corneli referas, me licet esse foro.

Italiam lustrauit.

Rauennam item, olim caput Piceni, vt vetus docet inscriptio. Et in Venetorum agro Altinū, vti & Patauium & Aquileiam, &c. Aquileiam Fori Iulii primariam vrbem, quæ ciuitates adeò poëtæ arrisere, vt constituerit, extremam illis ætatem consecrare, sic enim lib. 4. epig. 25. testatur.

Vos eritis nostræ portus, requiesq; salutis,
Si iuris fuerint, otia nostra sui.

Amicis vsus est, præter Cæsares, claris, & potentibus, & multis: Stertinio, quem Auitum vocat, Deciano, Liciniano, Stella, Nepote, Lupo, Plinio iuniore, Cornelio Prisco, Iulio Martiale, Regulo oratore, Quintiliano, Quincto, Ouidio, Iuuenale, Valerio Flacco, Silio, Parthenio tyrannoctono, aliisque compluribus, quos passim in suis libris æternis ornat elogiis. De Statio mirantur aliqui, cum eodem tempore vixerint, idem sæpe argumentum tractarint, eosdem amicos coluerint, cur nulla amicitiæ nota inter hos extet? An quod nulla singularis inter eos necessitudo, & vsus vitæ intercesserit? an occulta aliqua dissensio? an ingeniorum studia, mores, naturæ diuersæ? an quod Statius celer, & sæpe extemporalis prope poëta, vt ex Siluarum præfationibus discis, subitò gratularetur vel Principi, cum aliquid noui vel accidit, vel conditum est, quod non videtur potuisse Martialis, aut voluisse. Quod ipsum reor fuit, cur nullus tam charitatis index aut symbolum, aut contesseratio apud scriptores reperiatur. Librarium puerum habuit, Afrum Demetrium, quem moriturum, serò nimis, libertate donauit, de quo lib. 1. ep. 102.

Aeger.

Illa manus quondam studiorum fida meorum,
Ex fœlix Domino, notaq; Cæsaribus.

Graui morbo semel duntaxat, Romæ vixit, tentatus est lib. 8. epig. 25.

Vidisti semel Oppiane tantum
Ægrum me malè sæpe te videbo.

Reditus in patriam.

Lib. 6. epig. 58. se iam propè conclamatum ait:

O quam pœnè tibi Stygias ego raptus ad vndas
Elysiæ vidi nubila fusca plagæ.

Mors.

Domitiano sublato, Parthenio mæcenate amico aulico à militibus interfecto, cum apud Neruam parum, apud Traianum nihil posset, rerum vrbanarum tædio affectus, vrgentibus iam tædio, & fatis patriam repetiuit, in eaque, confecto per triennium libro duodecimo, naturæ concessit, neque enim tam gratam & suauem vitam, quàm in patria sperauit, inuenit, imò æmulorum municipum dente laceratus assiduè, ex ægritudine credo animi morbum concepit & periit. Nam paulò post, eius mortem Plinius eleganti ad Priscum epistola deplorauit, simulque velut funebria persoluit. Forma oris, & voce virili fuit, piloso & hirsuto corpore, vt illa gens plerumq; solet. Hoc poëta ostendit, cùm lib. 10. epig. 56. Carmenionem capit, sique ipsum depingit:

Hispanis ego contumax capillis
Hirsutis ego cruribus, genisque
Os blæsum tibi, debilisque lingua,
Nobis filia fortiùs loquetur.

Gyraldus.
** Lilius A. S. Peregrinus in Bibliotheca Hispanica, qui tamen nihil noui adfert.*

Scripserunt eandem Martialis vitam Calderinus, Sipontinus, Georgius Alexandrinus, Petrus Crinitus *, & alii hos secuti. Nos ex ipso Martiale Martialem voluimus depingere. Hoc mantissæ loco addamus, quibusdam Martialem visum esse prope Christianum, accipe ex periphrasi secunda Iuuenalis Claueri verba: *Scitum est verò Martialem non inuisum fuisse Christianis. nam Pudentem & Claudiam par nobile ac beato Paulo iucundissimum plurimis in cœlum laudibus effert. ac pœne auguror tremulum quendam solis æterni radiusculum isti poëtæ tandem affulsisse. licet plura eius, vel priora in lasciuiam vergant, vt hodieq; multis Christianis contigit.* Ego tamen nondum inducor vt hoc ad animum admittam, nisi mihi sanctior & certior testis tabulas alias exhibeat, quod hic, quem adduxi, tam idoneus & sanctus videatur, quam ipse Martialis est. Pudens autem ille & Claudia quos S. Paulus salutare iubet, non videntur ii quos Martialis celebrat. Fuit enim A. Pudens Martialis, centurio profanus & Encolpo puero transcriptus, non philosophus. Præterea multo illis hi iuniores, de quibus lib. 4. epig. 13. plenius. Pudens hospes S. Petri ordinis iam tum senatorii, non centurio. Fabulis ergo gemina quæ narrant Britannicæ antiquitates, à nuperis scriptoribus concinnatæ.

DE LIBRIS ET SCRIPTIS Martialis.

CAPVT II.

QVOD nobilissimis scriptoribus vsuuênit, vt plurimos eorum labores, aut casus, aut bellum, aut vetustas ipsa deteteret & obliteraret, hoc nostro quoque Martiali aliqua ex parte accidit, neque enim omnia illius scripta poëmatáue perannarunt, canit ipse de suis nescio quibus iuuenilibus & apinis lib. 1. epig. 114.

Iuuenilia Martialis.

Quacunq; lusi iuuenis & puer quondam
Apinasq; nostras, quas nec ipse iam noui, &c.

Sunt qui Priapeia nostro quoque poëtæ hoc sero sæculo parum verè, vt arbitror, minus certè vtiliter, transcribunt. Nam, V & M, minimè euincunt libellum Priapeium esse Martialis, cum omnibus libris Martialis præscribatur M. VAL. MARTIALIS. Et fieri potest litteras V. & M. tantum pertinere ad primum epigramma, quod est eius qui Priapeia collegit. Præterea multorum auctorum nomina ab ijsdem litteris incipiunt, Vt Val. Maximus, Val. Messala, Virg. Maro. &c. cui tamen non adsigno, sed potius esse diuersorum puto. Et Martialis non esse clamat ille versus Ouidianus ex Priapeis à Seneca parte 2. contr. lib. 1. laudatus.

Dum times alterius, &c.

Quod Gruterum & Melissum non vidisse miror. Nec verum est, quod scribitur ad Gruterum.

—— Nuncupat hercule
Fratrem Priapeium libellum
Ipsa cohors duodena fratrum.

Nusquam inquam Martialis in XII. libris vocat libellum hunc fratrem illorum XII. sed in duodecimo, reliquos vndecim Romæ scriptos & relictos vocat fratres, ad quos duodecimum mittit:

Non tamen hospes eris, nec iam potes aduena dici,
Cuius habet fratres tot domus alta Remi.

Aliqua tamen fortè sint Martialis, & fortè illa de quibus infra. *Quacunque lusi iuuenis*, &c. At si serio rem agas, nec illa iuuenilia spectabunt Priapeia. Laudat ipse Martialis aliud ex Ouidio, quod inter Priapeia fuit.

Ride, si sapis, ô puella, ride,
Pelignus puto, dixerat poëta.

Verè ergo Iosephus Scaliger: *Scripserunt huius argumenti poematia plures veterum, Catullus, Tibullus, Ouidius, Petronius Arbiter, alij* Itaque ex illorum epigrammatis totus hic liber concinnatus est, & conflatus ab eo, qui epigramma illud libro præposuit: *Carminis incompti.* &c. Arbitrum auctorem quorundam indigitat Sidonius:

Et te Massiliensium per hortos
Sacri stirpitem Arbiter colonum
Hellespontiaco parem Priapo.

Perierunt & quædam de libro singulari seu spectaculorum (quem quidem ipse, meo iudicio, collegit, itaque vt legitur, composuit, præter inscriptiones quasdam parum aut omninò epigrammati non conuenientes.) Nam lib 1. quædam laudat epigrammata de libro Amphitheatri, quæ non reperiuntur. Ad Stellam lib. 1. epig. 45. ita scribit.

Lib. spectaculorum.

Lasciuos leporum cursus lususq; leonum,
Quod maior nobis, charta minorq; gerit,
Et bis idem facimus: nimium si stella videtur
Hoc tibi: bis leporem tu quoq; pone mihi.

Maiorem chartam librum primum interpretatus sum prima eruditione. hac altera aliud sentio, vt suo loco dicam, quod plura epigrammata contineret, quam liber Spectaculorum, qui quidem ad Titi laudes, & Amphitheatrum, seu ludos in amphitheatro editos potissimum, vt doctissimus sentit Lipsius, est referendus. A poëta, post Titi mortem recognitum arbitror, & inscriptiones epigrammatum ita positas, vt possent pleræque ad Domitianum, qui sibi patris fratrisque opera omnia transcribebat, referri atque intelligi, de quo infra copiosius. Epigrammatum libros, præter singularem, composuit duodecim, quos non simul in manus hominum dedit, sed vt quemque absoluerat, ita in litteras misit, quod ex epistolis & multis epigrammatis lector cognoscet. Reuocauit tamen editos, & quosdam emendauit, vt fatetur lib. 10. de lib. 10. epig. 11.

Festinata prior decimi mihi cura libelli
Elapsum manibus nunc reuocauit opus,
Nota leges quædam, sed lima rasa recenti
Pars noua maior erit: lector vtriq; faue.

Et hæc forte causa sit, cur exemplaria hodierna tantum inter se differant. Aldina, inquam, & Calderiana seu vulgaria. Nos Iunii & Iani emendationes secuti sumus.

Librum 13. & 14. hoc est, Xenia & Apophoreta ante librum 10. & sequentes scripsit viuo adhuc tyranno Domitiano, cui in Xeniis & Apophoretis blanditur. Nam illud profectò Domitianum spectat, cui lemma, Anser est.

Hæc seruauit auis Tarpeij templa Tonantis:
Miraris: nondum fecerat illa Deum.

Vtique Domitianum vocat Deum, qui incensum capitolium restituit, vt infra ostendemus. Nec de alio intelligo primum distichon lib. 14.

Synthesibus dum gaudet eques, dominusq; Senatus,
Dumque decent nostrum pilea sumpta Iouem.

Iouem Domitianum more suo appellitat, vt suprà

Me meus in terris Iuppiter ecce tenet.

Cæterùm quod generatim ad vniuersa poëtæ epigrammata attinet, non ita admiror omnia, vt vel paria, vel omnia præstantissima indicem. Sunt alia aliis meliora, quod ipse fatetur de suis lib. 1. epigr. 12, scribit:

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis: hic aliter non fit Auite liber.

Et lib. 7. epig. 30. *Triginta toto mala sunt epigrammata libro,*
Si totidem bona sunt, Lause, bonus liber est.

1. de natura Deorum.

Quod verò monent nonnulli, vt mala à bonis secernantur, maleque natis infœlix nota adscribatur, id curæ alteri non inuidebo. Ego quæ fortean acutissima censeo, alius plumbea dicat: nec enim doctissimis etiam in hac censura conuenit, quod Ciceronis & Plutarchi, qualium, Deus bone, virorum iudicia ostendunt, quorum alter omnium seculorum auctoritate comprobatus Cicero, Timæi dictum de Dianæ absentia in eius templi conflagratione, vt argutum & acutum celebrat ac miratur: Alter verò, Plutarchus, in Alexandri vita, tam frigidum ait eundem Hegesiæ iocum, (de nomine quoque controuersia est) vt ipsum etiam incendium restinguere potuerit. Victorius lib. 16. Var. cap. 15. Commendat Adagiographus Palladæ Græci epigrammata, eleuat eadem ac penitus deprimit. H. Stephanus, vt verissimum sit illud Luciani.

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διαμπερὲς ἔστι νόημα
Ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

Editur humana eximium nil mente: Sed illud
Quod tu miraris, ridiculum est aliis.

Et illud:

Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν ἐμοὶ δὲ τάδε.

Nunquam fiet, vt omnes eadem mirentur amentque; quot capita, tot sententiæ. Præclara tamen pleraque sunt huius poëtæ epigrammata, in quibus nullum habet secundum. Accedit, mihi necessariò multa prætereunda, quæ tibi fortè maximè iucunda.

ELOGIA

SCRIPTORVM DE MARTIALE.

CAPVT III.

OMNIVM nobilissimum testatissimumque est C. Plinij Cæcilij Secundi, poëtæ æqualis & amici, cuius iudicium meritò tanti fit ab omnibus, quanti Plinius hic ipse ab omnibus fieri solet, cuius ad Cornelium Priscum Epistolam de Martiale apponam.

Caius Plinius Cornelio Prisco S.

Audio Valerium Martialem decessisse, & moleste fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum in scribendo, & salis haberet & fellis, nec candoris minùs. Prosecutus eram viatico secedentem, dederam hoc amicitiæ, dederam etiam versiculis, quos de me composuit. Fuit * mos antiquis, eos qui vel singulorum laudes, vel vrbium scripserant, aut honoribus, aut pecunia ornare. Nostris verò temporibus, vt alia speciosa & egregia, ita hoc inprimis exoleuit. Nam postquam desiuimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quæris, qui sint versiculi, quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsorum volumen, nisi quosdam tenerem. Tu si placuerint hi, cæteros in libro requires. Alloquitur musam. Mandat, vt domum meam in exquilijs quærat, * adeat reuerenter.

[* moris antiqui.] [* adeatque.]

Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, videto:
Totos dat tetricæ dies Mineruæ,
Dum centum studet auribus virorum
Hoc, quod sæcula posteriq; possint
Arpinis quoq; comparare chartis,
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora est tua, † dum furit Lyæus
Dum † regnat rosa, dum madent capilli,
† Tunc me vel rigidi legant Catones.

[† al. cum.] [† cum.] [† Tunc.]

Meritò ne, qui hoc de me scripsit, & tunc dimisi amicissimè, & nunc amicissimum defunctum esse doleo? dedit enim mihi, quantum maximè potuit daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari maius, quàm gloria, laus, & æternitas? † Æterna, quæ scripsit, non erunt fortasse; ille tamen scripsit, tanquam futura. Vale.

[† al. at num erunt æterna quæ scripsit? erunt fortasse. A. V. C. DCCCC. XC.]

Ælius Verus Cæsar.

Addam & Spartiani aut potius Ælij Veri Cæsaris de poëta nostro elogium. *Idem* (*Ælius Verus Cæsar*) *Martialem † epigrammatarium poetam, Virgilium suum dixisse fertur.* Virgilium intellige in suo genere, hoc est principem epigrammatis, vt ille epici poëmatis.

[† al. epigrammaticum.]

Lampridius in Alexandro Seuero.

Martialem æuo * Alexandri Seueri plurimum legi celebrarique solitum ostendunt Lampridij verba: *Et quoniam*, inquit, *de lepusculis facta est mentio, quod ille (Alexander) leporem quotidie haberet, iocus poeticus emersit, idcirco quod multi septem diebus pulchros esse dicunt, qui leporem comederint, vt Martialis † Coci epigramma significat, quod contra Gelliam scripsit huiusmodi:*

[* C. CIↃ. LXXII.] [† al. quoq; al. ecce pro quoque.]

Cum leporem mittis, semper mihi Gellia, mandas,
Septem formosus, Marce, diebus eris.
** Si verum dicis, si verum, Gellia, mandas,*
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Sed hos versus Martialis in eam, quæ deformis esset composuit, &c. Ista Lampridius de Martiale.

[* Hic versus aliter legitur, vide lib. 5. ep. 30.]

Sidonius carmine 13.

[A. V. C. CIↃ. CC. II. Christi CCCC. LXI. circiter.]

Inter claros scriptores sæpius numeratur Martialis à claro Sidonio, qui ita canit:

Quid celsos Senecas loquar, vel illum

Quem dat Bilbilis alta Martialem.
Terrarum indigenas Hibericarum.

Idem carmine 119.

Aut mordax fine fine Martialis.

Omitto Salisberienfis, Lilij Gyraldi parum amici Martiali, Hiftoricorum item Hifpaniæ Ioannis Vafæi, Francifci Taraphæ, Marianæ & aliorum encomia Martiali impertita. Nec interpretes Martialis commemoro Calderinum, Sipontinum, Merulam, Heraldum Micyllum & alios, qui Martialem certatim prædicant. Sunt nonnulli*, qui minus rectè fentiunt de noftro poëta. Sed horum fententiæ lumina æui noftri, & à noftro proximi Iouianos Pontanos, Scaligeros, Turnebos, Lipfios oppono.

* *Volaterranus Anthropolo-gia. & nonnulli alij.*

Iouianus Pontanus lib. 3. de Sermone, cap. 18.

Valerius Martialis artificiofiffimus epigrammatum fcriptor ita in ijs quidem iocatus eft, vt frequentius carpat, quam delectet, tametfi è demorfione ipfa delectatio quoque paritur. Adhæc dictis eius partim occultiffima quædam infunt fpicula, partim verba, quæ non folum à facto fint aliena, verum aut obfcena ipfa admodum fcurrilia que, ad maxime ampullofa & acida, quod quidem Hifpanicum eft. Nam etfi Hifpani cum primis funt facetiarum ftudiofi, tamen fi populares refpexeris ac plebeios gentis eius homines, inuenies eorum iocos non tam propendere in lufum, ac delicias, quam in fubmorfiones, magifque fpectare in inuectiuas, & fubfannationes, quam in rifum, voluptatemque è iucunditate conceptam, quæ in facetis viris tenerrima quidem eft. Sunt tamen dicta eius in vniuerfum arguta fubtilitérque conquifita, abftrufæ fententiæ eædemque vera, falfa, aculeata: inuentio verò maximè acuta, verba autem præcipue accommodata, quæque non prima tantum facie, atque in ipfo explicatu lectorem alliciant, atque auditorem, verùm quæ in eius animo relinquant tacitam quandam quafi fubtitillationem. Nihilo tamen minus in ijs non pauca quidem animaduertas, quæ digna prorfus fint facetis, ac temperatis ciuibus, retineantque decorum illud, quod virtutis huius de qua præcipimus, maximè eft proprium. Quale illud, quod & iucundum fimul & falfum eft, rifumque venuftè pariter ac honeftè mouet, ac vel in ore etiam matronæ non dedeceat.

Vnguentum fateor bonum dedifti. Et quæ fequuntur.

Hæc Iouianus verè fincereque probat, nec fallo, quæ de eodem fubijcit, petulantiore tamen, & nobis hîc tacendo. Concludit demum laudem hifce verbis: *Eiufmodi funt igitur Martialis dicta, vt pleraque multum habeant falis: nec minus fellis, atque ampullofi proque loco & iocentur, & delectent:* Cætera ad illam partem epigrammatum pertinent, quam nos profcripfimus.

Angelus Politianus Præfat. in Quintil. *Vt ab ingeniofiffimo Latinorum epigrammatum poeta, & vagæ iuuentutis moderator, & Romanæ gloria togæ verè meruerit appellari.*

Iulius Scaliger lib. 6 poët.

Ne Martialem quidem transferre libet ad meliora. De illius libris alibi fatis à nobis dictum eft. Multa funt eius epigrammata diuina, in quibus & fermonis caftitas, & argumenti fpecies luculenta eft. Verfus verò candidi, numerofi pleni, denique optimi. Alia fœda ne legerim quidem (meritò igitur purgantur) *tantum abeft, vt ad cenfuram vocem.*

Idem lib 3. cap. 126.

Epigrammatis virtutes peculiares breuitas & argutia, hanc Catullus non femper eft affecutus, Martialis nufquam amifit.

Turnebus lib. 13. cap. 19.

Cum à Martiale lepidiffimo poeta (nec enim illis affentior, qui fcurram ineptum eum appellant, neque fatis eleganti Mufa libros epigrammatum fcripfiffe autumant,) canitur. Admittat inter buftuarias mœchas, &c.

Idem cap. 4. lib. 8.

Quid vetat attingere feftiuiffimi poetæ Martialis lufus, atque in his operam ludere: non femper fupercilia adducenda funt; legendum, inuolutus, &c.

Idem lib. 29. cap. 9.

Verfus Martialis funt lepidi, fed paucis intellecti, cum tamen verbis minimè obfcuris contexti fint.

Iuftus Lipfius lib. 1. epiftolic. quæft cap. 5.

Quid cenfes tu? non melius de Martiale Scaliger iudicauit, qui verfus eius candidos, numerofos, plenos, epigrammata multa diuina dicit: quam ille, qui fcurram de triuio appellat. Nollem excidiffet viro magno hoc iudicium

iudicij

iudicij dissimile. Nihil ad Catullum Martialis, scio: Sed & hoc scio, epigrammata illa, nec in triuio nata, nec in triclinio. Multa fœda, obscœna in Martiale: & mehercule in vno Catulli libello non pudiciora, sed pauciora. Ignorat sæculum illud, quo hoc accusat. Sunt & ioci aliquot leues, vulgati, pueriles: sed meliorum maior est numerus. Faceret e re litteraria, si quis more veterum criticorum dilectum eius epigrammatum haberet, & bonis adfigeret laudis notam, aliis culpæ, &c. Hæc Lipsius.

Taceo eorum, qui hodie scribunt egregia de Martiale iudicia, nullus certè vel Catulli, Tibulli, Propertii, Virgilii, Ouidii, Statii, Ausonii int rpres non sexcenties vtitur testimonio Martialis, nullus antiquitatis admirator & scriptor tacet Martialem, cuius testimonio omnes pro oraculis vtuntur, qui de rebus Romanis libros meditantur. Itaque, vt hoc caput concludam, satis meo animo vel tacitus laudatur is, qui plurimum citatur, legitur, & teritur, vt verè de seipso Martialis.

Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant:
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt: — *Lib. 4. epigr. 49.*

Sint alia poëmata epigrammatis grauiora, non sunt vel iucundiora, vel vtiliora, non minùs emendat mor. s noster, quàm vel Lucilius, qui versu *secuit vrbem*, vel Horatius, Persius, Iuuenalis. Quin & hoc laudis habet noster, quòd bonos apertè laudat, improbos alieno nomine tectè corrigit, vt de se fatetur ipse lib. 10. epigr. 33.

Hunc seruare modum nostri nouere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Vere etiam hoc poëta de epigrammatis, & fabulosis aliis poëmatis.

Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata Flacce, — *Lib. 4. epigr. 49.*
Qui tantùm lusus illa, iocosq; putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia saui
Tereos, aut cœnam, crude Thyesta tuam.

Iuuabit & Morelli Græcum encomium hendecasyllabon latinis attexere.

Πάντη Αὐσονίων περιφανὲς ἔθνη
Ἐμμέτρῳ σοφίᾳ καὶ ἀστεισμοῖς.
Παντοίων ἐπιγραμμάτων στίχοισι
Ἡδὺν πολυμαθῆ τε Μαρτιᾶλιν
Γλώσσῃ τῇ μελιάδι χαρίεντα πρόσθε,
Πέμπω ἑλλάδι νῦν θροοῦντα φωνῇ.

Transtulit Morellus non pauca Græcè plura Scaliger, quæ poterunt nonnunquam esse vsui doctoribus linguæ Græcæ, vt in iisdem suos auditores exerceant.

DE EPIGRAMMATE.

CAPVT IV.

ALIQVAM multi scriptores de epigrammate variè admodum præceperunt. Parmenio lib. 1. Anthol. cap. 44. εἰς λογογραφίαν. Cyrillus ibidem. Gyraldus Dial. 10 histor. poët. Robertellus libro singulari ad Aristotelis poëticen. Iulius Scaliger lib. 3. poët. Minturnus lib. 5. de poëta. Thomas Correa lib. singulari, & duo nuperè Societate Antonius Posseuinus, & Iacobus Pontanus. Mihi sicut animus non est, omnia, quæ ad epigrammatis laudes, antiquitatem, artem & vari tatem, pertinent, exequi, ita prorsus tacere, nec vim, originem, naturamq; eius attingere, cum epigrammatarium poëtam enarrandum susceperim, non est omnino visum opportunum. Quare tribus, vt aiunt, verbis rem expediam, & vnde natum epigramma, quid illud, & quas virtutes desideret, exponam. — *Qui de epigrammate scripserunt.*

Epigramma, Latinè inscriptionem sonat. ἐπιγράφω enim, inscribo, superscribo, seu titulum alicui rei addo, valet. Vnde ἐπιγράφειν τὸ βιβλίον, ἐπιστολὴν, ἀνδριάντα, τάφον, &c. Inscribere librum, litteras, statuam tumulum. — *Notio epigrammatis.*

Obseruauit Budæus à Plutarcho τὸ ἐπιγράφειν, vsurpari pro eo, quod est epigramma scribere.

Prima sanè notione epigramma nihil aliud est, quàm ἐπιγραφὴ, quæ primitus nuda, & simplex fuit, & sæpe vnò duntaxat verbo fiebat; qualis est apud Pausaniam ἐνυάλιος Mars, seu Mauortius. ἐπίγραμμα, inquit, ἐστὶν αὐτῷ ἐνυάλιος, hoc est, ἐπιγραφὴν ἔχει ἐνυάλιος. Talis est inscriptio Verrinæ statuæ apud Ciceronem. ΣΩΤΗΡ. Pluribus verbis, liberis tamen, epigramma de Cyro adfert Strabo. Infinita extant etiam hodie soluta oratione pluribus verbis facta, Cyri hoc est lib. 15. Ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κῦρός εἰμι ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κτησάμενος, καὶ τῆς Ἀσίας βασιλεύς. μὴ οὖν φθονήσῃς μνήματος. plura ibidem. Primo igitur & ve o significatu, ea dicta sunt epigrammata, quæ pro elogiis inscribebantur monumentis, statuis, tropæis, imaginibus, qualia legis apud Grut. Scal. Velserū libro Inscript. Est enim epigramma statuæ, vel imaginis inscriptio. Deinde translatum est epigramma ad libros, factumque est contra, vt epigramma fieret inscriptio inscriptionis, hoc est; statua, inscriptio epigrammatis, id quod exemplo intelliges. Primum cogita, positam Herculi aut Romulo

statuam

statuam cum hac inscriptione, *Herculi orbis liberatori*, vel *Romulo vrbis conditori*. Accessit deinde poeta, scripsit epigramma in statuas hasce Herculis & Romuli, eaque libro suo epigrammatum seu carminum inseruit cum hac inscriptione: De statua Herculis, de Colosso Iouis, de specie Romuli, &c. Hic, vt vides, statua Herculis, Iouis, Romuli est inscriptio epigrammatis: cùm tamen ipsum epigramma natura sua significet inscriptionem. Ita fit, vt in libris epigramma sit inscriptio inscriptionis, & quasi epigramma epigrammatis. Obseruandum, ab Aristotele in Rhetoricis inscriptiones reorum & titulos etiam epigrammata appellari. Epigrammatis meminêre Iurisconsulti, Vlpianus L.Lex Cornelia §.1. de iniuria; Paullus 5.sentent.tit.4. *Carmen facit non tantum Satyram & epigrammata, sed illegitimam alicuius insectandi causam, quidue aliud alio genere componit.* Plautus ἐλεγεῖα *elegia* in Mercatore vocat: *Impleantur meæ fores elegiorum carbonibus.* Petronius: *Impleuit Eumolpus frontes vtriusq, ingentibus literis, & notum fugitiuorum epigramma liberali manu duxit.*

Definitio epigrammatis. Est autem epigramma, vti nunc accipitur, poëma breue, cum simplici cuiuspiam rei, vel personæ, vel facti indicatione, aut ex propositis aliquid deducens.

Simplex. Simplex est illud apud Gellium Pacuuii lib. 1. c. 24.

Adolescens tametsi properas, hoc te saxum rogat,
Vt se aspicias: deinde, quod scriptum est, legas.
Hic sunt poetæ Pacuuij Marci sita
Ossa; hoc volebam, nescius ne esses: Vale.

Et illud Simonidis lib. 3. Anthol. cap. 2. quo nomen Casmyli, patria, pater, & victoria exprimitur.

α. Εἰπὸν τίς, τίνος ἐσσί, τίνος πατρίδος, τί δὲ νικῇς:
β. Κάσμυλος Εὐαγόρου, Πύθια, πύξ, Ῥόδιος.
Dic, quis es, & cuius, quæ patria palmaq, pugnæ:
Casmylus Euagora, Pythia, Lucta, Rhodus.

Illud etiam Virgilii. *Æneas hæc de Danais victoribus arma.*

Et illud de eodem nescio, an eiusdem.

Mantua me genuit, &c.

Compositum. Compositum est, cùm ex propositis aliud deducitur, idque vel maius, vel minus, vel par, vel diuersum, contrariumue. Maius deducitur ab Antipatro. 1. Anthol. cap. 54. in Dianæ Ephesinæ templum, quod Babyloni, Ioui Alpheio, hortis pensilibus, Colosso Rhodio, Mausoli tumulo anteponit. Noster item poëta Antipatrum imitatus. 1. epigram. Amphitheatrum Titi, septem orbis miraculis antetulit. Sed huius exempla passim apud Græcos & Latinos occurrunt. Minus, vt Martialis ad Paullum de Phiala & Galla. 75. lib. 10. & lib. A. epig. 6. vbi docet, fœminas posse, quod olim vix Hercules. Et de sue, quæ ex vulnere peperit. Est à minori, quo probat maius. Si nata est fera ex funere matris, cur non potuerit Deus? Minus, concludit lib. 9. epigram. 4. Vbi ostendit Iouem esse pauperiorem Cæsare, maioraque Cæsaris merita, quam vt illa æquare possit Iuppiter. Minus deducit lib. 9. epig. 49. ad Gallicum, & eodem lib. 9. epig. 60. Obuia passim huius exempla leges. Paria sunt illa lib. 2. epig. 18. ad Maximum, quem se maiorem, sibi tamen esse parem probat ex paribus. Capto tuam, pudet heu, &c. Contra libro eodem epigr. 43. Ad Candidum se parem amicis iactantem, ostendit disparem. A paribus est illud lib. 8. epig. 35.

Cum sitis similes paresq, vita,
Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror non benè conuenire vobis.

Sed his epigrammatis non tam par concludit, quam ex paribus diuersum. Par omnino colligit ex propositis lib. 1. epig. 61. ad Licinianum.

Nec me tacebit Bilbilis.

Quia sum æquè celebratus meis scriptis atque Catullus, Liuius, Maro, Stella, Flaccus, Ouidius, Lucanus ex suis. Par concludit lib. 8. epig. 56. ad Flaccum.

Ergo ero Virgilius, si munera Mæcenatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero.

Sæpè diuersum colligitur.

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est.
Pars vulsa est, vnum quis putet esse caput?

Plurima sunt, quæ contrarium inferunt. Martialis,

Difficilis, facilis, iucundus acerbus es idem,
Nec possum tecum viuere, nec sine te.

Et: *Insequeris, fugio, fugis, insequor, hæc mihi mens est,*
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Catullus: *Odi & amo quare id faciam, fortasse requiris;*
Nescio, sed fieri sentio, & excrucior.

Sæpè ambiguè, & vel argutissimè epigramma concluditur, cuiusmodi est illud Martialis lib. 1. epig.

epig. 97. ——*Excidit mihi nomen*; Et illud lib. 4. epigr. 66. *Fecisti rem Line difficilem.* Et lib. eodem epigr. 34.

Sordida cùm tibi sit, verum tamen Attale dicis,
Quisquis te niueam dicit habere togam.

Multa sunt præterea, quæ diuersum ex vno, vel vnum ex diuersis colligunt. epig. 1. Amph. vel quæ ex paribus, vel repugnantibus contrariis, &c. componuntur. Non pauca præterea, quæ non facilè ad certum genus reuocantur. Pleraque tamen laudem, vel reprehensionem, suasionem, officium, documentumue continent. Multa proferrem ex Græcis & Latinis, si hoc mihi propositum foret, exempla.

Hypothesis seu res subiectæ, sunt quidem illæ omnes, sed tamen amant epigrammata præ cæteris illustrissima facta. Cuiusmodi sunt Q. Mutii Scæuolæ, Lucretiæ, Herculis, Democlis Atheniensis, Alexandri M. Themistoclis, Leonidæ, &c. Vel ingentia flagitia, quæ maximè ad Satyram pertinent; qualia Neronis, Phalaridis, Dionysii, & huiusmodi monstrorum leguntur. Vel vitia corporis, vel quæcunque in materiam ridiculi cadunt, vel quæ indignationem maximam, ingentesque animi motus & affectus habent, amoris, odii, inuidiæ, iræ, molestiæ, spei, timoris. Quorum omnium multò illustriora habemus in nostra tam antiqua, quam noua republica monumenta, quàm profana & impia hominum sæcula vnquam habuêre. Quid non suppeditabunt humani generis conditores Adam & Eua, cùm ex beato & florente statu gloriæ, in lamentabiles mortis, omniumque ærumnarum casus inciderunt? Quid Samson, Dauid, Machabæi, quid Iuditha, Hester? Quid Magdalena nostra lachrymis amoris & doloris vbique madens? Quid heroes nostri, Heroidesque Martyres, Laurentius, Ignatius, Georgius, Catharina, Hagne, Agatha, vtraque Lucia, quibus mille partibus genticam superstitionem superamus. Aptissima verò & acutissima obiiciuntur cogitata ex Christi θεανθρώπου persona, vbi plurima ex contrario possunt dici, quo pacto idem sit æternus & mortalis, sitiat fons, esuriat omnium rerum satietas, frigeat ignis, langueat vigor, ægrotet medicus, moriatur vita, &c.

Argumenta epigrammatis.

Definio tandem, qua materiam epigrammatis, fortissima & ignauissima facta, pulcherrima & turpissima, absurdissima & aptissima, stultissima & sapientissima, maximè ridicula & lamentabilia, minima & maxima, prima & extrema, artes, fraudes, euentus humanos, diuina, naturalia cadere in epigramma. Atque vt materia est incircumscripta, ita genus carminis liberum est, quanquam duo triaue genera potissimùm vsurpentur. Elegiacum, Phaleucium, Iambicum; non raro etiam heroicum. vt docet noster lib. 6. epig. 65.

Genus carminis.

Hexametra epigramma facit? scio dicere Tuccam:
Tucca, solet fieri: denique Tucca licet.

Est epigramma per se opus, nec pars vel Elegiæ, vel Epopœiæ, vel Tragœdiæ, vel Comediæ, vt censuit Robertellus, quem & ratio, & viri docti meritò reiiciunt.

Virtutes epigrammatis alii duas, alii tres plures'ue adferunt, præcipuas complectemur. Breuitatem, argutiam, venustatem seu suauitatem. Breuitas ideo tribuitur epigrammati, quod olim epigramma nihil esset præter ipsam inscriptionem, quæ sæpè tribus, aliâs duobus, nonnunquam etiam vno verbo absoluebatur. Nec definitum est hodie, quod versibus epigramma sit conficiendum. Minturnus ex Cyrilli sententia ait, distichum esse nimis longum in epigrammate, sed Cyrillus contra docet distichum esse iustum epigramma. Apponam epigramma Cyrilli.

Virtutes epigrammatis.
Breuitas.

Πάγκαλόν ἐστ' ἐπίγραμμα τὸ δίστιχον. ἢν δὲ παρέλθῃς
Τοὺς τρεῖς, ῥαψῳδεῖς, κοὐκ ἐπίγραμμα λέγεις.

Omne epigramma placet geminis quod versibus exit,
Quod plus est, librum, non epigramma voces.

Et noster:

Disticha qui scribit, puto vult breuitate placere
Quid prodest breuitas, dic mihi, si liber est?

Sunt qui duobus distichis non amplius epigramma scribebant, vt de Lampridio quodam tradit Sidonius. Epist. 9. lib. 8. *Preterea*, inquit, *quod ad epigrammata spectat, non copia, sed acumine, placent, quæ nec breuius disticho, nec longius tetrasticho finiebantur.* In eadem sententia videtur fuisse Parmenio; cuius est hoc epigramma de epigrammate.

Φημὶ πολυστιχίην ἐπιγράμματος οὐ κατὰ Μούσας
Εἶναι. μὴ ζητεῖτ' ἐν σταδίῳ δόλιχον
Πολλ' ἀνακυκλεῖται δολιχοῦ δρόμος. ἐν σταδίῳ δὲ
Ὀξὺς ἐλαυνομένου πνεύματός ἐστι τόνος.

A Musis procul est, multos epigrammate versus
Complecti, an queras in stadio dolichon?
In dolicho cursus crebrò torquetur: acuta
Pectoris in stadio concita vis rapitur.

Nonnulli vltra δεκάστιχον, hoc est, quina disticha non progrediendum docent. Ego ex Græcis & Latinis ἐπιγραμματοποιοῖς disco, epigrammata scribi posse, & frequenter scripta solo monosticho, vt illud Græcorum lib. 4. c. 8. in Centaurum. & lib. 1, Theonis εἰς Ἰσδομαΐδα & 4. εἰς ἄγαλμα ἠχοῦς ἠχὼ μιμολόγος.

μιμολόγον, φωνῆς τεῦχε, ῥήματος ὄργανον. Et multa præter hæc epigrammata Græcis passim obuia, Martialis lib. 8. epig. 19. *Pauper videri vult Cinna, & est pauper.*
Et lib. 7. epig. 97. *Omnia Castor emis; sic fiet, vt omnia vendas.*

Disticha verò, tristicha, tetrasticha, pentasticha, hexasticha, heptasticha, octosticha, ἐννεάστιχα, decasticha vbiq; occurrunt, apud Catullum, Martialem, in Anthologia Græcorum. Quod iam negant decasticho licere versum addere; refutant Principes epigrammatis, Catullus, Martialis & plurimi Græcorum. Catullus & Martialis trigesimum versum excedunt. Agathias Græcus Icosistichon, hoc est, viginti versuum epigramma scripsit lib. 7. Anthol. longiora leges lib. 5. Concludo igitur disticha, tetrasticha, octosticha, decasticha esse venustissima in genere Elegiaco. Epodos & Hexametros, & Scazontes, Anacreontæos, hendecasyllabos plures congestos, vbique leges, quanquam sæpè transgrediantur nonnulli limites epigrammatis. De breuitate & longitudine epigr. sic noster lib. 2. epig. 77.

> *Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra,*
> *Vtilis vngendis axibus esse potes.*
> *Hac tu credideris longum ratione colossum,*
> *Et puerum Bruti dixeris esse breuem.*
> *Disce, quod ignoras. Marsi, doctiq; Pedonis*
> *Sæpè duplex vnum pagina tractat opus.*
> *Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis*
> *Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.*

Argutia. Argutia vel maximè propria est epigrammati, vnde neruum, vim & acrimoniam, geniumque suum habet epigramma, ex qua comparatur epigramma, nunc pugioni, quo punctim feritur hostis, nunc scorpioni, qui cauda icit, modo piperi, quod acrimonia sua mordet linguam, nunc felli, quod amarissimum: Quo in genere facilè Princeps est Martialis. Quod ipsemet de se non ignorauit, cùm lib. 1. epigr. 1. scripsit,

> *Toto notus in orbe Martialis*
> *Argutis epigrammaton libellis.*

Et Sidonius: *Et mordax sine fine Martialis.*

Arguta sunt pleraque Lucilii, Antipatri, Luciani, Nicarchi. Caruit ferè hac laude Catullus, quam venustate compensauit. Sunt autem argutissima ferè, quæ ludunt in ambiguo, vel concludunt παρὰ προσδοκίαν; Nam tota vis argutiæ plerumque est in extremo versu, aut disticho, velut in teli mucrone, quod omnia epigrammata ostendunt, aut si hac careant, epigrammatis nomen relinquant. Quod in soluta oratione Apophthegmata, hoc in carmine sunt epigrammata. Limis etiam & obliquis oculis epigrammata velut optice pictura intuenda. Aliud enim plerumq; habent in recessu conditum, quàm in fronte promittunt: exemplum est illud Martialis, qui lib. 1. epigr. 97. vltimo versu dicit —— *Excidit mihi nomen*: videtur significare, memoria excidisse, cùm lingua exciderit, hoc est, pronunciarit. *Venustas.* Venustas, quæ suauitatem continet, in epigrammate tunc cernitur, cum est rotundum, amænisque & gratis verbis compositum, non distortum numeris, non hiulcum, sed quod orbem sententiæ fœliciter absoluit, quodque dulcem sensum, & comparationes gratas continet. Est venustissimus atque suauissimus in suis hendecasyllabis Catullus, quem assequi in hoc genere Martialis non potuit. Venustum illud Archiæ. 1. Anthologo.

> *Τλοσαρὶς εἰσιν ἀγῶνες, &c.*

Et illud Cæsari adscriptum. *Thrax puer, &c.*
Et illud Pullicis, vel Pollucis rotundum

> *Cùm mea me genitrix, &c.*

Et Ouidii de Lucretia. *Cùm foderet castum ferro Lucretia pectus, &c.*

Aliaque innumera; omnia ferè Catulli phaleucia & iambica. Et illud Martialis in Catellam Publii, *Issa est passere, &c.*

Non onerabo chartas exemplis, quæ tu multa leges apud eos, quos in 1. pagina laudaui: mihi cursus ad alia.

DE INSCRIPTIONE LIBRI SPEctaculorum, & Amphitheatro.

CAPVT V.

TRIBVS quatuor modis indigitatum hunc libellum lego. Sipontinus à libro primo non separat hæc epigrammata numero. Epistolam tamen interserit, & distinctum opus agnoscit. Plerique inscribunt, IN AMPHITHEATRVM CÆSARIS. quæ ἐπιγραφὴ Lemma potius primi epigrammatis est, quam totius opusculi inscriptio, quod omnis ferè generis continet spectacula, nisi forte συνεκδοχικῶς & αἰνιγμῶς, locum pro iis, quæ fiunt in loco, aut

aut loco continentur, accipias. Nonnulli Spectaculorum librum appellitant. Alii librum singularem, alii parum feliciter iudicarunt esse illa *puerilia* de quibus libro primo meminit. Sed omnium rectè sentientium iudicio, omnia alia Martialis epigrammata magis quàm hæc puerilia. Quidam penitus omittunt titulum, & quæ præcedunt librum primum, epigrammata Martialis nominant, quod Iunianæ & Batauæ editiones, quas nos secuti sumus, ostendunt.

Non displicet tamen, vt ea epigrammata spectaculorum nomine insigniantur, quando spectacula potissimùm horum epigrammatum sunt argumentum. Quid enim aliud sunt venationes, *μονομαχίαι*, supplicia, fabularum ritu peracta, Orphei dico, Laureoli, Dædali, Leandri, Herculis, *θηριομαχίαι*, Nereidum & Tritonum in vndis lusus & natationes, naumachiæ, quam spectacula? At non omnia spectaculorum genera complectitur libellus: Nihil enim de Circo, nihil de Stadio, nihil de Theatro hic poëta. Nam (vt hoc docendi caussa addam, de quo aliis libris, non rara mentio) quatuor fuere genera spectaculorum, quatuor locis distincta, quorum frequens apud Tertullianum, BB. Cyprianum, Epiphanium, Isidorum, Hrabanum reprehensio. Tertullianus speciatim & disertè de singulis agit lib. de spectaculis, cap. 9. 10. 11. & 12. Genera verò summatim sæpè ponit lib. de spect. cap. 20. *Nunquid ergo, extra limites Circi furori studemus, extra cardines theatri impudicitiæ, insolentiæ extra stadium, immisericordiæ extra Amphitheatrum?* lege & cap. 2. 3. 21. 22. 23, 25. 28. 29. & vltimum eiusdem libri. Apol. 38. lib. 1. aduersus Marcia. lib. 1. ad Martyres, c. 2. Eadem lib. de spectaculis B. Cyprianus, lege Pamelium ad Tertull. lib. de spect. Noster poëta, quamuis hoc libello singula non attingit, aliis tamen libris nullum omittit. De Circo etiam hic mentio epig. 18. Theatrum ponit lib. 1. epig. 5. ad Catonem, Stadium (quo & Gymnasium comprehendunt. cuius stadium pars est) lib. 3. epig. 67. *Gymnasium, thermæ, stadium est hac parte, recede.* Circi & Theatri multa passim mentio. Hic ergò vnum & grauissimum genus pro cæteris ponitur, vnde liber nomen habet. Hoc addo, videri & hunc spectaculorum libellum, & primum insuper totum ante Domitianum imperantem scriptos, eoq; ad Titi fratris ludos, & facta pleraq; referri, quod imprimis mecum sentit eruditissimus Lipsius, lib. de Amphith. cap. 7. *Intelligit enim,* inquit, *hoc Titianum: nec ad Domitianum, aut de Domitiano, vt alucinatur interpretum vulgus. Doctorum cura mecum sit, non ista solùm, sed totum epigrammatum primum libellum* (spectaculorum epigrammata) *in Titum conuenire & eius ludos: quos in dedicatione huius Amphitheatri exhibuit, per dies pœnè centum, vt Xiphilinus est auctor.* Dein ipsa epigrammata non pauca Titum loquuntur non Domitianum, primum certè, alterumque & tertium ac quartum rectius Tito asignes, quàm Domitiano. Alia pleraque vtrique possis adscribere, quod poëta consilio fecit, vti ne vel Domitianum offenderet, si Titum apertè laudasset, vel lectorem alienaret, si Titi opera Domitiano tribueret. Præterea vix semel atque iterum libro spectaculorum, & lib. 1. Domitianum nominat, cum sequentibus libris lemmati, vt plurimum Domitiani nomen disertè addat, Titum nusquam ponat, sed solùm Cæsarem, quamuis vtrique fuerit notus, cùm ab vtroque ius trium liberorum impetrarit. Quod me docet, libros priores recognitos à poëta, cæterisque inducto nomine Titi, sublatisque nonnullis, quæ Domitiano ingrata censebat futura esse, iunctos. Alii censent ad Titum, Domitianum & Traianum etiam nonnulla pertinere.

AMPHITHEATRVM dictum est ab *ἀμφὶ* & *θέατρον*, quod in ambitum subselliis, & gradibus clausum fuerit absq; scena. Dio lib. 43. *θέατρόν τι κυνηγετικὸν ἰκριώσας, ὃ καὶ ἀμφιθέατρον, ἐκ τοῦ πέριξ πανταχόθεν ἕδρας ἄνευ σκηνῆς ἔχειν προσερρήθη.* Theatrũ extruxit (Cæsar) ad venationẽ, quod postea amphitheatrum est appellatum, quòd sedes absq; scena vndequaq; haberet. Ouid. 11. Met. quasi compositum ex duobus ait theatris,

——Structoq; vtrinq; theatro.

Vt matutina ceruus periturus arena.

Amphitheatri Etymon, & rudis descriptio.

Compositum ex duobus theatris.

Non erat tamen ex omni parte perfectè rotundum, sed oblonga rotunditate claudebatur. Theatrum enim hemicycli formam habebat, sic vt diametri quarta pars ad hemicyclum accederet; hinc amphitheatrum oblongum & ouata figura, ex duobus nempe theatris conflatum Cassiodorus lib. 5. cap. 42. tradit, & omnes amphitheatrorum apud auctores expressæ formæ idem confirmant. Idem appellatur à partibus suis, cauea, arena, colossæum. Hoc igitur differunt theatrum, amphitheatrum Circus & Stadium, quod Circus prope amphitheatrum referat, longusq; sit & rotundus, vt Halicarnasseus lib. 4. *ἱππόδρομον, ἀμφιθέατρον*, appellarit, & Acron Horatii interpres Circum pro amphitheatri cauea posuerit. Theatrum pars media Amphitheatri. Stadium pars Gymnasii. In circo venationes, aurigationes, equestria certamina, gladiatores etiam exhibebantur. In theatro scenici ludi. In amphitheatro item gladiatores, venationes, naumachiæ. In stadio cursus & luctæ. Tertullianus eleganter, quid in singulis geratur, breuiter designat locis supra laudatis. Circum egregiè depinxit Onuphrius Panuinius libris duobus de Circo scriptis, quibus æneas tabulas & ludorum Circorumque iconas elegantes adiunxit. Bullengerus libro singulari. Amphitheatrum Lipsius, Theatrum Vitruuius, omnia Philander, Cassiodorus, Marlianus & alii. Nobis hæc libasse sat est ad operis cognitionem.

Forma theatri.

Amphitheatri.

DE AMPHITHEATRO Titiano.

CAPVT VI.

AMPHITHEATRA serò & cadente iam libertate Romæ sunt excitata, primùm lignea, qualia fuere Curionis Tribuni plebis versatili arte, vt Plinius eleganter describit lib. ni fallor 36. cap. 15. Et illud de quo Dion lib. 37. Et Iulii Cæsaris Dictatoris in Campo Martio altorumque. Lapideum primus omnium Augusti æuo, suasuq; eiusdem erexit Statilius Taurus suis impensis, quod Dio lib. 51. disertè narrat, ὁ Ταῦρος ὁ Στατίλιος θέατρόν τι ἐν τῷ ἀρείῳ πεδίῳ κυνηγετικὸν λίθινον καὶ ἐξεποίησε τοῖς ἑαυτοῦ τέλεσι καὶ καθιέρωσε. *Statilius Taurus in campo Martio theatrum quoddam venatorium, lapideum & struxit suis impensis, & dedicauit*; quod P. Victor & Sextus Rufus in circo Flaminio, hoc est, IX. Reg. ponunt, ambustumque est sub Nerone, vt Xiphilinus docet, nec perfectè restitutum. Vnde Vespasianus noui & augustioris ædificandi occasionem arripuit, iecitque fundamenta biennio antequam decederet, octauò consulatu, quod argenteus ostendit nummus, cuius altera facies amphitheatri formam habet, altera Vespasiani nomen octauum consulis, vt Lipsius testatur. Nos vidimus apud N. & C. V. Marcum Velserum eiusdem formæ nummum, sed Tito inscriptum. Cœpit ergo opus Vespasianus, Filius perfecit, vt Aurelius Victor scripsit: *Biennio post ac menses ferè nouem, Amphitheatri perfecto opere, lautibusq; (ita Lipsius; lautus, siue thermæ) veneno interiit.* Suetonius in Vesp. cap. 9. *Item Amphitheatrum vrbe media, vt destinasse compererat Augustum amplissimum.* Eutropius tamen, Cassiodorus & Eusebius Cæsariensis totum opus Tito adscribunt, quod & Dio videtur affirmare, quamuis tantum de Amphitheatri dedicatione loquatur. Sed enim eodem modo de Thermis eiusdem, vt de amphitheatro scribit. Audi narrantem. Καὶ ἄλλα μὲν τοῖς ἄλλοις, οὐδὲν ἐξαίρετον ἔπραξε· τὸ δὲ δὴ θέατρον τὸ κυνηγετικόν, τά τε βαλανεῖα τὰ ἐπώνυμον αὐτοῦ ἱερώσας πολλὰ καὶ θαυμαστὰ ἐποίησε. Γέρανοί τε γὰρ ἀλλήλοις ἐμαχέσαντο, ἐλέφαντες τέσσαρες, ἄλλα τε ἐς ἐνακισχίλια καὶ βοτὰ καὶ θηρία ἀπεσφάγη, καὶ αὐτὰ καὶ γυναῖκες οὐ μέντοι ἐπιφανεῖς συγκατεχρήσαντο. *Quod ad cætera pertinet, nihil præcipuum gessit: tantum Amphitheatrum venatorium, & balnea suo nomine dedicauit: tum ibi multa eaq; admirabilia fecit. Grues enim certauerunt inter se, præterea quatuor elephanti: ac pecorum ferarumq; millia nouem interfecta sunt; quæ mulieres quoq; ignobiles tamen confecerunt, &c.* Sed Tito adscriptum opus reor ex more Maiorum, qui dedicanti illud tribuerunt. Omnium certè consensu Titus consecrauit. Eutropius tamen in ferarum numero dissentit à Xiphilino nouem millia ponente, cum ipse πεντακισχίλια tantum occisa tradat. De magnitudine & amplitudine, altitudineque huius Amphitheatri eiusmodi memorantur, vt prope fidem excedant. Quid enim Marcellinus? *Amphitheatri moles, inquit, solidata lapidis Tiburtini compage, ad cuius summitatem ægrè visio humana perstingit.* Cassiodorus lib. 5. epist. 42. *Hoc tibi potentia principalis, diuitiarum profuso flumine cogitauit ædificium fieri, vnde caput vrbium potuisset, cùm theatrum quod est hemisphærium, Græcè dicatur Amphitheatrum, quasi in vnum iuncta visoria rectè constat esse nominatum. Qui speciem eius arena concludens, vt concurrentibus aptum daretur spatium, & spectantes omnia facilius viderent, dum quædam prolixitas vniuersa collegerat.* P. Victor in hoc Amphitheatro loca fuisse ait octoginta septem millia, quibus sedere commodè poterant per gradus. Stantes porrò in ambitu superiore & porticuum aulis, vsque supra dena aut duodena millia fuisse coniicit Lipsius lib. de Amph. c. 7. Verè igitur noster Martialis nec hyperbolicôs cecinit.

Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Hoc Sextus Rufus, & P. Victor disertè ponunt in III. Reg. quæ *Isis & moneta* appellabantur, & Sextus quidem Rufus *Amphitheatrum Flauij* nominat. Pub. Victor *Amphitheatrum* sine adiecto nomine, *quod*, inquit, *capit loca LXXII. millia*, alias LXXXVII. millia. Statilij quidem Amphitheatrum ambo constituunt in Reg. IX. Annis vndecim à triginta millibus seruorum est perfectum. Schotti Itiner. quod tamen sequius iudico. Nam si biennio antequam decederet Vespasianus cœpit, quomodo Titus perfectum dedicauit.

DE

DE VENATIONE AMPHI-theatrali.

CAPVT VII.

QVIA magna pars libri ſpectaculorum verſatur in venatione, & τῶν θηριομάχων pugnis, & hoc caput attingendum putaui, quod lucem tenebricoſo poëtæ adferret. Non ingrediar tamen ſiluas, aucupia, & leporaria. Venationem à rimandis terræ venis, dictam tradunt eruditi, quòd canum ſagacitate è ſubterraneis ſpecubus feras excirent, & quaſi venas rimarentur, indeq; verbum venari deductum. Genera ſanè venandi varia traduntur ab iis, qui de venatione libros compoſuerunt, quorum longiſſimum ſyllabum contexuit is, qui nuper in Oppianum commentarios euulgauit. In Amphitheatro venationis genus duplex. Pugnæ alterum, alterum direptionis. Vtrumque circo ſpectatum, ante vſum Amphitheatri, poſt frequentius in Amphitheatro. Direptionem Marcilius Gordiano primum vſurpatam putat, quod fortè ſit verùm, ſi direptionem abſque teſſeris intelligas, Alioqui antiquiorem eſſe nulla eſt dubitatio; cùm Martialis lib. 8. epig. 78. de hoc ita ſcribat:

Venationum origo & etymon.

Omnis habet ſua dona dies, nec linea diues
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt ſubitis laſciua numiſmata nimbis,
Nunc dat ſpectatas teſſera longa feras.
Nunc implere ſinus ſecuros gaudet, & abſens
Sortitur dominos, nec laceratur auis.

Aues etiam ſine teſſeris effuſas in populum ante Gordianum docet Statius lib. 1. Silu.

Inter quæ ſubitò cadunt volatu
Immenſæ volucrum per aſtra nubes,
Quas Nilus ſacer horriduſq; Phaſis,
Quas vdo Numida legunt ſub Auſtro.

Et Martialis illud videtur ſine teſſera intelligendum.

——*In populum multa rapina cadit.*

Nam poſtea ſpeciatim ſubiungit dona per teſſeram miſſa. Immò dum dicit:

——*Ne laceretur auis.*

Videtur aliâs ſine teſſeris laceratas ſignificare. Venationes non leguntur ante bellum ſecundum Punicum datæ. Liuius 44. lib. *Mos erat tum nondum hac effuſione inducta beſtiis omnium gentium Circum implendi. Qui mos bello ſecundo Punico introductus, tum enim & transfugæ beſtiis obiecti, & in Circo venationes editæ. Ante id tempus S.C. fuerat vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere. Cn. Aufidius Tribpl. permiſit Circenſium cauſa importare.* Miſcebantur autem Gladiatoriis & Circenſibus ludis velut in ſcena exodia. Sed poſteris ſæculis ius æque ſuum obtinuerunt, atque Circenſes vel Gladiatores, A quibus ipſum Amphitheatrum κυνηγετικὸν & κυνηγέσιον eſt appellatum.

Venationes ſacræ erant Dianæ Tauricæ, quæ ſanguine gaudebat, vt Caſſiodorus, Tertullianus, Claudianus, Valerius Flaccus, Martialis, & alii tradiderunt. Nonnulli Saturno, Ioui, Marti eos conſecrant, vt oſtendit multis teſtimoniis Bulengerus.

Venationes cui ſacræ.

Inſtitutio venationis, velut & gladiatorum, Manes ſpectabat, quibus antiquiſſimo ritu ſanguine humano litabatur. Deinde vt ciuium animi vulneribus & ſanguini adſueſcerent, minusque bellum formidarent. Præterea vota ſæpè Imperatorum ad bellum proficiſcentium venationes inſtaurarunt. Denique voluptas principum & populi, qui ſibi inter epulas, venationes & gladiatores dari præcipiebant. Quæ omnia variis locis Cicero, Plinius, Lampridius, Capitolinus, pluresque alij ſcriptis teſtata reliquerunt.

Cauſa venationis.

Editores, nomothetæ, munerarij ſeu muneratores dicuntur ij, qui ſpectaculis præſunt, muneraque edunt, quos legimus Dictatores, Conſules, Prætores, Ædiles, Quæſtores, & mutata Repub. potiſſimùm Imperatores extitiſſe.

Feræ omnis generis ex omnibus ferè orbis partibus Romam in caueis aduectæ exhibebantur. Animalia quoq; domeſtica, aues item, crocotæ etiam, & crocodili, & quidquid ferè monſtri tellus, aër, & vnda parit, Romæ ſpectabatur.

Quæ feræ exhibitæ.

Pugna ſanè multiplex erat beſtiarum & beſtiariorum. Primùm ipſæ inter ſe beſtiæ committebantur, vt eſt apud Martialem lib. ſpect. epig. 9. & 22. de Rhinocerote. 18. de tigride & leone. 19. de elephante. Dein beſtiarij cum feris congrediebantur, dicebanturque θηριομάχοι, quos etiam παραβόλους nominatos legere memini.

Quotuplex pugna cum beſtiis.

Postremò vincti bestiis obiiciebantur, qui defendere vim & impetum bestiarum non poterant. Huius generis erant capitis rei, parricidæ, latrones. Exempla sunt apud Martialem de Dædalo, Laureolo, Orpheo. Ad hunc modum Christiana quondam natio pietatis causà, quam impij, crimen impietatis appellabant, feris obiectabatur.

Christiani feris concessi. Nota sunt Christianorum Heroum Ignatij, Polycarpi, Blandinæ, Euphemiæ, & sexcentorum aliorum Leonibus, Vrsis, Leopardis obiectorum certamina. Tamque vsitatum erat in Christianos supplicium, vt in prouerbium abiret. *Christianus ad Leonem.* Tertullianus Apol. cap. 35. *Nec vlli magis depostulatores Christianorum, quàm vulgus.* Clamare enim solebat populus: Christiani ad Leonē. Eusebius de Polycarpo lib. 4. cap. 15. Idem lib. 5. cap. 1. de Blandina in crucem surrecta, & feris proposita, Hieronymus in catal. de B. Ignatio. Sed bestiariorum itidem non vnum genus. Primum seruorum noxiorum, captiuorum, fugitiuorum ad bestias pœnæ causa damnatorum. Et hi vel cum missione, vel sine missione pugnabant. De quibus Cicero, Seneca, Tertullianus, qui scholam etiam bestiariorum in Apol. c. 35. nominat. Aliud voluntarium eorum, qui operam locabant editoribus, & hi suo periculo certabant, victores liberi abibant, infamia tamen notabantur. Martianus l. respiciendum. ff. de pœnis. Si virtutis caussa depugnassent, non tenebantur vlla infamia. l. 1. §. ad bestias. ff. de postulando. Creuit postea voluptas venandi, & cum bestiis certandi, vt liberi homines in arenam descenderent, iique non plebei tantùm, sed equites, senatores, editores, imperatores, atque demùm ipsæ fœminæ. Xiphilinus in Nerone. Suet. c. 11. & 12. Tacitus, Tertullianus, Cyprianus, epist. 11. Seneca ep. c. Declamator cont. de imperatoribus. Suetonius in Nerone cap. 53. Xiphilinus in Commodo. Imperatores aliquando cominus, eminus aliquando pugnarunt iaculis, quod Herodianus docet in Commodo. De direptione suo loco plura adferemus. Erat præterea genus venandi aut potius spectandi feras mansuetas, & cicuratas, de quo Martialis lib. spectac. epig. 17. de supplice elephante. lib. 1. epig. 7. 15. 23. 49. 52. 61. & 105. de spectaculo. aliaque aliis libris.

Hanc Amphitheatri venationis synopsin bone lector, boni consule. Plenam horum descriptionem leges apud Lipsium, Onuphrium Panuinium, Bullengerum, Marcilium, & quos antea ex Rittershusio nominaui. Atq; hactenus prolemmata, nunc ad lemmata ipsa & epigrammata poëtæ accedamus.

MAT-

MATTHÆI RADERI AD M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATA Commentarius

IN AMPHITHEATRVM CÆSARIS

Epigramma I.

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis;
** Aßiduus iactet nec Babylona labor;*
*Nec Triuiæ templi molles laudentur * honores;*
Dißimuletq́ Deum cornibus ara frequens;
Aëre nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant;
Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro,
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

* Assyrius, legit Alciatus, & Andr. Schottus. * Malim lenes.

TITI Cæsaris Amphitheatrum omnibus orbis operibus anteponit, quod per ἐπαγωγὴν siue inductionem ad Antipatri exemplum facit, qui lib. I. epigr. Græc. Dianæ Ephesiæ fanum, vt cæteris orbis terræ spectaculis nobilius prædicat. Inscriptio quamuis imperitè toti libello huic assignetur, in vnum hoc tamen epigramma propriè conuenit. BARBARA MEMPHIS) Non miretur suas pyramidum fabricas Ægyptus barbara. Scaliger τὸ barbara refert ad vocem miracula. Quid meruit inquit, quod barbara coniungit cum *Memphis* non cum miracula? Atqui profectò immeritò reprehendit Martialem Scaliger & illum secutos. Nam lib. VIII. ep. 36. disertè ipse Martialis eandem vocem cum Memphi coniungit:

Argumentum. Inscriptio. Barbarum quid.

Regia Pyramidum Cæsar miracula vide
Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.

Barbaram appellat, quòd à cultu & humanitate Græcorum ac Romanorum Ægyptii procul abessent. Vel potius, quòd Latinis præter Græcos omnes barbari haberentur. Græcis verò ipsi quoque Latini & Romani: immò Græci quoq; Græcos dixêre barbaros, qui ἐν Ἑλλάδι non essent, vt Cilices, Cappadoces, Cretes, Macedones, Cares, quamuis Græcè loquerētur. Demosthenes, περὶ πρεσβείας, ex personâ Æschinis, βαρβαρίζοντι γὰρ πολλάκις καὶ ἀλάστορα τὸν Φίλιππον ἀποκαλῶν ἐδημηγόρει. Et Philipp. 3. οὐ μόνον οὐχ Ἕλληνος ὄντος, &c. Demum omnes, qui non Atticè loquerentur, aut Græca non Græcè, hoc est, rotundè, molliter, suauiterq; pronunciarent, barbaros nominarunt, ita vt propemodum soli, qui Atticam habitabant, Græci non barbari putarentur. Sic Latini ipsi contentione Græcorum se barbaros agnouerunt. Plautus Asin. prol. fatetur se ex Græco comœdiam vertisse barbarè, hoc est, Latinè. Et capt. lex barbarica est, id est, Romana. Facta vox est ex imitatione eorum, qui asperè, inconditè, difficulterque pronunciabant. Aristophanes in auib. vocem hanc vsurpat pro muto;

Qui Græcis barbari. Strabo lib. 14.

Ἐγὼ γὰρ αὐτοὺς βαρβάρους ὄντας πρὸ τοῦ
Ἐδίδαξα, τὴν φωνήν—

[illegible]

Interpres τοὺς βαρβάρους exponit ἀφώνους. Dicitur postremò barbarum, quidquid ab humanæ vitæ, cultu, ratione, linguâ abhorret, & quidquid ferum, agreste, inurbanum, quà moribus, quâ linguâ iudicatur, vt Cicero, Virgilius, Horatius loquuntur. Porrò Ægyptum Latini signatò dixere barbaram ad Græcorum distinctionem. Nigidius enim, vt est apud vetustissimum Virgilii interpretem φαινόμενα ad inclinationem vtriusque cœli, Aegyptii scilicet, & Græci scripsit. Alterum librum vocauit Sphæram barbaricam, alterum Græcanicam. Barbaricam Aegyptiam vocat. Firmicus item Barbaricam rationem Aegyptiacam nuncupauit. Lucanus etiam

Pind. Isthm. 6. Epod. 1. Sphæra barbarica, id est, Aegyptia.

Coniux barbarico dormisset tertia lecto.

Legendus Ioseph. Scaliger ad lib.5. Manilij. Plura super hac voce barbara Noster Delrius ad Medeam Senecæ p.27. v.127.

Memphis caput Aegypti. *Ambitus Memphios XVIII. M.DCC.L.* *P. Calderini error notatur.*

MEMPHIS) Memphin, Ægypti caput, Diodorus Siculus lib.1. his verbis describit; Τῶν δὲ τούτου τοῦ βασιλέως ἀπογόνων ὄγδοος ὁ ἀπὸ τοῦ πατρὸς προσαγορευθεὶς Οὐχορεὺς ἔκτισε πόλιν μέμφιν τὴν φανεστάτην τῶν κατ᾽ Αἴγυπτον, &c. Id est: *Ex huius autem regis progenie octauus à patre Vchoreus dictus vrbem Ægypti clarissimam Memphim condidit.* Addit idem auctor ambitum vrbis stadia centum quinquaginta complexum esse, quæ sunt octodecim millia, septingenti quinquaginta passus, milliaria nostratia quatuor, & bis mille septingenti quinquaginta passus. Plura leges apud eundem de situ Memphios, ac natura, ingenio, munitione loci. Hinc error emendatur Domitij Calderini, & aliorum, qui Græcam vocem ὄγδοος vt proprium acceperunt, docueruntque ab Ogdoo Rege fuisse conditam, cùm ὄγδοος sit numerale, conditorque Vchoreus audierit, quamquam Herodotus in Euterpe Menem (quem Menam Siculus appellat) vrbis parentem, primumque Ægypti regem nominet. Hodie Cairo, Hebræis Moph vel Noph, vel Migdel Nilo velut claustrum imposita, Vnde Lucano lib.8. Custos Nili dicta,

Hunc genuit Custos Nili crescentis in arua
Memphis vana sacris——

Stephanus. Μέμφις ἡ διασημοτάτη Αἰγύπτου μητρόπολις. καὶ κλίνεται μέμφιδος καὶ μέμφιος. Plura Geographi.

Vnde nuncupata.

Nomen accepit à Memphi regis Vchorei filia, qua de prisci mira quædam & inepta fabulantur. Vt à Nilo & Canopo Nilotica & Canopæa, sic Ægyptus à Memphi sæpè poëtis Memphitis, & Memphitica tellus vocitatur. SILEAT) taceat, non prædicet, non iactet. Nec placet Scaligero, quòd Marcilio videtur allusum ad Pyramidum Echones, de quibus mox infrà. Ita lib.8. epig.36.

Regia Piramidum Cæsar miracula ride,
Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.

VII. orbis spectacula.

MIRACVLA) Miraculum Festo dicitur, quidquid admirationem adferre potest, Negant hodie latinè dici miraculum, cum & Liuius dixerit ἰνικῶς miraculum & M. Tullius πληθυντικῶς miracula, quorum alia naturalia, alia diuina, alia humana & artificiosa sunt, de quibus postremis hoc loco sermo. Septem vulgò orbis seu miracula, seu spectacula, seu vt Græci vocant, θεάματα & ἐπιφανέστατα ἔργα, recensentur, muri Babylonij, Dianæ Ephesiæ fanum, Iouis Olympici simulacrum, Pyramides Ægyptiæ, Mausoleum sepulchrum, Colossus Rhodius, Cyri regia. Cassiodorus Var.7. de his in hæc verba scribit: *Ferunt prisci sæculi narratores, fabricarum septem tantum terris attributa miracula. Ephesi Dianæ templum, Regis Mausoli pulcherrimum monumentum, à quo & Mausolea dicta sunt, Rhodi Solis æneum signum, quod Colossus vocatur, Iouis Olympici simulachrum, quod Phidias primus artificum summa elegantia ebore auroq; formauit, Cyri Medorum Regis domus, quam Memnon arte prodiga, illigatis auro lapidibus fabricauit, Babylonia muri, quos Semiramis Regina latere cocto, sulphure ferroq; construxit, Pyramides in Ægypto, quarum in suo statu vmbra consumens, * vltra constructionis spatia nulla parte respicitur.* Hæc Cassiodorus, quibus addunt alij turrim Phariam, hortos Babylonis pensiles, Labyrinthos, Cornutum Ammonem, Apollinem in Delo, Alexandri thronum. lege Antipatri epigramma εἰς ταῦτα. Diodorum Siculum, Philandrum, Brodæum, Hyginum lib. fab. cap.207. Denique colligunt scriptores dena quaterna, non septena.

** quadere lege Eliam Vinetum ad Ausonium. XIV. miracula lege & Cælium Rhodig. lib.26. c.6. qui capitolium & alia addit. Pyramides vnde dictæ. Plinius, Iosephus. Hebræi videntur coacti ædificasse. Auctor Etymologici pyramides ait fuisse Iosephi horrea, ideoque dictas ἀπὸ τῶν πυρῶν. i. à tritico, sed non persuadet.*

PYRAMIDVM) Pyramidos verbum ἀπὸ τοῦ πυροῦ, hoc est, tritico dictum, Stephanus περὶ πόλεων ait, quod rex vndique colligens annonam difficilem fecerit, famemque inuexerit, alij à genere lapidis πυροποικίλου, quem Thebaicum dixere, ex quo & pyramides plurimum fiebant. Alii ἀπὸ τοῦ πυρὸς, quod pyramides in formam ignis ascendant, quod haud displicet, fuerunt enim pyramides quadratæ moles, atque ab ima & latissima basi paulatim in apicem decrescendo crescentes, tantæ vastitatis, vt in cæpas, raphanos, allium & caseum operarum (quarum quidem trecenta sexaginta millia fuisse ex Hebræa plurimum, si verus Iosephus, & alii, stipe traduntur) dena millia talentorum & quingenta, id est, sex milliones, & trecenta millia Philippeorum impensa scribantur. Id quod ipsis pyramidibus litteris Ægyptiacis fuit inscriptum. Tres fuerunt celebratissimæ, quadraginta stadiis Memphi distantes, duæque relatæ inter septem orbis miracula, quarum prima ex Arabicis Lapicidinis constat, cuius altitudo (maximæ inquam pyramidis) vix definiri potest, tam variant sententiæ scriptorum. Herodotus lib.2. octo plethrorum, hoc est, octigenûm ait pedum. Diodorus Siculus lib.1. paullò amplius sexcentorum, τὸ δ᾽ ὕψος ἔχει πλεῖον τῶν ἓξ πλέθρων. Strabo lib.17. σταδιαίας, ait singulas, hoc est, singulas pyramidas singula stadia altas. Stadium autem vt Columella & Plinius docent, continet pedes sexcentos vigintiquinque. Plinius altitudinem non exprimit. Nam quod aliqui legunt lib.36. cap.12. *altitudo à cacumine pedes 25.* emendandum est, scribendumque *latitudo à cacumine*, vt noster codex habet, siue *in cacumine pedes 25.* nec enim in apicem desinit, quamuis procul aspicientibus acuta pareat. Mela ad quatuor iugera in altitudinem erigi affirmat. Solinus prodigiosè. *Pyramides*, inquit, *turres sunt in Ægypto fastigiatæ vltra excelsitatem omnem, quæ fieri manu possit. Itaque mensuram vmbrarum egressa, nullas habent vmbras.* Epigrammatarius Græcus lib.4. epigr. αἱ τὰς ἐν μέμφει πυραμίδας, μυηπικῶς, ait illas sidera contingere. Ammia-

Ammianus Marcell. lib. 22. ferè in sententiam & verba Solini transit, cùm scribit. *Pyramides ad miracula eptem prouecta, quarum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus docet, vltra omnem omnino altitudinem, quæ humanis confici potest, erecta sunt turres, ab imo latißima in summitates acutißimas definentes † : quæ figura apud Geometras ideo sic appellatur, quod ad ignis speciem ἀπὸ πυρὸς, vt nos dicimus, extenuatur in conum, quarum magnitudo, quoniam in celsitudinem nimiam scandens, gracilescit paullatim, vmbras quoq; mechanica ratione consumit.* Cassiodorus form. 15. lib. 7. var. *Pyramidis in Ægypto, quarum in suo statu se vmbra consumens, vltra constructionis spacia nulla parte conspicitur.* Ausonius etiam accedat. Edyllio III.

† quod in maxima falsum, quæ in modicam planitiem desinit.

——quadro cui in fastigia cono
Surgit, & ipsa suas consumit pyramis vmbras.

Petrus Bellonius nostro æuo pyramidas dimensus lib. 2. obseruat. cap. 42. *A basi*, inquit, *ad cacumen ipsum supputationem facientes; comperimus circiter ducentos quinquaginta gradus, quorum singuli altitudinem habent quinque solearum. Calcei nouem pollicum longitudinis.* Albertus Levvenstainius gradus ad cacumen numerat ducentos sexaginta, singulos sesquipedali altitudine. Ioannes Helfricus ducentos triginta. In tanta ergo scriptorum & sententiarum varietate, quid definiam, non expedio, nec id à me desideratum iri existimo. Eadem est in latitudine basis, & longitudine laterum pyramidis contentio. τετράγωνον fatentur omnes, pariaque laterum interualla. Herodotus lib. 2. singula octingenûm pedum, seu iugerum, vt Plinius & Valla vertunt. Diodorus Siculus septingenum pedum seu iugerum, vt Pogiu Florentinus interpretatur. Strabo lib. 17. vnius ferè stadij. Plinius octo iugerum, Mela quatuor, Bellonius passuum naturalium trecentorum viginti quatuor, paullò maiorum communi, nec tamen geometricorum. Helfricus quingentorum sexaginta pedum, sed dubio procul mendosus est numerus. Levvenstainius ducentos sexaginta quinque passus dimensus est ex latere in latus. Sebastianus Serlius CC. LXXX. gressus, quorum singuli tres palmos paullum excedunt: efficiunt vltra DC. XXX. pedes. Palmos dodrantales accipio. Spacium ergo vnius lateris in basi intra octingentos & septingentos pedes fuisse coniicio. Herodotus enim rotundum numerum, neglecto minore, maluit exprimere, vti & Diodorus Siculus. Plinium emendat Dalecampius, & pro DCCC. LXXXIII. reponit DCC. LXXXIII. pedes, qui numerus, vt vides, est intra octingentesimum, & septingentesimum. Melam non nemo emendat, & pro IV. iugeribus octo scribendum censet. Sed, meo animo, Mela verius posuit IX. iugera, quam Plinius octo. Hero quippe Mathematicus, vt Hermolaus refert, pedes iugero ducentos assignauit, quem Mela videtur secutus, quando quatuor iugera posuit, quæ ipsissimum Herodoti numerum octo plethrorum, hoc est, octingentorum pedum exprimunt. Plethrum quippe omnium confessione centum pedes continet; At iugerum ex Heronis sententia ducentos; ex Geometrarum verò definitione ducentos quadraginta pedes, qua longum; centum viginti, qua latum complectitur. Vnde Plinij geminum videor errorem dependere, (inquit M. Velserus ex Veronensi quodam cuius ipse nomen mihi non expressit,) qui, cùm sit duos auctores in dimensione pyramidis secutus, (quorum alter, Herodotus, inquam, rotundo numero lateri pyramidis octo plethra tribuit, alter exacto, pedes nempe DCCC. LXXXIII. vel potius, vt emendatiores codices habent, DCC. LXXXIII.) vtrumque numerum exprimere voluit, sed in priore duplici errore deceptus. Primò, quòd aream siue totum solum pyramidis putauit esse octo plethrorum, cùm apud Herodotum ea lateris duntaxat mensura sit. Area autem tota ad rationem pedum DCC. LXXXIII. vnum supra viginti iugera; & octies mille ducentos octoginta nouem pedes, ad DCCC. LXXXIII. verò pedum numerum, viginti septem iugera contineret, immò superaret. Nam vt tota area iugerum tantum octo esset, latus CCCC. LXXX. pedes complecteretur, quod apertè falsum, quando in tanta sententiarum dissensione, vt suprà ostendimus, lateri tamen nemo quadringentos octoginta pedes assignauit.

Altitudo pyramidum non satis explorata.

De latitudine pyramidum.

Auctoris sententia.

Plinius correctus.

Mela antiqua lectio probata.

Plethrum C. pedes iugerum CC. XL.

Plinii duplex error.

Alter error æquè manifestus est, cùm plethra Græcorum, latinè iugera vertit, in quo Herodoti, & Diodori Siculi interpretes Valla, Pogius, Castalio pariter decepti peccauerunt, Plinium reor, aut potius Lucretium, Virgilium, Tibullum Ouidium, Hyginum imitati, vt eo nomine veniam aliquam mereri videantur. Sed alia ratio fabularum est, alia Geometrarum & ædificiorum. Homerus XI, Odyss. Tityum gigantem nouem soli plethra occupasse scripsit his versibus:

Valla Pogii, Castalionis error.

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱὸν
Κείμενον ἐν δαπέδῳ· ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.
Et Tityum vidi clara telluris alumnum
Prostratum terrâ per plethra nouena iacentem.

Πλέθρον, inquit Græcus Scholiastes, ἐστὶ ἕκτον μέρος σταδίου. Et Eustathius ad eundem versum *πέλεθρον καὶ πλέθρον μέτρον τι γῆς. οἱ δὲ φασι καὶ ὅτι μέρος ἕκτον σταδίου ἐστίν. ὥστε κατέχειν τὸν Τιτυὸν ὅσον σταδίου ἑνὸς καὶ ἡμίσεος. Plethrum genus quoddam metiendæ terræ. Alii partem stadii sextam aiunt, vt Tityus sesquistadium corpore occuparit.* Stadium apud Græcos sexcentos pedes, apud Latinos vigintiquinque amplius continebat. Tityus sesquistadium, hoc est, nongentos pedes longus erat, tot enim efficiunt IX. plethra. Poëtæ latini suo more & lingua καταχρηστικῶς καὶ ὑπερβολικῶς, plethra in iugera verterunt, Lucretius lib. 3. de Tityo

Qui non sola nouem dispensis iugera membris
Obtineat-----

Virg. 6. *-----per tota nouem cui iugera corpus*
Porrigitur-----

Tibullus libro primo, eleg. 3.
Porrectúmq; nouem Tityus per iugera terræ

Ouid. 4. Met. *Viscera præbebat Tityus lanianda, nouémq;*
Iugeribus distractus erat-----

Hyginus fab. 55. *Qui nouem iugeribus ad inferos exporrectus iacere dicitur.*

Natalis comes eodem modo Homeri carmen ad iugera transfert. Et poëtis quidem ignoscendum, quando plethra Latinis non vsitata, nec vox satis illustris & sonans, vt iugera. Geometras cautiores desideramus, iugera nouem, efficiunt pedes bis mille centum sexaginta. Plethra nouem, nongentos tantum, vide quantum auxerint Latini mendacium Græcorum. Sepulchrum quidem ipsius, Pausanias in Phocensibus ad trientem stadij, hoc est, ad ducentos pedes accedere prodidit.

Sepulcrum Tityj CC. pedes longum.

Iam hinc constat, quàm procul Plinius & Herodoti, Siculique interpretes à vero abierint, quando phletra pro iugeribus acceperunt. cùm plethrum centum pedes, iugerum ducentos quadraginta contineat. Latus igitur ex Herodoti sententia octingenos: septingenos ex Diodori opinione occupauit, procliue est existimare DCC. LXXXIII. præter propter, pedes obtinuisse. Quod verò hodie omnes, qui locum dimensi sunt, angustiora spacia ponant, ne te moueat, cùm rudera, & Nili alluuiones saxorum fragmina circumiacentia, & terra ipsa crescente obducta inferiores & latiores pyramidis partes tegant, nec mirandum sit laterum superiorum angustiora esse interualla. lege Petrum Martyrem de rebus Oceanicis. Et hæc occasione pyramidum propter Plinium, Melam, & Græcorum interpretes disputata fortasse lector libenter cognoscet. Iuuabit & ingredi pyramidas cum Bellonio, & quæ facies eorum interior sit hodie peruidere. *Nos, inquit, eam ingressi sumus per quadratum foramen, quod subire non licet, nisi incuruato corpore: nam transuersim fabricatum est, hoc est, ex alto in imum descendendo. Sine autem probabili ratione illud ita exstruxisse non videtur artifex; nam si obliquum fecisset, nullum in Pyramidis cauitatem lumen recipi potuisset. Singuli autem cereum accensum in manu habentes, in id foramen descendimus (pluribus enim simul non licet) nam cum ad imum peruenissemus, vt in cauitatem ingrederemur, in ventrem procumbendum fuit, & serpentum more perreptandum nec adhuc sine difficultate ingressi sumus. In ipsa Pyramide vacuum quendam locum inuenimus: inde ad sinistram progressi, altum meatum pergulæ quadra satis affabrè excisa, per quem ad superiora ascensus est, quà vir erectus gradi potest: nam satis amplus & altus est, magnis latisq; & perpolitis, splendentibusq; lapidibus constratus, nullis tamen gradibus. Sed podia, quæ vtrinq; extant, manu apprehendenda sunt, quo facilius ascendi possit. Confectis igitur hac ratione quindecim aut sedecim passibus, peruenitur in elegans cubiculum quadrangulum, sex passus longum, & quatuor latum, quatuor verò vel sex orgiis altum: in quo marmor nigrum solidum in cistæ formam excisum inuenimus, duodecim pedes longum, quinq; altum, & totidem latum sine operculo. Sepulchrum Regis cuiuspiam Ægyptij id fuisse certum est, in cuius gratiam pyramidis illius moles exstructa fuit: id autem sepulchrum isthic repositum fuisse ante pyramidis substructionem, non dubium est. Inde regredientes, & per spatiosum illum meatum descendentes, ad Septentrionem vergebamus. Egressi ad sinistram nos conuertimus, vbi puteum inuenimus, sed lapidibus nunc ferè plenum. Hæc pyramidum historia ab Herodoto, Diodoro, multisq; aliis Græcis est prodita. Plinius vero inter Latinos scribit, puteum admodum profundum esse; nihilóq; certius est, ex eo aquam haustam ad fabricam substruendam, & operas potandum: nam interior pyramidis pars opere signino ex calce & arena constructa est, quod indicium est, aqua opus fuisse. Cùm in primam cauitatem regressi, longiùs progrederemur, exiguam aliquam eius partem reperimus confractam: nam alioqui solida est substructio. Isthic vespertiliones erant à nostris diuersi, & ab his quos antea in Cretensi Labyrintho conspexeramus: nostri etenim caudam aliis longiorem non habent; at his oblonga est cauda instar murium, quatuor digitis alas superans longitudine. Pyramide tandem egressi, ad secundam nos contulimus. Amplissimam porrò hanc pyramidem primò descripsimus, eò quòd reliquas præstantia & magnitudine superet, eaq; ipsa sit, quam omnes veteres auctores aspectu admirabilem esse scripserunt. Peritissimus atq; validissimus sagittarius in eius fastigio existens, atq; sagittam in aërem emittens, tam valide eam eiaculari non poterit, vt extra molis basim decidat, sed in ipsos gradus cadet, adeò vasta latitudinis, vt diximus, est hæc moles.* Huc vsque Bellonius de prima pyramide. Alias minores deinceps capite quadragesimo tertio, & quadragesimo quarto describit, quas otiosus lector, aut antiquitatis amans ibidem reperiet. Gemina ferè his narratio est apud Albertum Levvenstainium in peregrinatione Hierosolymitana, & Ioannem Helfricum, Sebastianum Serlium, Italum, qui maximam pyramidem etiam cœlo expressit.

Interior facies pyramidum qualis hodie.

Ante pyramidas Sphinx erat immani magnitudine, quæ admonebat aliquid Ænigmatis latere, multaque arcanæ sapientiæ mysteria iis molibus contineri, quorum quædam apud Cælium Augustinum in Hieroglyphicis cognosces. Plutarchus lib. 4. de Philos. decretis c. 20. scripsit Pyramidas intus cauas echonem reddidisse, vnique voci emissæ, quatuor aut quinque responsasse. Verba Plutarchi sunt hæc: ἐν γοῦν ταῖς κατ᾽ Αἴγυπτον πυραμίσιν, ἔνδον φωνὴ μία ῥηγνυμένη τέτταρας, ἢ καὶ πέντε ἤχους ἀπεργάζεται.

Causas pyramidum varias meditantur auctores. Stultam & barbaricam opum ostentationem,

nem, memoriæ monimentum, & vt eiusdem anni rationem pyramidis Hieroglyphico innuerent rerumque naturam, vtque corporum regiorum essent communia sepulchra. Et Iosepho 2. orig. Iud. Brodæo lib.1. Anthol. ep.105. testibus, Hebræis frangendis & vexandis opera hæc excogitata. Literæ diuinæ Exod.1. & 5. pyramidum mentionem non faciunt. Formam pyramidum expressam specta apud Ludouicum Demontiosium p.8. Cælium Augustinum tit. pyramis lib. 6. & lib.5. cap. 11. Sebastianus Serlius accuratissimè depinxit. Plura qui de pyram. nosse desiderant, adeant Aristotelem pol.3. Diodorum Siculum lib.1. Solinum cap.5. Herodotum lib.2. Strabonem 17. Ammianum Marcellinum lib.22. Zonaram lib.1. Plinium lib.36.cap.12. Propertium in lib.3.el.1. Seruium 12. Æn. Iosephum lib.2. Antiquitatum Iudaicarum, Cassiodorum lib.7.var. Ioannem Seruilium de admirandis operibus vrbis Romæ. Plutarchum l. d. Brodæum lib.1. epigr. Græc. *εἰς ναὺς*, Marcilium in hunc locum Martialis, præter recentiores quos iam adduxi. LABOR ASSIDVVS.) Alciatus, Iunius, & A. Schotus legunt Assyrius, & hortos pensiles Babylonis, non muros Semiramidis intelligunt, illos autem fabricatos in gratiam pellicis à rege Assyrio satis constat. Assyrium etiam laborem appellant, quod Babylon caput Assyriorum. Lucanus *Assyrias Babylona Domos*. Cæteri iurant in verbum, *Assiduus*, Politianus Misc.el.lib.2. Turneb.lib.17.cc. ferè omnes. Retineo igitur, *Assiduus*, nec damno, *Assyrius*. Et expono non sanè cum Turnebo vel Politiano assiduum laborem, assiduam laudem seu laborem laudandi: Sed ingentem, operosam, continuam ædificandi molitionem ac studium. Cùm enim vrbis ambitus trecenta quinquaginta, vel vt alij numerarunt octoginta supra trecenta stadia complecteretur, tradunt Clitarchus & Alexander quotidie vnum stadium absolutum fuisse, ita vt intra anni circiter spatium, murus quaquauersus perficeretur. Aut refert illud verbi, *Assiduus*, ad vniuersum opus Babylonicum, vrbem nempe Nabrodis, & mœnia Semiramidis, atque hortos pensiles, quæ omnia non ab vno rege vel regina, sed multis, assiduo tamen & quasi perpetuo labore sunt ædificata, ita vt ad horti tantum pensilis opus scribant trecenta millia operarum fuisse conducta. Sic laborem pyramidum Antipater vocauit *μέγαν αἰπεινῶν πυραμίδων κάματον*, magnum nempe & operosum pyramidum sublimium laborem; Assiduum quoque laborem Cicero dixit quotidianum seu non intermissum. Sen. Herc. fur. fœcunda mergit capita Lernæus labor. Scaliger *assiduus labor* non refertur ad operis molitionem laboriosam & diuturnam, sed ad assiduas laudes Babylonis: neq; homines inquit, assiduò laborent in laudanda Babylone. non malè. NEC IACTET BABYLONA) celebret illam Orientis reginam, arcemq; Persarum, ac regum domicilium, cuius conditor Mosi ex Gen. laudatur Nembrotus. Iosepho lib.1. Iudaic. Antiq. Nabrodes nepos Chamæ, pronepos Noachi. Idem Cedreno compendio historiæ, Zonaræq; lib.1. placet Babylonis auctor. Stephanus à Babylone Medi filio conditam affirmat. Marcellinus lib 23. Belum nominat auctorem. Plerique omnes ipsam Semiramidem, quæ tamen vrbem tantum mœnibus cinxit, ingentemque obeliscum ex Armeniorum montibus excisum ad Babylonem per Euphratem deuexit. Altitudo mœnium pedum ducenûm, latitudo quinquagenûm, vt quadrigæ sibi occurrentes non offenderent, quod Antipater expressit, cùm *ἐπίδρομον ἅρμασι τεῖχος* muram appellauit, qui in ambitu vndena milliaria nostratia continuit. Ampliorem Babylonis descriptionem leges apud Diodorum Siculum lib.3. Strab.16. Curtium l.5. Iustin.1. Herodotum 2. Solinum cap.60. Suidam. Dionysius de situ orbis Belum facit vrbis parentem; Semiramidem mœnium. De hoc ita Claudianus in Ruff. lib.1.

9. decorat.
Babylonis conditores.
Nabrodes.
Babylon.
Belus.
Semiramis.
Ambitus & amplitudo.

> *Creditur & centum portis Babylona superbam*
> *Fœmineus struxisse labor.*

Propertius totum opus Semiramidi assignat lib.3.

> *Persarum statuit Babylona Semiramis vrbem,*
> *Vt solidum cocto tolleret aggere opus.*
> *Et duo in aduersum misit per mœnia currus,*
> *Ne possent tacto stringere ab axe latus.*

Adscribam tamen locum illustrem principis Geographorum Strabonis. Nini vxor condidit Babylonem quæ in campo iacet, muri ambitu stadiorum CCCXXCV. (hoc est milliariorum Germ. 12. cum stadio vno) crassitie pedũ XXXII. altitudine inter turres cubitorum L. turrium ipsarũ LX. & quę sequuntur. Plura de his in commentariis ad Q. Curtium quem Deo auctore propediè edam.

NEC TRIVIÆ TEMPLO MOLLES LAVDENTVR HONORES) lego *molles Iones*, non *honores*. Et sententia perspicua. Nec celebrentur Iones molles à templo Dianæ Ephesiæ, quæ Triuia quoq; audiebat, genus loquendi liquidum, Sic Cicero dixit, laudari arte, laudari vtilitate: Ita Martialis Iones non laudentur templo suo, quod ædificarunt Dianæ. Qui legunt *honores* mirè se torquent in forma loquendi. Marcilius Atticum loquendi modum esse ostendit ex Thucidide, Suida, Seruio, ipsoque Virgilio lib.9.

Iones.
De fin.

> *Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis*
> *In fluuium dedit.*

Et sic interpretandum versum, vt dicas, Nec laudentur molles honores cum ipso templo. Quæ ego dicendi genera neque nego neque improbo. In Martiale certè locus hic, & modus apparet tortus, ex vitiosa nempe lectione natus. Habet tamen Marcilius multos sententiæ patronos: Codices nempe plurimos, si non omnes, Turnebum, Politianum, & ipsos pleros huius versus interpretes.

pretes. Brodæum item ad 1.lib. Ep.Gr. Sed hi omnes ferè discrepant in enarratione mollium. Domitius molles honores exponit luxuriosos, & Asiatica templi ornamenta. Merula elegantiam statuarum & artificiû operis intelligit. Politianus honores refert ad effigiem Dianæ,& pompam supplicationis, in quam sacrificaturi prodibant. Iterum Domitius ad virgines & Eunuchos Dianæ ministros & sacerdotes. Marcilius sacrificia Dianæ,velut Deorum præmia: Sed hæ pleræque enarrationes à poëtæ sensu & mente procul abeunt. Videnda enim est Martialis instituta comparatio, qua opus Amphitheatri cum magnificentissimis orbis operibus confert. Sacrificium nihil ad ædificium, Eunuchi & virgines & sacerdotes substructionem templi & fabricæ non augent, pompa supplicationis,quamuis splendida, non solet contendi cum parietibus & tectis. Ipsum igitur templum & fabricam operis ambitiosissimam accipio cum poëta, qui disertè id ostendit (si modò nostram limam admittas) cùm dicit: *Nec Triuiæ templo molles laudentur Iones.* Sic verò interpolandum locum ipsa me docent carmina & præscripta & subiuncta. Nam primo carmine expressit pyramidas & Memphin,altero Assyrios & Babylona, Quarto aram cornigeram seu βωμὸν κεραтινὸν Apollinis Delij, Quinto Mausoleum apud Cares. Nonne ergo iure hoc tertio versu dicemus: Nec Iones molles esse laudandos à templo suo, quod Dianæ ædificarunt, vti nec Cares, nec Assyrios, nec Delios, & nec Ægyptios? Quod exempla præferant *honores* non mouet opere tanto, sunt eadem ratione nõ pauca in eodem poëta emendanda, quamuis conspirent codices. testimonio sit illud lib.7.epig.86. de *lagopode*, cum legendum sit, *glaucopide*,& lib. spect.cap.4. *Traducta est Getulis* lib.13. *torta menta* legitur, cùm rectè emendes *torta meta* lib. spect. item versus ille nonne Æsculapium desiderat.

Cæsaris atq; Iouis confer nunc stemma,iuuentus.

Musarum omnium fidem testor, illud *stemma* esse spurium, ecquot monstra inuaserunt carmen. L. ad Licinianum, nimium quantum sit poëta corruptus. Nostram verò lectionem probat etiam noster Andreas Scotus in notis ad nos Antuerpia missis. & Iones propriè molles à fluxa morum disciplina, de qua Horatius lib.3. carm. ode.4.

Fœcunda culpæ sæcula, nuptias	*Motus doceri gaudet Ionicos*
Primum inquinauere & genus & domos;	*Matura virgo: & fingitur artibus*
Hoc fonte deriuata clades	*Iam nunc, & incestos amores*
In patriam populumq; fluxit.	*De tenero meditatur vngui.*

Propertius eodem epitheto laudauit Ioniam, quà noster poeta. sic enim ille lib.1.epigr.6.

At tu seu mollis qua tendit Ionia-----

Accipe quid de Virtutibus Ionum narret Strabo, imò Heraclitus apud Strabonem pro Hermodoro: Ἄξιον Ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑωυτῶν ὀνήιστον ἐξέβαλον (φάντες) πάντες, ἡμέων μηδεὶς ὀνήιστος ἔστω. εἰ δὲ μὴ, ἄλλῃ τε, καὶ μετ' ἄλλων. Digni sunt Ephesij, qui ad puerum omnes strangulentur, quod Hermodorum virum inter ipsos frugi eiecerint, adiecto: Nemo nostrum frugi esto, aut alibi cum aliis esto. Viden' Ionum ingenium,& genium? Immò,&c.

Iones molles & nequitiarum inuentores.

Immò architectos & inuentores nequitiarum Alex. Neap. lib.3.c.11. Si quis lectionem communem malit retinere, exponat *molles honores* Ionicam & nobilem templi substructionem ac signorum, quo intellectu vocem *mollis* vsurpatam Virg.6. Æneid. & Ciceroni Clar. orat. non ignoro.

Ionia porro minoris Asiæ regio est, vt Geographi tradunt, continet Ephesum, Miletum, Pyrenen, Clazomenen. & alias duodecim, vt Strabo lib.14. Ælianus lib.8.var.c.5.vel 20. vt Libanius in vita Demosthenis scribit, ciuitates. De Ionia multa Pausanias in Achaicis. Plinius lib.5.c.26.& alij.

Sed est qui hoc loco me reprehensum venit, nec sine orationis vanitate, aut vt latinè dicam, mendacio; nec mirum, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. (si poëtam se negat, saltem poëtam agit.) Affirmat expunctam à me vocem in hoc Martialis versu, *Nec Triuiæ templo molles laudentur honores.* Quæso te lector, recognosce mecum hunc versum,& veni in rem præsentem. In omnibus editionibus à me vulgatis, puris, inquam, & coniunctis cum commentariis, nusquam aliter leges, quàm vulgo scriptus est. In orâ, inquis, posuisti: non ponebam variantem scripturam à me non excogitatam? Ergo expunxi? πῆ σοι φρένες ἐκπεπότανται? In commentariis, ais, prætulisti tuam emendationem: prætuli, sed alteram non expunxi, immo adieci: Si quis lectionem vulgarem malit retinere, exponat *molles honores* Ionicam & nobilem templi substructionem, quo intellectu Virgilium etiam & M. Tullium locutos haud ignoro; sed *molles pulchritudines* nusquam memini legere. Perseuero igitur hodie in proposita emendatione,& lego *molles laudentur Iones*: rationes enim adhuc nemo expunxit: conuitia tua non magis curo, quàm αἰεὶ ὁρῶν θρίπας. Mecum facit Scotus,& Gerardus Gonti; Scaliger tibi trita relinquo. Non dissimulandum quod nuper Scriuerius nouam interpunctionem excogitarit, & lectionem.

Nec Triuiæ templi molles laudentur; honores
Dissimuletq; Deûm cornibus ara frequens.

Honores inquit, Deûm Apollinis & Dianæ, quorum opera percepimus in Delo,

——*innumeris structam de cornibus aram*

Auctor Callimachus in hymno Apollinis, atq; alii. Bona venia doctissimi Scriuerii, interpunctio,

——*honores Dissimuletq; Deûm.*

Non est è gustu, numero & calamo Martialis, dura nimis & illi insolens.

TEMPLO TRIVIÆ.) Artemisium seu Dianium hoc Antipater inter septem orbis spectacula i. epigr. Græc. & Callimachus in hymno Dianæ nobilissimum cecinerunt, conditum ex Strabonis, Dion sij, Solini, Melæ, Iustini sententia ab Amazonibus. Pausanias in Achaicis à Cræso quodam indigena, & Ephesio Istri fluuij filio narrat ædificatum. Vitruuius lib. 7. prologo Ctesiphontem seu Ctesiphontem & Metagenem architectos nominat. Hoc ita describit Plinius lib. 36. ca. 14. *Magnificentia vera admiratio extat templum Ephesiæ Dianæ ducentis viginti annis factum à tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico, atq; instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substrauere carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerso templo longitudo est trecentorum quindecim pedum latitudo ducentorum viginti: columnæ centum viginti septem à singulis regibus factæ sexaginta pedum altitudine: Ex iis triginta sex celatæ vna à Scopa.* Hæc & in his plura ibidem Plinius. Distabat ab vrbe 7. stadia situm in portu Panario. Qui ad illud confugiebat, mancipio soluebatur. Lege Alex. ab Alex. cap. 10. lib. 3. Mentio plurima est apud priscos huius fani, etiam Sibylla Persica lib. 5 or. hoc non tacuit, Nec historia Apostol. Sed iam taceamus, ne quid nimis. Gyraldum tamen adi copiosè ex Pindaro Theophilo, Eustathio in Dionysium & aliis, cùm de auctoribus conditorum & instauratorum, tum de iis, qui illud sæpius incenderunt, aliisque eiusdem templi memorabilibus disputantem. Synt. 12. hist. deorum.

Descriptio templi Dianæ.

TRIVIÆ.) Varro Triuiam ait dictam, quòd in triuio poneretur ferè in oppidis Græciæ: vel quòd diceretur esse, quæ in cœlo tribus viis moueretur, In altitudinem, longitudinem & latitudinem. Alij ob triplicem eius in cœlo, terris & inferis potestatem, dictam aiunt Triuiam, quam & triformem pinxerunt & nominarunt. Græci τριόδιν & τριοδίτιν ἢ τῶν τριόδων ἐπιστάτιν appellarunt. Lege Phurnutum, commentarios Theocriti, Arati, Virgilij, Catulli, qui passim Triuiam laudant. Gyraldus & Natalis comes fabulam exponunt, & plures vocis Triuiæ causas enarrant. nobis fabularum satis.

DISSI: DEVM CORNIBVS ARA FREQVENS.) Et ara cornigera seu cornea in Delo suum cesset canere Apollinem. Dissimulet iam Deum, quasi non Dei sit opus illa ara, cùm Amphitheatrum Cæsaris sit multò præstantius, quamuis mortali manu factum. Hic Domitius & Perotus Nasamonum ædem Iouis Ammonis seu Hammonis intelligunt, de quo Virg. 4. Æn.

Ara cornea Delis Apollinis.

Templa Ioui centum latis immania regnis
Centum aras posuit.

In his statua seu simulacrum Iouis cornigerum erat & cornutum. Q. Curtius lib. 4. *Id, quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo diis artifices accommodauerunt. Vmbilico tenus arieti simillis est habitus smaragdo & gemmis coagmentatis*, vbi plura de ritu sacrorum, nemore, fonte, sacerdotibus, &c. De eod. scribit Herod. lib. 2. qui causam huius habitus & capitis arietini reddit. Seruius ad Virgiliũ de Iarbæ centum templis, quorum primum centum aras habebat. Iuppiter ipse Ammonius, Arenarius, Nasamonius, Garamantius, & c. nuncupatur. Non nemo aram cornibus frequentem refert ad templum Hierosolymitanum, in quo victimæ quotidie subministrantibus has Romanis cædebantur, vt Philo Iudæus in legatione ad Caligulam refert his verbis: διατάξαντα ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὁλοκαύτους τῷ ὑψίστῳ θεῷ, καθ' ἑκάστην ἡμέραν, αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται. ἄρνες εἰσὶ δύο καὶ ταῦρος τὰ ἱερεῖα οἷς Καῖσαρ ἐφαίδρυνε τὸν βωμόν, *constituit (Augustus Cæsar) de suo reditu, vt admouerentur quotidie Deo supremo * sacrificia integra, ac penitus adolenda, quod hodieq; seruatur, victima quibus aram honorari voluit Cæsar, agni duo sunt & taurus.* Idem Iosephus testatur. Et Tertullianus aduersus gentes cap. 26. *Cuius (Iudææ) & Deum victimis & templum donis, & gentem fœderibus aliquandiu Romani honorastis.* Enimuerò, quamuis pietas Augusti in Deum altissimum, vt appellabat etiam in quibusdam edictis, constaret, nequaquam tamen hic intellexerim templum Hierosolymitanum, iam à Tito euersum, & celebrari desitum, & Romanis eo tempore maximè inuisum. Neque magis cum Domitio facio, quem Politianus Misc. l. 52. refellit, docetque ex Lucano templa illa Iouis Ammonis apud Libyas & Nasomones tenuia fuisse, sine cultu & ornatu illustriori, versus Lucani sunt hi:

** holocausta.*

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus vnum
Inculti Garamantes habent. stat corniger illic
Iupiter, vt memorant, sed non aut fulmina vibrans
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis,
Quamuis Æthiopum populis Arabumq; beatis
Gentibus, atq; Indis vnus sit Iupiter Ammon.
Pauper adhuc Deus est nullis violata per æuum
Diuitiis delubra tenens, morumq; priorum
Numen Romano templum defendit ———

Ex quibus versibus ostendit Politianus, non posse hoc templum nec operibus ambitiosum, nec opibus splendidum, inter septem orbis miracula censeri, vel cum Amphitheatro magnificentissimo conferri. Virgilius μιμητικῶς & ὑπερβολικῶς de hoc, aut his, scripsit, vt viri docti interpretantur.

Politianus

Politianus igitur & ego cum illo Apollinem Delium accipio, cuius aram cornigeram & κερατινὸν βωμὸν dictam, inter septem opera numeratam fuisse, de animalium solertia Plutarchus scribit, eamq; tantùm ex cornibus dextris sine glutino vllo aut vinculo coagmentatam compactamque. Etsi idem in Theseo, è sinistris tantùm tradat concinnatam appellatamque κερατῶνα βωμόν. de hac Ouidius disertè in epistola Cydippes ad Acontium.

Miror & innumeris structam de cornibus aram.

Originem aræ, & Apollinem ipsum, eius conditorem, eleganter his versibus in hymno Apollinis Callimachus canit.

Τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια Φοῖβος ἔπηξε
Καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ, περιηγέος ἔνδοθι λίμνης
Ἄρτεμις ἀγρέοσυσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν,
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ᾽ ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.
Cornea quadrimus posuit fundamina Phœbus
Ortygia in celebri, propè curua stagna paludis,
Cum venata soror portauit densa caprarum
Cornua Cynthiadum, Phœbusq; altare locauit
Et sedem è cornu statuit: de cornibus aram
Fixit, & è duro construxit mænia cornu.

Λίμνην interpretes ad fontem Deli Inopum referunt. Cynthium montem omnes scriptores è Delo surgere testantur. Nec te moueant Eustathij verba ad versum Homeri Iliad. 9.

Παρ᾽ δ᾽ ἐδὸς βωμῷ περιμακαλέι κάββαλε νίβρον

ἄδεται γοῦν, inquit Eustathius, καὶ περιμανὸς βωμὸς Πάριος χίθεν καὶ ὁ Ἐφέσιος κερατινόν. *Prædicatur & Pariana aræ magnitudo, & Ephesia illa cornea.* Nam Ephesus & Delus cognomine Ortygia vtraque appellatur, vt Plinius & Stephanus affirmant. Ita Eustathius Deliacam aram, Ephesiam potuit nominasse, nisi geminas fuisse κερατινὰς aras putes.

AERE NEC VACVO P. M.) Nec Cares suum Mausoleum, velut in aëre suspensum, supra aërem & ætherem extollant. Vacuus aër poëtis dicitur suo & proprio Epitheto, vt curuum littus, album lac. Vacuus verò, quod non habitetur. Poëtis & Epicureis aër inanis quoque appellatur & videtur. Manilius --- per inania cœli. Luc. --- Longum per inane resoluit. Pindarus ἐρήμας δι᾽ αἰθέρος. Super hoc Pindari loco de aëre vacuo plurima Bisciola lib. XI. c. 11. vbi & hunc Martialis versum illustrat.

Automedon lib. 1. ep. Græc. --- --- μάτην δ᾽ ἐπίκενον ἴκουν
τοῦ τὸ κενὸν ζητεῖν. ---

Mausolei altitudo.

Brodæum vide lib. 1. ad epigr. Græca. PENDENTIA) propter altitudinem operis; nam ad centum & quadraginta pedes vniuersæ molis altitudo sublata erat. Vel quia concameratum erat; Vel quia columnis impendebat: vel ob illam nobilem quadrigam marmoream à Pythi summo pyramidis cacumini impositam, quæ velut in aëre pendere, & suspensis alis & equis volare videbatur. Ita Virgilius capreas à rupe pendentes dixit ecl. 1. & Martialis lib. 13.

Pendentem summa capream de rupe videbis,
Casuram speres, decipit illa canes.

Eadem ratione dicuntur illi pensiles horti Babylonis, & antra vel saxa pendentia. plura Musambertius, seu Marcilius in suis commentariis. MAVSOLEA.) Versus Spondaicus Catullo frequentatus in nuptiis Pelei & Thetidis, Ouidio, Propertio & aliis. Mausoleum tumulum plurimorum scriptis celebratum, lege descriptum apud Vitruuium lib. 2. c. 8. copiosius tamen idem depinxit Plinius lib. 36. cap. 5. plures passim mentionem fecere. Cic. Tusc. 3. Strabo lib. 14. Herodotus lib. 7. Gellius lib. 10. c. 18. Valerius Maximus lib. 4 c. 6. Cassiodorus. Antipater lib. 1. ep. Græc. & alij. Et Valerius quidem vocat *monumentum vsque ad septem miracula prouectum*, Gellius *sepulcrum memoratissimum, dignatumq; inter septem omnium terrarum spectacula numerari.* Vitruuius *ita egregiis operibus factum, vt in septem spectaculis numeretur.* Cicero *nobile sepulchrum.* Antipater μνᾶμα πελώριον. Dictum est à Mausolo Cariæ rege, cui defuncto vxor Artemisia, haustis prius illius cineribus, æternum condidit amoris argumentum. Mausoli regiam formam, staturam, potentiam, bella, sepulchrum singillatim describit Lucianus vol. 3. dialogo Mortuorum, Diogenemque & Mausolum facit loquentes. Artemisiam verò vxorem & sororem Mausoli fuisse affirmat. Mausolus, postquam annos quatuor & viginti imperauit, è vita excessit A. P. R. C. CCCC. M. Fabio & T. Quintio Cos. Olymp. CVI. Eudemo Atheniensium Prætore. Sed non Mausoleum Artemisiæ, atque ipsa Artemisia inter hominum & matronarum miracula fuit referenda, tanta heroina quà belli, quà pacis artibus, vt multos Imperatores regesque post se victos reliquerit. Vnum lege Vitruuium de factis & victoriis eius post Mausoli mortem. Ad exemplum huius Mausolei ædificauit Augustus in valle Martia suum, quod Cassiodorus & Strabo describunt. CARES.) βαρβαρόφωνοι Homero 2. Iliad. &

Dionysio

ſia minori contra Rhodum. Caput regni Halicarnaſſus, vbi Mauſoleum ſpectabatur. OMNE CAES. GEB. LAB. AMPHITHEATRO) Concluſio epigrammatis cum epiphonemate illuſtri, qua colligit, quod per partes dixerat. Denique quidquid in omnibus terris eſt operoſum, viſendum & ſpectandum, inferius eſt hoc Cæſaris Amphitheatro. VNVM PRO CVNCTIS.) Ergo iste, quod cunctis eſt amplius & auguſtius, præ cunctis & pro cunctis canitur, & prædicatur. Scaliger: Superat inquit, conſideratio intentionis Martialis ſuper laudibus Amphitheatri. Laudat Amphitheatrum κατὰ τὰ ἔργα, ideò dixit, *labor*: ab altitudine; ideo *pendentia Mauſolea* à miraculo; vnde *Pyramidum miracula*: à ſtructura; inductione à rebus ſingulis ad vniuerſum, propterea intulit *omnis*. Itaque ſeptem mundi miraculorum conditores, quanquam diuerſis temporum interuallis vixerint, nihilominus tamen conuenerunt in vnum, capita contulerunt, hoc ſolo fine conſtruxerunt illa immania opera, vt vincerentur à ſingulis partibus Amphitheatri quod tanto poſt illos tempore à Tito extructum fuit. CAESAREO.) Diſtinguit Amphitheatrum à reliquis amphitheatris, de quibus ſupra 'd. Famam Deam alibi proclamabimus. Hoc epigramma Fed. Morellus Græcè expreſſit, vt è Græco prius Latinè Martialis.

Ad eundem Cæſarem.

II.

Hic vbi ſidereus propiùs videt aſtra coloſſus,
Et creſcunt media pegmata celſa via;
Inuidioſa fert radiabant atria regis,
Vnaque iam tota ſtabat in vrbe domus.
Hic, vbi conſpicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles. ſtagna Neronis erant.
Hic vbi miramur velocia munera thermas,
Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.
Claudia diffuſas vbi porticus explicat vmbras,
Vltima pars aulæ deficientis erat.
Reddita Roma ſibi eſt, & ſunt, te præſide, Cæſar.
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

Ad Titum refero hoc epigramma, quod opera illius publica celebrat, quæ Poëta cum partibus aureæ domus Neronis, vrbem ferè totam occupantis contendit, concluditque Romam à Nerone interceptam Romæ, ac populo R. reſtitutam. Inſcriptio parum commoda eſt, rectius lemma præfigeretur, *De operibus eiuſdem Cæſaris*. Opera verò ſunt, Coloſſus, Amphitheatrum, Thermæ, Liuiæ porticus, quæ tametſi non ſunt omnia Tito extructa: ſunt tamen à patre & ipſo Tito populo vel publicata vel reddita.

HIC) In IV. Regione vrbis, nam vrbs principio in tres tantum regiones, quas Varro partes appellat, erat à Romulo conditore, vt ſcribunt Liuius & Dionyſius, diuiſa. Seruius dein Tullius aucta vrbe & populo eandem, in quatuor regiones tribuit, illaſque à loco, quem quæque pars colebat, appellauit. Prima ergo dicta eſt Suburbana, altera Exquilina, tertia Collina, poſtrema Palatina. Dionyſius auctor. Atque hæc vrbis diuiſio durabat vſq; ad æuum Augusti Cæſaris, qui vrbem mirè in modum, quà tectis, quà populo amplificatam, in XIV. regiones diuiſit, vt Suetonius in Augusto teſtatur. Harum XIV. regionum compendia quædam & velut Synopſes conſcripſerunt P. Victor, & Sextus Rufus viri Conſulares, & recentiores aliquot, inter quos facile Princeps Onuphrius Panuinius in ſua Roma, Marlianus. Nos cum regionem vrbis (quod ſæpè fiet, vt meritò hoc de regionibus monendum fuerit) indicabimus, poſtremam è Victore, Rufo, & Panuinio deſcriptam intelligemus. Sed, Hæc tiro lector, non veterante lege. SIDEREVS COLOSSVS) Coloſſum ab artifice Lyſippi diſcipulo cognomine dictum contendunt multi. Malim παρὰ τὸ κολούειν τὰ ὄσσε, ab hebetando viſu dictum, quod præſtinguantur oculi in tanta altitudine ſpectanda, quod canit Statius Sylu.

—— Vix lumine feſſo
Explores, quàm longus in hunc deſpectus ab illo.

Coloſſi ſunt, vt Plinius lib. 34. c. 7. ſcripſit, moles turribus pares. Plutarchus, Theocritus, aliique ſtatuas immenſæ magnitudinis appellant. Animaduerti apud ſcriptores ſtatuas, quæ intra humani habitus ſtaturam fiunt, vocari ſigna & ſigilla, cubitales palmareſue, & ſi quæ ſunt harum quotæ partes: Alias pariles, quæ iuſtum eius, cui fiunt exprimunt modum, quæque decernuntur benè merendi-

Statuæ triplices ſigilla

merendi-

Magna. *Maiores.* *Maxima.* *Colossi.*

merentibus sapientibusq; viris: Magnas illas, quæ infra sesquialteram partem staturæ continebantur, hoc est, quæ hominis integram & dimidiati insuper magnitudinem æquarent, illasq; regibus & imperatoribus dicari solitas: Maiores, h. e. quæ duplo altiores homine, solis heroibus consecratas: Maximas deniq; triplo staturam hominis continentes vel bis, ter, sæpiusue triplo celsiores, quæ primulū solis Diis ædificabant, dicebanturq; Colossi, quos sibi postea barbari Reges & Romani Imperatores vendicarunt. Nomen, vt monui, vel à Colosso auctore vt Festus ait, traxere, vel à noxia radiorū effusione, vt Brodæus lib. 2. ep. Græc. q̄ fieri solet eiusmodi moles intuēdo, vel à specub⁹, vastaq; intus inanitate. Sed Colossum pleriq; negant auctorē, & Charetē, vt Bernartius, vel Lachetē, vt Marcilius substituunt. Placet Bernartius, qui nomen ab ipso artifice basi inscriptū expressit duob. senariis.

Τὸν ἐν ῥόδῳ κολοσσὸν ὀκτάκις δέκα | *Rhodium Colossum Lindius fecit Chares,*
Χάρης ἐποίει πήχεων ὁ Λίνδιος. | *Quæ septies altus decem cubitos fuit.*

Plinius, quem immeritò corrigunt, eundem nominat lib. 34. cap. 1. *Ante omnes autem in admiratione fuit Solis Colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius Lysippi supradicti discipulus.* Recte vero Brodæus in Simonidis epig. Græc. lib. 4. c. 6. Legit Chares non Laches. Sed ab illo Rhodio velut aliorum parente transeamus ad nostrum, quem Nero extruxit pedes altum CII. & semis. vt P. Victor habet aliâs CX. vt Plinius lib. 34. c. 7. CXX. vt Suetonius in Nerone. Xiphilius C. tantū. Eusebius in Chronicis CVII. Locum etiam exerte docet Suetonius c. 31. Ner. *Vestibulum eius fuit, in quo Colossus CXX. pedum staret ipsius effigie.* Zenodorus fecit, Plin. 34. c. 7. Vespasianus VI. consul. vel. VIII. Cassidoro teste Neronis capite deiecto solis imposito eidem dicauit, vt refert Plinius l. d. Suetonius Vespasiano c. 18. *Colossi refectorem, insigni congiario, magnaq; mercede donauit.* SIDEREVS) quia solis caput radiatum illi Vespasianus, deposito vultu Neronis, imposuit, radios autem P. V. septem numerat singulos XXII. pedes & semis longos. Scriuerius pro VII. putat legendum XII. ostenditq; id exemplis. Quod Spartianus de Adriano, Lampridius de Commodo narrat, verum est, si intelligas Colossum ab Adriano translatum, & denuo soli consecratum, & à Commodo pro Solis, vt Xiphilinus est auctor, capite, suum repositum. Si, quod vterq; ponit, Neronis caput tum demum deiectum velint, cùm antea id Vespasianus, sine controuersia fecerit: non dispicio, qui sint conciliandi Plinius, Xiphilinus, Lampridius, & Spartianus, nisi dicas, quòd Marcilius sine teste putat rursum illud solis illustre caput à Vespasiano positum, sub Domitiano Nerua vel Traiano detractum, ab Adriano repositum, iterumq; sub imperatoribus sequentibus Neronis vultum restitutum, quem Commodus deiecerit, quod mihi verisimile non videtur. Potius existimem ad primam Neronis effigiem hos auctores respexisse. Sidereum porrò lib. 1. epigr. 71. vocat Martialis radiatum, radios spargentem instar sideris, princeps autem siderum sol, quem lib. 12. epig. 60. Sidereū Deum appellat. Radii porro diuinitatem significāt, vt Plinius Sec. docet. Scriuerius ad hunc locum. Est Colossus Neronianus, iam tum deposito Neronis, ac solis radiato capite reposito, insignis, & prope Flauium Amphitheatrum conspicuus. Dicitur ab auctore *Sidereus* à Sole; quem *sidereum Deum* nominat Martialis lib. XII, ep. LX.

Magnaque Siderei vidimus ora Dei.

Suetonius in Nerone cap. XXXI. Domum à palatio Esquilias vsq; fecit, quam primo *Transitoriam*, mox incendio absumptam restitutamq; *Auream* nominauit. Vestibulum eius fuit, in quo colossus CXX. pedum staret ipsius effigie. Plinius lib. XXXIV. cap. VII. memoriæ prodit Colossum seu Neronis simulacrum factum à Zedonoro Gallo artifice CX. pedum longitudine, dicatumq; venerationi Solis, damnatis sceleribus illius Principis. Pub. Victor in Topographia Romæ, Regione Vrbis VII. Colossus altus pedes CII. habens in capite radios VII. singulos pedum XVII. S. Quo in loco pro, *radios* VII. scribendum videtur *radios* VII. Addit his plura Scriuerius, quem videbis. PROPIVS VIDET ASTRA.) Altitudinem exprimit colossi metonymicōs. Nam quo altior fabrica, hoc cœlo propior est. Ita Rutilius de ædificiis Romanis.

Non procul à cœlo per tua templa sumus.

Sensum verò rei inanimæ poëtico more tribuit. ET CRESCVNT PEGMATA.) Sensus, vbi nunc pegmatum altæ moles per viam sacram aguntur & feruntur, antea erat domus Neronis, pegmata à πήγνυμι seu πηγνύω dicuntur, Latinè confixa, moles ligneæ, & machinæ confixiles. Scribunt multi de pegmatis. Seneca epist. 88. qui egregiè nostri poëtæ versum illustrat: *His, inquit, annumeres machinatores, qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata tacitè in sublime crescentia, & alias ex inopinato varietates: aut dehiscentibus, quæ cohærebant; aut quæ distabant, sua sponte cohærentibus: aut iis, quæ eminebant, paulatim in se residentibus.* Iosephus non ead. intelligit, cùm lib. 7. de bello Iud. in hæc verba scribit de Vespasiani & Titi triumpho: *Maximè autem stupor erat machinarum, quæ portabantur seu pegmatum fabricatio, proquorum magnitudine timendum viribus portantium, occurrentes timebant, multa enim in tertiū nidum quartumq; surgebant, & magnificentia fabricæ cum admiratione delectabat.* Et nescio, an Martialis hanc ipsam machinam speciatim velit notatam, cùm triumphus per viam sacram incesserit. Sed loquitur de pluribus poëta etiam Amphitheatralibus. Neq; enim eadem crediderim fuisse istis illa Amphitheatralia pegmata. Apuleius lib. 4. Met. *Confixilis machina sublica, turres tabularum nexibus, instar circumforaneæ domus, florida pictura: decora futuræ venationis receptacula.* Vt autem noster poëta vocat crescentia, quod sensim crescebant & sponte surgebant, ita scriptores alii docent sensim contabulationes illas

decre-

decreuisse & dissolutas fuisse, idq; variis modis. Senecam iam audisti. Apuleium lib. 10. accipe. *Iamque tota suaue fragrante cauea, montem illum ligneum terra vorago decerpit* seu vt alii *decepit* seu *recepit*. Sic enim instituebantur, vt vel tota machina subita ruina & chasmate hauriretur, vel homines subducti in caueas ferarum excuterentur. Strabo de Siculo latrone lib. 6. *Eum nos in foro, per ludos gladiatorios discerpi à feris vidimus. In sublimi enim tabulato, tanquam in Ætna positus, eoq; compagibus solutis subito concidente, ipse quoq; cecidit in caueas ferarum, quæ facile exoluerentur, infra tabulatum de industria dispositas.* Claud.

Mobile ponderibus descendat pegma reductis.

Eisdem pegmatis gladiatores imponebantur, quos inde pegmates dixere, vt Suetonius est auctor. Ignes & flammæ in eisdem subitò apparuere, sed innoxiè, de quibus Manilius

Membraq; per flammas, orbesq; emissa flagrantes.

Petauristas intelligit. Claudianus de eisdem flammis

Inq; chori speciem spargentes ardua flammas
Scena rotet, varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus, pictaq; citato
Ludant igne trabes, & non permissa morari
Fida per innocuas errent incendia turres.

Vopiscus in Carino. *pegma cuius flammis scena conflagrauit, quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit.* Non semper ergo innoxia flamma. Mira alia in eisd. exhibita pegmatis docet D. Augustinus lib. 24. de ciu. c. 24. Eadem venustè pingebantur, argentiq; Lamnis inducebantur, Plinius de Caio: *In circum pegma duxit, in quo fuere argenti pondo centum viginti quatuor.* Martialis lib. 8. ni fallor.

Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum.

Pegmata porrò & automata, & νευρόσπαστα seu αὐτοκίνητα non eiusdem formæ sunt machinæ. Nam Mureto & Lambino testibus; νευρόσπαστα sunt parua quædam animalium simulacra, quorum vel singula, vel vniuersa membra certis neruis aut fidiculis in hanc vel illam partem cum quadam venustate & conuenientia sua sponte mouebantur, quæ Græcis αὐτόματα καὶ νευρόσπαστα appellantur. Ego tamen automata largius accipienda reor, quàm νευρόσπαστα, quod Suetonius in Claudio pegma vocet automatum, cùm tamen νευρόσπαστον non sit. Nam pegmata ponderibus crescebant, νευρόσπαστα neruis mouebantur. Nec tamen automaton & pegma eadem prorsus arbitror. Pegmata enim quamuis confixa, seu mouerentur, seu immota essent, dici posse arbitror, automata verò pegmata, quæ crescerent, decrescerent, portarentur, agerenturúe. qualia Seneca, Suetonius, Apuleius tradunt. de postremis etiam Martialis lib. spect.

Automata. Neurospasta.

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena, &c.

Et de Orpheo. *Repserunt scopuli, mirandaq; silua cucurrit.*

Et lib. 1. epigr. 7. *Æthereas aquila puerum portante per auras, &c.*

His qui plura desiderat præter laudatos adeat Ioseph. Scaligerum ad Manilium, Iustum Lipsium de Amphitheatro c. 22. Gruterum ad 88. epist Senecæ. Interpretes Iuuenalis ad illum versum.

Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos. Sat. 4.

Bullengerum de Ven. c. 34. Philandrum ad Vitruuium, Lambinum ad 7. Sat. Horat. libro 2. Marcilius colossum, de quo antea. d. putat intelligi posse, qui se ascendentibus via sacra paulatim aperiat. Sed poetam adeò impropriè locutum vix suadeor. plurimum enim colossus à pegmate, quod norunt omnes, differt. Marcilio tamen non pugno, ex Luciano sua confirmanti. Multò minus equũ Domitiani, vt Perottus vult, huc adduco. CELSA] quatuor tabulatis elata. MEDIA VIA] sacra in 4. reg. P. Victor quam Neronis domus occupauerat, nunc verò ita lata & laxa est beneficio Cæsaris, vt pegmata excitari & ferri in ea possint, media via dicit & aperta manifesta, qua de re plura Marcilius. INVIDIOSA ATRIA RAD. f. r.] Neronis aurea domus occupauit spatium colossi & vias publicas. Suetonius c. 31. *Domum à palatio Esquilias vsq; fecit.* Hoc spatium tantum fuit, quantum nunc est ab ea Palatii parte, quæ S. Gregorii ædem de regione habet, rectè veniendo per Constantini arcum, colosseum atque carinas, quousque in Esquilias paullo vltra S. MARIÆ Maioris Ecclesiam perueniamus, & Mœcenatis attingamus hortos. Marlianus lib. 5. cap. 12. lege Blondum lib. 3. instauratæ vrbis. Nos infra mox plura.

Neronis aurea domus.

ATRIA] Ποιητικῶς. pro tota domo. Atrium vt Gellius lib. 16. cap. 6. docet, vestibulum est, quod tamen pars atrij Sextus Pomp. *Atrium, inquit, est genus ædificij ante ædem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia descendit,* dictũ ab Atriatibus Varrone teste, Thuscis, vel à terra, quasi aterrium, vel quod atrum esset ex fumo propter focum & culinam, quæ apud Romanos in atrijs. Atrio enim culina, vestibulum & reliqua area continebatur. lege Vitruuium lib. 6. cap 4. & Philandrum ad caput idem. INVIDIOSA) Inuidiosum dicitur significatione reciproca, & de eo quod inuidet & cui inuidetur, vt formidolosus, suspiciosus, ambitiosus, gratiosus, &c. lege Gellium li. 9. cap. 12. Hoc loco odiosa, inuisa expono, cum tyrannus priuatorum domos in suum vsum conuertisset. Horatius inuidendam aulam vocat nimis ambitiosè curioseque & magnificè ædificatam. Plura apud Lambinum ad 10. od lib. 2 & lib. 1. ad 3. &c. FERI REGIS) Non modò Regem sed nomen etiam regis inuisum Romæ, nemo est qui ignoret, modò Ciceronem, Liuium, Iustinum legerit. Multa super hoc

Παθητικῶς καὶ ἐνεργητικῶς.

Panegyrista ad Theodosium. Quam verò ferus Nero, loquuntur omnium historicorum volumina. Dicti insuper omnes posteri æui, tyranni crudeliores ab hoc, Nerones. Domitianus etiam caluus Nero speciatim, quem Tertullianus Neronianæ crudelitatis portionem appellauit. Tacitus, Tranquillus, Xiphilinus belluam graphicè depingunt. SS. viri illo æuo Antichristum suspicati sunt. Matrem, sorores, propinquos, præceptorem, cæsares, vxores & vxorum viros trucidauit, vt meritò Iuuenalis dixerit Sat. 8. *Cuius supplicio non debuit vna parari*
Simia nec serpens vnus, nec culleus vnus.

Taceo quæ Xiphilinus narrat & Tacitus de Christianis. (RADIABANT.) auro gemmisque illustrata fulgebant, audiebat enim domus aurea. Tranquillus c. 31. *In cæteris partibus cuncta auro lita distincta gemmis, vnionumq; conchis erant.* VNAQVE IAM TOTA ST. IN V. DOMVS.] De hac apud Suet.
Roma domus fiet, Veios mi grate Quirites:
Si non & Veios occupat illa domus.

Incensam vrbem à Nerone Tacitus & Tranquillus putant vt vacuum postea spatium laciori ædificio occuparet.

Stagnum Neronis. HIC STAGNA NERONIS.] Vbi nunc sacrum est Amphitheatrum Titi, ibi erant stagna Neronis, de quibus Tacitus 15. Suetonius. 31. *Item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad vrbium speciem,* Inter Cælium montem & Esquilias erant. Dicitur stagnum vel à stando vt Grammaticis placet, vel à Græco στεγνός, quod locus is bene contineat aquam. Petrus Victorius lib. 5. c. 21. Var.

Thermæ Titi. HIC VBI MIRAMVR.] Thermas Titi in 3. regione ponit P. Victor. Blondus lib. 2. eo loci fuisse putat, vbi nunc vineæ sunt S. Mariæ nouæ, non procul à S. Martini basilica Marlianus lib. 5 c. 11. *Thermarum autem vestigia non longè ab Ecclesia S. Martini in montibus visuntur. Sunt enim cisternæ quæ hodie capeces dicuntur vulgo septem salæ numero septem cisternarum adhuc existentium. Magnum ambitum amplectebantur, quarum fornices quidam stant in hortis S. Petri in vinculis.* Plura his ibid. Marlianus. VELOCIA MVNERA.] Has infra Martialis lib. 3. epig. 19. intelligit.
Titine thermis an lauatur Agrippa?

Celerrimè verò perfectas fuisse Suetonius c. 7. docet. *Et tamen nemine ante se munificentia minor, amphitheatro dedicato, thermisq; celeriter extructis munus dedit, &c.* Facit earundem mentionem Xiphilinus in Tito. Thermas ex Vitruuio generatim descriptas, cognosces, de quibus alibi plura.

Rus Neronis in vrbe. ABSTVLERAT MIS. T. S. AGER.] Nero excitato incendio, ædibusq; plurimorum conflagratis, *vsus*, vt loquitur 15. annali Tacitus, *patriæ ruinis extruxit domum, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo essent, solita pridem & luxu vulgata, quam arua & stagna, & in modum solitudinum, hinc siluæ inde aperta spatia & prospectus.* Idem narrat Sueton. c. 31. *Tanta laxitas vt porticus triplices milliarias* (id est, mille pedes, vel vt alii, mille passus.) *haberet. Item stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad vrbium speciem, rura insuper aruis atq; vinetis & pascuis siluisq;, varia cũ multitudine omnis generis pecudũ ac ferarum.* SVPERBVS.] An quia amplissimus & magnificentissimus: an quia priuatus, & Neroni singularis nec populo communis vt Thermæ Titi. nota vis vocis, eamq; nonnunquam in meliorem partem, sæpius in deteriorem partem accipi, cuius vbiq; testimonia occurrunt.

Liuia porticus. Claudij porticus seu Claudia. an ead. CLAVDIA PORTICVS.] In extrema parte domus aureæ, Liuiæ porticus vmbras gratissimas præbet. Romæ porticus additæ sunt vel ædibus sacris, vel illustrium virorum domiciliis, vel publicis aliis ædificiis, cuiusmodi fuêre theatra, basilicæ, amphitheatra, &c. idque vel ob pluuias subitas declinandas, vel gratas per æstatem vmbras & frigora captanda, vel ipsa ornamenta fabricæ. Fuere complures in vrbe, quarum principes simul enumerat Marlianus & Philander, P. Victor & Rufus seorsim per singulas regiones. Hic de Claudia agimus, quam diuersam Philander à porticu Liuiæ constituit. Marlianus vnam eandemque esse confirmat. Onuphrius in vrbe Roma etiam distinguit, & porticum Claudii appellat ex Martiale. Philander illam eo loci collocauit, vbi templum pacis fuit postea erectum. Marcilius à Domitiano restitutam dicit ex Eutropio libro 7. Sed Eutropius Græcus nullam facit porticus mentionem, interpres habet hæc verba, DIVORVM PORTICVS, &c. Plinius lib. 14. capite 1. de Liuiæ porticibus velut integris, loquitur suo æuo. *Vna, inquit, vitis Romæ in Liuiæ porticibus subdiales inambulationes vmbrosis pergulis opacat, &c.* Stetit ergò porticus Liuiæ tempore Plinij, qui sub Tito periit. Non est igitur refecta à Domitiano. Vespasianus certè, Tranquillo auctore, templum Claudii cœptum ab ea Agrippinæ, & Neroni funditus euersum condidit. quid si & porticum Claudii idem refecit? quam & Liuiam credunt, quod Liuia ex gente Claudia esset, & in Liuiam adoptata, postremoque Iuliæ adscripta. Sed Peretus à Claudio Cæsare contendit appellatam, & sanè lego apud Onuphrium & Philandrum porticum Claudii non Claudiam, quæ tamen potuit Claudia dici vt Liuia. eandem fuisse doctissimi sentiunt, à quibus dissentire mihi graue est. Lector eruditus arbiter esto. DIFFVSAS EXPLICAT VMBRAS.] quam nempe vt ex Plinio docuimus vitis opacabat, vmbrosasque pergulas habebat, in 3. Reg. vrbis fit ead. quæ Liuia. Cæterum Liuiam porticum Lipsius ad annal. Taciti docet è diruta Vedij Pollionis illius immanis & crudelis in puerum heri, domo ab Augusto fuisse extructam. Alij domum Menij prius ibi sitam fuisse, ante Menianam vero curiam Hostiliam, ante Hostiliam eundem locum occupasse domum Romuli, postremò exemplum Pacis à

tis à Vespasiano ibi positum tradunt. Lege Philandrum ab lib. 5. Vitruuii c. 1. Mihi sane procliue est suspicari, eandem porticum à Vespasiano ipso denuo excitatam non à Domitiano, nec à Tito, quamuis omnia patris & fratris opera sibi Domitianus impudenter arrogarit. Augustus eam extruxit Sueton. c. 29. vbi porticum Caii & Lucii diuersam ait à porticibus Liuiæ & Octauiæ, de Liuia sic Ouidius in Fastis:

Disce tamen veniens ætas, vbi Liuia nunc est
Porticus, immensæ tecta fuere domus.

Et 1. Am. *Nec tibi vitetur quæ priscis sparsa tabellis*
Porticus auctoris Liuia nomen habet.

VLTIMA PARS AVLÆ DEFIC. ERAT.] A palatio ad Exquilias pertinuisse domum Neronis antea ex Suetonio & Tacito diximus. Porticus Liuiæ posterior à P. Victore 4. Rege. ponitur. Exquiliæ 5. Reg. sunt sitæ, quas spectabat porticus.

REDDITA ROMA SIBI EST.] Vna domus antea & vnius erat, quam Cæsar publicis extructis operibus communem fecit, hoc est, vrbem vrbi, Romamq; Romæ reddidit. (TE PRÆSIDE.) Te Imperatore. sic malim quàm præside spectaculorum, nec enim de spectaculis agitur hoc epigrammate sed fabricis. Si de spectaculis accipias, nihil singulare dicit, seu in Titum seu in Domitianum. Nam & Nero spectaculis publicis præsedit, quamuis raro; spectauit sæpius. Et poëta sæpicule priore intellectu præsidem vocat Cæsarem lib. 5. epigr 3.

Idē fere lib. 5. ep. 7. & 7. ep. 60.

——Viso modo præside mundi.

Et lib. 6. epig. 11. *Nec spado iam nec mœchus erit, te præside, quisquam.*

Lib. 9. epigr. 19. *Est mihi sitq; precor longum te præside Cæsar*
Rus minimum ——

Lib. 11. Neruam vocat præsidem epigr. 2.

Et licet & sub te præside Nerua licet.

Lib. 12. Traianum ep. 8. *Dixit præside gloriosa tali.*

DELICIÆ POPVLI QVÆ FVERANT DOMINI.] Quæ opera & loco antea priuata erant in domo Neronis, nunc publica sunt vrbi. Videtur alludere ad elogium commune Titi, quem orbis delicias appellauere, qui tot orbi delicias fecerat. Spectacula enim sæpe non ad suum, sed populi arbitrium edidit, nihilq; petentibus negauit, lauit in thermis suis non exclusa plebe, nihil denique popularitatis, vt ait Suetonius, prætermisit. Spectacula quidem recte appellantur deliciæ, sed hoc loco malim referre ad opera Titi: hoc enim propositum erat poëtæ. Legatur hypomnema Pradianum, & in illud Musambertius laudator eius. DOMINI.] Cæsaris Neronis.

Spectacula fuere deliciæ populi Capitolinus Gordianus Symmachus ep. 46. lib. 2. ep. 9. lib. 10. Vopiscus. Trebellius & alij.

Ad eundem.

III

Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara Cæsar,
Ex qua spectator non sit in vrbe tua?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Hæmo,
Venit & epoto Sarmata pastus equo.
Et qui prima bibit deprensi flumina Nili,
Et quem supremæ Tethyos vnda ferit.
Festinauit Arabs, festinauere Sabæi,
Et Cilices nimbis hic maduere suis:
Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.
Vox diuersa sonat, populorum est vox tamen vna,
Cùm verus patriæ *diceris esse* pater.

Orbem terræ in vrbem spectandi ludos, & Cæsarem salutandi studio confluxisse dicit, hocq; prius vniuerse, mox speciatim per inductionē docet, cùm populos recenset. QVÆ TAM SEPOSITA EST.] nullam ait gentem adeo remotam ab vrbe, ex qua non fuerint in vrbe visi spectatores, nec de fide dubito, si gentes accipias, ad quas nomen P. Romani & fama ludorum peruenerit. tantus amor erat & cupido spectandi· Tranquillus in Cæsare cap. 39. *Ad quæ omnia spectacula tantum vndique confluxit hominum, vt plerique aduenæ, aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis positis manerent, ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint plurimi, & in his duo senatores.* Quod ergo in Cæsaris spectaculis vsu veniebat,

 id in

id in aliorum imperatorum, regum, & editorum quoque muneribus accidisse testantur historici, Dionys. lib. 8. Herodian Commodo & alii. TAM BARBARA.] quo remotior ab vrbe, hoc barbarior, vt prudens poeta coniunxit remotas & barbaras. IN VRBE TVA.] ἐνεργητικῶς, quia Roma sedes imperii. Et locus in vrbe erat reg. 10. sedes Imperii Romani dictus. P. Victor. Rectè appellatur vrbs Cæsaris, quamquam enim esset orbis Dominus, & vbicunque vellet sedem & Romam, vt Herodianus ait, condere & appellare posset, tamen in vrbe domicilium habuit, vt vrbs Cæsaris dicatur, in qua Cæsar habitat, vti Constantinopolis Constantini & reliquorum Imperatorum noua Roma. Plura super hac vrbis appellatione infrà lib. 12. epigr. 8.

Terrarum Dea gentiumq; Roma, &c.

Sunt qui referant τὸ, tua, ad ædificia & ruinas restitutas, quibus haud sanè repugno, cum paulò ante dixerit poëta, REDDITA ROMA SIBI EST.] lib. 7. epig. 60. Et infrà, sed ad Domitianum.

Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

Rhodopa. Thraces.

Magis tamen arridet prior narratio. CVLTOR RHODOPEIVS.] Thraces venerunt Romam. Poëta montes Thraciæ nominat Rhodopen & Hæmum pro ipsa Thracia: cultorem verò; quod Thraces arationem ament. Virg. 3. Æneid.

Terra procul vastis colitur Mauortia campis
Thraces arant.

Rhodopen canit Ouidius montem.

In altam
Se recipit Rhodopen pulsumq; Aquilonibus Hæmum.

Et idem in Phyllidis epistola,

Hæmus.

Qua patet vmbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum.

VENIT AB ORPHEO HÆMO.] Afflant pleriq; hanc vocem, nonnulli tamen, non ab αἵμα, sed Hemo Boreæ & Orythiæ filio dictum putant Hemum. Mons est Thraciæ poëtis celebratissimus, qui diuidit Thessaliam à Thracia, ad cuius radices ponunt aliqui illa amœna & beata Thessala tempe. Non fuit tamen vt Seruius putat Thessaliæ mons, sed vt Mela, Plinius, Ptolomæus, Strabo testantur Thraciæ, tam altus vt Polybius affirmet inde mare Adriaticum, & pontum Euxinum videri. Ad montem proximi habitarunt parentes Orphei, vnde Orpheus Hæmus, vt Plinius, Solinus, Suidas, Mythologi & nos infrà de Orphei spectaculo. VENIT ET SARMATA.] Sarmatas describit Plin. lib. 18. Strabo lib. 7. Mela lib. 2. & 3. Ptolomæus lib. 3. Herodotus nomine Scytharum Sarmatas complectitur. Sarmatia duplex est, Europæa, quam nonnulli Russiam hodie appellitant: Asiatica, quam Tartariam nominant, Græcis Sauromatæ dicti Sarmatæ hodie vulgo Poloni & regio Polonia non à Polo, cui subiecti sunt, sed à planitie terræ quam Pole patria lingua vocant, indigitantur, vt Vadiano ad 3. Melæ placet. EPOTO PASTVS EQVO.] Virg. 3. Georg.

Abrahamus Ortelius in thes. Geogr. Vadianus. Scytha Polonus Sarmata.

Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Hinc ἱππημολγοὺς γαλακτοφάγους Græci vocitarunt. Plinius lib. 18. c. 10. Sarmatarum quoque gentes hac maximè pulte aluntur, & cruda etiam ferina, equino lacte vel sanguine è cruris venis admisto. Lege Brodæum lib. 5. c. 31. Strab. 7. Hom. 13. Iliad. Dionys. Periegesi. * Horatius idem refert de Concanis Cantabriæ populis lib. 1. od. 4. ET QVI PRIMA BIB. DEPR. FLVM. NILI.] Venit in vrbem spectator vltimus etiam Maurus vel Ægyptius. Nilus enim quorundam opinione, in Mauritania interiore scaturit & totam Ægyptum irrigat. Sed quid? deprensine sunt fontes Nili? vt poëta videtur affirmare? an prima flumina vocat ea, quibus priora, quamuis sint, nesciuntur? Sub iudice lis est. Scribunt pleriq; fontem plurimis diu multumq; vestigatum, deprensum nunquam, Regibus nempe Ægypti, Persarum, Macedonum, & Imperatoribus ipsis Romanis. Audi Lucanum lib. 10.

* Nicetam Annalibus, Clementem Alexandrinum. Pæd. l. 3. cap. 3. Ægyptij & Mauri.

Quæ tibi noscendi Nilum Romane cupido est,
Et Phariis Persisque fuit, Macedumq; tyrannis
Nullaq; non ætas voluit conferre futuris
Notitiam, sed vincit adhuc natura latendi.

Et exertè de Alexandro Magno subiicit.

Summus Alexander regum, quem Memphis adorat,
Inuidit Nilo, misitq; per vltima terræ
Æthiopum lectos: illos rubicunda perusti
Zona poli tenuit, Nilum videre calentem.

Idem tentarat Ægyptiorum Rex Sesostris, de quo Plinius lib. 33. c. 3. & Tzetzes var: hist. chil. 3. c. 69. Valerius Flaccus, & Lucanus ibid.

Venit ad occasum mundiq; extrema Sesostris
Et Pharios currus regum ceruicibus egit.
Ante tamen vestros amnes, Rhodanumq; Padumq;
Quam Nilum de fonte bibit.

Plura super hoc Sesostre Herodotus lib. 2. Cambyses etiam Persarum Rex, vt est apud Herodotum

dotum lib.3. idem tentauit, cum exercitum in Macrobios Æthiopas duxit, sed vt Lucanus canit:

—— Vesanus in ortus
Cambyses longi populos peruenit ad æui,
Defectusque epulis, & pastus cæde suorum
Ignoto te Nile redit. ——

Cupiebat & Nero Nili fontes gustare, eoque misit qui inuestigarent. Adi Senecam libro 6. quæst. nat. cap. 8. *Nascitur autem inter opiniones, quibus narratur Nili æstiua inundatio & hanc esse, à terra illum erumpere, & augeri non superuis aquis, sed ex intimo redditu. Ego quidem centuriones duos, quos Nero Cæsar, vt aliarum virtutum, ita veritatis inprimis amantissimus, ad inuestigandum caput Nili, miserat, audiui narrantes, longum illos iter peregisse, cum à rege Æthiopiæ instructi auxilio, commendatiq; proximis regibus, penetrassent: Ad vlteriora quidem aiebant, peruenimus, ad immensas paludes, quarum exitum nec incolæ nouerant, nec sperare quisquam potest, ita implicitæ herbæ aquis sunt, & aquæ nec pediti eluctabiles, nec nauigio, quod nisi paruum & vnius capax, limosa & obsita palus non ferat. Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat. Sed siue caput illa, siue accessio est Nili, siue tunc nascitur, siue in terras ex priore recepta cursu redit, nonne tu credis illam, quidquid est ex magno terrarum lacu ascendere? Habeant enim oportet pluribus locis sparsum humorem, & in imo coactum, vt eructare tanto impetu possint.* Hæc Seneca.

Vlterius tamen Iuba Rex Mauritaniæ penetrauit, seu potius exquisiuit, vt tradit Plinius lib 5. cap. 9. Originem Nili. *Nilus, inquit, incertis fontibus it per deserta & ardentia* (fortè arentia) *& immenso longitudinis spatio ambulans famaq; tantum inermi quæsitu cognitus sine bellis, quæ cæteras omnes terras inuenêre, originem (vt Iuba Rex potuit exquirere.) in monte inferioris Mauritaniæ non procul Oceano habet, lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem.* Potuit ergò huc respexisse Martialis, quando dixit, deprensi flumina Nili, quod & origo à monte inferioris Mauritaniæ trahatur. Sed Lucanus concludit verius:

—— Non fabula mendax
Ausa loqui de fonte tuo est, vbicunq; videris
Quæreris, & nulli contingit gloria genti
Vt Nilo sit læta suo ——

Plinius ipse incertos nihilominus tradit fontes & loco adducto, vbi plurima de eius origine: & lib. 8. c. 21. Vbi Nigrin non Nilida caput Nili, ex plerorumq; opinione ponit. *Apud Hesperios, Æthiopas*, inquit, *fons est Nigris, vt pleriq; existimauere caput Nili.* Sed cur plura Nili capita & fontes tradantur, fortè causa sit, quod sæpius aliquot dierum itinere se condat, iterumque emersus, quasi nouum flumen prosiliat. Plinium lege lib. 5. c. 9. Dio tamen vnus pro certo affirmat, Nilum ex monte Atlante natum fluere. Verba illius, vt lector ipse iudicet, & in promptu habeat, recitabo. Ὃ δὲ δὴ περὶ Νείλου πανταχόθεν ἀκριβώσας ἔχω, δικαιότατός εἰμι εἰπεῖν. ἐκ γὰρ τοῦ Ἄτλαντος, τοῦ ὄρους σαφῶς ἀναδίδοται. τοῦτο δέ ἐστιν ἐν τῇ Μακεννίτιδι παρ' αὐτῷ τῷ Ὠκεανῷ πρὸς ἑσπέραν καὶ ὑψηλότατον πολὺ πλεῖστον ἁπάντων ὀρῶν. Ὅθεν οἱ ποιηταὶ κίονα αὐτὸν τοῦ οὐρανοῦ εἶναι ἔφησαν. οὔτε γὰρ ἀνέβη ποτέ τις ἐπ' ἄκρον αὐτοῦ, οὔτε τὰς κορυφὰς αὐτοῦ εἶδε. χιόνος τε οὖν ἀεὶ διὰ ταῦτα πεπλήρωται, καὶ τὸ ὕδωρ ἐξ αὐτῆς παμπληθὲς ὑπὸ τὸ θέρος ἀφίησι. ἔστι μὲν γὰρ ἄλλως ἑλώδη πάντα τὰ περὶ τοὺς πρόποδας αὐτοῦ τότε δὲ ἔτι μᾶλλον, πληθύνεται, κἀκ τούτου τὸν Νεῖλον τὴν ὡραίαν ἐπαύξει. Πηγὴ γὰρ ἐστιν αὐτοῦ, ὥσπερ που καὶ τοῖς κροκοδείλοις ἑκατέρωθι τὸ ὁμοίως γινομένοις τεκμηριοῦται. καὶ θαυμάσῃ μηδεὶς εἰ τὰ τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν ἄγνωστα ἐξηρήκαμεν. Πλησίον γὰρ οἱ Μακεννῖται τῇ Μαυριτανίᾳ τῇ κάτω οἰκοῦσι καὶ πολλοὶ τῶν ἐκεῖσε στρατευομένων καὶ πρὸς τὸν Ἄτλαντα ἀφικνοῦνται. Id est, *Quamquam ea quæ de Nilo habeo multis rationibus cognita atque perspecta, iure possum referre. Is ex monte Atlante certò fluit: ait mons est in Macennitide, non longè ab Oceano qua parte spectat ad occasum solis: mons est longè omnium altissimus, quem poëtæ ob eam causam columnam cœli esse dixerunt. Nam ad summum eius verticem nemo ascendit vnquam, neq; culmina videre potuit. Quamobrem plenum est perpetuis niuibus ex quibus æstate magnam copiam aquæ emittit, cùm alioqui ad radices vndiq; paludes habeat, quæ tunc fiunt multò maiores, augeturq; Nilus propterea quod fons eius est: vt ex crocodilis, cæterisq; quæ vtrobiq; nascuntur, coniicitur. Neq; verò mirari quisquam debet si nos ea diximus, quæ sunt à veteribus Græcis ignorata. Nam Macennitæ propter Mauritaniam inferiorem habitant multiq; ex illis, qui illic bella gerunt, ad Atlantem perueniunt.* Itaq; deprensa origo Nili, contra quam scribit, Herodotus lib. 2. Marcellinus 22. Papinius 3. silua. Horatius lib. 4. carm. Ouid. 3. de arte, & 2. Metam. Lucanus 10. Claudianus in epig. idem disertè docet adhuc latere.

Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet: nec contigit vlli,
*Hoc * vicisse caput: fertur sine teste creatus*
Flumina profundens alieni conscia cœli.

* *vidisse.*

Ausonius epig. 9. ad Augustin. de Danubio.

Inueniet fontes sic quoq; Nile tuos.

Multò tamen sunt plures, qui negant originem repertam sed Veteres. Noui affirmant aliqui, quos Marcillus laudat. Ego penes lectorem iudicium relinquo. Scripsit Cicero & Gordianus poëma de Nilo Iul. Cap. Qui in sacras litteras de paradisi hortis scripsêre, plerique omnes originem Nili ad ipsum paradisum, vti & ipse Moses referunt, Tostatum ad cap. 2. & 13. Genes. præter recentiores testor. Aristoteles libro 1. Mete. ex Argyro seu lunæ monte deducit, quem eundem

cur Atlante suspicor. Vbi & horti Hispetidum ponuntur ex paradiso reor nostro poëtis translati (vt pleraque omnia Tertulliano & Iustino testibus, à Mose mutuati in suas fabulas transcripserunt verteruntque.) Geon Moses Nilum appellat. Ad testimonium adsunt D. Epiphanius in Ancorato. Augustinus 8 de Genes. cap. 7. Ambrosius libro de Paradiso capite 3. Isidorus libro 13. Etym. cap. 21. Damascenus libro 2. Orthod. cap. 9. Ioseph. libro 1. Ant. capite 1. Hieronymus de locis Hebr. Rhabanus, Eucherius, Rupertus. Ergò definiunt Conimbricenses venas & fontes Nili ex Paradisi campis scaturientes, perque occultos terræ meatus receptos in Congi nli regno Africæ, vt obseruatum nostro æuo primum erumpere. Lege Conim. ad Meteora Aristot. de Geon tamen aliter sentit noste. Pererius lib. 3 ad Gen. de secundo flumine. Maffæus obiter lib 1. Nili mentionem facit. Ioannem Barterium Lusitanum non vidi, laudatum in hyppomnemate Pradiano. Marcilius addit Vitruuium & Simocatam in Mauritiana. BIBIT.] *Accolæ enim Nili, vinum non quærunt, tanta est Nili dulcedo*, inquit Spartianus in Pescennio. Qui militibus suis item Nilum pro vino propinauit. Theophrastus libro περὶ ὑδάτων Nili aquam ait & fœcundissimam esse & dulcissimam. Plin. lib. 31. c. 4. Nili agua pluuiis amara fieri cum magna Ægypti pernicie. Idem Athenæus docet lib. 2. Multos incolas aqua virosa Nili aliquando necatos. Alexander ab Alexandris lib. 4. c. 17. & Gyraldus nescio quo auctore docent aquam Nili Ægyptiis tanto honore habitam, vt cùm hydria ad templū humeris ferretur, omnes procumberent, & sublatis manibus diis gratias agerent. Babylonios reges ex Nilo & Istro aquas inter Gazas condere consueuisse, velut hoc argumentum suæ magnitudinis ostenderent, cùm per tot spatia terrarum, totque inuias regiones aduectæ essent. Galenus Niloticam aquam ferè omnibus anteponit. *Nilum*, inquit, *ita laudo, vt bonitatis excellentia paucis admodum cōparari possit fluminibus*. De variis Nili cognominibus, lege Plinium lib 5. cap. 9. Cælium Rhodiginum lib. 27 c. 6. vbi multa de præstantia aquæ Niloticæ cognosces, aut recognosces. Sed de hac aqua Nili disputantem adi Brodæum lib. 4. Miscell. c. 24. Vnde sua transcripsisse videtur Marcilius tacito nomine Brodæi. De accessu & recessu Nili alibi dicetur, si locus monuerit ET QVEM VNDA FERIT SVPREMÆ TETHYOS.] Sunt qui Hispanos interpretentur, à quibus fortè Iuuenalis Satyra 10.

Seneca de montibus.

> *Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus vsq;*
> *Auroram & Gangem, &c.*

Strabo item lib. 1. Hispanos maximè ad Occidentem pertinere scribit, Horatius Hesperiam vltimam. Dioscorides lib. 5. c. 102. Hesperam Iberiam, id est, Occidentalem Iberiam nominat. Plinius occasum ponit ad Oceanum Atlanticum, qui Gades alluit. Et alii plerìq; Geographi, Strabo, Mela, Solinus, Ptolomæus. Sunt contra qui Britannos accipiant aut Morinos. Et de Britannis Catullus velut vltimis loquitur ad Occidentem sitis ad Furium & Aurelium.

> *Siue trans altas gradietur Alpes*
> *Cæsaris visens monumenta magni*
> *Gallicum Rhenum, horribilesq; & vltimosq; Britannos.*

Idem ad Cæsarem: *——quod comata Gallia*
Habebat vnctum & vltima Britannia.

Et ibidem: *Eóne nomine Imperator vnice*
Fuisti in vltima Occidentis Insula?

Virgil. 1. Ecog. *Et penitus toto diuisos orbe Britannos.*

Claud. *Et nostro diductos orbe Britannos.*

Sed enim Britanniam ad Septentrionem magis pertinere quam Occidentem tradunt Geographi, & res ipsa ostendit, quod ibi longissimi soles, æstiuo solstitio, & breuissimæ noctes: longissimæ contra noctes in solstitio hiberno, & vix vllus dies, quod de Thule insularum vltima disertè pronunciant. Secus in Hispania & Occidente vsuuenit. Solinum lege cap. 35. Et Thule circum Britanniam est. Pinius libro 4. cap. 16. inter Septentrionem & Occidentem iacere docet Britanniam. Poëta noster videtur eos qui ad Meridiem habent, hoc est, Ægyptios & Ægyptiis proximos Afros opponere iis qui ad Septentrionem colunt, Nilus enim totam Ægyptum, quod nemo nescit, inundat, quem & Ægyptum vocauit Homerus. Ægyptus autem ad Meridiem recedit, vt Plinius lib. 1. cap. 9. definit. Britanniæ & Thule ponuntur pro vltimis ad Septentrionem sitis. Sed perinde est vtros intelligas. hoc dicit ex vltimis orbis partibus Romam properasse spectandi causa varios populos, seu habitent ad primos Nili fontes, seu extremos Oceani fluctus. FERIT.] Cuiusmodi littus Brittannicum est quod feritur assiduè fluctibus, quod ex Cæsare discas & Solino. *Mare* (inquit hic) *quod Hiberniam & Britanniam interluit vndosum & inquietum toto in anno, non nisi æstiuis & pauculis diebus est nauigabile.* TETHYOS.] μετωνυμικῶς maris. Tethys Neptuni coniux Cœli & Vestæ filia, socrus Achillis, lege mythologos. FESTINAVIT ARABS.] Arabia pars Asiæ triplex, fœlix, petrea, deserta, Sabæi sunt è fœlici Arabia. Arabes & Sabæos, vt genus & partes coniunxit etiam Virg. 8. Æneid.

> *Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.*

Sabæi scriptoribus à thuris fertilitate celebrantur. Virgil. 1. Georg.

India

India mittit ebur, molles sua thura Sabai.

Dicti à Sabis nepotibus Noe ex Semo Chamoque natis. Dionysius de situ orbis à thure myrrha, & aromatis totam laudat Arabiam. Idem Strabo, Plinius, Solinus alii, nec pluribus in re nata verbis opus.

ET CILICES NIMBIS HIC MAD. SVIS.] Spectarunt etiam ludos tuos, Cæsar, è minori Asia Cilices croci diuites. Cilicia dicta à Cilice Agenoris Phœnicis filio, auctores Herod. lib. 7. describunt hanc Plinius, Ptolomæus libro 5. cap. 8. Ammianus 14. Solinus 51. Strabo 14. Mela. Q. Curtius & alii curiose. Præfuit huic Cicero prætor. Mater Ciliciæ Tarsus est. NIMBIS SVIS.] Croco suo, è croco enim sparsiones in theatro & Amphitheatro fiebant, quas sparsiones Græci κρόκον ῥαντόμενον, Latini odorum imbrem, vel odoratum imbrem, vndam croco dilutam vocabant, aqua enim dilutum crocum vocat hîc poeta nimbum, qui spectatores velut imber irrorabat. qua de re nos lib. 5. epig. 26.

Hoc rogo non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?

Hic qui plura desiderat, Marcilium adeat. Ibi de croco natiuo & diluto nos copiosius agemus. MADVERE.] Perfusi crocea vndâ vti reliqui spectatores, sed illi alieno, hi suo, quia crocum nobilissimum è Coryco monte Ciliciæ. Plinius cap. 6. lib. 21. Solinus cap. 51. Discorides lib. 1. cap. 21. CRINIBVS IN NOD. TOR. VEN. SICAMBRI.] Sicambri, seu vt Ptolomæus, Sygambri, quos Sugambros Strabo, alii Sigambros vocant, hodie Geldri, in Belgica sunt, inter Mosam & Rhenum. Ptolomæus & Suetonius ab altera parte Rheni hos collocant, alii eos definiunt Sicambros, qui hodie Zuthphaniæ comitatum tenent. Ortelium lege, voce Sicambri. Hic Martialis Germanos intelligit singulari verbo pro communi vsu. vt Claudianus de 4. consulatu Honorii:

Ante ducem nostrum flauam sparsêre Sicambri
Cæsariem, pauidoq; orantes munere Franci, &c.

Tacitus cirros seu nodos crinium tribuit Sueuis. *Insigne*, inquit, *gentis obliquare crinem nodoque substringere.* Iuuenalis vulgò Germanis Sat. 13.

Cærula quis stupuit Germani lumina? flauam
Cæsariem? & madido torquentem cornua cirro.

Inde legunt docti emendatè Sidonium.

Inter Cirrigeras situm cateruas.
Et Germanica verba sustinentem.

Et Lucanum: *Et vos cirrigeros bellis arcere Caicos*
Oppositi ——

Claudianum: —— *Ingentia quondam*
Nomina cirrigero flauentes vertice reges.

Vbi plerique habent crinigeras crinigero, &c.

Non est igitur peculiare Sicambris. Adde iuratum testem Senecam, cap. 26. lib. 3. de ira, *nec crinis ruffus & in nodum coactus apud Germanos, &c.* vti & epist. 125. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel nodo Germanorum vinxeris, vel vt Scythæ solent sparseris.* noster poeta lib. 5. c. 36. de Erotio.

Quæ crine vincis Batici gregis vellus
Rhenique nodos ——

Nodos Germanorum videtur appellare Tertullianus lib. de virginibus velandis cirros. De colore comarum & artificio capilli ruffandi alibi dicetur.

ATQVE ALITER TORTIS CRINIBVS ÆTHIOPES.] Germani artificio torquent & nodant capillum, Æthiopes natura crispi & cirrati sunt. Auctor moreti:

Afra genus tota patriam testante figura
Torta comam labroq; tumens & fusca colore.

Aristoteles nominatim de Æthiopibus lib. 5. Animal. cap. 3. Petronius Arbiter Sat. Ardor enim solis crinem crispat, cerebrumque siccat, quæ causa est cirrorum Æthiopicorum, vt Aristoteles existimat, & eadem forte quod citius canescant, vt Plutarchus cap. vltimo, libro 5. de placitis philosophorum scripsit. Cæterùm qui plura de Æthiopibus nosse amat, Ptolomæum, Plinium, Solinum, & in hunc Camertem legat. VOX DIVERSA SONAT.] Diuersa & varia lingua, varii populi, omnes tamen idem loquuntur & clamant, cùm te Cæsarem in Amphitheatro patrem patriæ appellant. nulla est adulatio, si in Titum referas. mera palpatio si in Domitianum. Conclusio cæteroqui elegans & morem priscum acclamandi docens. Imperatoribus enim acclamabatur vel in consilio à senatu, vel à militibus in triumpho, vel à populo in theatris, aut tota vrbe, si quid noui & fausti pro salute publica egisset. Hic theatricas tantum memoro. Suetonius c. 7. Claud. *Præsedit nonnunquã ludis in Gaij vicem acclamante populo. Fœliciter.* Plutarchus in Galba. καὶ θέαν ἄγοντος, τῶν χιλιάρχων καὶ λοχαγῶν τὸ Ῥωμαίοις σύνηθες, εὐτυχῶς ἐπιφωνούντων τῷ αὐτοκράτορι Γάλβᾳ. *Spectaculo quondã celebrato acclamantibus Galbæ Imperatori tribunis & centurionibus Fœliciter.* Cicero eandem

dem insinuat ep.42.lib.13.ad Att. Florus lib.3.c.de bello Cimbrico. Tranquillus Dom.cap.13. lege Brissonium lib.8. de formulis, de aliis alibi dicemus. PATER PATRIÆ.] Quid sibi voluerit hæc acclamatio, quidque Romani veteres monuerint his verbis *Pater patriæ*, planissimè docet Seneca, cuius verba non grauabor adscribere ex lib.1. de clementia.c.14. sunt enim illustria & semp:terna memoria principibus viris retinenda. *Hoc quod parenti, etiam principi*, inquit *faciundum est, quem appellauimus patrem patriæ, non adulatione adducti. Cætera enim cognomina honori data sunt, Magnos & Fœlices, & Augustos diximus, & ambitiosa maiestati quidquid potuimus titulorum congessimus, illis hoc tribuentes. Patrem quidem patriæ appellauimus, vt scirent datam sibi potestatem patriam, qua est temperatissima liberis consulens, suaq; post illos ponens.* & quæ ibi sequuntur, cedre etiam silici inscribenda. Cæterùm Plinius lib 7.ca.30. Ciceronem ait primum patriæ patrem appellatum. Idem affirmat Iuuenalis:

——— Primum
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Et Plutarchus in Cicerone scribit, à Catone Ciceronem primum patrem patriæ appellatum. Appianus item lib 7. bell. ciuilium asseuerat à Cicerone sic salutato ad Imperatores acclamationem hanc permanasse. Enimuerò ego apud Liuium antiquius exemplum reperio, qui lib.1.dec.1. Camillum dictatorem in triumpho à militibus Romulum ac parentem patriæ, conditoremq; alterum vrbis haud vanis laudibus appellatum tradit. Sed illa vox militum intra triumphum hæsit. Ciceronē in Senatu, Quintus Catulus princeps Senatus patrem patriæ nominauit. Idem postea alij elogium senatores Ciceroni impertiuerunt. Cic. in Pisonem & pro Sextio. Appianus lib.2.bell.ciuilium ait, Catone pro concione illum patrem patriç appellante, populum vniuersum acclamasse, Catonemque quasi verbis preeuntem secutum esse, indeque morem acclamandi Cęsaribus, eisdem verbis acceptum esse.

Ad Cæsarem, quod expulerit delatores.

IV.

Turba grauis paci, placidæq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
**Traducta est Gyaris, nec cepit arena nocentes:*
Et delator habet quod dabat exilium,
Exulat Ausoniâ profugus delator ab vrbe:
Impensis vitam principis annumeres.

** Tradita Getulis. Traducta est Getulis. Traducta est Gettam. Traducta est Cyberis seu Cybiris, Lego titulis cū doctissimo Lipsio.*

Titum Cæsarē laudat, q animaduerterit in sycophantas calumniatores & delatores. Refero vero ad Titum, vt pleraq; alia huius libelli, de quo signate Sueton. *Inter aduersa temporum & delatores mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos assiduè in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac nouissimè traductos per Amphitheatri arenam, partim subijci in seruos, aut vænire imperauit, partim in asperrima insularum auehi.* Idem paucis verbis Dio. *Delatores ex vrbe expulit.* Eosdem tamen à Domitiano punitos inter initia Imperii memorat idem Tranquillus c.9. *Fiscales*, inquit, *calumnias magna calumniantium pœna repressit, ferebaturq; vox eius. Princeps qui delatores non castigat, irritat.* Sed is ita ab hac virtutis laude deflexit, vt potius conquireret delatores q̃ puniret. Sic n. Sueton. c.12. *Nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo bona viuorū & mortuorum, vsquequaq;, quolibet & accusatore & crimine corripiebantur. Satis erat obijci qualecumq; factū dictumq; aduersus maiestatem Principis. Confiscabantur alienissimæ hæreditates, vel existente vno, qui diceret se audiuisse ex defuncto cum viueret, hæredem sibi Cæsarem esse.* Procliuius est igitur existimare, Titi hanc laudem non Domitiani esse. Est qui Traiano adscribat, & ex MS. lib.10. collocet post epig.28.

TVRBA GRAVIS PACI.] Lege Iacobi Cuiacii I.C. notas ad lib.5. sent. recep. Iulii Paulli, tit. 13. de delatoribus, quibus nihil est perniciosius lib.4.C. de delatoribus. *Hos Imperatores* (vt est lib.1. & 10. C. Theodor. de pet. & vltrò dat.) *maximum humanæ vitæ malum appellitant.* Syn. in epist. κοινὸς διχάσαγες τῆς χώρας, *genus mali patriæ, exitia Respub.* Nota vero hæc turbulenta, turba est, ex lege Papia lata D. CCLXII. sene iam Augusto. qua semissem illatæ mulctæ ferebant delatores. Vnde spe præmiorum multi illecti innocentes accusabant, ij contra quos latæ sunt leges. Nero enim, vt est apud Suetonium c.10. ad quartas redegit. Titus relegauit, Traianus omninò sustulit, vt Plinius est auctor in Panegyrico. Pius Antoninus reuiuiscentes capitali pœna affecit, si crimen non probarent, vt Iul. Capitol. in eius vita, & Eusebius Eccles. histor. libro 4. cap. 9. scribunt, Nec leuiore eos pœna mactauit Aurel. Cæs. vt libro 4. cap.19. idem Eusebius testatur. Ab eadem virtute celebratur Opilius Macrinus Capitolino. Apud Lampridium in Commodo reperiuntur hæ voces in acclamationibus senatus. *Delatores ad Leonem.* Alii eosdem cruce, alii ignibus viuos necauerunt qua de re lex erat in seruos dominorum delatores. De pœnis delatorum & præmiis fusè Brissonius lib.3. Sel. Antiq. ex iure ciuil. cap.17. totô. Delator est qui patrimonia fisco defert, spe partis ex fisco capiendæ, sed largius accipi-

accipitur pro cuiusuis criminis delatione. Sed quæ crimina deferebant? omnia, inquam, minima maxima Tranquillus c.61. Tiberio. *Nemini delatorum fides abrogata, omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumq, verborum.* quæ ibidem exemplis confirmat indignissimis. Tacitus lib.6. Annal clarius de his quem vide. MISERAS SOLLICITABAT OPES.) Tacitus 3. Annal. *Cæterùm multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus subuerterentur.* Et Plinius de his exitialibus nunciatoribus Panegyrico. *Vidimus delatorum iudicium, quasi grassatorum quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant. Nulla iam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum principum auaritia.* Multos igitur isti quadruplatores omnibus bonis euerterunt, quæ partim in fiscum transferebant, partim sibi præmium delationis retinebant. TRADVCTA EST GYARIS.) Hanc scripturam Iunius assignat Aldinæ editioni. An.1517. At ego Leuini Torrentii exemplar nuper è Bibliotheca Louaniensi accepi, editum Venetiis in Aldi ædibus. M.D.I. antiquius, vt vides, & iam centum annorum, quod non habet, Traducta est Gyaris, sed Tradita Getulis. Per Amphitheatrum ignominiæ causa ducti & traducti Gyaris, dandi casu, traditi Gyaris, ducti in Gyaros insulatum asperrimas exilii causa. Ita locutus est Tibullus 10. lib. eleg. 11. *Me mea paupertas vita traducat inerti*

Et Martialis lib. 10. epig. 45. *Quæ tua traducit manifesto carmina furto.*

Vide Budæum. Traduco hîc est cum irrisu & omnium ludibrio duci per publicum. Gyaros, Græcè Γύαρος vna ex Cycladibus insulis est Straboni, Virgilio, Tacito, Plinio, Pomponio, Luciano, vicina Andro, & omnium maris Ægæi sterilissima: Ouidius 4. Metamorph. facit eiusdem mentionem:

At non Oliaros, Didymeq, & Tenos & Andros.
Et Gyaros ——

Virgilius: *Myconæ celsa, Gyaroq, reuinxit.*

In hanc frequenter missi exules & nocentes, Iuuenalis Sat. 10.

Et Gyara clausus scopulis paruaq, Seripho.

Et 1. Sat. apertius: *Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum.*

Tacitus 3. Annal. *Ille multum de clementia principis præfatus aqua & igni Silano interdicendum censuit, ipsumq, in insulam Gyarum relegandum.* Et mox ibidem: *Atq, ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit insulam Gyarum immitem & sine cultu hominum esse,* &c. Easdem credo Suetonius *asperrimas insularum appellauit.* Strabo asperitatem & sterilitatem fusius describit libro 10. Plinius Paneg. non diuersas fortè intellexit, cùm laudauit Traianum, quod delatores, quos impunitos reliquaret Nerua, puniuerit, *quorum turba insulas complexus, quorum supina ora retortasq, ceruices spectauere Romani, cùm velut piaculares victima ad supplicia ducerentur.* Seneca ad Heluiam nominat asperrimas Schiatum, Seriphum, Gyarum, Cosuram, cap.6.

TRADVCTA EST GETVLIS.) Non ferenda hæc scriptura legibus carminis repugnans. Quanquam Isidorus lib.9.c.2. Getulos à Getis deducat, quos ait ingenti agmine à locis suis nauibus conscensis, loca Syrtium in Lybia occupasse; & quia à Getis venerant, deriuato nomine Getulos (correptis prioribus syllabis) cognominatos putat, quasi diminuto verbo, vt si dicas, Romanus, Hispanus, Germanus, Romanulus, Hispanulus, Germanulus. Vnde & opinio est Gothos & Mauros propinquos inter se quondam appellitasse. Sed ego cum Vel fero nostro tam Getarum filios, Getulos, quàm Romanorum fratres Heduos & Batauos censeo. Hoc nonnulli existimant, in barbaris gentium hominumq; nominibus vel tendendis vel corripiendis poëtas esse liberiores. Vt Virgilius primam Sichæi reddit communem, Lucanus mediam in Batauis rapit, Martialis ducit, Vulcanius in epigrammate, quod Batauiæ Cornelii Aurelii præposuit Battauos --- Batauos ∪- Batauos ∪-- & Battauiam- ∪ ∪ ∪ scripsit. Ita fortè Getulis ∪∪- à Martiale scribi potuit, quanquam alii omnes constanter Gætulos --- immò ipse Martialis infra semper Gætulos --- vsurpat, vtraque longâ, vt non putem ferendam hanc lectionem. Tradita Gætulis probior est, nec vllo modo explodenda scriptura cum Getulia & barbara & arenosa, quam describit in bello Iugurthino Sallustius. Et fortasse sequentia ad eandem Getuliam referas, *nec cepit arena nocentes,* quasi locus non ceperit numerū delatorum, insulas enim nocentibus repletas, apud scriptores legimus. Hanc ego hodie scripturam præ cæteris cum Scriuerio laudo & sequor, probauitq; antea Scaliger. Gætulis porrò Gruterus putat referri posse ad leones Gætulos, quibus in theatro delatores sint obiecti, quod verum esse non potest, cùm poëta disertè dicat in sequentibus carminibus delatores eiectos in exilium. TRADVCTA EST GETICIS.) Hæc Merulæ est coniectura. Et apud Getas exulasse Romanos vel ex Ouidio discas. Sed parum commodè loquitur poëta, si dicat, *Traducta est Geticis.* Sunt qui Cyberis vel Cybiris legendum contendant, non improbabili ratione, quod Cybera seu Cybira oppidum Lycaoniæ patria quasi delatorum fuerit. Vnde Ciceroni 4. in Verrem. Sidonio lib.5. epist.7. Ammiano Marcel. lib.15. delatores, Cybiratæ communi voce, maximè Sidonio & Marcellino nuncupantur. TRADVCTA EST TITVLIS.) Ita Lipsius emendat. *Nescio inquit, an Martialis versus qui iam diu cubat in morbo sit sanandus lib. 1. de his ipsis delatoribus & Titi facto.*

Turba grauis, &c.
Traducta est titulis, nec cepit arena nocentes.

Plin. Paneg.

Quid de Gyaris leg.

Titulis

Titulis enim vult traductos delatores, quomodo? nonne omnium communis est? non hic: quia additum, quas & quam illustres quisq; detulisset exempli causa Hic est Titus qui Camerinum detulit. Hic qui Lateranum & talia. In libris legitur. Traducta est Gatulis, in alijs Tradita Gatulis: & emendarunt, Traducta est Gyaris, quod ego & ratio facile refellant. Hæc Lipsius. De Titulis porrò damnatis vel appositis vel prælatis fusè Lipsius lib. 2. de Cruce, cap. 11. & noster Gretserus in 2. edit. c. 27. Seruo Tradita Getulis: mens inquit Scriuerius, hæc est: Traditi sunt delatores Getulis vt eos ipsi suis leonibus obijcerent: & quum Arena non omnes caperet, pulsi sunt quidam in exilium, lege Dionem & Suetonium.

NEC CEPIT ARENA NOCENTES.) Non placet nuperus interpres, *non recepit*, inquit, *quippe indignos. Amphitheatrum enim sacrum, hi autem scelerati & impij.* Quasi verò non sceleratissimi quique in cauea & arena vel feris concessi, vel in crucem acti, vel Herculis tunicam induti & exusti. Tertullianus Apol. cap. 15. vbi de amphitheatri cauea loquitur. *nisi quod & ipsos deos vestros sæpè noxij induunt. Vidimus aliquando castratum Atyn illum Deum ex Pessinunte, & qui viuus ardebat, Herculem induerat, &c.* Et cap. 9. *Item illis qui munere in arena noxiorum iugulatorum sanguinem recentem de iugulo decurrentem exceptum auida siti comitiali morbo medentes hauserunt.* Sed quid opus ex Tertulliano testimonium petere? ipse Martial. 7. epigr. infrà de pœna Laureoli in Amphitheatro repræsentari, copiosissimus testis, cum dicit Laureolum aut parricidam, aut heri percussorem sui, aut sacrilegum, aut incendiarum fuisse. Eadem ratio est Dædali, Orphæi, Mutij &c. Atque de delatoribus nominatim Lampridius in Commodo. *Delatores ad leonem*, & de Christianis notus populo furor & clamor, *Christianus ad leonem, Polycarpus ad leonem.* certè Christiani noxij Romanis & impij habebantur, propriéque impietatis crimen Christianis impingebatur. Quod multis locis testatur Seneca de noxijs in arenam deductis & feris obiectis. Legatur Bullengerus de venat. Circi cap. 31. toto 33. 35. Nec vlla res prope est testatior in antiquitate, vt mirer quid homini doctissimo in mentem, præsertim cum ipse infra epig. 7. id non inficietur. Expono igitur illa verba, *Nec cepit arena nocentes*, de Amphitheatri arena: nec enim mirum videri debet, non cepisse arenam omnes nocentes, cum vix insulæ, vt Plinius in Paneg. Traiani affirmat, omnes ceperint. Nisi malis dicere tantummodo traductos per arenam, & eiectos in exilium, vt Suetonius de delatoribus à Tito punitis tradit c. 8. *Inter aduersa temporum & delatores mandatoresq; erant ex licentia veteri. Hos assiduè in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac nouissimè traductos per Amphitheatri arenam, partim subijci in seruos, ac venire imperauit: partim in asperrimas insularum auehi.*

Lege Pratissimum Zephyrum ad hunc locum.

Tertull. apol. cap. 15. Epist. 70.

ARENA) Pro ipso amphitheatro lege Lips. lib. de Amphit. cap. 3. plura nos alibi dicemus. ET DELATOR HABET QVOD DABAT EXILIVM.) Perillus Taurum: & faber quas fecit, gestat compedes quodque diuinæ litteræ, *incidit in foueam, quam fecit*, pœnam talionis hic intelligit. Delatoris nomen primitus non inuidiosum, lege Cic. 1. Ver. & interpretes, sed propter hominum improbitatem falso calumniantium etiam vox improba facta. AVSONIA AD VRBS.) Româ quæ caput Ausoniæ seu Italiæ, immo orbis. Ausonia propriè est Auruncorum terra inter Campanos & Volscos iuxta mare sita, auctor Tzetza. & Isacius in Lycophronem. Festo & Liuio ea pars est Italiæ, in qua Beneuentum & Cales sunt. Seruius ad 7. Æneid. Auruncos Græcis Ausones dici affirmat. Ausonem tradunt Vlyssis & Calypsus filium. IMPENSIS VITAM PRINCIPIS ANNVMERES.) Primus & obuius sensus est, vitam tuam acceptam referas beneficijs & muneribus Cæsaris, qui præter alia munera tibi data editaque, dedit & vitam, cùm perdidit delatores. Alter & occultior intellectus: annumeres seu tribuas vitam tibi seruatam curis Cæsaris, quas impendit saluti tuæ cum delatores deprehendit & puniuit. Illinc poëta respexit ad sumptus & impensas pecuniarum in munera & spectacula, hic in curas animi vitæ tuæ causa susceptas. Lege Cuiacium lib. 19. cap. 36. obser. *Impendium*, inquit, *præter vulgarem significationem vsuram significare*, &c. *dixerit quis*, &c. Et mox, *significatur etiam eo nomine*, MVNVS, *licet personale sit, non patrimoniale, id est, sine vlla gerentis impensa. lib. 6. D. de legation. In impendijs legationum, quæ solo ministerio obeuntur, Martialis, impensis vitam principis adnumeres.* Hæc Cuiac. Ita etiam munus est ambiguum quod propriè beneficium, deinde officium notat. Poëta vtrumque iunctum vult intelligi.

Patrimoniale munus cum impensa, sine impensa, id est sumptu.

Blanditur Cæsari.

VI. V.

Belliger inuictis quod Mars tibi sæuit in armis
Non satis est Cæsar sæuit & ipsa Venus.
*Prostratum Nemees & * vasta in valle leonem,*
Nobile & Herculeum fama canebat opus.
Prisca fides taceat: nam post tua munera, Cæsar,
Hæc iam fœminea vidimus acta manu.

* *& vasta pelle.*

De pugna fœminarum cum bestiis, seu de venatione fœminarum, est hoc epigramma, quo fœminas cum Hercule componit poeta. Ad Titum & hoc refero. Belliger Mars.) Marti consecratum Amphitheatrum est, in quo viri viris, fœminæ fœminis, nani nanis, virique fœminæque bestiis pugnabant, interque se immaniter mactabant. Est qui censeat ipsum Domitianum in schemate Martis & Veneris præsedisse spectaculis. Est qui ipsos gladiatores habitu Martis & gladiatrices cultu Veneris ornatas pugnasse putet, sed quàm potuisse fieri certum est, tàm incertum est factum esse, ex hoc carmine inquam. TIBI.) In Cæsaris specie, vt Marcilius putat, apud quem de hac re pluta. INVICTIS ARMIS.) Victores bestiarum & hominum intelligit. SÆVIT ET IPSA VENVS.) Non viri tantùm sed fœminæ etiam hodie pugnare & vincere didicere, quamuis fœminarum est Theatrum Veneri consecratum, virorum Amphitheatrum, hoc tamen & fœminæ hodie occuparunt. VENVS.) pro sexu ponitur toto, vti & Mars, & signatè dixit non Pallas aut Mineiua, quæ bellatrix Dea, sed Venus mollis Dea, armisque aliena. Hom. 5. Iliad.

Οὔτοι τέκνον ἐμὸν δέδοται πολεμήια ἔργα,
Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο.
Non tibi Nata datum studia aspera tangere belli,
Tu blandos cura thalamos. ——

Sic Ouidius in Hypermnestra.

Fœmina sum, & virgo naturâ mitis & annis,
Non faciunt molles ad fera tela manus.

Et ibid. *Quid mihi cum ferro, quid bellica tela puellæ?*
Aptior est digitis lana colusq; meis.

PROSTRATVM NEMEES ET.) Planè legerim cum Marcilio *Prostratum vasta Nemees in valle leonem.* Non nemo putat scribendum:

——*& vastâ pelle leonem.*

Sed τὸ pellis, non satis vastum videtur verbum, pro vasto leone. Scriuerius *Sed vasta mole, leonem*, quid illud *sed?* vel etiam *&?* redundant. Parthius *euasta* vna voce, cuius inquit, vocis latinæ & multorum exemplis perelegantis ignoratio, turbas istas facere potuit. Herculis primum opus ac labor leo Nemeæus, quem in valle, (quæ est, vt Diodorus Siculus lib. 4. ponit, μεταξὺ Μυκηνῶν καὶ Νεμέας inter Mycænas & Nemeam siluam) confecit, vnde dictus est Nemeæus Hercules, & leo ipse Nemeæus, & ludi sacri Nemea, vt quidam tradunt, vel ab Hercule vel Molorcho instituti, de quibus vide Pindari scholiastas. Fabulam non fabulabor, consule Mythologos, & horum principem Natalem com. lib. 8. cap. 1. locus hic, infrà sæpius recurret. Labores Herculis scripserunt plurimi, quorum poemata contulit in symbolas suas Pontanus noster lib. 13. ad 7. Æneid. VASTVM LEONEM.) Sic lib. 1. epig. 23. dixit vastos hiatus leonis, pro rictu. Propertius 2. lib. & 19.

Non tamen vt vastos ausim tentare leones.

Virgilius quem allusit noster.

——*Et vastum Nemea sub rupe leonem.*

Cui fortè Græcum illud πελώριον respondeat, vt Apollonius lib. 4. appellauit δέρμα πελωρίου ἠϋ λέοντος. Ita Cicero dixit vastas belluas, & leonem speciatim vastificum in Tuscul. ex Sophocle. Et Manilius etiam lib. 5. vastos leones. PRISCA FIDES TACEAT.) Nihil est, quod antiquitas in Hercule mirata est: quod fecit olim Hercules nunc audent fœminæ. PRISCA FIDES.) *Est enim*, vt Pacatus ait, *amplificatrix veri vetustas*, &, vt Liuius loquitur, *quæ incerta in maius ferri solent.* Idem Salustius dicit cùm affirmat *vetustatem omnia in maius componere.* ἐμφατικῶς ergò accipe hæc *Prisca fides.* MVNERA.) Venationes in gratiam populi editas. Munera tamen propriè ad gladiatorios ludos pertinent, etsi venationes non excludunt. Dicuntur enim & venationes munera, & apud Vitruuium lib. 10. & nostrum poetam aliosque. Noster etiam naumachias lib. spect. epigr. 24. munera appellat, & hoc loco disertè venationem, quod neque Lipsius negat, & Bullengerus etiam confirmat lib. de ven. cap. 7. FŒMINEA VIDIMVS ACTA MANV.) Quod olim Hercules id iam fœminæ faciunt, Magistram venationis primam habuere fœminæ Dianam venatricem, illam θηροφόνον καὶ θηροκτόνον κυνηγέτιν, ἰοχέαιραν, vt Græci appellitant, cuius apud Græcos hymni Callimachi extant. Latini eam passim versibus celebrant. Ouid. 3. Metamorph. Gyraldus, Natalis com. aliique sexcenti. Hinc venationes Dianæ sacræ. Huius quasi discipula fuit illa venatrix & συνκυνηγὸς Atalanta, de qua Diodorus Siculus lib. 5. Hyginus, Pausanias in Arcadicis, Ouidius 8. Metamorph. Virgilius etiam primo Æneid.

Virginibus Tyriis mos est gestare Pharetram.

Sed mittamus nimis fortè iam antiqua & fabulosa. In Romanam arenam descenderunt nouæ Atalantæ, & feras confecerunt. Xiphilinus in Nerone. Ἐκεῖνο δεῖξαι καὶ αἴσχιστον καὶ δεινότατον ἅμα ἐγένετο, ὅτι καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες οὐχ ὅπως ἱππικοῦ, ἀλλὰ καὶ τοῦ βουλευτικοῦ ἀξιώματος εἰς τὴν ὀρχήστραν καὶ εἰς τὸν ἱππόδρομον τότε θέατρον κυνηγέσιον εἰσῆλθον, ὥσπερ οἱ ἀτιμότατοι, καὶ ηὔλησάν τινες αὐτῶν, καὶ ὠρχήσαντο τραγῳδίας καὶ κωμῳδίας ὑποκρινόμενοι, καὶ ἐκιθαρῴδησαν, ἵππους τε ἤλασαν καὶ θηρία ἀπέκτειναν καὶ ἐμονομάχησαν, οἱ μὲν ἐθελονταὶ οἱ δὲ καὶ πάνυ ἄκοντες. *Id verò turpissimũ visu & grauissimum fuit, quod viri fœminæque, non solùm equestris, sed etiam*

iam senatorij ordinis, in orchestram & circum & amphitheatrum ingressi sunt, vt homines turpissimi atq; inhonestissimi, nonnulliq; eorum tibiis cecinerunt, saltauerunt tragœdias, & comœdias egerunt, citharœdi fuerunt, equos agitarunt, belluas occiderunt, munus gladiatorum obiuerunt. Id fecere multi volentes, multi inuiti. Et hoc est quod Suetonius cap.11. & Tacitus annal.15. queruntur, *fœminarum senatorumq; illustrium plures per arenam fœdatos esse.* Hoc idem genus venationis postea exhibuit Titus, de quo noster poëta. fœminæ tamen non illustres pugnarunt ad bestias, vt Xiphilinus his verbis in Tito. ἄλλα τε εἰς ἐναγώνια καὶ βότα καὶ θηρία ἀπεσφάγη, καὶ αὐτὰ, καὶ γυναῖκες, οὐ μέντοι ἐπιφανεῖς συγκατειργάσαντο. Domitianus quidem monomachias fœminarum non tamen venationes edidisse legitur apud Suetonium cap.4. Statium lib.1. Sil. de Calend. Decemb. Etsi fortè de Domit. Iuuenalis tamen sat.1. dicit:

——Meuia Tuscum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mammâ.

Sed has credo pugnas καὶ θηρομαχίας fœminarum vnà cum monomachiis Seuerus Imperator sustulit. Ad gladium certè nullam fœminam permisit pugnare.

Pœna Laureoli.

VII. VI.

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam nimio pectore pauit auem.
*Nuda Caledonio sic * pectora prœbuit vrso*
Non falsa pendens in cruce Laureolus
Viuebant, laceri membris stillantibus artus,
Inq; omni nusquam corpore corpus erat.
Deniq; supplicium dederat necis ille paternæ.
Vel domini iugulum foderat ense nocens.
Templa vel arcano demens spoliauerat auro
Subdiderat sæuas vel tibi Roma faces.
Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ
In quo quæ fuerat fabula, pœna fuit.

* *MS viscera. melius & rectius.*

Latronis supplicium ad Laureoli mimi fabulam accommodatum & spectatum describit. Quam rem vt peruideas, intellige latronem verum in crucem seu stipitem actum, & feris expositum fuisse, in pœnam criminis. Reus autem dictus est Laureolus, non quod illi hoc nomen esset, sed quod ad primi & ficti Laureoli modum in stipite necaretur. De mimo Ioseph. lib.19. capite 1. Antiquit. de Caio Caligula, καὶ γὰρ μῖμος εἰσάγεται, καθ' ὃν σταυροῦται λῃσθεὶς ἡγεμών. Etenim mimus introducitur, quo dux captus cruci suffigitur, id est, quo repræsentatur ille dux captus & suffixus. IN SCYTHICA RVPE.] Infra lib.9. epigr.46.

Ecce Promethea rupes, & fabula montis
Videris immensis cum conclamata querelis
Saxa senis, dices durior ille fuit.

Caucasum montem intelligit, ad quem affixus Prometheus aquilam, seu vt alij volunt vulturem recrescente semper pectore pauit. Apollonius lib.2. Argon. Hesiodus in Theog. Æschylus Prometheo vincto. eius interpres & Mythologi. causæ pœnæ furtum ignis Ioui sublati, & hominibus monstrati. Erat autem religatus ad columnam vt nullo pacto se mouere posset. Vel vt alij ad crucem. Tertullianus lib.1. contra Marcionem. Philostratus lib.2. Apollon. c.2. copiosè de Caucaso bicipiti & Prometheo ad vtrumque tumulum brachiis extenso in formam crucis. Aquilam confecit Hercules, & Promethea liberauit, Pherecydes & Pausanias auctores. Lucianus à Ioue liberatum dixit. Caucasus autem mons Scythiæ est. Lege Strabonem & Geographos. Celebratissimus poetis à fabula Promethei, quem Val. Flaccus lib.5. Luxuum cubile Promethei appellat. Ouid.2. Met.

Copiosè de hoc in Prometheo seu Caucaso Luciano.

Nec prosunt Scythiæ sua frigora, Caucasus ardet.

Horat. epod. lib. inhospitalem nominat, Virg.2. Georg. Vt taceam Græcos. Plura infra lib.9. ep.46. ASSIDVAM AVEM.] aquilam quæ interdiu pectus Promethei lacerabat, quod noctu, vt Hesiodus canit, renascebatur, hinc, nimio, legunt plerique, non, nudo. quod semper aui depascenti sufficeret, G uterum lege. Poëta contendit spectaculum Laureoli cum fabula Promethei, nam vt Prometheo pectus ab aquila, ita Laureolo totum corpus ab vrso lacerabatur. CALEDO-

NIO

MIO VRSO.] Immanissimo à Scotia quæ hodie, olim Caledonia, vt Tacitus in vita Agricolæ vocat, hanc enim Rhenanus & Ortelius intelligendam contendunt. ead. dicta Latinis Albania. Insula Britanniæ est. Hinc Claudianus Britanniam vrsi exuuiis indutam introducit:

——Caledonio velata Britannia monstro.

Vrsi verò ad Septentrionem & maximi & sæuissimi, vt infra ex Olao magno ostendemus. NON FALSA IN CRVCE LAVREOLVS.] Bestiis in hunc modum concessos plures lego. Et inprimis ipsum Neronem in bestiam egisse, immò feras omnes feritate superasse video apud Tranquillum cap. 29. Vopiscus etiam in Aureliano *Mnestheus postea surrectus ad stipitem bestiis obiectus est.* Martialis infra de Dædalo & Orpheo. Iosephus libro supra citato, Xiphilinus de Nerone.

Tertullianus lib. de pudicitia cap. 22. *Puta nunc sub gladio, iam capite librato, puta in patibulo iam capite expanso, puta in stipite iam leoni concesso, puta in axe iam incendio adstricto, demq; iam ad bestias depugnauerat Paulus Ephesi.* Euseb. lib. 5. c. 1. de Blandina. *Blandina in ligno suspensa proposita est, in prædam & lacerationem feris irruentibus, quæ & quia in specie crucis videbatur, & ob preces ardentes & contentas multam alacritatem iniiciebat certantibus.* Hæc de veris crucibus & hominibus verè expositis & laceratis. Ficta etiam dramata Laureoli agebantur apud Cæsares, in amphitheatro, vbi personam Laureoli Lentulus quidam improbus mimus sæpius agebat, vt testatur 8. sat. Iuuenalis:

Laureolum velox etiam benè Lentulus egit
Iudice me dignus vera cruce——

Tertullianus hunc Laureoli mimum Catullo tribuit lib. in Valentin. Quia nullum Catulli Laureolum fuerit exercitata. Sed Tertullianus potuit induci à poëta, qui superiore versu egit de phasmate Catulli quod Damasippus egit.

Consumtis opibus vocem Damasippe locasti
Sipario clamosum ageres vt phasma Catulli
Laureolum velox——

Catullum tamen non illum, qui Ciceronis æuo nobilis vixit & scripsit, sed alium diuersum intelligit. De ficto Laureolo Suetonius in Calig. cap. 57. *Et cum Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomuit.* Vbi tamen Iosephus ducem pendentem & captum non fictitium fuisse videtur existimasse. D. Hieronymus ad Sabinianum. *Hæc tibi ridicula fortè videantur, qui comœdiis & Lyricis scriptoribus mimis & Lentulis delectaris.* Et hoc est quod dicit noster poëta, Laureolum non in ficta fictitium cruce pependisse, sed pœnas sceleri suo destinatas dignasque persoluisse, & ab vrso laceratum esse. Hinc discis, Laureolum duobus agi modis solitum. Imo non Laureolum tantum sed similes fabellas. primum per veros mimos qui (vt hodie in tragœdiis amat fieri) ad imitationem cruces, mortes, supplicia imitabantur; sic vt illusi actores abirent, quod & Tertullianus, quem infra mox subscribam. Suetonius in Calig. cap. 51. & hic Martialis docent, cum veram fictæ cruci opponit. Deinde cùm rei & noxii homines reipsa per fabulæ modum Lentulos, Laureolos, Dædalos, Hercules, Deos, Icaros, Orpheos, Phaëtontes agerent, & reapse necarentur. Doctor & testis præter Martialem copiosus est Tertullianus Apolog. cap. 15. *Dispicite Lentulorum & Hostiliorum venustates, vtrum mimos, an deos vestros rideatis.* Et ibid. *Quid, quod imago Dei vestri ignominiosissimum caput & famosum vestit? quod corpus impurum & ad istam artem effœminatione productum, Mineruam aliquam vel Herculem repræsentat.* Et hæc de Mimis non noxiis. De noxiis porrò ibid. *Nisi quod & ipsos deos vestros sæpè noxii induunt. vidimus aliquando castratum Atyn illum Deum ex Pessinunte, & qui viuus ardebat, Herculem induerat.* De Phaëtonte ibid. *Luget sol filium suum.* Huc etiam illud eiusdem Tertulliani ad Martyres. *Iam & ad ignes quidam se auctorauerunt, vt certum spacium in ardente tunica* (quam Iuuenalis & Martialis molestam tunicam nominant, Herculis nempe Oetæi) *conficerent.*

VIVEBANT LACERI ARTVS.] An immeritò dicta nonnullis amphitheatra, *macella?* Arno. 2. *Idcirco animas misit, vt quæ dudum fuerant mites, & feritatu affectibus nescia commouerit, macella sibi & amphitheatra constituerent loca sanguinis & publicæ impietatis. Eadem veteres glossæ corpodicinas & μακελλίτησε dixere.* IN QVE OMNI NVSQVAM CORP. CORPVS ERAT.] Nudis & laceris visceribus, vbique vulneratus, & nihil nisi vulnus, vt Ouid. in Ibin.

Vnum qui toto corpore vulnus erat.

Corio nempe execto & detracto. Et noster infrà:

Inq; suo nullum limine limen erat.

De hac figura Quintilianum consule, qui *sententiam ait esse ex periculo petitam, hoc est ita affectatè & acutè enunciatam,* vt fatua videatur. Græci ὀξύμωρον appellant, quasi acutè stupidum, & sapienter stultum. vt si dicas siluam in silua, flumen in flumine, Ciceronem in Cicerone quærere. & corpus in corpore.——*Rapitur sine funere funus,* dixit Manilius lib. 5. Et: *Illis in ponto iucundum est quærere pontum.* TEMPLA.] Auream templi supellectilem sacrilegus legit, aut pecuniam ciuium in templis ritu veterum depositam, cui fidem facit sacra Machabæorum historia & profana gentium aliarum. Musambertium lege contra Iberum, qui sexcentos testes adducit.

DENIQVE SVPL. DED. NEC. ILLE PATERNÆ.] Caussas supplicii ob quas Laureolus latro potuit interfectus fuisse, enumerat, aut necauit patrem filius, aut dominum seruus. Vel sacrilegium

legium admisit, vel incendium excitauit. Illud denique non bene respondet prioribus. Videntur versus aliquot desiderari. MSS. duo sequentia disticha non agnoscunt pro germanis poëtæ, sed Panormitani. Præposterus ergo ordo est duorum distichorum. VICERAT ANTIQ. SC. CRIM. FAMÆ.] Quidquid denique designauit, nocentior fuit hic verus Laureolus, quàm ille fictus, & vt latro introductus. IN QVO QVÆ FV. FABVLA POENA FVIT.] Atque vt ille fictus ficta tormenta subiit, ita hic verus latro vera passus est, & ab vrso laceratus. Ludit in conclusione per contraria, dum noua antiquis, vera fictis componit. FABVLA.] supra epigr. 5.

——— At qui fabula prisca fidem.

De Dædalo.

VIII. VII.

Dædale Lucano cum sic lacereris ab vrso
*Quam velles pennas, * nunc habuisse tuas.*

* tunc.

Noxium Dædalum inducit.

Geminum superiori spectaculum quà fine, non quâ modo: Hic enim reus Dædalum illum fabricatorem alarum egit, quarum ope ex carcere Minois quondam euaserat, cum Icaro. Ouidius rem fabulatur 8. Met. lib. Passim Mythologi. Rectè Marcilius hoc epigramma quinto, nobis omisso, subiiciendum putauit, quod taurus etiam in Creta & Labyrintho Minois, quem Dædalus fabricarat, fuerit. Hic in Amphitheatro, nocentem reor hominem alis applicatis, pegmate excussum in feras veluti volando decidisse. Plura enim eius generis infra spectacula de Tauro & aquila memorantur. de pegmatis epigr. 2. diximus. Sunt qui dicunt hunc infœlicem Dædalum fuisse Simonem Magum illud impium caput, & hoc affirmare S. Iustinum Martyrem. Mihi neutrum persuadent, Dædalus quidem volauit, & multæ tempestate Neronis lamiæ volaticæ, & Icari noui, de quibus Suetonius in Nerone, Iuuenalis

——— magus omnia nouit.
Graculus esuriens in cælum iusseris ibit.

Lucianus in Philopseude. Sed, Simon Magus is non fuit, nec ab vrsis laniatus. nemo enim hoc vel græcorum vel latinorum Patrum docet, qui diligenter Simonis Magi conatus volandi, casum & ruinam exponunt. Iustinus etiam statua ornatum ait à R. P. cuius hæc sunt verba: *Sicut Simonem quendam Samaritam, ortum à Gitta oppido, qui sub Claudio Cæsare subnixus ope dæmonum, & fretus magicis artibus, in hac vrbe regia deus est habitus, & quasi Deus honoratus statuâ positâ in Tiberi inter duos pontes cum hoc Latino titulo,* SIMONI DEO SANCTO. *quem fermè omnes Samaritæ, & aliquot etiam in aliis nationibus, tanquam primarium Deum adorant atq; celebrant.* Et infrà: *rursum quod supra diximus, commenti sunt alios quos vulgo adorandos proponerent. vt Simonem & Menandrum Samaritas: qui magicis artibus multos seduxerunt, etiam nunc huic errori obnoxios. nam vt iam diximus, in vestra vrbe terrarum domina sub claudio Cæsare Simon S. P. Q. Romanum in tantum admirationem sui stupefecit, vt haberetur pro Deo, & receptus in Deorum numerum honoraretur dicatâ sibi statuâ. quapropter S. P. Q. Romanum testamur, nos postulare vt si quis eius doctrinâ captus est, ab errore ad veritatem se recipiat.* De Dædalo nihil Iustinus. Eiusdem volatum describit Clemens Romanus, Arnobius, Augustinus, Cyrillus, Epiphanius, Seuerus, Prosper Aquit. Theodoretus, Isidorus, recentiores ferè omnes. De Dædalo nihil. Iustinus etiam in hoc lapsus videtur, quod Semonem Sancum antiquissimum apud latinam gentem numen pro Simone acceperit. Legendum Schidium Petri Ciaconii de Semone Sanco, anno Christi M. D. LXXIV. Romæ in insula Tiberina inter duos pontes marmoreæ basi cuiusdam statuæ cum huiusmodi inscriptione.

E græco versa.

SEMONI
SANCO
DEO FIDIO
SACRVM
SEX. POMPEIVS SP. F.
COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS
DECVR.
BIDENTALIS
DONVM DEDIT.

Ostendit deinde Ciaconius ex Fulgentio, Liuio, Plinio, Plutarcho, Varrone, Festo, Pompeio, Lactantio, Propertio, Ouidio, Inscriptionibus Semonem Sancum vetustum gentibus barbaris Sabinis & Latinis pro Deo cultũ, multis sæculis ante Christum natum. Deinum concludit. *Cæterùm videant*

videant docti viri, an Iustinus Martyr, vtpote externus, & Latina lingua non admodum peritus, ex ea inscriptione deceptus, in Apologia secunda ita scribat: Post Christi ascensionem in cælum iidem genii subornarunt quosdam homines, qui se pro diis gererent: qui honores etiam apud vos consecuti sunt, tantum abest, vt pulsi fuerint: Sicut Semonem quendam Samaritam ortum ex oppido Gitto, qui sub Claudio Cæsare subnixus ope dæmonum, & fretus magicis artibus, in hac vrbe regiâ deus est habitus, & quasi Deus honoratus statuâ positâ in Tiberi inter duos pontes cum hoc Latino titulo, SIMONI DEO SANCTO. Hæc Iustinus, qui existimasse videtur Semonem esse Simonem. Refert etiam Irenæus lib.1. contra hæreses, cap.20. Simonem à Claudio Imp. statuâ fuisse honoratum: sed id à Iustino accepit, vt Tertullianus in Apologetico, cap.13. cùm scribit: *Cùm Simonem Magum statuâ & inscriptione* SANCTI DEI *inaugurati*. vt etiam Eusebius Cæsariensis, lib.2. hist. cap.12. Nicephorus lib.2. c.13. & Nicetas Choniates lib.4. Thesauri cap.1. Suspicantur nonnulli Laureoli personam Christianum egisse, hoc est martyrem fuisse, quod mihi nondum credibile visum. Non nemo etiam S. Iustinum sanctè conatur defendere. Mihi nondum satis liquet, cui Ciaconii sententia vero propior videtur. Nam S. Iustinus signatè affirmat statuam inter duos pontes inuentam, de qua præter Ciaconium Iulius Iacobonius ad M. Ant. Muretum. LVCANO.] De Lucania vnde præstantes & immanes, Romam mittebantur vrsi. Plinius lib.3. c.5. Varro lib.4 de l.l. LACERERIS.] Syncopa, pro laceraretis, aut certè enallage temporum, si legas, tunc; Nec syncopa, nec enallage, si, nunc, scribas, vt scribendum censeo, & exemplaria habent. Alloquitur enim præsentem Dædalum, dum laniaretur ab vrso. q.d. Dædale cùm sic distraharis ab vrso, quàm cuperes habere pennas tuas. *habuisse* tamen pro præsenti ponitur κατ' ἐναλλαγήν. Nam hæc formula huic par est. Tu, cum sic æ[s]tuarias, quam cuperes aut cupias habere (non habuisse) victum. aut huic. Tu cùm sic discerperis ab vrso, quàm cupias habere pennas tuas? QVAM VELLES PENNAS NVNC HAB. TVAS.] Cum caderes vt Icarus cap.12. apud Suetonium in Nerone *ipso primo statim conatu cecidit iuxta Neronis cubiculum*, id est, suggestum in Amphitheatro, quod instar cubiculi erat. lege Casaubonum ad illum locum. NVNC.] Iusta lectio, sensus est, quàm velles nunc habuisse pennas illas, quas tunc habuisti cùm à Cretâ auolares cum Icaro vt Ouid. canit. 8.

——pennisq́; leuatus
Ante volat, comitiq́; timet, velut ales ab alto.

De Rhinocerote.

VIII. IX.

Præstitit exhibitus totâ tibi Cæsar arenâ,
Quæ non promisit prælia Rhinoceros.
O quam terribiles exarsit pronus in iras.
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat.

Rhinocerotis & Tauri pugnam describit. Rhinocerotis victoris cornu miratur. Rhinoceros vt Pausanias depingit lib.9. Animal est cui in summa nare cornu est, & aliud super illud, non magnum. ζῷόν ἐστι ἐπ' ἄκρᾳ τῇ ῥινὶ ἑκάστῳ κέρας, καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγα. Hinc Rhinoceros dictus est à cornu illo maiore è nare prorumpente. Plinius lib.8. cap.20. longitudine parem elephanto scribit, cruribus tamen breuioribus, colore buxeo, cui vnum in nare cornu sit, quod pugnaturus limat ad saxum, Hostem elephanti. Dio tradit lib.5. εἶδέ [τι] ῥινόκερως ἐλέφαντι τι προσόμοιον, κέρας δέ τι κατ' αὐτὴν τὴν ῥῖνα προέχει, καὶ διὰ τοῦτο οὕτω κέκληται. *Rhinoceros similis aliqua ex parte elephanti, cornu eminens habet in nare, vnde dictus est Rhinoceros.* Effigiem habes apud Gesnerum & Pierium lib.2. de Rhinocerote. Plura de hoc infrà, nec idem Rhinoceros seu naricornis, & monoceros seu vnicornis. PRÆSTITIT PRÆLIA QVÆ NON PROMISIT.] Ægrè irritantur rhinocerotes ad pugnam. Martialis infra epigr.22. *sollicitant pauidi, &c.* Et, *Epigr.22.*

Desperabantur promissi prælia Martis.

Irritabantur autem flagello, & igne, & ferro candente, stimulis, vt infra docebimus. Scaliger & Scriuerius legunt *promisit*, non *promisit*, & referunt ad Domitianum, qui populo promiserat spectaculum Rhinocerotis & tauri. non malè sanè. nusquam enim lego de bestia verbum *promitto*. Ita infra codem modo de Domitiano explicandum: Desperabantur promissi prælia Martis. EXHIBITVS.] Dio in Augusto lib.51. Rhinocerotem ab Augusto tradit exhibitum. Sueton. in Aug. cap.34. Rhinocerotem ab eodem Augusto Romæ inuisitatum apud septa ostensum tradit. Plinius tamen lib.c.20. Pompei Magni ludis Rhinocerota spectatum dicit. Postea sequentes Imperatores monstrauere, nec tamen omnes, de Tito pronum est suspicari, quod Suetonius dicat omne genus ferarum ab illo datum. De Domitiano nummus docet Rhinocerotem gerens cum versu iactato. de vtroque fortè Martialis. Pollio in Gallieno inter feras Romæ interfectas numerat Rhinocerotem. PRONVS.] Cornu submisso ad tollendum taurum, & fera aliàs etiam prona. CVI PILA TAVRVS ERAT.] Lib.14. epigr.53. hæc verba repetit.

Nuper in Ausoniâ domini spectatus arenâ
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Tauri pilis irritabantur, non illis quibus ludebatur, sed in effigiem humanam formatis, vt mox infrà docebimus. Rhinoceroti verò ipse taurus pro pila erat, tam leue illi pondus taurus. Vnde robur bestiæ discis, quod admiratur poëta, nec præ magnitudine expromit vt lectori, quod solet, meditandum relinquat.

De Leone qui gubernatorem offendit.

X. IX.

Læserat ingrato Leo perfidus ore magistrum
Ausus tam notas contemerare manus,
Sed dignus tanto persoluit crimine pœnas,
Et qui non tulerat verbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub principe mores,
Qui iubet ingenium mitius esse feris?

Custos leonis Seneca.

Lemma declarat epigramma, quod in laudem Cæsaris finit, quem à clementia commendat. GVBERNATOREM] Mansuetarium vocauit in Heliogabalo Lampridius & Firmicus. Noster magistrum in hoc epigr. & infra 17. 18. & 22. Strabo διδάσκαλον & χορτοφόρον, Glossa. Elephanti tamen rector præter communia nomina etiam sua & propria habet, quod suo loco monebimus. Græcis etiam Leonum domitor dicitur, λεοντοκόμος, λεοντοφόνος ἡμεροποιός. Mansuetarius Manilius & mathematici genitalia sidera tribuunt Leonem, Scropium & Sagittarium. Man. lib. 4. de Sagittario.

Et quibus in bifero centauri corpore sors est
Nascendi concessa libet conuingere currus. & mox.
Quadrupedum omne genus (vel genus impositis) domitare magistris
Exorare tigres, rabiemq; auferre Leoni.

In apotelesmatis sphæræ barbaricæ mansuetarius egregiè depingitur, apponam Manilij versus ex. v. De natis sub Leone & Scropio.

Non inimica feræ tali sub tempore natus
Ora feret placidas reget in commercia gentes,
Ille manu vastos poterit frenare Leones
Et palpare Lupos. Pantheris ludere captis, &c.

Infra ponemus cætera. INGRATO ORE.] Alioqui gratissimum animal, vt non nisi vehementer irritatum, sæueque verberatum & Magistrum sæuiisse putem. Nota est Androcli seu vt alij malunt Androdi Daci histoira ex 5. Gell; cap. 14. dictumque vulgo. *Hic est Leo hospes hominis, hic est homo hospes leonis.* Eiusdem est mentio apud Senecam 2. de ben. *Leonem*, inquid, *in Amphitheatro spectauimus, qui vnum è bestiariis agnitum, cum quondam eius fuisset magister, protexit ab impetu bestiarum.* Plura grati animi signa in leone leges apud Plinium lib. 8. Æliano ἀνδροκλῆς lib. 7. var. cap. 48. dicitur. ἀνδροκλῆς κατεγνώσθη θηρίοις βορὰ παραδοθῆναι. Androcles bestiis obiectus, &c. Enimuerò vt beneficiorum sunt non immemores, ita non obliuiscuntur iniuriarum, quod Philostratus lib. 7. docet, cùm mansuetarium his verbis instituit. μήτε παίωσι, μνησικακεῖν γὰρ, μήτε θεραπεύειν, ὑβριστικώτεροι γὰρ ἐκ τούτου γίνονται, καταψῶντας δὲ μᾶλλον ἐς εὐαγωγὰ ἤθη ἄγειν. *Ne verberent eos, memores enim & vltionis appetentes sunt: ne blandiantur aut studiosius tractent: ex eo enim intumescunt, sed manu palpantes, ad facilitatem & mansuetudinem deducant.* Nec falsa monet; comitem certè Iubæ regis adolescentem nobilem, à quo sagitta percussus erat, post annum occursantem inter exercitum totum, agnouit, & solum inuasit, omnibusque frustrà opem ferentibus, in conspectu omnium lacerauit. PERFIDVS.] Vt qui iura humanitatis præter morem, iam mansuetus violarit, sed corrigo morem, nec enim feræ, quamuis domitæ, fidendum, Nam verè Homerus

——— οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά.
Fœdera sunt hominem non fida, interq; leonem.

Tigres enim & leones, vt epist. 89. verè Seneca. *non exuunt, sed tantum submittunt feritatem.* Elegans est & de lupo ingrato & perfido epigramma ἀδέσποτον, quod propter vltimum versum totum apponam, Ouis de lupo & pastore querimonia.

Τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω οὐκ ἐθέλουσα,
Ἀλλά μ' ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.

Αὐξηθεὶς

Αὐξηθεὶς δ᾽ ὑπ᾽ ἐμοῦ κατ᾽ ἐμοῦ πάλι θηρίον ἔσται.
Ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

Quod ita intelligo.

Inuitam cogunt stolidi me iussa magistri
Nectar dulce fero suppeditare lupo.
Qui mox lacte meo, maior me, sæuiet in me:
Gratia naturam flectere nulla potest.

Parœmiam lege. Ale catulos lupi. Quod lupo, hoc de leone, vrso, apro, & quauis immani fera accipe, lupus pilum non animum mutat. Lege lib. 2. epigr. 75. de Leone.

Dedidicit pacem subitò feritate reuersá.

Et de vrso Iuuenali, quamuis mansueto

——rabito nec perditus ore
Fumantem nasum viui tentaueris vrsi
Sit placidus licet, & lambat digitosq́, pedesq́,
Si dolor & bilis, si iusta coëgerit ira
Vrsus erit.

AVSVS TAM NOTAS FONTEM. MANVS] tam familiares manus, tam sæpe ori innocenter insertas, ore nunc perfido lædis? Alioqui leones à teneris mansuefactos ait esse mansuetissimos Ælianus, & quiduis sustinere patienter à magistro. vti & noster liber lib. 2.

Lib. 5. de natura animalium.

Verbera securi solitus leo ferre magistri
Insertamq́, pati blandus in ora manum.

Iterum Ælianus lib. 17. *Leones Indi cicurantur facilè, vt habena ductari poßint, & ad venandos hinnulos, ceruos, apros, tauros, asinos feros loro canum instar agantur.* Et lib. 5. *Hanno* (Carthaginensis ille primus leonis domitor & mansuetarius, vt auctor est Plinius.) *Leonem habuit vasa portantem. & Berenicæ leo fuit cicur, nihil distans ab ancillis ornatricibus. Lingua enim vultum eius perpolibat, & rugas leuigabat, & conuiua erat comedens lentè & modestè.* Seneca cap. 5. lib. 2. de Ben. *Officia etiam feræ sentiunt. Nec vllum tam immansuetum animal est quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris impunè tractantur.* Idem lib. 2. de ira, & epist. 86. Statius Sil. 2. de mansueto leone.

Quid: quod abire domo rursusq́, in claustra reuerti
Suetus & à capta iam sponte recedere præda,
Insertasq́, manus laxo dimittere morsu.

TELA] necem. Telum hic venabulum aut contum, iaculum, excipium, hastamúe explica, his enim armis vtebantur ad conficiendas bestias. QVOS DECET ESSE HOMINVM T. S. P. MORES.] Qui feras cupit esse humanas, quales hic homines cupiat, qui ab humanitate nomen habent, à minori.

De Vrso.

XI. X.

Præceps sanguineâ dum se rotat vrsus arenâ
Implicitam visco perdidit ille fugam.
*Splendida iam * tecto cessent venabula ferro,*
Nec volet excussa lancea torta manu;
Deprendat vacuo venator in aëre prædam,
Si captare feras aucupis arte placet.

* al. terso, alij. recto. melius tecto. Al. cedere iam certo, retecto tecto.

Nouum venationis genus prædicat, quod visco, quo aliâs aues capiuntur, fiebat. Implicitus enim visco velut glutino aut pice vrsus, expedire fugam non poterat, facileque conficiebatur. PRÆCEPS VRSVS] impetu ruens. ROTAT] κυβιστᾷ Græcè, in orbem agit, seu voluit. Ex Plinio & Plutarcho discis causam. Vrso enim inualidissimum caput: ideò vrgente vi, manibus illud operit, seque vel præcipitat ex rupe, cùm in montibus agitatur, vel in arena capite pedibus, quos manus appellat Plinius, tecto, in orbem volutus, plagas declinat. IMPLICITAM VISCO PERD. ILLE FVGAM] hæsit visco impeditus, vt aues cùm viscatas virgas insident. neque enim expono, rete, vt Perottus, etsi veteribus eo intellectu vsurpatum. Virg. 1. Georg.

Plin. c. 36. lib. 8. Plut. de causis.

Tum laqueis captare feras & fallere visco.

Nonius Marcellus. *Viscum, inquit positum prorete à tenacitate.* Varr. Parm.

Lepusculi timentes hoc quadrangulum
Dedit Dianæ rete nexile, ἄκρυας
Viscum sagenam, lineamq́, compedem.

Viscum intelligo genus glutini, quod aucupiis seruit, cum quo contendit hanc venationem poeta, alioqui nihil dicturus, cùm hoc, vt nouum genus venationis admiretur. Recte tamen quod iam occurrit, possis accipere vt nouum, non in siluaticâ, sed Amphitheatrali venatione, quam sententiam non omnino reiiciendam pono. Quamuis apud Xiphilinum in Commodo lego bestias retibus in Amphitheatro inclusas, à Commodo confectas. SLENDIDA VENABVLA.] Idem epitheton dedit venabulis Ouid. 8. Transfor. de Atalanta canens.

Splendidaq; aduersos venabula condit in armos

Et noster: *Quem meus intrauit splendenti cuspide Dexter.*

Sensus est, nihil opus est ad venationem venabulo aut lancea, quando feræ visco possunt capi. Sed non satis erat capi, conficienda erat fera, quod absq; ferro non fiebat. Expono igitur. Cessent iam venatores coloribus imbuere venabuli mucronem, non effugient iam quamuis splendentem venabuli aciem, nec opus erit iacere lanceas eminus, cùm cominus inertitæ visco facilè possint cædi, Venatores autem, ferrum seu mucronem venabuli arte celabant, vt feræ facilius se ferro inducerent non viso, à viso autem refugiebant. Qui legunt, *terso*, ad nitorem ferri id referunt, nam politum & splendens ferrum & abstersum appellatur. Marcilius scribit, *recto*, quod venabuli ferro rectâ figerentur feræ, lanceæ vibrarentur. Sed si coloribus infecta, quomodo splendida? nempe vt gladius politus vaginâ conditus, vt gemma dactyliothecâ clausa. Absterge colores, præstinguet lumina. Splendidum ergo per se venabulum coloribus fucabant vt feras fallerent. Quod hic non erat necesse, cùm declinare etiam splendentem ferri aciem visco hærentes non possent. Non repudio alteram explanationem: cessent venabula venatorum, & condantur vagina, quando hic illis vsus non est, cùm feræ nouo artificio, auium ritu capiantur, id quod à principio dixi. Porro quæ de infectis venabulis dixi, ab oculatis testibus accepi, id inquam in venationibus solere fieri. Venabulum venantium telum latissimû. Nonius. Græcis προβόλια dicuntur, quæ ex Xenophonte ita describit Iul. Pollux lib. 5. c. 3. Προβολίοις δὲ ἐπὶ τοὺς σῦς καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἀγχέμαχα θηρία. Et mox. τὰ δὲ προβόλια ἔστω μὲν κρανέϊνα, στερεὰ δὲ καὶ διὰ ξύλου παγῆ, φησὶν ὁ Ξενοφῶν, αἱ λόγχαι δ' αὐτῶν ἔστωσαν σιδήρου τομωτάτου. τῆς δὲ λόγχης, τὸ μὲν περὶ τὸ ξύλον καλεῖται αὐλός, οὗ τὸ μὲν ἔξωθεν περίμετρον, τὸ δὲ ἔνδοθεν τοῖχος. τὸ δὲ μετὰ τὸν αὐλὸν κοῖλον ὀβελίσκος, ὅθεν δὲ πλατύνεται, πτέρυγες, καὶ ἑκατέρωθεν προβολαί. καὶ δεῖ τῶν πτερύγων ἑκατέραν πλατυνομένην, παχυτέραν οὖσαν ἀπολεπτύνεσθαι καὶ ἀποστενοῦσθαι κατὰ μικρὸν ὑπολήγουσαν, ἄχρι πρὸς τὴν γλῶτταν, ἐστομῶσθαι δὲ οὐ μόνον τὴν αἰχμὴν ἀλλὰ καὶ τὰς πτέρυγας χρήσιμον, id est, *venabulis autem contra apros & alias cominus congredientes feras. Porro venabula cornea sint, solida & è corno arbore instar hasta fabrefacta, vt inquit Xenophon, horum autem cuspides è ferro sint maximè penetrabili. Sed cuspidis pars iuxta hastile, fistula dicitur, cuius exterior pars perimetron, interior autem murus. Quæ autem post fistulam est concauitas, obeliscus, & vbi dilatatur alæ dicuntur, quæ vtrinque sint prominentia. Cuspidis verò acies, lingua, & oportet alterutram alarum latiorem, & densiorem attenuare, coarctereque, vt tenuior earum circa linguam finis sit, acuere verò non aciem modò, sed & alas perutile est.* Hæc Xenophon de venabulo. Alia instrumenta venatoria ibid. describit Pollux. Hesichius & Philostratus, Oppianus item lib. 1. Hic tantùm obserua duplex pugnandi genus cum feris, cominus alterum, alterum eminùs, qui comminus pugnabant ἀγχίμαχοι, & best τὰ ἀγχίμαχα θηρία dicebantur Græcis pugna ipsa, ἐξ ἀντιπάλου μάχη, seu μάχεσθαι, & συστάδην μάχεσθαι. *contra leonem stare, excipere feras, in plano cum belluis pugnare.* Alterum genu. πόρρωθεν βαλεῖν, vel ἄνωθεν ἀκοντίζειν. De primo genere loquitur hic Martialis, de altero mox subiungit. NEC VALET EXCVSSA LANCEA TORTA MANV.] Eminus nempe emissa, excussa manu, à corpore proiecta longius, vt fit, cùm telum vel iaculum manu torquetur vibraturque. Xenophon λόγχην appellat, genus hastæ est missilis, sæpeque hasta sine adiecta voce nuncupatur ein Spieß nostratibus, vt venabulum ein Knöbelspieß / Schweinspieß. DEPRENDAT VAC. VEN. IN AERE PRÆDAM.] Quando feræ, inquit, visco auium more capiuntur, quid superest, nisi vt ipsæ feræ auium ritu volitent: ἔστι ἀδυνάτη, & absurdo est conclusio, quod iam videatur absurdum, nec ἀδύνατον.

C. cetere telum cum lato ferro.

Eminus iacere.

De Sue quæ ex vulnere peperit.

XII. XIII.

Inter Cæsareæ discrimina sæua Dianæ,
Fixisset grauidam cum leuis hasta suem,
Exiliit partus miseræ de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori voluisset saucia telis,
Omnibus vt natis triste pateret iter,

Quis

Quis negat esse satum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite: nata fera est.

Sequuntur tria eiusdem lemmatis epigrammata sanè venusta & rotunda, diuerso singula epiphonemate conclusa.

INTER CÆSAREÆ DIANÆ SÆVA DISC.] Prima pars epigrammatis historica est, qua inexpectatus explicatur euentus ex ictu & vulnere secutus, altera pars continet iudicium & acclamationem poëtæ ab exemplo, & fabula. Cæsaream Dianam appellat venationem Amphitheatralem, quæ Dianæ sacra est, vt in prolemmatis est enarratum, inuentrix pro re inuenta μετωνυμικῶς ponitur. sic infra numen vtriusq; Dianæ vocat. DISCRIMINA SÆVA.] Cruentam cum feris pugnam notat, qua vel à bestiario fera, vel à ferâ bestiarius conficiebatur. Inuisum Christianis spectaculum, quod ex Athenagoræ pro Christianis Apologia, Tertulliani lib. de spect. cap.10. & Apol. cap.9. Ambrosio in Psalm.118. Saluiano, Prudentio, Cypriano ep. ist.1. ad Donatum aliisque discis. Ambrosius quidem vocat *ministerium crudelitatis*. Cassiodorus lib.5. c.42. *Ludum crudelem, sanguinariam voluptatem, religionem impiam, humanam feritatem*. Imperatores Christiani lib.11. cod.43. cruenta spectacula sustulerunt. Venatio ipsa φιλοκίνδυνος, & venatores φιλοκίνδυνοι θηριομάχοι, παράβολοι Græcis appellantur. GRAVIDAM SVEM.] Siluestrem & feram. Infra. Sus fera iā grauior— LEVIS HASTA] in fuga vel cursu lancea iacta figebantur, quamuis enim ἀγγέμαχα θηρία essent, tamen non rarò territa fugiebant in arena. Martialis infra de leone. Hunc leo cum fugeret---- Hinc opus erat venabuli splendentem aciem colore inficere, vt facilius incurrerent. De vrso supra, Implicitam visco perdidit ille fugam ἐξ ἀντιστάσεως venabulo excipiebantur, eminus hasta seu lancea, vt dictum, feriebantur. GRAVIDAM.] Infra---iam grauior, maturi pignore ventris. EXILIIT PARTVS MIS. DE VVL. MAT.] Vulnere facta parens. Simile in dissimili animante scribit Philippus lib. ep. Græc. εἰς ζῶα.

> Ὠκείας ἐλάφοισι κύων ἰσόμιλλα δραμοῦσα
> Ἔγκυος ἠλκύσθη παιδοπόρον γένεσιν.
> Πᾶσα δὲ συγκατέμυσε κατηλωθῆσα χρόνοισιν
> Ἤδη δ' ἐκ τοκετῶν ὥρα ἦν βάσιμος.
> Πολλὰ δ' ἐπωδύνουσαν ἀνὴρ ἐπιδηροτόμησεν,
> Καὶ σκύλακες φίλιοι νηδύος ἐξέθορον.
> Ἀρτέμιδος λίλυται λοχίων χάρις. ἥμιτελὴς δ' ἀγρε
> Ἤρκται μαιῶσθαι γαστέρας ἡμιτέρας.

> *Æquabat celeris cursu vestigia ceruæ*
> *Fœta canis, tuber cuigraue ventris erat:*
> *Vlcera iam multis vterum clausere diebus,*
> *Horaq; maturum ponere iussit onus.*
> *Tum querulam facto venator vulnere soluit,*
> *Et catulis facto vulnere, facta via est.*
> *Nil meruit Lucina: Dea Gradiuus obire*
> *Cœpit onus: catulis ille Diana fuit.*

Sic Gratianus leænam fœtam sagittæ ictu interemit, sed non tam fecundo casu fœtûs, quem vna cum matre eod. ictu traiecit. Ausonius epigr.3.

> *Nec contenta ictos lethaliter ire per artus,*
> *Coniungit mortes vna sagitta duas.*

O LVCINA FEROX HOC PEP. FVIT?) Luna præest conceptibus, Lucina (quæ & Diana) à Parcis præfecta est parturientibus, quod ipsa fuisset absque dolore à matre gestata in vtero, & absque sensu in lumen edita, quemadmodum Callimachus in hymno Dianæ canit.

> ——ἧσι με μοῖραι
> Γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλώσαντο ἀρήγειν
> Ὅττι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα
> Μήτηρ, ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο κόλπων
> ——hisce leuare

> *Vix bene me natam Parcæ statuere dolores,*
> *Quod me cùm pareret vel cùm gestaret in aluo*
> *Mater non vnquam doluit, sine læta dolore*
> *Deposuit quod ventris onus——*

Hoccine, inquit, est matrem leuare onere peremptam vulnere? Crudelis est hæc legis obstetricandi ratio & interpretatio, qualis fuit Tiberij, qui virgines, quas more tradito nefas esset strangulari, vitiatas iussit suffocari, vt Suetonius tradit in Tiberio. Dio de filia Seiani. Eadem lex erat de prætextatis, vt Dio & Appianus prodidere. PLVRIBVS ILLA MORI.] Nempe φιλότεκνον φύσις. Ex hoc versu patet vnum tantum suculū prosiluisse, cæteros cum matris funere tumulatos, imò & in-

& infrà ep. 14. pignore dixit, de vno item surculo locutus. NATIS.] translatum ab homine ad feras. TRISTE ITER.] vulneris & funeris, sic Cæsonem, non Cæsarem aiunt natum à cæso matris vtero. QVIS NEGAT.] neget legunt nonnulli propter similit. illius de Nerone.

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem.

NATVM MATERNO FVN. BACCHVM?] Nota fabula est ex Pindari Olymp. od. 11. Ouid. Met. 3. Orpheo, Euripide, Hygino, Manilio, Mythologis, fulminata enim Semele, Liber extractus est viuus, & Iouis femori assutus, iterumque natus, vnde Dythyrambus & bimater, Iouis enim femur illi pro altera matre erat. Vnde Poëta lib. 5. epigr. 73.

Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem,
Ille potest Semelen dicere Rufe patrem.

Et bis genitus audit apud poëtas. CREDITE] à minori. Si fera nata est per vulnus & funus maternum, non possit eodem modo Deus?

De eadem.

XIII. XII.

Icta graui telo, confossaque, vulnere mater
Sus pariter vitam perdidit atq; dedit.
O quàm certa fuit librato dextera ferro,
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est numen moriens vtriusq; Dianæ,
Quaq; soluta parens, quaq; perempta fera est.

GRAVI TELO.] Atqui modo dixerat, Fixisset grauidam cum leuis hasta suem, graue telum & leue telum pugnant in se: sed leuem hastam propriè dixit: graue telum τεχνικῶς καὶ συνεκδοχικῶς caussam pro effectu, leui hasta non leue vulnus, sed lethale & graue faciebat. VVLNERE MATER SVS PARITER VITAM PERD. ATQVE DED.] Argutia à * contrariis, dare, perdere seu auferre vitam. ἄδηλον est epigramma lib. 3. epigr. Græc. εἰς γυναῖκας, quod propter elegantiam totum subscribam, quando ad rem facit.

* Vel potius à repugnantibus tantum. perdere enim hic amittere, non auferre valet.

Εὐχέσθω τις ἔπειτα γυνὴ τόκον· ἥ τε Πολυξὼ
Γαστέρ' ἀπὸ τρισσῶν ἐρραγεῖσα τεκέων
Μαίης δ' ἐν παλάμαισι χύθη νέκυς. Οἱ δ' ἐπὶ γαῖαν
Ὤλισθον κόλπων ἄρσενες ἐκ λαγόνων
Μητέρος ἐκ νεκυῆς ζωὸς γόνος. εἷς δ' ἄρα δαίμων
Τῆς μὲν ἀπὸ ζωὴν εἵλετο τοῖς δ' ἔπορεν.

Optet, si qua valet sobolem: conquesta Polyxo est,
Diruptis natis perdita ventre tribus, Tergeminis rupto viscere pignoribus.
Et ruit in manibus tepidæ obstetricis: at illi
Protinus ex aluo prosiluere foras
E matre extincta viui: sic flebile fatum
Huic vitæ munus demsit, & hisce dedit.

O QVAM CERTA FVIT LIB. D. FERR) εὐστοχίαν venatoris laudat, seu arte ille seu casu telum misit. LVCINÆ MANVM.] Tam certa fuit, vt diuinam possis dicere. εὐστοχώτατοι fuisse prædicantur, Commodus ab Herodiano & Dione. Domitianus à Suetonio, ab Aurelio Victore Gratianus, & Indi, Baleares, aliique populi passim ab historicis sacrisque paginis celebrantur. EXPERTA EST MORIENS NV. VTR. DIANÆ.] Lucinæ Dianæ. Dianæ venatricis, Lucinæ obstetricis. Ipsemet exponit extremo versu, vt fera sit experta vtramque Dianam, vulnere nempe, quo perempta, venatricem; onere ventris, quo leuata, obstetricem. Sic Lucina fecit parentem, Diana peremptam confecit. Horatius carm. sæcul. de ludis Augusti de Lucina præside partionum.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia tuere matres:
Siue tu Lucina probas vocari
Seu genitalis.
Diua producas sobolem, patrumq;
Prosperes decreta super iugandis
Feminis, prolisq; noua feraci
Lege marita.

De

De eadem.

XIII. XIV.

*Sus fera iam grauior maturi * pignore ventris*
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec iacuit partus sed matre cadente cucurrit:
O quantum est subitis casibus ingenium.

* Pignora, sed pignore malim.

Opportunum lemma nactus poëta mirificè ludit, & copia verborum, & ingenij argutià. FERA.] vt à scropha & porca distinguat siluestrem. GRAVIOR.] quia partui proxima, quod ipse docet, cùm subiic t. MATVRI PIGNORE VENTRIS.] pignore legendum, quoduis pignus deposuerim, quod sequatur. ET MISIT FŒTVM.] Si communem retineas scripturam, appositio est, pignora fœtum. Pignora sæpiculè natos & partum significant poëtæ. Propertius.

Vide sup. ep. 12 Omnib. vt natu trifle p.1.

Nunc tibi commendo communia pignora natos.

Ouid. *Dulcia sollicitæ gestabant pignora matres.*

Senec. in Med. *In matre si quod pignus etiam latet*
Scrutabor ense viscera, & ferro extraham.

Suetonius etiam pignora communes liberos appellauit in Tiberio. Fœtus dicitur, quidquid animal parit, seu oua, seu animal. Ouidius dixit Arboreos fœtus. Translatè etiam ad ingenij opera transfertur, ingenij fœtus. MATRE CADENTE CVCVRRIT.] Suprà, Exiliit partus. Cucurrit, inquit, quasi periculum sensisset, quod fuga cuperet declinatum. O QVANTVM EST SVB CAS. INGENIVM.] Rursum ab admiratione casus & fortunæ claudit. vt de Regulo lib. 1. cap. 13.

Vanis nempe tantum.

Nunc & damna iuuant: sunt ipsa pericula tanti,
Stantia non poterant tecta probare Deos.

Thucidides, *Subita*, inquit, *experiuntur ingenium & indicant*, quod ingeniosissimus Protogenis, & Nealcis principum pictorum casus, huius in equi, illius in canis spuma exprimenda docet, cùm vtrumque ars & ingenium defecisset, fortuna succurrit, lege Plinium 35. lib. cap. 10. Valerium Maximum lib. 8. cap. 11. Plutarchum de fortuna Alexandri Magni. Sic f rtur cicada (vt est in Græcorum fabulis, & Clemens Alexandrinus in præfatione memorat.) Eunomi cum Aristone Rhigino Pithiis musicâ certantis citharam subitò insedisse, chordæq; inter cantum ruptæ vicem canendo explesse. Refert & Seneca, sed non fabulam lib. 2. de Ben. cap. 19. *Tuber*, inquit, *quidam tyranni gladio diuisit, qui ad eum occidendum venerat, non ideo, &c.* Casus enim beneficium est, hominis iniuria. Et Cicero de nat. Deor. plura. & Val. Maxim. lib. 1. Ausonius epig. 10. in adult.

Quam pia cura Deûm, prodest crudelior vxor
Et cùm fata volunt, bina venena iuuant.

De Carpophoro.

XIV. XV.

Summa tuæ Meleagre fuit quæ gloria famæ
** Quantula Carpophori portio fusus aper?*
Ille & præcipiti venabula condidit vrso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Strauit & ignota spectandum mole leonem
Herculeas potuit qui decuisse manus;
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum:
Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat.

* Est quota.

Carpophorum θηριομάχον celebrem commendat ab ætate, fortitudine, ἀνδρείᾳ, eumq; Herculi, Meleagro, Iasoni, Perseo, Bellerophonti anteponit tribus epigrammatis, hoc, inquam, & 23. vigesimoq; septimo. Qui propè adolescens eod. spectaculo vicenas feras, easq; immanissimas confecit. Illud 66. lib. 5. non refero ad Carpophorum. SVMMA GLORIA FAMÆ TVÆ MELEAGRE FVIT APER] Prædicatur ab Historicis & Poëtis virtus Meleagri feræ confectoris. Diodorus Siculus testis lib. 4. Tzetzes histor. 102. Chil. 7. Pausanias in Arcadicis, Sosiphanes in Meleagro, Homerus Iliad. 1. Ouid. Met. 8. Meleager, vt vno verbo rem exponã, Oenei Ætolorũ regis filius, immissũ ab irata, ob neglecta sacra, Diana, ex Oeta mõte in Ætoliç sata, & Oenei regis cultissimã vineã

aprum,

aprum, cum Heroibus ex tota Ætolia concurrentibus, & Atalanta, seu Iasonis, seu Schœnei filia heroide confecit, immortalemq; laudem inde reportauit. Etsi venatrix Atalanta aprum intere-misse scribatur potius, quàm Meleager, hic tamen Princeps venationis fuit. Poëta noster, Melea-gre, dixit à recto Meleagros. Ab Ouidio modò Mel. agros, modò Meleager appellatur.

Esse putant tutos donec Meleagros, & vna
Lecta manus iuuenum——

Et ibid. l. 8. *Nec tamen illa sui successu latior ictus*
Quam Meleager erat.——

APER) D. Siculus ἐν καλυδωνίῳ ὑπερφυῆ μεγέθει nominat. Homerus σῦν ἄγριον. noster lib. 11. epig. 19. suem Calydonium, feram Ætolam lib. 7. epig. 26. Ouid. 8. Met. famulum & vindicem Dianæ, non est hic idem cum Mænalio apro Arcadiæ, quem confecit Hercules, de quo infra epig. 27. Hunc Ouidius graphicè describit his versibus:

Misit aprum quanto maiores herbida tauros
Non habet Epirus, sed habent Sicula arua minores
Sanguine & igne micant oculi, riget horrida ceruix,
Et seta densis similes hastilibus horrent,
Stantq; velut vallum, velut alta hastilia seta,
Feruida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit, dentes aquantur dentibus Indis
Fulmen ab ore venit frondes afflatibus ardent, &c.

QVANTVLA CARPOPH. PORTIO.) Multi sima (vt Lucretius) hoc est, minima Alte-ra scriptura habet. Est quota Carp. nec malè: amant ita loqui scriptores. Ouid. 4. de Ponto. el. 10.

Qui quota terroris pars solet esse mei.

Et noster infrà, lib. 5. epig. 66.

Cæsaris hac nostri pars est quota-----
Ista tuâ Cæsar quota pars spectatur arenâ.

PRÆCIPITI VRSO.) suprà. *Præceps sanguinea dum se rota vrsus arenâ.*

Imperum ruentis feræ explicat. PRIMVS.) maximus: hoc sensu dixit lib. 1. epig. 52.

Non facit ad sæuos ceruix nisi prima leones.

Et sæpe aliis libris. nihil hîc puto fabulandum de Arcto, seu vrsa cœlesti. Vrsorum sub ea mundi plaga, quæ Arcto subiecta, præstantium magna copia est alborum nigrorumque, de qui-bus Olaus Magnus lib. 8. cap. 24. & decem sequentibus; ARCE. Arctos dicta quasi ἄκρος & arcti, ἄκροι τοῦ κόσμου κεφαλαί, mundi supremi vertices. Olaus scribit Nortmanniam, seu Nortvvegiam o-ctoginta quinque assibus sublatam ab horizonte, vt iure possit dici arx mundi, cùm quinq; tan-tùm gradibus distet ab ipso polo. Sed arctoi populi dicuntur, quotquot ad septentrionem perti-nent. IGNOTA MOLE LEONEM) vasta, inusitata, inuisa prius. Historicum carmen est, non deuoco è cœlo hunc leonem, præsertim cùm in sequenti versu disertè hunc comparet cum illo cœ-lesti Herculis, cùm dicit. HERCVLEAS POST. QVI DEC. MANVS.) tantus fuit quantus il-le Nemeæus, quem Hercules cæcidit. DECVISSE.) Sic. lib. 12. cap. 15.

Hac sunt pocula qua decent tonantem,

Ouid. *Sunt mihi quas possint scept a decere, manus.*

VOLVCREM PORREXIT PARDVM.) Pardos Varias vocat & Africanas, Plinius lib. 8. cap. 17. quas solo colore à Pantheris distinguit. Adeò contentè currunt seseque extendunt, vt ven-tre propemodum terram radant. Fulmineos appellauit Claudianus in Paneg.

Obuia fulminei properent ad vulnera Pardi.
Semine permisto genit, cùm fortè leana
Nobiliorem vterum viridu corrupit adulter
His maculis patres, referunt & robore matres.

Oppianus de pardorum, seu pardalium celeritate lib. 3. Cyneget.

ὠκύτατον θέει, καί τ' ἄλκιμον ἰθὺ ορίει
φαίης ὅτ' ἂν τ' ἴδοιο δι' ἠέρος Φέρεσθαι.
Celerrimè currit & fort ter rectà irruit,
Diceres cùm videres aëriam ferri.

Equum pernicissimum ter & pluries cursu retrorsum iterato assequuntur. Diuinis quoque litteris eorum celebratur cursus, Abacuc. 1. *Leuiores sunt pardis equi eius.* In cursu condunt vngues, no hebetentur, vt scribit Plinius. Hoc obserua Pantheras, pardales, & pardos non distingui à pleris-que, nisi quà mares, quà fœminas. PORREXIT.) extendit, occidit. hoc enim est porrigere. Pro-pertius lib. 11. egl. 8.

Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum & sparsas cæde iacere comas.

Homerus. μέγας μεγαλωστὶ τανυσθείς.

Et no-

Et Noster infra lib. 9. *Et mea porrexit sportula, Paulle, pedes*, i. mortua est metaphoricè. Virgilius eodem intellectu extendi dixit.

Victorem Buten immani corpore visum
Bebrycia veniens Amici de gente ferebat,
Percutit & fulua moribundum extendit arenâ.

Sumta loquendi formula à Romanorum consuetudine, qui defunctos collocabant ad ianuam ædium, & loco, & statu, vt faciem & pedes haberent extentos ad viam, & publicum obuersos, quod ipsum collocari dicebatur, vt Martialis alibi loquitur.

Quot tua Mænaltos collocat hasta sues.

Ita ad rogum quoque extra vrbem efferebantur, vt pedes & caput portam spectarent, quod Persius Sat. intellexit, cum scripsit:

In portam rigidos calces extendit.

Germanè ein Wildschwein schen [illegible]

Caussam huius moris addit Plutarchus in problem. quod occasus ortui sit contrarius. In caput nascimur, pedibus quasi egredimur. LONGO VVLNERE.] Ingenti lethali, vt Virgilius de Didone, *longumq́, bibebat amorem.* PRÆMIA CVM LAVDIS FERRET.] Ecquæ præmia venatori bestiario? supplicium, infamia, vita, pecunia, honor. Nam quatuor hominum genera pugnasse ad bestias lego, noxios & maleficos, seu fugitiuos & captiuos, ad cultrum damnatos, vel feris obiectos. Et maleficos quidem sine missione, ita vt præmium eorum esset tandem ipsum supplicium, quo bestiis esca fiebant. Imò plerumque ad stipitem alligati bestiis concedebantur, quod supra iam docuimus, captiui non surrigebantur omnes, sed ad bestias dabantur cum spe missionis, vt etiam sine missione ad arbitrium editoris aut victoris. quod ex Iosc. 7. Orig. discis. Porrò non idem erat dari ad bestias, & obiici bestiis, hoc enim summum supplicium habebatur, illud si bestiam vicisset, ipso certamine, & victoria crimen expiabat. Marcianum consule L. respiciendum in fine ff. de pœnis. Idem Vlpianus affirmat. *Qui nummos*, inquit, *aureos raserint, tinxerint, finxerint, si quidem sint liberi ad bestias dentur, si serui summo supplicio afficiantur*, id est, feris sine missione obiiciantur dissipandi, quod summum supplicium habebatur. Ita Paullus v. Sententiarum tit. 23. intelligendus, cùm dicit, *magi vero artis conscios summo supplicio affici placuit, aut cruci affigi, ipsos magos viuos exuri.* Alterum genus bestiariorum erat, qui mercede locabant operam ad depugnandum cum bestiis. horum præmium erat pecunia, quam sanguine aut certe periculo sanguinis redimebant cum infamia. Nam infames erant bestiarii, qui manum mercede commodabant. l. l. §. qui aris ait prætor §. vlt. ff. de iis qui notantur infamia. Omnes enim (l. leg. Iulia. § 1 ff. de ritu nuptiar. l. vlt. §. si quis autem. ff. de bonis eorum) qui vel scenæ, vel arenæ operam locabant, infames erant, nec matris hæreditatem adibant. Tertium genus erat eorum, qui virtutis caussa quidem ad bestias pugnabant, munera tamen ab editoribus oblata, honoresque in arena non recusabant, nec plane infames erant, vt reor, nec omnem tamen notam effugiebant. De his Cassiodorus Va. 5. epist. 42. ad Maximum. *Si consularem munificentiam prouocant, qui peruncta corporum flexibilitate luctantur, si organo canentibus redditur vicissitudo præmiorum, si venit ad pretium delectabilis cantilena: quo munere venator explendus est, qui vt spectantibus placeat suis mortibus elaborat: Voluptatem præstat sanguine suo, & infœlici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat euadere. Actus delectabilis, certamen infelix cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat inuenire.* & quæ ibid. atrocia sequuntur. Et infra: *Sed vobis, quibus necesse est talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia, vt hæc miseris faciatis esse votiua. Alioqui violenta compulsio est, solemnia dona subtrahere. & mortes delectabiles impetrare. & ideo quidquid in longam consuetudinem antiqua liberalitate peruenit, sine aliqua dilatione concedite supplicantis: Quia homicidij reatus est illum esse tenacem. quos editio vestra inuitauit ad mortem.* Et concludit non minus dolenter. *Heu mundi error dolendus si esset vllus æquitatis intuitus tantæ diuitiæ pro vita mortalium deberent dari, quantæ in mortes hominum videntur effundi.* Ex hoc genere putarim Carpophorum Martialis fuisse, qui virtutis caussa depugnarit non sine spe præmij, quod poëta dicat, præmia cum laudis ferret—. E fieri potest in secundo genere fuisse bestiariorum mercede pugnantium, qui tamen sibi pretium illud feræ confectæ gloriosum putabant. Vltimum erat eorum, qui tantum gloriæ & virtutis caussa certabant cum bestiis, idque eminus, vt imperatores & editores, vel etiam cominus nobiles patritij. Sueton. adi in Augusto. cap. 43. Dio lib. 48 Xiphil. in Commodo. Iuuen. Sat. 4.

Profuit ergo nihil misero quod cominus vrsos
Figebat Numidas Albanâ nudus arenâ
Venator. quis enim iam non intelligit artes
Patricias ——

Præmia laudis etiam ad tertium hoc genus bestiariorum referas licet, vt cui nullum fuerit aliud virtutis præmium, præter laudem. plura de præmiis lege apud Bullengerum cap. 15. ADHVC POTERAT.] ἀκαμάτος infessus, integris adhuc viribus erat perinde ac si pugnam ordiretur.

De tauro.

XVI. XV.

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus;
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus,
At nunc Alciden taurus in astra tulit.
Cæsaris atq; Iouis confer nunc stella, iuuencos;
Par onus vt tulerint, altius iste tulit.

Schema describitur, quo taurus Herculem in cælum deportauit. Poeta comparat hoc spectaculum cæsaris, cum fabula Europæ tauro Iouis vectæ per æquor. RAPTVS TAVRVS MEDIA ARENA] in Amphitheatri fastigium, seu vltra fastigium Herculem gestans elatus est. Quid pegmata automoraque sint, & quales machinæ docui, ep. 2. ad illa verba: *Et crescunt media pegmata celsa via* Hic mihi Martinum Delrium ad Senec. vide Prol. cap. 8. vbi omnis generis machinæ explicantur, quibus homines & feræ, Diique ipsi sublimes ferebantur. Verumne taurus fictum Herculem extulit? An potius machina tauri Herculem ferentis in cœlum exhibebatur: Vix enim credibile videtur ipsum Domitianum in taurum migrasse quod aliqui existimarunt. vt Hercules beneficio Domitiani cœlum teneret. Instituta tamen contentio inter Iouis & Domitiani schema, videtur claudicare, nisi taurum qui Herculem tulit, Domitianus subiit. Vt enim Europam Iupiter, sic Herculem Domitianus tulit. Ille suam per æquor taurum, hic suum in cœlum vsque. Hinc poeta altius iste tulit, Domitia. nempe in forma tauri Herculem. Durum tamen hoc sentire. Sed Marcilius in Musambertio pro Dousa stat, pro nobis al[...]; tu lector arbiter esto.

NON FVIT HOC ARTIS SED PIET. OPVS] taurus, opinor, Domitianum in forma Herculis in cœlum duxit, Herculi vero Domitianum infra lib. 9. epig. 66. & 104. componit, immo anteponit. Infra de elephante.

Non facit hoc iussus, nulloq; docente magistro
Crede mihi numen sentit & ille tuum.

Palpat poeta Cæsarem, cuius numen etiam feræ sentiant. VEXERAT EVROPEN TAVRVS] Iuppiter in taurum versus.

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

Europa Agenoris Phœnicum regis filia, flos æui sui à Ioue in taurum verso, in Cretam per mare transuecta est. Ouid. 2. Met.

Ille pater, rectorq; Deum, cui dextra trisulcis
Legibus armata est, qui nutu concutit orbem
Induitur faciem tauri mixtusq; iuuentis
Mugit & in teneris formosus obambulat herbis.

Vbi describitur tota fabula. Mithologos adi, qui fabulis pascetis. FRATERNA PER ÆQVORA] per Neptunia regna, Neptunus enim frater Iouis. AT NVNC ALCIDEN TAV. IN AST. TVLIT.] Herculem Taurus in cœlum vexit. CÆSARIS ATQVE IOVIS CONFER NVNC STEMMA.] deleatur hoc improbum stemma & vel schema vel stella reponatur. Versum ita interpungo.

Cæsaris atq; Iouis confer nunc stella, iuuencos
Par onus vt tulerint, altius iste tulit.

Petrus Colinus scamma legit, quæ vox locum certaminis signat, Petrus Faber in Agon. Sermo schema, quod verbum græcum σχῆμα habitum, formam seu personam, figuram sonat, vt σχῆμα ταύρου φέρειν, tauri formam capere, fictitiam nempe. vsus est hac voce lib. 3. epig. 67. pro tecto & metaphorico nomine: Pugnat vehementer Marcilius pro scammate, mihi schema arridet. Hic enim poeta non agit de loco sed forma & habitu tauri, Europæ & Herculis. Si tamen pro δείγματι, seu specimine a[c]cipias scamma, fortasse ferendum sit. Quanquam ego cum Budæo malim sulcũ stadij, vel cum glossario fossum interpretari, hoc est, vt noster Fronto docet, fines & ambitus stadij; etsi interim pro toto sæpe stadio scamma capiatur. Hesychius, σκάμμα ὀλίγων. στάδιον. Chrysost. ἕως ἐπὶ ἐν τῷ σκάμματι ἐσμέν. quam diu in stadio sumus, non vt Billius, quandiu in fodiendi munere sumus. plura Fronto. Gerard. Gonti vir eruditus, in suis notis ineditis, rescribit ταῦμα non scamma vel schema, vel stemma, vt sit: confer nunc Cæsaris & Iouis miraculum, hoc enim est ταῦμα, sed schema propius abest ab antiqua lectione, nec tauma tam vsitatum est Latinis quam schema. Idem per taurum putat intelligendum Titum, vti per Herculem Domitianum, quem ideo æmulabatur. quod essent adulatores qui gentem Flauiam Vespasiani referrent ad Reatinos & comitem Herculis, quos Vespasianus pro sua prudentia & modestia irrisit Suet. cap. 12. Vesp. Sententia est à pa[...]ibus,

In notis ad S. Chrysost. [...] p. 425.

ribus, quibus tamen infert malus. Compone taurum Iouis & Domitiani, vt iuuenci, seu tauri par onus (quamuis nec onus par fuit, nam ille puellam, Cæsarem hic, ille hominem hic Deum, ille per vndas, hic per aërem, ille in terram, hic in cœlum onus suum deportauit) sed tamen vt demus par onus tulisse, hic tamen Cæsaris taurus altius tulit Herculem, quàm Iuppiter Europen. Maior igitur Ioue Domitianus. Rutgersius pro *schema* legit Stella, iuuencos; placet hæc scriptura præ aliis. plura enim ad Stellam infra scripsit. Scriuerius Roma pro Stella & schema rescribit, quod etiam non est improbum si sententiam spectes. Miror à Parthio hoc Epigramma abiudicari Martiali cum sit vere Martialis ingenij idea in illis, nec quicquam ab eius stilo abhorreat. Hoc velim ad coronidem huius epigrammatis obserues, picturas etiam fabularum in porticibus Romanis, aut pallatiis, spectatas in scenis, quemadmodum Trebellius in Carino, & Capitolinus in Gordianis narrant, esse productas. Europæ verò porticus Romæ celebratur, vt infra de Selio cœnipeta docebimus.

De supplice Elephante.

XVI. XVII.

Quod pius & supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Hic modò qui tauro tam metuendus erat:
Non facit hoc iussus, nulloq; docente magistro,*
Crede mihi numen sentit & ille tuum.

* *ullowi.*

Blanditur Cæsari velut Deo, cuius numen etiam feræ sentiant. Carmen per se lucet. Ingenium elephanti docile, naturam humanæ proximam describerem, nisi rem vulgatam, omnibusque proculcatam viderem. Et mihi in tanta lemmatum & rerum varietate nec Iliades, nec Chiliades vllæ sufficiant, si omnia quæ occurrunt in litteras mittam, In hoc epigrammate duæ tresue elephanti prædicantur virtutes, docilitas, robur, sensus quidam humanus. Docilitas cum adorasse Cæsarem supplex hominum ritu laudatur. De qua Ælianus lib. 2. c. 11. & lib. 13. cap. 22. ex ea te de adoratione, τὸν Ἰνδῶν βασιλέα προσιόντα ἐπὶ δίκαις προσκυνεῖ ὁ ἐλέφας πρῶτος δὲ διδαχθεὶς τοῦτο καὶ μάλα μεμνημένος τοῦτο δρᾷ ὡς αὐτό. *Indorum Regem ad forum euntem adorat elephas, primum quidem edoctus, quod postea facit prompte nec obliuiscitur.* Item Plinius cap. 5. lib. 8. *Nam quod ad Elephantorum docilitatem attinet, regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt.* Idem sequentibus capitibus copiose de hac bellua præsertim 3. cap. quod de docilitate inscribitur. Seneca epist. 85. *Elephantum minimus (non mimus) Æthiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem.* Q. Curtius lib. 8. *Rector more solito procumbere elephantem in genua iussit, vt Porus ascenderet.* Osorius lib. 9. de rebus Emmanuelis, ad Leonem X. fuisse missum elephantum, qui Pontificem adorauit refert. *Cùm Pontifex, inquit, è fenestra spectaret, elephantus accessit, & ter genibus flexis, & demisso corporis habitu venerabundus illum salutauit: quod non mediocrē admirationem spectantibus incussit.* Sed hoc adorandi artificium inscitia est præ illis, quæ Ælianus, Plinius, Opianus, Aristoteles, de hac humana fera tradunt. Multa simul de eadem nostri æui scriptores Pierius Hieroglyph. Lipsius 1. Cent. epist. 50. Oppiani Scoliasta nouus copiose 2. Cyneg. Bullengerus de ven. c. 21. Nobis hæc ad præsentem locum multa satis, si non multa nimis. HIC MODO QVI TAVRO TAM METVENDVS ERAT) de hoc infra epig. 19.

Elephanti genua submittunt, sed iuniores: senioribus poplites indurescunt.

Plutarchus. Nonnus. Solinus, Basilius. Ambrosius.

Occubuit (taurus) cornuto ardore petitus.

NON FACIT HOC IVSSVS, NVLLOQVE DOCENTE MAGISTRO.) Sensus est: Non facit hoc iussus ab aliquo magistro, nec tamen sine magistro, seu nullo magistro, sed aliquo magistro docente; nempe numine tuo Cæsar, quod illi pro magistro est, & quod ille sentit. Marcilij lectio non improbabilis, cui tamen præfero vulgarem cum explicatione Ramiresij, quam hic habes. *multoq;* non placet, magis arridet vt Gerardus Gontius legit: nigroque docente magistro, vt infra.

Nigro bellua nil negat magistro

Accipe hoc non ποιητικῶς dictum à poëta; quod sine magistro faciat, verè enim bellua prudens intelligit per se etiam principis maiestatem. Cassiodorum audi lib. 10. Var. ep. 30. *Et quod omnem intelligentiam quadrupedum superat, non dubitat primo aspectu adorare, quem cunctorum intelligit rectorem esse: cui si tyrannus appareat, inflexa permanet: nec imponi potest belluæ, hoc & malis pendere, quod à se nouit bonis principibus exhibere.* MAGISTRO.) magister belluæ vocatur etiam ab Ouid. 4. F.

Quæq; sui iussis obtemperat unda magistri, Bellua ——

Aristoteles & Iul. Pollux ἐλεφαντᾶς, ἐλεφανταγωγὸς, ἐλεφαντάρχης. Oppianus σημάντορας, Strabo διδασκάλους, χορτοφόρους. Lampridius generatim mansuetarios, Rectorem Curtius lib. 8. appellauit. Ipsi elephanti Lucæ Boues, Barri, Barrones, nigræ Indæ belluæ Varroni, Lucretio, Ennio, aliisque dicti. CREDE MIHI NVMEN SEN. ET ILLE TVVM.) Sentit te esse Deum, sic infra de leonibus lib. 1. *Hac clementia non paratur arte. Sed norunt cui seruiunt leones.* Sensum quendam religionis habere elephantes, & Solem ac Lunam adorare notum. Plinius lib. 8. Dion. lib. 39. Ælianus 7. var. Solinus cap. 28. Plutarchus de solertia animal. Philostratus lib. 2. Apollonij cap. 8. Arrianus de rebus Indicis. Oppianus lib. 2. Cyneg. vocem & diuinationem eorundem θαῦμα, seu miraculum vocat

μουσικὸν τι θεὸς elephanti ſuſpicit, quia de & Lipſius lib. dicto. Scriberius ex MS.

Crede mihi noſtrum ſentit & ipſe Deum.

Non diſplicet hæc ſcriptura quam firmat etiam ille Martialis lib. v. ep. 8.

Edictum Domini Deiq; noſtri. Et l.x. ep. 72. *Dicturus Dominum Deumq; non ſum.*

Omnia de Domitiano, quem opponit Traiano, qui nolebat audire *Deus*, aut *Dominus*, ſicut Domitianus.

De tigride & leone.

XVIII. XVII.

Lambere ſecuri dextram conſueta magiſtri
Tigris ab Hircano gloria rara iugo,
Sæua ferum rabido lacerauit dente leonem;
Res noua non vllis cognita temporibus.
Auſa eſt tale nihil, ſiluis dum vixit in altis;
Poſtquam inter nos eſt, plus feritatis habet.

A manſueta tigride ferum miratur leonem laceratum.

LAMBERE MAGISTRI DEXTRAM.] Cicurari tigres, quãuis natura ferociſsimas nulla eſt dubitatio, cùm præter Martialem Ælianus lib. 5 cap. 14. memoret Regibus Indorum cicuratas adſerri. Et Sen. epiſt. 85 *Oſculatur tigrim ſuus cuſtos.* Magiſtrum tigridis cuſtodem appellat. Idem tamen tigres, & leones n[un]quam exuere, quàm ſubmittere feritatem affirmat. Noſter lib. 1. ep. 105. --*Improbaq; tigres Indulgent patientiam flagello.* Quod eædem lambant vel manus, vel pedes vino delibutos, idem docet lib. 14. ep. 107. *Nos Satyrus nos Bacchus amat, nos ebria tigris,*
Perfuſos domini lambere docta pedes.

Tigrium verò partim feratum, partim πεπωλευμένων, & manſuetorum ſpectaculum in vrbe vſitatum, & vulgare fuiſſe docet noſter poë. alib. 8. ep. 26.

Non tot, &c. *Quot tua Roma nouas vidit Germanice tigres?*
Delicias potuit nec numerare ſuas.

*Fuerunt ſub Gordiano Romæ elephanti 22. (quorum ipſe miſerat * duodecim Alexandria.) Alces 10. Tigres 10. &c.* Capitolinus de Antonino Pio. *Et omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit.* AB HIRCANO IVGO.] Hircaniam Aſiæ regionem Ptolomæus deſcribit lib. 6. cap. 7. Strabo lib. 11. Solinus cap. 27. Mela lib 3. de Scythia. Plinius lib. 8. cap. 18. Ammianus, Arrianus & alij. Tigrim feram alit, omnium teſtimonio frequentem, vnde Hircanas vocauit Virgilius.

—— Hircanaq; admorunt vbera tigres.

Et Corippus lib 3. Iuſt. *Non ſecus Hircanæ quoties ſpectacula tigres, &c.*

Armenia & India fert eaſdem, vt Plinius, Mela, Marcellinus narrant. Siluas Hircanas laudat Lucanus. *Quas nemore Hircano matrum dum luſtra ſequuntur,*
Altus cæſorum pauit cruor armentorum.

Mela. *Silua alia quoq; dira animalia, verum & tigres ferunt.* Solinus *Gens ſiluis aſpera, copioſa immanibus fœta Tigribus quod genus inſigne maculis, &c.* Vbi eleganti ſsime ipſam ferã deſcribit, vti & Oppianus lib. Κυνηγ. qui feratum pulcherrimam ait, vt pauonem auium, vt meritò poëta noſter Tigrim gloriam Hircaniæ appellarit. SÆVA FERVM RAB. LAC. DENTE LEONEM.] Auget admirationem cùm vocat ſæuam, quæ paullò ante linguâ dextrã magiſtri permulſerat, nunc ad ingenium reuerſa, ſæuior ſæuo leone, ipſum leonem diſcerpſerit. RES NOVA.] Nam leo fortiſsimus animalium prædicatur, etiam diuinarũ paginarum oraculis celebratus, vt qui ad nullius paueat occurſum. POSTQVAM INTER NOS EST PLVS FER. HABET.] mordet Romanorum crudelitatem, inter quos & feræ fiant ferociores.* Nota eſt feritas Tigridis, à qua & adagia nata, *orba tigride peior*, lege quæ interpretes ad illum Virgilij verſum. *Hirc. adm. vbera tigres.* Cùm non eſt in quos catulis abreptis ſæuiat, ſeipſam laniat ac diſcerpit. Sed poëta miratur factam ferociorem inter homines, apud quos tamen mitiorem eſſe debebat, immò adhuc indomita, ingreſſa tamen ſpectacula, rabiem deponere ſolebat, vt Corippus canit. *Non ſecus Hircanæ quoties ſpectacula tigres,*
Dat populis noua Roma ſuis doctore magiſtro:
Non ſoluta feritate fremunt, ſed margine toto
Intrantes, plenum populorum millia circum
Suſpiciunt, magnoq; metu miteſcere diſcunt.
Deponunt rabiem, gaudent fera vincla ſubire
Per medios intrare locos ipſumq; ſuperba
Quod ſpectantur amant. Caueam turbaſq; fauentes
Luſtrant, & prona ſolium regnantis adorant.

*Variè legitur hic locus apud ſcriptores. Iulius Capitolinus in Gordianis

*Ramireſius in laudem putat dictũ Romanorũ, nec ipſe caret ratione. Vide Gruterũ ad Sen. ep. 7. Quia inter homines ſunt, &c.

Enimuerò

Enimuero vt Euſeb.lib.8. hiſt.Eccl.S. Cyprianus epiſt. 103. de ſpectaculis lib. Machab. 3. Ælianus lib.13. Martialis epig.19.& 22. huius lib.docent,feras in hominem & ſeipſas, ferro, igne, verberibus, vino etiam concitas ſæuire. B. Cyprianus de ſpect. *Eruditur artifex bellua,quæ clementior fortaſſe fuiſſet ſi non illam magiſter crudelius ſæuire docuiſſet.* Seneca etiam homines apud homines reddi crudeliores docet. *Quid,* inquit, *me exiſtimas docere? Auarior redeo, ambitioſior, luxurioſior, imo vero crudelior & inhumanior,quia inter homines fui.* Et mox: *Agite Diis immortalibus gratias,quod eum docetis eſſe crudelem,qui non poteſt diſcere.* Eiuſmodi querela eſt epiſt.103.& epiſt.86. De ipſa tigride locus recurret ſæpius,vbi de velocitate & ingenio feræ largius diſſeremus.

De Elephante.

XVIII. XIX.

Qui modo per totam flammis ſtimulatus arenam
Suſtulerat raptas taurus in aſtra pilas,
*Occubuit tandem cornuto ardore * petitus,*
Dum facilem tolli ſic elephanta putat.

* *Petitus emendat Ramireſius, pa‑rum feliciter. Muſam‑bert plura.*

Taurum ab Elephanto elitum dicit.

FLAMMIS STIMVLATVS.] Feræ aliis aliæ viis irritabantur ad pugnam. De flammis & ferro apud Euſeb.lib.8.Eccl. hiſtor. eſt mentio. Θηρία ἄγρια ἀμφιθεάτρῳ πυρὶ καὶ σιδήρῳ κεκαυτηριασμένα. *Feræ agreſtes in Amphitheatro flammis & ferro vſta,* nempe vt in homines crudelius ſæuirent. Sozomenus lib.7.c.27. *flagelli ſonitu in aëre edito prouocari ſolitas tradit.* Vrſi mappâ ſollicitabantur. Seneca teſtis, cuius locum illuſtrem adſcribam lib.3. de ira, c.30. *Inuolu,* inquit, *turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat ad vmbram aſpis exurgit, vrſos leoneſq; mappa proritat. Omnia quæ natura fera ac rabida ſunt, conſternuntur ad vana.* De eod. colore tauro inimico. Ouid. 12. Met.

Haud ſecus exarſit quam circo taurus aperto,
Cum ſua terribili irritamina cornu
** Phœnicias veſtes, eluſaq; vulnera ſentit.*

* *Puniceas lego.*

Sic intelligendus eſt Cicero 2. de Diuin. *Tu vero quid habes, quare putes, ſi paulò antè cor fuerit in Tauro opimo, ſubito id in ipſa immolatione interiiſſe, an quod adſpexit veſtitu purpureo excordem Cæſarem, ipſe corde priuatus eſt: Præclarus* (inquit Hotomannus ad lib. 3. inſtitut. tit. de oblig. quæ ex del naſc. §. interdum;) *eſt locus, quem ex hoc intellexi. quærit enim an taurus is, cuius cor non eſt inuentum in ſacrificio, conſpecta Cæſaris purpura, ſic expauerit, & terrore exanimatus ſit, vt cor amitteret.* Adde Vlpianum ff. de furtis. *Cum eo qui pannum rubrum oſtendit, fugauit q; pecus, vt in fures incideret, furti actio eſt.* Plutarchus etiam elephantes clara veſte ait irritari, oratione de connubialibus præceptis. *Qui ad elephantes ſe admouent, veſtem claram non geſtant.* Et ſubiungit de tauris, *nec puniceam qui tauris; quod huiuſmodi coloribus illa animalia maximè efferantur.* Quod iterat lib. de fortuna Alexandri. Vide Cœlium Rhod. lib.16.c.11. Gruterum ad Senecam de ira. c 30 lib.3. Plin.lib.8.c.63. ab Apris candida veſte indutos lacerari ſcribit. Sed redeamus ad tauros, igni, ferro, ſtimulis, pilis puniceis ad pugnam incitatos. Pilæ fuerunt humana effigie fœnea, vel ſtraminea ſimulacra, purpureo colore aut veſte induta, quæ tauris obiiciebantur, qua de re etiam ſup. epig.9. dictum V. gloſſæ has pilas vocant. ταυρελάτας & ταυροκαθάπτας. Manias à Diis Manibus vocatas Macrobius teſtatur. De fœneis hominibus Cic. pro Balbo. *Proſpectat* (vid. Comnius) *quid agatur, videlicet fœneos homines in medium ad tentandum proiectos.* Pardalibus chartacei homines obiectabantur. S. Baſilius ſerm. 10. exam. Intelligis igitur ſequentem verſum. (SVSTVLERAT RAPTAS TAVRVS IN ASTRA PILAS) ex ſuperioribus dictis. De eiſdem pilis ſupr. ep.9. infra ep. 22. & aliis.

Sidonius lib. 9. epiſt. 13. —belluaſq; Rapidas vocante panno Acuit quib. furorem. Bene ficta plaga cocco. Seneca lib. 2. c. 12. de Ira, Vlpianus li. 50. §. de ſeruis Sauar vide ad Sidonium.

OCCVBVIT TANDEM CORNVTO ARDORE PETITVS.] Taurus ab elephanto perculſus concidit. Cornuto ardore dixit περιφερικῶς pro cornu vel dente elephanti. Et metonymia eſt, cornutus ardor, pro irata bellua. Ardor ita, ſicut calor, & calidi iracundi cauſa pro effectu. Antiquiſſima ſcriptoribus contentio eſt de elephanti dentibus ſeu cornibus, nec hodie compoſita. Lege Oppiani interpretem ad lib. 2. Cyneg. (Vbi Oppianus confirmat cornua, non dentes eſſe.) Marcilium ad hunc locum. Poeta noſter, & pleriq; poetarum ſæpius dentes, quam cornua nominant. Dentatam faciunt Herodotus, Ariſtoteles, Dionyſius Afer, Plinius, Philoſtratus, poetæ, vt dixi, pleriq;. Cornutam Oppianus, Varro, Pauſanias, Ælianus, qui tamen hæret, vt videtur & Pauſanias, vt exiſtiment nonnulli hodie nec cornua, nec dentes, arma elephanti nominanda, ſed ſingularem aliquam, ac mediam inter cornua & dentes naturam obtinere. DVM FACILEM TOLLI SIC ELEPH. PVTAT.] Ita tauro ſupra epig.6. euenit, vt, cum Rhinocerotem pilam putaret, factus ſit ipſe pila. Coniungit cum hoc epigrammate vltimum diſtichon huius libri Rutgerſius: Non eſt vllus, vt opinor, inquit, qui non videat hoc epigramma eſſe μύουρον (hoc eſt, vltima clauſula & epiphonematę carere.) Ego id fragmentum, quod in fine huius libelli (XXXI.) extat, huc retrahendum puto hoc modo.

Occubuit tandem cornuto ardore petitus
Dum facile tolli ſic elephanta putat.

Hebræi vna voce vtrumque, dentem & ebur ſignant שן.

Cedere maiori, virtutis fama secunda est:
Illa grauis palma est quam minor hostis habet

Quo facto & epigramma plenum est & venustissimè clauditur. Atqui bone Rutgersi sensus contrarius est. Illa, inquit Martialis, grauis palma est quam minor hostis habet. Hoc est, cum minor hostis maiorem vincit illa est grauis & nobilis palma. At hîc elephas longe maior tauro victusq; taurus ab elephanto, nec elephantus à tauro. Si taurus vicisset elephantum, versus vltimus Martialis hic haberet locum.

Assentatur Cæsari.

XX. XIX.

Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum,
Promisit pariter Cæsar vtraq; manu.
Non potuit melius litem finire iocosam.
O dulce inuicti principis ingenium!

Principem ab indulgentia laudat, quod ex sua familia munere Quæstorio duos gladiatores, vnum tantum, quamuis diuersum diuerso petente dederit, Myrinum nempe & Triumphum. DVM PETERET PARS HÆC.] In munere Quæstorio Princeps ordinariis, etiam suos quandoque postulante populo addebat, de quibus Seneca epist. 7. *Hoc plerumq; ordinariis paribus, & postulatitiis præferunt.* Sciendum vero, quod Principes seu Cæsares proprios & peculiares gladiatores aluerint, ad suas populique voluptates; qui vocabantur Fiscales apud Capitolinum & postulatitii; Sed locum hunc diserte explanat disertissimus Lipsius lib. 2. Satur. cap. 16. quem adscribo. *Ita recte*, inquit, *Καισαριανοὺς μονομάχους, Arrianus dixit istos lib. 1. Dissertationum: ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς Καισαριανοῖς μονομάχοις εἰσί τινες οἱ ἀγανακτοῦντες, ὅτι οὐδεὶς αὐτοὺς προάγει, οὐδὲ ζευγνύει. At in Cæsaris gladiatoribus quidam sunt, quibus molestum est non produci, non componi.* Eadem sententia (vt multa alia) expressa in Seneca: *Myrmillonem è C. Cæsaris ludo audiui de raritate munerum querentem, quam bella, inquit, ætas perit. Nec gladiatores solum, sed alebant etiam Histriones. Et scripsit in Alexandri vita Lampridius, Histriones aulicos eum publicasse. Ab his orti postulatitii gladiatores. Quia enim Cæsariani isti eximii, viribus, arte, ornatu: sæpe postulari à populo solent, velut muneris auctarium. Suetonius in Domitiano. Quæstoriis muneribus quæ omissa reuocauerat, ita semper interfuit, vt populo potestatem faceret, bina paria è suo ludo postulandi, quæ nouissima aulico apparatu induceret. Ait aulicum apparatum, quod in Gallienis Capitolinus, gladiatores pompaliter ornatos. Et credo ornatos auro praeunte mihi Spartiano in vita Hadriani: trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam misit ad deridenda munera. Ad hoc gladiatorum genus referendi sunt hi loci Suetonii in Claudio cap. 21. Palumbum (ita gladiatori famoso nomen) postulantibus, daturum se promisit, si captus esset. Cal. cap. 30. Cum Tetrinius latro postularetur, & qui postularent Tetrinios esse ait. Plinii in laudatione Traiani: Impetratum est, quod postulabatur, oblatum, quod non postulabatur.* Ex his ergo apud Martialem sunt Myrinus & Triumphus, nominatim enim flagitari solitos iam didicisti. Ex eodem ordine reor fuisse Verum & Priscum, de quibus infra. Hic disce quod Tacitus lib. 11. Annal. docet Quæstoribus necessitatem munerum gladiatorum, si quæsturam apisci vellent, impositam decernente Dolabella sub Claudio Imperatore. Quod & Suetonius 24. cap. in Claudio non tacet. *Collegio Quæstorum pro stratura viarum gladiatorum munus iniunxit.* Itaque Tacitus queritur venundatum Quæsturæ honorem, quod sua pecunia Quæstor quotannis spectaculum gladiatorum dare cogeretur. Quam legem mitigauit Nero initio principatus sui, liberamque fecit. Domitianus, vt auctor est. cap. 4. Suetonius reuocauit, iterumque etiam nolentes coëgit ad munerum editionem. De his Tertullianus. *Transiit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viuentium. Quæsturas dico & magistratus, & Flaminia, & Sacerdotia.* Porro inter venationes quandoque gladiatores, & inter gladiatorum munera venationes dabantur, vt ex Xiphil. in Tito, Herodiano in Commodo intelligis. Ita vt venatio quasi gladiatorii muneris esset quasi quædam accessio. Quare si quando vel gladiatores tantum, vel tantum venationes ederentur, id quasi nouum à Suetonio in Augusto, & Claudio notatur. Quamquam gladiatores venationibus antiquiores. MYRINVM ATQVE TRIVMPHVM.] nomina gladiatorum aulicorum Domitiani (ad hunc enim refero hoc, propter Suetonium, epigramma) qui cum ordinariis & Quæstoriis gladiatoribus comparabantur. Myrini mentio est lib. 12. epig. 29. *Nuper cum Myrino peteretur missio læsa.* Est & vetus inscriptio Traiani, de quodam Myrrhino Domitiani, quæ ita se habet: DIS. MANIBVS. MYRRHINI DOMITIANI. PVFLICI A. COMMENTARIIS. XV. VIR. SP. ARRVNTIA. DOLICHE. CONIVGI. CARISSIMO. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE SVIS. POSTERISQVE EORVM. PROMISIT PARITER. CÆS. VTR. MANV.] Suetonius Dom. 4. *Quæstoriis muneribus quæ olim omissa reuocauerat, ita semper interfuit, vt populo potestatem faceret, bina paria e suo ludo postulandi, quæ nouissima aulico apparatu induceret.* VTRAQVE MANV.] manibus ambabus populo postulanti. Paræmiam lege: *ambabus manibus.* Chil. 1. Cent. 9. ad 16. eodem redit altera *plena manu.* liberalitatem notat aliter accipitur (*vtraque manu*) lib. 1. epigr. 16. pro summo conatu, vel pleno totoque affectu. vbi super hoc plura. LITEM IOCOSAM.] Sic alicubi Auso.

Ausonius dixit: *Lętam seditione.* De studiis partium & factionibus in circo, theatro, & Amphitheatro dicemus suo loco. hic iocosam litem accipe contentionem populi in re ludicra, ludoque gladiatorio partim Myrinum, partim Triumphum petentis. Quamuis non semper iocosę lites, vt ex Tacito, Suetonio aliisque suo loco docebimus, vt hic poeta prudens dixerit iocosam, quam ab altera discordi, quæ etiam ad manus veniebatur, volebat secernere. O DVLCE.] Contraria iungit. Hostibus inuictus, ciuibus facilis.

Ad Cæsarem.

XX. XXI.

Quidquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi.
Repserunt scopuli, mirandaq́; silua cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
Affuit immixtum pecudum genus omne ferarum,
Et supra vatem multa pependit auis.
Ipse sed ingrato iacuit laceratus ab vrso,
Hæc tamen vt res est facta, ita ficta alia est.

Vti supra noxios in Laureoli & Dædali persona ab vrso laceratos dixit, ita hic Orpheum describit inductum, & ab vrso laniatum. ORPHEO THEATRO] fabula Orphei siluas, & feras trahentis in Amphitheatro exhibita est. Orpheum theatrum à similitudine veri theatri appellat, quod esset in monte, seu Hæmo, seu Rhodope, de quibus epig. 3. supra, planicies vndique herbida florensque, vt canit Ouidius 10. Met.

Collis erat, collemq́; super planißima campi
Area, quam viridem faciebant graminis herbæ, &c.

In fine vocat etiam Ouidius theatrum.

Mænades Orphei titulum rapuere theatri.

Ita Virgilius lib. 5. theatrum in valle describit apud Acestem. Orphei autem auditores erant saxa, scopuli, aues, feræ, siluæ, vt ibid. canit Ouidius eleganter.

RHODOPE] mons Thraciæ. vt supra d. hic pro Thracia ipsa accipitur, aut pro feris & siluis ac scopulis qui ad Rhodopen arrepsere, cum in ea caneret Orpheus, vt Ouid. testatur 10. Met.

—— in altam
Se recipit Rhodopen, pulsumque aquilonibus Hæmum.

SPECTAVIT] Orpheo canente, animatas siluas, arbores, saxa; feras humanitatem induisse canunt poëtæ, mythologi exponunt, quos adibis: peruulgata res est. EXHIBVIT ARENA.] In Amphitheatro spectauimus eandem fabulam reabse repræsentatam. REPSERVNT SCOPVLI] pegmata seu automata silua, in arena natas agebant, quasi traherentur ab Orpheo. Nascebantur autem seu potius è cryptis subterraneis, per machinas extrudebantur subitariæ siluæ, per quas feræ è caueis missæ discurrebant quod Calpurnius docet

Ah miseri quoties non discedentis arenæ
Vidimus in partes, ruptaq́; voragine terræ
Emersisse feras, & iisdem sæpe latebris
Aurea cum croceo creuerunt arbuta libro.

Siluas cum feris, & lucos reptiles lego apud Athenæum lib. 5. de pompa Antiochi Epiphanis, seu potius Epimanis. Narrat & Apuleius lib. 10. huiusmodi montes. *Erat,* inquit, *mons ligneus ad instar incliti montis illius, quem vates Homerus Idæum cecinit, sublimi instructus fabrica, consitus viretis, & viuis arboribus, summo cacumine de manibus fabri, fonte manante fluuiales aquas eliquans.* Siluas item lego apud Capitolinum in Gordiano Seniore. *Ædilitatis suæ tempore feras Libycas vna die centum exhibuit. Vrsos vna die mille. Extat silua eius memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeij, quæ ipsius, & patris eius, & proaui fuit, quam Philippi temporibus vestri fiscus inuasit in qua pictura etiam nunc continentur cerui palmati.* Et Vopiscus in Probo. *Venationem in circo amplissimam dedit, ita vt populus cuncta diriperet. genus autem spectaculi, arbores validæ per milites radicitus vulsæ connexu longè lateq́; trabibus affixæ sunt, terra deinde superiecta, totusque circus ad siluæ consitus speciem, gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, &c.* Horatius de Orphei silua. Vnde vocalem temere insecutæ: Orphea siluæ. Vbi & auritas quercus appellauit sanè eleganter. Hic alii existimant non eripuisse siluas ex subterraneis specubus, sed paratas in ipsa arena fuisse, vel latentibus in arborum truncis ad datum signum mouerentur, quod mihi minimè improbabile videtur. Legendus hic Ramiresius & Lipsius amph. c. 10. cum Marcilio. de cryptis mihi Bullengerus auctor. QVALE FVISSE NEMVS CRED. HESP.] De hoc Virgilius lib. 4. Æ.

Oceani finem iuxta, solemq; cadentem
Vltimus Æthiopum locus est: vbi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos
Hesperidum templi custos epulasq; Draconi
Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore fructus.

De loco etiam Dionys. de situ orbis.

Πείρασιν ἐν γαίης τρὸς τηρ' ἑσπερίδων λιγυφώνων
Vltimus Hesperidum locus est in margine terræ.

Hesperides Hesperi Atlantis filiæ Ægle, Arethusa, Hespertusa, hortos habuere nobilissimos in extrema parte Æthiopiæ ad Occidentem, in eisq; aurea mala Ladon Draco custodiebat, quem Hercules interfecit, hortumque auro spoliauit. Lege de horto Hesperidum Plinium lib. 19. c. 4. & lib. 37. c. 2. Strab. lib. 3. Apollonium lib. 4. Diodorus vero Siculus lib. 4. oues, ait, in Hesperidibus fuisse aurei coloris, eoque aurea mala dicta poetis; oues enim Græcis μῆλα quoque nominantur, vnde ex ὁμωνυμία, vocis nata fabulæ occasio. Tzetzes aurea mala stellas interpretatur, & Herculem solem, vt Macrobius 1. Sat. 20. Herculis nomen in solem conuenire docet. De pomis & Hortis Hesperidum, lege Ouid. 4. Met.

Mille greges illi totidemq; armenta per herbas
Errabant, & humum vicinia nulla premebat
Arboreæ frondes auro radiante nitentes
Ex auro ramos, ex auro poma ferebant. Et quæ sequuntur.

ADFVIT IMMIXTVM PEC. GEN. OM FERARVM.] Lege pecori, non pecudum, quod ita clarior compositio, & intellectus commodior. pecus domesticos quadrupedum greges, boues, inquam, equos, mulos, oues; & hoc genus bestias continet, feræ: leones, apros, tigres &c. Ramirelius hic nodum in scirpo non quærit, sed facit, retineo meam explanationem etiam aliis laudatam. Legatur Musambertius. Forte tamen non inepte emendares

Adfuit immixtum pecudum genus omne, ferarumq;
Et supra: ——

Ita Dracontius: *Gignitur omne genus pecudum, genus omne ferarum.*

ET SVPRA VAL. MVL. PEP. AVIS.] Ouidius.

Tale nemus vates attraxerat, inq; ferarum
Concilio medius turba volucrumq; sedebat.

IPSE SED INGRATO IAC. LAC. AB VRSO.] Orpheus ille fictitius & noxius, immisso in eum vrso laniatus est, qui Bacchidum partes expleuit, à quibus Orpheus discerptus canitur. INGRATO] vt qui beneficium cantus, & Musicæ, maleficio, & crudelitate compensarit, vel surdo, qui ad modos Orphei non attenderit, alioqui flectendus, vt Ouid. 10. canit.

Cunctaq; tela forent cantu mollita, sed ingens
Clamor, & inflato Berecynthia tibia cornu
Tympanaq; & Plausus, & Bacchei vlulatus
Obstrepuere sono cytharæ, tum deniq; saxa
Non exauditi rubuerunt sanguine Bacchi.

HÆC TAMEN VI RES EST FACTA, ITA FICTA ALIA EST.] Supra epig. 4. *accepit fabula prisca fidem*, & 7.

In quo quæ fuerat fabula pœna fuit.

Et: *Quidquid fama canit, donat arena tibi.*

Quare vero hanc antiqui fabulam finxerint, docebit Horatius de arte poet.

Siluestres homines, sacer interpresq; Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus
Dictus ob id lenire tigres rabidosq; leones.

Plura Mythographi. Plurima Natalis in Orpheo.

De Rhinocerote.

XXII. XXI.

Sollicitant pauidi dum Rhinocerota magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ.
Desperabantur promissi prælia Martis;
Sed tamen, is rediit cognitus ante furor;

Namq;

*Namq́; grauem gemino cornu ſic extulit * vrſum,*
Iactat vt impoſitas taurus in aſtra pilas.

* Al. vrum.

Rhinocerotis cum vrſo pugnam deſcribit. SOLLICITANT] Reuoca quæ ſupra ad 19. epig. de elephante ſcripſi ad illum verſum:

Qui modò per totam flammis ſtimulatus arenam.

Et epig. 10. de leone. *Et qui non tulerat verba* ——

Ad pugnam enim, ſtimulis, igne, flagellis, pilis, mappis, aliiſque irritabantur, non ſine periculo magiſtrorum, in quos nonnumquam ſollicitantes ira feræ conuerſa, vt ſupra de leone d. Hinc poeta magiſtros Rhinocerota inſtigantes vocat pauidos, quod vererentur ne in ſe beſtiam mouerent, aut ſi non mouerentur, populo diſplicerent, qui lentas pugnas oderat, vt infrà poeta.

I nunc & lentas corripe turba moras.

SEQVE DIV MAG. COLL. IRA FERÆ.] Ægrè irritari belluam etiam ſuprà oſtendit Martialis, ep. 9. *Quæ non promiſit prælia Rhinoceros.* Et Pierius lib. 2. de Rhinocerote. *Sunt enim qui lentitudinem iraſcendi, ac nullum mox adhibitum modum excandeſcendi, per huius animalis Hieroglyphicum intelligant. Nam in eo conueniunt auctores, magna indigere irritatione: Sed vbi iraſci cœperit eſſe ferociſſimum, quod & altero Martialis epigrammate, &c.*

DESPERABANTVR PROMISSI PRÆL. MART.] Cùm ſuprà dixerit præſtitiſſe, quæ non promiſerat, prælia, hic accipe promiſſa prælia exemplo ſuperioris pugnæ cum tauro, vti enim ibi præter ſpem populi pugnauit, ita ſperabant etiam pugnaturum, quod cum lentius faceret, deſperabant. SED TAMEN IS REDIIT COG. ANTE FVROR.] Is furor qui ante epig. 9. deſcribitur cognitus.

(O quam terribiles exarſit pronus in iras.)

Iam notus populo rediit, vt non putem τὸ, *is*, πλεοναστικῶς dictum, ſed ſignate, & ἀποδεικτικῶς Hoc enim epigramma, & ſuperius de ead. beſtia ſcriptum eſt, quod Marcilius fatetur, ſed aliter exponit. & quia videbat detortam explanationem, verſum putauit emendandum, legendumque pro is, ei. ſeruo communem omnium codicum fidem. NAMQVE GRAVEM GEMINO CORNV] Verſus controuerſus, variæque ſcriptorum ſententiæ. Angelus Politianus geminum cornu non ad Rhinocerotem, ſed taurum refert, non quod, vt ſentiunt Batavi, Rhinoceros hic cum vro vel tauro pugnarit, ſed quia Vrſus tauro grauis, in cuius ſe cornua implicabat, à Rhinocerote tamen perinde iactaretur, ac leuis pila à tauro. Ita *gemino cornu* dandi caſum, non auferendi tribuit, quaſi vrſus geminis tauri cornibus fuerit grauis, vt apud Propertium --- *& reddere pinu*, pinu, pro, pinui, Virg. 1. Æn. *Parce metu Cytherea*, & 4. Georg. *Quod nec concubitu indulgent*, antiquo caſu, de quo Gellius lib. 4. cap. 16. copioſe, & Virgilij interpretes, quem caſum minimè negamus, ſed alienam poetæ, magiſque ingenioſam, quàm veram cenſeo enarrationem, quod geminum cornu Rhinoceroti, non tauro aſſignemus, vt explicata ſententia docet, tollere aliquem cornu, manu. p. oboſcide. Non nemo hic pro tauro contra vrſum pugnat, & ſcribit, vrum non vrſum. Vro ſanè gemina cornua eſſe nemo negatum ibit. Sed cum beſtia illa, vt ex Cæſare & aliis conſtat, ſi propè par elephanto, magnitudine, haud pronum eſt credere ita iactatum vrum à Rhinocerote vt pilam, & rectè Marcilius, meo animo, ſentiat, id factum nunquam nec futurum. Domitius & Perottus geminum non proprie, ſed τροπικῶς pro magno, ingenti, eoque vno cornu exponunt. Quo pacto locutum Virg. *gemino dentalia dorſo.* & Silium. *Inq́; gemens geminum contra venabula fertur.*

Enimuero nihil attinet ad tropos confugere, cum ſimplex intellectus eſt in promptu, idemq; verus & germanus, qui quidem hic eſt. Rhinoceros gemino cornu ſuo vrum ſic extulit, vt pilam taurus. Rhinoceroti vero geminum eſſe cornu, Pauſanias lib. 9. his verbis oſtendit, σφίσιν ἐπ' ἄκρᾳ τῇ ῥινὶ ἑκάστῳ κέρας, καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγα. *In ſingulis illis in ſumma nare eſt cornu & aliud, ſupra illud,* (vt Marcilius & Calderinus, in humeris) ὑπὲρ αὐτὸ inquit Pauſanias, *non magnum.* Bodinus & Ritterhuſius ad 2. Oppian. minus ſub maiori ponit. Vtrumque autem cornu in naribus erat, ſic enim Eucherius. *Terribilis fera Rhinoceros, cui gemina in naribus cornua.* Immò hoc ipſum credo ſpectaculum à poeta deſcribi, quod in Domitiani Nummis expreſſum eſt, in quibus Rhinoceros ſpectatur nares gemino cornu inſignis. Pierius lib. 2. *Nuper*, inquit, *allatus eſt ex India inferiori ad Luſitaniæ regem, cuius imaginem ad Leonem X. P. M. tranſmiſſam vidimus, vnum quidem cornu in nare habet. alterum ſupernè* (intelligo ſupra narem) *prorumpit, non adeò magnum, ſed prævalidum eſſe Luſitani omnes, qui animal viderunt, atteſtantur.* Strabo tamen Ælianus, Plinius, Solinus & Oppianus, vnum illi tantum cornu tribuunt, altero minore, fortè propter paruitatem neglecto. Ad extremum diſce multum diuerſum eſſe Rhinocerotem à Monocerote, quos tamen aliqui ſacrarum litterarum interpretes, noui, veteres, non ſecernunt, alterumque pro altero ſine diſcrimine ponunt. Tertullianus etiam lib. aduerſus Iudæos, quando illa verba Deut. 33. exponit: *Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius Non vtique*, inquit, *Rhinoceros deſtinabatur vnicornis, vel Minotaurus Bicornis.* In Tertulliani ſententiam Pamelius concedit, qui Rhinocerotis aliqua cornua extare inſignia apud Dionyſium iuxta Pariſios in theſauris regiis affirmat, contra eos qui Rhinocerotem vnico cornu (Monocerotem vult intelligi) in

Num. 32. Pſ. 91 Exaltabitur ſicut vnicornu cornu meũ.

rerum

rerum natura fuisse negant. Rhinocerotem certe negare nemo potuit, cum & theatra Romæ spectarint, & volumina scriptorum nobilissimorum præter diuinas litteras passim testentur. Sed vnicornem, seu Monocerota negatum, etsi falso, scriptoribus nonnullis dico. Plinius vtrumque animal seorsim, diuerso ingenio, corpore, forma, habitu describit. Rhinocerota lib. 8. cap. 20. Monocerota lib. 8. 21. Ælianus eod. modo separat vtrumque, Monocerotem quidem, Indis interioribus Cartazono dictum lib. 16. cap. 20. de animal. toto fere capite, Rhinocerotem vero lib. 17. cap. 44. Vbi simul ait supervacaneum videri Rhinocerotem multis, & Romanis, & Græcis visum, formamque scientibus describere. Idem tauros Æthiopicos etiam à Rhinocerote seiungit. Zetzes chil. 5. cap. 8. θηρίον ὁ μονόκερως τυγχάνει φιλευώδες, &c. *Grati odoris amans fera est*, quam vt capiant, iuuenem fortem ac validum aromatis cumulant, vnicornis odore illecta, cornu manuleis iuuenis implicat, ille astringit, alij cornu abscindunt. B. Gregorius in Moralibus. *Virgo*, inquit, *ei puella proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate postposita, caput deponit, sicque ab eis, à quibus capi quæritur, repente velut inermis inuenitur.* Idem fere Isidorus lib. 12. cap. narrat. Expono igitur versum. Rhinoceros bicornis, suo cornu gemino non secus vrsum in aërem est eiaculatus, atque taurus pilam, hoc est, effigiem hominis fœneam, aut alia materia fartam. Hoc interim non dissimulo à Rhinocerote etiam tauros iactatos, vt supra dictum, epig. 9.

Bullengerius cap. 19. de Ven. Circ.

Explicatio versus.

Quantus erat cornu, cui pila taurus erat.

Et lib. 14. epig. 53. *Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.*

Quæ videntur Batauis fauere, qui vrum, non vrsum scribunt. Sed ingens discrimen est inter vrum & taurum, quem ille multum mole & vastitate superat. Lege de vro, Plinium lib. 8. cap. 15 Solinum. 32. Cæs. lib. 6. de bello Gallico. Macrobium lib. 6. Sat. Seruium ad 2. Georg. Iterum Plinium lib. 11. cap. 37. Et Physiologum apud S. Ephiphanium cap. 3. Hæc cum ego, ex Apollinis, vt rebar, consulto, de hoc vrso, contra vrum decreuissem, ecce tibi adest amicus, qui me tot rationibus erudiit, & propè obruit, vt reuecta à sententia nihilominus cogitantem abduceret, atque in suam adduceret. *Quid enim* inquit, *magnum & mirificum dicit poeta si vrsum Rhinoceros euertit? certè vrsi non tales sunt, qui non possunt ab animali quod elephanto propepar est, facile in altum iactari, præsertim cum ipsi tauri, si vrsum cornu prono prehendant facillimè iactent, quod ego vidi hisce oculis. Deinde improbabile, vrsum cum Rhinocerote commissum planè impari commissione: neq; enim vrsus spem victoriæ contra Rhinocerotem habeat. Et turpe inducere tale par ferarum, quarum vna vinci non difficulter & magno conatu possit, altera nullo modo vincere. Porrò sicut ignominiam iudicat gladiator cum inferiore componi, vt inquit Seneca, ita ignominiam putasset populus Roman. sibi spectaculi miri loco obiici vrsum cum Rhinocerote, cum vrso non sit spes victoriæ. Velsiere auco, qua arte vrsus Rhinocerotem illum armatum, & cataphractum quasi, & tantum vna sui parte vulneri peruium, conficere possit. Neq; delectabant populum imparia comparata. Neq; Martialis tanquam rem miram ostentare potuisset, etiamsi Rhinoceros vrsum extulerit, quod & taurus possit. Præterea* GRAVEM *vocat Martialis, quod Epitheton vro magis conueniat quàm vrso, cum quilibet taurus vrso grauior sit. Nec verò est adeò ἀδιάνατον vrum à Rhinocerote tolli in altum, cui pila taurus erat toties apud Martialem, lib. spect. epig. 9. & lib. 14. epig. 53. Et licet mole taurum superet vrus, vt ad elephanti vastitatem aliquo modo accedat, tamen non ita ingenti interuallo taurum superat. Maior mole vrus quam taurus fateor, sed minor elephanto, quid mirum ergo si Rhinoceros, cui pila taurus erat sæpissimè, aliquando in vrum eadem furoris fœlicitate sit vsus, præsertim tamdiu extimulato furore, qui se in ingentem iram & immanes vires collegerit, quod solum Martialis exaggerat hoc epig. neq; video quomodo vrsus hic satisfaciat.* * *Quin & bubalum potuit nomine vri poeta intellexisse. Constat enim ex Plinio lib. 8. cap. 15. & Solino cap. 32. bubalis nomen vri vulgo impositum. Quicquid sit, si vrsum retineamus, tanto nil dignum est vrsus hiatu. Neque dicas. Vrsus ferox satis est, qui etiam leoni committi potest, quare non impar comparatio Vrsi & Rhinocerotis. Impar omnino. cessant enim omnes causæ in commissione Vrsi & Rhinocerotis, quæ vrsi & leonis commissionem iucundam reddunt: nam leo & vrsus propepares sunt vastitate, & mole, & ferocia, deinde ferociam leonis paulò maiorem, miro astu domare, & eludere nouit vrsus, quod iucundam reddit hanc pugnam.*

Postremò, quare minimè credam Vrsum & Rhinocerotem esse commissum, est, quia scimus vrsos (quantumuis in se defendendo sint firmi & statarij, & etiam feroces, si prius inuadantur) non proruere vltro facilè in cruentam illam pugnā, sed tardos inuasores esse, & nisi vrgeantur à rabie incitati hostis, vel diu irritentur, non solent primi lacessere: nam vrso fermè omne præsidium est in sataria pugna (intelligitis quid velim) Quare cùm Rhinoceros tardissimè in iras exurgat, & diutius quàm vlla fera stimulari debeat, antequā pugnet (vt Martialis testis hic epig. 22. & supra epig. 9.) Quæso quis sibi persuadeat commissum esse par ferarum tam impar mole, & tam paris tarditatis & lentæ iræ, quæ tam ingratas moras traherent? Quam autem exosa populo hæc tarditas, & mora bestiarum fuerit, testis Martialis. epig. 22. & 23. I nunc & lentas corripe turba moras. Mihi nemo persuaserit, sine sibilo populi potuisse committi, tam in iras lentum par, ne dum à Materiale laudari. Nisi quis dixerit plures feras simul ibi fuisse, è quibus fortè vrsum Rhinoceros prehensum iactarit. Sed hoc fingere est. Hæc firmamenta adducit ille, quæ si tibi tam certa videntur, quam mihi, mecum poteris vrsum in vrum transformare. Nummus tamen Domitiani) quem Pierius expressum dedit) formam Rhinocerotis vrsum iactantis repræsentans, adhuc scrupulum in animo relinquit. Sed tanti non est, vel si solidus sit, vt in solidum satisfaciat. Concludo sententiam, videri non vrum, sed bubalum, quem vulgus vrum appellitabat, fuisse, quod poeta, meo quidem animo, ipse dicit, cum aliis locis taurum vocat, nec de diuersis tauris epig. 9.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

& Glossis.

* *Sunt tamē qui putent & scribant ad medium Septentrionem nō minores vrsos, quàm vros reperiri, imò & maiores. Gruterum adi ad hunc locum.*

pig.9. & 22.& lib.14.53. scripta arbitror, sed vno duntaxat. Geminum proinde cornu hic vro, non Rhinoceroti, cui tamen geminum non detraho, assignabis. etsi in Rhinocerotem verba poëtæ non minùs, quàm in taurum conueniant.

De Carpophoro.

XXII. XXIII.

** Dorica quam certo venabula dirigit ictu*
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori.
Ille tulit geminos facili ceruice iuuencos,
Illi cessit atrox bubalus atq; bison:
Hunc leo cùm fugeret, præceps in tela cucurrit:
I nunc, & lentas corripe, turba, moras.

DORICA QVAM CERTO] Laus Carpophori venatoris bestiarii (de quo supra epig. 15. *Quantula Carpophori*, &c.) à certa dextra, siue εὐστοχίᾳ, ab ætate, à robore. DORICA VENABVLA] Græca vtique, Græci enim auctores venabuli, vsitata loquendi forma, cum pars toti transcribitur, vt Virgil. 2. Æn. *Iuuat ire & Dorica castra*
Desertosq; videre locos-----
Propertius lib. 2. & 8. *Viderat ille fuga tractos in littore Achiuos*
Feruere & Hectorea Dorica castra face.
Idem lib. 4. & 6. *Egessitq; auidis Dorica castra rogis.*

Domitius Cretenses sagittas iactat, sed nescio an scopum attingat. Turnebus, *Laconica*, inquit *intelligo. Iuuentus enim Laconum montes venatu assiduè lustrabat venabula gerens. Nemo autem ignorat eos Dorici generis fuisse, in qua est Pindus optima ferax materiæ ad hastilia, sunt dorica vocata venabula.* Idem tamẽ vniuersè accipi pro Græcia non negat. Norica tamen non repudio scriptoribus laudata, Horatio l. 1. car. Ode 16. Corn. Ssecul. 17. Martiali lib. 4. ep. 55. FORTIS ADHVC TENERI] Admirationis est primum distichon ab adolescente tenero, simulque forti tantas feras confici, auget laudem à repugnantibus *fortis & tener*. ILLE TVLIT GEMINOS FACIL. CER. IVVE.] Speciatim robur Carpophori ostendit, quod facili ceruice, id est, nullo labore, perinde quasi plumas ferret, binos simul tauros, per pugnam à se interfectos, gestarit, fortior Milone Crotoniata. Ita fere Marcilius. Turnebus loco paullo ante adducto τὸ *tulit*, interpretatur, interfecit, sustulit, quo intellectu Persius, Lamprid. Spartian. aliique vocem vsurparunt, vt Marcilius ostendit. *Tulit*, inquit *premium duos iuuencos à se cæsos facili nisu: vel: facilè sustulit boues geminos ceruice ad conficiendum minimè dura & repugnante.* Sed quæ laus Carpophori, si faciles habuerunt, & molles cædi ceruices? Ramiresius facili refert ad iuuencos, pro nobili & versatili, vt ægrè figerentur à bestiariis. tulit, vt Turnebus, pro confecit, interfecit. Vtraque explanatio commoda: ad mentem poëtæ mihi nunc Ramiresij aptior videtur. Voluit enim secundo disticho confirmare, quod primo adfirmarat, ita vti certa dextra cum facili & mobili ceruice coniuncta tanquam contraria maiorem Carpophoro laudem afferat: gestasse autem humeris duos iuuencos, etsi per se admirabile, tamen huc non facit, nec enim hic de robore sed εὐστοχωτάτῃ dextra Carpophori narratio est, quamuis fortem appellet; spectandum est illud potius *certo venabula dirigit ictu*. Alij τὸ *facili ceruice* referunt ad Carpophorum, vt facili declinatione corporis impetum duorum simul taurorum euitarit, nec occiderit tamen tauros, sed in latus impulsos deiecerit tantum. Ego dixerim à Carpophoro facili ceruice duos tauros prope simul interfectos, ita vt agilitate corporis mox ab vno ad alterum versus, vtrumque confecerit. ATROX BVBALVS] Plinius lib. 8. cap. 15. *Excellentiq; vi & velocitate vros, quibus imperitum vulgus Bubalorum nomen imponit, cùm id gignat Africa, vituli potius ceruiue quadam similitudine.* Solinus. cap. 32. *Sunt & vri, quos imperitum vulgus vocat Bubalos, cum Bubali pæne ad ceruinam faciem in Africa procreentur.* An hic poeta ex vulgi vsu, an propriè locutus? Ex vulgi teor vsu: vros enim atroces merito appellat, cùm Cæsar, aut potius Iulius Celsus lib. 6. (vide Delrium in Hippolytum Senecæ) tam feroces scribat, vti nec homini, nec feræ parcant, omnesque pariter incursent, & nec paruuli quidem excepti assuescere ad homines, & mansuefieri possint. Formam vri apud Hotomannum ad Cæs. specta; paullò infra elephantum est, figura tauri. De cornibus & factis inde poculis ibid. Cæsar, & l. d. Plinius, & Solinus cap. 32. Bubali autem sunt propriè tauri, quos bufalos hodiè Itali, Germani Büffel vocitant. quamuis Gloss. Græcolat. βούβαλος, vrus bos siluestris habeat, lege Delrium in Hippolytum ad illum versum: *Latisq; feri cornibus vri* BISON] Bisontis figuram ex Cæsaris descriptione lib. 6. cap. 5. aspice In Hotomanni Commentariis secundum præfationem. *Est Bisons*, inquit, *cerui figura, cuius a media fronte inter aures vnum cornu existit excelsum, cuius è summo rami tanquam palmi diffunduntur.* Eosdem Bisontes describit Plinius lib. 8. cap. 15. Solinus 32. qui captos negat mansuescere, cum tamen Martialis lib. 1. ep. 105. ad currus & esseda vinctos dicat, horridos vltra tauros idem affirmat.

Bison-

Bisontes depingit multis versibus Oppianus, qui tamen βίσωνας à Bistonide Thracia dictos nominat lib. 2. κυνηγ. v. 160. Xiphilinus in Seuero βίσωνας βοῶν τι γένος βαρβαρικόν Pausanius lib. 10. βίσωνας appellant. Plinij & Solini descriptiones valdeà Cæsaris delineatione discedunt; Olai, Sigismundi, Gesneri, Munsteri sententiæ conspirant. Albertus Magnus lib. 2. hist. animal. mirificè cum Cæsare conuenit, qui Bisontem equicerium vocat, & Alcem. *Equicerius, inquit, nobis cognitus, equo similis est, sed altior, vulgo, Elent, & ad equitandi vsum cicuratur: tantundem enim vno die spatij, quantum equus triduo conficit. Cornua eius solida, & ramosa sunt colore, quo cerui. Ab initio vbi enascuntur, vel tris, vel quatuor digitos rotunda sunt deinceps lata & tenuia, asseris instar, & circa finem multos producunt ramos. Facit hæc latitudo, vt scabellis idonea sint. Pondus cornuum ingens. Magnus horum animalium numerus est in Siluis Prussiæ, Vngariæ, & Lauriæ Maiora sunt ceruis & hirsutiora, similitamen pilo. In cæteris solum cauda ceruis similia. Frontis latitudo add ... palmas.* Hæc Albertus. Alcis porrò etiam singularis est Cæsariana figura, quæ planè diuersa à Bisonte. De bisonte plura Delrius ad illum Senecæ ex Hippolyto versum. *villosi bisontes.* HVNC LEO CVM FVGERET PRÆC. IN TEL. CVC.] En laudem Carpophori, quem tantopere ipse rex, & tremor ferarum leo timuit, vt maluerit in aliorum venatorum tela incurrere, quàm Carpophoro o... cu re.e. Et verò leo intertritum animal etiam cum vrgetur, fugam dissimulat, quod vti planum est, ità testimoniis Aristotelis, Plinij, Eustathij, Solini, Æliani, & sacrarum litterarum auctoritate la... danda supersedeo. Sed hic fortassè sic alius explicatus, vt leo (quod de leæna Plinius narra) d... fixis in terram oculis, ne ferro terreretur, in ferrum irruisse dicatur. I NVNC ET LENTAS CORRIPE IVRBA MORAS) Insultat per irrisionem populo poeta moræ alias impatientissimo. Etiam nunc, inquit, habes, quod querare de tarditate congressus? cum prope citius vides feram confectam, quam in Amphiteatrum egressam? Marcilius dicit hic moram pugnæ compensatam magnitudine facinoris. Ego non ad præsentem huius pugnæ moram, quam nullam fuisse reor, sed vsitatam aliàs lentitudinem pugnantium poetam respexisse arbitror. q. d. alias reprehendis bestiarios, aut feras plausu terres, vt fugiant, aut pugnent. quid hic habuisti laboris aut negotij, quo vel leonem vel Carpophorum increpar...s? Nihil. Cæterum populi impatientiam aliaque & alia cupientis spectare acc...sit his verbibus Terentius in Hecura---*hac cum data*

Est noua, nouum interuenit vitium & calamitas, *Ita populus studio stupidus in funambulo*
Vt neq; spectari, neq; cognosci potuerit. *Animum occupat*——

De Naumachia Domitiani.

XXIV. XXIII.

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
*Cui lux prima sacri muneris * ipsa fuit.*
Non te decipiat ratibus naualis Enyo,
Et par vnda fretis; hic modo terra fuit.
*Non credis? spectes, dum * laxent æquora Martem,*
Parua mora est; dices, hic modo portus erat.

Nauale spectaculum ac prælium Domitiani, & maxime aquam in Amphitheatrum subitò immissam ac emissam admiratur. Sed eiusmodi spectaculorum editor non primus fuit Domitianus ed... Cæsar apud Suetonium cap. 39. Laudat Augustum super hac re Breuiarium Ancyranum. Suetonius cap. 43. Aug. Tacitus annal. 12. Frontinus de aqua Alsietina, Martialis inf. à epist. 28. Claudius quoque Imperator à Suetonio cap. 21. Dione in claudio naumachiam in Fucino lacu commisisse scribitur. Nero item exhibuit naumachiam marina aqua innantibus belluis. Titus in veteri naumachia plures, & Amphitheatro subita aqua repleto. Domitianus binas, alteram in Amphitheatro, iuxta Tiberim alteram, de qua inf. à Suet. cap. 4. Dio in Dom. SERVS SPECTATOR] Si quis cætera Domitiani munera per itineris longitudinem neglexti, & primum hodie ad naumachiam hanc spectandam aduenisti, ne erra, putaue hic in Amphiteatro perpetuum esse mare, seu aquam, paulo ante erat arena, & mox, emissa subductaque aqua, parebunt vada. SACRI MVNERIS] Nam venationes Dianæ, Gladiatores Marti & Saturno sacri, vt d. supra, Naumachiæ Neptuno forte, nisi malas ad Domitianum referre; Cæsares enim Diui & sacri; vel ad vtrumque potius, quod magis placet. PRIMA LVX IPSA] Cum viris doctis emendo, lux illa, quod eum diem designet, quo die data Naumachia. PRIMA] spectatori nouo. Munus quodcunque seu spectaculum plures occupabat dies. Martialis lib. 8.

Omnis habet sua dona dies.——

Suetonius in Nerone. *Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies singula quotidie millia.* Iulius venationes quinque dierum. Claudius multa spectacula multorum dierum; ei vnum extraordinarium & breue dierumque paucorum. Titus centum dierum alij pauciorum, alij plurium.

* *ista*

* *laxent*

Naumachiæ pictas spectabis apud Panuinium.

NAVA-

NAVALIS ENYO.] Lib.6.epigr.32.vocauit ciuilem Enyo,id est bellum ciuile. hic naualem, ad discrimen pedestris. Enyo Latinis Bellona, Martis aurigatrix. Virg.

Quam consanguineo sequitur Bellona flagello.

ET PAR VNDA FRETIS.] Infra de natatoribus —— æquore toto. & epig.28.

Et freta nauali sollicitare tuba.

Domitius verò, vti & Claudius apud Dionem & Suetonium, edidit nauales pugnas pœnè iustarum classium, quæ magnam certè vim aquæ desiderant, alterumque prope mare. Non ergo te spectator fallat Enyo seu Bellona par iustis classibus & naualibus præliis; nec aqua in Amphitheatrum repente immissa tanta copia vt mare videatur. Non est hic semper portus, sed terra, vt mox spectabis. HIC MODO TERRA FVIT.] Nec huius rei auctor Domitianus. M Scaurus Ædilis in temporario Euripio primus Romæ crocodilos ostendit. Plinius lib.8.cap.28. *Augustus aquam ex Euripo aquas in circum Flaminium emisit.* Dio Θεάσι ποιῶν τὸν Φλαμίνειον ἱππόδρομον ὕδωρ εἰσήγαγε καὶ ἐν αὐτῷ ἕξ καὶ τεσσαράκοντα κροκόδειλοι κατεκόπησαν. Seneca in epistolis. *Euripo, aquarum impetu implet aut siccat.* Tarquinius auctor Euripi, quo circumdedit arenam Circi, Dion lib. 3. sed non infudit Circo. Titus apud Dionem, Amphitheatrum subitò aqua repleuit, variaque spectacula ibid. edidit, vt dubitem, an hanc naumachiam, & infrà, lusus Nereidum ad Domitianum, an Titum referam. Inscriptiones enim poëtæ esse, nullus credo. Nero eodem Dione teste, idem in suo ligneo ante fecerat. Heliogabalus illud in humana specie prodigium, Spartiano auctore, nauales Circenses Euripis vino plenis exhibuit. NON CREDIS?] Hospiti rarum hoc & incredibile videri poterat, quod ciuis iam non mirabatur. SPECTES] Expectando specta, dum Nauale prælium subductâ, & emissa aqua finiatur, & redeat arena. LAXENT] dirimant & dissoluant naumachiam: aut laxent Martem, nunc constructum, mox gladiatoribus relaxandum, vt inter se congrediantur, quemadmodum aliis placet.

De natatoribus.

XXIV. XXVI.

*Lusit Nereidum docilis chorus æquore * toto,*
Et vario faciles ordine pinxit aquas;
Fuscina dente minax, nexu fuit anchora curuo;
Credidimus remum, credidimusque ratem,
Et gratum nautis sidus fulgere Laconum,
Lataque perspicuo vela tumere sinu,
Quis tantas liquidis artes inuenit in vndis?
Aut docuit lusus hos Thetis, aut didicit.

* *tum.*

Malim equidem hoc de natatoribus epigramma Tito restituere, si per alios interpretes liceat. Nihil enim apud historicos de hoc ludo Nereidum in Domitiano. Titum scribit Dio: *Immissa in Amphitheatrum aqua equos, tauros, aliaq; animalia simul introducta, quæ idem in aquis, quod nouerant in terra, facerent. Et in veteri naumachia belluarum cædes facta est lacu, qua statuas spectat, tabulis inædificato, ac fixis vndiq; trabibus.* Nihil quidem de natatoribus speciatim, quos adfuisse non dubito. sed aliis in re incerta non pugno. NEREIDVM DOCILIS CHORVS] Hesiodus Nereidas quinquaginta enumerat in Theogonia, totidem Orpheus. Homerus lib. 6. Iliad. 30. puresq; affirmat. Nerei & Doridis filiæ creduntur. De eisdem Orpheus, Apollonius, Euripides, Hyginus, Apollodorus, aliiq; Mythographi. Vox ipsa secundam syllabam tunc tendit, nunc rapit. Virgilius, Martialis, Statius breuem enunciant. Ouid. longam, Catullus longam & breuem; vtrique rectè. Nereis secunda quidem breui à Nereus Nerei, longa à casu Ionico Νηρέως, Νηρῆος. Νηρῆς. vnde Νηρηΐς, νηρηΐδος. Quæ de Nereidibus narrat Plinius. leges volum. 9. cap. 5. DOCILIS LVSIT CHORVS] chorum Virgilius 5. Æn. appellauit *Nereidum phorciq; chorus.* docilem vocat, quia Nereidum personas agentes omnia ordine & modo agebant. ÆQVORE TOTO] toto naumachiæ spacio, supra, *Et par vnda fretis.* VARIO ORDINE] Catullus Nereidas facit choreas ducentes. Orpheus in vndis tanquam lætissimos pisces circa Tritonis currum bacchantes, cursitantes & tripudiantes, quos Cæsariani hi natatores imitabantur. Marcilius varium ordinem refert ad motum & chorum tragicum, vt primũ in dextram, dein sinistram partem se flectant, postremoque consistant, vt in Strophe, Antistrophe, & epodo fieri amat ad cœli motum, ab Oriente ad Occidentem & contra: terræq; firmitatem significandam, quod forte subtilius, quàm verius dictum. Bacchari enim in vndis, vt Orpheus scribit, solebant.

An Nereidũ habitu natatores in aquis saltationes artificiosas instituerunt.

Πεντήκοντα κόραισι περὶ κύμασι βακχεύουσι
Τερπόμεναι ἐπ᾽ ὀχήσεσιν ἀγλαὰ σώματα περὶ ταῦτα.

Domitius ait Nereidas forma puellarum fuisse, quod aliter esse Orpheus docet.

Θηροτύποις μορφαῖς ὧν βόσκει σώματ' ὁ πόντος.

Et Catullus. *Emersere feri candenti e gurgite vultus*
Æquorum monstrum Nereides admirantes.

Ouid. 2 Met. *—— facies non omnibus vna,*
Nec diuersa tamen, qualem decet esse sororum.

Plerique tamen alii pulcherrimas aiunt Nereidas fuisse, & indignatas quod Cassiope Æthiopum regis vxor, quamuis æui sui fœminarum pulcherrima, ausa tamen fuerit se Nereidibus anteponere, cuius caussa Andromedam filiam coacta est Ceto exponere, vt mythographi fabulantur. Dracontius Euæ pulchritudinem componit Nereidi in Hexameron:

Constitit ante oculos multo velamine tecta
* *Corpore nuda simul, niuei ceu nympha profundi.*

* Ita lego: non corpora.

FACILES AQVAS] mobiles, facilè cedentes ad nutum Cæsaris. cuius hoc erat mare, non tam ferox, vt illud Neptunium. Ludebant ergo natatores habitu animalium in aquis, variosque choros ducebant. FVSCINA DENTE MINAX.] Neptunum egit, vnus ex natatoribus, cuius sceptrum τρίαινα seu tridens. Virg.

Non illi imperium pelagi sæuumq́; tridentem,
Sed mihi sorte datum.

Et: *Leuat ipse tridenti, &c.*

Fuscina eadem quæ tridens & telum retiarii, sed placet hic proprie accipi, de ludo Nereidum, quæ circa Neptunum & Tritonem. DENTE MINAX] triplici dente. telum trisulcum piscatorium, est fuscina. Ouid. *——positoq́; tricuspide telo.* Lege causam apud Mythologos. NEXV CVRVO ANCHORA] quæ vnca & hamata. CREDIDIMVS REMVM, CREDIDIMVSQVE RATEM] Delio natatore ad hos natatores & remos opus est, ego nec velis, nec remis hunc remum & hanc ratem assequor. Scio quid Domitius conetur, Perrottus cogitet, Marcilius adferat. Censeo hoc epigramma, & tertium infrà ab isto, idem spectaculum, Titi potius, vt dixi, quàm Domitiani complecti, eiusq; partem duntaxat vnam hic descriptam, non totam naumachiam, quod aperte infrà docet in contentione vtriusque naumachiæ, Augusti inquam & Titi. Augustus prælium duntaxat nauale ludicrum dedit, Titus præter prælium etiam Nereidum ludos, & ignotas feras, nempe tauros & equos Nereidibus vtriq; ignotos, à Tito immissos, vt supra ex Dione ostendimus. Remum igitur hic & ratem expono currum Neptuni, & equos (de quibus infrà) cum suo ornatu & fuscina.

Res tota mimica fuit, & per natatores expressa.

Et domini Triton ipse putauit equos.

Etsi ad aurigationem referuntur; sequens enim versus ad ipsum pertinet Neptunum & currum, cùm dicit.

Abnuit in liquidis ire pedester aquis.

Ratem & remum Neptuni credidimus.

Cùm ergo spectaremus Neptunum curru tuo cum tridente vehentem, credidimus illum rati sua vehi, remisque impelli, Ita commode & celeriter promouebat. De curru autem Neptuni Apollonius lib. 4.

—— Εὖτ' ἂν δὴ κυανάμπυκι —— quam mobilis amphitrite.
Ἅρμα Ποσειδάωνος ὑπὸ τ' ἔχον αὐτίκα λύσῃ.
Neptuni celerem currum apto tempore soluet.

Et Orpheus in hymn. Nept.

Τετράορον ἅρμα διώκων, quadriiugum impellens currum.

Concham seu Anconē accipe pro curru, nec terrestrem cogita, aut certè talem qualis in Circensibus aurigatorū fuit.

Tractum hunc poëtæ & Mythographi à quatuor equis, aut vitulis marinis, aut balænis tradunt, de qua re lege Natal. lib. 2. cap. 8. Superiora quoque mirificè conueniunt. Cum enim chorus Nereidum esset introductus; haud dubie Neptunus ipse Rex maris abfuisse non potuit, cùm infrà dicat.

Dumq́; parat sæuis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.

Hunc ergo circumfusi Dij Marini de quibus Virgilius 5.

Tum variæ comitum facies, immania Cete
Et senior Glauci chorus Inousq́; Palæmon
Tritonesq́; citi Phorciq́; exercitus omnis,
Læua tenent Thetis & Melite Panopeaq́; virgo,
Nesæe Spioq́;, Thaliaq́;, Cymodoceq́;.

De curru verò Neptuni eleganter ibidem Virgilius.

Iungit equos curru genitor, spumantiaq́; addit
* *Fræna feris, manibusq́; omnes effundit habenas.*

Nonnus in Dionys. sexies nauem appellat currum. Oppianus libro 1. halieut. Æschylus Promet. vincto. Vnde nautas Homerus ἡνιόχους. & Ouid. aurigas appellarunt. Est tamen qui prope totum versum emendare mauult, & legere: fus. d. m. nexu fluit anco recuruo. Quæ sane scriptura mi-

ta mirum in modum facit ad nostram concham, seu Neptunium currum, quod concha & anco magnam habeant inter se similitudinem, nisi quod Anco in modum cubiti seu ἀγκὼν (vnde nomen habet) inflectatur, & optimè Martialis explicat, nexu recuruo in cubitum eat. Ancones autem Latinis innotuisse, atque adeo in vsu fuisse, testis est Paullus libro 4. ad Sabinum, vt habetur lib. 13. D. de instructo vel instrumento legato, vbi inter vasa tabernæ cauponiæ censentur dolia, vasa, ancones, calices, trullæ. Anco seu Ancon, seu Ancor apud Lucanum littoris curui sinum significat.

—— qualittore curuo
Molliter admissum claudit Tarbellicus ancon.

Ad quem locum plura Ioseph. Scaliger ad Auson. lib. 1. cap. 5. Nec Ancon, seu Ancona aliunde nomen habet, quàm à curuo litoris flexu, vt Mela & Plinius testantur. Quemadmodum igitur Venus, Fortuna, Triton, Thetis, &c. pinguntur in conchâ mare peterrare, ita hîc concha, vel anco potius, Neptunius currus videtur à poeta appellari, quem tanta celeritate ferri per vndas, non aliter ac si remis impulsa ratis aut nauis sit, admiratur. Hinc meridiana lux emendato versui & sequenti.

Credidimus remum, credidimusq; ratem.

Ita vt fuscinam pro remo, concham seu anconem, pro rate ponat. Tam celeriter enim Neptunus concha vehens, fuscinâ tantum armatus promouit in vndis, vt si naui remisque ageretur. Et signatè dixit poëta remum, non remos. An potius natatores istos Nereidum formam & schema indutos, natatu suo modo Neptunum cum fuscinâ, modò ratem & remum numero, & ordine, & brachiis, modo velum, modò Castorem & Pollucem, aut hæc simul omnia repræsentasse dicamus. Nec enim difficile fuit Romanis, ludere quauis ratione sub vndis & super vndas. Cùm in theatro nullam non fabulam pantomimi repræsentare potuerint saltatione & gestu; legatur elegantissimus Luciani liber περὶ ὀρχήσεως, vbi ἔξω πίστεως propemodum quædam saltationis spectacula narrantur. Et hæc enarratio præ aliis placet, quam arripuit vt suam [illegible]amiresius, nec aduertit nihil à se dictum, quod à me non dictum prius. Subscribam ipsius verba meis verbis, vt lector vtriusque fidem cognoscat. *Hæ Nereides iuuenes erant natatores habitu* Nympharum. *dicitur id agmen chorus, quod multi essent.* Pinxit varias ordine aquas, *quod variis nexibus complicati ibi natatores varias figuras in aqua superficie exprimebant, & veluti pictas oculis repræsentabant. Ille ipse chorus sic dispositus fuit vel tota vel aliqua eius pars, vt ipsa natantium dispositio fuscinam vel tridentē in aquâ repræsentaret & turbato hoc ordine rursus ita diffusus fuit ille ipse chorus, vt anchoræ speciem effingeret in aqua. Itaque aduerte me interpretari chorum ipsum fuisse fuscinam, & eundem mox fuisse anchoram, id est, natantium dispositione & iunctura, effictam fuisse fuscinam, confictam anchoram.* Duo porrò sidera Laconum, & vela ad Naumachiam referas licet, non ad concham seu currum Neptunium. LATA] expansa & vento distenta, mirum autem in naumachia tanta vela potuisse tendi quanta propè mari. QVIS TANTAS LIQVIDIS ART. INVEN. IN VNDIS?] Quis tam ingeniosos ludos in aquis excogitauit? viden totum epigramma hoc ad ludos Nereidum & Neptuni, non ad naumachiam ipsam referri? AVT DOCVIT LVSVS HOC THETIS AVT DID.] Supra humanum sensum sunt, ludi hi, aut docti à Thetide Dea Maris, aut potius ipsa docta à Cæsare maiore Deo. Sentis, reor, poëtam palpantem.

ET GRATVM NAVTIS SIDVS FVLG. LACONVM.] Dioscuros Castorem & Pollucem, amica nautis sidera credidimus etiã affulsisse Neptuno, vel classi potius totius naumachiæ, de qua infrà 28. Facile porrò fuit repræsentare duas stellas, vel igne vel auro, gemmisque ignem vibrantibus. Multa de his Laconibus geminis poetæ, Homerus seu quis alius εἰς Διοσκόρους. Pindarus Pyth. od. 5. Horatius lib. 4. car. od. 8. & lib. 1. od. 10. 12. & 13. Pausanias in Laconicis. Plinius lib. 2. c. 37. Vidi, inquit, *nocturnis militum vigiliis inhærere pilis. pro vallo fulgorem effigie ea, & antennis nauigantium, aliisq; nauigantium partibus, ceu vocali quodam sono insistunt vt volucres sedem ex sede mutantes: graues cum solitaria venere, mergentesq; nauigia. Et si in carina ima deciderint exurentes, gemina autem salutares, & prosperos cursus prænunciare, quorum aduentu fugari diram illam ac minacem appellatamq; Helenam ferunt. Et ob id Polluci & Castori id nomen assignant, eosq; in mari Deos inuocant. Hominum quoq; capita vespertinis horis magno præsagio circumfulgent. Omnia incerta ratione & in naturæ maiestate abdita.* Plura Seneca lib. 1. natur. quæst. c. 1. Hyginius de stellis. Ouid. 5. Fast. Germanicus ad Aratum. Manilius Astron. His dedicat suum Catullus Phaselum.

Blanditur Cæsari.

XXVII. XXV.

Sæcula Carpophorum; Cæsar, si prisca tulissent,
*Iam nullum * monstris orbe fuisset opus.*
Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem,
Arcas Mænalium non timuisset aprum.

* in monstris.

* animata. *Hæc * armata manus hydræ mors vna fuisset,*
Huic percussa foret tota Chimæra semel.
* Æripedes. ** Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros.*
Soluere & Hesionem solus & Andromeden.
Herculeæ laudis numeretur gloria: plus est
Bis denas pariter perdomuisse feras.

SÆCVLA CARPOPHORVM.] Nimis largum est lemma. Blanditur Cæsari, nec argumentum complectitur epigrammatis. sed finem epigrammatarii. Epigramma est de Carpophori bestiarii pugnis & palmis, quem contendit cum Hercule, Bellerophonte, Iasone, Perseo. & hoc in Cæsaris gratiam, cui gratissimus erat. Poëta in orbem agit rationem, cùm à genere descendit ad partes, & à partibus redit ad genus. PRISCA SÆCVLA.] quibus Hercules, Theseus, cæterique heroes, & semidei cum monstris depugnarunt. IAM NVLLVM MONSTRIS OR. FVIS. OPVS.] Iam; tunc, cito, mox apud bonos auctores significat. Varro lib. 2 c. 4. pro amplius vsurpat, quæ notio mirifice huc quadrat. Si Carpophorus vixisset illis sæculis, quibus monstra orbem vastabant; nullum amplius negotium creassent orbi; Carpophorus enim vnus omnia confecisset. *Cum porci,* inquit Varro, *depulsi sunt à mamma à quibusdam delici appellantur, nec iam* (id est, nec amplius) *lactentes dicuntur.* Verba ita compone. nullum opus seu labor negotiumue fuisset, orbe, in orbe & per orbem monstris tollendis & purgandis. Alii legunt; *in monstris.* intellige mactandis. *Lego, inquit Gerardus Gontius; Iam nullo in monstris orbe, id est, vicissitudine opus fuisset. Ecce enim tam raptim vobis spectantibus Carpophorus viginti bestias necauit vna vice, & sine orbe ac circuitu.* Orbem exponit vicissitudinem haud scio an satis ex mente Valerii, qui orbem à monstris ait ab Hercule, Iasone, Perseo, Theseo & aliis heroibus repurgatum.

NON MARATHON TAVRVM.] Marathon vrbs est Atticæ Achaiæ decem millibus passuum Athenis distans, vt auctor est Æmilius Probus, Solinus cap. 12. *Marathon,* inquit, *campus factus memorabilis opinione prælij cruentissimi.* Persarum cladem notat, de qua Æmilius Probus in Miltiade, & sexcenti alii, quid enim tritius? De tauro Cretæo Virgilius oct. *Tu Cresia mactas, Prodigia.* Ouid. 7. Met. *Mirata est Marathon Cretæi sanguine tauri.*

Seneca. *Taurusq; populis horridus centum pauor.*

Hunc taurum igniuomum iratus Neptunus Minoi immisit in Cretam, quam populabundus totam vastabat. Adduxit hunc à Creta Hercules in campum Marathonium ad Eurystheum, ibique occidit. Hyginus fab. 38. Apollodorus lib. 2. qui septimum laborem Herculis facit taurum, sed appendix Virgil. octauum:

Octauo domuit magno luctamine taurum.

Et Ausonius. *Octaua expulso numeretur gloria tauro.*

Claudianus elegantissimè magnificentissimeque taurum hunc non ab Neptuno immissum, sed è cœlo Lunæ dimissum in Cretam canit.

—— taurus medio nam sidere cœli
Progenitus Dictæa Iouis possederat arua
Fulmen ab ore venit flammisq; furentibus ardet.

Taurum Marathonium alii Theseo assignant, de quo est epig. lib. 4. Anthol. NEMEE FRONDOSA LEONEM.] De hac silua Nemea suprà epig. 4. fuit inter Phliuntem & Cleonas. Nemea etiam Argiæ oppidum est in Peloponeso apud Ptolomæum, Pausaniam & Strabonem. Leo Nemeæus primus Herculis labor, quem certatim iactant poetæ, tu vide singulorum ingenium & varietatem. Cic. 2. Tusc. ex Sophoclis Trachiniis.

O ante victrices manus,
O pectora, ò terga, ô lacertorum tori,
Vestrone pressu quondam Nemeæus leo,
Frendens efflauit extremum halitum?

Nec minus grauiter Lucretius.

Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obesset?

Nec ignauè Ouidius. *Hic elisa iacet moles Nemeæa lacertis.*

Virgiliana quoq; Appendix. *Compressit Nemeæ primum virtute leonem.*

Manilius etiam generose 5. Astro.

Cum verò in vastos surgit Nemeæus hiatus.

Generose Martialis ep. 6. *Prostratum vasta Nemees in valle leonem.*

Lib. 5. epig. 66. Nemeées terrorem appellat.

Lib. 9. epig. 104. Omnes labores Herculis enumerat.

Sed splendide Byzantius Philippus.

Ὤλεσε τὸν Νεμέας θῆρ' ἄπλετον, &c.

Plura sunt epigrammata Græc. lib. 4. in solum hunc leonem.

Splendidissimè Claudianus, sed prolixe in laude Herculis. Lege & Ælianum Achil. Statium ad Aratum. Ausonius.

Prima Cleonæi tolerata ærumna laboris.

ARCAS MÆNALIVM NON TIMVISSET APRVM.] Mænalus vrbs est Arcadiæ Straboni & Pausaniæ. Arcadium suem appellat hunc Lucretius.

——— *& horrens Arcadius sus.*

Ausonius Erymanthium aprum, eundemque intelligit; nam Erymanthus Hesychio, Plinio, Solino, & Pausaniæ est vrbs, mons & fluuius Arcadiæ. Nec diuersum cogita, cùm legis apud Ouidium, *Vestrum opus, Elis habet*; nam & quædam Elis Arcadiæ vrbs. Martialis disertè alibi.

——— *Nemea terror & Arcas aper.*

Iterum Ouidius Tegeæum, in epistola ad Herculem, aprum, Tegeam vero vrbem Arcadiæ Suetonius, Dio, Ptolomæus, alii tradunt Cic. *Erymanthiam hac vastificam abiecit belluam.* Tertius Herculis labor. Virgilian. App. & Ausonius epig. Græc.

Τὸ τρίτον αὖτ' ἐπὶ τοῖς Ἐρυμάνθιον ἔκτανε κάπρον.

Claudianus vt omnia egregiè:

Indomitus regnabat aper, soloq; tremendus

Corpore lunatis fundebat dentibus ornos, &c.

Non hunc intellexit Martialis epig. 15. Hunc tamen ipsum lib. 5. epig. 66. bis eodem epig. vbi vocat Mænalium suem: Plautus confundit cum Ætolico in Persa. Tantæ magnitudinis fuit hic aper, vt dens vnus, qui in hortis Cæsaris fuisse dicitur in templo Liberi patris, vnius pedis & quadrantis mensuram æquarit. HYDRÆ MORS VNA.] Vno ictu Lernæam pestem simul interfecisset Carpophorus, quam Hercules multis iteratis plagis ægrè confecit, capitibus aliis atque aliis cæsorum loco repullulantibus. Vnde de incassu adagium. *secat hydram.* Ouid. 9. Met.

——— *quid profuit Hydra*

Crescere per damnum geminasq; resumere vires.

Ὕδραν τέμνεις, cum vnum incommodum tollis ex quo plura nascuntur. Ita Plutarchus de fortuna Alexandri. Plato 4. de Repub. locuti. Horatius.

Non Hydra secto corpore firmior

Vinci dolentem creuit in Herculem.

Ouidius in Dianeira. *Quaq; redundabat fœcundo vulnere serpens*

Fertilis & damnis ditior ipse suis.

Huic Pausanias vnum tribuit caput. Multa Pisander, nouem Alcæus, qui ἐννεακέφαλον appellat, quinquaginta Simonides, & Virgilius. Græcis πολυκάρηνος ὄφις πολυαύχενος ὕδρα dicitur, centum alii, alii octo, è quibus vnum erat immortale. Eleganter de hoc Cicero in Tusculanis.

Hæc dextra Lernam terrà mactata excetra

Placauit ———

Et Lucretius. ——— *Lernæaque pestis*

Hydra venenatis posset vallata colubris.

Secunda Herculis palma fuit. Philippus lib. 4. Græc. epig.

Ὤλεσε τὸν Νεμέας θῆρ' ἄπλετον ὤλεσε δ' ὕδρην

Et alibi. Δεύτερον ἐν Λέρνῃ πολυαύχενον ὤλεσεν ὕδρην

Idem Virgiliana Appendix & Ausonius, Apollodorus, nonnulli quintam faciunt. HVIC PERCVSSA FORET TOTA CHIM. † SEM.] Quia ex tribus conflata feris, quasi triplicem habebat vitam, Carpophorus tamen vno vulnere totam peremisset. Fulgentius 3. lib. Mythol. ait, quasi κῦμα ἔρωτος, dictam, nec originario videtur conuenire, cum χίμαιρα Græcis capellam sonet, & longe deflectat ἀπὸ τοῦ κύματος καὶ ἔρωτος. Monstrum triforme dicitur, quod conflatum erat ex leone, capra, dracone, ignem flans, inexpugnabile prodigium. Hom. Iliad. ζ. vbi de Bellerophonte agit.

† *Simul, mactauit aly. sed idem sensus*

Πρῶτον μέν ῥα χίμαιραν ἀμαιμακέτην ἐκέλευσε

Πεφνέμεν. ἡ δ' ἄρ' ἔην θεῖον γένος οὐδ' ἀνθρώπων

Πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ δράκων μέσση δὲ χίμαιρα.

Lucretius de ead. *Qui fieri potuit triplici cum corpore, vt vna*

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra

Ore foras acrem flaret de corpore flammam.

Ouid. 9. Met. *Quodq; Chimæra iugum.* (Nam Chimæra Lyciæ mons est) *mediis in partibus* (*hircum,*

Pectus & ora leo caudam serpentis habebat.

Mythologiam lege apud Mythologos Apollodorum lib. 2. Palæphatum lib. 1. de Bellerophonte

phonte Chimærostono. Seruium ad 6. & 7. Æneidos, alios Natal. com. lib. 9. cap. 4. IGNIPEDES POSSET SINE COLCH. VIN. TAVROS.] Quod Iason non potuit, vt 7. Met. Pelignus canit, vbi tota de Iasone fabula eleganter exponitur. Sed cur Ignipedes, cum plerique æripedes legant? Ouid. in Medeæ epistola.

Ærepedes solidi, prætentaq; naribus æra.

Ibid. *Iungis vt æripedes——*

Et 7. Met. *Æripedes tauri——*

Valerius Flaccus lib. 8. *——dares æripedes in prælia tauros.*

Græci χαλκόποδας καὶ χαλκώνυχας appellitant: Apoll. lib. 3. Alii hoc loco disertè legunt apud Martialem *Æripedes*, nom. Schottus. In Notis. Marcilius celeritati adscribit *ignipedes*, Domitius quod à Vulcano in igne facti sint, vt Apollonius his versibus docet.

Τοῖς ἄρ' ἐνὶ μεγάροισι κυτωμένος Αἰήταο
Τεχνήεις Ἥφαιστος ἐμήσατο θέσκελα ἔργα
Καὶ οἱ χαλκόποδας ταύρους δεινὸν σέλας ἀμπνείοντας.
Talia in aula Cytææ Æetæ
Faber vulcanus fecit præclara opera.
Et Æripides tauros, & ærea ora, &c. vnde ignes flabant.

Ouidius tamen equos solis vocat ignipedes 2. Met.

Tunc scit ignipedum vires expertus equorum.

Supra *volucres* idem nominarat.

Interea volucres Pyrois Eous Æthon.

Ita si legas *ignipedes*, non vana Marcilii interp. etatio, quamuis Domitii vero propior videatur. Malim sane *Æripedes*. Non nemo legit aëripedes ab aëre non ære, à celeritate quoque, vt ignipedes sed nescio an aër coeat in vnam syllabam, est præterea contra Græcos scriptores qui χαλκώνυχας καὶ χαλκόποδας appellant. Est contra Latinos qui æripedes ab ære dicunt Ouid. Ærepedes solidi. aer non facit pedes solidos. Iason hos ope Medeæ vicit, aureumque vellus cum Medea abstulit. SOLVERE ET HESIONEM.] Hesione Laomedontis Troianorum Regis filia, postulatu Neptuni patri irati, exposita ceto liberata est ab Hercule ope Telamonis, cui cessit in præmium. Ouid. 11. Met.

——Regis quoque filia monstro
Poscitur æquoreo, quam dura ad saxa reuinctam
Vindicat Alcides——

Et infra de Telamone opem Herculi in capienda Troia, non tamen in liberanda virgine ferente.

Nec pars militiæ Telamon sine honore recessit
Hesioneq; data potitur——

De hac lege Strabonem 13. Hyginum, Apollodorum, Natal. com. Ouid. In contextu verborum nihil muto. Placet *soluere & Hes. solus & And.* quod ante dixerat, *posset*. ANDROMEDEN.] Andromede filia Cephei & Cassiopes à matre Nereidibus ob formæ venustatem anteposita, matris linguam coacta piare à Neptuno petita est in prædam Ceto, vt ante Hesione Laomedontis, atque vt illam Hercules, ita hanc Perseus occiso monstro liberauit. Hyginus lib. 2. voce Andr. & Fab. 1. 64. Ouid. Met. 4. Hesid. in Aspid. Herculis, Diodorus Siculus lib. 4. Apollodorus lib. 2. Arati Phænomena, Licophronis, Pindari, Apollonii commentarii. Propertius lib 3. & 21. S. Hieronymus epistolis. Plinius mira refert de ossibus & vastitate huius belluæ lib. 9. capite 5. *Turanius prodidit, expulsam belluam in Gaditana litora, cuius inter duas primas vltima cauda subita sexdecim fuissent, dentes, eiusdem 120. maximi dodrantium mensura, minimi semipedum. Bellua cui dicebatur exposita fuisse Andromede, ossa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe, ostendit inter reliqua miracula in Ædilitate sua M. Scaurus longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum Indicos Elephantos excedente, spina crassitudine sesquipedali.* Sunt & epigrammata Antiphili & Arabii in eandem lib. 4. Anthol. Sed elegantissimè rem persecutus est lib. 5. Manilius. vbi causam, feram, virginem, liberatorem illustri carmine depingit. HERCVLÆ LAVDIS.] redit ad genus, in quo nominat potissimum Herculem velut heroem, quo tamen fortior Carpophorus. NVMERETVR GLORIA.] Ego numeraui Herculis quinq; opera, numera tu lector reliquas palmas 12. & 13. superabitur tamen à Carpophoro, qui vicenas feras aut monstra, nec diuerso tempore, sed vno strauit. Vitiosè legunt aliqui *Bis senas*. PARITER.] simul emissas, aut alteram post priorem cæsam, eodem tamen spectaculo, vt supra epig. 15. quod verius arbitror.

Laus Augusti.

XXVI.

Inscriptio improba. Marcilium, vide

Augusti laudes fuerant, committere classes,
Et freta nauali sollicitare tuba.

Cæsaris

Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in vndis
Et Thetis ignotas, & Galatea feras.
Vidit in æquoreo feruentes puluere currus,
Et domini Triton ipse putauit equos.
Dumq; parat sæuis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quicquid & in Circo spectatur & Amphitheatro,
*Diues * Cæsarea præstitit vnda tibi.*
*Fucinus & * pigri taceantur Stagna Neronis*
*Hanc * norint vnam sæcula Naumachiam.*

*Cæsarea: vt referatur ad Amphitheatrum.
* diri.
* Norunt, placet minus.

Titi (huic potius transcribo epigramma) naumachiam cum ludis variis, & curulibus & equestribus celebrat, & Augusti cum naumachiis componit, & hanc illis anteponit. AVGVSTI LAVD. FV. COMMIT. CLASSES] Augustus nudas exhibuit naumachias. Titus addidit alia spectacula Circensia in ipsis aquis edita. Cæterum Augustus nauale prælium edidit cis Tiberim cauato solo, in quo postea Cæsarum nemus fuit, vt scribunt Suetonius Aug. c. 43. Tacitus Annal. 14. Sed quia dicit poeta, *classes*, respicit forte exercitationem illam classium in lacu Lucrino, vbi tota hieme copias ad bellum Siculum auctore Tranquillo exercuit. Nam Domitii sententia de Actiaca pugna nec mihi placet, cum deceat ludicra cum ludicris contendere. FRETA NAVAL. SOLL. TVBA.] Notum inde verbum, classicum canere, vsus tubarum æque in naualibus, quam pedestribus pugnis.

Virg. [illegible] *Inde vbi clara dedit sonitum tuba ——*
Lucanus 3. Phars. *Innumeræ vasto miscentur in æthere voces*
Remorumq; sonus, premitur clamore, nec vlla
Audiri potuere tubæ.

Freta dixit noster poeta metonymicῶs pro ipso prælio in freto patrando, ipsisque viris pugnaturis.

CÆSARIS HÆC NOSTRI] Titi, vel si contendis, Domitiani pars est quota? minima nempe spectaculi pars est ipsa naumachia. De formula hac, *pars est quota*, supra monui epig.

Quantula Carpophori portio, &c.

VIDIT IN VNDIS. ET THETIS IGN. ET GAL. FERAS] Nereidas intellige, & quadrupedes, de quibus supra epig. 26. Nam certe Galatea Nereis fuit, feras ad quadrupedes terrestres refero, ignotas ponto. An forte homines indutos feras putes? non arbitror. Dio enim in Tito de veris loquitur feris. Thetin alii accipiunt pro ponti nymphis; Galateam pro flumineis. Placet cum Gerardo Gonti, nostri ordinis viro docto quintum distichon, quod est; Quicquid & in Circo, &c. Subiicere secundo; deinde illud: Vidit in æquoreo: Tum illud: Dumque parat. Sunt enim illius: Quicquid & in Circo, &c. explicatio. Extremum manet suo loco. *Amphitheatrum, in quo munus gladiatorium ediderat, aqua repente impleuit, in eam equos, tauros, aliaq; animalia mansueta, edoctaq; facere in aqua id omne, quod in terra facere consuerant.* Idem antea fecerat Nero, Dione sic referente. *In theatro quodam* (ligneum Amphitheatrum Neronis fuit) *postquam edidisset munus, confestim theatro marina aqua repleto, ita vt pisces, & feræ in ea innatarent, exhibuit naumachiam, inductis, qui ornati essent ad exemplum Persarum & Atheniensium. Eoq; spectaculo finito, rursus aquam subito eduxit soloque theatri siccato, pedites induxit, non modo singulis inter se, sed etiam pluribus cum pari numero commissis.* Ignotas autem aquis feras, quis nesciat tauros, equos, canes, quæque terra, non pontus alit animalia. Cæterum sicut aquis sunt ignotæ terræ feræ, ita maris monstra multo sunt ignotiora terris. De quibus multa nos ad cap. II. lib. X. Q. Curtii propediem prodituri. THETIS.] Iam supra epig. 26. d. GALATEA.] Et hæc vna Nereidum a lactea maris spuma nomē accepit, vti & Galene. Eustathius ad Iliad. Σ. ἔτι δὲ καὶ ἡ γαλάτεια παρηχουμένη ὥσπερ τῇ γαλήνῃ. αὕτη δὲ καὶ διὰ τὸ τῶν κυμάτων γαλακτοχρόους οὕτω καλεῖται. *Galatea etiam veluti Thetis, in tempestatis seditione resonans, eadem est, ita cum Galene seu serenitate. Hæc autem* (Galatea) *propter fluctuum lacteam formam sic vocatur.* Gyraldum adi 5 Syntag. de Nymphis. Ouid. 13. Met. Nouissima est Homerica, Virgiliana & Hesiodea Galatea. Lege Erithræi indicem in voce Galatea. Cæsar Titus Nereidum ludos in aquis instituerat, vt docuimus, inter quas Thetis, Galatea, cæteræque Nereides cum Tritone & Neptuno.

VIDIT IN ÆQVOREO FER. PVLVERE CVRRVS] Triton emersus ex vndis (vt apud Suetonium in Claudio cap. 21.) spectauit Circenses aurigationes, Claudius apud Tacitum lib. 12. *gladiatorum spectaculum edidit in Fucino lacu, inductis porcibus pedestrem ad pugnam.* Titus seu mauis Domitianus

tianus edidit, & equestres & pedestres pugnas in ipsa naumachia, hoc enim infra plane testatur poëta, cum concludit. Quidquid & in Circo spectatur & Amphitheatro, &c. In Amphitheatro gladiatores, in Circo aurigæ spectabantur. ÆQVOREO PVLVERE] in se pugnantia sunt, hoc miriora, φ Cæsar ea iungere possit; si puluis, qui aqua? si aqua, vt puluis? Sed pontes in ipsa naumachia & stagno erant extructi, in quibus res gerebatur, & aqua pontibus leniter infusa pontes tegebat, & puluerem aspergine ceu nubem excitabat, puluerem inquam imbricum. FERVENTES CVRRVS] vt Horatius od. 1. lib. c. 1.

Sunt, quos curriculo puluerem Olympicum
Collegisse iuuat: metaq; feruidis Euitata rotis ———

Quæ feruent, cum frequenter circumaguntur, quod in Circensibus accidebat, adeo vt opus esset, aquam aspergere, ita nonnunquam efferuescebant. ET DOMINI TRITONIS IPS. PVT. EQVOS.] Triton Buccinator Neptuni putauit esse currus & equos ipsius Neptuni domini maris. Formam Tritonis describit Apollonius lib. 4. Argon. cantatissimus est poëtis. Virg. 1. Æn. Ouid. 1. Met. Lycophroni, Gyral. Natal. com. aliis. EQVOS] Lege Marcilium in hunc locum. DVMQVE PAR. SÆV. RAT. FER. PRÆL. NERLVS.] Quod supra epigr. 16. affirmauimus, Neptunum suo curru vehentem, obuisse classem, eamq; ad naumachiam instituisse, hic planissimè docet, cùm subiungit. *Abnuit in liquidis ire pedester aquis*, neque enim pedes per aquas voluit incedere, sed triumphali suo curru portari. Nereus autem idem, qui Neptunus pro mari ponitur, vt vel heri poëticam ingressi norunt. SÆVIS RATIBVS] ad iustam sæpe speciem belli naumachiæ apparabantur. quod Suetonius in Domitiano testatur. Xiphilinus & Tacitus in Claudio. *Centum nauium pugna erat. Vtrinque quinquaginta, Rhodij & Siculi nominabantur, qui certabant, omnes rei capitalis damnati, qui eruptione facta non prius sunt congreßi, quam ab exercitu Cæsaris cogerentur. Lacum enim muro ligneo seu ratibus circumdederat, ne paterent effugia, ipsiq; Prætoriani in ratibus adstiterant*, & quæ in Tacito & Xiphilino fusius describuntur.

QVICQVID ET IN CIRCO SPECT. ET AMPHIT.] In circo ludi varii, naumachiæ, venationes, equorum & curruum agitationes spectabantur. gladiatores etiam, rarius tamen. Dio, Herodianus, Lipsius, Bullengerus. Panuinius octo spectaculorum genera in Circo antiquis visitata scribit. Cursum siue certamina curulia & equestria, Gymnicum vel Athleticum. Pompam. Ludum Troiæ, Venationes pugnas equestres & pedestres, naumachias. Quæ ordine plane & erudite exponit, singulisque iconas & formas subiicit, vt omnia quasi oculis spectari præsentia videantur. Circorum etiam delineationes accuratas ac descriptiones ibidem spectabis. Hoc distichon vt monui reponendum est suo loco & secundo subiiciendum. Amphitheatro vero extructo gladiatores, venatores ac naumachiæ ad Amphitheatum translati, Agitationes, equestriaque certamina, & equorum cursus circo relicta. Hic poëta simul omnia spectacula ait iuncta fuisse cum naumachia. Lege Bullengerum de circo, qui omnia copiose ex variis scriptoribus tractat.

Sed plane versum emendo legoque cum aliis.

Quicquid & in Circo spectatur & Amphitheatro
Diues Cæsareo, præstitit vnda tibi.

Non *Cæsarea*, epig. 1. *Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro,*

FVCINVS ET PIGRI.] Non iactet Claudius suam Naumachiam in lacu Fucino, neque Nero suam in ligneo Amphitheatro, de quibus supra hoc ipso carmine ex Dione, Tacito, Suetonio dictum. De ipso lacu Plinius lib. 3. c 12. & lib. 36. c. 15. Tacitus Annal. 12. atque alii. PIGRI] à contrario Neronis, quem à neruo seu Græco νεῦρα deducunt, voce & significatione. Piger autem quia nihil in omni vita dignum nomine & vita gessit, imperium non auxit, imminuit multum & ipse totum simul cum vita amisit. melior citharœdus, quam Imperator. HANC VNAM] vt supra, *Vnum pro cunctis fama lo. opus.* colligit vniuerse, quæ diuersim sparserat.

De Prisco & Vero gladiatoribus.

XXVII.

Cum traheret Priscus, traheret certamina Verus,
Esset & æqualis Mars vtriusq; diu:
Missio sæpe viris magno clamore petita est:
Sed Cæsar legi paruit ipse suæ.
*Lex erat ad digitum * positam concurrere † palmam.*
Quod licuit, lances, donaq; sæpe dedit.
Inuentus tamen est finis discriminis æqui,
Pugnauêre pares, succubuêre pares.

* posita
† palmá.

Misit

Misit vtrique rudes, & palmas Cæsar vtriq;:
Hoc pretium virtus ingeniosa tulit.
Contigit hoc, nullo nisi te sub principe, Cæsar:
Cum duo pugnarent, victor vterq; fuit.

Martialem sapere putant viri docti hoc epigramma ex Virgiliana Appendice transcriptum, eidemque adscriptum.

De postulatitiis gladiatoribus hos fuisse, vel certe è ludo Cæsaris constat, quod Cæsar ipse munerarius his legem tulerit. De postulatitiis supra epigr. 20. de Myrino & Triumpho dictum largiter. Sententiam epigrammatis colligo. Priscus & Verus è familia Principis Domitiani vel Titi commissi in cauea cum diu Marte dubio, neutro vincente aut succumbente depugnarent, impatiens moræ, de more populus, vtrique missionem petiuit à Cæsare, qui reiecta petitione populi, gladiatoribus signum dedit, vt concurrerent, donec alter læderetur, & læsus sublato digito se victum fateretur, mox ambobus simul ictu pari læsis, vtrique victo, vtrique victori palmas misit & rudes. Hunc pugnæ euentum poeta miratur, & inuisum antea inauditumq; prædicat, Cæsarisque temporibus ac fœlicitati recte assignat. TRAHERET] neuter victus aut victor, quod nempe molestum erat populo. Lactantius *Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus est.* MISSIO SÆPE VIR. MAG. CLAM. PETITA EST.] Missio est, cum læsus gladiator, à populo, vel munerario, vel principe petit vitam, & impetrat in eum diem; occiditur à victore, cum missio non datur. Victus arma submittebat, supplicabat. Victor clamabat. HOC HABET. Populus, si infestus victo & inexorabilis missionem negaret, RECIPE FERRVM diris vocibus clamitabat, pollicemque vertebat.

Prudentius. ——*pectusq; iacentis*
Virgo modesta iubet conuerso pollice rumpi.

Et Vetus poëta. *Sperat & in sæua victus gladiator arena,*
Sit licet infesto pollice turba minax.

Intelligo autem pollicem vertere, esse tollere pollicem. Fauoris & missionis signum erat, premere pollicem, quod accipio, pollicem intra palmam conditum digitis fuisse pressum. De hoc insolenti clamore populi Martialis lib. 9. epig. 70.

Mitior in magno clamor furit Amphitheatro.

Seneca lib. 2. de Tranquill. & nos alibi. Sine missione munus dabatur, cum esset aut vincendum aut decumbendum, qualia sine missione spectacula Domitius Neronis non degeneris auus sæpius edidit, vt Augustus edicto coactus sit vetare, ne sine missione darentur. Testes horum pete è Saturnalibus Lipsii cap. 21. & 22. libro 2. 2. editionis, vbi & hoc poëtæ nostri epigramma adducit, & multa de clamoribus, vulneribus, aliisque tristibus gladiatorum factis, ex variis erudite disputat. SED LEGI CÆSAR PARVIT IPSE SVÆ.] Hinc conuecto Cæsarem voluisse Priscum & Verum sine missione pugnare, aut certe dum alter vinceret. Ipse enim suis gladiatoribus legem dictauerat, quam nolebat irritam. PARVIT] obseruauit, quod sanxerat. quid sanxerat? iam subiicit. LEX ERAT AD DIGITVM * POSITAM CONCVRRERE PALMAM.] Lex hæc priuata erat, Cæsaris munerarii, quam suis fiscalibus gladiatoribus tulerat, vt ad signum digiti (depositâ palmâ seu præmio cum rudibus) armis concurrerent, quoad alter læderetur. Et quia priuata lex & aulica tantum erat, eo poeta velut minus vsitatam vulgo, ipse exponit. Hinc dicit, quod Cæsar ipse suam legem, quam gladiatoribus tulerat, noluerit violare, quamuis missionem peteret populus. Digitum accipias pro sublato digito à læso & victo, quo se victum profitebatur, vti dictum. lenius ergo poëtæ est. Lex erat Cæsaris, vti ex duobus gladiatoribus Priscus aut Verus non prius palma donaretur, quam alteruter sublato digito se victum agnosceret, ita vt palma & victoria concurrerent, simulque iungerentur. Ramiresius hic ante Victoriam cecinit triumphum. Nam apud Quintil. libro 8. cap. 5. nihil est de elato digito. locum ipsum pono & expono. Soror germanum suum sæpius ære suo redemerat à ludo, nec tamen ille abstinebat ab arena, ad quam se iden idem auctorabat. Soror, vt illi copiam pugnandi adimeret, dormienti noctu pollicem præscidit. Frater cum ea in ius vocatà talionis egit, hoc est, petiit vt sorori aut digitus aut potius tota manus recideretur, quod vti manu non posset ad pugnam, cum pollice careret, nec gladium teneret. patronus sororis dixerat; contra fratrem: *Eras dignus vt haberes manum integram.* Sic enim auditur, *vt depugnares.* Sic enim auditur, inquit Fabius, hoc est, subauditur Græce, vt recte Musambertius; *ποιῆται* vel *ἵνα ἀγωνίσῃ.* Sequitur infra in Quintiliano, qui ex accusatoris persona contra sororem verba adducit; *an digito pugnaui?* quasi diceret: nonne integra manu pugnaui? potui ne digito pugnare: nonne sublato pollice manum istam inutilem reddidisti, ac perinde fecisti vt si totam manum abscidisses? Hæc est germanissima illius loci ex Fabio explanatio. Nec enim legendum est: *at digito pugnaui:* vel: ad digitum mihi pugna est. Vides lector nihil agi nec cogitari de erecto vel elato sublatoue digito; sed de pollice à sorore fratri reciso, ne pugnare posset. frustra sunt ergo alii, qui ad hunc locum Quintiliani confugiunt cum nihil ad versum & fides. Illud autem, quod apud

* *posita concur. palma.*

apud Ciceronem & Plinium extat, in digito mori, extra lineam est, vti &, minimo prouocare. Palma autem victoris præmium. Suetonius. *Myrmillonem ferrea sicca confodit, & more victorum cum palma discurrit.* Cicer. pro Sex. Roscio de Capitone, *multarum palmarum nobilis gladiator.* & ibid. *Multas eius esse infames palmas, hanc primam lemniscatam.* Commodus, apud Lampridium, mille palmarum victor pronunciatus. Herodianus etiam basi Colossei inscriptum ait, ἀντὶ τοῦ Γερμανοῦ, χιλίους μονομάχους νικήσαντος. Quæ Musambertius ex interprete Homeri Iliad. 3. laudat de δακτυλοδειξίᾳ apud Eustathium non reperio, in quo victoriæ signum erat futura cædes vel Paridis vel Menelai. Menelaus vicerat, non occiderat: Troiani negarunt pactam victoriæ palmam Helenam, quod alter negaret se victum, cùm non esset occisus. De digito sublato nihil lego. Verba Eustathii ad illos versus Homeri sunt hæc:

Εἰ μέν κεν Μενέλαον Ἀλέξανδρος καταπέφνῃ, &c.

Et: Εἰ δέ κ' Ἀλέξανδρον κτείνῃ ξανθὸς Μενέλαος
Ερίκησε, &c.

Gasper Parthius vir eruditus & infinitæ lectionis lib. I. cap. 17. pag. 57. prorsus aliam adfert huius loci explanationem quæ mihi sanè non displicuit: Martialis inquit, momentum volens describere, *ad digitum* dixit. Palma posita erat concursuris momento, vter præualeret, vitæ necisque potestate sub vnum ictum commissi. Sic incertus poeta Anthol. VII.

Πίνωμεν Βάκχου ζωρὸν πόμα, δάκτυλος ἀώς.
Ἢ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν μένομεν;

Hoc est, vnius spacium digiti omne id quod viuimus est: Frontinus in expositione formarum, minima mensurarum est digitus. Agrimensor incertus: Digitus est pars minima mensurarum agrestium. Hinc ad ictum temporis translatum est. Hæc Parthius. Cuius sensus omnino videtur repugnare menti poetæ, qui non dicit ad momentum à Prisco & Vero concursum esse, cum tamen ad legem Cæsaris, hoc est, ad digitum concurrerent, sed longo tempore depugnatum ab iisdem, adeo vt populus molestia affectus & tædio, magno clamore peteret ab Imperatore vtriq; missionē quam negauit Imperator. Atque vt populus non ęgrè ferret moram, ab Imperatore sparsis aut missilibus placatum, ac demum post dicitur certamini impositum felici casu finem vt simul vterq; læderetur. Hæc inquam contra Parthium adferri possent. Ego tamen cum Parthio facio, quia poëta ad digitum gladiatores, concurrisse ait, vt momento temporis alter alterum deiiceret & interficeret, sed rarissimo & planè admirando casu factum, vt diu neuter læderetur, ac tandem vterq; simul vulneraretur & vterque vinceret vterq; vinceretur & vtriq; palma à Cæsare mitteretur.

QVOD LICVIT, LANCES, DONAQVE SÆPE DEDIT.] Ne interim spectatores moram ægre paterentur, misit populo dona & obsonia in lancibus. Caligula ante apud Suetonium c. 8. *panaria cum obsonio viritim in spectaculo diuisit.* Claudius sportulas. DONA] Missilia Suetonius Domitiano. *Septimontiali sacro quidem Senatui equitiq; panariis, plebi sportellis cum obsonio distributis, initium vescendi primus fecit, dieq; proximo omne genus rerum missilia sparsit.* Idem ante Titus fecerat per sphærulas rotundas de quibus Dio. σφαιρία γὰρ ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἐρρίπτει σύμβολον ἔχοντα, τὸ μὲν ἐδωδίμου τινός, τὸ δὲ ἐσθῆτος, τὸ δὲ ἀργυροῦ σκεύους, ἄλλο χρυσοῦ ἵππων ὑποζυγίων βοσκημάτων, ἀνδραπόδων. *Titus paruos globos ligneos de superiore loco iaciebat in Amphitheatrum, in quibus scripta erat nota alicuius esculenti, vestisue, aut vasis argentei, aut aurei, equorumq; & iumentorũ ac mancipiorum.* Singulis ergo dabatur id, quod illius sphæra inscriptum habebat: De donis Domitiani poeta lib. 8. epig. 53. & epig. 78. aliisque lib.

INVENTVS TAMEN EST FIN. DISC. ÆQVE] finitum tandem certamen est, sed casu memorando. PVGNAVERE PARES, SVCC. PARES] vterque victus, vterq; victor. simul alter ab altero læsus. MISIT VTRIQVE RVDES] Rudis distinguitur à missione: Missio liberabat gladiatorem in eum diem, vel in id munus, rudis in omnem vitam gladiatorem ab arena liberum pronunciabat, nisi volens ipse vel pecunia pugnaret. Missio dabatur læso & victo. Rudis victori in nouo aliquo & inusitato facto: Dabatur vel à lanista, vel editore, postulante plerumq; populo: Rudis erat duplex, altera ligneus gladius incuruus Tusecken, quo batuebant tirones, altera Scipio, qui dabatur veteranis gladiatoribus, velut signum magisterii. Lipsius lib. I. Sat. c. 15. plane distinguit hanc ferulam à rude tironum. Petrus Faber scipionem etiam appellat, qui certe non gladius. Rudis tamen ξυλίνη μάχαιρα gladius ligneus fuit, isque vel rectus, vel incuruus, pro modo cuiusque armaturæ. Threci incuruus, secutori rectus. Lipsius lib. I. Sat. c. 15. in orâ. Vocabatur eadem ferula & virga. Græcis ῥάβδος ἡ τῶν ἐπιστατῶν τῶν μονομάχων. Vnde pro magisterio ac præfectura per metaphoram, & rude donatus, liberatus à schola magister, aut scribendi labore, vt est apud Horatium Varronem & alios. Rudem victor stans ad crepidinem Circi, sub circulo Amphitheatri à populo petere & impetrare solebat. Quintilianum, Senecam, Petrum Fab. lib. I. Ag. c. 22 & lib. 2. sem. c. 11. Lipsium lib. 2. Satur. cap. 21. & 22. do testes. Palma communis erat omnibus victoribus. HOC PRETIVM VIR. IGN. TVLIT] Populus tantum missionem petiuerat, Cæsar propter insolitum pugnæ euentum, & missionem & palmam, & rudem victis victoribusq; iisdem indulsit. CONTIGIT HOC NVLLI] Ἐπιφώνημα cum recta palpatione, qua miraculum hoc diuinitati cuidam

Cæsaris

Cæsaris adsignat. VICTOR VTERQVE] quia victus vterque & læsus. Ita que versum iterare potuit Martialis & dicere

Cum duo pugnarent, victor vterq; fuit:

Et: *Cum duo pugnarent, victus vterq; fuit.*

Ex fragmentis. Ad Cæsarem.

Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat Cæsar qui placuisse tibi.

Dixi in Prolemmatis hunc libellum aliquot epigrammatum iacturam fecisse, quod cùm ex illis de lepore & leone desiderantur, tum his quoque versiculis semiplenis intelligis. Videtur hoc distichon clausulæ epigrammatis vltimum fuisse, quo carminum ex tempore scriptorum festinationem excusat, illa enim sunt gratissima, quæ munus vel opus editum proximè sequuntur. quod Virgilianum illud docet.

——*sero venere bubulci.* Lege adagionem: *sero venisti.*

Ita Statius de suis siluis minime siluestribus. *Dubitaui, &c. an hos libellos, qui mihi subito calore, & quadam festinandi celeritate fluxerant, cùm singuli de sinu meo prodissent, congregatos ipse dimitterem.* Et mox. *Sed apud cæteros necesse est multum illis pereat ex venia, cum amiserint, quam solam habent. gratiam celeritatis. Nullum enim biduo longius tractum. quædam & singulis diebus fusa.* Vbi multa de celeritate calami: Ita præf. lib. 2. *Eandem exigebat stili facilitatem leo mansuetus. quem in Amphitheatro prostratum frigidum erat sacratissimo Imperatori ni statim traderem.* Ita poeta suam celeritatem carminum in venationes editorum defendit, quod studuerit placere Cæsari, quod nemini merito debet displicere, cum sera gratulatio rustica sit & ingrata, quam Augustus Ciceroni inter vltimos occurrenti obiecit.

Alterum.

Cedere maiori virtutis fama secunda est;
Illa grauis palma est, quam minor hostis habet.

Et hoc distichon epigrammatis cauda. pugnam imparium videtur poeta celebrasse, in quo minor maiorem seu vir virum, seu fera feram, vt supra tigris leonem vicerit. CEDERE MAIORI] vt apud Virgilium lib. 10. Æneas de Lauso.

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem;
Æneæ magni dextra cadis ——

MINOR HOSTIS.] Cùm vincit maiorem, maxima laus est. In ludo gladiatores inter se comparari solebant, vt pares cum paribus componerentur. Indigne enim ferebant, si cum inferioribus pugnandum esset, quod victores inferiorum nullam laudem adipiscerentur, victi summũ dedecus conciperent. Seneca: *Ignominiam* inquit, *iudicat gladiator cum inferiore componi: & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur.* Minori autem, si vincat, maior laus est nihilo minus vt Turno ab Ænea. Reiicit hæc fragmenta Ramirezius: admittit Scaliger, lector bonus arbiter esto. mihi non videntur aliena stilo Martialis.

MATTHÆI RADERI
AD
M. VALERII MARTIALIS LIBRVM PRIMVM
Commentarius.

EPISTOLA.

Secuturū emendandus ipse Domitius emēdat. Heraldum lege.
al. Mihi fama.
veritatem MSS.
Prælegitur Lipsius Recte legit.
clusero.

SPERO me * *secutum in libellis meis tale temperamentum, vt de illis queri non possit, quisquis de se bene senserit, cùm salua infimarum quoq; personarum reuerentia ludant; quæ adeo antiquis auctoribus defuit, vt nominibus non tantum veris abusi sint, sed etiam magnis.* * *At mihi fama vilius constet, & probetur in me nouissimum ingenium. Absit à iocorum nostrorum simplicitate malignus interpres, nec epigrammata mea scribat: Improbè facit, qui in alieno libro ingeniosus est. Lasciuam verborum* * *licentiam, id est, epigrammaton linguam excusarem, si meum esset exemplum: sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo sic Getulicus, sic quicunque* * *perlegitur. Si quis tamen tam ambitiose tristis est, vt apud illum in nulla pagina Latinè loqui fas sit, potest epistolâ, vel potius titulo contentus esse. Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales. Non intret Cato theatrum nostrum; aut si intrauerit, spectet. Videor mihi meo iure facturus, si epistolam versibus* * *clusero.*

Argumentū epistolæ.

Caput est, innocentia esse sua epigrammata, quibus non personas, sed vitia notet. Verborum licentiam auctoritate maiorum defendit. Catones nil moratur.

Innocēs Musa Martialis.

DE SE BENE SENSERIT] sibi bene conscius, de aliis bene recteq; existimabit. Nam mali, de bonis etiam male, boni de malis bene senti e consueuerunt. Aut; quisquis vere sibi non conscius existimarit, SALVA INFIMARVM QVOQVE PERSONARVM REVERENTIA.] Cùm nullius famam, nec postremissimi quidem nominatim lædam lib. 10. epig. 36.

> *Hunc seruare modum nostri nouere libelli,*
> *Parcere personis, dicere de vitiis.*

Quando vera, quando ficta nomina lemmatum.

Atqui poëta singulis epigrammatis etiam propudiosis certa præfigit nomina? Sed non certorum hominum, nec vera, sed ficta, nisi cum laudat lib. 5. epigr. 15.

> *Quintus nostrorum liber est Auguste iocorum,*
> *Et queritur læsus carmine nemo meo.*
> *Gaudet honorato, sed multus nomine lector,*
> *Cui victura meo munere fama datur.*

Videntur tamen quidam famosa carmina sparsisse, quæ Martiali tribuebant, vt poëtæ periculum crearent. Sed illa magnoperè ab se abiudicat, omnesque diras illorum auctori inprecatur lib. 7. epig. 71.

> *Et quantum poteris sed vsq; clames;*
> *Non scripsit meus ista Martialis.*

Lib. 10. epig. 5.

> *Et cum fateri Furia iusserit verum,*
> *Prodente clamet conscientia, SCRIPSI.*

Maledici poetæ.

QVÆ ANTIQVIS DEFVIT] Lucilio, Metrodoro Scepsio, Catullo, Ortacilio, aliis. Lucilius Metellum, Lupum, Mutium Albinum lacerauit. Horatius lib. ser. 2. Sat 1.

> *—— aut læso doluere Metello*
> *Famosisq; Lupo cooperto versibus ——*

Cic. lib. 1. de Fin. ponit Lucilii versus. Persius de eod. Sat. 1.

> *—— secuit Lucilius vrbem*
> *Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.*

Græci maledicentissimi

Catullus præter alios, Mamurram & in Mamurra Cæsarem notauit. Mamurra enim eques Romanus, & præfectus fabrûm C. Cæsaris in Gallia bellum gerentis erat, de quo Plinius lib. 36. cap. 6.

cap.6. *Hic est ille Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus.* Suet. Iul. Cæs.c.73. Metrodori Scepsij mentio est apud Ouid.4.de Ponto ad Tut. & Plinium loco d. Græci Latinis multo fuere liberiores. Notus est virulentus Archilochi Iambus, quo Lycamben cum tribus filiabus ad laqueum adegit, vt Terentianus prodidit: nec ignotus Hipponactis Scazon, quo Anthermum & Bupalum ad idem fatum compulit, quod tamen falsum esse ostendit Plinius. Inde certè nata adagia de maledicis. *Archilochi patria, Archilochia edicta, Lycambea venena, Hipponactium carmen*, & hoc genus alia. Non cesserunt his Comici Prisci, Aristophanes, Gratianus, Eupolis, qui postremus, vt Cicero ad Atticum scribit, ab Alcibiade, quod esset perstrictus carmine, est in mare præcipitatus, cautumq; ab eodem, ne quis nominatim quempiam suis carminibus perstringeret. *Ex quo factum est*, inquit Gyraldus Dial.6.hist. poët. *vt prisca Comœdiæ acerbitas in leniorem formam immutaretur.* Vnde reor suam legem mutuati Romani, qui capite sanxerunt infamiam carminis. Cic.4. Tuscul. *Quanquam id quidem etiam 12. tabula declarant, condi iam tum solitum esse carmen: quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, leges sanxerunt.* Et lib.4. de Repub. *Nostræ contra 12. tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his, hanc quoq; sanciendam putauerunt, si quis actitauisset, siue carmen condidisset, quod infamiam adferret, flagitiumue alteri. Præclarè; iudiciis enim ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non Poëtarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire, nisi ea lege, vt respondere liceat, & iudicio defendere.* Horatius epist. ad Augustum---*quin etiam lex*

Pœnaq; lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi.

Et lib.2. Satir.

Sed tamen vt monitus caueas, ne fortè negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum,
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumq; esto.

Cornutus seu, vt alij malunt, Pseudocornutus Persij vetus interpres ad Sat.1. docet, capitis aut fustuarij pœnam fuisse maledico poëtæ. Extat & Pauli I.C. sententia (lib.5. titulo de Iniuriis) de famosis carminibus. & lib.1. C. de famosis libellis. S. Augustinum de ciuit. Dei consule, lib.2. cap.12. & ad illum locum Lud. Viuem. Arnob. lib.4. Donat. ad Terentium de Comœdia. Sidonium epist. 3. lib.1. Ioan. Sauaronem ad eundem Sid. locum. Hinc poëta noster tam solicitè & cautè suam dicacitatem excusat.

NOMINIBVS VERIS] nudis, inquit Domitius, sed planè nudè, & intelligit inuerecunda, cum poëta de nominibus propriis hic loquatur, quæ non vera, sed ficta se affirmat adhibuisse in vitiis carpendis, id quod iuratus dicit lib.7.

Ludimus innocuis verbis, hoc iuro potentis
Per Genium Famæ, Castaliumq; gregem.

MAGNIS] Cæsarum, consulum, principum & nobilium virorum, vt hodie Pontificum, Regum, purpuratorum, in quos famosi libelli à famosis, & improbis sparguntur. FAMA VILIVS CONSTET] nolim ex aliorum infamia famam aucupari. NOVISSIMVM] tardissimum, stupidissimum. malo enim abiicere famam ingenii, quàm malè ingeniosus videri. Nouissimum, aliâs ad tempus vltimum & postremum, præteritum tamen, non futurum exprimendum refertur. Plancus ad Cic. *Quo ego interprete nouissimè ad Lepidum sum vsus.* & lib.11. epist.1. Bruti. *Post nouissimum Hirtij sermonem. Quid? Mec. dixitq; nouissima verba.* Rarenter, imo nunquam Cicero ipse sic locutus legitur. Alias ordinem in gradu honoris, dignitatis, ingenii notat. * Cic. pro Q. Roscio Comœdo. *Breui tempore, qui ne in nouissimis quidem erat histrionibus, ad primos Comœdos peruenit.* Hoc intellectu dixit Martialis nouissimum ingenium pro minimè prompto, acuto, & celeri, sed tardo, hebeti, stupido. sim postremus ingeniosorum: Hunc locum negant à me rectè explicatum; ego vero aio, & ipsorum Raderomastigon tabulis confirmo. Parthius nuper, *nouissimum* ὑπερβολικῶς explicat, sed eod. fere sensu. Nouissimum inquit, est aduerbium, & sententia auctoris Probitatem Modestiam & tales alias virtutes primas in se laudatas velle, ingeniositatem postremo loco satis putare laudari. Ita Parthius. De re persuadet, de aduerbio non item. M. Velserus putat hanc mentem poëtæ: Non tanti facio ingenii famam, vti velim ex aliorum infamia colligere laudem: primum locum in meis libris teneat reuerentia virorum illustrium vti nullum perstringam; alterum, laudes clarorum virorum; postremum & nouissimum commendatio ingenii si qua inest, eritq; in libris meis & epigrammatis.

At mihi fama vilius constet, inquit Martialis: ego exposui, nolim ex aliorum infamia famã aucupari, hoc est: non tanti mihi sit argutum videri in epigrammatis meis, vt id velim aliis lædendis comparare; sic enim Ramiresius iuxta mecum rectè interpretatur. quasi tu dicas: non tanti mihi sit argutum videri; siue: malim non argutus, sed hebes & stupidus videri, quàm cum aliorum infamia acutus dici & argutus haberi.

Sequitur in Martiale: *& probetur in me nouissimum ingenium.* dixi nouissimum idem hic valere quod tardissimum, vltimum, stupidissimum, postremissimum: Quia Martialis *fama mihi vilius constet*, hoc est, malim non argutus videri: rectè ergo subiungit *nouissimum ingenium in me probetur*, ac si diceret, & explicaret, quod obscurius dixerat *mihi fama vilius constet*: malim non ingeniosus nec acutus videri, quàm calumniosus: immò probetur in me nouissimum ingenium; malim tardissimus &

Lex de famosis carminibus à Græcis orta.

Romani capitis pœna sanxerunt carminis infamiam. in legib. Regiis.

SI QVIS CARMEN OCCENTASSIT. ACTITASSIT. CONDIDISSIT. QVOD ALTERI FLAGITIVM FAXIT, CAPITAL ESTO.

Nuda verba infrà excusat.

* *Errat A. Gell. c.21. lib.10. Vide Beroaldum, Muretum ad phaselum Catulli.*

postremissimus planeque stupidus haberi, quàm quemquam lædere. Nonne hæc ad mentem ipsissimam Martialis? Tu verò mox recedis à te ipso, & illud *fama mihi vilius constet* aliouorsum accipis, dicisque, comparare famam vilius, quàm veteres, ingeniosa res est, hoc ego facio: (nam hoc est; *in me probetur nouissimum ingenium*) ingeniosus ergo præ cunctis antiquis, siue ingeniosissimus ego: sic enim tu Martialem facis seipsum laudantem. Sed iam tute collige in summam dicta tua & postrema coniunge cum primis. dixeras *fama mihi vilius constet*, id est, malim non argutus videri: & comparare famam vilius (nam hoc est *fama mihi vilius constet*) ingeniosa res est: ingeniosus, & non argutus siue stupidus pugnant in se. πᾶ στῶ; πᾶ κάμψω; πᾶ κίλσω; vt ille cęcus Polymnestor apud Euripidem, Ipse iam tibi ductricem porrigam dextram. Relinque meam mihi interpretationem illam primam, quæ tibi ἐκ μέσης εἰς κεφαλήν conuenit: & tu tibi serua alteram, quæ item bella est, si dicas: *mihi fama vilius constet*. i possum ego vilius famam comparare, quàm veteres: *probetur in me nouissimum ingenium*. quia inueni nouam artem, quâ id faciam sine cuiusquam infamia, quod sine maximo ingenio non potest fieri. id ergo in me probetur.

MALIGNVS INTERPRES] omnia in peiorem partem vertens, vt bonus interpres apud Senecam 2. de Ben. contrario sensu. EPIGRAMMATA MEA SCRIBAT] aliter, ac ego, interpretetur, & noua alienaque interpretatione quasi noua scribat, & sua faciat. SCRIBAT] alii interpretantur, inscribat, quod nescio an ex mente vatis nostri, quem puto parodiam, vel centonem intellexisse, adiunctis fortè etiam veris nominibus, cum leuiter mutatis vocibus paucis carmen ad certum aliquem refertur. Alii, describat, vt carpat, quod non placet. Alii: rescribat ad suum ingenium. Non placet illud, scribat, hic exponere, accuset. quamuis Budæus ex Synesio doceat, Græcis τὸ γράφειν etiam accusare, sicut & γράφεσθαι, valere. non legi tamen apud Latinos idem esse scribo, quod accuso, etsi cum adiecto *scribere dicam*, significet accusare. Iocorum porro simplicitatem hic carminis innocentiam vocat, non lasciuiam, quia sequitur τὸ. LASCIVAM VERBORVM LICENTIAM] veritatem, habent aliæ scripturæ, nec falsò; intelligit enim puram impuritatem, hoc est, apertam pudendarum appellationem, vt lib. 5. ipse declarat.

Schemate non dubio, sed apertè nominat illam,
Quam recipit sexto mense superba Venus.

Petronius. *Quid me constricta spectatis fronte Catones,*
Damnatisq; nouæ simplicitatis opus, &c.

Plinius minor *nuda verba* appellauit. EPIGRAMMATVM LINGVAM] Oscam seu Latinam, hoc est, vt hic accipitur, lasciuam & petulantem, obscænam. Latinè loqui, præter vulgatum vsum, valet, simpliciter, apertè, ingenuè & sine dissimulatione ac integumento verborum loqui. Cic. 6. in Verrem. *Non enim verbis neq; criminis caussa augendi complector omnia, cùm dico, nihil istum eiusmodi rerum in tota prouincia reliquisse. Latinè me scitote, non accusatoriè loqui.* Latini enim simplices minimeque fallaces habebantur. Martialis loqui, apertè verbis lasciuire & petulanter loqui dixit lib. 11. epig. 21.

Cæsaris Augusti lasciuos liuide versus
Sex lege, qui tristis verba latina legis.

Latina verba, obscœna prætextata. Latina verba, obscœna & prætextata intelligit. Turneb. vide lib. 24. c. 5. MEVM EXEMPLVM.] Quod exemplo fit, omnes rectè fieri (non rectè tamen) autumant. Hoc exemplum lib. 8. epist. ad Domit. laudat his verbis: *Quamuis autem epigrammata seuerissimis quoq; per suprema fortuna viris ita scripta sint, vt inimicam verborum licentiam affectasse videantur, ego tamen illis non permisi tam lasciuè loqui, quàm solent.* Eodem exemplo tuetur suos hendecasyllabos. Plinius lib. 5. ep. [illegible]. *Facio nonnunquam versiculos seueros parum, &c. Nec molestè fero, hanc esse de moribus meis existimationem vt, qui nesciunt talia doctissimos,*

Auctores lasciuorum epigrammatum. *grauissimos, sanctissimos homines scriptitasse, me scribere mirentur.* Et mox infrà: *An ego verear (neminem viuentium, ne quam in speciem adulationis incidam nominabo) ne me non satis deceat, quod decuit M. Tullium, Caium Caluum, Asinium Pollionem, Marcum Messalam, Quintum Hortensium, Marcum Brutum, Lucium Sullam, Quinctum Catulum, Quinctum Scæuolam, Seruium Sulpitium, Varronem, Torquatum (immò Torquatos) C. Memmium, Lentulum, Getulicum, Annæum Senecam, Luceium, & proximè Virginium Rufum, &, si non sufficiunt exempla priuata, Diuum Iulium, Diuum Augustum, Diuum Neruam, T. Cæsarem? Neronem enim transeo, quamuis sciam, non corrumpi in deterius, quæ aliquando etiam à malis, sed honesta manere, quæ sæpius à bonis, inter quos vel præcipuè numerandus P. Virgilius, Cornelius Nepos & prius Ennius Acciusque. Non quidem hi Senatores, sed sanctitas morum non distat ordinibus.* Plurima sanè super eodem exemplo Apuleius Apol. pro seipso prima, vbi se auctoritate Latinorum & Græcorum Philosophorum, iuxta ac poëtarum & Imperatorum defendit. Iterumque Plinius lib. 4. ep. 14. *Erit eruditionis tuæ cogitare summos illos, & grauissimos viros, qui talia scripserunt, non modò lasciuia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse, quæ nos refugimus.* Multò certè magis nobis refugienda, qui religionem colimus sanctiorem. Illos non miror quà verbis, quà moribus impuros, qui ipsam impuritatem, hoc est, Venerem, Priapum, Cupidinem, Volupiam, Libertinam, Floram, Potinam, Educam, Iugatinum, Mutinum, & alia sexcenta Acherontis monstra, ipsosque impuritatis auctores Dæmones pro Numinibus coluere. Christianos detestor,

Christiani poetæ hæretici spurciores qui Virginis filium ab omni labe remotissimum professi, spurcissimis tamen verbis, versibus, & scriptis religionem, iuuentutem, conscientiam contaminant, & lasciuia obscœnitateque omnia paganorum

norum gentiumque exempla superant, promptum esset hos auctores indigitare, sed ne nominando quoque nocamus, tacendo nunc prosimus. Hoc teneatur. si verbum otiosum ad tribunal Christi reum citabitur, pœnaque plectetur, quid de spurcis, fœdis, exitialibus dictis futurum sit. Sed de obscœnis voluminibus copiosè Gretserus l.1. c.26. de iure & more prohibendi libros, &c. SIE MARSVS] Sidonius carm.9. *Non Getulicus hic tibi legetur, Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus.* De Getulico etiam Plinius epist.3. ad Arist. lib.5. Marsi, Pedonis, Getulici, Catulli epigrammatariorum ortus, vitas, mores & mortes exponit Gyraldus ex variis scriptoribus, quem tu consules, nos suo loco de his copiosius. QVICVNQVE PERLEGITVR] emendat Lipsius, prælegitur, in scholis nempe vt Virgilius, Catullus, alij. Sed negant epigrammatarios in scholis prælectos. certè noster lib.8. ep.3. videtur negare: vt malim *perlegere* quam *prælegere.* EPISTOLA VEL TOTIVS TITVLO] Qui abhorret lasciua epigrammata, legat tantùm epistolam libri, vel potius titulum suum epigrammatum, hoc est, titulum libri. (Nota Ramiresi; dixi titulum, non titulos) & librum ponat, quando in epigrammatis præter epigrammata nihil est expectandum, cum epigrammatum hæc sit natura & lingua. ILLIS QVI FLORALIA] Floralia fuere spectacula ad cultum Floræ Deæ, dignæ illis sacris, instituta; fœda penitusque castis oculis, immò auribus & cogitationibus excludenda, contra quæ maiores nostri certatim declamarunt, Tertullianus spectacul. lib. Lactantius 1. Institut. Tatianus aduersus gentes, Minutius in Octauio. D. Augustinus ludos alios theatricos, quamuis turpes, præ his tamen honestos fuisse scribit. Describit hos Ouid.5. Fastorum. Augustinus de ciuit. Dei, lib.4. cap.8. Plinius lib.18. cap.29. Nobis cum Catone ex hoc theatro non abeundum, sed fugiendum, immò nec intrandum. Quod de M. Portio Catone sequitur, pete è Val. Maximo lib.2. c.4. Gyraldo lib.1. Syntagm. VERSIBVS CLAVSERO] Epigramma ad Catonem intelligit, quod in Iuniana editione tertium est, primo tamen loco reponendum, ipsique mox epistolæ subscribendum. *

Nosses iocosæ dulce cum sacrum Floræ,
Festosq; lusus & licentiam vulgi,
Cur in Theatrum Cato seuerè venisti?
An ideo tantum veneras, vt exires?

Paganis, Beza, Dousa, Ioannes secundus, &c.

Contra Floralia.

* *Vt est in Gryphianis M. Cato, de re Floria librum composuit. Gellius lib. 10 cap.13. Ad hoc lege Heraldum & Rigaltium.*

Ad Lectorem epigramma.

I.

Hic est quem legis ille, quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis,
Argutis epigrammaton libellis.
Cui, lector studiose, quod dedisti
Viuenti decus atq; sentienti,
Rari post cineres habent poëtæ.

Superstiti sibi propagatam famæ nominisque æternitatem gloriatur. HIC EST ILLE] Se ipsum calamo demonstrat, digito quoque monstratum à populo lib.9. epig.99. iactat.

Rumpitur inuidia, quòd turbâ semper in omni
Monstramur digito ———

Ad quem locum multus est Heraldus, & nobis minimè pauca suppetebant, sed ἀπειροκαλίαν negligamus. Sunt qui negant hoc epigramma primum esse huius libri, sed generale & quasi programmma cæterorum, extra ordinem positum, eo quod dicat Martialis: *Argutis epigrammaton libellis.* Aiunt alii quod etiam secundum epigramma alioqui sit ab ordine eximendum. Ego primum & secundum rectè suum locum & numerum in ordine obtinere censeo, sed hæc duo epigrammata ab ipso poëta adiecta tum, cum epigrammata recognita in ordinem digereret. Recognita autem alibi docet.

ARGVTIS EPIG. LIBELLIS] Non ignorauit poëta suas laudes, primamque virtutem epigrammatis, acumen inquam & argutiam, salsa & aculeata, piperataque dicta, sensa cogitataque meliora, quibus ita excelluit noster, vt si cum Græcis (taceo Latinos) componas, facilè intelligas Romanam Musam Graiæ parum, immò nihil concedere, sæpè etiam præcedere. cum illorum plurimi vix pauca condiderint, hic vnus plurima paucis illis non deteriora, sæpè meliora elucubrarit. Et pauca fortasse mediocri ingenio, difficile non sit elaborare: Sed volumina epigrammatum cum incredibili varietate, & argutiâ scribere, non est Cæsiorum, Aquinorum, Suffenorum, nec ipsius fortè Catulli, qui venustus magis quàm argutus. Vtè denique Hispanus noster:

Quod non insulsè scribis tetrasticha quædam,
Disticha quod bellè pauca Sabelle facis,
Laudo nec admiror. facilè est epigrammata bellè
Scribere: sed librum scribere difficile est.

LECTOR STVDIOSE] Lectoris studium, & pronum gratumque iudicium, poëtæ stimulus est ad scribendum, & præmium. Ouid.4. de Ponto. El.2.

Gloria, poëtarum calcar.

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Et idem: *Ingenijs stimulos addere fama solet.*

Iterum: *Plausibus ex ipsis populi, lætoq; fauore,*
Ingenium quoduis incaluisse potest.

De Trist.5. ——*Non paruas animo dat gloria vires,*
Et facunda facit pectora laudis amor.

Idem 1. de Rem. Am. & alibi. Propertius lib.3. el.6. Val. Flaccus lib.1. Aliique, & noster sæpius infrà. RARI POST CINERES HAB. POETÆ] Nomen poetarum, vt plurimum à morte reuiuiscit, quòd viuos premat inuidia, quæ timet contendi cum præsentibus, multò magis superari. Noster lib.5. epig.10.

Esse quid hoc dicam, viuis quòd fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt inuidiæ nimirum Regule mores, &c.

Ouid. li. de Ponto. Ele. vlt. *Inuide quid laceras Nasonis carmina rapti?*
Non solet ingeniis summa nocere dies.

Laudem verò posthumam viuis negatam omnes prædicant. Propertius lib.3. el.1.

Omnia post obitum fingit maiora vetustas.
Maius ab exequiis nomen in ora venit.

Ouid.4. Pon. *Scripta placent à morte magis: quia lædere viuos*
Liuor & iniusto carpere dente solet.

1. Am. *Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit,*
Tunc suus ex merito quemq; tuetur honor.

Idem. *Tu mihi quod rarum est, viuo sublime dedisti*
Nomen, ab exequiis quod dare fama solet,

Ad hanc rediuiuam poëtarum famam eleganter Persius alludit, cùm assentatores vano poëtæ posteritatem spondentes, & vaticinantes introducit. Sat.1.

Assensere viri? nunc non cinis ille poëta
Felix? nunc leuior cippus non imprimat ossa?
Laudant conuiuæ. nunc non è manibus illis
Nascentur violæ?

Iactat tamen & Ouidius sibi quoque viuo suam laudem impertitam.

Dicere si fas est, claro mea nomina Musa,
Atq; inter tantos, quæ legeretur, erat.

Et idem. *Famaq; post cineres maior venit, & mihi nomen*
Tunc quoque, cum viuis annumerarer, erat.

Ad lectorem vbi libri venales.

II.

Qui tecum cupis esse meos vbicumq; libellos.
Et comites longæ quæris habere viæ,
Hos eme, quos artat breuibus membrana tabellis.
Scrinia da magnis, me manus vna capit.
Ne tamen ignores, vbi sim venalis, & erres
Vrbe vagus tota: me duce certus eris.
Libertum docti Lucensis quære Secundum,
Limina post Pacis Palladiumq; forum.

Studium discendi quantum priscis.

Hypothesin ex lemmate discis, etsi paruitatem operis iuxtaque commoditatem tibi commendat. QVI TECVM CVPIS ESSE M. V. LIBELLOS] Amabant veteres (tantum erit discendi studium) assiduum laborem, nullumque prope momentum patiebantur fugere, quin aliquid aut meditarentur, aut enotarent, aut lectitarent. Non in castris cessabant à lectione, non in itinere à scriptione, non in venatione à stilo, non in exilio, non apud hostes, non in ipsa custodia (vt Cic. 5. de Finibus docet) à studiorum meditatione: qua vel exilium, vel dolorem, vel alias animi corporisque molestias leuabant, vel otium delectabant, vel animum optimis disciplinis instituebant. Exemplo sunt Alexandri, Scipiones, Luculli, Cicerones, Cæsares, Plinii, & illi veteres heroes, non sæui tantùm θεράποντες ἄρηος, sed Musarum etiam Mystæ & antistites. Vnde sæculum tot viris & fortibus,

fontibus, & eruditis abundabat. MEOS] Parthius non ineptè coniectat pro *et meos* scribendum *tuos*: minus placet *et meos*. COMITES VIÆ] Publij Mimi gnome est, Iucundum comitem pro vehiculo esse viatori, quod & Homerus in Iliad. λ. insinuauit, cùm scripsit--ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου; quis autem iucundior comes, quàm scriptor eruditus? Elegans est apud omnis elegantiæ auctorem M. Tullium de literis nobiscum peregrinantibus dictum, etsi illas ille non ad membranas stilo calamoue exaratas retulit, sed ad eas quas in mente & pectore sitas, perceptasque nobiscum, circumferimus, *quæ delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur*, & quæ in oratione pro Archia sequuntur. Martialis de ipso Cicerone lib.14. epig.188.

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato

Carpere te longas cum Cicerone vias.

Quæ hoc loco de Quintiliani dicto (Grammaticam esse dulcem secretorum comitem) contra Ramiresium disputet Musambertus, ipse cognosces.

5 QVOS ARTAT BREVIBVS MEMBRANA TABELLIS] libellum ad modum pugillarium factum intelligas, qualia sunt enchiridia, ad quæ allusit, cum subiecit, me manus vna capit. Quos libellos Græci ἐγχειρίδια latini codices pugillares, manualia (quæ & ἀναλόγια Græcis) appellitant, vt est Epicteti, & Latinorum multa. Quæro tamen, an hîc perpetuam membranam, vt in voluminibus antiquorum cernis, an distinctas numero paginas accipiat, quales in pugillaribus, & pinacidiis sunt? distinctas reor. De pugillaribus lib.14. copiosè differemus, vti & alio loco de volumine, lib. hoc ep.67. SCRINIA] Sunt capsæ, cistæue, receptacula librorum, tabularum, diplomatum. I. C. frequens vox. erant etiam vnguentaria scrinia. Notum est ex Plinio & aliis illud Darij, quod Alexander Homeri carminibus DD. Poëtæ suorum scriniorum sæpè meminerint. Ouid.1. T.el.1.

Commoda breuis libri, & parui numerat lib.1. ep.1.

Cùm tamen in nostrum fueris penetrale receptum,

Contigerisq; tuam scrinia curua domum.

Horat. Sat.1. *Iam satis est, ne me Crispini scrinia Lippi*

Compilasse putes——

Et: *prius orto*

Sole vigil, calamum, & chartas, & scrinia posco, id est, libros. Iuuenalis cistam appellat. Sat. 1. de Codro.

Iamq; vetus Græcos seruabat cista libellos.

Catullus: ——*ad librariorum Curram scrinia, Cæsios, Aquinos, &c.*

Plinius epist.5. lib.5. *Visum est sibi per nocturnam quietem iacere in lectulo, compositum habitu studentis, habere ante se scrinium, ita solebat, &c.* VBI SIM VENALIS] Tabernæ librariæ, seu bibliothecæ, hoc est, repositoria librorum, plures fuere Romæ, inter has non venales Maiorum in monte Capitolino, Augusti in Palatio, iuxta Fidei templum Græca & Latina cum porticu Paulli, quæ ad eiusdem Basilicam in foro Cæsaris fuisse creditur. Vlpia, vbi postea thermæ Diocletiani; Marcelli prope theatrum eiusdem, quæ Octauiæ dicebatur, de qua alicubi Gellius. Asinij Pollionis, Virgilij, aliorum. Venales autem, Atrecti, de qua infrà epig.118. Triphonis lib.13. epig.3. Liberti Lucensis Secundi, de qua hic, & aliorum in Argileto, de quibus infrà. Huius hic locum ostendit cum Domino tabernæ. LIBERTVM SECVNDVM DOCTI LVCENSIS] Mancipia docta prisci Romani, vel domi aluere, vel aduentitia emêre, quæ sæpè si operam dominis fidemque suam probassent, manu mittebantur. Ita celebrantur Tiro & Laurea Ciceronis, Iulius Hyginus Augusti, Sæuius Marci Posthumii, qui primus Romæ ad famam docendo scribenduque peruenit, vt de se, ipse:

Bibliotheca quæ Romæ.

Venales.

Liberti doctissimi.

Sæuius Nicanor Marci libertus negabat,

Sæuius Posthumius idem sed Marcus docebat.

Lutatius Daphnis Q. Catuli; Valerius Cato Burseni; Cornelius Epicadius Sullæ; Pompæus Lenæus, Pompei Magni; Scribonius Aphrodisius Scriboniæ, & alii aliorum, Suetonium de claris Grammaticis vide. Nomina sumebant, vt cernis, à patronis, lege Panuinium, Sigonium, Vrsinum, alios. Lucensis verò libertus an Secundus sit appellatus à patrono Secundo, vel quod secundo loco sit natus Domino, an quia inter seruos, aut potius libertos fuerit ordo quidam gratiæ & dignitatis, vt alii primi, alii secundi, tertii, quarti dicerentur, an secundo loco manumissus, non ita patet, vt certò sciri possit, quidquid Turnebus lib.18. cap.3. coniectet de primariis, & secundariis libertis. Quod Domitius hunc scribam Othonis ex Plutarcho existimet, mihi non est vero simile, cum disertè illum Lucensis libertum appellet noster poëta, & multos fuisse Secundos illo æuo constet. Scriuerius hunc versum ita legit. *Libertum docti Lucensis quære Secundi.* *Secundi* inquam, non *Secundum*. Eodemque modo Parthius, qui Lucensi, ait nomen patriæ, quod Secundus Lucæ natus esset, mihique hæc scriptura valde arridet. Quæro iam quis fuerit Secundus? an L. seu P. Pomponius Secundus qui æuo Caij & Cladij floruit. Sed is non fuit Lucensis vt Gyraldus tradit. Quæro ergo Lucensem. LIMINA POST PACIS] locum vbi Secundus Libertus Lucensis tabernam librariam venalem habuerit, designat, ad Pacis nempe templum, quod in vrbe etiam infantibus erat notum, situmque in 4 regione vrbis, quę ab hoc nomen accepit postea, vt Onophrius, Sex. Rufus, P. Victor testantur, qui eam regionem ita inscribunt. Quo in loco velim lector attendas, ne templum Titi

Templum pacis vbi & cuiusmodi.

Vespasiani (quod Victor, & Rufus ponunt in 8. Regione, sed Rufus tantùm Vespasiani appellat, & Statius intelligit, cum de equo Domitiani scribit, *Terga pater blandoq; videt concordia vultu*) templum pacis existimes. Immò nec illud 6. Reg. templum Flauiæ gentis, sed quod est in quarta Regione foro proximum, quod Vespasianus Suetonio auctore à solo nouum excitauit nouumque fecit; quamuis affirment nonnulli Claudio antea inchoatum. Opus omnium in vrbe, vt Herodianus in Commodo scribit, maximum & pulcherrimum, cuius longitudo trecentorum ped. m, ducentorum latitudo fuit, forma quadrata. Laudat hoc Plinius lib.34. cap.8. Iosephus amplissimis verbis celebrat lib.7. belli Iud. Marlianus item lib.3. cap.11. Lipsius Admir. lib.3. c 6. sub Commodo conflagrauit. In hoc templo vasa & donaria templi Hierosolymitani à Tito deportata & deposita scribit Iosephus & B. Hieronymus. In hoc omnium liberalium artium Professores ad disputandum conuenisse, Galenus in serm. de libris propriis tradit. In editiore loco fuit ad S. Mariæ nouæ: vbi columna striata superstes visitur omnium, quæ Romæ sunt, altissima, & maxima. Iun. Schotti.

PALLADIVMQVE FORVM] Forum Transitorium 4. Regione situm, quod & forum postea Neruæ dictum. Onuphrius in Roma quartæ Reg. *Palladium aliàs transitorium, aliàs D. Neruæ.* P. Victor, & Rufus. tantum forum transitorium nominant, ideo dictum quod ab eo in forum Augusti Cæsaris, Romanum transiretur, vel quia in eo Iani templum, quatuor portarum fuerit, quæ transitione dictæ, vt est apud Seruium, inchoatum à Domitiano, perfectum à Nerua, nunc est post ædem S. Hadriani, inter Capitolinum & Quirinalem colles situm. Multa de hoc Lipsius lib.3. c.7. A. Palladium verò dictum haud dubiè à Palladis templo. Illud caue putes hic Palladium, quod erat in templo Vestæ ad forum Romanum, intelligi.

Ad librum suum.

IV. III.

Argiletanas mauis habitare tabernas,
Cum tibi parue liber scrinia nostra vacent?
Nescis, heu nescis dominæ * *fastidia Romæ,*
Crede mihi, nimium Martia turba sapit.
Maiores nusquam ronchi, iuuenesq; senesque,
Et pueri nasum Rhinocerotis habent,
Audieris cum grande sophos, *dum basia captas,*
Ibis ab excusso missus in astra sago,
Sed tu, ne toties domini patiare lituras,
Néue notet lusus tristis arundo tuos,
Ætherias lasciue cupis volitare per auras:
* *I, fuge; sed* poteras tutius esse domi.

** Al. fastigia sed mendosè.*

** Effuge.*

Librum è scriniis exire foras gestientem timidè emittit, quod vereatur, ne pro fama infamiam, pro gloria dedecus auctori suo domum referat, propter acerrimam Romanorum censuram, quam tamen Persius contempsit. Sed noster sibi lectorem Romanum conciliare studet.

Argiletum & Argiletana. bibliotheca.

ARGILETANAS TABERNAS] Bibliopolia Marlianus lib.4. cap.9. ponit in imo Argileto (nam duplex erat) haud procul Theatro Marcelli. Panuinius Argiletum collocat in 11. Reg. ibidemque tabernas Bibliopolarum Argiletanas, Argiletum à fine vici Thusci Marlianus incipit, & ad Theatrum Marcelli finit. Dictum vult Varro ab argilla eius generis terrâ, alii malunt ab Argiletho, quod ibi Argum cæsum ab Euandri sociis fabulentur, cui Euander tumulum ibi lucumque consecrarit, vt poëta ostendit. *Nec non & sacri monstrat nemus Argileti*, Est eiusdem inf. à lib.2. ep.17. mentio, vbi sutorum officinas ponit in Argileto.

Argiq; letum multus obsidet sutor.

Et lib. hoc epig. 118. Atrectum bibliopolam in Argileto tabernam habuisse scribit è Regione fori Cæsariani.

Quod quæris, propius petas licebit,
Argi nempe soles subire letum,
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc & inde totis.
Illinc me pete, &c.

Ab Argileto igitur sume Argiletanas tabernas Bibliopolarum. MAVIS HABITARE] gestis exire, affectas famam & plausum populi, tutius lateres adhuc in scriniis, memor edicti illius Horatiani:

——si quid tamen olim
Scripseris, in Metij descendat iudicis aures
Et patris & nostras, nonumq; prematur in annum.
Membranis intus positis delere licebit
Quod non ediderit: nescit vox missa reuerti.

NESCIS HEV NESCIS DO. FASTID. ROMÆ] limata enim, & polita iudicia, teretesque & tritas aures, quarum iudicium est superbissimum, Romani habebant. *Fastidia*) signa intelligit, quæ dabant Romani, cùm aliquid vel legerent vel audirent, quod damnabant. Plinius lib.5. ep.3. *Quid quisq; sentiat, perspicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, silentio, satis apertis notis iudicium ab humanitate discernunt.* Iudicium verò aurium per se est fastidiosissimum, vt auctor ad Herennium rectè iudicauit. Hinc apud Horatium est, auditorem legendo occidere. Catullus accepto malo poëta sibi continuo pereundum putauit car.14. ad Licinium Caluum.

Fastidium aurium & iudicium.

Di magni, horribilem & sacrum libellum,
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo vt die periret
Saturnalibus optimo dierum.

Sed eleganter idem fastidium exprimit, quod è Sextij oratione plena veneni, & pestilentiæ se concepisse queritur in Scazonte ad Fundum.

Hic me grauedo frigida, & frequens tussis
Quassauit, &c.

Hoc fastidium exprimit lib.2. epig.6. noster.

Lectis vix tibi paginis duabus
Spectas ἐσχατοκόλλιον Seuere,
Et longas trahis oscitationes.

Enimuerò Persius hoc vulgi iudicium contemnebat. Sat.1.

——Nugæ; non, si quid turbida Roma
Eleuet, accedas, examenue improbum in illa
Castiges trutina——

Sed Horatius etiam de iniquo vulgi iudicio queritur apud Mœcenatem.

Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametq; domi, premat extra limen iniquus.
Non ego ventosæ, &c.

DOMINÆ ROMÆ] De laudibus vrbis nos alibi fusè.

MAIORES NVSQVAM RONCHI] quia nusquam nasi longiores, qui sonantiores edunt ronchos, quibus poëta iudicia fastidiosissima significat; vt per nasos longiores, acriores censuras; Est ronchus propriæ stertentis sonus. Martial. lib.3. epig.82.

Septunce multo deinde perditus stertit,
Nos accubamus, & silentium ronchis
Præstare iussi, nutibus propinamus.

Græcè ῥύγχος à ῥέγχω διὰ ὀνοματοποιΐαν. Plautus. *Cyathissat, dum bibit, ronchissat, dum dormit.* Translatè pro derisore, superboque censore accipe. Sidonius. *Nec nos ronchisono Rhinocerote notet.* & Martialis lib.4. epig.47.

Ronci seu Ronchi irrisiones.

Si te pectore, si tenebit ore.
Nec ronchos metues malignorum.

ET PVERI NASVM RHINOCEROTIS HABENT] Etiam pueri sibi ius censendi, damnandi, irridendi sumunt Romæ. nec mirum. *Nam facilis cuiuis rigidi censura cachinni*, inquit Sat.10. Iuuen. Et sic informabantur à maioribus, vt Persius ait:

Hos pueris monitus Patres infundere lippos,
Cùm videas.——

Nasus ergo Rhinocerotis nimiam ridendi, carpendique libidinem & licentiam significat. Nasum enim subdolæ irrisioni dicauere veteres, vt Plinius lib.11. cap.39. testatur. Quare Horatius dixit--*naso suspendis adunco*. Et idem, *balatro suspendens omnia naso*, Et Persius, *rides, ait, & nimis vncis*

Nasus pro iudicio censura, irrisione.

Naribus indulges.——

Idem de Horatio. *Callidus excusso populum suspendere naso*

Et alibi: *Disce, sed ira cadat naso, rugosaq; sanna*

Ab eodem sensu nasutus dicitur doctus alios docte & vafrè irridere, lib.13. epig.2.

Martialis. *Nasutus sis vsq; licet sis deniq; nasus*
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas.

Σοφῶς acclamationis formula.

Græci μυκτηρίζειν, & ἀντιμυκτηρίζειν, dicunt ridere, & vicissim irridere. ... A VDIERIS CVM GRANDE SOPHOS] Cum Romani proceres lectis vel auditis tuis epigrammatis exclamarint SOPHOS, hoc est sapienter, acutè, bellè, rectè, egregiè, euge, vt Horatius & Persius docent, putabis te, simplex libelle, placuisse lectori, & basia osculaque velut signa probati ingenii expectabis. Illi verò per contemptum hoc facientes, & irrisionem, te postremo togæ sinu velut pilam iactabunt. Illud porrò σοφῶς acclamatio fuit Romanis planè solennis. Sidonius lib.1. ep.9. *Ad σοφῶς meum non modò laticlaui, sed tribulum quoque fragor concitaretur.* & eod. lib. *ob hæc illi maximum σοφῶς, non eloquentia prius, quàm verecundia dedit.* Mart alis.

Quod tam grande Sophos clamat tibi turba togata.

Et lib.5. epig.93. ———*tergeminum mugiet ore Sophos.*

Quintilianus lib.2. cap.2. grauiter humanitatem hanc, vt vocabant, insectatur, cum indecoram & theatralem licentiam, studiorum perniciosissimam pestem appellat. Oratoribus enim & Caussidicis acclamabatur variè. Cic.3. de Orat. *Quare bene & præclare, quamuis nobis sæpe dicatur: bellè & festiuè non nimium sæpe volo. quamquam illa ipsa exclamatio, non potest melius sit velim crebra.* Græci quoque suas ἐπιφωνήσεις habuere, cum oratoribus acclamarent, & recitatoribus dicebant, ὀρθῶς, εὖ, σοφῶς, vt Horatius *pulchrè, benè, rectè.* Et θείως, μεγάλως diuinè, magnificè. Contra quos Plutarchus lib. de seipso sine inuidia laudando. *οἱ δὲ ῥήτορες... τὸ θείως... καὶ τὸ... μεγάλως, ἐν ταῖς ἀποδείξεσι προσδεχόμενοι, καὶ τὸ μετρίως, καὶ τὸ ἀνθρωπίνως προσαπόλλυουσι. Rhetores cum in declamationibus, seu coetibus acclamationes hasce, diuinè, benè, magnificè, libenter admittunt, omnem modestiam, & sensum hominis amittunt.* Theophrastus in characteribus Ethicis adulatoribus vocem ὀρθῶς vsitatam tradit cap. de adulatione. De acclamationibus clamatum est satis in primo commentario; de harmonia & quasi musico concentu quoq; dictum; plura Tacitus Ann.l.XVI. Plinius Panegyr. Traiani, Xiphilinus Pertinace dixit ἐνρύθμως ἐπιλέγειν. Cassiodorus 1. Var. epist.31. Solebis, inquit, aëra ipsum mellifluis implere clamoribus, & vno sono dicere quod ipsis quoq; beluas delectet audire: profertis voces organo dulciores & ita sub quadam harmonia citharæ concauum theatrum per vos resonat, vt tonos quilibet credere possit, quàm clamores. DVM BASIA CAPIAS] *iactas* aliter legitur, quod si sanè accipias, tolerari potest: iacere enim oscula Phædrus lib.5. fab.88. Tacitus 1. Histor. dixere, pro, pangere oscula. Gruterum vide. Sit fortasse & hic sensus: basia iactas, promittis tibi & polliceris gratiam lectoris & basia. Quando audis, libelle, σοφῶς, putas sincerè acclamatum, & iam speras, immò captas, & iactas basia, sed non intelligis εἰρωνείας, & nasos Romanos. Poëtas recitantes, & populo doctisque viris probatos à fine passim familiares complectebantur. Hoc ex Plinio Iuniore discis, qui id à se factum ipse tradit. Nos fusè lib.10. Scriuerius mallet *basia iacta.* Cum audieris inquit, acclamationes auditorum & quorundam fautorum crepantia basia, gratulari omnes existimes; atqui continuò excides fastiditus. plura Scriuerius. IBIS AB EXCVSSO MISSVS IN ASTRA SAGO] Tu captas & iactas oscula, sed misellе, mox iactabere togâ. Hic mos Romanis, vt non tantùm libros malæ notæ, sed homines etiam iactarent. Suetonius Othone cap.11. *Ferebatur & vagari noctibus solitus: atq; inualidum quemq; obuium, vel potulentum arripere, ac distento sago impositum in sublime iactare.* Itali Gallique non ineleganter à Vanno vannare vocant. Læuinus Torrentius in Suet. Videtur allusisse & Ouidius lib.1. T. el.1.

Si quis erit, qui te, quod sis meus, esse legendum
Non putet, è gremio reiiciatq; suo.

Sagatio. Virgula contorta.

Meminit & Vlpianus huius lasciuiæ in Collatione Iuris cum legibus Mosis. Veteribus latinis dicta est sagatio, Græcè παλμός. (Casaubonus ad Suet.) Etsi legendum alii censeant saltatio. Adde his locum ex Vlpiano lib.7. de offic. Procos. Tit.1. Musambert. contra Ram. Sed lepida cuiusdam est interpretatio ac planè vt vereor, ridicula. *Excussum sagum, inquit, est miles sagatus, vel sagum ferens (multa enim Domitianus bella gessit contra Cattos, Sarmatas, Dacos) ergo liber hic sibi promittebat se à militibus in castris diligenter esse lectitandum & laudandum.* Intelligit, vt vides, illa verba: *Ibis ab excusso missus in astra sago*, hoc est, efferetis in cœlum laudibus à milite in castris. Planissime contra mentem poëtæ. SED TV NE TOTIES DOM. PAT. LITVRAS] Dignum calamo memoriaque studium veterum nemo est, qui non arbitretur, immò admiretur: scribebant, recitabant, scriniis reddebant, amicos & viros doctos adhibebant, ad illorum iudicium tollebant, limabant, eliminabant multa, quod ex Plinio iuniore, Horatio, Suetonio, Tacito discis. Audi Catullum de Cinnæ Smyrna paruo libello.

Mora scribendi.

Smyrna mei Cinnæ nonam post deniq; messem,
Quam cœpta est, nonamq; edita post hiemem.

Vbi Catullus aliorum properata opera reprehendit, præsertim Hortensij & Volusi. Laudantur à diligenti cura moraque scribendi, Virgilius, Eurypides, Isocrates, qui postremus denos, vel vt nonnulli scribunt, quindenos annos vni panegyrico scribendo sumpsit. Ouidius impatientior fuisse, & remissior in lima meritò creditur, cum ipse fateatur laborem castigandi, labore scribendi maiorem, & addat

Scilicet incipiam lima mordacius vti.

Augustus suum Aiacem totum deleuit. Philoxenus Dionysii tragœdiam proscripsit. Elegans est oratio nostri Bencij de stilo, vbi multa præclarè de mora, tarditate, religione, censura scribendi. Noster poëta non indiligens fuit in epigrammatum suorum emendatione, etiam iudices adhibuit lib.4. ep.87 Apollinarem nominat lib.7. ep.25. fatetur ab eodem quædam emendata, cùm scribit: *Hoc qualecunque, cuius aliqua pars ipse es, Dabu*. Librum 10. sibi prope excidisse, sed reuocatum & emendatum monet.

> *Festinata prior decimi mihi cura libelli*
> *Elapsum manibus nunc reuocauit opus.*
> *Nota leges quædam, sed lima rasa recenti,*
> *Pars noua maior erit: lector vtriq; faue.*

Lib.12. Priscum rogat, vt emendet epigrammata, antequam Romam mittantur. Verè de hoc igitur, quod Catullus de Smyrna, dicam: *Hunc incana diu sæcula peruoluent.* TRISTIS ARVNDO] censoria lima, seuerior. libellus quasi precatur auctorem, vt frontem remittat, nec sit nimis acer in seipsum. lusus ad turpiculos versus refero. tametsi generatim rectè etiam accipitur. arundinem hic calamum scriptorium & censorium accipe. CVPIS VOLITARE PER AVRAS] Accidit nonnullis scriptoribus (si tamen scriptores, quorum scripta ante auctores moriuntur) quod gallinis post exclusum ouum, statim glocitantibus, & velut partum suum palam prædicantibus. Nam simul ac aliquid per impetum fusum, currunt ad æquales, & malè nata, peius tornata formataque carmina recitant, vt ille qui extemporalem, vt Martialis noster loquitur, picturam ad Apellem aucupandæ laudis gratia detulit. Sed gestiens hic sua proferendi impetus est omni vi cohibendus, minimumque, vel vnum etiam epigramma, vnam per noctem seponendum, dum deferueat calor, qui impediebat iudicium. Sed hæc plus satis ad hoc epigramma, quod cum hoc dicto liceat concludere. κύων σπεύδουσα, τυφλὰ τίκτει.

Ad Cæsarem.

IV. V.

> *Contigeris nostros Cæsar si fortè libellos,*
> *Terrarum dominum pone supercilium.*
> *Consueuere iocos vestri quoq; ferre triumphi,*
> *Materiam dictis, nec pudet esse ducem.*
> *Qua Thymelen spectas, derisoremq; Latinum,*
> *Illa fronte precor carmina nostra legas.*
> *Innocuos censura potest permittere lusus:*
> Lasciua est nobis pagina, * vita proba.

*Notam interrogationis hic ponunt nonnulli. pagina?

Excusat iocos & lasciuiam epigrammatum ab exemplo licentiæ militaris, & mimicis gestibus. porro mores suos emendatos, versus tantùm blandos, & molliculos asseuerat. CONTIGERIS] legeris. Ita lib.10. epig.64. dixit ad Pollam.

> *Contigeris Regina meos si Polla libellos,*
> *Non tetrica nostros excipe fronte iocos.*

CÆSAR] Tite, an Domitiane? quamuis enim Latinus & Thymele Domitiano in amoribus eosdem sub Tito quoque mimicam exercuisse nullus dubito. Et poëta cùm ad Domitianum scribit, plerumque nomen Domitiani addit, vt infrà leges. Titum autem sine inuidia Domitiani laudare non poterat, cùm Domitianus omnia sibi patris ac fratris opera arrogaret. Iis tamen, qui ad Domitianum hoc referunt, non pugno. TERRARVM DOM. PONE SVPERC.] maiestatem & seueritatem imperatoriam sepone, submitte virgulam censoriam, elegans est metonymia. Sunt enim supercilia animi signa, & indices fastus, superbiæ, maiestatis, aut etiam voluntatis. Pro fastu Iuuenal. dixit Sat.6.

Supercilium quæ significata habeat.

> *Malo Venusinam, quam te Cornelia mater*
> *Gracchorum; si cum magnis virtutibus adfers*
> *Grande supercilium.*

De his Plinius lib.11. c.37. *Supercilia homini pariter, & alternè mobilia, & in iis pars animi, his negamus, annuimus, hæc maximè indicant fastum. Superbia alibi conceptaculum, hic sedem habet, in corde nascitur, huc subit, hic pendet, nihil altius simul abruptiusq; inuenit, vbi solitaria esset, &c.* Iulius Pollux, καὶ τὰς ὀφρῦς αἴρειν ὁ ὑπερήφανος, ἢ ἀνασπῶν, ἢ αἴρων, ἢ ἀνέλκων, ἢ συνέλκων, ἢ ἀνατείνων ὑπερηφανεῖ, &c. *Supercilia tollens superbus, aut sub-*

aut subtrahens, vel subleuans, aut sursum trahens, aut contrahens, & extendens super nubes. plura de superciliis ex Xenophonte idem, qui meditantium contracta ait supercilia. Cicero superciliis mœstitiam, hilaritatem, risum, grauitatem adscribit. de Offic. *Superciliorum remissio, aut contractio, mæstitia, hilaritas, risus.* Et infrà: *Hic vos rugis supercilioq; decepit.* Et pro Sestio: *Tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo supercilio, tanquam Rhadamantus ille niti videretur.* Seueritatem & hilaritatem Pierius in Hieroglyphicis supercilio adsignat lib.33. Inde sunt ea vulgo protrita, *attollere supercilia, contrahere, ponere supercilia*; pro fastu, seueritateque frequentissimè vsurpatur. Martialis hic pro grauitate, seueritate, & maiestate posuit, quod à suis epigrammatis deprecatur, vt lib.11.epig.2:

Expressit hunc locum Ausonius. Carminis incomptitenem lectura libellum, Pone supercilium.

> *Triste supercilium, durique seuera Catonis*
> *Frons, & aratoris filia Fabricij,*
> *Et personati fastus, & regula morum, &c.* *Ite foras.*

Pro fastu idem lib.9.epig.81.

> *Oderat ante ducum famulos, turbamq; minorem,*
> *Et Pallatinum turba supercilium.*

Pro grauitate lib.1. cap.25. Cuius & ipse timet triste supercilium. Terrarum Dominum dixit pro potestate imperatoria, qua orbem terræ administrat, vt Horatius de Ioue lib.3. Od.1.

> *Reges in ipsos imperium est Iouis*
> *Clari gigantæo triumpho*
> *Cuncta supercilio mouentis.*

Et Homerus: ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. Dixit, & nigris superciliis annuit Iuppiter.

Et mox: μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

Acclamationes militares in triumphis.

Quod Virgilius expressit *totum nutu tremefecit olympum.* CONSVEVERE IOCOS VESTRI QVÆ FER. TRIVMPHI] Hunc morem militum acclamandi, iocandi, conuiciandi in triumphis nemo nescit, qui Liuium, Dionysium, Dionem, Suetonium, Plinium aliosque vidit. Dionys. lib.7. ἐφίεται γὰρ τοῖς κατιοῦσι τὰς νίκας ἰαμβίζειν, καὶ κατασκώπτειν τὰς ἐπιφανεστάτους ἄνδρας αὐτοῖς στρατηλάταις, ὡς Ἀθήνησι τοῖς πομπεύουσι τοῖς ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν πρότερον ἅμα τοῖς σκώμμασι παρορχησαμένοις, νῦν δὲ ποιήματα ᾄδουσιν αὐτοσχέδια. *Permittitur enim victores deducentibus iambos, & dicteria iacere in clarissimos viros, & ipsos imperatores, quemadmodum Athenis solebant pompam in plaustris ducentes scommatis obuios impetere, nunc autem extemporalia canunt poëmata.* Liuius lib.4. de C. Valerio Consule. *Itaq; cum ex S.C. vrbem ouans introiret, alternis inconditi versus militari licentia iactati, quibus Consul increpitus Menenij nomen celebre laudibus fuit.* Idem lib.5. de Camillo. *Dictator recuperata ex hostibus patria, triumphans in vrbem redit, interq; iocos militares, quos inconditos iaciunt, Romulus ac parens patriæ, conditorq; alter vrbis haud vanis laudibus appellatur.* Idem lib.10. & lib.39. versus in Imperatores dictos ait. Plin. lib.19. c.8. *Olim quoq; silue streestr trium foliorum, D. Iulij carminibus præcipuè iocis militaribus celebratum. Alternis quippe versibus exprobrauere, lapsana se vixisse.* Velleius Paterculus lib.2. *Eoq; inter iocos militares, qui currum Lepidi Plancique secuti erant, inter execrationem ciuiū, vsurpabant hunc versum.* De Germanis, non de Gallis duo triumphant Consules. Conuitia militaria recitat in Iulium Cæsarem Dio. lib.43. Suet. Iul. c.40. lege Brissonium de Form. lib.4.

DVCEM MATERIAM DICTIS] Scommatis & conuitiis, & laudibus etiam, vt suprà audisti. Martialis infrà:

> *Festa coronatus ludet conuitia miles,*
> *Inter laurigeros cum comes ibit equos,*

Et idem.

> *Fas audire iocos leuioraq; carmina Cæsar*
> *Est tibi, si lusus ipse triumphus amat.*

Thymele & Latinus qui.

QVA THYMELEN SPECTAS] fronte hilari & serenâ, qua soles videre, & ridere mimicos gestus Latini, & Thymeles, illâ ead. lege meos iocos epigrammatum. Thymele vxor Latini mimi, cuius actione mimica plurimum fertur delectatus Domitianus, quem Latinus sibi propter delatores cauens, per vxorem Thymelen submissam placauit. Iuuen. Sat.1.

> *Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat,*
> *Carus, & à trepido Thymele submissa Latino.*

θυμέλη quid.

Quem versum rectè Britannicus de palpatione, & placatione Domitiani exponit, quamuis alii alium latere sensum existiment. Nomen fœminæ inditum videtur à Græcanica voce θυμέλη, pulpitum, seu ara theatri; Thymelen primam saltatricem, & imitatricem fuisse memorant, cuius artis cum vxor Latini perita esset, altera Thymele est appellata. θυμέλην Pollux in theatro dixit, ἢ βῆμα ἢ βωμὸν pulpitum, seu aram, vt & Suidas. Est autem, vt Philander ad lib.5. Vitruuij scribit, θυμέλη Theatri pars, vbi histriones suas actiones perficiunt, cuius Plutarchus mentionem facit in Sympos. à θυμέλη dicuntur Thymelici, de quibus I. C. ff. de his qui notantur infamia. & Canonica Decreta. lege Cæl. Rhod. lib.8. c.8. Petrum Fab. Agon. Alex. ab Alex. lib.3. c.9. Tiraquellum ibid. Græci histrionicam, θυμέλην nuncupant, θυμέλην enim scenam dixerunt. Thymelicum choragium est apud Apuleium apparatus scenicus. Thymelici sunt, inquit Suidas, οἱ ἐν ὑποκρίσει τῶν μουσικῶν ἐπιδεικνύμενοι, qui personati artem ostentant. Est enim θυμέλη locus editior, vbi actores saltabant.

Thymelici.

bant. Thymelicorum denique nomine ludios, mimos, citharoedos, tibicines, citharistas. Lyristas, & huius farinæ alios accipe. Speciatim etiam & cantores, qui modos faciebant, & saltatores, Thymelici dicti, de quibus Vlpianus l.4. ff. de his qui not. infamia. Plura Isidorus lib.18. cap.47. Phrynicu ἐν ἐκλογῇ ἀττικῶν ῥημάτων, Iulius Cæsar Sc. Poët.lib.1. c.9.& 19. Britannicus ad 1. Sat. Iuuen. A prima Thymele Latini vxor, & ipsa Thymele audiit. Vxorem tamen Latini negat Angelus Politianus lib. epistolarum 7. fuseque super hac re disputat. Iudicium penes lectorem esto, Angelum ego non refuto. Sidonius lib.9.epist.3.

Bimari remittat vrbe — *Digiti quibus canentes*
Thymelem patreq; doctas — *Pariter sonante lingua,*
Tepidas ad officinas — *Vice pectinis fatigent*
Citharistrias, Corinthus — *Animata fila pulsu.*

DERISOREMQVE LATINVM] Hunc Latinum præter Iuuenalem, & Martialem Suetonius memorat Domit. cap.15. Martialis epitaphium huic scripsit lib.9.epig.29.

Dulce decus scenæ, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum plausus deliciæq; tuæ.

Vbi de moribus, & vita, & arte huius plura. Eadem tempestate floruit Paris Thymelicus,& Mimus, quem Domitianus iussit interfici, cui Theodorus Xysticus fecit monumentum. Sueton. Cœl.Rhod.1 [illegible] scriptiones. Mimum porrò aiunt, qui gestibus hominum mores,& vitia ridiculè imitatur, vt hodie moriones in aulis principum. Est & genus fabulæ obscœnæ. Pantomimus omnium personarum imitator effictorque. Cassiodorus lib. Var.4,epist.vltima. *Pantomimo à multifaria imitatione nomen est.* Idem corpus Herculem designat & Venerem. Auctore Tertull. Apol.c.19. *Fœminam præsentat & marē, regem facit & militem, senem reddit & iuuenem, vt in vno credas esse multos, tam varia imitatione discretos.* Arnobius lib.4. *Quid Pantomimi vestri, quid histriones, quid illa mimorum, atq; exoleti generis multitudo.* Tertullianus lib. spect. *Ita summa eius de sparcitia plurimum concinnata est, quam Attelanus gesticulator, quam Mimus etiam per mulieres repræsentat sexum pudoris exterminans, vt facilius domi, quàm in scena erubescant. Quam denique Pantomimus à puero sua patitur in corpore, vt artifex esse possit, &c.* Est apud Suetonium horum mentio in Nerone c.16.& 26.& Domit. c.15. Summa laus mimorū, extat apud Lucianum [illegible] cum exemplis. ILLA FRONTE] remissa, hilari, facili, non superciliosa & censoria. INNOCVOS CENSVRA POT. PERMITT. LVSVS] Epigrammata quæ ad nullius infamiam pertinent, quamuis lasciua, inquit Mart. non sunt reprehendenda nec prohibenda, cum sint tantùm iocus & lusus, quos etiam Imperatores spectant, audiunt, permittunt. Domitianus porrò, vt Tranquillus 8. cap. narrat. *suscepta morum correctione scripta famosa, vulgoq; edita quibus primores viri fæminæq; notabantur aboleuit, non sine auctorum ignominia.* Idem Augustus fecit, qui censuit cognoscendum de iis, qui libellos, aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine ederent. Quod & Horatius epist.2. [illegible]

doluere cruento
Dente lacessiti, fuit intactis quoq; cura
Conditione super communi: quin etiam lex,
Pœnaq; lata, malo quæ nollet carmine quemq;
Describi, vertere modum formidine fustis.

Sed hac de re supra in epistola Martialis copiosè dissertatum. Innocuos igitur eos vocat lusus, qui neminem lædunt, vt Ouid.4. Trist. de se.

Nec qui detrectat præsentia liuor, iniquo
Vllum de nostro dente momordit opus.

Domitianus porrò censuram perpetuam gessit, exemplo Iulij Cæsaris. Martialis inde *maximum censorem* alibi nuncupat.

LASCIVA EST NOBIS PAGINA, VITA PROBA] Spurcè quædam scripsi, sed purè tamen vixi. Catullus ead. se via defendit ad Aurelium & Furium.

Qui me ex versiculis meis putatis,
Quod sint molliculi, parum pudicum:
Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Et Ouid.2 T. *Deme mihi studium, vita quoq; crimina demes.*
Idem. *Crede mihi, distant mores à carmine nostri:*
Vita verecunda est, musa iocosa mea est.

Hadrianus Imperator suum quoque Voconium ita excusat in epitaphio.

Lasciuus versu, mente pudicus erat.

Martialis Latinum, de quo iam dictum, pari modo tutatur lib.9.epig.29.

Sed nihil à nostro sumpsit mea vita theatro, — *Non poteram gratus domino sine moribus esse,*
Et sola tantum scenicus arte feror. — *Interius mentes suspicis ille Deus.*

De Domitiano loquitur, cui Latinus gratissimus. Apuleius Apol. pro seipso prima, Solonis, Platonis, Catulli, Æditui, Portij, Hadriani Augusti exemplis, vti & Plinius iunior, de quo fusè in epistola plurimorum auctoritate, se purgat.

Sed

Mimus & Pantomimus Sanniones.

Domitiani Cæsaris & Censoris edictum de famosis carminibus.

De famosis scriptis supra actum in epistola Martial.

Poeta pudicè viuere, impudicè scribere se dicunt.
Hunc versum Ausonius Plinio Iuniori tribuit, ego vtrique.

Seneca refutat poetas. Aristides item.

Sed aliter philosophatur Seneca ad Lucilium lib. 2. *Apud Græcos*, inquit, *in prouerbium cessit, talis hominibus fuit oratio, qualis vita.* Extat hoc apud Aristidem in secunda Rhetor. aduersus Platonem defensione. οὐκ ἀπὸ τοῦ δὲ ἡ παροιμία τούτων, ἢ λέγουσα, οἷος ὁ τρόπος. τοιοῦτον εἶναι καὶ λόγον, καὶ πάλιν τὸ ἕτερον ὡσαύτως. *Non dissentit autem ab in adagium; quo dicunt, cuiusmodi sunt mores, eiusmodi orationem esse, ac rursus, qualis sit oratio, tales esse mores.* Quare Solon apud Laërtium τὸν λόγον, ait, εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων. Seneca certè Mœcenatis mollitiem, luxum & delitias ex dictione hominis colligi scribit. Adagionem lege, *qualis vir, talis oratio.* ἐκ τοῦ λόγου ἀνὴρ καλὸς γνωρίζεται. Verè monet Isocrates Dæmonicum, ἃ ποιεῖν αἰσχρόν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν. Rectè & Euripides in Troiade.

Et Isocrates.
Euripides.

Σιγᾶν ἄμεινον τἀσχρά, μηδὲ μοῦσά μοι
Γένοιτ', ἀοιδὸς ἥτις ὑμνήσει κακά.

Herodotus.
Cicero.
Muretus.

Herodotus lib. 1. accinit. ὅσα ποιέειν οὐκ ἔξεστι, ταῦτα οὐδὲ λέγειν ἔξεστι. Planè verò Christianè Paganus Cicero pro M. Cælio. *Quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à verborum libertate seiungas.* Et noster Muretus in Iuuenilibus.

Raro moribus exprimit Catonem,
Quisquis versibus exprimit Catullum.

Sed tu mi lector si paulum otij est, inspice Gretseri nostri caput 26. lib. 1. de iure & more prohibendi malos libros, quod totum huc facit.

VITA PROBA] Gruterus, Isaacius Pontanus, Scriuerius legunt: *Vita proba est; quod mihi quoque non displicet.* Marcum emendat Parthius & rescribit pro Marcio Maccum, sed retineo Marcum, quamuis enim Maccus insipidum, fungum sonet apud Apuleium huc tamen non quadrat. nisi velis cæsarem ad Maccum scripsisse, quem Cæsarem hîc poëta facit loquentem. *De seipso infra ita quoque locutus est ad Frontonem. Vota tui breuiter si vis cognoscere Marci*, & alibi sæpius.

Ad Marcum.

VI. V.

Do tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis;
Vis, puto, cum libro, Marce, natare tuo.

Excusat intempestiuum munus apud Cæsarem, facitque ipsum Domitianum loquentem. DO TIBI NAVM.] Ego Cæsar occupatus in naualis pugnæ spectaculo apparando interpellor tuis epigrammatis, quæ legenda offers. VIS PVTO CVM LIB. M. NATARE TVO] Hoc agere videris poëta, vt à me irato, vnà cum libro tuo in vndas abiectus fluctibus hauriare, aut inter Nereidas natatorem agas & mergaris, non succurrit tibi. τὸ ἄκαιρον, πανταχοῦ λυπηρόν; Carmina ingrata veteres non Vulcano tantum vstulanda consecrabant, sed Neptuno etiam delenda tradebant, quod poëta lib. 5. epig. 54. ad Bassum insinuat. & Ouid. 1. El. 3. Am. *Qui cum me munus, &c.*

De leone Cæsaris.

VII. VI.

Ætherias aquilâ puerum portante per auras
Illæsum timidis vnguibus hæsit onus:
** Nunc sua Cæsareos exorat præda leones,*
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
*Quæ maiora putas miracula? summus * vtrisque*
Auctor adest: hæc sunt Cæsaris, illa Iouis.

** Hinc.*

** vtrisque, veri & mendacis, quia præcesserat miracula. al. vtrisque.*

Blanditur Cæsari occasione mansueti leonis, quem aquilæ Iouis comparat, vt Domitianum ipsi Ioui. Ganymedem lepori, vel potius leones Cæsaris cum lepore, aquilam cum Ganymede, mitiusque dicit videri debere, leones pepercisse lepori, quàm aquilam Ganymedi.

Fabula Ganymedis.

ÆTHERIAS AQ. PV. POR. PER AVRAS] Aquila Iouis Satelles, & internuncia quondam Ganymedem Trois, regis Troianorum filium in cœlum detulit illæsum, Nunc in leonis ore tutus ludit, & latet lepus. Non minùs hoc Cæsaris est miraculum, quàm illud Iouis. Historiam Virgilius attigit,

——quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.

Et Horatius lib. 4. Car.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in aues vagas
Permisit expertus fidelem
Iupiter in Ganymede flauo.

Ouid. 12. Met. ipsum Iouem canit in aquilam versum rapuisse Ganymedem. Quod & Græcus epigrammatographus testatur Αἰετὸς ὁ Ζεὺς ἦλθεν ἀντίθεον Γανυμήδην

Κύκνος ἐπὶ ξανθὴν μητέρα τῆς Ἑλένης.

Ipse aquila ad pulchrum Ganymedem Iupiter olim
Ad matremq; Helenæ deinde volauit olor.

Raptus est ob regiam formam, vt Ioui pocula ministraret, ita Homero cantante, vel vt Deorum æuo frueretur, vt Apollonius in 3. Argon. vel ob eximiam eius prudentiam, vt Xenophon in Symposio fabulatur. De eod. Cicer. 1. Tusc. sed omnia fusè mythologi. PVERVM PORTANTE AQVILA.] Sunt qui hanc fabulam in Amphitheatro repræsentatam reipsa scribant, & hæc verba Martialis intelligant, quasi aquila puerum, Ganymedis personam agentem extulerit in aërem, & retulerit, vt lib. 5. ep. 56. aquila ipsum Iouem tulisse dicitur.

Quare raptus Ganymedes.

Lucianus in dial. Iouis & Ganymedis volum. 4.

Dic mihi, quem portes, volucrum regina? tonantem.

Quod, vt fieri potuisse, & illud lib. 5. de re facta capiendum intelligo, ita hic non affirmatim de Ganymede portato, sed tantùm comparato, poetam loqui. Bullengerus hic puerum aquilæ efferendum & deferendum putat fuisse commissum lib. de Ven. Circi. c. 21. Ælianus sanè lib. 12. cap. 21. narrat infantem à turri deiectum, à subeunte aquila seruatum, & in proximum hortum deportatum, posteaque regnum Babylonis adeptum. Idem lib. 6. cap. 29. puerum ab aquila sic adamatum refert, vt illi ministraret, vnaque cum illo moreretur. Calicrates etiam Tyrius, vt est apud Vopiscum, prodidit, Aurelianum infantem, & fasciola vinctum, è cunis ab aquilâ innoxie leuatum, & in aram impositum, quæ iuxta sacellum forte, sine ignibus erat. Vnde putes non plane fabulosum videri posse, quod Maximus Planudes in vita Æsopi commemorat. Νεκτεναβὼ βασιλεὺς Αἰγυπτίων πυθόμενος, &c. *Nectenabo enim Rex Ægypti cum falso accepisset, Æsopum esse extinctum, mittit Lycero regi Babyloniorum statim epistolam, qua architectos petebat, qui turrim ædificarent, neque cælum, neq; terram attingentem; Lycerus cum Æsopo quasi redeunte, (nam occidi iusserat, quem seruus Lyceri clam seruarat) Nectenabonis epistolam ostendisset, Æsopus omnes aucupes accersiuit, atq; aquilarum pullos quatuor vt caperent iussit, captos nutriuit, ac instruxit, vt pueros in sportis vnguibus aquilarum affixis gestando in altum tollerent, atq; ita obedientes pueris essent, vt quocunq; illi vellent, volarent, siue in altum siue in terram humi. Exacta hyeme Æsopus cum aquilis & pueris profectus ad regem, spectaculum illud tota admirante Ægypto exhibuit. Rex viso Æsopo perculsus attulisti, inquit, qui turrim ædificent: cui Æsopus, parati sunt, si modo ostendas locum. Postea egressus vrbem rex in planicie demonstrat diuersum locum. Adductis ergo Æsopus ad demonstratos loci angulos* * *quatuor cum pueris per sacculos appensis, ac puerorum manibus fabrorum datis instrumentis, iussit euolare, illi verò sublimes, date nobis, clamabant lapides, date calcem, & aliam ad ædificationem materiam. Quo miraculo attonitus Nectenabo, vnde, inquit, mihi volucres homines? Æsope victus sum.* ILLÆSV TIM. VNG. HÆSIT ONVS] innoxium Ganymedem gestauit sollicita, ne vel excideret puer, vel vngue læderetur. hinc fidelem appellauit Horatius.

Mira de aquila ex Æliano & Maximo Planude.

* *aquilis.*

NVNC SVA CÆSAR. EXOR. PRÆDA LEONES] vt aquilæ Iouis, ita leones nutum obseruant Cæsaris, & prædæ iam captæ parcunt, leporesq; prensos iussi dimittunt. Hunc eundem leonem doctum prædam dimittere laudat, opinor, Statius lib. 2. Sil.

Quid? quod abire domo, rursusq; in claustra reuerti
Suetus, & à capta iam sponte recedere præda.

Noster infrà.

Rictibus his tauri non eripuere magistri,
Per quos præda fugax, itq; reditq; lepus.

Multa sunt de hoc ludicro infrà epigrammata. 23. 49. 52. 61. lib. 1. & epig. 15. *Leones exorare*, inquit Scriuerius, est mansuefacere. Manilius lib. IV. de genitura mansuetariorum. Exorare tigres rabiemq; auferre leoni. Idem exarmare Stat. Theb. 12 de leone vetulo.

Iam piger. & longo iacet exarmatus ab æuo.

Miraculum extollit Martialis: non nunc inquit, mansuetarius exorat aut exarmat rabiem leonum, sed ipsa præda; ipse lepus. TVTVS ET INGENTI LVD. IN ORE LEPVS] infrà.

Tutior in sola non est cum currit arena,
Nec cauea tanta conditur ille fide.
Si vitare canum morsus, &c.
Ad quæ confugias ora leonis habes.

QVÆ MA. PVT. MIRACVLA.] Domitianum cum Ioue componit, cui velut non minori Deo (Deum enim se appellauit ipse, & appellari iussit) pareant feræ non minus, quàm aues Ioui, occulte verò recteq, anteponit etiam Domitianum Ioui, vt cui atrociores, & grandiores feræ paruerint, maiusq; miraculum visum, quando leo lepori capto dimisso, recepto, remisso pepercerit, quàm cum Ganymedem aquila sustulit innoxia Lege ep. 56. lib. 5. Iuuenal. Sat. 4. --- & pueros inde ad velaria raptos. Gryphius legit, *summus vtrisq;* miraculis nempe; vnde Gontius legit supra: ταῦμα iuuenci. Rutgersius lib. VI. Var. c. IX. hunc Martialis locum è Lucani primo putat expressum:

Domitianus se Deum iussit salutari & scribi.

——quis iustius induit arma
Scire nefas, magno se iudice quisq; tuetur
Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.

Ad Maximum de columba Stellæ.

VIII. VII.

Stellæ delicium mei columba,
Verona licet audiente dicam.
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere maior est columba.

Stella cuias, & quis poeta. *Ludicrarum rerum scriptores.*

Aruntius Stella Patauinus, elegiarum conditor, vt in epithalamio Stellæ Statius canit, & scriptor triumphi Domitiani de Sarmatis, cuius mentio apud Martialem libro 8. defleuit carmine columbam, vt Statius psittacum, culicem Virgilius, passerem Catullus, coruum P. R. vt Plinius est auctor. Scripsere præterea multi horum exemplo vel otii fallendi, vel animi relaxandi causa ludicra argumenta. Batrachomiomachiam siue Homerus, siue antiquorum aliquis, vti & Elisius Calentius; culicem laudauit Virgilius, pulicem: Calcagninus, pediculum Pucii; Asinum Cipoli, Felem, Floræ, Gallum Thessalæ, mul. Gryllum Certaldæ, canem leonteum, simium, noctuam, mergum, picam, equum anonymus apud Guilelmum Canterum. Muscam Lucianus, barbam Horomanus, formicam infaustus Melanchthon, locustas, Iodochus Wilichius, muricem Antonius Musa, stultitiæ encomium parum sapiens Erasmus, Ebrietatem laudauit Rob. Turnerus, Caluitium Synesius, NIHIL Andreas Ammonius, & alius anonymus. Neminem Vdalricus Huttenus, Anserem Iul. Scaliger, aquilam Guilelmus Vlinus, Bembus etiam culicem, de arte natandi siue Colymbetem Nicolaus Winman, In laudem vmbræ Ianus Dousa. Stellæ carmen tam egregium fuisse scribit hic noster, vt passeri Catulliano potuerit tanto magis anteponi, quanto maior passere columba est, & comparatio est inter passerem Lesbiæ à Catullo, & columbam Violantillæ à Stella defletor. Maximus autem quis hic fuerit, ad quem Martialis de Stella, non liquet, cum illo æuo plures memorentur, & noster sæpe ad Maximum scribat, quem nec maximum, nec minimum fuisse, sed fictitium suspicor, quod illum nonnunquam perstringat, nunquam in vero nomine id facturus. libro 11. Albium quendam Maximum certum nominat. Scripsit & Plinius minor epistolas ad Maximum. lege de multis ibi Maximis Catanæum, & Glandorpium Onom. Rom. putant alii fuisse hunc Maximum Cæsonium de quo lib. 7. ep. 43. alii Veronensem.

Verona Scaligerorum. *Verona laudator Saraina.*

STELLÆ DELICIVM.] Catulliana imitatio. *Passer deliciæ meæ puellæ*, loquendi formula optimis Scriptoribus, Ciceroni maxime, & Plinio minori familiaris. VERONA LICET AVD. DICAM.] Verona patria Catulli audiat Stellam Patauinum meliorem Catullo poetam. Verona ciuitas Italiæ, in Venetorum ditione, nobis hodie, Dietrichsbern/ de qua Scaligeri, & Taurellus Saraina libris 4. Dialog. de Orig. & antiquitate Veronæ, Leander in descript. Italiæ, &c. nos infra epig. 62. *Verona doctisyllabas amat Catulli.* Huius porrò columbæ defletæ mentio est lib. 7. epig. 13.

Vel Stella cantata meo, quam fleuit Hiantis,
Cuius in Elysio nigra columba volat.

VICIT MAXIME. PASSEREM CATVLLI.] Hiantidis lachrymæ deplorantis columbam, vicerunt lachrymas Lesbiæ plorantis passerem. Catulli carmen sane dulce, & deliciosum est, cuius hoc initium.

Lugete, ô Veneres Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum
Passer mortuus est meæ puellæ, &c.

Noster li. 7. ep. 13. de eod. *Non quales teneri plorant amica Catulli*
Lesbia nequitiis passeris orba sui.

Huic mellito Catulli hendecasyllabo præfert Martialis Stellæ columbam, quæ quia periit, cum passere eam componere non possumus. Indignantur certe docti viri hoc iudicium Martialis. Ego Martialem aliter sensisse, aliter scripsisse iudico. Stella iuuenis nobilissimus, & opulentissimus scripsit carmen, quod poeta dicis, & moris causa potius Catulliano anteposuit blanditus Stellæ. Quanquam oportuit bonum fuisse, alioqui poeta magnam inuidiam apud suos sibi conciliasset.

TANTO STELLA MEVS.] Quanto passere maior est columba, tanto nobilius est, & melius carmen de columba Stellæ, quam Catulli de passere. Imitatio rursus Catulliana.

Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

De columba elegans poëmatium condidit Anacreon.
Ἐρασμίη πέλεια, Amabilis columba.

Deciani

Deciani dogma laudat.

VIII. IX.

Quod magni Thrasea, consummatiq; Catonis
*Dogmata sic sequeris, * talis vt esse velis,*
Pectore nec nudo strictos incurris in enses,
Quod fecisse velim te, Deciane, facis.
Nolo virum, facili redimit qui sanguine vitam;
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Decianus è Stoicorum disciplinâ, ciuis * Emeritanus prædicatur hîc & infra pluribus epigrammatis à fortitudine, tolerantia, eruditione, candore, fide. Hic Catoni & Thraseæ geminis Reipub. Romanæ miraculis anteponitur, quod fortius existimaret sustinere mala in vita, quam eadem per mortem consciitam declinare. Daciani vero plures leguntur apud Ciceronem, Valerium Maximum, Prudentium, vbi male Decianus pro Deciano scribitur. Nos hic de Stoico singulari.

Decianus qui.
** Martialis. Gaudent iocosa Canio meo Gades, Emerita Deciano meo.*
Prudentius corrigitur.

MAGNI THRASEÆ.] Hunc Thraseam lib. 4. epig. 54. vocat constantem

Diutior Crispo, Thraseâ constantior ipso.

Quis vero quantusque hic Thraseas Pætus fuerit, docent Plutarchus lib. περὶ πολιτικῶν παραγγελμάτων. Dio, Arrianus lib. 1. Epict. sermon. Suetonius. Ner. cap. 37. Dom. cap. 10. Plinius epistolis, qui illum Maximum vocat, lib. 8. epist. 22. Tacitus magnifice lib. 16. Annal. *Trucidatis*, inquit, *tot insignibus viris ad extremum Nero virtutem ipsam exscindere concupiuit, interfecto Thraseâ Pæto, & Barea Sorano.* Elegans est Lipsii elogium, in hunc ipsum, quod lubet ex com. in Tacit. transcribere, *Salue*, ait, *ô salue vir magne, & inter Romanos sapientes sanctißimum mihi nomen. Tu magnum decus Gallicæ gentis, tu ornamentum Romanæ curiæ, tu aureum sidus tenebrosi illius æui. tua inter homines non hominis vita. noua probitas, constantia, grauitas & vitæ mortisq; æqualis tenor.* Iussus est mori delatore Marcello Eprio, dato mortis arbitrio. De hoc Iuuen. Sat. 5.

Thraseæ elogium.
A Nerone mori iussus.

Quales coronati Thrasea Heluidiusq; solebant
Brutorum & Caßi natalibus——

Iunium Rusticum huius laudes libro edito persequentem, cum sanctissimum appellasset, Domitianus occidit. Suet. c. 10. Dom.

CONSVMMATIQVE CATONIS] perfectissimi Stoici, vel potius omnibus virtutum numeris absoluti, vt Iuuenalis dixerit.

Catonis laus

Tertius e cælo cecidit Cato——

Εὐφυλικῶς consummati, de quo Petrus Fab. Agon. 3. c. 20. & Velleius: *Hic*, inquit, *genitus pro auo M. Catone principe illo familia Porcia homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio Diis quam hominibus propior, qui nunquam recte fecit, vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat, cuiq; id solum visum est habere rationem, quod haberet iustitiam, omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit.* Hæc Velleius. interfecit se Vticæ, ne Cæsarem victorem adspiceret. Multa de huius virtute Sallustius, passim Cicero, Dio, Plutarchus, Seneca, Lucanus, alii; de morte nescio quis poëta in Scaligeri Appendice.

Inuictum victis in partibus, omnia Cæsar
Vincere qui potuit, te Cato non potuit.

Sed grauius & grandius multo de eodem, quod sequitur:

Ictu non potuit primo Cato soluere vitam.
Defecit tanto vulnere victa manus.
Altius inseruit digitos. qua spiritus ingens
Exiret, magnum dextera fecit iter.
Opposuit fortuna moram, inuoluitq;, Catonis
Sciret vt ferro plus potuisse manum.

Non minus illustria duo, quæ sequuntur, quæ tute leges apud Scaligerum. DOGMATA SIC SEQVERIS, SALVVS VT ESSE VELIS] talis vt esse velis, altera habet scriptura, vtraque lectio seruari potest: talis qualis Cato, & Thrasea, vita, moribus, constantiâ. non morte, quam sibi consciuerunt. SALVVS] ita colis disciplinam Stoicâ, eatenusq; sequeris decreta Stoicorum, quatenus cum ratione & sensu communi coniurant. Est autem contra morem, amorem, & vsum vitæ, vita se sponte priuare. tu salua vita virtutem Stoicam amplecteris. Malim ergo saluus quam talis.

RECTOR NEC NVDO STRICTOS INCVRRIS IN ENSES.] Exponit ipse, quatenus Decianus voluerit cum Stoicis philosophari. Non, inquit, in ferrum incumbis. id quod laudo, dum facis, quod volo te facere. Vita enim sequeris Stoicos hosce, non cruenta morte. Enimuero dogma Stoicorum non erat, vt sibimet carnifices manus inferrent, etsi princeps Stoicorum Zeno apud Laërtium ipse sibi gulam fregit. Laudi tamen veteres sibi ducebant, in graui fortuna ferrum sua manu

Αὐτόχειρες veteribus laudati ut viri fortes: Patres contra D. August. alii etiã Seneca, Iosephus, &c.

pectori admouisse, qui quidem fortunam sic vicerunt, vt in grauiores casus inciderent, atq; quod aiunt, è fumo in flammam, à Scylla in Charibdim deuoluerentur. Quos contra diuus Augustinus lib. 1. de ciuitate Dei, c. 23. copiose contendit, Iosephus idem de bello Iud. Seneca epist. 24. de morte Catonis, alibique sæpe, semper tamen cum elogio & laude. Quamuis idem, victum illum dicat, qui sibi propter dolorem manus attulisset. *Imbecillus, ait, & ignauus est, qui propter dolorem moritur.* Eadem epistola obiurgat Epicurus non minus eos, qui mortẽ concupiscunt, quam eos, qui timent. *Ridiculum, inquit, est currere ad mortem tædio vitæ, cùm genere vitæ, vt currendum esset, effeceris.* Et alibi: *Quid tam ridiculum, quam appetere mortem, cum vitam tibi inquietam feceris metu mortis.* Idem tantam hominum affirmat imprudentiã, immo dementiam, vt quidam timore mortis cogantur ad mortem. lege, quæ ibidem sequuntur, si tibi inde pretium. Quid leges ciuiles dicant, vide l. 2. §. 3. de his qui notantur, infamia. intra 88. &c.

NOLO VIRVM, FACILE REDIMIT QVI SANGVINE VITAM] facilem viam ad mortem Arria apud Plinium in epistolis vocat, quod cuiuis in promptu telum, quo latus hauriat. Eleganter Seneca, loco supra adducto. *Vir fortis & sapiens non fugere debet è vitâ, sed exire. Et ante omnia ille quoq; vitetur affectus, qui multos occupauit, libido moriendi. Est enim, mi Lucili, vt ad alia, sic etiam ad moriendum inconsulta animi inclinatio, quæ sæpe generosos atq; acerrimæ indolis viros corripit, sæpe ignauos iacentesq; illi contemnunt vitam, hi grauantur.* Martialis lib. 2. epig. 80.

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic rogo non furor, ne moriare, mori?

Disputatum est acriter apud Catonem Vticæ pridie, quam se vulneraret, inter philosophos, contendente Catone, honestum & laudabile esse voluntario fato defungi, contra nitentibus Apollonide Stoico, Demetrio Peripatetico, Cleanthe medico.

HVNC VOLO, LAVDARI QVI SINE MORTE POTEST.] Qui sustinendo vincit potius fortunam, quam moriendo declinat. nec tam fortis Aiax manu, quam animo Vlysses, quem tu Deciane sequeris. Seneca in Thebaide:

Act. 1.

Et hoc decebat roboris tanti virum
Non esse sub dolore, nec victum malis
Dare terga: non est, vt putas virtus pater
Timere vitam, sed malis ingentibus
Obstare, nec se vertere ac retro dare.

Et quæ ibid. sequuntur.

Iocatur in Cottam.

X. IX.

Bellus homo & magnus vis idem Cotta videri:
Sed qui bellus homo est, Cotta pusillus homo est.

Ridet Cottam Martialis, aitque illum nec bellum nec magnum, cum vtrumque videri velit, esse; non magnum, quia bellus, bellus enim idem, quod pusillus; non bellum, quia magnus dici haberiq; cupiat. *Pulchritudo vero*, vt Cælius Rhod lib. 9. cap. 24. disputat, *haud intelligitur nisi in magno corpore: quoniam dignitas expetitur, quæ in pusillis nulla prorsus fuerit.* Bellos ceu à deliciis veteres appellauerunt, qui à Græcis ciuili eblandimento ἀστεῖοι vocantur, aut σύμμετροι, id est, conformati, quod eorum membra venustum quidem responsum habeant, pusilli tamen sint ipsi, proindeque nec pulchri, nec formosi. Dicuntur & hi belli, qui aliis libenter obsequuntur, & belle dicere, qui quæ alii velint, loqui student, Cicero. *Omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit; fatetur se non belle dicere, non ad voluntatem hominum loqui posse.* Hoc significatu, bellus, hominem exprimit pusillum & abiectum, qui se facile ad cuiusuis nutum accommodet. Bellos Lucianus μικροὺς τὰς γνώμας, καὶ πρὸς τοὺς ... ἀνθρώπους nominat. Notantur & δωδεκάμηλοι cathedralitii glabri, pumicati hoc verbo. Denique molles effœminati & lasciuiæ mancipia. Heraldum adi ad hoc ep. Deniq; belli homines sunt, quos Aristoteles lib. 3. de moribus vocat εἴρωνας. Muretum ad Catullum. Est & apud Theophrastum lib. ἠθικῶν χαρακτήρων περὶ εἰρωνείας egregium caput cum notis Casauboni. Bellus igitur cum nec formosus, nec pulcher, sed humilis, pusillus, abiectus, sit, magnus esse non potest. Tu Cotta audire vis bellus, non es ergo magnus. minimè bellus & magnus, aut si magnus, minime bellus. Alii bellus & magnus ad paupertatem & diuitias referunt ita vt bellus idem sit quod pauper, magnus ac potens & opulentus, haud scio quam vere.

De Gemello & Maronilla.

X. XI.

Petit Gemellus nuptias Maronillæ
Et cupit, & instat, & precatur, & donat;

Αὐτόν

Adeóne pulchra est? immo fœdius nil est.
*Quid ergo in illa * petitur, & placet? † tußit.*

* appetitur.
† tussis.

Multo hoc elegantius & argutius priore. Notat auaritiam vulturis seu hæredipetæ Gemelli, qui Maronillam opulentam, sed iam tabescentem ambibat, vt hæres illius institueretur. Nomina ficta sunt. quamuis Romana. taxat vitia captatorum.

Carmen liquet, vltimum versum expono. QVID ERGO IN ILLA PETITVR, ET PLACET? TVSSIT] Cur adeo vxorem sibi optat & ambit Maronillam Gemellus? an quia formosa est? nihil illa deformius. Cur ergo? quia tussit, & opulenta est, opes quærit apud Maronillam, quam videt iam ægram, & tussientem, mortique proximam, ideo vxorem petit, vt illam mox efferat, opes auferat. tussim hîc pro nomine mortis vicino accipit. legunt alii tussis, non tussit. quod ad proxima verba aptius. quid placet? tussis? tussit ad totum carmen & sententiam refer. de eadem tussi & hæreditate lib. 2. epig. 26. idem Martialis.

Quod querulum spirat, quod acerbum Neuia tussit,
Inque tuos mittit sputa subinde sinus,
Iam te rem factam Bithynice credis habere?
Erras, blanditur Neuia, non Moritur.

Sed de hæredipetis nos infra vbertim, & Lucianos multus in hac re variis dialogis, Petronius in Eumolphi persona, Horat. lib. 2. Sat. 2.

Ad Sextilianum potorem.

XI. XII.

Cum data sint equiti bis quina numismata, quare.
Bis decies solus, Sextiliane bibis?
Iam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

In fictâ Sextiliani personâ bibones inclytos perstringit. EQVITI BIS QVINA NVMISMATA] hæc alii ad legem * sumptuariam, alii ad † sportulam referunt. decem nummi seu numismata siue sestertii, idem enim omnium est pretium, hodie apud nos viginti cruciferis respondent, nummus quippe binis cruciferis æstimabatur, vt infra certo loco ostendam. Sextilianus in cœnam vicenos nummos exhauriebat, cum lex sumptuaria tantum denos permitteret equiti Lex autem sumptuaria seu Fannia, vt Gellius lib. 2. c. 24. docet, diebus festis & statis centum æra cenæ concedebat, extra far, olus & vinum. Decem aliis diebus, quot mensibus tricenos æris, cæteris omnibus denos tantum. centum æra Philippico nostrate constabant, id est, zwaintzig Batzner/siue coronato, vt Budæus, scutato argenteo, vt Itali æstimant. tricena æra 24. cruciferis, dena, octonis constant. De hac lege, si locus erit, vberius, interim Gellium consule, & Athenæum lib. 4. Macrobium lib. 3. c. 17. Plinium lib. 10. cap. 5.

* Iunius ad hunc locum.
† Turnebus lib. 8. cap. 30.
ein halber Batzen.

Turnebus sportulam interpretatur, Heraldus certam pecuniam ab Imperatoribus in muneribus celeberrimis distributam spectatoribus, qua pararent sibi nonnulli vinum à coponum pueris, potum circa theatrum, cum ederentur ludi, circumferentibus. Nec vero aberrare videtur Heraldus, præter Missilia, tesseras, sportulas datam pecuniam, cum poeta dis. rte dicat, equiti bis quina numismata fuisse data: nisi (quod mihi cum Turnebo videtur) decem numismata loco sportulæ etiam fuerint data ab imperatore, cum alioqui sportula decem nummis desitueretur. Sed perinde est, quo nomine illud Cæsaris donum appelles, videntur sane ad potinem data numismata. Bibisse vero spectatores inter ludos certum est, cum poeta non reprehendat Sextilianum, quod biberit, vt reliqui, sed quod tanto plus cæteris biberit, & merum biberit, vt & infra epig. 27. docet. Illustris locus est apud Quintilianum lib. 6. c. 3. de equite Romano in spectaculis bibente. Quod Heraldus de Coponum pueris suspicatur, ipse Martialis videtur epig. 27. indicare.

A Copone tibi sex Laletana petatur.

Grauiter hoc loco Scriuerius inuehitur in Turnebum, Ramiresium & alios quod numisma pro decem quadrantibus acceperint. quæritque demum, quæ numismata Romæ denis quadrantibus valuerint: definitq; sestertium valuisse XVI. quadrantibus, indeq; concludit manifestam aliorum *absurditatem* & dedædam *hallucinationem* (quam Latine ipse viderit.) De precio numismatis seu numi sestertii variaq; cum ære permutatione disputauimus lib. IX ep. CIII. vbi triplex tempus indicauimus, primum quo numus sestertius decem quadrantibus permutatus est: deinde duodecim: postremo sedecim. Interpretes Ciceronis & aliorum scriptorum plerumq; seruarunt primam temporis rationem. Manutius alteram. Alii postremam imperatorum æuo. Ita inquiunt Iurisconsulti distingue tempora & concordabis iura. Nos plura vt dictum lib. IX. ep. 103.

IAM DEFECISSET PORTANTES CALDA MINISTROS.] Aquam calidam adhibebant veteres ad vinum temperandum, quam & in cauponis vendebant, & in deliciis habebant, vt toto cap. 4. Electorum 1. electæ eruditionis Lipsius docet. & Mercurial. Var. 1. cap. 18. & c. 10. vbi tamen Lipsio cum Mercuriali non conuenit: meo iudicio Mercurialis Lipsio herbam porrigit nimis aperte testanti & vincenti. Lector vtrumq; componat, & mox Iustum iuste sentire sentiet. Nobis hîc locus sæpe recurret. Sensus carminis apertus. Duo crimina Sextiliano obiicit, quod tanto plus cæteris bibat, & quod infame erat, merum, non mixtum bibat. Vnde & Tiberius Claudius Nero male audiit, quem per ludibrium *Biberium Caldium Meronem* appellarunt dicaciores. Defecisset ministros calida aqua, quam tantum ad iustum vini modum pararant, Sextilianus, vt ne deficeret aqua calida, merum vinum & duplo plus aliis hausit, lege epig. 27. infra. Adde Musambertium contra Ramiresi. qui cum Turnebo sportulam interpretatur, & rem totam in hac verba exponit: *Sportula equitibus singulis data bis quina numismata siue deni nummi, siue 10. sestertij. siue 10. nummi sestertij. Soliti autem equites in spectaculis conferre sportulas suas, tanquam symbolas. siue collectas de quibus essent. Sextilianus bis consulerat suos decem nummos sed bibit vicies. Alij equites si vicies quisq; bibere voluisset. ne aquam quidem calidam ministri curare potuissent, quæ tot tantisq; potoribus satis esset. Hæc meridiana Valerij mens, sed tibi nox intempesta. Esse intempestam tibi prodis tuo tanquam sorex indicio. Admodum enim moraliter & censoriè. Quis enim, inquis, sobrius eques Romanus vnis spectaculis, centum vini quadrantes haurire non erubuisset? Vide acumen tuum: Quia decem illi nummi centum quadrantes sunt, tu consomnias eis respondere, vini centum quadrantes, & eosdem esse quadrantes monetæ, & quadrantes vini. Eadem mox aberratione Valerium explicans, Cur tu, inquis, Sextiliane, adeo intemperanter te geris, vt solus bibas viginti sestertios? Videlicet quod Valerius ait. bis decies, interpretaris 20. sestertios. Atqui Valerius intelligi vult vicies, aut bis denas vices bibis, neq; exprimit, sextantes illi, an deunces an trientes; sed intelligi vult non posse vicies quemquam bibere, quin longe pluris constet, quam nummis decem, quæ summa sane paruula est. Ad minimum enim illud bis decies vini sunt trientes 20. qui longe excedunt pretium nummorum decem. Quomodo autem poeta de 20 sestertiis dicere potuit, bis decies? Longe est aliud, decies & bis decies siue vicies, aliud 10. aut bis 10. siue 20. nummi. Vt videretere tamen in hac ciuitate tua contenebra aliquid & de Hadr. Turnebo iudicare posse. Aliqua, inquis. habet discussione digna, quæ non sunt huius loci. Apage te, quin dixisti, vt res est, aliqua quæ qualia sunt, nescio? Nihil explicatio Turnebi, discussione tua vel cuiusquam eget, excepto illo, bis decies, in quo tu Phœbe noster, sic hæres. vt mus in pice.* Est qui *bis decies* exponit vicies centena millia sestertiûm siue vigintiquinque millia philippæorum. Sed aliena est huic loco hæc interpretatio, quamuis referat ille ad totum patrimonium. Sequens enim distichon esset inane.

De Regulo.

XIII. XII.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaq; sulfureis Albula fumat aquis;
Rura, nemusq; sacrum, dilectaq; iugera Musis
Signat vicina quartus ab vrbe lapis.
Hic rudis æstiuas præstabat porticus vmbras:
Heu quam pœne nouum porticus ausa nefas.
Nam subito collapsa ruit, cum mole sub illa
Gestatus biiugis Regulus esset equis.
*Nimirum * tenuit nostras fortuna querelas,*
Quæ par tam magnæ non erat inuidiæ.
Nunc & damna iuuant: sunt ipsa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare deos.

* timuit lego.

Reguli causidici periculum exponit, quod ob ruinam veteris porticus, qua pœne deprensus est, incurrit, Simulque ostendit esse prouidentiam.

Sed quis hic inquis Regulus? Rex inquam improborum, quem apud Plinium iuniorem Modestus bipedum nequissimum verissimè appellauit vti Iuuenalis Sat. 1. magni amici, hoc est, Cæsaris delatorem. Sed graphice eum depingit Plinius lib. 1. epist. 5. lib. 2. epist. 11. 20. lib. 4. epist. 2. 7. lib. 6. epist. 2. Et Tacitus 4. hist. vbi hunc M. Aquilium Regulum Curtius Montanus truci oratione accusauit. Vipsanius Messalla frater defendit. Crassos, Camerinos, Orphitos sub Nerone euertit, multos alios, etiam exules crudeliter vexauit, nihil sincere vnquam egit, viduarum bona captauit, aliaq; innumera flagitia designauit. Studuit tamen, & causas solicite egit, ita vt Plinius eundem ἀκακοπαθίαιστον nominarit. Multa sunt de hoc epigrammata Martialis, quorum occasione plura referemus.

ITVR AD HERC. GEL. QVA TIBVRIS ARCES.] Tibur oppidum Latii ad 17. lapidem vrbe situm, 15. stadia numerant Ptolemæus & Procopius, veterum deliciæ. Herculem pagana superstitio Tiburtinum singulari cerimonia colebat velut Deum tutelarem, ad cuius solennia sacra quotannis magna vis hominum confluere solebat. Immo & templum ibidem sortibus & oraculis non minus nobile quam Buræ in Achaia visebatur, de quo Pausanias. Statius hoc celebrat in Tiburtino Manlii.

Tiburtus. Amphiarai F. vel Catillus Argiuus seu Arbas conditor.

Quod ni templa darent alias Tirynthia sortes,
Et Prænestina poterant migrare sorores.

Herculis templum existimant fuisse antiquum, quod sub monte ad viam Tiburtinam videtur. Altera fuit ibidem ædes Herculis Saxani, de qua vetus inscriptio

HERCVLI. SAXANO. SACRVM.
SER. SVLPITIVS. TROPHIMVS.
ÆDEM. ZOTHEECAM. CVLINAM.
PEÇVNIA. S. A. A. SOLO. RESTITVIT.
ÆDEMQVE. DEDICAVIT. K. DECEMB.
L. TVRPILIO. DEXTRO. M. MÆCIO. RVFO. COS.
EVTYCHVS. SER. PERAGENDVM. CVRAVIT.

Dictus opinor Saxanus, quod eius fanum in saxo positum fuerit, non procul à cataractis Anienis, vt eius alueum compesceret, & agros ab inundatione tueretur. Apud Tiburtes igitur Tiburtinus & Saxanus, vt apud Iberos Gaditanus, Batauos Marcusanos, Ligures Monœcus, Baulius & Surrentinus, apud Campanos. Hinc ipsum Tibur apud Strabonem, Martialem, & alios Herculeum, quasi totum hoc municipium eius Dei sacris initiatum esset. Colebatur enim in prætorio Tiburti cum cæteris Diis Hercules, & Romæ in Capitolio Iupiter. Erant inter ordines publici concilii & sacerdotiorum, Augustales Herculanei magnæ dignitatis, vt veteres tituli & epigraphæ ostendunt. Decima Sibillarum Albunea seu Leucothea, Tibur quoque natalibus suis illustrauit, Collapsa hæc omnia pro viribus instaurauit amplissimus Cardinalis Hippolytus Atestanus, cunctaq; supremo numini consecrauit, quæ versibus celebrauit M. Antonius Muretus, descripsit. Vbertus Folietus. Leander Ital. laudauit Iulius Roscius Hortinus. Franciscus Schottus Itin. Ital. lib. 3. qui multa & præclara de Tiburtinis tempe conscripsit. Fuluius Cordulus in S. Getulii agone.

Strabo lib. 5. ἡ τὸ ἡρακλεῖον. Cui famum Herculis est. Gellius li. 19.

CANAQVE SVLFVR. ALBVLA FVMAT AQVIS] De his Plinius lib. 3. c. 5. & lib. 31. Strabo. alii. Cana Albula dicitur à colore albo. Subiecta enim Tiburi planities propter Anienem plurimis aquis gelidis scaturit, quas Albulas vocant, multa medica virtute cum potæ tum balneo adhibitæ pollentes. Aquam canam seu albam reddit vis sulphuris, vnde fontes promanant. Vitruuius lib. 8. Pausan. 4. Anien. quippe ad montium radices per imam planitiem egelidis venis sulphureis per subterranea metella deriuatis (partim erumpit, quas Albulas appellant à colore seri lactis, lege Franciscum Schottum lib. 3.

RVRA NEMVSQVE SACRVM DILECT. IVG. MVSIS.] Villam Reguli describit, quam sacram ait Musis, propter Regulum Oratorem. Hunc ipsum hortum opinor à Plinio intelligi, & depingi lib. 4. epist. 2. *Tenet*, inquit de Regulo, *se trans Tiberim in hortis, in quibus latissimum solum porticibus immensis, ripam statuis suis occupauit: vt est in summa auaritia sumptuosus, in summa infamia gloriosus.* Habuit & alia in Vmbria, Tuscia & Tusculano prædia nostro poetæ lib. 7. prædicata:

Quicquid Villicus Vmber, aut colonus,
Aut Tusci tibi Tusculiue mittunt.

SIGNAT VICINA QVARTVS AB VRBE LAPIS] quarto ab vrbe milliario seu quatuor millibus passuum, vno fere nostrate. lib. 7. hoc rus tertio milliario ponit, censeo intra tertium & quartum fuisse. Sed quid sibi lapis, itinerum index & signator? Lapis mille passus notabat more vltra Gracchi æuum non porrecto. C. enim Gracchus primus itinera & milliaria signasse videtur, de quo Plutarchus in eius vita. πρὸς τούτοις διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν (τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ) κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν. *Porro singula milliaria diligenter lapideis columnis distinxit.* Ita Xilander (vides qua fide) locum interpretatur. Melius Lucas Pætus. *Ad hæc viam omnem per milliaria dimensus (capit autem paullò minus octo stadia, milliare) columnas lapideas spacij signandi caussa locauit.* Vbi de lapide Lucas Pætus plura. Lapidem Plinius non raro pro milliario posuit lib. 15. cap. 18. *Non castra Punica ad tertium lapidem vallata* & lib. 31. cap. 3. *Virgineus* (aquam) *adduxit ab octaui lapidis diuerticulo.* Et lib. 36. cap. 15. de aqua Claudia. *Quippe à quadragesimo lapide, ad eam excelsitatem, vt in omnes vrbis montes lauarentur, influxere Curtius atq; Caruleus fontes.* Tacitus etiam 4 Histor. *quadragesimo ab vrbe lapide*, &c. Obserua columellis hisce milliariis inscriptas fuisse notas, quibus spacia itinerum docebantur. Quintilianus. *Partitio reficit audientem non aliter, quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spacia.* Idem affirmat Rutilius.

Via Tiburtina, cuius mentio apud Vitr. lib. 8. hodie Tauri-ca appellatur, vt Castio Cæsarianus ad Vitruuium est auctor.

Interualla via sessis præstare videtur,
Qui notas inscriptus millia multa lapis.

Græcis ab his notis milliaria σημεῖα dicuntur. Boetius *lapides cursorios nominauit*, vt Pius annotauit

tauit prior. Ann.c.10. Martialis marmor lapidem tertium quartum,&c. Plura Brissonius lib.4. Antiquit. cap. 8. HIC RVDIS ÆST. PRÆST. PORT. VMBRAS.] Ruinosæ & inelegantis porticus descriptio, rudis enim, rusticanam, inelaboratam signat. Amabant Romani in suis prædiis & prætoriis eiusmodi porticus, & plerique omnes adornabant. Plinius epist 6. lib. 5. suam porticum Tuscanam elegantem, verbis etiam elegantiorem reddit. vti & lib.2. epigram.17. Laurentinam Reguli porticus huius noster infra epig.83. meminit

Hac qua puluere dißipata multo
Longas porticus explicat ruinas.

Et Plinius lib.4. epist.2. immensas porticus, vt dictum, appellat. NOVVM NEFAS] pœne ruina subita deprensum elisisset Regulum, quod summum fuisset fortunæ nefas & facinus. nouum tamen futurum non erat Regulum elidi; multi ruinis oppressi ante, vt Strabo, Ouidius, Val. Max. aliique testantur, sed rarum potius. NAN SVBITO COLL.] Ipse describit per hypotyposim casum & periculum, vt infra.

Testis nam modo Regulus sub illis
Gestatus fuerat, recesseratq;
Victa est pondere cum suo repente.

GESTATVS BIIVGIS REG. ESSET EQVIS] vehiculo, quod equi gemini ferebant bigis nempe; bigæ enim, trigæ, quadrigæ dicuntur, cum equi bini, vel terni, vel quaterni iugantur nec tamen bigæ cisium, nec quadrigæ quatuor rotarum currum valent, sed equos quaternos eodem versu, & linea iunctos, velut in acie, cùm milites quaterni quini vel seni per membra partitim incedunt. sic fieri potest vt birotam, seu δίκυκλον, quatuor equi agant, & erunt quadrigæ. vel bini τετράκυκλον, & erunt bigæ. Vel vt vehiculum portent ἄκυκλον, alter à fronte, alter à tergo, vt vehi solent ægri, aut principes, viri, fœminæue, ad quod genus mulæ seruiunt potissimum. nec quadrigæ, nec trigæ, nec bigæ erunt, qua de re alibi plenius. Cæterum hic te velim discere veteres gestari solitos vel animi, vel exercitationis, vel valetudinis causa, idque vehiculo, vel sella, vel lectica, cunis etiam & naui, & lecto pensili, de quibus gestationum generibus, vti & de ipsa gestatione docte Mercurialis lib.6.c.9.10.& 11. de arte Gymnastica & Lipsius epist.11. Miscell. Equitationem medici separant à gestatione. NIMIRVM TENVIT] *Timuit* scribo, non *tenuit*, quasi fortuna non fuerit ausa opprimere Regulum, communem verita inuidiam, quam sustinere non posset.

Infra: *Et postquam domino nihil timebat,*
Securo ruit incruenta casu.
Tanta, Regule, post metum querela, &c.

Multa de hoc timore & inuidia Heraldus digna lectu. NVNC ET DAMNA IVVANT.] Discitur inde cura Deorum erga mortales, quam multi philosophorum negabant, simulque te superis carum. Infra:

Quis curam neget esse te Deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

TIMVIT FORTVNA QVERELAS.] Timuit fortuna, ne si oppressus esset Regulus, passim negaretur prouidentia Deorum, vti tum rebus in afflictis impii pagani solebant. Propertius El. 6.

Et queritur nullos esse relicta Deos.

Ouid: *Esse Deos credamne? fidem iurata fefellit.*

Et tamen periurium nam vindicarunt Dii, ergo nulli sunt.

Idem: *Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso*
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Idem: *At valet Eurystheus: & sunt qui credere poßint Esse Deos?*

Attius Antig. *Iam iam neq; Dij regunt, neque*
Deûm summus Rex omnibus curat.

Iason apud Senecam in Medea vers. vltimo

Per alta vade spacia sublimi atheris,
Testare nullos esse, qua veheris Deos.

IVVANT] delectant, cum videmus nos curæ Diis esse & cordi.

SVNT IPSA PERICVLA TANTI.] Meritò subeas tale tantumque periculum, quo Deorum prouidentiam, quamuis tuo periculo doceas, hoc est, tanti pericula non sunt æstimanda, quanti Deorum prouidentia, quæ ex propulsis periculis apparet. Amant ita loqui veteres Latinitatis conditores. Cicero 2. Cat. *Est mihi tanti Quirites, huic inuidia falsa atque iniqua tempestatem subire, dummodo à vobis huius horribilis belli ac nefarij periculum depellatur*, hoc est, tanti non facio periculum inuidiæ mihi subeundæ, quanti salutem vestram. Vel tanti facio salutem vestram, vt eius causa nulla inuidiæ tempestas sit, quam subire recusem. Sic pro Q. Roscio, Milone, Cælio, in Verrem ad Atticum aliisque locis est locutus. Et noster sæpius. infra ep.118. *Tanti non es, ais: Sapis Luperce.* & ep.109.

Es tanti, vel si longius illa foret.

Lib. 5. *Bis septena tibi non sunt subsellia tanti.* Eodem lib.

Vix

Vix tanti Paullum mane videre fuit.

Aliisque libris & epigrammatis. STANTIA] quia non desiderabant præsentem Diuûm opem, vt cadentia. Neque cognosci tam liquido potuisset, quàm Diis carus gratusq; esses, nisi postquàm tu inde abiisti, porticus illa subito collapsa fuisset, quæ si stetisset diutius, aut multo post quam tu recesseras, corruisset, nimirum id fortuito, aut casu factum omnes dixissent. Nunc cum stetit illa, & ruinam suam suspendit tantisper, dum tu gestarere, moxque vt gestari desiisti, collapsa est, negari nó potest, quin te Dii omnes ament, carumque habeant, vt qui te ruinæ subtraxerint. Sed poeta locum communem reddidit de prouidentia Dei, quam asseruit ex cura, quam Deus habet erga mortales. Probare Deos & absoluere dicebant. Hercules Senecæ, Claudianus lib. 1. Ruff. Iuuen. Sat. 1. Seneca pater contr. 1. *Liquet Deos esse, qui non aluit, eget: qui in domum suam fratrem non cepit, in publico manet.* Tu, si iuuat, hic Musambertium co sule, contra Ramitesium copiose disputantem, mihi neque otium, neque locus, neque voluntas, neque necessitas est.

De Arria & Pæto.

XIII. XIV.

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis.
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Illustre & virile in fœmineo corpore contemptæ mortis exemplum, Arria, inquam, illa heroina docuit Pætum, virum suum mori. CASTA ARRIA] Celebrant hanc Tacitus, Plinius iunior, Dio, Zonaras, vetus Persii scholiasta, Lipsius ad Tacitum. *Arria mater vxor fuit Cæcinnæ Pæti, qui in partibus Scriboniani contra Claudium, ideo ad mortem actus. Sed præiuit vxor, æterno & inaudito exemplo, semet feriendo, extractumq; pugionem, marito porrigendo, cum voce, Pæte non dolet.* Cognata erat Persii, socrus Thraseæ. Excepta est hæc vox, Pæte, non dolet, & mirifice celebrata, aliaque huius viraginis maiora. Plinium lib. 3. epist. 16. audiamus. *Præclarum quidem illud eiusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac pæne diuinam. Pæte, non dolet.* Sed Plinius his miriora subiicit: *Auxerat*, inquit, *hoc responso curam suorum, attentius custodiebatur sensit.* Et: *Nihil agitis*, inquit, *potestis enim efficere, vt male moriar, ne moriar non potestis. Dum hæc dicit, exiluit cathedram, aduersoq; parieti caput ingenti impetu impegit, & corruit. Refocillata, dixeram, inquit, vobis inuenturam me quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis. Videnturne tibi hæc maiora illo. Pæte non dolet? ad quod per hæc peruentum est, cum interim illud ingens fama, hæc nulla circumferat.* Hæc æternus Arriæ præco secundus, apud quem alia de hac eadem non minus vel suspicienda, vel prædicanda miraberis. Habes nouam Alcestidem, Lucretiam, Porciam, vel his omnibus maiorem & sanctiorem. Hinc veram obserua lectionem aqud Dionem παῖτε οὐκ ἀλγῶ. vbi Xylander legit παῖ & vertit; puer, tam pueriliter, vt ferula dignus videri possit, quem merito notauit & castigauit Lipsius, & ante Lipsium Leopardus lib. 1. Emend. cap. 17. SED QVOD TV FACIES] quia tu mea vita, quo saluo perire nequeo; quo pereunte, salua esse non possum. Fuit hic Cæcinna Pætus consularis, in partibus Furii Camilli Scriboniani Dalmatiæ legati bellum ciuile Claudio mouentis, sed oppressi à militibus suis, alii à Cæsare conquisiti & ad mortem adacti, inter quos hic Pætus. Tacitum, Tranquillum, Orosium lege.

DOLET] [illegible], nam vulnus non dolet, sed facit dolorem. sic Terentius, Plautus, Ouidius, Prudentius, alii locuti, dolet dictum, Martialis capilli dolent, aures, dentes, cor, &c.

Ad Cæsarem.

XIV. XV.

Delicias, Cæsar, lususque iocosque leonum
Vidimus: hoc etiam præstat arena tibi;
Cum prensus blando toties à dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ore lepus.
Vnde potest auidus captæ leo parcere prædæ?
Sed tamen esse tuus dicitur, ergo potest;

Ludum

Delicias supra lib. spect. epig. 2. expositurum.

Ludum mansueti leonis cum lepore describit, & Cæsari blanditur. argumentum supra infraque sæpius tractatum. Tu poetæ copiam attēde, qui eandem rem aliter quidem semper, sed semper etiam venuste exprimit. ARENA] Amphitheatrum. TOTIES ADENTE REDIRET] infra epig. 105.

Dimittunt, repetunt, amantq; captos,
Et securior est in ore præda,
Laxos cui dare peruiosq; rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes.

Et epig. 49. *Per quos præda fugax itq;, reditq; lepus.*

SED TAMEN ESSE TVVS DICITVR, ERGO POTEST] palam adulatur Cæsari, vt Deo, cui pareant etiam feræ, vnde supra eundem cum Ioue composuit, & infrà:

Quis spectacula non putet Deorum?
Hæc clementia non paratur arte,
Sed norunt cui seruiant leones.

Ita de Elephanto: *Non facit hoc iussus, nulloq; docente magistro,*
Crede mihi, numen sentit & ille tuum.

Ad Iulium.

XVI. XV.

O mihi post nullos Iuli memorande sodales,
Si quid longa fides, canaq; iura valent,
Bis iam pœne tibi consul trigesimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene distuleris, videas quæ posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Expectant curæq; catenatiq; labores;
*Gaudia non * remeant, sed fugitiua volant.*
HÆC VTRAQVE MANV, COMPLEXVQVE ASSERE TOTO,
Sæpe fluunt immo sic quoq; lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere, viuam.
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

* remanent MSS. ferunt remeant.

Epicuræa parænesis ad vitam genialiter agendam ab ipsius vitæ breuitate ducta, quæ deterrere Iulium, quam impellere magis poterat, aut certe debuerat. Sed Iulium hunc nosse aues, ad quem Martialis sæpius infra scribit. Et lib. quidem 12. vsum amicitiæ sibi cum hoc Iulio quatuor supra triginta annos intercessisse refert.

Triginta mihi, quatuorq; messes
Tecum, si memini, fuere Iuli.

Ad eundem est lib. 9. epig. 77. Rumpitur inuidia, &c. Celebrantur interim alii Iulii apud eundem infra epig. 108. Lucius Iulius, Iulius Martialis. lib. 4. de hortis Martialis lib. 6. ad Martialem, eodem lib. epig. 1. lib. 10. epigr. 47. non ad seipsum, sed ad Iulium Martialem. lib. 9. epigr. 23. laudat Iulium pastorem, de quo Plinius epist. 18. lib. 1. Iulii etiam Candidi vxorem mordet, vt Catanæus existimat, ego secus. Candidi quidem vxorem tangit, vti & ipsum Candidum, sed nomen Candidi fictitium ibi. Floruerunt eodem æuo Iulius Seruianus, Iulius Africanus, atque alii, de quibus Plinius, Dio, alij. Quem hic Iulium Martialis velit, non diuino. amicum poëtæ constat fuisse, suspicor de Iulio Martiale; ille certe est siue Martialis siue alius, ad quem lib. 12. scribit vt diximus, quod enim hic dicit. O MIHI POST NVL. IVL. MEM. SOD.] lib. 12. exponit, quid sibi longa fides, & cana iura velint, nempe amicitiam triginta quatuor annis cultam. Versum primum ab Ouidio transcripsisse videri potest, qui lib. 1. Trist. Elegiam quartam in hæc verba orditur.

O mihi post nullos vnquam memorande sodales.

Sensus liquidus. Iuli ante omnes amicos referende, amicorum antistes & Alpha, si modo tempus longinquum, & diuturnum veros & sinceros amicos probat, vt reuera probat, cum Aristoteles dicat, οὐδὲν ἄνευ χρόνου φίλος, non est amicus absq; temporis mora, & Menander

Κρίνει φίλους ὁ καιρὸς, ὡς χρυσὸν τὸ πῦρ. *Vt ignis aurum, sic tempus amicos probat.*

Sed de hoc loco aliâs plenius, hæc quasi in gustu.

BIS IAM PŒNE TIBI CONSVL TRIGES. INSTAT.] Iam prope es ἑξηκοντούτης; bis trigesimus consul, sexagesimum annum signat, triginta consules triginta annos. Vulgaria res, exactis regibus fastos consulares, ab ordine consulum conditos, dum quotannis noui designarentur. hinc modus hic loquendi, sexagesimus consul tibi numeratur, aut instar sexagesimum vtiq; annum notat. ET NVMERAT PAVCOS VIX TVA VITA DIES] geminus intellectus subit, vt dies vel præteritos, vel futuros dicat paucos. præteritos, quia non vixisti, nec genio indulsisti hactenus, nisi perraro, sed curis & laboribus æuum prope totum exegisti, quod non est viuere * futuros: cùm annum iam sexagesimum attigeris, pauci tibi iam affecto, & annis senioq; fracto corpore dies vitæ restant.

NON BENE DISTVLERIS, VIDEAS QVÆ POSSE NEGARI] viue dum viuis, incertus es futuri lib. 10.

Gaudia tu differs, at non & stamina differt
Atropos, atq; omnis scribitur hora tibi.

EXPECT. CVRÆQVE CAT. LAB.] catenatos labores perpetuos & assiduos appellat, quibus velut vinculis distringaris, cum labor nempe laborem excipit; curas ad animum, labores ad corpus refer. etsi vtrumque pro vtroque non rarò vsurpetur. GAVDIA NON * REMEANT, SED FVG. VOLANT] Lib. 7.

Viue velut rapto, fugitiuaq; gaudia carpe,
Perdiderit nullam vita reuersa diem.

Horat. Sat. 6. lib. 2.

Dum licet, in rebus iucundis viue beatus,
Viue memor quam sis aui breuis——

Et Persius.

Indulge genio, carpamus gaudia, nostrum est,
Quod viuis: cinis & manes & fabula fies,
Viue memor lethi fugit hora.

*Græcè ζῆν est viuere, h. e. delicate nitide & beate viuere. Xiphilinus in Adriano. Plato Comicus aly.

* Remanent Placuit Grutero ex MSS. placuit & Ramwesio aly. malumq; tò remeanq; Musamb. contra Ramer. vt illustrasse Horatiū videatur volat irreuocabile verbū.

Plura nihil attinet congerere, locus est communis vbique obuius.

HÆC VTRAQVE MANV COMPLEXVQVE ASSERE TOTO.] Ad formulam adserendi alludit. Veteres in libertatem quempiam vindicaturi, manu prendebant asserebantque, adiecta hac voce. *hunc liberali causa manu adsero.* Terent. Adelp.

Nam ego illam liberali adsero causa manu.

Plaut. pæn.

Manu eas adserat.

Idem Persa, Curcul. Plaud. Varro lib. 5. LL. Hinc Adsertio, adsertor Græcis καρπισία & καρπιστής. Plurima super his consultissimus Brissonius lib. 5. For. p. 384. Eodem sensu dicebatur supinis manibus accipere Sen. lib. 1. Ben c. vlt. lib. 3. de Ira, c. 20. Suet. Vitellio, c. 7. Sic apud Eunapium, Eusebium, Dionysium Alexandrinum ὑπτίαις χερσὶ λαμβάνειν. Heraldus plura.

SÆPE FLVVNT IMMO SIC QVOQVE LAPSA MANV.] Cicero pro M. Cælio. *Amores & deliciæ mature & celeriter deflorescunt.* Idem 2. de Fin. *Fluit voluptas & prima quaq; euolat.*

NON EST, CREDE MIHI, SAP. DIC. VIVAM.] Hoc extremum distichon multi sequius accipiunt, quam poetæ scriptum est, illi in bonam & piam partem, hic in deterrimam vertit. Nam viuere poetis est, genio voluptatibus, commessationibus, potationibus assidue vacare & indulgere.

Catullus. *Viuamus mea Lesbia atq; amemus.*

Cæcil hym. *Sex menses mihi satis est, septimum orco spondeo.*

Lucill. *Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.*

Varro περὶ φιλαργυρίας. *Properate viuere pueri, quas sinit ætatula ludere, esse amore.* Plaut. Bacchid.

Non tibi venit in mentem, amabo si dum viuas,
Tibi bene facias, neq; si hoc hodie amiseris,
Iam pol id quidem esse haud longinquum,
Post mortem id euenturum esse vnquam.

Petronius. *Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus*
Ergo viuamus, dum licet esse bene. Sed hic non Petronii.

Anacr. Τὸ σήμερον μέλει μοι,
Τὸ δ' αὔριον τίς οἶδε;

Et Amphides apud Athenæum:

Πῖνε καὶ παῖζε· θνητὸς ὁ βίος· ὀλίγος ὁ ἐπὶ γῆς χρόνος,
Θάνατος δ' ἀθάνατός ἐστιν ἂν ἅπαξ ἄν τις ἀποθάνῃ.

Qui multus est in hac re. Eiusdem fere argumenti sunt illa in Græcorum. 2. Epig. c. 47. συμποτικά, quæ alibi adducemus. Hoc epigramma totum alii referunt ad animi tranquillitatem, quod non inficior, sed hanc ponit in secura voluptate.

Ad Auitum.

XVI. XVII.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis, hic aliter, non fit, Auite, liber.

Fictum quidem nomen est Auiti, quo tamen Stertinium, vt lib. 9. in epistola ad Toranium ipse

ipse testatur, clarissimum virum intelligit, qui tanti putauit poëtam, vt viuenti more veterum in sua Bibliotheca imaginem poneret. Martialis alludit ad versum Græcum Homeri Odyss. δ.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα πολλὰ δὲ λυγρά.

In epigrammate iocatur de libro suo; sic potius modestiam poetæ interpretor, nec puto distichum hoc ad materiam epigrammatum, sed formam potius, hoc est ingenium, argutiam, elegantiam, venustatem referendum. Bona enim ea dicit, quæ virtutes omnes epigrammatis complectuntur; mediocria, quæ mediocrem habent artem & ingenium: mala vero, leuicula & vulgaria, parum ingeniosa & arguta. Perottus bona dicit ea quibus virtutes laudat, vt superius ad Iulium. mala, quibus vitia carpit, mediocria, cùm ædificia celebrat. Siccine? malum carmen est, cùm ebrietatem vitupero, mala concio, cùm populi vitia insector? lector sit arbiter. piget addere verbum. SVNT BONA] arguta, grauia, ingeniosa. Eiusdem argumenti est illud ad Lausum.

Triginta toto mala sunt epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, bonus liber est.

Vt in melle vendendo, quod ex malo bonum facies, si vnam partem mali, & duas boni simul miscueris. Nobile Plinii maioris dictum extat apud minorem, ***nullum librum tam malum, quin aliquid habeat boni.*** vti fere nullus tam bonus, quin aliquid mali. Emendantur Cicerones, Virgilii, Homeri, atq; vt maiora nomina ponam Plato, Aristoteles, & quis demum non? μηδὲν γὰρ ἁμαρτάνειν θεῶν. MEDIOCRIA] sic Persius semipaganum se nuncupat modestiæ, & dicis caussa. sed negat Venusinus licere mediocribus esse poëtis. At affirmat Arpinas præclarum esse etiam in secundis & tertiis consistere. Nec Horatius ipse semper Horatius. Anteponitur illi in Satyris etiam meo animo Aquinas, qui & ipse manum ferulæ subduxit. MALA PLVRA] locatur, quasi perinde sibi sit, seu bona seu mala condat, modo librum concinnet, vt infrà.

Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potius, τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

Et lib. 2. epig. 8.

Ista tamen mala sunt, quasi manifesta negamus;
Hæc mala sunt, sed tu non meliora facis.

QVÆ LEGIS HIC: ALITER.] Interpunctio hæc: Quæ legis hîc: aliter —— arridet præ illa: Quæ legis: hic aliter. Plinius minor lib. 9. ep. 20. *Nihil peccat nisi quod nihil peccat.* de quod. Oratore omnia æqualiter dicente. Id ep. 16. lib. 1. de Saturnini cuiusdam versibus: *Quantum illis leporis, dulcedinis amaritudinis, amoris inseris? Sane data opera molliusculos, leniusculos, duriusculos quosdam: & hoc quasi Catullus aut Caluus.* Sæpe decentior est facies in qua neuus aliquis inest. Æqualis ergo liber malus liber. in quo nulla varietas; similitudo enim satietatem & fastidium parit. nemo sibi semper similis. Immo inquit poeta, liber æqualis malus liber est. lib. 7. epig. 89.

Iactat inæqualem Matho me fecisse libellum,
Si verum est, laudat carmina nostra Matho.
Æquales scribit libros Caluinus & Vmber;
Æqualis liber est, Cretice, qui malus est.

Ad Titum.

XVIII. XVII.

Cogit me Titus actitare causas,
Et dicit mihi sæpe, magna res est.
*Res magna est, Tite, quam facit * colonus.*

* Colonus? cũ nota interrogationis malunt alij legere.

Monitus à Tito quopiam, vti se ab hedera ad thyrsum, hoc est, à poësi & vmbrâ, ad solem, & forum conferret, quod magna res esset agere caussas, hoc est fructuosa & vtilis, poësis vero sterilis & inanis, vt eleganter in Dialogo apud Tacitum Quintilianus, vt putatur, disputat. ludit poëta Titum ambiguo verbo *magna res.* Magna res, inquit, est, quam facit colonus, cũ arat, serit, metit, vendit & auget rem familiarem; tum enim rem facit magnam, cùm auget opes. COGIT ME TITVS ACT. CAVSSAS] Ouidius lib. 4. T. se à parente ad eloquentiam impulsum scribit, quod poësin sterilem diceret.

At mihi iam puero cœlestia sacra placebant,
Inque suum furtim Musa trahebat opus,
Sæpe pater dixit, studium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipse reliquit opes.

Et noster infrà. *Is mihi, diues eris, si caussas egeris, inquit,* lib. 2. epig. 30. Omnium planissime. lib. 1. epig. ad Flaccum. *O mihi curarum, &c.* vbi disertiores erimus.

RES

RES MAGNA EST, TITE QVAM FACIT COLONVS] Res tanti est, quanti artifex; quamcunque artem exerceas, possis eâ rem magnam facere, & opes augere, si probè calleas artem. vti peritus gnarusq; colonus rem magnam facit. Ita caussidicus malus non auget rem, nec rem magnam facit, bonus contra magnam. pari ratione si ero Flaccus aut Virgilius, etiam in poëtico studio rem magnam faciam. Ita tanti ager, quanti colonus, tanti poësis, quantus poëta. Aliter tamen Robertus Titius lib. 7. locorum contr. cap. 23. Martialem intelligit, Atque ad laborem agricolationis refert illa, Res est magna, &c. putatq; ex Phauorino apud Stobæum, suam sententiam confirmari, quam lector, opinor, facilius infirmabit. Alij putant Martialem tectè fundos à Domitiano mendicare. Fingit enim sibi à Tito fœneratore suasum vt relicta poësi se ad forum conferat (vt infra de Caio, quod peto da Cai, non peto consilium, sed auxilium) Argumentum Titi erat Caussidicos rem facere, poëtas frangere, vt Ouidio pater suadebat. Respondet poëta quasi Tito Dom. Cęsari, si velit vt rem faciat, hoc est vinum, frumentum, oleum, fructus comparet, donet sibi agrum, colonos enim hæc facere, malle se agere colonum quam caussidicum.

Ad Tuccam.

XVIII. XIX.

Quid te Tucca iuuat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facile est: scelus est iugulare Falernum,
*Et dare Campano toxica * sæua mero.*
Conuiuæ meruere tui fortasse perire:
Amphora non meruit tam preciosa mori.

*plena, al. puma cado.

Vinum Vaticanum reprehendit, Falernum laudat, Tuccam vt sordidum tangit, qui conuiuis malum vinum propinarit, vt minus biberent. Tucca cæteroqui Romanum nomen, quo nomine & ille Virgilianæ poësis arbiter. Hic fictitium est. Ita censeo, quia qui carpit meminisse oportet illud:

Parcere personis ——

Infra Sempronium quendam Tuccam nominat. VETVLO FALERNO] annoso, quod ætatem ferebat, de vinorum æuo dicemus ex Plinio commodo loco.

IN VATICANIS CONDITA MVSTA CAD.] Vinum pessimæ notæ Vaticano agro natum, etiam suo æuo testatur Perottus. Agrum seu collem Vaticanum Leo IV. mœnibus vrbis inclusit, Nicolaus V. instaurauit. Vaticanum Varro in lib. Diuinarum ait appellatum, *quod penes eum Deum humanæ vocis initia essent. Quoniam pueri simul atq; parti sunt eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est. Idcirco vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis.* Gellius lib. 16. cap. 17. Vaticanum agrum à Deo Vaticano eiusdem agri præside dictum putat. Deum verò Vaticanum à Vaticiniis, quæ vi atque instinctu eius Dei in eo agro fieri solita essent. Vinum Vaticanum noster poëta multis epigr. exagitat. lib. 6. epig. 92.

Vaticana bibis, bibis venenum.

Lib. 10. 45. *Vaticana bibas si delectaris aceto.*

Lib. 12. 48. *Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum*
Et Vaticani perfida Vappa cadi.

QVID BONI] argutatur in contrariis.

Quid fecere tibi vel mala vina boni?
Quid fecere tibi vel bona vina mali?

IVGVLARE FALERNVM] miscere pessimo vinum optimum, est occidere vinum, poëta tropicus de vino, velut homine loquitur. CAMPANO MERO] Falerno quod in Campania nascitur. TOXICA] venena. aliter scribitur *toxica vina*. quæ Vaticana vocat toxica à taxo arbore, Græcis σμῖλαξ vel θύμαλος, Latinis taxus appellata, abietis magnitudine. In Italia, Narbonensi Gallia, Hispania, Arcadia nascitur. vt Dioscorides lib. 4. cap. 80. Plinius lib. 16. cap. 10. tradiderunt. Narbonensis seu Arcadica, vt Plinius est auctor, tam præsentis veneni fuit, vt qui sub eius vmbra sederint, obdormierint, cibumue ceperint, mortui ferantur. immo & vasa viatoria vinis in Gallia facta, mortifera fuere comperta. Paullum ab his abit Theophrastus lib. 3. histor. CONVIVÆ MERVI FORTASSE] tam vappidum & ingratum vinum appositum conuiuis dicit, vt conuiuator

Tucca videatur voluisse conuiuas enecare. At inquit si nos aliquid in te peccauimus, vt toxica praeberes, quid peccauit Falernum, vt misceres Vaticano toxico, & corrumperes?

Ad Æliam.

XX. XIX.

Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes;
Expuit vna duos tussis, & vna duos.
Iam secura potes totis tussire diebus:
Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

Iocus in edentulam & tussientem aniculam. QVATVOR DENTES] Viro triceni bini à Galeno & Auicenna assignantur, fœminæ duodetriginta. Plinium lib. 7. cap. 16. Cæl. Rhodiginum lib. 4. cap. 1. adi. Æliæ huic fictitiæ quatuor restabant, iam assidua tussi luxati & excussi, vt poëta nugatur. NIL ISTIC] Nihil amplius est, quod expuas, præter animam. Lusit & Aristophanes in edentulas. Musamb. contra Ram.

Ad Cæcilianum.

XXI. XX.

Dic mihi, quis furor est, turba spectante vocatâ
Solus boletos, Cæciliane, voras?
*Quid dignum tanto * tibi ventre gulaq; precabor?*
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

MS. ventreque, gulaque.

In Cæciliani compositi nominis (etsi multi leguntur Cæciliani) persona barbarum & inhumanum hospitem insectatur, qui, non tam vocarat amicos ad conuiuium vt essent, quàm vt optima quæque vorantem ieiuni spectarent, ipsique vilissimis cibis vescerentur. Idem queritur Iuuenalis Sat. 5. Sunt huius argumenti epigrammata apud Martialem plura: lib. 2. 43. l. 3. 59. l. 4. 98. & 78. lib. 6. 11. Legenda hoc loco epistola Plinii secundi lib. 2. sexta, quam & infra laudaui, cuius initium est: *Longum est altius repetere*, & quæ sequuntur. Tota epistola describit sordidissimi & stultissimi hominis conuiuium cum elogio & censura. Elegans factum Philoxeni cognosces apud Dionysium tyrannum cœnantis de mullo paruo & magno, vt Muretus refert ad 3. Ethic. Aristotelis. VOCATA TVRBA] Inuitatis conuiuis. sic vsurpatur hoc verbi, voco. Catullus ad Fund.

Qui tunc vocat me, cùm malum legit librum.

Cic. 9. epist. 20. *Nos iam tantum habemus, vt Verrium tuum, & Camillum qua munditie homines, qua elegantia, vocare sæpius audeamus.* Plaut. Asin. *Vocat conuiuam neminem illam tu voces.* Men.

Qui neq; vocantur, neq; vocant.

Noster infrà epig. 44. lib. 2. epig. 79. & aliquam multis aliis epigrammatis. Hinc vocatores. Martialis. *Iam dices mihi vapulet vocator.*

Et vocationes. Catullus. *Quærunt in triuiis vocationes.* Græci κλη⟨θ⟩έντας & κλήσεις, vocant vocatos, & vocationes.

SOLVS BOLETOS] boleti genus fungorum nobilissimorum, quos nouissimum gulæ irritamentum vocat Plinius. vide & lib. 22. epig. 22. de morte Claud. eorum apparatum habes apud Apicium lib. 7. cap. 13. Martialis auro & argento præfert lib. 13.

Aurum atq; argentum facile est lenamq; togamq;
Mittere, boletos mittere difficile est.

BOLETVM, QVALEM CLAVDIVS EDIT] Imprecatur fatalem Cæciliano cœnam & exitialem. Claudius enim Imperator gustu boleti veneno tincti interiit, Agrippina tinxit. Suet. cap. 44. *Certè veneno necatum plures memorant, vbi autem & per quem non liquet. Epulantem in arce cum sacerdotibus per Halotum spadonem datum aiunt. alij domestico conuiuio per ipsam Agrippinam vxorem, quæ boletum medicatum auidissimo ciborum talium obtulerat.* Huius mortem descripsit aut irrisit potius Seneca libello quē ἀποκολοκύντωσιν dixit. Inde Nero boletos per iocum cibum deorum appellauit, quod deos faceret, id est, necaret imperatores. In quo multus est Heraldus. Iuuen. Sat. 5.

Boletus domino, sed qualem Claudius edit,
Ante illum vxoris, post quem nil amplius edit. Et 6. Agrippinæ Boletus.

Tacitus

Tacitus 12. Annal. *Adeoq; cuncta mox pernotuere, vt temporum illorum scriptores prodiderint, infusum delectabili cibo boletorum, venenum, nec vim medicaminis statim intellectam.* Plura ibid. de Locusta venefica & Xenophonte medico, qui tandem pinna rapido veneno illita, faucibus Cęsaris immersa Claudium occidit. Cæterùm de noxiorum fungorum genere, quo non pauci per inscitiam interiere, inter quos Serenus ille Senecæ amicus, ex Plinio, Dioscoride, Athenæo alibi referemus.

De Porsena & Mutio Scæuola.

XXI. XXII.

** Dum peteret regem decepta satellite dextra,*
** Iniecit sacris se peritura focis.*
Sed tam sæua pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptæ fama est, & gloria dextræ:
Si non errasset fecerat illa minus.

* Com. MSS. * Ingessit. MSS.

Sequitur omnibus sæculis iactatum omniumque literis ac monumentis celebratum facinus Q. Mutij Scæuolæ, quod audito nomine ignoratur nemini. Salue Muti heroum sanguis, regum terror, columen patriæ, cuius dextra labantem vrbem sustentauit, Hetruriam vincentem superauit, quæ plus errando potuit, quàm aliorum feriendo. Patratum est hoc decus A. V. C. CC. XL VI. P. Valerio iterum & T. Lucretio Tricipitino Cos. Olymp. 68. Anno. I. Rem Liuius refert lib. 2. Halicarnasseus 5. Valer. Maximus 3. cap. 2. & 3. Seneca epist. 66. Virgil. 8. attingit: vti Claudianus & Silius. Tertullianus componit cum factis Christianorum Martyrum. Apol. lib. de anima. ad Martyres, & alij plerique. DVM PETERET REGEM] Res in hunc modum gesta est (si tantum tibi otij, vt recognoscas,) Cùm in castra Porsenæ Mutius venisset, stipendium militibus dabatur. Scriba, ornatu ferè pari cum rege sedens, multa gerebat, cumque milites vulgo adibant, timens Mutius sciscitari, vter Porsena esset, ne ignorando regem semetipse aperiret quis esset, quo temerè traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat. *INIECIT SACRIS SE PERITVRA FOCIS] Ingessit plus est, quàm iniecit, quasi per vim, etiam ipso igne repugnante se ingessit. Cæterùm huius Scæuolæ personam egit reus in Amphitheatro, Domitiani æuo, manumque exussit, vt lib. 8. epig. 30. lib. 10. epig. 25. scribit. Hic ipsa duntaxat historia exponitur. Sacros focos Tertullianus aram vocat. Apol. *Mutius dexteram suam libens in ara reliquit. ô sublimitas animi.* ad Martyres. *Mutius manum suam dexteram in ará cremauit, vt hoc factum eius fama haberet.* lib. de anima. *Respice ad Mutij animam, cùm dexteram suam ignibus soluit.* Et aram fuisse ad sacrificium paratam, non sinit dubitare Liuius. *En tibi, inquit, Mutius, vt sentias quam vile corpus sit, iis, qui magnam gloriam petunt, dextraque, accenso ad sacrificium foculo, inicit.* SED TAM SÆVA PIVS MIRACVLA NON TVLIT HOSTIS] Magnificè Liuius. *Quam cùm velut alienato à sensu animo torreret, propè attonitus miraculo rex, cum ab sede sua prosiluisset, amoueri que ab altaribus iuuenem iussisset: Tu verò abi inquit, in te magis quam in me hostilia ausus, iuberem macte virtute esse, si pro mea patria, ista virtus staret.* Halicarnasseus hoc immortale facinus, ne verbo quidem attigit, cùm de Mutio tamen multa verba faceret. Martialis lib. 8. de spectaculo Scæuolæ, rei inquam huius personam agentis.

Pro ὀφελοῦ bit vales.

* ingessit.

Aspicis vt temnat flammas, pœnaq; fruatur,
Fortis & attonito regnet in igne manus.

Silius.

Cernitur effugiens ardentem Porsena dextram.

Seneca epist. 66. *Ego dubitem, quin magis laudem truncam illam & retorridam manum Mutij, quàm cuiuslibet fortissimi saluam? Stetit hostium flammarumq; contemptor, & manum suam in foculo distillantem perspectauit, donec Porsena, cuius pœna fauebat, gloriæ inuidit, & ignem inuito eripi iussit.* Seneca pater decl. 4. lib. 8. *Non aliud Scæuolæ Mutio cognomen dedit, quam quod à Porsena libertatem manus suæ vstione defendit, nec aliud quam vilitas sui.* noster infrà.

Quòd nisi rapta foret nolenti pœna, parabat
Sæuior in laxos ire sinistra focos.

Porsenna dixerunt Virgilius & Claudianus.

MAIOR DECEPTÆ FAMA EST ET GLORIA DEXTRÆ] *Quanto varius est*, inquit Seneca, *hostem amissa manu vicisse, quã armata.* Valer. Max. *Vbi se cum æternæ gloria cognomine Scæuolæ reddidit.*

Obserua poëtæ morem in encomiasticis soliti post illustre factum acclamare, dictumque nobile dicere. lib. 8. de hoc spectaculo.

Scire piget post tale decus, quid fecerit ante;
Quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum.

Hoc in plerisque omnibus obseruabis tibi vltro occurrentibus.

Si non errasset fecerat illa minus] Seneca. *In integrum restituit, quicquid errauerat. Confecit bellum inermis ac mancus, & illa trunca reges duos vicit. Porsenam & Tarquinium.* Est in Appendice Virgil. elegans de hoc epigramma, quod iuuat adscribere.

Scribam Licinius & Dionys. Satellitem noster appellat.

Lictorem pro rege necans nunc Mutius vltro
Sacrifico propriam concremat igne manum
Miratur Porsenna virum, pœnamq; relaxans
Maxima cum obsessis fœdera victor init.
Plus flammis patriæ confert, quàm fortibus armis
Vna domans bellum funere dextra suo.

Sed multo fortiores Christiana habet Respub. heroes. Vnius Laurentij, vt cæteros cæterasque taceam, constantia vicit longè Pompeij apud Gentium regum exustum digitum, Mutiique manum, quando ille lento cratium igniumque tormento totum corpus vstulatus crematusque victor ignis, naturæ, & imperatoris triumphum egit. Fuere qui putarent & hunc Mucium fuisse Christianum, & coactum vrere dextram, ne indueretur tunica molesta. sed logi.

De leone & lepore.

XXIII. XXII.

Quid non. al.

Quid nunc sæua fugis placidi lepus ora leonis?
Frangere tam paruas non didicere feras.
Seruantur magnis isti ceruicibus vngues,
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Præda canum lepus est, vastos non implet hiatus:
Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

Redit lepidus poëta cum leporibus suis, de quibus bis iam supra hoc libro. sæpiusque infrà. Contendit per adulationem leonem cum Cæsare, & leporem cum Daco puero hoste Cæsaris, nam ea tempestate cœperunt à Domitiano Daci deficere, vt infra lib. 2. 7. 8. 9. docebimus.

Qvid nvnc] *nunc* lego potius, quàm, *non.* vt ipse legendum intellectus carminis monet. alioqui nullus locus voci (*placidi leonis*) Tam parvas feras] soli leoni innata est clementia in supplices. Et prius viros aggreditur, dein fœminas, nec, nisi magna vrgente fame, infantes. Ita generosissimas quasque feras audentissimè aggreditur. Plinium vide lib. 8. cap. 16. res peruulgata est. Frangere] eleganter vt Seneca Herc. fur.

Vno impetu transiliet & verni petet, Frangetque tauri colla.

Servantvr magnis cervicibvs] tauris, ceruis, apris, infrà.

Quod ruit in tergum, vel quos procumbet in artus,
Alta iuuencorum vulnera figet vbi?

Et idem:

Rictibus his tauros non eripuere magistri.
Non facit ad sæuos ceruix nisi prima leonés.

Omitto cætera, quibus idem aliter atque aliter, venustè semper effert. Isti vngves] Ex vnguibus leonis Phidias coniecit, quanta esset fera, vnde natum est verbũ, ἐξ ὄνυχων λέοντα [illegible]. Maxima vis est leoni in vnguibus, quos vt custodiant, & non refringant, hebetentue, condito intra corporis vaginas vnguium mucrone, ingrediuntur. auersisque fasculis currunt, nec nisi appetendo protenduntur auctore Plinio. Seruantur ergo dixit, vt naturam leonum ostenderet, qui vnguium aciem seruant in vsus frangendarum ferarum. Præda canvm lepvs est] Atqui etiam iuratos hostes canem & leporem inter se colludentem, & canem fugientem, leporem insequentem legimus, canem prædæ parcentem, & ore innoxio contrectantem. B. Ambros. epist. 38. Bullengerus de Ven. Circi. Pulchrè infrà hortatur poëta lepusculum, vt insequente cane fugiat ad ora leonum, in quibus tutò habitet. Non timeat dacvs Cæsar. p.] Non dignabitur Cæsar congredi cum puero, aut gregario, Decebalus sit aliquis oportet, qui cum manum conferat. Ita ne tu formides leonem, qui non descendit à tauris ad lepores. Daci hodie Transiluani Walachi Moldaui.

Dion

Dion etiam Getas appellat, in quos Domitianus, binas expeditiones suscepit, publiceq; triumphauit, quamuis pessime mulctatus discesserit, vt suo loco ostendemus. Martial. lib. 2. epig. 2.

Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

Et 6. epig. 76. *Grande iugum domita Dacus ceruice recepit.*

Et famulum victrix possidet vmbra nemus.

Vbi de Fusco præfecto prætorio, ibi cum exercitu cæso, poëta loquitur.

Ad Faustinum.

XXIII. XXVI.

Ede tuos tandem populo Faustine libellos,
Et cultum docto pectore profer opus.
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
Nec sileant nostri prætereantq; senes.
Ante fores stantem dubitas admittere famam,
Teq; piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, per te quoq; viuere chartæ
Incipiant: cineri gloria rara venit.

Hortatur Faustinum, ad quem multa sunt infra epigrammata, vt sua scripta publici iuris tandem faciat, præmiumque laborum nominis celebritatem expectet, quemadmodum elegantissima epistola Octauium impellit Plinius lib. 2. epist. 10. Et Arrianum lib. 3. epist. 7. PRÆTEREANT] non legant, non attingant. Si cui verbi huius vsus ignotus, legat Ramiresium: nobis tam tritum est, vt prætereundum omninò putaremus. CECROPIÆ PANDIONIS ARCES] Quod opus Græci probent, & Latini. *Cecrops Athenarum conditor, *Pandion instaurator. ANTE FORES STANTEM FAMAM] Ad eundem ferè modum locutus est Plinius lib. 1. epist. 17. *Illa actio mihi aures hominum, illa ianuam famæ patefecit.* PRÆMIA CVRÆ] nominis immortalitatem. Plinius. *Hoc fructu tanto, tam parato, desine studia infinita ista cunctatione fraudare, quæ cum modum excedit, verendum est, ne inertiæ, & desidiæ, vel etiam timiditatis nomen accipiat.* Ita Ennius mercedem laborum, quibus patrum facta laudauerat, gloriam efflagitauit.

* Charax Mitylenæus auctor.

* Apollodorum lib. 3. Biblioth. vide.

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletum
Faxit, quom volito doctu' per ora virûm.

POST TE VICTVRÆ] ne relinque fœtum ingenii postumum, indulge vitam nato pater, ne orbus in orbem edatur. CINERI GLORIA RARA VENIT] fruere viuus, pascereque tui laudibus ingenii. mors non sentit gloriam, nulla portio laudis manes adit, atque cineres. RARA] tarda, sera, nulla. Romani nonnunquam amicis committebant scripta sua post mortem edenda, quod Martialis docet lib. 4. epig. 33.

Plena laboratis habeas cum scrinia libris,
Emittis quare Sosibiane nihil?
Edent heredes, inquis, mea carmina: quando?
Tempus erat iam te Sosibiane legi.

Plinius idem insinuat epist. 10. lib. 2. *Dices, vt soles, amici mei viderint. opto equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laboriosos, vt tantum curæ, intentionisq; suscipere & possint, & velint: sed dispice, ne sit parum prouidum sperare ex aliis, quod tibi ipse non præstes.* Noster vero poëta ad Epicuream, & Lucretianam philosophiam, seu impietatem respexit, cùm cineri gloriam raram venire dixit. quod animum cum corpore morte solui delerique putarit. Tu porro Ramiresi diuide sententiam. Hortatur Faustinum, vt viuus sua scripta edat: deinde caussam addit, cineri seram gloriam venire, eo quod non sentiatur ea gloria, cùm Epicurei, ex quorum secta fuit Martialis, extingui animum cum corpore putarent. Tu primam partem à me iam ante dictam ad illa verba, Post te victuræ, & illa Cineri g. r. u. reperis: caussam subiectam omnino præteris. Cæterum qui hunc Faustinum S. Clementis Papæ augurantur parentem fuisse, Ego quid præter nomen, commune cum illo habuerit, nescio: ex nomine autem diuinare mihi fas non est, qui Alithiæ litare amo.

Ad Sextilianum.

XXVII. XXIV.

Sextiliane bibis, quantum ſubſellia quinque
Solus: aqua toties ebrius eſſe potes.
Nec conſeſſorum vicina numiſmata tantum,
Æra ſed à cuneis vlteriora, petis.
Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis:
Vua nec in Tuſcis naſcitur iſta iugis,
Teſta ſed antiqui felix ſiccatur Opimi,
Egerit & nigros Maßica cella cados.
A caupone tibi fex * Laletana petatur;*
Si plus quàm decies Sextiliane bibis.

* copona. * Lacetana.

Profecit Sextilianus vini pernicies. ſuprà, bis tanto cæteris equitibus potarat, hic vnus tantùm haurire cœpit, quantum vix quinque poterant. SVBSELLIA] poëtica ſynechdoche, qua locus & continens pro re loco comprehenſa ponitur. Subſellia in quatuordecim ordinibus occupabant equites Romani. Nam Domitianus legem Roſciam iam prope deſitam reuocauit, qua ſubſellia equitibus ſecreta à populo, & plebe aſſignabantur. De quibus lib. 5. planius & plenius. Hinc poëta frequenter ſubſellia pro Equeſtribus, ab orcheſtra patrum, & popularibus, ſecreta vſurpat. lib. 5. epig. 8.

Edictum Domini Deiq; noſtri
Quo ſubſellia certiora fiunt,
Et pueros eques ordines recepit.

Epig. 28. *Bis ſeptena tibi non ſunt ſubſellia tanti.*
Lib. 2. epig. 29. *Rufe vides illum ſubſellia prima tenentem.*
Lib. 5. epig. 14. *Subſellioq; ſemifultus extremo*

Subſellium Varroni à ſella deducitur, qua prætor in iudicio vtebatur, ſubſellio iudex; dicitur quaſi inferior ſella, aut minor ſella, quamuis aliter lib. 20. originetur Iſidorus. Nolim tamen ſubſellia iudicum hic intelligas. Sed quantum bibit Sextilianus, ſi plus quinquies cæteris? Supra epig. 12. poëta equiti decem nummos dedit. quinquaginta igitur Sextilianus abſumpſit. hoc eſt, centum cruciarios, ſeu duodecim drachmas, & ſemis. centum cruciariis, * amphoræ ſenæ, & bini congij emebantur etiam in ſummâ vini caritate, vt lib. 12. epig. 77. poëta ſcribit;

* amphora 80. pondo erat.

Amphora vigeßis——

Quis gurges tantum vini in vnum ſpectaculum hauriat? Sed hic non affirmat binas amphoras hauſtas Sextiliano; Hoc dicit illum tantum bibiſſe, quantum alias ſoli ſint quinque equites. In cæna communis veterum modus bibendi erat Sextarius. In ſpectaculis quantum hauſerint non conſtat, modum reor ſine modo fuiſſe, ſic tamen, vt decimum cyathum non excederent; quod vltimus verſus docet. AQVA TOTIES EBRIVS ESSE POTES.] doctè monet Marcilius, cum nota interrog. legendum eſſe hoc carmen. Sextiliane tu bibis quotidie in ſpectaculis quantum quinque equites & identidem ebrius es. Interim tamen vis videri aquæ potor, & ſimulas te aquam bibere: aqua toties ebrius es? fieri non poteſt; merum bibis, nec qualecumque vinum bibis, aut multa pluuia dilutum, quod prope vicem aquæ eſt, ſed generoſiſſimum. NEC CONSESSORVM] proximè ſedentium, aſſidentium Sextiliano, vitiosè vulgo, conceſſorum ſcribitur. Intelligit poëta Sextilianum à vicinis & remotioribus etiam in Amphitheatro nummos corrogaſſe, vt haberet, quod ſorberet. ÆRA] aſſes propriè qui ærei. As autem quaternos quadrantes valebat, qui hodie quini apud Tirolenſes, & alios, cruciarium. A CVNEIS] Cunei pars ſunt ſpectatorum in formâ cunei ſedentium in Theatris, Circis, Amphitheatris. Quicquid enim ſedilium diuiditur præcinctionum itineribus & ſecatur lateribus, viis, id ſpacij cuneis tribuitur. Præcinctiones ſunt graduum interualla, & diuiſiones in orbem. Dicuntur cunei à forma cunei, qui ab imo acutus in latū creſcit; quales erant in theatris, qui ab orcheſtrâ anguſtiſſima, ad equeſtria ſemper in altum, & latū fundebantur, ita vt hominum caterua in formâ cunei ſederet, ipſaq; ſedilia cuneum præ ſe ferrent. Per cuneos verò ſpectatorum ordines diſtribuebantur, veluti per ipſam quoq; orcheſtram, equeſtria & popularia, ſenatus equites & populus. Auguſtus quippe maritis è plebe proprios ordines aſſignauit; prætextatis cuneum ſuum, & proximum pædagogis. Sextilianus ergo nummos (nam quos communi

muni sorte acceperat, non sufficiebant, huic biboni) non ab iis tantum, qui ab vtroque latere in eadem linea illi assidebant. sed qui à fronte infra, & à tergo, supra sedebant, emendicabat, & hoc est, quod Martialis dicit, *Æra sed à cuneis vlteriora petit.* Al.] ad missilia referunt hæc, cum Sextilianus, non tantum eos nummos qui intra proxima subsellia ceciderant raperet, sed longinquiora peteret. Heraldum lege epig.12. Cuneorum mentio est apud Iuuen. Sat.6.

——cuneis an habent spectacula totis
Quod securus ames, quodq; inde excerpere possis.
Virg.5. *Nuncius Anchisæ ad tumulum, cuneosq; theatri*
Incensas perfert naues Eumelus, &c.

Disputat accuratè Lipsius de cuneis cap.13. Amphitheat. & Bullengerus cap.34. de Circo. NON HÆC PELIGNIS AG. VIND. PRÆLIS] Vinum Pelignum, malignum vinum, Martial. lib.13.

Marsica Peligni mittunt turbata coloni
Non tu, libertus sed bibat illa tuus.

Peligni Ouidium alumnum protulere, vt infra ad Licinianum leges. Straboni, Ptolemæo, Plinio, populi Italiæ, hodie Valuenses Leandro. de vino Peligno plura lib.13. Præla vocat torcularia, quibus vinum exprimitur. IN TVSCIS IVGIS] Vinum Tuscanum componit Martialis lib. 13. epig.118. cum Tarraconensi.

Tarraco Campanis tantum cessura Lyæo:
Hæc genuit Tuscis æmula vina cadis.

Plinius Lunæ in Tuscia palmam tribuit. Sed hæc ad lib.13. reiiciamus. Sextilianum poeta non tantum plus quinis bibere, sed intimæ notæ, & generosissima vina potare dolet, cui tamen vel Tarraconense, vel Tuscanum, vel Laletanum gustandum esset, non Opimianum, aut Massicum. TESTA SED ANTIQVI FEL. SICCAT OPIMI.] Vetus & annosum vinum, vinosus ille bibo, de que optimo genere haurit. Testa vas vinarium. Fictilibus olim vasis vina seruabant ad multos annos, ne dicam sæcula: ducentis annis seruatum Opimianum docet Plinius. Aliter Velleius lib.2. de Opimiano vino sentit, putatque suo æuo, hoc est, consule M. Vicinio, qui fuit annus C L I. nullum Opimianum extitisse. Sic enim Velleius. *Hic est Opimius, à quo consule celeberrimum Opimiani vini nomen. quod iam nullum esse, spatio annorum colligi potest, cum ab eo sint ad te M. Vinici consulem anni C L I.* Sed ad testam redeamus, cui nota annorum & generis vini adscribebatur. vnde loquendi modi profluxere de meliore, de interiore nota, de eo, quod præstantissimum est. Testarum forma non eadem omnibus, nec multum tamen diuersa, ansatæ omnes vtrinque, vt amphoræ. ab imo turbinem currentem, seu metam inuersam exprimebant, sic vt non starent, nec vt dolia apud nos, iacerent, sed in terram immitterentur, & quasi mediæ defoderentur. Alia forma erat doliorum, quamuis testaceorum. quæ propius ad turbinem toto corpore accedebant, quam testæ, sine ansis. Altitudo, latitudoque testarum varia; aliquæ ab imo latiores, à summo aliæ, sic tamen, vt omnes ab imo in apicem desinant. Altitudo plerumque pedum trium, latitudo pedis vnius, aut sesquipedis aut infra, raro supra, nec infra semipedem, crassitudo sedigiti. Lucam Pætum adi de ponderibus & mensuris, apud quem varias testarum, & doliorum, amphoræque figuras designatas cernes. OPIMI] L. Opimio Cos. V. C. DC.XXXIII.* vini optimi copia prouenit, quod diffusum & conditum dictum est Opimianum cuiuscunque generis esset. Plinius lib.14. Martial. lib.13. epig.113. Fundanum vinum appellat Opimianum.

* vel I V.

MASSICA] Falernum, propter vicinitatem agrorum Massici & Falerni Campaniæ, lib.13. Falernum appellat Massicum. *De Sinuessanis venerunt Massica prælis.* Plura lib.13. A COPONE] Copo seu caupo. non de his tantum quidam intelligunt, qui statam habent in vrbibus cauponam, sed de popinariis etiam, qui magistratibus præbenda, & eorum familiæ præstabant publicè conducta, qui peregrinantes principes, & magistratus sectabantur, vinum cibariaque vendentes. Horatius Sat.5. lib.1.

Copo rectius quam caupo scribitur, vide Gruteri notas.

Differtum nautis, coponibus atq; malignis.

De iis loquitur qui statam & certam vspiam habent coponam, quorum malignitatem accusat, quod malignè & illiberaliter victum ferè præbent. Perfidum coponem vocat lib.1. Horat. Sat.1. Et noster mit'tes in eosdem mordaces iocos dicit. Agit de his Turnebus lib.12. cap.3. FEX LALETANA] Vinum ignobile, Martial. lib.7. epig. *Et Laletanæ nigra lagena sapæ.* De hoc & Plinius. *Hispaniarum Laletana copiâ nobilitatur elegantia Tarraconensis.* Est Laletania Hispaniæ regio, non procul à Tarracone, qua Galliam spectat. fex est, quod in imo dolio subsidit. vinum Laletanum imum, medium & summum, nil nisi fex erat poetæ. PLVS QVAM DECIES]. Summa potio olim erant decem cyathi. Plautus. *Vide, quot cyathos bibimus? tot, quot digiti sunt tibi in manu.*

Sticho.

Tibi propino decem, affunde tu tibi inde, si sapis.

Intra modestiæ tamen fines, citra ebrietatem. Nam apud nos decem cyathi non efficiebant dimidiatam mensuram, quæ duodecim cyathis constabat, & sextarius appellabatur. Et hoc paulò ante monui, modum vini in cœnam sextarium fuisse. August. Suet. teste, cùm se lautissimè

inuitaret, senos sextantes, hoc est, duodecim cyathos bibit. Notauit hoc in suo conuiuio suauissimus Lipsius lib. 3. Antiq. vbi quintam legem scribit.

Decem cyathi summa potio sunto.

Monet igitur Sextilianum Martialis, vt si decumum cyathum transire velit, ne bibat Opimianum aut Falernum, sed Laletanum. Sextilianus verò bis decies, immò quinquagies bibebat, quando singuli equites decies biberunt. Obseruа tamen cyathos decem illos non videri simpliciter simplices, qui duodeni sextarium implerent, fuisse. Nam poëta de se infra ad Procillum iocatur, decem quincunces se siccasse.

Hesterna tibi nocte dixeramus,
Quicunces puto post decem peractos.

Et lib. 12. epig. 28. *Poto ego sextantes, tu potas, Cinna, deunces.*

Lib. epig. 78. *Misceri sibi protinus deunces,*
Sed crebros iubet.

Lib. epig. 66. *Non cenat prius, aut recumbit ante,*
Quàm septem vomuit meros deunces.

Sic de triente, septunce, quicunce loquitur sæpius. Sed ebria fuere illa conuiuia, & Bitiæ, Cotylones, hominesque tricongij conuiuæ. De communi mensa, & quotidiana accipe dicta decem cyathorum, quem numerum honesti, & moderati rarò excedebant. lurcones, & alios calicum trahones nihil moramur. Cæterum poëta vsum vitæ, & compotationum respexit, cùm post decem cyathos iussit deterius bibere Sextilianum, quem morem, & sacra Christi historia apud Ioannem indicat cap. 2. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est.* Decies] Non placet decies exponere decies centena millia HS. Non agitur hic de pecunia, censu, vel patrimonio, sed solis poculis.

Ad Procillum.

XXVIII. XXV.

Hesterna tibi nocte dixeramus,
Quicunces puto post decem peractos,
Cenares hodie, Procille, mecum.
Tu FACTAM TIBI REM* *statim putasti,*
Et non sobria verba subnotasti,
Exemplo nimium periculoso.

Μισῶ μνάμονα συμπόταν.* Προκίλλε.

* Procille
Μισῶ μνάμονα συμπόταν.
E Dorico poeta Lucianus adducit in Symposio. plura Heraldus.

Iocatur cum Procillo, quem inter pocula per iocum pridie inuitarat, quod Procillus seriò interpretatur, venit. poëta negat se memores conuiuas amare. Quincunces post decem peractos] Ebrius te heri vocaram. Quincunx poculum quinque cyathorum capax; decem quincunces quinquagenos cyathos capiunt, hoc est, duas mensuras nostrates cum sextante. Hoc loco operæ precium me facturum existimo, si tironibus Musarum, antiquorum mensuras cum nostratibus compositas exposuero, quando inde plurimorum locorum cognitio, & intellectus pendet, vnde & Martialem, & plerosque scriptores sæpè de sextariis, deuncibus, trientibus, sextantibus, congiis, heminis, cyathis, aliisque liquidorum mensuris agentes nullo negotio capies, alioqui Palatinis istis alumnis non capiendos, quod hactenus nimium quàm sæpè sumus experti. Quod & oportunè in re nummaria, quæ vel eandem, vel maiorem difficultatem habet, infra præstabimus. Liquidorum mensuræ Romanis fuere maximæ cullei, minimæ cochlearia, seu ligulæ. Vsurpatissimæ amphora, congius, sextarius, cyathus. Culleus, seu culeus, amphoras capiebat vicenas. Rhemnius Palæmon, qui idem Fannio.

Mensura liquidorum.

Est & bis decies, quem conficit amphora nostris
Culleus: hac nulla est maior mensura liquoris.

Cap. 155.

Cato tamen singulis culleis quadragenas vrnas, & singulas, hoc est, vnam supra quadraginta tribuit; sed fecit hoc accessionis loco pro detrimento, quod emptor in metiendo vino patiebatur, dum singulis vrnis aliquid deperiret. Ita Budæus, Lucas Pætus aliique censuerunt. Omnium igitur sententia culleus continebat amphoras viginti, vrnas quadraginta. Culleus coriaceus erat; id vel ex eo ostenditur, quod lex præcipiebat parricidam culleo insui, & in mare proiici, vt est apud Cicer. pro Sex. Roscio Amerino. Modestinum Iurisc. l. pœna, ad legem Pompeiam de Parricidiis. Quæ pœna erat, vt more maiorum parricida virgis sanguineis verberaretur, deinde culleo insueretur cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia. & in mare proiiceretur,

Ioannes Mariana lib. de ponderibus & mens. c. 16.

ceretur, cuius rationem habes apud Cicer. & Constantini Cod. de iis, qui parentes aut liberos occiderunt. Quæras quid sit: sanguineis virgis verberaretur? interpretantur alii sanguine rubentibus; alii legunt sanguineis; alii anguineis. gerræ. Plinius legendus lib.24. cap.10. *Nec virga sanguinea felicior habetur.* cap.18. lib.16. sanguineum fruticem appellat idem Plinius. Arbor veteribus inter infames & infelices vnde parricidæ ante necem virgis ex hac decerptis cæsi sunt. Ita Magius, ita Brissonius interpretatur. sed hoc παρέργως. Forme vtri similis, maior tamen, ita vt singuli cullei, singulis boum iugis veherentur. vt Pætus ex 12. Catonis capite docet. Huius tamen mensuræ apud Martialem nulla mentio, vti nec vrnæ in hoc significatu, sed docendi causa etiam de his dicendum erat.

Amphora culleo proxima latinis quadrantal, quod in omnem dimensionem pedem haberet. Amphora Græcis à geminis ansis dicta. Formam Fannius describit.

> *Pes longo spatio, latoq; notetur in anglo*
> *Angulus vt par sit, quem claudit linea triplex*
> *Quatuor ex quadris medium cingatur inane*
> *Amphora fit cubus: quam ne violare liceret*
> *Sacrauere Ious Tarpeio in monte Quirites.*

Idem testatur Galenus & Volusius Metianus de asse.

Octo & quadraginta capiebat Sextarios, seu vicenas mensuras, & quaternas nostrates * libras octoginta. Festus. *Quadrantal vocabant antiqui. quam ex Græco amphoram dicunt: quod vas pedis quadrati octo, & quadraginta Sextarios capit.* Volus Metianus, *Quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant habet vrnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios 48 heminas 96. quartarios 192. cyathos 576.* Eadem est Romanis metreta, & cadus, de quibus tamen lib.5. plenè. Quadrantal igitur Romanum si cum Augustanis mensuris conferantur, vicenas quaternas, præter propter, vt dixi, mensuras capit, vnde semper ad minores eadem ratione descendemus. Hoc tamen obseruatè nota. paullum esse maiorem sextarium dimidiatâ Augustanâ, parte nempe decima sexta Augustanam excedente. Sed quia extra vrbem, imò in ipsa vrbe mensura maior est, vt in episcopio, dimidiam mensuram sextario rectissimè assignabimus, & stillas paucas, seu deficientes, seu redundantes, rotunda di numeri caussâ negligemus. Atque hæc quæ hic signatè doceo, cum viro totius vrbis, ne quid amplius de viuo loquar, harum rerum, & maximarum scientiarum peritissimo M. Velsero consuli, curioseque litterarum caussâ singillatim de singulis, ne mea tantùm opinione niterer inquisiui. Quare illas decimas sextas, aut octauas dissimulabimus, & plenum numerum, in Amphoris, congius, sextariis ponemus. Amphoram exposuimus, quantum vini numerum apud nos capiat. Intellige tamen poëtis sæpè amphoram, pro quouis genere mensuræ, & vase sine discrimine poni, quod apud Horatium, Iuuenalem, Martialem non infrequenter animaduertes, nonnunquam tamen pro certo modo, & iusta amphora, seu quadrantali, vt apud Horatium lib. ad Pisonem, v.13. Martialem, lib.12. epigram.77. leges.

** Augustanas.*

Ad vrnam venio, quæ dimidium amphoræ continet, hoc est, duodenas mensuras Augustanas. Fannius. Huius (amphoræ) *dimidium fert vrna.* Huius nulla est mentio apud Martialem in hoc significatu, aliàs pro tumba & tumulo frequens. Sed vsurpant alij. Varro lib.4. L.L. qui ab vrinando vrnam deducit. Columella lib.12. cap.20. Cato cap.155. Budæus, Philander, vt alios recentiores taceam.

Congius est octaua pars amphoræ, quod octo congii amphoram conficiant. frequens latinis & vsurpata vox, à qua Cicero F. bicongius, & Nouellius Torquatus tricongius est appellatus, quod vno impetu tres congios exhauriret. Continet congius mensuras Augustanas ternas. Sextarios Romanos senos. Fannius.

> *Adde duos chus sit vulgo, qui est congius idem*
> *A quo sextarij nomen fecisse priores*
> *Crediderim, quòd eos capiat sex congius vnus.*

Paullus I.C. congium, vrnam & sextarium numerat inter instrumenta Cauponæ. Plinius multam congii facit mentionem, Martiali nullam.

Sextarius tam vsitatus Romanis, quàm Germanis dicta mensura, sed hic tantùm dimidiam mensuram capit cum parte decima sexta. Nos, vt dictum, quia aliis in locis maior aut paullò forte nonnunquam minor, dimidiam semper mensuram, quasi mediam viam ingressi cum sextario comparabimus. Dictus est Sextarius, quod congii sex a pars esset, & diuidebatur in duodecim cyathos instar assis, qui in vncias duodenas tribuebatur. Fannius.

> *Quod si mensura pondus componere fas est*
> *Sextarij cyathus pars est, quæ est vncia libra.*

Hic modus vini, Romanis erat ad cœnam, vt supra epigram.27. in Sextilianum explicaui, quemadmodum Germanis plerumque mensura, hoc est, bini Sextarii. Porrò Sextarii diuisio in duodenos cyathos memoriæ studiosè custodienda est, quod inde sextantes, quadrantes, trientes, quincunces, heminæ septunces, besses, dodrantes, dextantes, deunces intelligantur. quanquam dextantes, & dodrantes poëta hoc intellectu non pronunciet. dextans enim est Vitruuio 10.

vnciarum

vnciarum mensura, vti dodrans nouem, qui & nouem vncias æris significat. Itaque dextantem & dodrantem hic prætermittemus. Deunx vndecim cyathos capit, dictus ab vndecim vnciis, meminit huius poculi deuncis Martialis lib.12. epig 28.

Poto ego sextantes, tu potas Cinna deunces.

Lib.8. epig.78. *Misceri sibi protinus deunces,*
Sed crebros iubet.

7. epig.66. *Quàm septem vomuit meri deunces.*

Bessem lib.11. epig.37. nominat, est poculum octo cyathorum.

Quincunces & sex cyathos bessemq; bibamus,
Caius vt fiat, Iulius, & Proculus.

Ad numerum litterarum, quas amici vel amicæ nomine complectebantur, bibebant. cuius multa sunt exempla apud Martialem, de Cæsare Domitiano Germanico, Næuia, hic de Caio Iulio Proculo, cuius prænomen in recto litteras quinas habet, eò dixit poëta Quincunces, Iulius sex. Proculus octo, bes autem poculum est octo cyathorum. *Næuia sex cyathis, septem Iustina bibatur: Quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus, Omnis ab infuso numeretur amica Falerno.* Septunx calix est septem cyathorum, a septenis vnciis Martialis lib.8. ep.51.

Si dubia est septunce trahar.

Lib.3. ep.81. *Septunce multo deinde perditus stertit.*

Græcis cotyle. HEMINA] Senos capit cyathos, dimidium nempe sextarium, pars est quarta mensuræ Augustanæ. quanquam hemina simul mensura est aridorum.

Fannius. *Ad cotylas, quas si placeat, dixisse licebit*
Heminas capies geminas sextarius vnus.

Plinius lib. 23. cap.7. Gellius 3. Attic. cap.14. *Contra quoq; si ex sextario hemina fusa est, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est.* Eadem vt Fannius docet, Cotyla seu cotyle dicebatur. *At cotyle cyathos bis ternos vna recepiat.* Pro aridis Colum. Ila lib.12. epig.49. Plinius 14. cap.17. vsurpant. Quincunx à quinque vnciis dictus, quinos continet cyathos. Martialis lib.11. epig.37.

Quincunces & sex cyathos, &c. Caius enim quinque litteras habet.

Lib.12. epig.1. *Texonuiua legat misto quincunce——*

Et hoc quod nunc exponimus. *Quincunces puto post decem peractos.*

Trientes dicti, quod tres sextarium capiant, triens enim quatuor cyathorum poculum est. trientes frequentat noster. lib.1. epig.107. l.4. epig.83. l.6. e.86. l.8. e.61. lib.9. e.89. & 92. l.10. e.49. & 13. lib.11. e.40. 7. 14. 103. Propertius lib.3.

Cum fuerit multis exacta trientibus hora. Plinius lib.23. c.7. & aliàs cum aliis.

Quadrans quarta pars sextarij tribus constat cyathis, quater terni quadrantes duodenis cyathis. Martialis lib.9. epig.95.

Quadrantem duplica de seniore cado.

Sed quadrantem sæpius refert ad quartam assis partem, seu tres vncias. vt Quincuncem & trientem Horatius.

Sextans binos tantùm cyathos implet, vnde sextans à sexta Sextarij parte, libro 5. epigram. 65.

Sextantes Calliste duos infunde Falerni

Lib.12. epigr.28. *Poto ego Sextantes, tu potas Cinna trientes.*

Tranquillus August. senos sextantes affirmat bibisse Augustum lautissimè conuiuantem. cap.77.

Cyathus duodecima pars sextarij. nomen Græcum est. Varro lib.4. L. L. *Quo vinum darent, vt minutatim funderent, à guttis guttum appellarunt; & quo sumebant minutatim à sumendo simpulum nominarunt, in huiusce locum in conuiuiis è Græcia successit epichysis, & cyathus. In sacrificiis mansit guttum & simpulum.*

Cyatho dimetiebantur modum & numerum bibendi: Mart.

Næuia sex cyathis, septem Iustina bibatur, &c.

Vox latinis frequentissima, & vbique obuia, vnde & *cyathissare* apud Plautum pocula miscere, & *ad cyathum stare.* Suet. cap.49. Cæs.

Ligula seu cochlear, quarta pars cyathi, ita vt quaternæ ligulæ cyathum implerent, noster poëtæ ligulam à cochleari seiungit lib.14. Lucas Pætus lib.3. de Ant. mens. Liquid. & arid. putat similia fuisse instrumenta. nos plura lib.14. pendebat cochlear, seu ligula aqua, vinoue plena tres drachmas, scrupulum vnum. Hæc ad vsum studiosorum tironum dicta sunto & sufficiunto. Qui accuratiorem longioremque de singulis disputationem desiderat, Budæum de asse, Lucam Pætum I.C. lib.3. de antiquis liquidorum, & aridorum mensuris. Philandrum ad Vitruuium, Leonardum Portium, Alciatum opusc. de ponderibus & mensuris, Georgium Agricolam, Ioannem Marianam, & alios recentiores audiat, qui ex Dioscoride, Galeno, Plinio, Columella, Martiale, Fannio, Catone, Varrone, Volusio Metiano, Cleopatra, Epiphanio aliisque I.C. Medicis, Historicis, Poëtis de

de mensuris erudite disserunt. Nobis vbi cyathi, trientesque, &c. recurrerint, satis erit hunc locum ostendisse.

COENARES MECVM] quid differant cœnare cum aliquo, & apud aliquem docet variis exemplis, Manutius ad l.4. epist. Cicer. ad Atticum, epist.13. hic (*mecum*) expone in meis ædibus, non mecum apud alium, qui alioqui notest accipi.

TV FACTAM TIBI REM STATIM PVTASTI] Facta res certam & indubitatam, consectamq; seu paratam, & absolutam rem, non promissam tantùm, significat. Anrespexit poëta ad Iuris mo em, vt Terentius, *Facta transacta omnia*. Et Cic.3. Catil. *Atque illud quod faciendum fuit, factum atque transactum est.* Martial. lib.2. epig.26.

Iam te rem factam Bithynice credis habere.

ET NON SOBRIA VERBA SVBNOT.] Ebria pro seriis, & sobriis accepisti. Eleganter Lips. 3. Antiq. *Dicta, indicta; facta, infecta, in vino inscribuntur*. EXEMPLO NIMIVM PERICVLOSO] si per iocum dicta, vel inter pocula serio accipias, creesq; conuiuæ periculum lib.10. epig.48.

Accedent sine felle ioci, nec mane timenda
Libertas, & nil quod tacuisse velis,

Hic tamen tantum de promissionibus vocationum in cœnis factis loquitur.

Μισῶ μνήμονα συμπότην Προκιλλε) Odi memorem combibonem. Videtur adagio ἀμνησίαν, seu obliuionem rerum in conuiuio dictarum præcipere, quod & fabulis, & symbolis antiqui docuerunt, cum Baccho simul & ferulam, & obliuionem consecrarunt, quibus monebant meminisse non oportere, si quid in conuiuio peccatum sit, aut certè leuem admodum ac puerilem reprehensionem sufficere. Notauit & Plutarchus in Sympos. Lacedæmoniis hunc fuisse morem, vt si amicum, aut hospitem in domum acciperent ostensis foribus dicerent, ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος. Idem in Lycurgi vita scriptum est, ex cuius institutione, qui natu maximus erat, ad ostium stabat, vocatisque ingredientibus, cum dicto fores ostendebat, διὰ τούτων ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται, hinc vox nulla efferetur. Ad quod fortè Horatius respexit cùm scripsit,

——ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet.

Quemadmodum Græcus monet senarius.

Τὸν γὰρ γυναικὸς ὅρκον εἰς οἶνον γράφω.
Inscribo vino si qua iurat fœmina.

Ea enim quæ in vino scribuntur, dicuntur, aguntur, in vino relinquenda, & cum vino sepelienda, non in memoriam reuocanda. Hoc est, quod apud Germanos passim in cœnaculis rosa lacunaribus supra mensæ verticem affixa conspiciatur, qua silentium conuiuis innuunt, ne temere quicquam efferant, eorum quæ inter pocula sunt audita.

Inde rosam mensis hospes suspendit amicis
Conuiua vt sub ea, dicta tacenda sciat.

Atque hoc est, quod vulgo dici nobis solet. Hæc sub rosâ. Quin & poëticus Amor Harpocrati silentij Deo rosam consecrauit, qua loquacibus exhiberetur silentii symbolum. Apud Romanos littera S. silentii nota tricliniis, & dietarum foribus superponi consueuit, vt inde silentii meminissent conuiuæ, quando multa inter epulas, & fœcundos calices liberius, & licentius dicuntur, quæ enunciata, periculum auctoribus crearent. Plura super his Plutarchus probl.1. Sympos. auctor Conuiuial. lib.3.

Μισῶ μνημ.] Alii Doricum versum adducunt: Μισῶ μνάμονα συμπόταν Πόλυμνε. odi memorem compotorem. Sunt qui reprehendant Græca Latinis miscentes, quod tamen à Lucilio, Lucretio, Ausonio, nonnullisque aliis factitatum. Cicer. Tusc. ul.1. *Scis enim me Græcè loqui in Latino sermone non plus solere, quàm in Græco Latinè.* Idem tamen ad Atticum frequentat Græca. Lucilius apud Cic.3. de Orat.

Quàm lepidè lexes compostæ vt tesserulæ omnes.

Et idem: *Et Crassum habeo generum, ne rhetoricoterò' tu sis.*

Lucret. lib.4. de rerum natura.

Nigra μελίχροος est: immunda & fœtida ἄκοσμος:
Casia Παλλάδιον, neruosa & lignea δορκάς,
Paruula. pumilio, χαρίτων ἴα, tota merum sal;
Magna atq; immanis κατάπληξις. plenaq; honoris
Balba loqui non quit τραυλίζει: muta pudens est
At flagrans, odiosa, loquacula λαμπάδιον fit
Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom viuere non quit
Præ macie. ῥαδινὴ vero est iam mortua tussi
At gemina, & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho
Simula, σιλαινή, ac Satyra'st: labiosa, φίλημα

Sed

Sed Ausonius est immodicus, qui totam epistolam ad Paulum Arium 15. permiscuit. cuius hoc est initium.

Ἐλλαδικῆς μετέχων μούσης Latiæq; Camenæ
Ἀξίω Αὐσόνιος, sermone alludo bilingui, &c.

Lusit tamen Ausonius, ibi non seriò scripsit. Idem fecit epig 17. ad eundem. Huius generis sunt aliis quoque linguis editæ nugæ, seu lusus, non absque ingenio, & genio, cum Italica latinis, & hæc illis, vel nostratia Romanis variè inseruntur, & permutantur, quæ nos otiosis & feriatis hominibus non inuidemus.

De Acerra.

XXIX. XXVI.

Hesterno fetere mero, qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

Acerram assiduum cymbiorum remigem laudat, vt alibi Zoilum. Mentitur qui te vitiosum, &c. vitium es. Nomen est suppositum. FALLITVR] negando magis affirmat, cum subiicit in lucem bibit, hoc est, diem noctemq; potando continuat, vt semper hodiernum, & recens haustum redoleat ructetque. plura de hac pergræcandi phrasi ex Plutarcho, Polluce, aliis, Mutamb. L. Piso apud Plinium lib. 15. c. 22. perpotationem biduo toto, duabusq; noctibus continuauit. lege & Heraldi notas. Hunc morem perpotandi olim Germanis (atq; vtinam ne hodie) visitatum scribit Tacitus in Germ. Xenophon idem de Persis lib. 8. Talis apud Athenæum Pasicles ex Hedylo epigrammatario

Ἐξ ἠοῦς νυκτός, ἐκ νυκτῶν Πασικλῆς
Εἰς ἠῶ πίνει πετραχόοισι κάδοις.
Ex aurora in noctem, & ex nocte Pasicles
In auroram bibit cadis quatuor congios capientibus.

Dalechampius emendat Hedyli pentametrum

εἰς ἠῶ πίνει πετραχόοισι κάδοις
In auroram bibit quatuor congiorum cadis.

Qui legunt πετρανοοισι, non intelligunt rationem versus.

Sed non Græci tantùm & Germani combibones sunt & fuere.

Romani quoque ea laude non caruerunt. Nam ipse tertius è cœlo qui cecidit Cato, in pocula per noctem continuata incidit, mane ab antelucanis operis deprehensus, de quo ex Anticatone Cæsaris. Plinius lib. 3. epist. 12. ad Catilinum. *Veniam ad cœnam*, &c.

In Fidentinum.

Athen. 11. De potoribus. Plinius lib. c. 22.

XXX. XXVII.

Fama refert nostros te Fidentine libellos,
Non aliter populo, quàm recitare tuos,
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam:
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint.

Ludit in dilogia vocum, mea, tua, perstringitq; plagiarium Fidentinum, carminum inquam alienorum furem. Sunt plura in hunc disticha, & epigrammata infra 39. 54. 73. Certum tamen aliquem alieno hoc nomine designari poëtæ arbitror. epigram. 53. & 67. nullum exprimit, nisi furem generali voce. Romani porrò proceres, sua scripta nonnunquam paucis adhibitis, aliquando nullo excluso recitabant. Erant nonnulli plagiarij, qui recitata exciperent, & apud alios, alio tempore, pro suis recitarent, sibiq; aliena transcriberent. Hoc Plinius epist. 10. lib. 2. testatur, cum his verbis ad Octauium quendam scribit. *Enotuere quidam tui versus, & inuito te claustra refregerunt: hos nisi retrahis in corpus, quandoque vt errones, aliquem cuius dicantur, inuenient.* Martialis epigramm. 64. infra.

Vt recitem tibi nostra rogas epigrammata, nolo.
Non audire, Celer, sed recitare cupis.

Ita Fidentinum hunc alienis se plumis, vt Æsopicus graculus ornantem, suaque Martialis affirmantem, docet, quo pacto aliena sua dicere possit. *Eme. inquit, & tua erunt, Nam quod emas, possis dicere iure tuum.* vt lib. 2. epig. 20. iocatur in Paullum. Ambigua vt vides sunt mea, tua. Mea, vt auctoris,

ris tua, si emeris à bibliopola, erunt possessoris. Actor emi non potest, qua auctor, opus auctoris editum, omnibus venale est. Ne ergo fœde mentiare, saltem eme carmina mea, vt aliquo modo tua possis dicere: quando me emere, & licentiam non potes; plura infra.

De Diaulo Medico.

XXVIII. XXXI.

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus:
Cœpit, quo poterat Clinicus esse modo.

Argutia distichi, in ambigua voce Clinici hæret. Clinicus dicitur, qui lectu affixos & decumbentes curat. παρὰ τὴν κλίνην, quæ vox lectum valet. Clinicus est, qui & æger decumbit, vt Ausonius in 16. epistola ad Paulum Axium locatur de se. Brodæus item & Hermolaus Barbarus, contra tamen sentit Mercurialis. Et Clinicum hic poeta vocat eum, qui mortuos subit, & lecto ad rogum effert, quod Vespillonis munus est: Diaulus primum Chirurgus, (quæ prima omnium vt est apud Plinium, & Homerum, Medicinæ pars fuit, * Chirurgica inquam,) cùm inter Clinicos, qui præstantiores Chirurgis, Hippocrate eius auctore, vt Varro & Plinius tradidere, numerari vellet, & propter ingenii stuporem ad artem aspirare non posset, quæsiuit aliam viam, qua Clinicus fieret, factus est Vespillo. Itaque circum lectos, & cum lectis habuit, quod ageret, vti Clinici. Idem tamen fecit Chirurgus & Vespillo, vt infra scribit noster de eodem.

Ars vulneraria. Chirurgus Vulnerarius.
** Brissoni. adu. lib. 2. Ant. cap. 4. Clinicum pro Vespillone vsurpari docet in Aduersar. lib. 1. Heraldus.*

Nuper erat medicus, nunc est Vespillo Diaulus,
Quod Vespillo facit, fecerat & medicus.

Ante viuos occidit, nunc occisos effert, semper illi cura non viuorum, sed mortuorum. Sed Vespillo quis propriè? *Reperi*, inquit lib. 14. c. 3. Turnebus *in antiquo lexico, Vespillonem, esse sepulchrorum violatorem, quem Græci τυμβωρύχον vocant, quod intelligetur per antiphrasin, quasi non sepeliat, sed nudet. In Latinograco lexico reperi vespellio & vespillo, vbi etiam exponitur ille νεκροθάπτης, hic νεκροφόρος. Ita ille funerator est, hic cadauera portat. Putant vespillonem dici, quasi qui veste spoliet mortuum, alias aliorum originationes, quod vispere spoliet, quod nec opima, &c.*

Clinices verò exordia narrat his verbis, Plinius lib. 29. cap. 1. *Sequentia eius (Medicinæ chirurgicæ) mirum dictu in nocte densissima latuere vsque ad Peloponesiacum bellum, tunc eam reuocauit in lucem Hippocrates genitus in insula Coo, in primis clara & valida & Æsculapio dicata. Is, cum fuisset mos liberatos morbis scribere in templo eius Dei, quid auxiliatum esset, vt postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque (vt Varro apud nos credit) in templo cremato instituisse medicinam hanc quæ Clinice vocatur.* Hæc Plinius. Quamuis autem Chirurgicen, à Clinice distinctam tradant Hippocrates, Brodæus, Mercurialis var. lect. lib. 3. cap 27. Eundem tamen Medicum vtramque artem exercuisse constat, & Chirurgos etiam vocatos Medicos. Quod & vetus inscriptio Romæ marmori insculpta, quam & Mercurialis exscripsit, docet.

P. DECIMIVS. L. HEROS MERVLA, MEDICVS CLINICVS.
CHIRVRGVS OCVLARIVS VI. VIR, &c.

In Clinicum Menophanem est Lucilii epig. 2. Anthol. cap. 22.

Et decastichon lib. 2. Anthol. εἰς ἰατροὺς adi.

Εἰς ἀίδος κατέπεμψε πάλαι ποτὲ, δῆ ἄποτε καῖσαρ,
Ὡς λέγεται, Εὐρυσθεὺς τὸ μέγαν Ἡρακλέα,
Νῦν δ' ἐμὲ μηνοφάνης ὁ κλινικὸς ὥστε λεγέσθω
Κλινικὸς Εὐρυσθεὺς. μηκέτι μηνοφάνης.
Tartareas misit, ceu fama est Cæsar, ad vndas
Ingentem Eurysteus Amphitryoniadem:
Me nunc Menophanes dimisit Clinicus, vt sit
Clinicus Eurystheus, non mage Menophanes.

Sed multò argutius est eiusdem distichon in Marcum Clinicum, quod non intellexit Opsopæus, eoq; mihi adscribendum & exponendum.

Opsopæus reprehenditur.

Τὸν λίθινον Διὸς ἐχθὲς ὁ κλινικὸς ἥψατο Μάρκος.
Καὶ λίθος ὢν, καὶ Ζεὺς, σήμερον ἐκφέρεται.
*Clinicus en Marcus marmor Iouis attigit, & * mox*
Iuppiter effertur, sit licet ipse lapis. vel
Saxea heri Marcus tetigit simulacra tonantis
Clinicus: effertur nunc Deus atq; lapis.

** heri, hodie verba sonilis, Græca.*

Tam pestilentem, ait contactum Marci Clinici, vt non homines tantum enecet, sed ipsos lapides, & statuas occidat, & deiiciat, adeoq; quicquid tangat, frangat & corrumpat. Quid verò Oplopæus? *Marcus Clinicus*, inquit, *quod sonat lectalis* (ita τὸ Clinicus, interpretatur) *tetigit heri lapideam statuam Iouis. Et lapis, id est, stupidus, & imperitus existens, & Iupiter hodie effertur*, id est, ipse Marcus. immo

Opsopæus. Nonne interpres iste tibi stupidus, & lapis, & ipso Clinico perniciosior videtur, qui Lucilii ingenium, & acumen contactu suo perdidit? Statuæ porro vt stantes referunt viuos, ita iacentes mortuos, & cadauera mortuorum. imò etiam turrium & mœnium, oppidorumque cadauera dicuntur apud Ciceronem lib. 4. epist. Seruio Sulpicio. Obserua tamen in Græco verbo ἐκφέρεται, latere ambiguum, verumque sensum Lucilii videri. Clinico statuam Iouis, contactam, illico sensisse vim medicam, vt quæ postero die sit elata, quasi ad funus, cum acciderit, vt ex æde vetusta in aliam transferretur. Ausonius ita interpretatur duobus distichis, ep. 73. quamuis nomina mutarit.

Alcon hesterno signum Iouis attigit, ille
Quamuis marmoreus, vim patitur medici.
Ecce hodie iussus transferri ex æde vetustâ
Effertur: quamuis sit Deus atq; lapis.

Effertur ergo, vel ex æde in ædem, vel ex æde, quasi ad rogum, seu tumulum. Effertur Latinis proprie de funere dicitur.

Ad Sabidium.

XXXIII. XXIX.

Non amo te Sabidi, nec possum dicere, quare:
Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Argutum est, & felle imbutum distichon, quod prima fronte nihil præse ferre videtur, vt illud Catullianum sincerum.

Odi & amo, quare id faciam fortasse requiris?
Nescio, sed fieri sentio, & excrucior.

At in Martiale Martialis latet. In quo verbo? *nec possum dicere quare.* quia non audeo. Flagitium innuit, quod non audet describere, nec indigitare propter honestatem. Ramiresius tamen hoc genus ænigmatum & flagitiorum subtiliter vt vertagus acer subodoratur. HOC POSSVM DICERE] Hoc audeo, hoc licet, non amari te à me propter mores tuos. Qui mauult simpliciter, vt iacent verba interpretari, per me licet, fieri potest Martialem non porro cogitasse, quod ego nullus credo.

NON AMO] odi, *odio gratuito aut medio affectu.* Ram. & Musamb.

NON AMO TE] Seneca Thyeste *rapior, & quo nescio, sed rapior.* Et: *Haud quid sit scio, sed grande quiddam est.* Et: *Nihil timendum video, sed timeo tamen.*

De Gellio.

XXXIV. XXX.

Amissum non flet, cum sola est Gellia, patrem,
Si quis adest, iussæ prosiliunt lachrymæ.
Non dolet hic, quisquis laudari Gellia quærit:
Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

M. S. 5. Non luget.

Sæpius mordet hanc Gelliam poeta lib. 5. 5. 8. Hic, clam gaudere, palam flere Gelliam ait, ob mortem Patris, quod non est vere amantis. tu nota muliebre ingenium, quod in persona Gelliæ proponitur. AMISSVM SOLA NON FLET PATREM.] An quia *heredis fletus sub persona risus est*, vt Publius ait, an quia Gellia patris liberata custodia, poterat liberius viuere? Cætero qui omnium hic affectus est fuitq; semper, vt omni genere luctus mortuos præsertim cognatos prosequerentur. Thracas excipio, qui natos flebant, mortuos, cum triumpho efferebant. lege illud. 1. Græc. ep. Θρήικα συμνεῦσι, &c. SI QVIS ADEST, IVSSÆ PROSIL. LACR.] fletum iuxta ac risum in promptu habet fœmina. sæpiusq; more, quam amore plorat. Ouid. 1. de. Rem.

Neue puellarum lachrymis moueare caueto,
Vt flerent, oculos erudiere suos.

Iuuen. Sat. 6.

Vberibus semper lachrymis, semperq; paratis
In statione sua, atq; expectantibus illam *Quo iubeat manare modo.*

Seneca generatim ep. 99. *Clarius, cum audiuntur, gemūt, & taciti quietiq; dum secretum est, cū aliquos viderint, in fletus nouos excitantur, tum capiti manus suas ingerunt.* Et quæ ibid. de fictis lacrymis verus Seneca. Morem earundem fœminarum in funerib. ita describit Petronius in Ephesia matrona. *Hæc ergo cum virum extulisset, non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentia plangere, in conditorium etiam prosecuta est defunctū &c.* Est & in 12. tabulis lex contra hanc intemperiem muliebrem. *Mulieres genas ne radunto. neue lessum funeris ergo habento.* Lessum Lælius, & Cicero lugubrem eiulationem interpretantur, vsurpat eandem vocem Plautus Truculento rursumque Cic. 2. Tusc. Varro apud Nonium Lausum. Græcis ἔλεγμος, id est, nænia, seu cantio funeralis. dicitur.

dicitur. Certant Grammatici an lessus, lessûs, vel lessus lessi, vel lessum lessi dicatur; quid definiam nihilo, priscorum auctoritate careo, recentes variant. Legantur Turnebus ad lib. 2. Cicer. de leg. Liptius Epist. quæst. lib. 1. ep. 7. Meursius de funere c. 18. Io. Kirchmannus lib. 2. c. 6. Et qui in Plautum scripsere. LAVDARI GELLIA QVÆRIT] Stultius nihil est, quam famam captare tristitiæ, & lachrymas approbare. Seneca. *Sine spectatore cessat dolor. Lachrymæ nec cessant, nec fluunt vnquam tam turpiter, quam finguntur.* ILLE DOLET VERE, QVI SINE TESTE DOLET] vt Arria illa heroina, de qua Plinius epist. 16. lib 3. *Ægrotabat Cecinna Patus* (de quo supra) *maritus eius, ægrotabat & filius, vterq; mortifere, vt videbatur. Filius decessit eximia pulchritudine, pari verecundia, & parentibus non minus ob alia carus, quam quod filius erat. Huic illa ita funus parauit, ita luxit exequias, vt ignoraret maritus, quin immo, quoties cubiculum eius intraret, viuere filium, atque commodiorem esse simulabat. Ac persæpe interroganti, quid ageret puer, respondebat: bene quieuit beneficium sumpsit. Deinde cum diu cohibitæ lachrymæ vincerent, prorumperentq; egrediebatur. Tunc se dolori dabat, Satiata, siccis oculis, composito vultu redibat, tanquam orbitatem foris reliquisset.* En raras, & sinceras in virili fœmina lachrymas. de qua vere illud Virgilianum dici poterat,

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Epigrammata Græca consule lib. 21. & XV. Bisciolam lib. 11. c. 6.

Ad Lucanum & Tullum.

XXXI. XXXVII.

Si Lucane tibi, vel si tibi Tulle darentur,
Qualia Ledæi fata Lacones habent.
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quod pro fratre mori vellet vterq; prior.
Diceret, infernas si quis prior isset ad vndas,
Viue tuo frater tempore, viue meo.

Nobile par fratrum inter se amicissimum celebrat, confertque cum Castore & Polluce, & vtrique vtrumque præfert. Laudat eosdem lib. 3. epig. 20. lib. 9. epig. 52. Plinius maior epist. 18. lib. 8. copiose. Lucanus natu maior erat priorque decessit. Nihil hic de Lucano poetâ cogita, quem dudum Nero interfecerat.

SI LVCANE TIBI, VEL SI TIBI TVLL.] Si inter vos possetis fata permutare, & alter pro altero mori, vt Castor & Pollux Ledæ Lacænæ filii, vterque pro altero prior cuperet oppetere, nec vero mortuus cuperet redire in vitam, vt alter viueret, sed suos illi omnes vitæ annos viuo transcriberet. tanta est concordia fratrum, qualis illa inter Pythagoræos, de quibus Cice. 5. Tuscul. vel qualis Orestis, vel Pyladis apud Ouidium. LEDÆI LACONES] Castor & Pollux Lacedæmonii Ledæ stirps. Helenæ fratres, alter pugil, alter eques, de quibus poetæ garriunt Pollucem fratrem immortalitate donatum, à patre Ioue petiisse, vt Castori à Linceo cæso, quoque indulgeret vitæ æternitatem. qua negata impetrauit, vt cum fratre dimidium suæ communicaret, itaq; per vices alternis diebus singuli viuerent. Virgil. 6.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit;
Itq; reditq; viam toties.

Mart. lib. 9. *Et si iam nitidis alternis venit ab astris.*

Fabulam prolixe Mythologi exequuntur, ad quos tirones mitto. NOBILIS HÆC ESSET PIET. RIXA DVOBVS] Certamen nobile de morte alterius pro altero subeunda, vt apud Ouid. 3. de Pon. El. 2.

Alter & è vobis dixit, cadat hostia sacris:
Ad patrias sedes nuncius alter eat.
Ire iubet Pylades carum periturus Orestem,
Hic negat, inque vicem pugnat vterq; mori.
Extitit hoc vnum, quod non conuenerit illis:
Cætera pars concors & sine lite fuit.

Extat & apud S. Ambrosium lib. 2. de Virgin. eiusmodi contentio inter Virginem Antiochenam, & militarem iuuenem, hoc pro illa, illa pro hoc se ad martyrii agonem offerente. Nobile epigramma legitur de duobus fratribus, quorum alter in Actiaca pugna alterum imprudens vt ignotum interfecit, de quo ita doluit, superstes, vt superesse noluerit, sed ad ipsum fratris tumulum vltro in ferrum incubuerit & occubuerit. Videndus & Tacitus lib. 3. Histor. qui similia & diuersa narrat exempla Statius 2. Theb. *Vos quoq; Thespiada cur inficiatus honoram*
Arguerim famam— Et quæ sequuntur

VTERQVE PRIOR] tandem enim vtrique moriendum. VIVE TVO FRATER TEMPORE,

 VIVE

VIVE MEO] Ego in æterna mortis conditione manebo, vti tu æternum viuere possis. Itaque viue meum, atq; tuum æuum. Consueuere antiqui suos alteri annos imprecari, maxime Imperatoribus congiario diuidundo præsidentibus. DE NOSTRIS ANNIS, TIBI IVPITER AVGEAT ANNOS. Tertull. lege Apol. c 35. De Lucano verò hoc lib. 9. noster.

Quod semper Superos inuito fratre rogasti,
Hoc Lucane tibi contigit ante mori.
Inuidet ille tibi: stygias nam Tullus ad vndas
Optabat, quamuis sit minor, ire prior.

Ad Fidentinum.

XXXIX. XXXII.

Quem recitas meus est, ó Fidentine, libellus:
Sed malè cum recitas, incipit esse tuus.

Fidentinus, vt infra epigr. 54. scribit Martialis, poëta malus erat, & versus alienos bonosque pro suis, sed malè recitabat, itaque suos faciebat, vel certè suis similes. nam versus quamuis boni, si tamen malè pronuncientur, deteriores, & quasi alii videntur, vt item oratio, quemadmodum Cicero 3. de Orat. rectè sentit. *Ex quo satis significauit* (Æschines orationem Demosthenis legendo apud Rhodios) *quantum esset in actione, qui orationem eandem, aliam esse putaret auctore mutato.* Et idem: *Sed hæc perinde sunt, vt aguntur.* Fabius lib. 11. c. 3. *Equidem vel mediocrem orationem commendatam viribus actionis, affirmauerim plus habituram esse momenti, quam optimam eadem illa destitutam.* QVEM RECITAS MEVS EST LIBELLVS] supra epig. 30.

Fama refert nostros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo, quam recitare tuos.

Plagiarius erat hic Fidentinus, alienaque scripta sibi vendicabat. infra epig. 54.

Vna est in nostris, &c.

Marcilius ad Persium nuper de recitationes scripsit.

Æmulatus hunc versum Ausonius ad Theónem Epist. priore. *Tu recita & vere poterunt tua dicta videri.* Quæris fortassè cupide moris prisci pernoscendi, quid sibi velint hæ recitationes? vbi, quando, qui, quamobrem quo fine & vsu quidue recitarint veteres? quæ sanè liberalis est quæstio, quam infra lib. 10. epig. 70. cum cura expediamus. Sæpicule enim Martialis hos exagitat.

Ad Decianum.

XL. XXXIII.

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
*Quales prisca fides; famaq; nouit * anus;*
Si quis Cecropiæ madidus Latiæq; Mineruæ
Artibus, & vera simplicitate bonus;
Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore deos;
Si quis erit magnæ subnixus robore mentis,
Disperea m si non hic Decianus erit.

* *auos.*

Decianum illum, de quo suprà, Stoicum à fide, eruditione, candore animi, iustitiâ, honestate, innocentiâ, constantiâ laudat.

SI QVIS ERIT RAROS] rarissimi & carissimi amici conditiones, & virtutes enumerat.

FAMAQVE NOVIT ANVS.] Ita Catullus est locutus ad Mallium epig. 69.

Sed dicam vobis, vos porrò dicite multis
Millibus, & facite hæc charta loquatur anus.

Famam anum appellant diuturnam, vel æternam, vel, vt hic, multis retrò sæculis celebratam. Sed hoc loco scribunt alii *auos*, non *anus*; placet *anus*, nam illud, *Quales*, ad præcedens nomen *amicos*, non ad *auos* referendum.

SI QVIS CECROPIÆ MADIDVS LATIÆQ MINERVÆ] Cecrops, vt supra d. Athenarum conditor. Cecropia Minerua, pro Græcarum litterarum cognitione ponitur, vti Latia, pro Romana.

ET NIHIL ARCANO QVI ROG. ORE DEOS] Arcana voti pro improbis accipe. Illi enim dicebantur occultas preces fundere, qui parum honesta deprecarentur. In quos ita Persius Sat. 2.

——non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere diuis.

At bona

At bona pars procerum tacitâ libabit acerrâ.
Haud cuiuis promptum est murmur, humilesq; susurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.

Nempe vitæ integrorum sceleri sq; purorum erat aperta vota facere, vt ipse exponit Persius.

Mens bona, fama, fides, hæc clarè, vt & audiat hospes,
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat ——

Huc faciunt illa Tibulliana lib. 2. El. 1. (improba f.)

Vos celebrem cantate Deum, pecoriq; vocate
Voce palam pecori: clam sibi quisq; vocet,
Aut etiam sibi quisq; palam ——

Amores petituri, clam poscebant, ne sibi notam apud circumstantes parerent. Aut sibi quisq; palam, dicit, nec enim audientur proximis propter obstrepentes tympanorum pulsu Corybantes. Idem inferius.

Optat idem iuuenis, quod nos, sed tutius optat,
Nam pudet hæc illum dicere vota palam.

Nec verum est, quod Ioseph. Scaliger ad hunc Tibulli versum notat veteres ex superstitione semper arcana vota, seu honesta seu turpia peterent, fecisse. Apertè contraueniunt Martialis hic, & Tibullus & Persius, qui arcana vota pro improbis accipiunt. Martialis quidem versus intelligi potest, qui nihil arcano ore roget deus, vel ob cōscientiam sceleris patrati, vel mali consilii agitati, cuius auctores & auditores implorat deos; illud, vt conscientiā leuent, & terrores morsusq; amoliantur; hoc, vt voti compotes fiant, tales non optat amicos, vt improbos Martialis. Iuuenalis decima Sat. eadem vota aperta & arcana insinuat, cum dicit

Formam optat modico pueris maiore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater
Vsque ad delicias votorum. ——

Vbi copiosè poeta, quæ honesta vota, quæ improba quæ à Diis expetenda. De votis hisce improbis Macr. lib. 1. Sat. c. 7 Sen. ep. 20. & l. 6. de benef. c. 38. Cat. nuptiali car tacito suspendit vota labello. Luc. lib. 5. de specu. Delphico. Ianus Gruterus lib. susp. nec tamen iuerim negatum honesta quandoque vota tacitè edita quod Seneca cap. 1. de Benef. docet: Tacita vota insinuat Cicero pro lege Manilia. Aperta vota fuere semper Pythagoræorum, vt semper honesta peterent. Clemens Alexand. 4. Strom. Petrus Victorius Var. 10. c. 11. Athenodorus apud Senecam Epist. 10. *Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perueneris, vt nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam.* De tacitis

Catullus: —— *tacito suspendit vota labello.*
Horatius: *Labra mouet metuens audiri. ——*

IMITATOR HONESTI] vt Stoicorum sectator. SVBNIXVS ROBORE MENTIS] Fortis & constans, vt Catones, Thraseæq; nec tamen vsq; ad necem voluntariam, vt supra monuit. DISPEREAM SI NON HIC DEC. ERIT] Concludit inductionem cum assumptione. Ille ratus & sincerus amicus, qui ea, quæ nunc enumerauit animi ornamenta virtutesq; possidet. Possidet autem Decianus, quod vel iureiurando affirmarim, Decianus igitur verus & sincerus amicus. DISPEREAM] formula execrationis est Disperean si, dispeream nisi, Catullum lege epig. de Lesbia. Plautum Amphitr. Act. 4. sc. 2. Virgilium Caral. ad Varium l 1 ser. sat. 9. Propertium lib. El. 15. Martial. pluub. epig. Eiusdē notæ sunt, Dii me perdant, peream si, ne saluus sim, &c. Brissonius multa l. 8. For. p. 713. & 714.

Ad Liuidum.

XXXIV. XLI.

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter,
Omnibus inuideas Liuide, nemo tibi.

Imprecatur Zoilo inuidenti, vt id quod facit, solus faciat. hoc est, solus aliis inuideat, nemo illi. Nam eruditis & excellentibus tantum inuidetur, à minus eruditis. Indoctis enim & fatuis nemo inuidet, vti nec infelicibus. Liuoris porro hoc vnum est commodum, quod sibi maxime noceat, vt est in 1. Græc. epig.

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστος, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ·
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.
Grande malum liuor, tamen est bonitatis in ipso
Nonnihil: osorum cor q; oculosq; vorat.

Et ibid. Ὁ φθόνος αὐτὸς ἑαυτὸν ἑοῖς βελέεσσι δαμάζει.
Inuidia ipsa suis perit exanimata sagittis.
Inuidiâ Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum ——

Ducere vultus, vt Quintil. lib. 10. c. 3. Quæ causa frontis tam adductæ? Redibit hic locus, eoq; nunc ad alia properandum.

In Cæcilium.

XXXV.

Vrbanus tibi Cæcili videris.
Non es, crede mihi: quid ergo? verna es.
Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulfurata fractis
Permutat vitreis: quod otiosæ
Vendit qui madidum cicer coronæ:
Quod custos, dominusq́ viperarum:
Quod viles pueri salariorum:
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis cocus popinis:
Quod non optimus vrbicus poëta:
*Quod de Gadibus * improbus magister.*

* improbis emendatius.

* * *

Quare desine iam tibi videri,
Quod soli tibi Cæcili videris,
Qui Galbam salibus tuis, & ipsum
** Posses vincere Sextium Caballum.*
Non cuicunq; datum est habere nasum.
Ludit qui stolida procacitate,
Non est Sextius ille, sed caballus.

* Possis, melius.

Cæcilium scurram dicacem, sibique de vrbanitate plaudentem exagitat, postremisque vrbis catharmatis comparat. VRBANVS] Vrbani primum dicuntur, qui Romæ tantum habitant, quæ ἀντονομαστικῶς vrbs audit, cæteri oppidani. Isid. cap. 4. lib. 8. Quo intellectu Cicero loquitur in epistolis & aliis libris frequenter, cum res, officia, prætores, tribus, mala vrbana appellat, sed hæc notatio nihil ad hunc locum. Propius accedit alter vsus verbi, quo vrbanus, pro faceto, lepido salibusq; ingenuis, ac liberalioribus iocis abundante accipitur, qui scurræ opponitur. Cicer. 1. Off. *Duplex omninò est iocandi genus, vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscænum. Alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum, quo genere non modo Plautus noster, & Atticorum antiqua comœdia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt, multaq; multorum faceta dicta, vt ea quæ à sene Catone sunt collecta, quæ vocantur apophtegmata.* Ex hoc numero vrbanorum & facetorum Cæcilius videri cupiebat, cum à Martiale in illiberale petulansque scurrarum genus coniiciatur. Obseruo tamen nomen vrbani in deteriorem quoq; partem optimis scriptoribus acceptum. Plautus Trinummo.

Nihil est profectò stultius, nec stolidius,
Neque mendaciloquius, neq; argutum magis
Neque confidentiloquius, neque periurius
Quam vrbani assidui ciues, quos scurras vocant.

Nisi vrbanum hic ciu cum interpreteris. Sed clarius eodem sensu peiore Horatius,

Mæuius vt rebus maternis atq; paternis
Fortiter absumptis, vrbanus cœpit haberi
Scurra vagans, non qui certum præsepe teneret.

Catullus ad Varum.

Hæc cum legas, tum bellus ille & vrbanus
Fusenus vnus caprimulgus aut fossor, &c.

Vrbani ergò & hi, qui doctis dictis, vt parasiti, victum aucupabantur. quos ab allectandis diuitibus scurras vocitabant. non sunt omnino ij, quos ἀρέσκους Græci nos blandos, bellos, aulicos nominamus, vti ἀρέσκειαν placentiam seu placorem, vt veteres. hi enim blandi & elegantes aulici, ad assentatorum potius gregem referuntur, quam dicacium aut scurrarum, aut vrbanorum, nisi vrba-

nitatem

nitatem pro exquisita quadam aularum elegantia capias. NON ES] Vrbanus, festiuus, facetus. VERNA ES] procax scurra es. Non placet hic Manlium Vernam Transtiberinum, cuius Porphyrio meminit, cogitare. sed seruum Vernam, ad contumeliosas vrbanitates eruditum. Seneca lib. in sap. non cad. iniur *Pueros in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, qui probra meditatè effundunt, nec has contumelias vocamus, sed argutias.* Martialis lib. 10. epigr. 3. *Vernaculorum dicta, sordidum dentem.* Iterum Seneca lib. eod. *Eadem causa est, cur nos mancipiorum vrbanitas in dominos contumeliosa delectet, quorum audacia demum sibi in conuiuas ius facit si cœpit à domino.* Et libro de prouid. c. 1. *Cogita filiorum nos modestiâ delectari, vernularum licentiâ illos tristiori disciplina contineri, horum ali audaciam.*

Vernæ propriè sunt Festo, *qui in villis vere nati, quod tempus, natura duce, fœtura est: & tunc rem diuinam Marti Numa Pompilius instituerit pacis concordiæq, obtinendæ gratiâ inter Sabinos Romanosq, vt vernæ vincerent, ne vincerent. Romanos enim Vernas appellabant, id est, ibidem natos, quos vincere perniciosum Sabinis, qui coniuncti erant cum P. R.* Idem Paullus docet, sed paullò aliter Nonius Marcellus. *Vernas,* inquit, *veteres appellabant, qui vere sacro nati fuerant, & habebatur nomen hoc pro vitabili & maledicto.* Plautus ita videtur Amphitr. accepisse.

Hic qui verna est queritur?

Idem. *Cum cruciatu tuo istæc hodie verna verba funditas.*

Martialis Cæcilium pro maledicente potius, quam maledicto vernâ accepit. Ab hac procaci contumacia & dicacitate, aut si mauis, à seruili assentatione vernaliter, aut verniliter, & vernilitas deductum dictumque reperitur. Quintil. lib. 1. cap. 1. *Seruili vernitate imbuti.* Plin. lib. 34. c. 7. *puerum subdola vernilitatis appellat.* Tacitus dicta vernilia, procacia, contumeliosa, Horatius lib. 2. Sat. 6. *nec non vernaliter ipsis*

Fungitur officiis, id est, seruilibus per adulationem.

Quanquam alii ad quam dictum putant, leguntque verniliter, & simul negant vernaliter latinè dici, vt enim à scurra scurriliter, ita à verna verniliter deflectendum. Est tamen & apud Nonium Marcellum vernaliter positum expositumque adulatoriè à vernis, quibus hæc viuendi ars est. Apud Senecam ambigua scriptura est lib. 2. de Ben cap. 11. vbi vernaliter legit Muretus, alii venaliter. Puteani c. M. S. vernaliter. Idem Seneca. vernilitas scripsit epist. 94. An Cæcilii versus etiam emendatus in Venatore?

Ioan. Mariius Mercerus lib. 3 Opin. cap. 22.

Credo nimis tandem hoc veraliter. an vernaliter, seu mage verniliter?

HOC QVOD TRANSTIBERINVS AMB.] Hoc es, quod ille, qui trans Tiberim degit & vendit sulphurata, &c. Quis iste verò transtiberinus ambulator? Iudæus, arbitror, etsi alii secus, nec ego pro me hic iuratus. Transtiberina regio duplex erat, altera extra agrum Romanum, de qua Gellius lib. 1. c. 20. *Tertijs autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregrè venum ibant,* hoc est, interprete Turnebo lib. 24. c. 43. *qui venditus est, seruiat, non in agro Romano.* Altera, vrbis pars erat, quam ferè Iudæi, qui se Romæ insiduerant, occupabant. In eadem vilis plebecula, & sordidiores immundioresque plerique habitabant, & illi qui animalibus fœtidis pelles deripiebant. Iuuen. 14.

nec te fastidia mercis

Vllius subeant ablegandæ Tiberim vltra.

Martial. *Et detracta cani transtiberina cutis.*

Statius idem cant. 1. Silu. Iuuen. Sat. 5.

Qui sulphurata vendebant in eadem regione morabantur. Marlianum lege lib. 1. cap. 8. Regio vrbis quartadecima fuit apud Victorem, & alios, de sulphuratis noster subiungit. QVI PALLENTIA SVLPHVRATA] lib. 10. epigram. 3. *Quæ sulphurato nolit empta ramento.* Sunt ergo sulfurata minuta ramenta vtrinque ab oris sulfure imbuta ad flammam è fomite excipiendam. Pallida à colore sulfuris dici intelligis. FRACTIS PERM. VITREIS] nugas nugis: Turneb. lib. 19. cap. 6. Petronius. *An videlis, et audirem sententias, id est, vitrea fracta.* lib. 10. idem dicit aliter Martialis:

Quæ sulfurato nolit empta ramento

Vatiniorum proxeneta fractorum.

QVOD OTIOSÆ VENDIT QVI MAD. CICER CORONÆ.] Hoc es Cæcili, quod ille vilissimus terræ filius, qui otiosæ & feriatæ turbæ passim stanti frictum cicer vendit, de quo Venusinus

Nec si quid fricti probat & nucis emtor.

Ita lego cum Lambino versum Horatii, quamuis vulgo *fractum* legatur. Porrò idem indico frictum & madidum. Et sicut Horatius emtorem plebeium & paupertinum intelligit, ita Martialis eiusdem sortis venditorem. Emebat autem plebecula frictum cicer, vt dum agerentur fabulæ, aut darentur munera, solaretur famem. Est ciceris huius mentio apud Plautum in Bacchid.

Tam frictum ego illum reddam, quàm frictum est cicer.

Domitius cicer pro lupino accipit, quem refutat Merula, docetque in vrbibus Italiæ passim madefactum cicer vendi. Apparatum habes apud Apitium libro quinto, capite septimo, Platinam Cremonensem, libro 7. Virtutes describit Dioscorides libro 2. capite 126. qui ἐρέβινθον appellat.

Citra hos multis paginis agit Matthiolus in Dioscoridi.

QVOD CVSTOS DOMINVSQVE VIPERARVM] * Circulatorem seu medicum circumforaneum, & agirtam intelligo, qui circumfert serpentes, eosque de collo, brachioque suspendit, seseque nonnunquam ab illis lædi sinit, vt apud circumstantes fidem faciat theri cis suis & alexipharmacis, quique vulneri extemplo medetur. Dominum viperarum expono incantatorem serpentium, vt cu us carmen serpens audire cogatur, eiusque ad edictum parere. Plinius 28 cap. 2. *Non pauci credunt serpentes ipsas incantari, & hunc vnum illis esse intellectum, contrahique Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete.* Attalus apud eundem Plinium affirmat scorpione viso, si quis dicat (*duo*) cohiberi, nec vibrare ictus. Sed Domini serpentum credi possunt, & Psylli, Ophiogenes, Troglodytæ, qui postremi etiam vocant serpentes, vt Ælianus tradit. Psylli venenum innoxie sugunt, sunt enim terrori serpentibus Psylli; vnde mos illi genti fuit, partus editos statim serpentibus obiicere, quo argumento pudicitiam coniugum experiebantur, detecto, vel proprio, vel adulterino sanguine. Hos Cato, Plutarcho auctore, per Libyæ deserta iter faciens secum duxit, vt serpentium ictibus mederentur. Psyllos laudat Gellius lib. 19. capite 11. Strabo 15. Lucanus, Solinus, Silius, Plinius 8. Hexagon, Cyprius Ophiogenes Romæ in dolium serpentium experimenti causa fuit coniectus, & illæsus inde extractus. Multa de his Plinius. Vulturum pennis suffitis caueis extrahi libro 1. capite 45. serpentes Ælianus scribit. Serpentium incantatores nec diuinæ tacent paginæ. Psal. 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* S. Augustinus libro 11. de Gen. ad litteram. capite 27. adscribit hanc vim incantationis non homini, non serpentis intelligentiæ, sed draconi stygio, cui id permissum sit diuino consilio, vt ad humanam vocem moueat serpentes, eosque cogat prorepere ex cauernis. *Nam quod vulgo putantur,* inquit, *serpentes audire & intelligere verba incantantium, vt eis incantantibus prosiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur. Diuino autem consilio fit, vt hoc magis habeat vsus, serpentes moueri carminibus potius, quam aliud vllum genus animantium.* Et quæ ibidem haud pauca sequuntur. Idem scribit ad Psalmum 57. De Psyllis venenum exugentibus forte an aliud responderet. Hoc autem genus hominum etiam procax, vile & abiectum. Sed de incantatoribus serpentum, & toto hoc genere eruditissimè disputat, Martinus Delrius lib. 2. quæst. 13. disquis. Magicarum. QVOD VILES PVERI SALARIORVM.] Cetariorum seu Tarichopolarum serui & fil i, vilissimum genus hominum Græcis & Latinis. Tarichopolæ Latinis Salarii dicuntur qui σὺν ταρίχους salsamenta vendunt. Ταριχοπωλεῖον locus vbi τάριχοι seu salsamenta venduntur. cibus tenuiorum & rusticorum; salsamenta enim vilis cibus. Aristophanis interpres ad ἱππεῖς. ὅπου τὸ ταριχοπωλεῖον, ἀντὶ ὅπου τὰ ὀλίγα πωλεῖται. Vbi Tarichopolium, hoc est, vbi vilia venduntur. Theophrastus Ethicis char. περὶ ἀγροικίας de rusticitate. *Rusticus vrbem ingressus. Quanti aut, pelles & salsamenta?* Quare rusticus de salsamentis quærit? Quia salsamenta erant tenuiorum & rusticorum cibus. Lucianum lege de conscribenda historia. hinc natum vulgo dictum ταρίχους ἀναξιώτερον, vilius salsamento. * Cætarii sane & Romæ & Athenis vilissimum genus hominum, & salsamenta sericorum & pauperum cibus. Ab his enim prouerbium manauit de obscuro terræ filio, quem dicebant patre ortum esse, qui cubito mungeretur, quod erat salsamentariorum proprium. Casaubonum lege ad Strabonem & Theophrastū Cælium Rhodiginum l. 3. c. 26. FVMANTIA TOMACLA] tomacula, & erali, tomacla sunt hysitia seu insitia, quæ fiunt ex iecore suillo minutatim conciso, & iam semicocto infusis ouis crudis & caseo optimo, & liquamine pipere, aniso, gingibere, omento. Varro de re rustica l. 2. c. 10. vocat tomacinas, easq; optimas è Gallia Romam apportari dicit. De tomaculis Iuuen. Sat. 10. voueasq; sacellis.

Aliud Zetarius seu Diætarius à Zeta seu Diæta, lege Brissonium in voce Diæta.

Exta & candiduli diuina tomacula porci.

Fumantia non quod è fumo detrahantur, quamuis fumo durentur, sed quod è subiecto foculo quem cocus cum tomaculis circumfert, vt semper calida obuiæ plebi, & fumantia possit vendere. Tomacula vero παρὰ τὸ τομεῖν καὶ μικρὸν deducitur, quod incidere & incisionem sonat nobis, ex conciso enim iecore, &c. fiebant. Britannicus ad Iuuenal. putat tomaculū esse quod Macrobio insitum dicitur, ab eo quod iniecta caro reticulo circumdatur. Platina Crem. libro 6. Hysytium appellat, itaque describit. *Iocinora porcina vel quorumuis animalium paululum elixa terito, eo modo, quo caseum soles. Porcinum deinde ventrem condito ad quantitatem iocinoris, tantumq; casei veteris, amaraci, petroselini, passularum, aromatum, contritorum, cum duobus ouorum vitellis admisceto, quantum satis esse putaueris. Ex hoc in rnum redactis ad magnitudinem nucis p las facito, omentoq; inuoluito, ac vbi voles in sartagine cum lardo frigito. Lentam ac paruam cocturam requirunt. Tomacula hæc vulgus appellat, quæ fortasse melius omacula, cum inuoluta omento fiant, dicerentur, vel tomacla vt Martiali placet* Hæc Platina. sed non placet omacula pro tomaculis dici. RAVCVS] cocus ob nidorem, fumum & ignem clamoremq; assiduum. TEPIDIS POPINIS] focos tepidos & lentos ignes candentesue carbones, quibus tomacula fouebant semper gulæ parata intelligo. tomacula videntur plebeia, Lucanicæ lautiorum fuisse. Iuuenalis tamen diui . à nom. nat. Popinæ, vbi opsonia venduntur. QVOD NON OPTI. VRB. POETA] Atellanarum auctores intelligit, de quibus in hæc verba politissimus Turnebus lib. 1. cap. 17. *Atteris quoddam genus significare vrbis nomine, & certum quoddam genus poëtarum. Vt enim Satyræ Græcis tragœdiis interponebantur, ita ti agere his Latinis ad exhilarandum spectatorem Atellanarum exodia inter, erebant. Nec histrionibus*

Knödel.

nibus earum actus committebantur. sed honestis iuuenibus. quamquam fortasse tandem aliquando à mimis aliis & histrionibus fabula illa acta sunt. Erantq; ha fabula vrbanissima. & vrbis iocos, elegantiamq; imitabantur, & ab vrbe Atella nomen erant adepta. Itaq; earum actores Vrbici, vt in eo etiam Iuuenalis Sat. 6. Samnienes.

Vrbicus exodio risum mouet Atellana.

Britannicus existimat Vrbicum esse nomen actoris scenici, quod verum est, si nomen omnibus commune Attellanarum actoribus censeat, si certi proprium, errat. Martialis quidem lib. 7. & 11. pueri & viri propria ponit, hic secus iudico.

QVOD DE GADIBVS IMPROBIS MAGISTER.] Qui teneram ætatem non ad honestatem, sed leuitatem & impudentiam informabant, aut potius corrumpebant. Plura Parthius lib XXV. c. 1. p. 1210. Gades in extima Hispania versus Occidentem insula est & ciuitas. Iuuen. Sat. 10. *Calis Malis hodie.*

Omnibus in terris quæ sunt à Gadibus, vsque
Auroram & Gangem.

Strabo duplicem Gadium facit insulam. Plin. lib. 4. vltra Bæticam Hispaniam ponit, in ipso capite Bæticæ ab ostio freti pass. 75. M. longam 12. M. p. latam. Extra columnas Herculeas sitam aiunt. IMPROBIS] Ita aliter legitur, & apud Martialem lib. 5. 79. *Nec de Gadibus improbis puella.* Fuere enim impudentiores, hinc lib. 1. epig. 62. vocat *iocosas Gades.* & lib. 3. 62.

Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat.
Lib. 6. epig. 71. *Edere lasciuos ad Batica crusmata gestus,*
Et Gaditanis ludere docta modis.
Iuuen. Sat. 10. *Forsitan expectes, vt Gaditana canoro*
Incipiat prurire choro, &c.

D. VIDERI] Vrbanus; cum sis Gaditanus, & vrbicus Atellanus, cocus popinarius, Cetarius, Ciceratius, circulator, &c.

GALBAM] non Imperatorem, sed morionem & scurram Cæsaris. Martial.

Ille suo felix Cæsare Galba fuit.
Iuuen. Sat. 5. *Quod nec Sarmentus iniquas*
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.

Hic ille Galba, qui soli Mæcenati dormiebat, vt Plutarchus lib. ἐν ἐρωτικῷ narrat. Est & apud Quintil. lib. 6. c. 3. huius mentio.

SEXTIVM CABALLVM] Variant hic codices & interpretes, reperitur Sextius. Sestius, Tectius, Tertius, Caballus. Nobis placet Sestius Caballus, rationem accipe. Sestius Gallus homo fœdus, & libidinosus olim ab Augusto ignominia notatus, & à Tiberio increpitus apud Senatum, vt scribit Tranquillus Tib. cap. 24 dictus est, opinor, à dicacioribus Sestius Caballus, cùm audiret Sestius Gallus, quia enim moribus ad equum potius, quam hominem accederet, & cognomen ludendi occasionem daret, suspicor illum Sestium Gallum, dictum Caballum, sicut Tranquillus ibidem, Tiberium ait propter vini auiditatem, Biberium Caldium Meronem dictum, alioqui huius nulla extat auctoritas, etsi scribant hunc Caballum Vespasiano & Tito Domitianoque, Cæsaribus in delitiis fuisse, fidem tamen non faciunt sine teste.

HABERE NASVM.] Non omnibus datum argute acuteque & vrbane ingenueq; iocari; plerique; enim dum argutias leporesq; affectant, vel in scurrilitatem, vel procacitatem obscœnitatemq; incidunt. plura de naso. supra. epig. 4. LVDIT QVI STOLIDA PROCACITATE] qui illiberali petulante, plebeióue iocandi genere vtuntur, vt tu Cæcili, non sunt Sestii seu Sextii, sed caballi tantum. hoc est bestiæ & equi, quibus non plus sapiunt, cùm se ad quadrupedum & iumentorum ingenium conformant. Et mordax iocus est in Cæcilium, quem primum vilissimis hominibus seu hominum ludibriis comparauit, postremo nec homini quidem, quamuis humili & abiecto & sordido, sed pecudi similem nec pecudi solerti, sed propter effrenatam libid. stolido caballo dixit: Hunc sensum quem exposui verum arbitror, qui alia omnia sentiunt, per me licet in partes discedant.

De Portia.

XXXVI. XLIII.

Coniugis audisset fatum cum Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor,
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
*Credideram * satis hoc vos docuisse patrem.* ** satis hoc*

Dixit,

Dixit; & ardentes auido bibit ore fauillas:
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Notum factum, notæ fœminæ, Catonis Vticensis generosissimæ filiæ, Bruti tyrannicidæ vxoris, quæ, accepto de morte Bruti nuncio, cum ferri telique copia non esset, ardentes ore carbones hausit, calidum sane prandium, sed plenum gloriæ & immortalitatis. Auctores Plutarchus in Bruto, Val. Maximus lib. 3. c. 2. & 4. c. 6. Dio 47. Appianus ciuil. 4. & alii.

PATREM] lege epig. 9. *Quod magni Thraseæ consummatiq; Catonis.* Plutarchus in Catone: *An nescis paullisper spiritu represso, aut capite ad parietem percusso & illiso emori licere?* Placet ergo Musambercii ex A. C. emendatio. Credideram satis hoc v. d. p. ARDENTES BIBIT ORE FAVIL.] Faustus Sabæus non optimus poeta, vtcunq; tamen fauste de hac portia.

Bruto digna viro, generosi nata Catonis
Ebibis ardentes cur moritura faces?
Non aliter potuit tantum compescere luctum
Igne exsiccantur igne domantur aquæ.

Si iuuat & Antonii Casanouæ epigramma legere, apud Toscanum reperies; nos iuuat properare.

INVNC] Insultantis & irridentis Portiæ victricis vox, quam Poëta in alio genere sæpius vsurpat. A. epig. 23.

I nunc, & lentas corripe turba moras

Lib. 2. epig. 6. *I nunc, edere me iube libellos.*

Et aliis locis.

In Mancinum.

XLIV. XXXVII.

Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,
Et positum est nobis, nil herè præter aprum.
Non quæ de tardis seruantur vitibus vuæ,
Dulcibus aut certant quæ melimela fauis.
Non pira, quæ lentâ pendent religata genistâ
Aut imitata breues Punica mala rosas.
Rustica lactantes nec misit fiscina metas,
Nec de Picenis venit oliua cadis.
Nudus aper, sed & his minimus. qualisq; necari
A non armato pumilione potest.
Et nihil inde datum est tantum spectauimus omnes.
Ponere aprum nobis sic & arena solet.
Ponatur tibi nullus aper, post talia facta:
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

Sexageni conuiuæ à Mancino vocati, inter quos Martialis, aprum appositum spectantes, non gustauere. ludificatus poëta & iratus imprecatur Mancino aprum, non quem ipse absumat, sed a quo ipse absumatur. Huiusmodi conuiuas & conuiuatores celebrat Iuuenal. Sat. 5.

HERE] prisce, prò heri. Terentius, Festus, Donatus propter cognationem literarum e & i, dixere heri & here, hesterno die. Martial. 4. epig. 7.

Cur here quod dederas, hodie puer, Hyle negasti?

Et ibidem. *Quid nos derides? here quod puer, Hyle fuisti.*

Dic nobis, hodie qua ratione vir es?

Epig. 16. lib. 4. *Here de theatro Pollione cantante,* *Cum subitò abires——*

Pluribus locis eodem aduerbio vtitur noster, & alii. Æuo Martialis passim *here* vsurpabatur ambigua tamen inter e & i, pronunciatione. Quintil. lib. 1. c. 7. & c. 4.

APRVM]

APRVM] Integri apri mensis inferebantur. Iuuen. 5. Sat.

——Et flaui dignus ferro Meleagri
Fumat aper——

Plinius lib. 8. cap. 51. *Solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit P. Seruilius Rullus, pater eius Rulli, qui Ciceronis consulatu legem agrariam promulgauit. Tam propinqua origo nunc quotidianæ rei est.* Noster 7. epigr. 26. 13. epigr 95. 9. epig. 49. aliisque epigr. Apparatum apri describit Plinius l. d. Apicius lib. 8. c. 8.

7. epig. 26.

NON QVÆ DE TARDIS. SER. VIT. VVÆ.] Docet hic Martialis, quæ cum apro apponi solita sint. Vuas hic intelligo duracinas, quales à vite decerpuntur, virides, quæ sero autumno lectæ seruantur. Qui vero seruentur, docet Plinius lib. 15. cap. 17. Platina. Crem. lib. 2. cap. de vua. Columella.

De duracinis l. 13 epig. 22.

MELIMELA.] Mala * Plinio à celeritate mitescendi mustea appellata, Dioscoridi † μελίμηλα & γλυκύμηλα, mellita & dulcia. quæ Latini quoq; sapore melleo melimela dixere. Matthiolus eadem putat Appiana. Et Plinius non abhorret cum lib. 15. c. 11. de cotoneo (Græcis Cydonium est) agit, eius speciem, mustea facit. Et Martialis lib. 13.

* lib. 15. c. 14.
† lib. 1. c. 161.

Si tibi Cecropio saturata Cydonia melle
Ponentur: dicas hæc melimela licet.

Dioscorides diuersis capitibus de cotoneis & melimelis disputat, melimelaq; cotoneis subiungit. Et Martialis insinuat distincta, quando tum primum Cydonia dicit, posset melimela appellari, cum in melle condit Dioscor. lib. 1. cap. 161. Ita nonnihil diuersa videntur vera cotonea, & melimela. Dulcissima esse docet Martialis lib. 7. epig. 24.

Infanti melimela dato, fatuasq; mariscas.

Et multo planius hoc præsenti versu, quo melimela cum ipso melle contendit.

NON PYRA, QVÆ LEN. PEN. RELIG. GENISTA] Serotina pyra Plinius numerat Græca, ampullacea, laurea, conditque, vt vuas. cap. 15. lib. 15. non hæc tantum, sed omnis generis, hic tamen serotina accipio.

GENISTA] virgultum vnde pendent suspensi fructus Plinius tamen serotina ad hyemem vsque ad maturitatem (ita lego, non vt vulgo, ad matrem) pendere affirmat, gelu mitutescentia. Hic poetam existimo de conditis, & in cellis seruatis loqui. Etsi nihil impedit de pendentibus ab arbore genistis leuatâ accipere. De genistâ Plinius lib. 24. c. 9. *Genista quoq; vinculi vsum præstat. Flores apibus gratissimi. Dubito an hæc sit, quam Græci auctores sparton appellauere, cum ex linea piscatoria apud eos factitari docuerim. & nunquid hanc designauerit Homerus, cum dixit nauium sparta dissoluta. Nondum enim fuisse Africanum vel Hispanum spartum in vsu certum est, &c.* Dioscorides lib. 4. c. 158. Spartio frutici longas præferenti virgas, easdem vere facultates tribuit, quas genistæ. Plinius tractu contumaces esse, in alligandis viribus vinculi vsum præstare, &c. Saracenus scholiis ad Dioscoridem, negat spartio seu sparto seu spartæ eandem esse genistam, quod genista sit foliata, ἄφυλλον autem σπάρτον, cuius & ῥάβδοι ἄφυλλοι dicuntur Dioscoridi. Quanquam concludit, alterum quodpiam genus spartii, nam tria enumerat ex Guillandino, videri posse genistam.

Genista fructicis genus mirabiliter..., vt spartum & salix.

AVT IMITATA BREVES PVNICA MALA ROSAS.] Malum granatum non aliam ob causam reor dictum imitari breues rosas, quam quod malus punica sit breuis æui in genere arborum, vt rosa florum. Ita Plinius de arborum ætate capite 44. libro 16 cum de durantibus dixisset, subiecit hæc verba. *E diuerso breuissima vita est punicis fico malis. Et ex his præcocibus breuior quam serotinis, dulcibus quam acutis. & dulcior in punicis.* Qui malunt ii de imitari rosas putare, quod in germinatione ordinem rosarum seruent, vt Merula docet, & Domitius innuit, diuersa tamen ratione, per me licebit. Aperta enim corrumpuntur citò, aperiuntur vero cum mitescunt. Merula paulò obscurius loquitur. Dicitur Punicum, quia circa Carthaginem nascitur, quæ Pœnorum caput. De malo Punico. Plinius libro 13. cap. 19. Dioscorides cap. 151. libro 1. de apyrinis lib. 13. noster poeta.

RVSTICA LACTANTES NEC MIS. FISC. METAS.] Nec fiscina rustica nobis lactis coagula apposuit. Fiscina à ferendo dicta, qua fructus ac necessariæ res feruntur (vt Varro de LL. docet) vt corbe, calatho textisque vimineis. Meta lactis, est caseus seu coagulum lactis in formam metæ coactum cuiusmodi & hodie mensis inferuntur. Metæ forma, est turbo inuersus, seu ruens currentique, vt Statius describit, cono & pyramidi similis, ab ima parte lata, supra angusta, rotundata. Philandrum ad 2. Vitruuii cap. 1. adi. Ita Cato cap. 55 de ligno condendo, struem nominat. & Columella libro 2. cap. 19. *In metas conueniat ferrum easque in angustissimas exacui.* Meta inuersa eidem lib. 9. c. 15. cuiusmodi qualus, quo vinum liquatur. Plinius lib 2. cap. 10. cum dixisset metam, se explicans subiungit turbinem inuersum, & cap. proximo monstr. at turbinis recti imum esse angustissimum metam vero in cacuminis finem desinere. Vnde quiuis intelligat lactis coacti seu casei seu coaguli formam ac figuram.

LACTANTES.] Ita legerim, non lactentes. Lactens est qui sugit lac, lactans qui continet in se

in se sacteum humorem, matres lactantes, pueros lactentes dicas, lactea meta seu lactans quæ continet lac, nisi inde lactentem malis, quod ex lacte fiat, & quasi lac hauriat. Huius mentio est lib. 5. epig. 58.

Metamq; lactis Saßinate de silua.

Quam non penitus caseum interpretor, sed lac modo coactum, vt ipse docet lib. 8. epigr. 64. Aut massam modo lactis alligati. Et forte sit hoc, quod Virgil. Ecl. 1. dicit

Castaneæ molles & preßi copia lactis

Georg. 3. *Quod surgente die mulsere, horisq; diurnis,*
Nocte premunt.

Ouid. 8. Met.——*lactis massa coacti.* Turnebus pro caseo accipit *pressum*, alii, pro puro lacte, quod huc non facit.

NEC DE PICENIS VEN. OL. CAD.] Oliuæ in Piceno agro laudatissimæ, non procul ab vrbe. volue 13. lib. epig. de oliuis

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis
Inchoat, atque eadem finit oliua dapes.

Plin. lib. 15. cap. 3. *Italicis transmarinæ præferuntur in cibis, cum oleo vincantur, & in ipsa Italia ceteris Picena & Sidicina.*

Iunij sententia reiecta. NVDVS APER.] Non laudo Iunii interpretationem, nudum aprum sine omni condimento appositum apponentis. Siue enim assum, siue elixum, nunquam tamen insulsum & inconditum inferebant. Et poeta ipse exponit, quo pacto nudum apposuerit, quando sine aliis cibis, & opsoniis illatum dicit. Qui enim singillatim enumerat, nunc generatim dicit, nihil omnino præter aprum fuisse illatum, nihil tamen dubito, quin piperatum solitisque condimentis Apicio lib. 8. cap. 1. descriptis, præparatum mensis intulerit.

SED ET HIC MINIMVS] plus plusque extenuat cœnam Mancini, gradatimque descendit, sexagenos vocarat, aprum vnicum & nudum, cumque minimum, dedit spectandum potius quam gustandum.

PVMILIONE] nano. pumilio & inermis occidisset, tam paruus erat, cum alioqui iustum ægre vir quamuis valens & robustus conficiat. lege Xenophontis Cyneget. Et ad vnum aprum collocandum sæpe pluribus venatoribus opus redi ad Amph. epig 15.

ARMATO] Armati nani pugnabant etiam in Amphit. Lipsius Saturn.

ET NIHIL INDE DATVM EST] triste spectaculum, aperti mensa, quem secare non audeas. Sic tenuiores conuiuas superbi Virrones tractabant. Iuuen. Sat. 5.

Hoc agit, vt doleas, nam quæ comœdia, mimus
Quis melior plorante gula? ergo omnia fiunt,
Si nescis, vt per lachrymas effundere bilem
Cogaris, pressoq; diu stridere molari.

Hi conuiuæ sunt, vt prouerbio dicitur, non conuiuæ. Recurret hic locus infra sæpius. Arenam pro Amphitheatro accipe, vbi venatio aprorum. PONATVR.] Agit Mancino pro tam lauta & liberali inuitatione gratias, precaturque, vt Mancinus nullum gustet vnquam amplius aprum, sed gustetur & deuoretur ab apro, quæ Lycambæa est conclusio. CHARIDEMVS] quem Domitianus noxium seu innoxium apro obiecit in Amphitheatro, vt alium patrem familias, quod parmulario fauisset, canibus, auctore Tranquillo, Domit.

Ad Stellam.

XLV. XXXVIII.

Lasciuos leporum cursus, lususq; leonum.
Quod maior nobis charta, minorq; gerit,
Et bis idem facimus, nimium si Stella videtur
Hoc tibi; bis leporem tu quoq; pone mihi.

** Quis hic Stella, dictum ep. 8.* Elegans iocus Martialis. Stella * si tibi molestum est bis à me celebrari ludum leporum & leonum, tu me vlciscaris, & bis in cena sæpiusue appone leporem; illa mihi pœna magna voluptas. QVOD MAIOR MINORQVE CHARTA] Intelligis lector, librum singularem de spectaculis seu Amphitheatro, mancum esse. Nec enim opinor errabimus, si minorem chartam minorem librum interpretabimur. Minor liber est, qui pauciora continet epigrammata, vt pauca sanè habet ille singularis de Amphitheatro, ex quo nonnulla periisse certum est, cum fragmenta quædam de eodem sint reperta, quæ in editionem Iunianam primum sunt ex M.S. & Appendice Virgiliana translata. De leporum vero & leonum lusu nulla in singulari libro littera, nec in aliis à primo libris. Cumque sigillatim & seorsim ante sequentes hi duo prodierint, non potuit sequentes

cicasse

citasse nondum scriptos; illum igitur singularem de spectaculis vocat minorem chartam, vt hunc primum maiorem appellat, quòd hic plura, ille pauciora epigrammata numeret. Nisi velis (quod non iudico) ad illum librum Martialis referre qui omninò interiit, de quo infra epig. 114.

Quæcunque lusi iuuenis & puer quondam,
Apinasq; nostras, quas nec ipse iam noui, &c.

Musambertius chartam maiorem exponit πηχυαίας, vt maior sit Augustâ & Liuiâ, & huic inscripta epigrammata missa Domitiano: minor Hieratica, 11. Fanniana 10. dig. Amphitheatrica 9. Saitica pauciorum. Emporetica 6. Plin. lib. 13. cap. 12. Augusta seu Liuia erat 12. digitorum. de his eruditè Melchior Guilandinus de papyro. Hæc tamen explanatio vt probabilis est, ita certa non est, vt malim retinere meam. Nam duobus chartarum generibus ead. inscribere carmina & diuersis mittere non est bis idem facere, siue maiores siue minores chartas accipias. Sed forte eid. Stellæ misit eadem carmina in maiori & minori charta. Ramiresius ad longiora & breuiora carmina id refert, & bis idem, ad idem argumentum, de lusu leporum seu leonum, quod minus verosimile videtur, etsi possit per synecdochen excusari. Accipit idem chartam maiorem & minorem pro quacunque charta seu magna seu parua seu mediocri, quod id non magni sit momenti. Sed quod idem scriberet in omni charta, hoc molestum poterat videri, quod ioco excusat, seu potius eludit.

Chartam porro pro libro & volumine poni ne dubita: Catullus iuratus testis epig. 1.

Iam tum cùm ausus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis.

Nemo tam tiro est, quin sciat tria volumina Cornelii Nepotis à poëta laudari. noster eodem intellectu sæpius vsurpat. lib. 4. epig. 83.

Si nimis est legisse duos, tibi charta plicetur
Altera; diuisum sic breue fiet opus.

Nec pluribus opus ad solem ostendendum in meridie.

BIS IDEM FACIMVS] Qui bis, cum hoc vno libro, septenis epigrammatis hosce ludos leporum celebret? 7. 15. 22. 49. 52. 61. 105. Bis refer ad binos libros, maiorem & minorem vt dictum, quamuis in vtroq; sæpius idem argumentum & lemma tractarit.

BIS LEPOREM TV QVOQVE PONE MIHI] In cęna appone mihi ad te vocato. quàm honestè & rectè simul petit cœnam, dignus tribus leporibus ob vnum hunc leporem.

De libro suo.

XXXIX. XLVI.

Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potius, τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

Vt liber fiat, crescatque ad iustam magnitudinem, néue paucæ chartæ intercidant, quod etiam bonis doctisq; vsuuenit, scribamus apta inepta. Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος) Videtur indiligentiam Homeri notare, qui ad nauseam hemistichia quædam inculcat, cuiusmodi sunt.

Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα
Ἀτρεΐδαι τε καὶ ἄλλοι ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοί
Τὸν δ' ἄρ' ὑπόδρα ἰδὼν προσέφη πόδας, &c.
Ὢ πόποι, ἦ μέγα πένθος---Ἄρες ἄρες, &c.

Et id genus innumera, quæ inter est hoc τὸν δ' ἀπαμειβόμενος. In Iliad. & Odyssea iteratum sæpius. ἀπαμείβομαι Hesychio est ἀνταπαμείβομαι vicissim respondeo. Iterat verò Homerus non versum tantùm, sed multos simul eisdem verbis, quæ nuncio mandata exponuntur, vt acceperat.

Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus seueriores.

Græcis nihil est negatum, præter fidem.

De Diaulo medico.

XL. XLVIII.

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus;
Quod vespillo facit, fecerat & medicus.

De hoc ipso Diaulo Clinico paullò ante actum, epig. 31. *Chirurgus fuerat*, &c. Idem ferè hic argumentum. Diaulus, cùm esset Clinicus seu medicus imperitus, multos ægros occidebat, efferebatque. factus Vespillo, idem facit, quod fecerat ante, hoc est, effert mortuos quos occidit, quod est Vespillonis.

De leone & lepore.

XLIX. XLI.

Rictibus his tauros non eripuere magistri,
Per quos præda fugax, itq; reditq; lepus.
*Quodq; magis mirum * velocius exit ab hoste,*
Cùm nil à tanta mobilitate refert.
Tutior in sola non est, cùm currit arena,
Nec cauea tanta conditur ille fide.
Si vitare canum morsus, lepus improbe, quæris,
Ad quæ confugias ora leonis habes.

* *velocior alis. Nec nihil à tanta mobilitate refert, melius emendatiusque. al. Nec nihil à tanta mobilitate refert.*

Ludum hunc leporis & leonis iam sæpè supra cum poëta lusimus. infraque ludemus. Eleganter tamen & hîc luditur à Martiale. Non solùm, inquit, non læditur à leone lepus, sed à canibus agitatus, ad hunc velut vindicem confugit, quod eo mirius videri debet, quo leones canibus sunt ferociores.

RICTIBVS HIS TAVROS NON ERIP. MAG.] Quamquam ita leones docerentur à mansuetariis, vti captam iam prædam dimitterent (vt Statius II. siluarum de leone mansueto, & Martialis lib. hoc sæpius de eod. scribunt) facilè tamen redibant ad ingenium & feritatem, si nimis auidis præda pinguis iam capta taurorum nempe & iuuencorum à magistris eriperetur. Quod & hic Martialis affirmat de cicure leone, qui lepores quidem captos dimittebat, tauros vero hauriebat etiam inuito magistro, quos subinde, si durius tractarentur, exemplo lacerabant, cuius rei testis Martialis libr. A. epigram. 10. Aut ita fuerunt à mansuetariis edocti vt minoribus feris parcerent, & cum eisdem luderent. tauros vero ac iuuencos ingenti feritate inuaderent, lacerarent & deuorarent. PER QVOS] per quorum ora. epig. 15.

Cum prensus blando toties à dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus.

CVM NIL] altera lectio in orà, vera & germana est. *Nec nihil à tanta nobilitate refert.* Quid refert autem? vt à leonis ore quasi robur quoddam accipiat, indeque celerius currat, vt tutius in rictu leonis, quam vel in arena vel cauea esse videatur. Alterius scripturæ hic potest esse intellectus (*Cum nil à tanta mobilitate refert*) cùm nil vulneris aut mali in tanto cursu, recursu, ingressu, egressu, fuga, reditu, dum excipitur ore, dum dimittitur, accipitur, miraculum dici possit. Scriuerius legit: *Nec nihil à tanta mobilitate refert*: Multam inquit, magnamq; mercedem reportat lepus è tanta ista agilitate sua, qua etiam leoni se probat. Quid autem refert? at securissimus sit, nec vix tutior in cauea abditus, aut in arena cum solus currit, non admissis canibus. Leonem non vt hostem timet, sed ad illum tamquam vindicem, si opus est, confugit.

Du loser feiniger Haß / wie machstu dich so vnmüt.

SI VITARE CANVM] Apostrophe ad leporem à contrario. Mutato naturæ ordine, lepus vt sis tutus, confuge ad eum, quem maximè times, aut qui maximè timendus videtur. libro 4. de Damis idem scribit. *Vis Cæsar damis parcere, mitte canes.* IMPROBE] Vt infra vocat improbas tigres, nec vituperatio, sed laus est. Lepus alioqui timidum & imbelle animal, quam modò audacter subis ora leonis. Vnde timendum erat certum exitium, tu vitæ certum reperis præsidium. Exponunt alij *ὦ improbe, δειλὲ καὶ πονηρὲ*, quod vt hic verum, ita falsum de tigribus.

Ad [a] Licinium.

XLII.

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostræq; laus Hispaniæ.
Videbis altam [b] Liciane Bilbilim
[c] Equis & armis nobilem.
[d] Sterilemq; canum niuibus [e] effractis sacrum
[f] Vada Veronem montibus.

L. a *Licinianū non Licinium aperte, de quo Plinius 5. li. 4. ep. 11.* b *Turnebus Liciniane.* c *Aquis legit Hiero. Surita.* d *Sinemq; Casum? Casum montem perpetuis niuibus albus Caluum C P. & Gruteri.* e *& fractis.* f *Vadauero-nem malim.*

Et de-

Et delicati dulce [g] Botrodi nemus,
Pomona quod fœlix amat,
[h] Tepidum natabis lene congedi [i] vadum
Mollesq; Nympharum lacus.
Quibus remissum corpus adstringas breui
Salone, qui ferrum gelat.
Præstabit illic ipsa figendas prope
[k] Voberta [l] prendenti feras.
Æstus serenos aureo franges Tago
Obscurus vmbris arborum.
Auidam [m] rigens [n] Dircena placabit sitim,
*Et * Nemea, quæ vincit niues.*
At cùm December canus & bruma impotens
Aquilone rauco mugiet,
Aprica repetens Tarraconis littora,
Tuamq; [o] Laletaniam.
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, [p] & vernos apros,
Leporemq; forti callidum [q] rumpes equo:
Ceruos relinques villico.
Vicina in ipsum silua descendet focum,
Infante cinctum sordido,
[r] Vocabitur venator, & veniet tibi
Conuiua clamatus propè.
[s] Lunata nusquam pellis, & nusquam toga,
Olidæq; vestes murice.
Procul horridus Liburnus, & querulus cliens:
Imperia viduarum procul.
Non rumpet altum pallidus somnum reus.
Sed mane totum dormies.
[t] Mercetur alius grande, & insanum sophos:
Miscere tu fœlicium;
Veroq; fruere non superbus gaudio,
Dum Sura laudatur tuus.
Non impudenter vita, quod reliquum est, petit:
Cùm fama, quod satis est, habet.

* P C. Narba.

g Bolati sed vetimus Botrodi oppidū Celtiberia Tib. Graccho euersum Polyb. Botordi M S. P.
h Tepidi. Tepida. P C. Tepidi natabis leue Congendi vadā.
i vada. al. i varum. Gryphius sic legit. Tepida natabis lene Congedi vada. vt sensus sit. Nauigabis lene, id est, nauigio, tepida vada Congedi vel Cogedi.
k Voberca. PC. Vobisco.
prandenti.
l Prandenti. Vtraq; lectio probabilis. infra enim Vicina in ipsum silua descendet focum. & infra ep. 48. melius prendenti.
m rectius Derct. Gryphius Dercelta.
n Dercenna. al. & P. CC. alis. Dercella, Durenna.
o Lacetaniam C P.
p vernos.
q rumpens equo, C. P.
r Venabitur vocatus.
s Lunata quispiam legit, vitiosè.
t Mercatur. al. Mercatur C P.

Argumentum est in lemmate de Hispaniæ locis, haud satis apertum, potius enim hortatur Licinianum ad genialem vitam. Carmen hoc accuratius est castigandum à mendis, quibus est penitus corruptum. vt testatur Turnebus lib. 23. Aduers. cap. 25. *Extat*, inquit, *Turnebus, Martialis epigramma luculentum & egregium ad Licianum, vt editiones loquuntur, vt libri sueq; gerunt antiquæ fidei, quibus plurimum,*

mum,

mum, metúq; in tribunalibus ferè eorum testimonio res multæ ficantur, & lites deciduntur, ad Licinianum, in quo multa reperio partim corrupta, partim aliter edita, quàm scripta.

A Celtis Gallis & Ibero amne dicti Celtiberi.

VIR CELTIBERIS NON] Clarissime Liciniane, qui decus & columen es Hispaniæ. Celtiberia alternantibus finibus olim, nunc latior, nunc angustior fuit, propriè tamen ab Occasu ad Ortum à Salonis fluuij fontibus, qui ad Medinam Celinam (quibus in hac Ecclesia fuit) scatent, ad Nertobrigam, quæ nunc Ricla est, protendebatur. Caunum montem ad Septentriones, ad Austrum Tagi fontes habet prope Albaracinum, quæ vrbs antiquis Lob. tum fuisse creditur. Celtiberiam describit Plinius lib.3. cap.3. Strabo accurate lib.3. qui Bilbilim exprimit Geltiberiæ oppidum, immò CCC. oppida seu arces cum oppidis Graccho disiectas ait. Ptolemæus lib.2. plurima Celtiberiæ oppida numerat, adiungitq; Bilbim corruptè pro Bilbili.

Hic montem & infantem est disertus moris Romano. sim. Bilbilis descriptio.

** Humus numeri delineationem seu scripturam lege apud Adolphum Occonem in Tiberio. p. 93. edit. 2.*

VIDEBIS ALTAM LICIANE BILBILIM] Qui legunt Liciane primam syllabam natura breuem, velut in eculeo, vt ait Turnebus, extendunt. De Bilbili oppido Hispaniæ & patria Martialis scribit Plinius lib.39. cap.14. Frequentissima est patriæ mentio, vt in vita declarauimus. Hic quod apud Varios notaui, enotabo. Straboni Bilbilis Græcè Βίλβιλις (nam apud Ptolemæum corruptè legitur Βίλβις) Hispaniæ Tarraconensi oppidum in Celtiberis vulgo Calataiud, vt Villanouanus & alij coniectant. In vico Huermedam Bilbilitanas reliquias hodie etiam extare scribit Hieronymus Surita. Augusta Bilbilis est in æreo * Tiberij nummo. Hanc tamen Bilbilim Varrerius in Itinerario suo Lusitana lingua conscripto, negat esse Calataiud, qui Calataiud in campestri loco ponit, cùm Bilbilis in arduo monte, vt poëta noster scribit sita fuerit. Inde tamen miliario Hispanico dimidio abesse montem Bambala seu Bambola, vt Surita legit, vnd q; ferè Salone fluuio cinctum, in quo monte hodie multa in ruinis monumenta antiquitatis eruuntur, quæ Bilbilim ibi positam testantur. Bilbilis Trogo etiam lib.44. fluuius est ferrum ducans. Hunc Varrerius in Salonem iuxta Bilbilim exonerari tradit, indeq; nomen oppido datum. Plura super his Ortelius. ARMIS NOBILEM] Aquis & armis nobilem; vel armis aquisque nobilem legendum dicunt pleriq; Salonem enim intelligendum Palatini codices nihil monent de aquis vel equis. Gruteri editio habet

Equis & armis——.

Et Hispaniam ab equis præsertim Asturconibus infra lib.13. laudat noster. Scriuerius multis docet scribendum equis & armis qui nos et am in suam sententiam traxit. STERILEMQVE CANVM NIVIBVS] Turnebus in pergamenis legit. *Senemq; Canum niuibus.* Vt Canus nomen montis sit canicie niuium albicantis, & senis, audacia & lasciuia poëtis vsitata & frequenti, magis tamen probat Turnebus, vt legatur senemque canum niuibus, vt Vadauero mons intelligatur. Quid si legendum sit senemque Caunum? Caunum enim montem, vt Mariana scribit, Celtiberia ad Septentrionem habet, quæ plaga cœli est frigidior. Nec Caunum procul Bilbili affirmat Mariana lib.1. cap.3. Caluum appositè ad mentem poëtę, etsi canum niuibus, non minus bellè.

ET FRACTIS VADAVERONEM MONTIBVS] An promontorium sacrum est, de quo Plinius libro 4. cap.24. *Promontorium sacrum è media prope Hispania prosilit.* *Allusum*, ait Perottus, *ad historiam: Sacrum enim montem nefas esse ferro tangere, sed niuibus aut fulgure, aut imbribus rumpi, suaque sponte scindi, aurumq; patere colligendum.* Cæterum Vadaueron: me emendo, vnaque voce coniunctim lego cum doctis viris Vadaueronem. Sensus est; videbis Liciniane senem Caunum & fractis (ita lego) montibus sacrum Vadaueronem: montem enim Vadaueronem fractum, & in insulam positum docet Hieron. Paul. lib. o m. s. de fluminibus & montibus Hispaniæ: *quidam*, inquit, *non temerè montem Celtiberia esse existimant, ab aliis fractum & in insulam positum, quem nunc Vadauicorem corruptè vocant.* Ortelium vide. Quod Perottus voc m diuidit cum Domitio & Vada Veronem legit interpretaturque quasi facilia sint vada ad montes, & *Vada Vero* sit appositio, vt si dicas transitus Istrum. (Vero enim Ptolemæo fluuius est) versum & sententiam corrumpit. Vadum enim vtramque rapit. Lego igitur Vadaueronem quondam montem, postea in peninsulam redactum. ET DELICATI DVLCE BOTRODI NEMVS] boleti Turnebus ex veteribus libris scribit: *vbi hodie*, inquit, *semper Botrodi cuditur. Mihi quidem nemus significare quoddam videtur, vbi delicati expetitiq; Romanis hominibus Boleti nascebantur ad instruendas mensarum fercula.* Verius tamen sit siue Boleti, siue Botrodi legas, proprium nomen loci communem appellationem cibi esse. Vicum non procul Segobriga Perottus facit, Domitius oppidum pascuis & siluis amœnum, sed absque teste diuinat, rectè tamen, vt opinor, est huius infra mentio lib.12. vbi etiam Botrodum appellat. P.C. Botrodi suggerit: plura non suggero.

POMONA QVOD FŒLIX] Pomona hortorum Dea, à pomo dicta, cuius historiam leges apud Ouid. 14. Met. Gyraldum. Syntagmate 1. historiæ Deorum.

TEPIDVM NATABIS LENE CONGEDI VADVM] triplicem reperio lectionem. legunt nonnulli, vt Turnebus, *Tepide natabis leue, vel lene, vel line*; alij *Tepidi natabis lene Congedi vadum.* cuius quidem sensus est: tu Liciniane natationibus operam dabis in fluuio Congedo leniter fluente & solibus æstiuis calente. Luc: tepido, id est, æstate; sed hanc lectionem repudiamus, legimusque *Tepida natabis leue Congedi vada*, seu, *Tepidi natabis leue Congedi vadum.* Cuiacius lenem paruulam ait nauem. Ergo egelida vada Congedi lene natabis, seu natabis in lenibus vadis, hoc est, leniter stagnantibus tepidi Congedi calentis solo fluminis. natabis lene, si pro naui accipias, ἀκυρολογία est, natare naui.

Heral-

Heraldus θηθίτως vel θηρίματικῶς positum putat τὸ lene, quamuis non neget lenem & lenunculum πίτυλον ἢ σκαφίδιον valere, quod & Gloss. & Marcellinus lib.14.docent. P.C. Tepidi natabis lene Congedi, seu Congendi.vada.

MOLLESQVE NYMPHARVM LACVS] Lacus enim Nymphis sacri, & Nympha quasi lympha. MOLLES] aqua enim mollis, molles, non rapidi, sed leuiter stagnantes. QVIBVS REMISSVM CORPVS] Quibus lacubus solutum æstu longo calore corpus refrigeres. ASTRINGAS] aqua enim frigida claudit meatus corporis, corpusque contrahit. BREVI SALONE] Salo nobilis Hispaniæ fluuius, sed tenuis non altus, sic enim interpretor breuis, nisi sit breuis eius cursus, ad cuius fontes incipit Celtiberia. QVI FERRVM GELAT] ferri secturæ circa Salonem. hinc Poëta, ferrum gelat. multa huius vbique mentio apud Martialem. Hodie Xalon dici affirmat Arias Montanus, Iustin.44. lib. Bilbilim vocat. Nullum apud eos telum probatur, quod non aut Bilbili flumine, aut chalibe irrigatur. Antoninus quoque hoc tractu aquas Bilbilitinas ponit. PRÆSTABIT ILLIC IPSA VOBERTA] Vobercum alii. * Hier. Paullus lib. de montibus & fluminibus Hispaniæ vrbem in agro Bilbilitano esse scribit, Bolerca est Varrerio & Montano. Illa ipsa Voberta circumsepta siluis, præstabit copiam ferarum figendarum. PRENDENTI] malo prandenti. Accubans in prandio venari poteris, & ex mensa feras iaculis configere. sic enim infra in hoc carmine. *Vicina in ipsum silua descendet focum.* non nescio venatorium vocem esse prendenti. sed huc magis prandenti videtur facere, nec pugnauerim. rectè etiam alterum intelligi posse, quod Colerus notat. ÆSTVS SERENOS] Calores æstiuos, qui in Hispania maximi, temperabis, si in vmbroso & opaco arboribus corpus Tago merseris, aut sub arboribus ad Tagum consitis velut in vmbra latebis. Tagus & auro, & plurimorum scriptorum encomiis est laudatus. Plinius multa super hoc de auro inueniendo. AVIDAM RIGENS] Dercennam, Dercelram, Deretam, aliis dictum hunc fontem reperio. RIGENS] recens, vt alii. Turnebus *reperio*, inquit, *Auidam recens Dercelta. Recens autem eleganter erit, rigens frigens, quo significatu dicit Trallianus recentatum vinum à Latinis dici, vt & frigerans Aganippe dixit Catullus.* ET NEMEA QVÆ VINCIT] Et nomen hoc fontis est gelidissimi. Nemeta habent alii. & dubitant de fonte & flumine. * AT CVM DECEMBER CANVS] December apud Poëtas plerunque pro ipsa hieme accipitur. IMPOTENS] sæua, dura incocto & crudo frigore horrida. AQVILONE RAVCO MVGIET] Aquilo frigidus semper ventus à septentrione spirans, cui contrarius est Auster. RAVCO] aspero nec clarè sonante, sed fremente & sæuiente tempestate mixto. APRICA REPETENS] sub hiemem, secedes Tarraconem cœlo temperato & clementi subiectam. Tarraco Scipionum colonia nobilissima, imperii quondam Romani sedes, vnde iura dare populis, belli pacisque consilia prodire moris erat. Diuisa autem olim Hispania in tres partes fuit, Lusitaniam, Bæticam & Tarraconensem, quæ à Tarracone nomen accepit. Mariana lib.1. Plin. lib.3. cap.3. & 4.

*P.C. Vobisco.

*P.C. & Nutha.

APRICA] insolata, calida, soli exposita. TAMQVE LALETANIAM] De Laletanis Plin.3. cap.3. *Regio Ilergetum, oppidum Subur, flumen Rubricatum, à quo Laletani & Indigetes.* Laletanum vinum laudat Plinius lib.14.cap.6. Noster lib.1. ad Sextil. non valde probat. IBI ILLIGATAS] Vide Turnebum lib. vltimo, cap. vlt. Ibi in Laletania venaberis damas & apros. VERNOS APROS] mallem vernas apros, vt habet alia lectio, & probat Turnebus. Vernæ autem apri sunt indigenæ natique in viuariis. PLAGIS] retibus, cassibusque textilibus. LEPOREMQVE FORTI CALLIDVM] de venatione leporis Oppianus lib.4. Cynege. CALLIDVM] nam simul atque canes ac venatores viderunt, ad montium vertices tendunt, quando optimè norunt, quòd anterius sint breuiores sibi pedes, equis verò & canibus ascensus sint difficiliores. Xenoph. in Cyneg.

* RVMPES] rumpes pro interimes, occides posuit, vt Ouidius.

Idmonaq; audacem te quoq; rumpat aper.

*Rumpens C.P

Et Martialis lib.12. epig.14. *Sapius est equitem rumpere quàm leporem.* Ita eleganter apud Solinum cap.20. frangere pro interimere positum est. *Apud hos, inquit, populos nati canes omnibus feris anteponuntur; frangunt tauros, lepores perimunt.* aliàs rumpes cursu lepores. Tur. lib.24. CERVVM RELINQVES VILLICO] quia leporina optima inter quadrupedes, vt lib.13. diximus ad illud distich. *Inter aues turdus*, &c. hinc lautorum mensis potiùs quàm rusticorum seruit. An quod ægrius capiantur lepores, quàm cerui? & ceruos villicus capere lepores non possit? Tuam fidem Ramiresi, cur hanc meam interpretationem præteriisti & tibi adscripsissti, & alteram carpsisti, cum vtraque mea sit, etsi altera visa prius melior? VICINA IN IPSVM] Viuaria credo & leporaria intelligit villæ instrumenta, aut certè villam in siluis mediis sitam. Ita Plinius secundus in epistolis, & noster supra. Et Sidonius epist.2.l.2. INFANTE CINCTVM SORDIDO] Infante villici, qui parum delicatè & politè mundeúe rusticam prolem educat. Horat. lib.2. car. od.18.

In sinu ferens Deos

Et vxor & vir, sordidosq; gnatos.

VOCABITVR VENATOR] Alia scriptura habet Venabitur vocatus, & sensus erit, vicinus quiuis vocatus perinde, ac venator venabitur, aut, Venator Liciniane, cùm voles, venabitur; vt possis instaurare conuiuium. Conuiuam autem quemuis ex vicinis, & quoties voles, ex ipsis tuis

ædibus ipse vocare poteris, nec erit opus, vt procul mittas seruum ad conuiuam quærendum. Mussambertius seruat, vocabitur venator, socius venationis ad conuiuium vt vicinus, nec erit opus vocatore seruo. LVNATA NVSQVAM PELLIS] Lunati nusquam calcei, qui nobilitatis insigne. Plutarchus problem. 76. *Quid est, quòd qui nobilitate præstare videntur, lunulas in calceis ferunt? an vt dicit Castor, est signum eius, quæ in luna est habitationis, & quod post mortem anima rursum lunam sub pedibus habeant? An quod Arcades, qui cum Euandro in Italiam venerunt. Proselenes lunares appellati eo genere calcei vterentur, nobilesque Romani ab Euandro se ducere originem illo signo ostenderent.* Iuuenal. Sat. 7.

——& nobilis & generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ

Papinius silua 5. Protrept. ad Crisp.

——genitum si curia sensit,
Primaq; patritia clausit vestigia luna.

Philostratus lib. 2. sophistarum. μηνοειδὲς ἐπισφύριον σύμβολον εὐγενείας, lunati calcei nobilitatis symbola. Hinc apud eundem Philostratum extat prouerbium, σὺ τὴν εὐγένειαν ἐν τοῖς ἀστραγάλοις ἔχεις. tua nobilitas in astragalis sita est. Huc pertinet & illud Mart. lib. 2. *Non hesterna sedet* * *lingula planta.* lege Iunij adagia. *In astragalis nobilitas,* Cent. 3. ad 23.

* quid si, lunula.

ET NVSQVAM TOGA] Diuites apud Romanos comitabantur clientuli togati sportulæ caussa, maneque salutatum togati ventitabant, atque adeo nusquam abierunt à latere diuitis, quod honoris & officij caussa factitabant, vt hodie aulici adsunt principi. Martialis illam turbam togamque molestam non occurrere dicit in Hispania vt Romæ, ibi se opimo otio & quiete frui posse. In eodem sensu vsurpat togam lib. 10. epig. 47. *Toga rara, mens quieta.* OLIDÆ QVE VESTES MVRICE] Purpuræ de murice, lib. 13. *Vestes imbuta murice*, murex genus piscis est coloris florem in ore gerens, &c. Plin. OLIDÆ] quæ olent muricem, infectionem coloris purpurei, absunt, inquit Martial. homines togati nobiles, & purpurati, similisque turba grauis & molesta. PROCVL HORRIDVS LIBVRNVS] Liburnus præco publicus, qui citabat reos, actionem proclamabat, aliaque id genus, quæ horrorem hominibus incutiebant, actitabat. de hoc Iuuenal.

——primus clamante Liburno,
Currite, iam sedit, rapta properabat ab olla.

ET QVERVLVS CLIENS] Nunc hoc deesse, nunc id damni fecisse, nunc extrema pati quiritantur apud dominos, ita molesti. quæ molestia non est in secessu Laletano. Rectius fortè de patronis caussidicis accipias hunc locum, quibus molesti rei, vt lib. 12. ad Clientes, epig. 69. IMPERIA VIDVARVM PROCVL] Viduarum, quæ succedunt viris mortuis in familia administranda, omniaque ipsæ regunt. Cùm pro dominis & patronis parere cogeris vxori quondam, deinde mortuo viro imperanti viduæ omniaque administranti. dixit imperia. Imperiosius & arrogantius imperant fœminæ, quàm viri, propter innatam superbiam. Verè Iuuen. Sat. 6. *Intolerabilius nihil est, quàm fœmina diues.* dura quoque & sæua iussa dicuntur imperia. Hinc Manlius imperiosus, & imperia Manliana.

NON RVMPET ALTVM PALLI. SOM. RE] Qui ante lucem ianuam pulset tuam, & vel deprecetur aliquid, vel roget mitem sententiam, vel petat, vt caussam suam agas. PALLIDVS] curis anxius, & metu trepidus. Horat. lib. 2. epist. 1.

——& solemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura.

SED MANE TOT. DOR.] securus in vtramque aurem sine interpellatore in multam lucem dormies. MERCETVR ALIVS GRAN. ET IN. SOP.] ὦ τῷ σοφὸς Græci de excellentibus viris aut libris erud tis dicebant: ad quod Martial. alludit. scio me σοφῶς aduerbio expressisse, vt referrem ad acclamationem populi. sicut illæ euge, belle, &c. laudis & sapientiæ nomen, qua de re plura supra epigram. 4. * MERCETVR] solebant nonnulli Romani poetæ mercede conducere auditores & laudatores carminum, atque ita mercari acclamationes. Horatius epistola libri 1. vltima.

Infantum. σοφῶς, antithesis. * Mercatur, Mercatur aim.

Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet, ametq; domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosæ plebis suffragia venor,
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.

Atque idem in Art. poët. *Vt præco, ad merces turbam qui cogit emendam,*
Assentatores iubet ad lucrum ire poëtas,
Diues agris, diues positis in fœnore nummis.

Et Persius Sat. 1. *——calidum scis ponere sumen,*
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et verum, inquis, amo: verum mihi dicite de me.
Qui pote? vis dicam? nugaris.

Et Mart. ipse Lib. 6. *Quòd tam grande sophos clamat tibi turba togata,*
Non tu Pomponi; cœna diserta tua est.

MISE-

MISERERE TV FOELICIVM] Sed hæc fœlicitas misera est. ironica Antiphrasis. nemo enim miseretur fœlicium, sed miserorum. ride tu talem fœlicitatem Liciniane, quæ præter splendidam miseriam habet nihil. MISERERE] digni enim sunt commiseratione, qui se tantum putant felices, cùm curis & laboribus, ac molestiis innumeris, vel opes, vel laudem affectant.

VEROQVE FRVERE NON SVP. GAVD.] Verum gaudium appellat Martialis vitam genialem, cura omni & labore molestiaque vacantem. NON SVPERBVS] labores & honores, & magistratus non ambiens, aut famam & acclamationes, & grande sophōs contemnens. allatrationes Iberici catelli non magis moror, quam canis betas. DVM SVRA] Caussidicus nobilis. Palphurius Sura. Sura tuus laudetur, tu epulare, fruere que commodis tuis. SVRA] amicus Liciniani & Martialis. de quo sæpius alibi, & Suetonius in Domitiano, & Plinius in Epistolis.

NON IMPVDENTER VITA] Tu Liciniane iam pridem omni laude domi forisque cumulatus, famam augere, quam es immortalem consecutus, non potes. Ergo viue de reliquo, genioque serui.

Iocus ex Homero in Cocum.

XLIII. LI.

Si tibi Mistyllus cocus, Æmiliane vocatur,
Dicetur quare non Taratalla mihi?

Lepidus iocus ex Iliade Hom. quanquam hunc eundem versum alibi, vt alius ex morte iterat. Æmilianus cocum suum vocauerat Mistyllon, quod verbum est apud Græcos, & significat *diuidebant*, secabant in minutas partes, ἀμίστυλλον, sequunturque apud Homerum hæ quatuor voces. τ' ἄρα τἆλλα, quæ pertinent ad verbum, *ac minutatim secabant & alia.* Martialis coniungit omnes quatuor voces, & vnam creat *Taratalla*, quæ vox coniuncta lepida est, & homini tardo, insulsoque belle conuenit. Totus Homeri versus est.

Μίστυλλόν τ' ἄρα τἆλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.

Virgil. *Pars in frusta secant, verubusq; trementia figunt.*

Multas hic alij τὰς λύγας λέγων.

Ad Leporem.

XLIV. LII.

Non facit ad sæuos ceruix, nisi prima, leones.
Quid fugis hos dentes ambitiose lepus?
Scilicet à magnis ad te descendere tauris,
Et, quæ non cernunt, frangere colla velint. *
Desperanda tibi est ingentis gloria fati:
*Non potes hoc tenuis præda * sub hoste mori.*

* *quæ teterit alii, velint?*

* *bellanissimus. Homer. Iliad. a.*

Idem superioribus dicit aliis verbis. CERVIX PRIMA] grandis pinguis, & vasta, cuiusmodi est taurorum, aprorum, &c. Ita supra seruantur magnis isti ceruicibus vngues.

AMBITIOSE] frustra quæris gloriam fati à leone, non persequetur te leo, nec irritabis fugiendo, vt sequatur. SCILICET A MAGNIS] tauri sunt præda leonum, non lepores, turpe est ei pugnare cum pumilione, qui vicerit gigantes. videtur commodus sensus sine nota interrogationis. ET QVÆ NON CERNVNT] Ita infrà: *Intres ampla licet, Esse tamen vacuo se leo dente putat.* FRANGERE] *Frangere tam paruas non didicere feras.* DESPERENDA TIBI] Nam vinci à fortibus aliqua laus est. Ita solatur Lausum Æneas apud Virgil. 10.

Hoc tamen infœlix miseram solabere mortem
Æneæ magni dextra cadis———

Ita Pallas 10. seipsum apud eundem.

Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni: sorti pater æquus vtriq; est.

Et apud Ouid. lib. 5. Met. Nileus ad interfectum Perseum.

Aspice, ait, Perseu nostræ primordia gentis
Magna feres tacitus solatia mortis ad vmbras,
A tanto cecidisse viro———

Et lib.12. *Quisquis es ô iuuenis, dixit solamen habeto*
Mortis, ab Æmonio quod sis iugulatus Achille.

Et lib.9. ——*nec tam*
Turpe fuit vinci, quàm contendisse decorum est,
Magnaq́ dat nobis tantus solatia victor.

Ita Curtius lib.7. de triginta captiuis Sogdianis ad supplicium ductis, qui ad Alexandrum Magnum: *Si ab alio occiderentur, tristes morituros fuisse respondent. Nunc à tanto rege victore omnium gentium maioribus suis redditos, honestam mortem, quam viri fortes voto quoq́ expeterent, carminibus sui moris lætitiaq́ celebrare.* Ita Diocletianus ad Aprum ad Vopiscum in Numeriano. *Gloriare Aper Magni Æneæ dextra cadis.* Martialis infrà: *Quantaq́ de magna gaudia morte tulit.* NON POTES HOC TENVIS] non dignatur te vel aggredi, vel occidere: *Scit enim sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur,* Seneca.

Quinctianum facit assertorem.

LIII. XLV.

Commendo tibi Quinctiane nostros,
Nostros dicere. si tamen libellos
Possum, quos recitat tuus poëta;
Si de seruitio graui queruntur,
Assertor venias, satisque præstes,
Et cùm se dominum vocabit ille,
Dicas esse meos, manuque missos.
Hoc si terque quaterque clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

Fidentinum, de quo supra & infra, furem carminum perstringit, rogatque Quinctianum, vt testis contra, & assertor veniat. An hic Pompeius Quintianus est quem laudat epist.9. li.9. Plinius?

COMMENDO TIBI QVIN. NOS.] Sic Catullus ad Aurelium. *Commendo tibi me ac meos*——
NOSTROS DICERE SI TAM. LIBEL.] correctio. Illud enim, quod nobis surreptum est, in aliena est potestate. Atque iure quidem nostra sunt, re autem & vsu furis. Ita eadem nostra, & non nostra sunt. QVOS RECITAT TV. POET.] Velut suos, non meos. Tuus poëta Fidentinus, in quem sequens est epigramma. SI DE SERV. GRA. QVER.] Incipit illudere ad legem vindiciarum, de liberali caussa. Est autem eiusmodi: cùm liber homo per iniuriam ab altero in seruitutem redigitur, vt apud Liuium lib.3. M. Claudius Appij Clodij X. viri impulsu Virginiam Virginij filiam per fraudem in seruitutem asserere conabatur. Lex tamen vindiciarum latius patet, & est, cùm litigatur de ea re apud Prætorem, cuius incertum est, quis debeat esse professor. Et ideo qui eam tenet, satis dat pro præde vindiciarum. Si, inquit Martialis, mei libelli à Fidentino seruitute oppressi querentur de iugo seruitutis & iniuria, tu quæso Quinctiane vindica.

ASSERTOR VENIAS] in libertatem assere. Assertor græcè *καρπιστής*, vt assertio *καρπισία*. Charisius *καρπισίας* vindicias exponit ab iniectione, prehensioneque manus: sic explicari puto, quòd qui asserebat, vindicabatque, asserendum, manu comprehendebat. Turnebus lib.27. c.15. Cuiacius autem ad lib.5. Iulij Paulli recept. sent. tit.1. *Assertor est*, inquit, *vindex alienæ libertatis. Publicè autem licet cuiuis eum, qui status controuersiam patitur, manu asserere: libertas enim publicam tutelam meretur.* Vide de Assertore Brissonium lib.5. pag.383. & 384. Nec verò potest quisquam, nisi dato assertore de libertate litigare. Briss. de liberali iudicio. suprà epig.15. huius libri. SATISQVE PRÆSTES] satis des. præstes à *præs* deducitur. Verbum iuris est, defendas, prædes des, quibus caue de carminibus meis. Multa super his assertionibus Musambertius contra Ramiresium. ET CVM SE DOM. VOC. ILLE] Fidentinus, cùm se auctorem carminum iactabit. Manet in allusione Martialis, & Dominus significat possessorem. DICAS ESSE MEOS MANVQVE MISSOS] Formulam iudicij vindiciarum insinuat, quam & alij poëtæ tangunt. Plautus Rudent. *Nescio: neque ego istas vestras leges vrbanas scio. Nisi quia* HVNC MEVM ESSE DICO ET EGO ITEM ESSE AIO MEVM. Plura de hac re vide ad Paullum in l. si rem. ff. de rei vind. Vlpianum & alios.

Virgilius Ecloga 9. ——*aduena nostri,*
(Quod nunquam veriti sumus,) vt possessor agelli
Diceret. HÆC MEA SVNT, VETERES
MIGRATE COLONI.

Et lib.2.

Et lib. 1. Æneid. Ouid. lib. 2. Amorum.

Et dicam MEA SVNT: *iniiciamq́ manum.*

Apud eundem. *Venus Aprilem vindicat.*

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
Quem Venus iniecta vindicat alma manu.

Ex manuum enim iniectione suum esse designabant mancipium aut seruum. Hinc Martialis dicit libellos à se editos suos fuisse, manuque missos, & libertate donatos, seu in lucem, quasi libertate editos, quos tamen seruitio premat Fidentinus.

HOC SI TERQVE QVATERQVE CLAMITARIS] esse meos libellos. *Ter quaterq́*, solennis est priscorum obtestatio, exclamatio, gratulatio; caussa est septenarij numeri perfectio, de quo multa Macrobius cap. 6. de Somnio Scipionis, & cap. 5. Virgilij interpres ad 1. Æneid. Hoc loco obtestantis est.

IMPONES PLAGIARIO PVDOREM] Affectum pudore, coërcebis furem, & Lauernionem. Plagiarius, verbum Iuris, dicitur is, qui plagij crimen commisit, id est, qui liberos emit aut vendit, seu liberos, seu mancipia supprimit, furatur, & vendit pro suis, in C. ad l. Fab. de plagiariis & aliis locis. Plagiatorem Tertullianus appellat lib. 2. aduersus Marcionem. Auctor Etymologici. ἀνδραποδιστὴς δὲ, οὐ μόνον ὁ τοὺς ἐλευθέρους ἀπάγων εἰς δουλείαν, ἀλλὰ καὶ ὁ τοὺς δούλους ἀπὸ τῶν δεσποτῶν ἀποσπῶν. Dictus est Plagiarius, quod lege Fabia, plagis damnatus esset, repugnat tempus & dimensio huic originationi. Beroaldus ergo verè, cum quo potius existimem à verbo Græco πλάγιος natum, quod obliquum & transuersum sonat, & πλαγιάζω obliquo, & πλαγίως δῆῤῥιμα apud Hesych. quod dolosè fraudulenter, quasi plagiarius per dolum, & fraudem hominem circumueniat, & in seruitutem rapiat, vendat, supprimat, &c. vt Tindarus apud Plautum Hegionis filius à seruo plagiario surreptus fingitur. Accedit primam syllabam in hoc græco breuem, longam, si à plaga, (quæ Græcè πληγὴ) deducas. Cuiacium lege lib. 9. Cod. Iust. tit. 20. ad legem Fabiam de plagiariis. Vlpianum, præterea & Bisciolam l. 8. c. 13.

Martialis hic in legum allusione perseuerans accipit plagiarium pro eo qui libellos seruitute oppresserat, & carmina Martialis pro suis recitârat, furem inquam carminum, quem Ausonius vocat Lauernam.

Nec iam post metues vbiq́ dictum:
Hic est ille Theopoëta falsus
Bonorum mala carminum Lauerna.

Glossa Isidori Lauernam latronem dicit, vt qui alienos filios seducit. Lauernam Romani fures precabantur, vt instituta sua, & consilia furandi, & mentiendi fortunaret. Horat. — *Pulchra Lauerna*
Da mihi fallere.

Arnobius lib. 4. aduersus gentes, Mercurium cum Lauerna fraudibus furtiuis præsedisse docet. Idem lib. 7. Deam Lauernam furum.

Ad Fidentinum.

XLVI. *LIV.*

Vna est in nostris tua, Fidentine, libellis
Pagina, sed certa domini signata figura,
*Quæ tua traducit manifesto * carmina furto:*
*Sic interpositus * vitio contaminat * vncto*
Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus:
Sic Aretina violant Crystallina testa:
Sic niger in ripis errat cum fortè Caystri,
Inter Ledæos ridetur coruus olores.
Sic mihi multisona feruet sacer Atthide lucus:
*Improba Cecropias * effundit pica querelas,*
*Indice non opus est nostris, nec * vindice libris,*
Stat contra, dicitq́ tibi tua pagina; fur es.

* *crimina.* * *villo contaminat vncto. an villo vncto potius?* *& criuarius emendat.* Sic interposito vilis contaminat vnco. *PC. interposito vilo contaminat vnco.* * *offendit. veteres. offendit.* * *indice.*

Ad hunc plura sunt epigrammata.

Idem

Idem argumentum cum superiore de Fidentino fure, quem ait tam malum poëtam, vt secerni eius carmina à suis, à quouis possint, non secus ac corui à cygnis.

Vna pagina tua est in nostris epigrammatis, quæ tu tibi transcribis. Vt posset Fidentinus sua dicere, admiscuit alienis aliqua epigrammata de suis. SED CERTA DOMINI SIGNATA FIGVRA] Adiuncta mali poëtæ nota, nam illa ipsa & sola pagina inepta, illepidaque, & inficeta declarat, quis eius dominus & auctor sit. QVÆ TVA TRADVCIT] Nil muto in lectione; sententia est, quæ pagina apertè docet, te furem esse, & tua carmina, seu quæ tibi ascribis; aliunde surrepta esse. TRADVCIT] prodit, arguit manifesti furti. Ita Tibullus El. 4. *Me mea paupertas vita traducit inerti.* & noster lib. 3. epig. 74. *Desine si pudor est, miseram traducere caluam.* & lib. 6. epig 77. SIC INTERPOSITVS VIT. CON. VNC.] Sic legendum docet Turnebus pag. 339. Mendosus mea sententia versus. Quid si scribas filo, *sic interpositus filo contaminat vncto,* id est, filo crasso, aut villo. Sensus constat, vt Bardocucullus inter Thyrianthinas sordet, ita tuum carmen in meo libello. Vt inter purpuram crassus & vnctus bardocucullus apparet; ita mea carmina quamuis confusa tuis facilè noscuntur propter dictionis & ingenij florem. Quæ hic pro Cicerone dicit Musambertius, rectè habent, sed nescio an pari modo pro Demosthene, cum notat Gellium capite 29. lib. 15. scribentem, orationem à Demosthene annum XXVII. agente contra Androtionem & Timocratem habitam. Affirmat Musambertius ex Dionysij Halicarnassei epistola ad Ammæum à Demosthene anno XXV. dictam. Sed noster Andreas Schottus in vita Demosthenis docet Dionysij calculum esse castigandum. Enimuero hæc quæstio extra lineam est, redeamus in viam. Scriuerius ex MSS. & emendatioribus libris ita format hunc versum,

Sic interposito vilis contaminat vnco.

Bardocucullus inquit &c: acutus & fastigiatus erat in metam quales erant cuculli vetustissimorum monachorum; hodieq; sunt Carthusianorum & Capucinorum. Sed quia erant longiores, non recti stabant, sed inflectebantur, vti quoq; vulgo videre est in pileolis nautarum aliorumq; hominum vilium, quem vncum etiam superbiores elegantiæ causa affectat.; muccinio, aliaque quæ in metæ vertice recondita. Adde quod & sponte sua eiusmodi pileoli inflectantur, quum pluuio cælo iis tecti in publicum procedunt. Ab eo quod incuruarentur, bardocuculli, flexum illum *vncum* videtur appellare Martialis. Recta enim uncantur, quum ita inflectuntur. Sic igitur, inquit, homo tectus bardocucullo purpuratis immixtus deridetur, quando scilicet vncus ille aut flexus risum spectantibus mouet. plura ibid. Scriuerius. BARDOCVCVLLVS] Gallica vestis penulæ, vel pallio similis adiuncto cucullo. Martial. lib. 14. *Gallia Santonico vestit te bardocucullo.* Breue genus vestis constat ex Mart. lib. 1. epig. 93.

Cerea si pendet lumbis, & trita lacerna
Dimidiasq; nates Gallica palla tegit, id est,

Bardocucullus. Fit à bardus, quod vel cantorem, vel tardum & stolidum notat, Cantores autem Gallici bardi. Turnebum testor Gallum lib. 25. cap. 24. Sed alij Lucanus, & Marcellinus bardum cantorem minimè stolidum, sed sapientem faciunt, sic enim Lucanus:

Plurima securi fudistis carmina bardi.

Et Marcellinus: *Per hæc loca hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum inchoata per bardos & eubages, & Druidas, & Bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Iuuenalis *bardaicum* (sic enim legendum docent) iuuenem vocat militem Gallum, barbarum nempe, non Romanum. Plurima super hoc Marcellus Donatus in Capitolinum p. 208. 209. 898. Hisce verbis: Quales verò essent cuculli Bardiaci, & cur sic dicti, indagandum. A Bardo bardiacum deriuatum fatentur omnes; Bardus autem Nonio appellatur hebes ingenio, & stultus, βαρδὺς enim Græcis tardus dicitur. Vnde Homerus Iliad. 4. ἵπποι βάρδιστοι. Festo quoque stultus & tarditate ingenij dicitur. Et Cic. pro Cæc. Nimis audacem nimisq; bardum scripsit. Et lib. de Fato. Zopyrus Physiognomon stupidum esse Socratem & bardum dixit. Ex qua huius vocis, Bardi significatione, forte aliquis bardiacos cucullos deriuatos existimare posset, quum & nostris temporibus moriones, stulti & fatui, qui Principum deliciæ sunt, cucullati incedant. Verum aliunde petendam deriuationem huiusmodi existimamus. Ammianus Marcell. 15. Gallos enumerat Bardos, quos fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitare tradit. Eosdem à studio Philosophiæ, vaticinationibus, & carminibus laudatos inprimis, Strabo lib. 4. Diodorus Siculus lib. 6. cap. 9. scriptum reliquere. Et de his intelligendum puto in Iuuenale Sat. 16. illud:

Bardiacus iudex datur hæc punire volenti.

Nempe Gallicus Bardus, non militaris, vti Turnebus interpretatur, lib. Aduers. 23. cap. 25. & lib. 26. cap. 24. nullam addens suæ interpretationis rationem. De his. Luc. lib. 1. scripsit.

Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Et Mart. lib. 4. ep. 4. *Lassi Bardiaci os quod euocati.*

Hos

Hos autem Bardos cucullo vsos existimandum, vnde cuculli Bardiaci; ex quo forte euenit, vt posterioribus temporibus poëtæ cucullati fingantur: Sic Petrarchæ & Dantis imagines pictæ & sculptæ cucullatæ visuntur. Gallos itaque cucullis vsos ex dictis constat, nec non etiam ex Iuuenale scribente Satyr.8.

——si nocturnus adulter,

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Et Martiale lib.14.epig.128.

Gallia Santonico vestit te Bardo cucullo.

Santones autem populos Galliæ esse nemo inficiatur. Lamprid. in Heliog. Tectus cucullione mulionico, ne agnosceretur. T. Pollio in D. Claudio: Bardo cucullum vnum. in epist. Galeni, vbi de muneribus Claudio missis verba facit. Erunt itaque Cuculli Bardiaci Capitolino, Cuculli Gallici, id est, quibus Galliæ populi vtebantur. Sicuti, aliud vestis genus à Dalmaticis supra in Commodo, & hoc in loco Dalmaticas vocauit, & Chlamydes Græcanicas, à Græcis. Martialis ergo Fidentinum simillimum bardis cantoribus, id est, barbaris dignumque bardocucullo, se Tyrianthina dicit: Thyrianthina autem est vestis violacea. colore purpura & viola fuctus. lege Bayfium de coloribus. Græcè melius exprimitur τυριάνθινος, ἴον viola. Tyrius ponitur pro purpureus. Inde Tyrianthinum, quod è purpura & viola constat. splendidissimæ vestes erant, hinc velut vilissimam, & nobilissimam componit, quo enim vilior bardocucullus, hoc magnificentior Tyrianthina. Plinius Tyrianthinam purpura violacea cingi scribit. Lipsi. Electo.lib.1.cap.13.

VRBICA] Vrbana, Romana. LINGONICVS] Gallicus. Nam Lingones Galli, qui vtuntur bardocucullo. SIC ARETINÆ VIOLANT CRYSTALLINA TESTÆ.] Sic fictiles & terrestres testæ collatæ cum crystallinis contaminantur & crystallina infamant. ARETINÆ] (nam vt Plinius ait) Aretium vrbs Italiæ testis Surrentum calicibus terram aptam habebat, lib.14. Martialis, *Aretina nimis ne sperne vasa, monemus, Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.*

VIOLANT] Comparata cum crystallinis, sordent, cum nulla sit comparatio inter crystallum, & argillam; metaphora. violare, vitiare, fœdare, contaminare μιαίνειν, μολύνειν, βδελύσσειν, hoc loco contaminare μιαίνειν. nos schenden. CRYSTALLINA] vasa nempe. SIC NIGER IN RIPIS] Cayster Asiæ fluuius cygnis albus ac frequens. LEDÆOS] Ledæ matri Castoris & Pollucis sacri. Quod sub imagine cygni Iuppiter ad Ledam venerit, Euripides in Helena.

——ὡς Ζεύς ποτε μητέρ᾽ ἔπτατ᾽ εἰς ἐμὴν

Λήδαν κύκνου μορφώματ᾽ ὄρνιθος λαβών.

Quod Iupiter volauit ad matrem meam Ledan, oloris alitis forma obsitus.

Et in Epigr. Ζεὺς κύκνος, Ταῦρος,

SIC VBI MVLTISONA] Sic offendit dulces cantus Philomelæ, garritus picæ. Ordo verò est. Sic Cecropias querelas offendit improba pica, vbi sacer lucus multisona aue Luscinia, seu philomela, seu Atthide feruet, resonat. *Offendit* legendum etiam Scriuerius docet. Athis, seu Attis, Attidis eadem est, quæ Luscinia, sea Philomela, ab Attica. filia fuit Pandionis Regis Atheniensium, plura lib. 2.epigr.86. ad Classicum. PICA] nota auis, argutum habet sonum, vt dulcem Philomela. de pica lib.14. INDICE NON OPVS] Index ab indicio, olim dicebatur, qui crimen aliquod indicasset, detulisset, vt Pedianus ait, & à Sallustio, Liuio, Cicerone, Suetonio & aliis vsurpatur. Apud Vlpian.l. 197. de verb. sign. Indicasse est detulisse, accusasse, conuicisse. VINDEX] qui alterius caussam suscipiebat, vindicandam, quem nunc procuratorem dicimus, vt Boëtius scribit in Topi. Vel qui vindicabat; quo minus is, qui pressus esset, ab alioquo teneretur, vt cùm cuipiam iniecta esset manus, vt ad Prætorem iudicemque duceretur. Ita vindex & Assertor idem valebant. de Assertore supra dictum. Non opus est, inquit Martialis indice, vel vindice meis tuisque carminibus.

STAT CONTRA DICITQVE TIBI TVA PAGINA FVR ES] Scripta tua dissimillima meis te furem etiam me tacente clamant.

* De amicorum iudicio.

* *Ad Posth.*

XLVII. *LV.*

Si quid, Fusce, vacas adhuc amari:
Nam sunt hinc tibi, sunt & hinc amici,
Unum, si superest, locum rogamus,
Nec me, quòd tibi sum nouus, recuses,
Omnes hoc veteres tui fuerunt,
Tu tantùm inspice, qui nouus paratur,
An possit fieri vetus sodalis.

Nouos

Nouos amicos non prorsus reiiciendos docet. sed videndum, an possint fieri veteres, nam & veteres aliquando noui fuere. Ergo & se posse cooptari in numerum amicorum Fusci, & hoc optare. FVSCE] Plura sunt epigrammata ad Fuscum, an ad eundem vel diuersos non satis decerno. Est epigramma lib. 6. 76. de Fusco præfecto Prætorio, vbi fixit epitaphium. Est lib. 7. ep. 27.

SI QVID FVS. VC. AD AMA.] Si locus adhuc apud te nouo amico. Nam si verum est dictum, præter vnum verè amari non posse, non vacabit amplius Fuscus. qui iam præter Martialem alios amet. sed possunt plures generatim coli. AMARI] Ex amore enim amicitia est nominata. & amicitia ab amando dicitur. Amare autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames nulla indigentia, nulla vtilitate proposita. NAM SVNT TIBI] Vt nihil vix locus relictus videri possit. sed cogito illud Sallustianum, *Amicorum nunquam cuiquam hominum satis fuit.* VNVM SI SVPEREST] Itaque spero, & mihi inter veteres nouo locum fore. Ita se Dionysius Siciliæ tyrannus Pythagoreis duobus tertium adscribi voluit, vt est apud Cic. in 5. Tusculan. NEC ME QVOD] Non recusandos nouos docet. de Amicitia Cicero. *Nouitates autem si spem adferunt, vt tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sunt illæ quidem repudiandæ, &c.* Imo & dulces esse solent nouæ amicitiæ, quod idem docet cum scribit, *amicitias non esse vtendum vt floribus, tamdiu gratis, quamdiu recentibus.* Extat præceptum Isocratis de amicis nouis comparandis, eiusmodi. Μηδένα φίλον ποιοῦ πρὶν ἂν ἐξετάσῃς, πῶς κέχρηται τοῖς πρότερον φίλοις. ἔλπιζε γὰρ αὐτὸν, καὶ περὶ σὲ γενέσθαι τοιοῦτον, οἷος, καὶ περὶ ἐκείνους γεγένηται. βραδέως μὲν φίλος γίνου. γενόμενος δὲ πειρῶ διαμένειν. &c. Idem Cicero. *Omnino omnium horum amicorum, atq; incommodorum vna cautio est, atq; vna prouisio, vt ne nimis citò diligere incipiamus, neue indignos. Digni autem sunt, quibus in ipsis inest caussa, cur diligantur.*

OMNES HOC VETERES] De amicorum fide exploranda. Isocrates ad Dæmonicum: Δοκίμαζε τοὺς φίλους ἔκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας, καὶ τῆς ἐν τοῖς κινδύνοις κοινωνίας, τὸ μὲν γὰρ χρυσίον, &c. Quod Ouidius expressit.

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Et illud: *Amicus certus in re incerta cernitur.* Sed optimè Cicero de amicis in amicitia experiendis. *Experiendum autem est,* inquit, *in ipsa amicitia ita præcurrit amicitia iudicium tollitque experiendi potestatem. Est igitur prudentis sustinere, vt cursum, sic impetum beneuolentiæ, quo vtamur, quasi equis tentatis, sic amicitiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum.* Et quæ consequuntur. Horat. de art. poët.

Reges dicuntur multis vrgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus.

Veteres amicitiæ ἀναμφισβήτως anteponendæ recentibus. Nam veteres optimæ. Ciceroni crede. *Veterrima quæque, (vt ea vina quæ vetustatem ferunt) esse debent suauissima, verumq; illud est quod vulgo dicitur: Multos modios salis simul edendos esse, vt amicitiæ munus expletum sit. Maxima enim vis est vetustatis, & consuetudinis, &c.* alibi plura.

Ad Frontonem de voto vitæ suæ.

LVI. XLVIII.

Vota tui breuiter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiæ Fronto togæq; decus;
Hoc petit: esse sui, nec magni, ruris arator:
Sordidaq; in paruis otia rebus amat.
Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus aue:
*Cui licet * exigui nemoris rurisq; * beati*
*Ante forum plenas * explicuisse plagas?*
Et piscem tremulâ salientem ducere setâ,
Flauaq; de rubro promere mella cado?
Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,
Et sua non emptus præparat oua cinis?
Non amet hanc vitam, quisquis me non amat, opto:
Viuat & vrbanis albus in officiis,

Sobriaque Parthicus amendas, & veri.

* exiguis C P.
* beato C P.
* exposuisse.

Vitam

Vitam priuatam, & otiosam, nec omnino copiosam, nec mendicam omnino, expetendam putat, Fronto, si Marci tui, vota, seu quod genus vitæ maximè probem, scire aues. FRONTO DECVS TOG. ET MIL.] domi forisque rebus gestis clares & celebraris. Fuit hic vt coniecto Fronto cum Nerua Imperatore consul, dictum extat apud Dionem in Nerua. *Malum quidem esse, Imperatorem habere, sub quo nemini licet quidquam facere, sed multo peius esse cum omnia licent omnibus.* TOGÆQVE DECVS] consul, se. i posteaquam hæc noster scripsisset. Tertium consul fuit, sed primum non lego: alterum consulatum gessit cum Nerua Imperatore ex Kal. Iuliis: tertium cum Traiano Imperatore III. consule, Plinius Panegyrico. *Recepit etiam consulatum* (Traianus) *vt dares, nouerat mode at onem hominum, nouerat pudorem, qui non sustinerent tertio consules esse, nisi cum ter consule.* Fasti ergo omnes ponunt Frontonem tertium cum Traiano itidem ter consule. Laudat eundem Frontonem, quamuis in numero multitudinis: Quod tu singularibus viris, ac de te quidem bene ac fortiter præstitisti, sed in toga meritis. Clarum oratorem hunc quoque fuisse scriptores tradunt. Pacis tamen studiis semper fauebat, & poetis ædes, hortosque recitanda poemata concedebat, vnde dictum à Iuuenal. Sat.

Frontonis platani, conuulsaq; marmora clamant.

MILITIÆ] quondam Tribunus vigiliarum. Tacitus hist. lib. 1. *Exauctorati per eos dies tribuni è prætorio Ant. Taurus, & Anton. Naso. ex vrbanis cohortibus, Æmilius Pacensis. è Vigiliis Iulius Fronto.* Multa super hoc Iosephus l. 7. de bello Iudaic. meruit sub Tito ad Hierosolyma, cuius & libertus & amicus fuit. De hoc & aliis Frontonibus, lege Com. Onuphrij ad Fastos. HOC PETIT ESSE SVI.] Agelli fundiue parui dominus esse cupit, non mille iugerum arator. SORDIDAQ; IN PARVIS] Virgil. in Cul.

Illi dulcis adest requies & pura voluptas
Quolibet vt requie victa, contentus abundet.

Contentus paruo & suo. Sic enim Cicero 1. de Officiis: *Multi autem & sunt & fuerunt, qui eam quam dico tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis se remouerunt, ad otiumq; perfugerunt.* Et mox: *Vixerunt nonnulli* (Philosophi & Principes) *in agris delectati re sua familiari.* Et: *Alteri se beatos putant, si contenti sint & paruo & suo.* SORDIDA] sine cultu & splendore, neglecta. Prorsus ad hoc epigramma facit illud Horatii od. 2. lib. pod.

Beatus ille, qui procul negotiis
Vt prisca gens mortalium

Vnde videtur argumentum sumpsisse. Extant in hanc sententiam in Appendice Scalig. de tranquilla vita carmina:

Est mihi rus paruum, fœnus sine crimine paruum
Sed facit hæc nobis vtraq; parua quies, &c. quæ sequuntur.

Et Virgilii culex, Plura lib. 10. ad illa: *Vitam quæ faciunt*, &c. Tibull. el. 1. lib. Sordida quoque rura lib. X ep. 96. vocauit. Ita poetas Scriuerius locutos testatur etiam ex Seneca Hercul. Fur.

Humiliq; loco, sed certa sedet
Sordida parua fortuna domus. Parthius de eod. l. 25. c. 17. p. 1249.

QVISQVAM PICTA COLIT.] Nemo, qui vel exiguam siluam, vel prædiolum habet, ambitiosè superba diuitum limina frequentat.

Virgil. in Cul. *—finitor auri*
Sublaqueare domus animum non tangit auarum,
Picturaq; decus lepidum nec fulgur in illa
Cognitus vtilitate manet.— Horatius.
Forumq; vitat. & superba ciuium
Potentiorum limina.

PICTAQVE FRIGORA SPAR. SAXI.] Periphrasis marmoris Laconici, de quo Plinius libro 36. c. 7. *Pretiosissimi quidem generis Lacedamonium viride cunctisq; bilarius.* PICTA] ab ipsa natura, quanquam teste Plinio, & marmora coloribus pingerentur. FRIGORA] marmora enim frigidiora communi saxo. Vt hinc Sidonius alpes glaciales vocet *Alpes marmoreas*, & Ausonius *Trans alpes & marmoream pyrenen.* Incrustabant Veteres ædes suas marmore, vt frigidiores essent. Palladius lib. 1. tit. 9. Sidonius in propemptico. *Seu contra rabidi leonis æstum, Vestit frigore marmorum penates.* audax metaphora. Domitius putat hic poetam ad Battaci, & Sami porticum Octauiæ factam alludere. Martialis pro quouis splendido, & magnifico palatio illa ponit. ET MATVTINVM PORTAT INEPTVS AVE.] Communis amicus diuitibus dictus, quotidie salutatum patronos ventitabat, vnicuiq; verbum AVE prolocutus, transibat ad alium atq; alium. Et communium huiusmodi amicorum magnus erat numerus. De hac consuetudine salutandi Manilius lib. 5. Astron.

Instar erit populi totaq; habitabit in vrbe
Limina peruolitans, vnumque per omnia verbum
Mane salutandi portans communis amicus.

AVE] vide Brissonium p. 743. Itaq; dicebantur hi communes amici, qui portabant AVE, hoc est, qui vno hoc verbo mane salutabant potentiores, & ad alia limina transibant. AVE autem solenne verbum erat.

CVI LICET EXIGVI.] Qui venari potest in villa, qui villæ adiunctas hab t siluas, & agros, vt supra ad Licinianum. *Vicina in ipsum silua descendet focum.* RVRISQVE BEATI] Horatius

Beatus ille, qui——

Paterna rura bobus exercet suis.

ANTE FOCVM PLE. EXPLICVISSE PLA.] exposuisse habent alii libri; vtraque scriptura proba. Retia intelligit & casses, vt supra.

Ibi illigatas mollibus damas plagis.

Horatius. *Aut trudit acres hinc & hinc multa cane*

Apros in obstantes plagas.

Aut amite laui rara tendit retia.

ET PISCEM TREMVLA.] Et cui piscari lic t in suo alueolo, tremula seta, arundine, virga, à qua tremente pendet seta. Oppian. lib. 4. Halieutικῶν quatuor piscandi m odos recenset. N illa, hamo, lino, seu reti, & facibus ac tridente. Poeta hic de hamo loquitur. FLAVAQVE RVBRO] Rubro cado, seu rubra testa, vt lib. 13. de Faba. *Si spumet rubra conchis tibi pallida testa.* Horatius amphoras vocat.

Aut prisca puris mella condit amphoris.

Ita cadus & amphora ponuntur pro quouis vase melli seruando apto. PINGVIS INÆQVALES.] Domitius exponi, inæquales sine ordine, forte melius ad ipsas mensas inæquales, claudas, non pares, nec æque altas aut humiles, vt Ouidius Transfor. lib. 8.

——mensam succincta tremensq;,

Ponit anus, mensæ sed erat pes tertius impar

Testa parem fecit, quæ postquam subdita cliuum

Sustulit, æquatam menta exterfere virentes.

Imo ipse Martialis videtur hoc clamare, quod lib. 2. epig. 4. aperte dicit.

Fulcitur testa fagina mensa mihi.

Mittit Ramiresius lectorem ad lib. 2. ep. 43. vbi tamen hæc ipsa posuit, quæ ego hoc loco, vt mea tantum migrarit verba ex Ouidio, & hanc ipsius artem nobilem ac Fidentinianam non raro deprehendes, & notauit Musambertius.

ET SVA NON EMPTVS.] Et cui focus ministrat epulas inemptas. sic enim malo, quam Domitius, non emptum cinerem, ligna interpretatur non empta. cuius tamen non reiicio explanationem. Iuuen. *Et panis fumusq; domi.* Sed Iuue. de cibo loquitur. Horat.

Sacrum vetustis extruat lignis focum,

Et horna dulci vina promens dolio

Dapes inemptas apparet.

Dicuntur autem inemptæ dapes domi natæ nullo ære paratæ. OVA] Lac & oua villicorum delitiæ. Diis apposita scribit Ouidius in 8. *Ouaq; non acri leuiter versata fauilla.* NON AMET HANC.] Conclusio voti. Vitam hanc quietam & priuatam oderit is, qui me odit, nihil enim deterius illi imprecari possum, quam curas æternas, odia, vigilias, insidias, inimicitias, turbas, quibus vrbana vita cumulata est: Agricolæ autem felicissimi. Virgil.

Qui magis optato queat esse beatior æuo,

Quam qui mente procul pura sensuq; probando

Non auidas agnouit opes——

VIVAT ET VRBANIS] *Albus*, inquit Lipsius lib. 1. Elect. c. 13. *non ad pallorem, sed ad vestem: quoniam officia hæc anteambulonum in toga alba.* Iuuenalis.

——niueosq; ad frena Quirites.

Domitius albus exponit sollicitum anxium, nam & alibi album timentem, & anxium dixit esse poeta. Turnebus ni fal or exponit pallium. Ego sicut Martialem de officio anteambulonum proprie locutum non dubito, ita plane existimo eundem oblique curas, turbasque, & tumultus vrbicos voluisse significare, cuius institutum erat quietam priuatam, & agricolarum vitam anteponere publicæ & vrbanæ, &c. Quo & Horatii ode spectat, & laus vitæ rusticæ, Virgil. in culice. Ramiresius: *albus* est delicatus & pulcher, quem alia omnia docet Musamb.

Ad Cauponem.

LVII. XLIX.

Continuis vexata madet vindemia nimbis;

Non potes, vt cupias, vendere, * *caupo, merum.*

* *Copo. P. semper.*

Elegantissime illudit in copone vinum solito aqua miscere, ac pro mero vendere. Tunc autem ob assiduam tempestatem, & imbres cadentes vinum non poter t diluere, aquosum enim

fuisse

lesi satis tinctum. VT CVPIAS] videtur laudare fidem, & notat perfidiam. Vt cupias quamuis minime cupis fidus, & bonus esse, tamen non potes, propter imbres. Argutissima argutia in Coponem, cuius ait tantam esse improbitatem, vt volens etiam non possit esse bonus. Nam boni viri tingunt aqua merum, tingit & copo, illi ne noceant, iste tantum, vt sibi prosit. Illi cum merum p opinant, optima fide faciunt, hic inuitus ac nolens, quod vinum ὑδροφόρον, & per se aquosum plus aquæ non ferat, quod tamen cupit copo. *Videtur*, inquit Titius noster, lib.2.cont.cap.7. *hoc velle dicere Martialis. Quoniam vindemia madet omnibus vexata nimbis, non potes, ô caupo vendere vinum, vt velles, id est purum, sed tamen interim tacito sensu vult cauponem illum cupere quidem vinum infuscatum, vt loquitur Plautus, ac multa aqua fractum hospitibus exhibere. id autem non posse propterea, quod vinum illud, ex vua madida expressum & aquosa, non patiatur aliam insuper aquam sibi infundi ac permisceri. Et tota ambiguitas latet in voce* (merum) non secus ac penes Ausonium in Meroen à natura ebriosam.

Infusum sed quod vinum non diluis vndis,
Potare immissum sueta merumq; merum.

Quæ contra Ramiresium Musamb. hic collocat, tute leges; mecum certe facit Musambertius.

Ad Flaccum de Sportula.

L. LX.

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum:
Inter delicias quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosaq; balnea Grylli:
Tam male cum cœnem, cur bene, Flacce, lauor?

Sportulam litterariam damus iis qui nondum rectas Latinæ Musæ cœnas gustauerunt; de nomine, finitione, origine, pretio, vsuque ordine συνωνύμως disseremus, quando multorum inde scriptorum intelligentia pendet. Sportula & sportella à sporta dicitur, quod à sparto nomen accepit, aut ab asporto, vt Nonius & Isidorus docent. Est autem spartus frutex virgosus sine foliis ab asperitate vocatus, similis carici herbæ, & funes de eo conficiuntur. Isid. lib. 20. c. 9. Polluci dicitur κίστη, ὀψοφόρος σπυρίς. Sunt sportæ, seu sportulæ & sportellæ, vel ciborum, vel pecuniarum receptacula, sportea item vtensilia, vt Asconius ad Cic. Verrinas docet. Turnebus sportellas vitiles ait esse, quibus artolagani & bellaria ferebantur. Varro de vita P.R. lib. 1. *Neq; enim obsonium in tota cœna captum ex variis rebus cum coniectum in vnam sportam perspicitur.*

Sportula ergo proprie nummis ferendis & opsoniis seruiebat, vnde μετωνυμικῶς pro ipsa pecunia, & cibo frequentissime apud scriptores ponitur. Apud posteriores Romanos cenæ etiam sportulæ sunt dictæ, quas diuites dabant tenuioribus in sportulis gerendis, quæ opponuntur rectis.

Auctorem sportularum facit Alexander Neap. lib. 5. c. 24. Catonem Vticensem. *Cato iunior*, inquit, *nouo more tribuit sportulas Græcis ex tritico, raphano, blito & apio. Romanis autem vini amphoras, carnes porcinas, ficus & lignorum fasces.* Quæ quidem ex Plutarcho sumpsit Alexander, qui in Catone minore dona attribuit Græcis quidem ex porro & lactuca, & raphano, & blito, & apio; Romanis autem vini amphoras, carnes suillas, & ficus, & cucumeres, & lignorum fasces. Hinc sportulæ videntur cœpisse germanæ cum opsonio. Nam vox quod & antiquior, & vsus alius atque alius: in sportulis enim qui ad alios cœnatum ibant, secum cœnam aut cœnæ partem veluti symbolam ferebant, vt hodie fieri quandoq; amat apud Germanos; sed de hac sportula hic non tractamus.

Occasio sportularum institutarum. Ein Freytafel.

Occasionem accepit res ex ludis & muneribus publicis, cum populus laute accipiebatur, & publice accumbebat ab editoribus munerum acceptus. Deinde transiit ad priuatos potentiores, qui suis salutatoribus, & qui in officiis erant, sportulam seu cœnam rectam dabant, vt hodie viri principes; cumq; ingentes sumptus fierent, Nero cœnas rectas sustulit & sportulam à Catone cœptam reuocauit, factumque est, vt sæpe pecunia pro opsonio daretur, nonnunquam pecunia cum ipso opsonio, Domitianus cœnas rectas reuocauit. Pecunia, quæ clientibus dabatur à patronis vice sportulæ erat C. quadrantes, hoc est, viginti cruciferi, seu quinque victoriati, Martialis æuo XVI. tantum.

Prima origo sportulæ à frumentatione. *Non videtur fuisse hæc vera sportula erogo.*

Sportulam accipiebant quidem ex more tenuiores tantum, sed Iuuenalis queritur à potentioribus eandem expeti solitam, & Martialis lib. 10. epig. 10. *Cum tu laurigeris, &c.* Primam originem videtur sumpsisse à frumentatione, seu frumenti in populum largitione, statim ab eiectis regibus: quæ quidem frumentatio durauit semper in Repub. Romana Ita vt vilissimo pretio magnum frumenti numerum emerent ciues. Clodius pretium omnino sustulit, & gratis dedit. quod seruatum postea. Sed non idem frumentatio & sportula. frumentatio enim ex ærario publico fiebat. Sportula etiam à priuatis, imò primitus nunquam ex ærario dabatur.

Accipiebat vnus aliquis cliens, tres, quatuor, quinque, aut plures sportulas eodem die singulis

Lib. 1. epig. 81 enim qui erant in officiis sportulam præbebant. Sic Martialis ad Canum. *Occidit puto te, Cane, quod vna fuit.* Scribit de hac re Turnebus, Lambinus, Stukius, Fuluius Vrsinus. Læuinus Torrentius, Lipsius, Faber, Alex. Neapol. Ex Cic. Plutarcho, Plauto, Suetonio, Dione, Polluce, Tertulliano, Martiale, Iuuenale.

Sportula præterea salarium, & honorarium iudicum est: significat & erogationem in funere apud Christianos συλλογὴν, λογίαν, ἐλεημοσύνην, χάριν collectam, Germanis, ein Spendt / Almosen Seckel für die Haußarme Leuth. Hic Augustæ prorsus à senatu sportula datur ciuibus tenuioribus, panis, butyri, ligni, &c. Huc reuocantur Xenodochia, prochodochia, quibus à ciuitatibus victus suppeditatur. Die Pfründt / crastipendia.

A Martiale pluries sportula opponitur cœnæ rectæ, quæ dicitur, cum accumbentibus iusta cœna datur. Vt hoc loco. Ein gesetztes mahl.

DAT BAIANA MIHI QVADRANTES SPORTVLA CENTVM.] Baiana sportula dicitur quod ob lauationem detur. qui enim vna lauabant Baiis, vbi optimæ erant aquæ. vna à potentioribus ibidem sportulas accipiebant. Sed Poeta & præstantiam balnei laudat, & de fame queritur. optime, inquit, Baiis laui, pessime cœnaui. De Baiis copiosius, lib. 11. epigr. 81. lib. 3. epigr. 57 & aliis. QVADRANTES CENTVM.] Communis sportula priuatorum. Imperatores sæpe liberaliorem dederunt. QVADRANTES CENTVM] valent 25. assibus; quatuor quadrantes, seu teruncii, vno æstimantur asse. Dictus quadrans, quod sit quarta pars assis: teruncius à tribus vnciis; quinq; quadrantes, seu teruncii, hodie apud Tyrolenses æquant cruciferum. Italis vn quadrin: 10. nummi, decem sestertii, decem nummi imata; & centum quadrantes idem habent pretium, id est, 20. cruciferos. Et hoc prisca & primâ assis æstimatione. Æuo Martialis 12. quadrantes efficiebant sestertium nummum. centum ergo quadrantes æstimabis sedecim cruciferis & asse. TENEBROSA] antiqua consuetudine, nam postea clariora. Sen. epist. 87. Plinius epist. 3. lib. 1. Sidonius lib. 2. epist. 2. Rectam cœnam multis partib. anteponit sportulæ Martialis, aliis locis enim vocat misellos quadrantes. INTER DELICIAS] Cum optime & laute lauerim, decuit etiam laute accumbere. alioqui malim pessimè lauari, optimè cœnare. REDDE LVPI NOBIS.] Nomina sunt balneatorum, qui mercenaria balnea, vt hodie passim in Germania, habebant. Malo inquit poeta, lauari mercede apud Gryllum & Lupum, quamuis male, sed largius cœnare, quam in Baiis delicate lauari, & secundum balneum esurire. Multa passim balneatorum priuatorum nomina ponit Martialis. Hetrusci, Tuccæ, Grylli Lupi, Fortunati, Pontici, Seueri, Fausti, Pæti, Tillini. De publicis & priuatis simul censi[illegible] Philandrum ad lib. 5. Vitruuii, c. 10. TAM MALE CVR CŒNEM] Fames & delitiæ balnei male conueniunt. corpus sudore, caloreq; debilitatum, requirit largiorem lautioremque cœnam. FLACCE] putatur hic Valerius Flaccus poeta qui condidit Argonautica, ad quem plura passim sunt epig.

Iuuen. Sat. 1.

De lepore & leone.

LXI. LI.

Intres ampla licet torui lepus ora leonis:
Esse tamen vacuo se leo dente putat.
*Quod ruet in tergum, vel quos * procumbet in armos,*
Alta iuuencorum vulnera figet vbi?
Quid frustra nemorum Dominum, regemque fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera,

* prorumpet.

Ludit adhuc Martialis in leone & lepore, tantillus, inquit, est lepus, vt quamuis torus ora leonis ingrediatur, ille tamen perinde putet, ac si nihil in ore habeat. QVOD RVET IN TERGVM] Iuuenci vel tauri, vel grandioris animalis. ruet autem significat impetum feræ, quo fertur in prædam repertam. ARMOS] armi sunt in pecudibus, qui in hominibus humeri solus homo dicitur habere proprie humeros, armos verò bestiæ. Perottus. Festus docet ab antiquis humeros cum brachiis etiam in homine dictos fuisse armos, vnde vox armillæ & arma ab his dependétia. ALTA IVVENCORVM] vbi nulla est prope caro, non possunt alta vulnera infligi, iuuenci pingues præbent locum altis vulneribus, lepores non item. QVID FRVSTRA NEMORVM DOMINVM.] Conclusio à præstantia & nobilitate leonis. REGEMQVE] Basilius leonem pro dominatore animalium rationis expertium ponit. Reges sane augurium ex leone ceperunt. Trogus de Sandrocolto Indo, cui ex fuga fesso somnoque in silua correpto leo sudorem abtersit. quod Regni augurium fuit Pierius lib. 1. Extat dialogus Pontani nostr. in tertio progymnasmatum Leontarchia, seu de principatu leonis in feras, vbi regnum Leoni inter belluas oratione conciliatur. NON NISI DELECTA] Conclusio, leonis tantum nobiles, & maximas captare prædas. Multi fuimus in hoc argumento supra.

Iacobi Pontani Leontarchia.

Ad † Licinianum ſcriptores vnde.

LII. LXII.

Verona docti ſyllabas amat vatis.
Marone fœlix Mantua eſt.
Cenſetur Apona Liuio ſuo tellus,
Stellaque nec Flacco minus.
*Apollodoro * plaudit imbriſer Nilus,*
Naſone Peligni ſonant,
Duoſque Senecas, vnicumq; Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent iocoſæ Canio ſuo Gades,
Emerita Deciano meo.
*Te * Liciane gloriabitur noſtra,*
Nec me tacebit Bilbilis.

† *Non Licinianum nam prima breuis Catull. Heſterno Licini dix ocioſi.*

* *Gaudet. nō probo, quia mox ſequitur.*

* *Liciniane.*

Occaſionem captat ſe patriamque laudandi. VERONA] Catullus Veronenſis. (Verona vrbs Italiæ, etiam hodie retinet nomen.) Ad Benanum natus in peninſula Sirmione, quam bello deſcripſit carmine. De Verone antiquitate, & origine legendus Taurellus, Saraina, qui ſuper ea quatuor volumina condidit. SYLLABAS] Syllabæ pro Phalcucio accipiuntur, qui hendecaſyllabus eſt. Catullus.

Adeſte hendecaſyllabi quot eſtis
Omnes vndique——

Res nota vulgo, ſoli Ramireſio ignota, quem docet literas Muſambertius, qui multa erudite hoc loco.

MARONE FELIX] *Mantua me genuit*——de hac re multa Virgiliani interpretes, quos videbis. CENSETVR.] Magni fit, laudatur, prædicatur, numero, & loco eſt propter Liuium. Ita cenſeri virtute, armis, iuſtitia dicitur eruditis priſcis. APONA] Apona Patauina tellus. Aponus fons nobilis haud procul Patauio celebratus Claudiano ſingulari poemate. lege plura. lib. 6. epig. 42. Deſcripſit hunc Caſſiodorus diſertè. vt lib. 6. leges. Hiſtoricus Liuius. Thraſeas Pætus, Valerius Flaccus poeta, Stella item poeta, Paulus I C. Aſconius Pedianus, Longolius, omnes Patauii vel nati fuere, vel ibi floruere. APOLLODORO * PLAVDIT IMBRI.] Plures fuere Apollodori vel tragici, vel comici, vel Grammatici. Hic Alexandrinus poeta laudatur æmulus Menandri. IMBRIFER NILVS] Quid? imbrifer? cum omnium fere Geographorum, & poetarum teſtimonio imbres in Ægypto non cadant, aut rarò, & per hiemem cadant. Imbriferum vocat Nilum, prudenter, & erudite doctus poeta, quod Nilus Ægyptiis ſit loco imbrium cœleſtium, & pluuiarum, quando totam Ægyptum quotannis inundatione ſua fœcundat. Quod ſcriptores teſtantur omnes, qui de Ægypto cogitarunt. Egeſippus plane huc facit lib. 2. de Excidio Hieroſol. Et imprimis Seneca Natural. Quæſt. 4. c. 2. *Nam*, inquit, *in parte, quæ in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres ſunt, aut rari, & qui inſuetum aquis cæleſtibus non adiuuent.* Lucanus l. 8.

Terra ſuis contenta bonis, non indiga venti
Aut Iouis, in ſolo tanta eſt fiducia Nilo.

Claudianus. *Ægyptus ſine nube ferax*——
Et. *Gaudet aquis quas ipſa vehit*——

Sed nihil opus, in re teſtatiſſima, teſtibus aliis. Ramireſius Nilum vicem imbrium eſſe iam à me doctus docet. NASONE PELIGNI.]

Sulmo mihi patria eſt gelidis vberrimus vndis,
Millia quæ nouies diſtat ab vrbe decem. †

† *quadraginta noſtratia.*

[illegible] 2. *Hæc ego compoſui Pelignis natus aquoſis*
Et in 3. Elegi. *Mantua Vergilio gaudet Verona Catullo*
[illegible] *Pelignæ gentis gloria dicor ego.*

DVOSQVE SENECAS.] Laudat Hiſpanos ſcriptores & poetas, ſui non oblitus. Senecæ Cordubenſes ſunt, vti & Lucanus. Ingens certamen eſt de Senecis duobus. ſed docte & vere componunt Lipſi El. 1. c. 2. & Delrius in vita Senecæ. Tu rem hîc accipe, fidem ibi quære. Senecas duos

Unde natus, inde Audianus.

* *Gaudet.*

laudat Martialis, Rhetorem, seu declamatorem, qui & auctor controuersiarum & suasoriarum. & Philosophum, cuius cætera omnia, quæ Senecæ nomine extant siue ligata, siue libera oratione scripta. Rhetor, seu declamator, huius Philosophi & Tragici pater. Obscurior ille post ritam, clarissimus. ste & solus prope notus. Illi Rhetori tres filii fuere, Philosophus seu tragicus. Nouatus & Mela, qui postremus Lucanum poetam procreauit. Hæc vt dixi sic habent. si contra venias, duos Achilles cum immortalibus armis obiicio propugnatores Lipsium & Delrium, quorum si vim & argumenta eluseris, ego manus dabo. Itaq; caue a Sidonio Appol inare in errorem traharis, qui de duobus hunc in modum scribit. Cor. 9. *Non quod Corduba, &c.* Ioannes Sauar. nouus Sidonii interpres à Lipsio & Delrio dissentit. Vide Delrium in vita Senecæ. Obserua item carmen Martialis:

Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Vbi tres fratres poëta prædicat illius Rhetoris filios, Senecam, Nouatum, & Melam; caue item Gyraldum histor. poet. dial, 8. De Lucano lege Schol astas in vita eiusdem. Aliam Meursius explanationem adfert quam videbis ad hoc epig. lib. 4. ep. 40. GAVDENT IOCOSÆ] Gades insula, & ciuitas ad extremum Oceanum Occidentis, Canii patria, de quo plura sunt epigrammata. infra ep. 70. multa super hoc Canio. lib. 3. c. 20. IOCOSÆ] quia Canius iocosus & ridiculus. imo quia Gades improbæ & artifices lasciuiæ & iocorum petulantiorum. Regredere ad lib. 1. ep. 42. EMERITA DECIANO MEO] Emeritæ Augustæ mentionem faciunt Ptolemæus, Strabo, Mela, Plinius, eamq; Lusitaniæ vrbem faciunt, quam alii Bæturiæ, alii Turdulis tribuunt. Golzius ex nummo Augusti coloniam factam ostendit. De Deciano plura supra diximus in epigr. de dogmate Deciani. fuit enim Stoicus, vbi negauit meus encomiastes Ramir. esse Emeritanum.

TE LICIANE.] De Liciano supra ep. 50. dictum. ibidem de Bilbili oppido Celtiberiæ patria Martialis. De Apollodori, Canii, Deciani, Liciani scriptis nihil superat; reliqua clara.

De Læuina casta, & ad Baias adultera.

XLIII. LIII.

Casta, nec antiquis cedens Læuina Sabinis,
Et quamuis tetrico tristior ipsa viro,
Dum modò Lucrino, modò se permittit Auerno:
Et dum Baianis sæpè fouetur aquis;
Incidit in flammas, iuuenemq́, secuta, relicto
Coniuge, PENELOPE VENIT, † ABIT * HELENE.

† Abiit.
* Thymele.

Balnea castis publica vitanda, docet exemplo Læuinæ. Læuina ficta vox. meminisse potes illius versus.

Hunc seruare modum nostri nouere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

ANTIQVIS SABINIS] Romanis matronis, quæ natæ ex Sabinis. Liuius lib. 1. d. 1. *Sabinorum vero mores incorrupti & sancti.* Id. eod. lib. *Instructumq;* (intellige Numam Pompilium) *non tam peregrinis artibus, quàm disciplinâ tetricâ ac tristi veterum Sabinorum, quo genere nullum quondã incorruptius fuit.* Iuuen.

—— Intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina.

Nec dubito, quin Lucretiam similesque Lucretiæ poeta insinuet. ET QVAMVIS TETRICO] Laus coniugi. honesti, castus & honestus maritus castior honestiorque vxor Læuina. Attollit castimoniam amplius, vt maius inde dedecus ostendat. tetricus & tristis significans alienos ab inhonestis voluptatibus, studiis ac iocis. DVM MODO LVCRINO] Lucrinus & Auernus duo sunt lacus propter Baias, inter se non procul dissiti, quos tempestas grauior subinde iungit. Auernus dictus est ab auibus ex graui lacus halitu necatis, dum superuolarent. Lucrinum à lucro dictum putant, quod maior ibi copia piscium. Perottus. Hos Cæsar purgauit mareq; in vtrumq; immisit, portu Iulio facto. ET DVM BAIANIS] Baiarum aquarum, non tantum poetæ, sed historici & Cicero, & Vitruuiu mentionem faciunt. Non fuerunt laudatiores thermæ, lege carmen 60. supra. & lib. 11. epig. 81. INCIDIT IN FLAMMAS] turpes & fœdos amores. notat Romanarum matronarum prauos mores. Et tu, quid balnea prosint, ex græco epigrammate disce.

Οἶνος καὶ τὰ λοετρὰ, καὶ ἡ περὶ κύπριν ἐρωή
Ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην.

B. V. V nigrû Plutonis in antrum.
Si properas, vello limite præcipitant.

Et Aristophanes in nubibus non fœminas corrumpi balneis, sed viros etiam reddi timidos, hoc est fœminas dicit.

Τὰ θερμὰ λουτρὰ δειλὸν ποιεῖ τὸν ἄνδρα. Thermæ viros effœminant.

Sed qui reperiantur socii in balneis, quæue numina breuiter, & verè expressit Damocharis.

Κύπρις, ἔρως, χάριτες, νύμφαι, Διόνυσος, Ἀπόλλων
Ὤμοσαν ἀλλήλοις ἐνθάδε ναιετάειν. Lege li. 4. cap. de balneis, ep. Græcorũ.

PENELOPE VENIT] Iniuriam Homero faciam, si quicquam de moribus, vt sanctissimæ Penelopes, vel impurissimæ Helenes dixero; quando ille vtramq; orbi terrarum, omnibusq; sæculis spectandam præbuit. VENIT] casta ad maritum, vt vult Perottus; abit adultera ad balneas. Sed rectius, venit casta ad Baias, & balneas, & abit inde corrupta, & adultera. Vere Seneca: *nunquam mores, quos extuli, refero.* De Thymele dictum supra epig. 5. Non lege Thymele, sed Helene: nec vitium est carminis cum duæ præcedentes syllabæ in vnam coeant. abit, abiit. Musambertius. Helene adultera, vaga, venefica, impudica, vt Troiana fuit bis rapta primum à Theseo, iterum à Paride.

Cypris, Amor, Charites, Nymphæ, Dionysius, Apollo, iurati, sedes hic posuere suas. De Baianis corruptelis præter Senecam Ouid. lib. 1. de arte. Propert. lib. 1 El. 2.

Ad Celerem.

LIV. LXIV.

Vt recitem tibi nostra rogas epigrammata, nolo.
Non audire, Celer, sed recitare cupis.

Celer certæ & fœlicis erat memoriæ, auditaq; semel, vt de quibusdam fertur, retinebat; cum poetam rogasset, vti noua epigrammata nondum vulgata recitaret, negauit Martialis: Celer enim postea eadem pro suis erat vendi turus. Vt supra à Fidentino factum dixit. Aut male recitabat Celer, carminaq; deprauabat & corrumpebat, vt nulla illis inesse venustas videretur, quemadmodum de eodem Fidentino scripsit. *sed male cum recitas, incipit esse tuum.* Aut (recitare) tua vis mihi vicissim, vtq; habeas occasionem, hoc à me petis. In quo sensu est illud lib. 7. 3.

Cur non mitto meos tibi Pontiliane, libellos,
Ne mihi tu mittas, Pontiliane tuos.

Vel excipiebat Celer notis & impudenter carmina vt notarij.

De hac re pluries alibi. Alii planissimè laudari tantum putant Celerem, quem putant esse familiarem Plinii cuius ad hunc extat lib. 7. epist. 1.

Ad Fabullam ambitiosam.

LV. LXV.

Bella es, nouimus, & puella, verum est:
Et diues, quis enim potest negare?
Sed dum te nimium Fabulla laudas,
Nec diues, neq; bella, nec puella es.

Φιλαυτίαν Fabullæ taxat, docetque virgines commendari modestia & verecundia.

Bella & venusta es virgo. & copiosa, sed cum teipsam laudas, sordida es, nec virgo, quia impudens, nec diues, quia talem arrogantem, & superbam quamuis diuitem & formosam & virginem tamen oderunt omnes, in copiis inops est, nemo enim talem ducit.

In Cæcilianum.

LXVI. LVI.

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba;
*Et dici, ficos, Cæciliane, * iubes.*
Dicemus, ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus, ficos, Cæciliane tuos.

** putas.*

Qui omnia Grammaticorum decreuit componere certamina, frustra est; prius ille tumulo componetur, & prius extremum componet vesper olympum. Quam longa lis est de hac vnica vocula ficus; nec dum finita? Docebo paucis quæ stet sententia mentis.

Primum dicam ex antiquis & nouis Grammaticis de genere ficus, mox de ordine seu declinatione, postremo de intellectu carminis. Genus voci ficus Sosipater Charisius virile & muliebre tribuit his verbis: *Sed Cicero: de ficu se suspendit dicendo, dedit multis licentiam vt hos & has ficus dicerent, quod vsurpare maluimus propter * cacophaton, de qua re elegantissimè Martialis:*

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos Cæciliane putas.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

*pag. 9 l. 1. * cacophaton.*

Et infra: *Ficos vitium esse corporis proinde declinari debere quasi pomum Martialis in Cæcilianũ, Cum dixi ficus,*

Lib. 1. p. 22.

ficus,&c. vt sit ἀσύνδετον dictum. Quamuis quidam ficus vitium esse velint, vt doloris quasi sonitus audiatur. Priscianus: *Etiam hic ficus vitium corporis quartae est.* Martialis in primo Epigrammaton.

Lib. 6. p. 240.

> *Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,*
> *Et dici ficos Caeciliane iubes.*
> *Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci,*
> *Dicemus ficus Caeciliane tuos.*

Ex quo ostendit & vitium & fructum posse esse quarta declinationis genere autem differre. Priscianus virile genus tantum morbo dat, arbori, & pomo muliebre tantum. Nostri aeui Grammatici alii Charisium, alii Priscianum sequuntur. Nunc quid ego sentiam, aperiam. Ficus arbor, ficus pomum, ficus etiam vitium corporis, tantum est muliebris generis, non virilis, aut certe videtur esse quod inde ostendo. Grammaticorum decreta tantam habent vim, quantam testes, quos pro suis decretis laudant. Nullum autem ex omni antiquitatis memoria testem idoneum, (scriptorem inquam classicum) sistunt, cuius auctoritate doceant nomen ficus, cum vitium corporis valet, masculinum esse, praeter Martialem, quem non intelligunt. Non igitur est ficus virile nomen, etiam cum pro morbo ponitur. De Martiale mox dicam vbi carminis sententiam inuestigaro. Carisius quidem Grammaticus affirmat Ciceronem, qui scripserat ficu, multis dedisse occasionem vt hos & has ficus dicerent, sed absq; tabulis, nullum enim adducit qui scripserit hos ficus. Quae ex Plinio referuntur, omnium sententia praue leguntur, cum codices emendati habeant semper muliebre.

** Marcellū meditum sequitur ani, non multum moror. de quo supra.*

Sequitur vt de declinatione agamus, in qua minor est controuersia, cum nemo inficias eat, ficum, seu arborem seu fructum significat, esse promiscue quartae & secundae. Nec porro super ea re contendendum, quod in promptu variorum & nobilissimorum scriptorum Lucilii, Varronis, Horatii, Ciceronis, Plinii, Macrobii, Celsi aliorum testimonia certa & copiosa. Cum vero morbum significat, alii secundi ordinis, alii quarti, & exerte Priscianus esse docet, qui vltimum quoq; versum Martialis ita legit:

> *Dicemus ficus Caeciliane tuos.*

Enimuero cum Carisius legat, *Dicemus ficos Caeciliane tuos*, nihil ex Martiale proficit Priscianus. Ficum ergo arborem & fructum tum quarti tum secundi ordinis esse; ficum morbum secundi tantum caeteri docent omnes, a quibus non discedo.

Veniamus ad epigramma Valerii nostri, quod est in Caecilianum fictum, vt & alia multa à quo se reprehensum dicit, quod quarto casu dixisset ficus pro pomo, vt quartus ordo declinationum exigit, dicendum fuisse ficos, quod ficus fici non ficus ficus diceretur. Ita lis est inter Martialem & Caecilianum non de genere vocis ficus, sed declinatione tantum, quod recte notauit Valla, nihil enim de genere dicitur in carmine. CVM DIXI FICVS RIDES QVASI BARBARA VERBA, nō scripserat hos vel has ficus; non accusauit ergo genus, sed declinationem vocis ficus. Praua ergo etiam inscriptio de genere & declinatione ficus. & rescribendum in Caecilianum. Respondet ergo secundo disticho poeta:

> *Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,*
> *Dicemus ficos Caeciliane tuos.*

Qui docet ficos poma, esse quarti ordinis etiam, neque interim de secundo negat. Sed addit, scommata, ficos cum vitium corporis significat, hoc est ficosos homines, quales erant Caecilianus & eius familia, esse secundi tantum. Itaq; tuos non est loco epitheti seu adiectiuum hoc loci, sed pro nomine substantiuo positum, vt si dicas iubeo te tuosque saluere, & Cornelius Nepos dedit signum suis. Et hoc est quod dixit Carisius esse ἀσύνδετον ficos & tuos, hoc est, esse substantiua coniuncta seu appositionem, id quod Ramirelius vel non legit, vel non intellexit. alioqui non iactasset se principem in hoc carmen intellexisse, quod tamen meo animo recte intellexit & explicauit. Itaq; Grammatici nihil docent, cum ex hoc loco conantur ostendere nomen ficus pro morbo esse generis virilis, cum tuos non referatur vt adiectiuum ad ficos. sed vt substantiuum ἀσύνδετον, tuos inquam filios, seruos & tuam familiam, vt alibi de ficosa familia scribit.

Placet tamen etiam Vallae ponere verba & enarrationem, vt si cui nostra minus faciat satis, habeat in promptu diuersam. Ficus (inquit Priscianus lib. 6.) etiam vitium corporis quartae est. Martialis 5. epig.

> *Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,*
> *Et dici ficos Caeciliane iubes.*
> *Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci,*
> *Dicemus ficos Caeciliane tuos.*

Ante omnia, cur ille irrisit Martialem, quod diceret ficus? An non reperitur ficus, saltem pro arbore, atque etiam pro fructu in numero singulari? Non hoc ergo ille ridebat. Quid ergo? quod genere abuteretur? ne hoc quidem. Quippe cum dico ficus, quo genere vtar, nemo intelligit. Certe ridebat, quod alia declinatione vteretur, quam ea, qua debebat, vt ex secundo versu, a quo mutata est declinatio apparet. Quod si igitur Caecilianus de declinatione aiebat, non de genere, debuerat Martialis ad declinationem, non ad genus respondere, vt est putandum. Atque adeo necesse

necesse est cum respondisse. Siquidem (vt ostendi) ille reprehenderat, quod hic ficos diceret non ficus, quæ reprehensio si vera est, vt Prisciano videtur, qui vult ficus magis esse quartæ, quæ tandem modestia poetæ fuisset, eum qui rectè admoneat, tam execrabili (etiamsi vero crimine) incessere? Ergo cōiunxit accusationem imperitiæ cum accusatione flagitii per iocum & dicacitatem, vt moris sui est, ꝙ ille adeo stolidus non solum nequā esset, vt negaret, ficos, reperiri, quos secum semper, & quidem cum dolore gestaret. Quod minime mirum est reperiri, cum pro fructu, ad cuius similitudinem morbus appellatus est, in secunda declinatione, & (vt opinor) in genere masculino, non modo apud poetas, sed apud oratores quoque probatissimos reperiatur, vt Horatius: Pinguibus & ficus pastum iecur anseris albi. Et Plinius ad Octauium Ruffum. Quæ nunc cum ficis, & boletis certamen nondum habent. Et Cicero de senectute. Ex tantulo grano fici. Quidam Grammaticorum recentium, id est, imperitorum aiunt pro fructu quartæ, pro arbore secundæ esse declinationis, cum pro arbore sit sæpius quartæ, vt idem de Oratore: Vxorem suam suspendisse se de ficu. Secundæ autem, vt apud Iuuenalem, ——ad quæ discutienda valent sterilis mala robora fici. Macrobius & ipse in secunda declinatione semper fere vtitur, & plurimos veterum ostendit vsos. Priscianus vero vult pro fructu & morbo quartæ esse, & hoc authoritate Martialis. Neque ego inficior vltimū illum Martialis versum posse sic legi, vt recitat Priscianus. Sed id magis ioco, quam serio à poeta accepimus esse dictum. Neq; enim seipsum, quod ficos dixisset, sed illius & nequitiam, & imperitiā reprehendere voluit, non ignorans ficos & Latinè & vsitatè dici. Nec vero Prisciano faciendum fuit, vt vnum Martialem sequeretur, & Cæcilianum nescio quem, vt flagitiosum, sic eruditum in eo præsertim loco vbi iocabatur poeta, nec suam sententiam aperiebat, & tacitè negabat, quod affirmare videbatur. Nam nequaquam dixisset ficus quartæ esse declinationis, & generis masculini, quod inauditum est, nec differentiam posuisset generis inter morbum & fructum, cum hoc ab illo dicatur.

Adde postremo de morbo ex Celso lib. 6. quem Græcis *σύκωσιν* ait dictum ad similitudinem fici, quem ibid. copiosè describit, & varia illius genera eod. lib. 6. c. 18.

Celsus ergo fugit nomen fici pro morbo acceptum, maluitq; Græcam vocem vsurpare, perinde quasi Latina non esset vsitata. Marcellus autem & ipse perantiquus & æuo Theodosii Imper. medicus, ficum pro morbo posuit & genere virili, sic enim ille: *Ad ficos, qui in locis verecundioribus nascuntur, de orbita rota collige caluos lapides, non prægrandes, neq; paruos, & pone in foco, vt candescant, & lotio infantis eos extingue, postea de ipso lotio locum assiduè laua, ita vt frequenter mutes & lapides & lotium infantis, tantum proderit, vt sectione & ferro opus non sit.* Sed Marcellus iste in senatum classicorum scriptorum nunquam est adscriptus, vt illius proinde auctoritas præscribere nobis legem Grammaticam non possit. Quod si ex vsu sæculi ita pronunciauit, & illud à superiore accepit, erit ho[c] aliquid, sed incertum. Exposui ego quod sensi; Sacramento non contenderim pro sententia mea. aliorum qui virili genere vsurpant, non condemno. Hoc miror omnes vnius Martialis auctoritate niti, cum versus illius alio versum trahatur, aut certe dubius sit. Quod existiment aliqui non posse versum ἀσυνθέτως exponi, quod ij qui fico laborant non dicantur fici, sed ficosi, sicut qui vlcere non vlcus sed vlcerosi. Atqui poetæ abutuntur sæpe verbis, & primitiua ponunt pro deriuatis vti Terentius scelus appellat sceleratum, Plautus propudium loco propudiosi, vt & lutum, & alia Martialis:

Mentitur qui te vitiosum zoile dicit,
Non vitiosus homo es zoile sed vitium.

Ficum autem disertè infra lib. 4. ep. 52. Ædilum vocat.

Gestari iunctis nisi desinis Ædile capis,
Qui modo ficus eras——

Disputat super hoc epigrammate Martialis longa epistola L. Christophorus Scobár Bethicus ad Nicolaum Canauellum IC. & producit Aristotelis c. 13. lib. 1. Elenchorum ex veteri interprete. Solæcismus autem quale quid, dictum est prius. Est autem & hoc facere, & non facientem videri. Quemadmodum Cæcilianus dicit, si ficus sit secundæ declinationis. nam qui dicit ficus maturas, Solœcismum quidem facit secundum illum (Cæcilianum) non videtur autem pluribus. Qui vero ficus maturos, videtur quidem, sed non facit. Eod. modo sit ficus solum masculini generis secundū quosdam. Miris modis obstupui, cum hunc Aristotelis locum perlegerem, nec poteram expedire quomodo Aristoteles de Cæciliano ex Martiale exemplum sumpserit, qui ante Martialem quadraginta supra quadringentos & hæc amplius annos vixerat. Inspexi Græcum exemplar & sua lingua loquentem Aristotelem, vbi hæc verba cognoui. Σολοικισμὸς δ' οἷον μὲν ἐστιν, εἴρηται πρότερον. ἔστι δὲ τοῦτο καὶ ποιεῖν καὶ μὴ ποιοῦντα φαίνεσθαι, καὶ ποιοῦντα μὴ δοκεῖν. καθάπερ ὁ Πρωταγόρας ἔλεγεν, εἰ ὁ μῆνις καὶ ὁ πήληξ ἄρρεν ἐστίν. ὁ μὲν γὰρ λέγων οὐλομένην, σολοικίζει μὲν κατ' ἐκεῖνον, οὐ φαίνεται δὲ τοῖς ἄλλοις. ὁ δὲ οὐλόμενον, φαίνεται μὲν, ἀλλ' οὐ σολοικίζει. Quæ ego ita interpretor. Solæcismus quid sit, dictum est antea. Est autem hoc: Et facere, & non facientem videri, & facientem non videri facere. Quemadmodum Protagoras dicebat: si ira, & galea sint virilis generis, qui dicit perniciosam, Solæcismum faciet, ex illius sententia: aliis autem non videtur: qui vero dicit perniciosum, videtur quidem, sed non facit solæcismū. Hæc Aristoteles, qui nihil de ficu, nihil etiam de Venere, vt est apud Macrobium: Læuinus etiam sic ait:

Venerem

Venerem igitur almum adorans, siue femina, siue mas est, ita vt alma noctilua est. Veteres ergo interpretes pro exemplo Protagoræ substituerunt simile ex Latina Lingua, Græcum enim non quadrabat. Sed Ficus & Venus cum à quibusdam in controuersiam partim generis, partim declinationis vocentur, maluerunt illis pro exemplo vti,

Ad furem de libro suo.

LXVII. LVII.

Erras meorum fur auare librorum,
Fieri poëtam posse qui putas tanti,
Scriptura quanti constet, & tomus vilis.
Non sex paratur, aut decem sophos, nummis.
Secreta quære carmina, & rudes curas,
Quas nouit vnus, scrinioq; signatas
Custodit ipse Virginis pater chartæ.
Quæ trita duro non inhorruit mento.
Mutare Dominum non potest liber notus.
Sed pumicata fronte, si quis est nondum,
Nec vmbilicis cultus, atq; membrana:
Mercare tales adeò, nec sciet quisquam
Aliena quisquis recitat & * petit famam,
Non emere librum, sed silentium debet.

* al. cupit.

Fu i, carmina nondum emissa, aut publicata emenda, & pro tuis recitanda aut v titanda dicit, sua iam orbi nota surripi non posse. Erras quicunque es seu Fidentinus, seu nouus aliquis Thestorides, seu alius, qui emis libros & eos à te factos postea mentiris, non emitur nummis doctrina & poesis.

Ordo verborum est. Erras ô fur qui putas tanti fieri poëtam posse, quanti liber constat. TOMVS VILIS] vide notas Lugdunenses, Vitellium in Merulam. Volumen hoc loco à τέμνω dicitur, vnde τόμος, nam vnum volumen diuiditur in plures libros, & quasi secatur in partes. Scriuerius ex Græcis tomum chartam interpretatur hoc loco, id est, at amentum, inquit, siue describendi labor, quanti constet & charta. * NON SEX PARATVR.] Librum fortasse duodeni aut vicenis crucifixeris emeris. formam eruditionis seu eruditionem ipsam minime. Σοφῶς] de hoc supra dictum est, acclamationis genus erat ὅτι ὁ σοφὸς, aut σοφῶς, sapenter, bellè, quod Latinis euge, vt Persius, Horatius, & Martialis vsurpant. SECRETA QVÆRE CARMINA] secreta, nondum publicè proposita. RVDES] vt persuadeas esse tua, quem omnes rudem, & indoctum esse non ignorant; si enim polita sublegeris, tua rudia & impolita, qualia tu componis, facile à reliquis tuis furtis secernentur. Quid vero doctum doces & ante pilos Ramiresi? respondit ecce propinanti Musambertius. En quo te cæcus ferat impetus mentis; legisses quæ sequuntur, inuenisses meam, quam tibi more tuo transcribis exegesin.

* Manutius lib. 3. ad Q. Fr. epist. 1.

Ego rudes curas (non rudes chartas) exposui, carmina nondum expolita & absoluta, sed noua, recentia nondum in vulgus data, sed ab auctore velut patre domi custodita, hæc enim mea verba sunt. Tu rudes curas, carmina quæ nondum in vulgus prodiere: quæso te mi Ramiresi an θρὶξ ἀνὰ μέσον; estne pilus in medio? carmina quæ nondum in vulgus prodiere; &: carmina nondum in vulgus data? Estne lac lacti ouum ouo tam geminum ac horum verborum intellectus? an tu [illegible]; sed nego, inquis, impolita; Doce ergo quis rudia interpretetur elegantia aut polita? Nam recentia & ego appellaui. quæ tu concionaris de voce rudis infra mihi dicta sunt lib. 6. ep. 42. ad illum versum,

Nec fontes Aponi rudes puellis.

Quis rudes fontes nesciat valere intactas vndas, rudes puellas, intactas, viris immaturas, & quas Tertullianus acerbas appellat? tu πάντας οἱ [illegible] εἰδότας. Quæ porrò de mento, dementias, monuit Musambertius, vt & alia de puta & virgine charta; si in nostris Academiis versareris, mentum tibi ita radetetur non quidem à Radero, sed aliis rasoribus, vt tu nullum illo volumine abraderes, sed flore sanguinis purpurares.

QVAS

QVAS NOVIT ANVS] auctor so'us. SCRINIOQVE SIGNATAS.] Clausas & obsignatas annulo seruat auctor libri non vulgati. Virgo charta metaphora. Vt virgo sola, Ita virgo charta, nondum invulgus data, sed ab auctore velut patre domi custodita. ex qua nullum est descriptum exemplar. QVAE TRITA DVRO] quae nondum in lectorum manus venit, nec versata & tractata pilosa est reddita. Metaphora à barba.

Ouid. *Hirsutus passis vt videare comis.*

Persius. *——positu membrana capillis.*

MVTARE DOMINVM] Auctor, vbi semel intonuit, obtinet ius suum, & securus est furti SED PVMICATA FRONTE] Libri pellibus, vt nunc fit, olim obtegebantur, exque pumice politi ac leuigari solebant. vel ex membrana fiebant, quae lapide vel dente terebatur vt scabritia complanaretur. Ouid.

Nec fragili geminae poliantur pumice frontes.

Idem El. 1. lib. 1. *Quod neq; sum Cedro flauus nec pumice leuis,*

Catullus. *Cui dono lepidum nouum libellum*

Arida modo pumice expolitum.

Frontes appellant alii interiorem & exteriorem voluminis partem: alii summas oras chartae.

VMBILICIS] bullae in vtraque libri extima facie mediae. In fine libri ex ligno aut osse vmbilici solent apponi. Pieri. lib. 34. *Per vmbilicum*, inquit, *intelligendus est, voluminis terminus. qui cum volumen explicatur, in fine oratio est. cum vero idem obuoluitur in spiram collectam: medium tenet locum.*

Manutius ad lib. 3. Cicer. ad Famil. epist. 7. dicet epistolas plicatas fuisse, non inuolutas in volumen vt libri inuoluebantur. Idem tamen ad epist. 1. lib. 3. ad Q. Fr. scribit epistolas eodem modo inuolutas fuisse & collectas in volumen vt libri colligebantur. Videturque Manutius emendare sententiam priorem. De vmbilicis quoque & cornibus librorum idem disputat fusius ad lib. 3 ep. 7 ad Fam. ad quem te locum hinc ablego vt item ad epist. 1. lib. 3 ad Q. Fr. vbi & de pellibus, in quibus veteres scribebant, de quibus nos copiosè lib. 14. lemmate *chartae maiores*, Sed de vmbilicis & cornibus librorum iuuat adscribere locum Pierii.

Cum autem & finem significet vmbilicus, ostendendum quid vmbilicus in libro sit, de libro enim loquitur Martialis cum se peruenisse dicit ad vmbilicum vsque, vti paulo ante dicebamus. In quo quidem multi hallucinantur, dum alii vmbilicos esse putant, defensacula ea aenea quibus librorum angu'i ornantur simul & muniuntur: quandoquidem cornua etiam eodem errore vocari crediderunt a poetis, praecipue vero bullam in libri medio affixam. Alii signa quaedam esse arbitrantur, quibus antiqui librorum fines concludere soliti essent: ideoque Porphyrionem citant, qui ad vmbilicum, ad finem interpretetur apud Horatium:

Deus Deus, nam me vetat

Inceptum celeres promissum carmen iambos

Ad vmbilicum ducere.

Alii clauos ad similitudinem bullae, qui pro ornamento affigi soleant tabulis quibus libri conglutinantur, intelligunt. Alii, vt ex errore vno in alium trahantur, tam se aperte rem indicasse, locum Ciceronis ex tertio de Oratore citant: Sed tum ita solet narrare Scaeuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & Lucrinum legere consuesse: ibi per vmbilicos, lapillos intelligunt lotos & politos, ita enim scriptoris prodidere, cum hae buccinorum quorundam testulae sint, quae turbinatim conuoluuntur, in fastigium acuminatae vmbilici forma, qui ex lapide olim fieri consueuit, ad vmbilici nostri similitudinem. Vt vero & Martialem & Horatium idem dicentes, neque non Catullum & Ouidium etiam intelligamus, qui vmbilicum hunc eodem omnes significato posuere sciendum libros olim fieri solito ductu plurimum perpetuo, vna quippe pagina, non vt nos illis dissectis, & in quaterniones quos dicimus consertis: & quia complicabantur ad instar spirae conuoluti inde volumina dicta iuncta voluendo. In extrema autem pagina firmitudinis ergo paruus admodum bacilius, ex cedro quippe, aut buxo, cupressoue, vel ex ebeno, vel ex ebore adglutinabatur, ad latitudinis modum, qua membrana praecisa erat hunc vmbilicum appellabant, cuius quidem capita volumine complicato hinc & inde prostarent: solebantq; ea ex argento, vel auro, vel etiam minimum gemmis ad ornatum praemuniri: atque ea sunt quae cornua nonnulli vocitarunt, vt Ouidius ad librum Epistola Tristium prima: *Vmbilicus quid.*

Candida, nec nigra cornua fronte geras.

Hoc est neque ebore, neq; argento, aut nitida vlla gemma vmbilici praemuniantur, cuius facies atrata luctum prae se ferat. Martiali. 11.

Explicitum nobis vsq; ad sua cornua librum.

Sic apud eundem, vti superius dictum, quod & apud Horatium, vmbilicus pro fine ponitur: quia principium libri est vbi à titulo incipit explicari: finis, vbi tota reuoluta pagina peruentum est ad vmbilicum. Huius ergo generis volumina multa vidi, eaque vetustissima, alia ex membranis alia

alia ex Nilotica papyro, alia Græcis, alia Hebraicis, alia etiam Arabicis literis perscripta. Non prætereo papyracea illa monumenta, quæ in arcis Æliæ thesauris Romæ asseruantur, in quibus archetypa est Constantini Imperatoris donatio, papyraceum esse textum, glutine quodam delibutum, mox aut aprina sana, vel vitro exæquatum ac perpolitum, vt & scripturæ patiens fuerit, neque vlla calamum asperitate offenderit, miro quippe læuore complanatum.

Cvltvs atqve membrana] pellem hic intelligo, qua obducebantur libri, etsi alias pro ipsa charta ponatur, imò chartæ vicem subeat. potest & hic membrana pro charta poni.

Hoc dubito, an gemina fuerint membrana, quæ ad volumen pertinebat: altera scripta, sed intus tantum; altera non scripta, qua prior scripta tegebatur & inuoluebatur: An vna tantum sed bicolor, & introrsum quidem, qua parte perscribebatur, candida; extrorsum vero crocea seu purpurea; de qua Persius Marcilio capiendus cum Sat. 3. dixit; *Iam liber & bicolor positis membrana capillis.* Bicolorum enim membranam interpretatur intus candidum, foris croceam seu purpuream. Sed haud scio an eod. sensu de bicolore & vna intelligendus sit Tibullus:

Lutea seu niueum inuoluat membrana libellum.

Et Ouid. *Nec te purpureo velent vaccinia succo.*

Et Papin. *Noster purpureus nouusq; charta*

Et noster hic & lib. 3. ep. 2. *Et te purpura delicata velet.*

Lib. 5. ep. 6. *Quæ cedro decorata purpuraq;*

Nigris pagina creuit vmbilicis.

Et Lucianus cum πορφυρᾶν διφθέραν appellat ἔκτοσθεν. Omnino censeo vnicam fuisse membranam & bicolorem, vt dixi; illud enim, ἔκτοσθεν, tergum membranæ exterius notat. Vmbil. ei porro lignei, vel ossei, vel aurei. De ligneis & osseis Porphyrius testis; aureos laudat in mercenariis philosophis, & imperitis librorum emptoribus Lucianus, qui χρυσοῦς ὀμφαλοὺς nominat. Marcilium adi.

Mercare tales] nondum editas in scrinio latentes, non compactas & ornatas, vulgatasque. Scriuerius *Mercare, tales habeo*, vulgo erat, *ab eo.* Heraldus: *Mercare tales; habeo*, Gruterus, *adeo.* Aliena qvisqvis recitat.] Elegans & arguta conclusio. Tu quisquis es, qui vis alienis te plumis ornare, & famam colligere, noli emere libros iam publici iuris factos & notos; sed rudes & recentes, inuisosque, & auctori da pecuniam insuper, vt taceat; permittatque te sua pro tuis recitare. Aut si nouos libros emis, tuosque vulgo iactitas: da auctori pecuniam, vt taceat, & silentium vna cum libro eme, ne ridiculus & ludibrium fias.

Ad * Chœrilum.

** Chœrulû.*

LXVII. LVIII.

Liber homo es nimium, dicis mihi Chœrile semper,
*In te qui dicit Chœrile, liber homo * est.*

** Est cum interrog.*

Ludit in dilogia vocis *liber.* Primo versu capitur pro nimia dicacitate, & linguæ petulantia & maledicentia: Altero vacantem omni negotio significat. Et continet distichum summum Chœruli contemptum, qui ne dignus quidem sit, in quem dicto iaciundo aliquid otii sumatur. Nomen Chœruli sumptum opinor ab illo antiquo & pessimo poeta, qui Olymp. 113. cum Alexandro magno vixit, eius in expeditione comes: de quo Alexander dixisse fertur, malle se Homeri Thersiten esse, quam Chœrili Achillem. Cum eodem pepigit Alexander, vt pro singulis bonis carminibus singulos aureos pro malis totidem colaphos acciperet. Ridet hunc Horatius lib. 2. epist. 1. Et in Arte poet. ad quem locum interpretes lege. Fuerunt & alii Chœruli poetæ laudatissimi, Gyraldum dial. 3. & 6. lege.

Musambertius erotetice exponit: liber homo est? hoc est liber dicendo dicta in te: & intelligi vult dignum, qui omnibus omnium dicteriis tanquam scopus telis propositus sit. Atqui & hoc non liquet, nec quicquam singulare dicit poeta hoc intellectu. Fortasse hoc vult poeta: Tu me Chœrile hominem procacioris & liberioris linguæ esse facis: Ego mihi conscius sum nullum à me læsum sciente volente. Nisi forte in te nescius liber sum, qui tibi conscius es, & de te putas omnia dici. Qui sanè & acutus & argutus, & aculeatus est versus. Ac si diceret. Ego quidem nullum nominatim læsi versu meo. Si tu te læsum putas, ergo te reum confiteris. Parthius, in eo inquit, argutia est se non esse velut per conuicium dicendum liberum hominem à Chœrilo, quippe qui Chœrilum ipsum longè viliorem æstimat, quam vt in eum dicere aliquid vel tralatitium velit.

Ad

Ad Maximum.

LIX. LXX.

Cœpit, Maxime, Pana qua solebat.
Nunc ostendere Canium, Terentos.

Canius Rufus iocularis poëta in campo Martio sedem locarat, vnde ioci occasionem accepit poëta in Canium ludendi, quem Terentos (qui locus est in campo Martio templo Ditis Panis Satyrorum Faunorumque insignis) populo spectandum præbuit loco Panis, cuius ibi simulachrum erat ridentis. De Canio suprà in carm. scriptores vnde. Et lib. 3. epig. 20.

Vis scire quid agat Canius tuus? ridet.

Lege de hoc Gaditano Canio epistolam Valerij ad Rufinum inter D. Hieronymi. Hic cùm ex Hispaniâ, quam reuiserat, in Italiam rediret, obiit in itinere, quod & ex inscriptione tumuli discis quæ est apud Briss. lib. 7.

PANA] Panis fabulam totam diligentissimè exponit Natal. Comes Mythol. lib. 5. cap. 6. Polyænus Stratag. lib. 1. Panem Bacchi ducem fuisse in Indica expeditione scribit, ab eoque primum inuentam phalangam. plura ibidem. Cur autem, quod ad institutum huc pertinet, simulachrum eius semper ridentis habitu finxerint, caussam ex Homero sumtam iudico, qui in Hymno Iouis eum in amœnissimis pratis inter suauissimos flores semper fistulâ cantantem facit & Deos delectantem. Aut quia solem refert, sol enim ob splendorem ridere dicitur.

TERENTOS] Locus in campo Martis dictus, quòd eo loco ara Ditis patris occultaretur, vel quod profluentis Tyberis ripas aquarum cursu tereret. Quo in loco Euander ex Arcadia profectus cum classe substitisse dicitur. Ouid.

Iamq; ratem docta monitu Carmentis in amnem
Egerat, & Tuscis obuius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt vada iuncta Terenti,
Aspicit, & sparsas per loca sola casas.

Eodem loci Proserpinæ ara subterranea fuit, quam Valer. Max. tradit egesta terra ad 20. pedum altitudinem apud Terentum iunctam Valisio quodam auctore, è salinis locuplete & rusticæ vitæ homine, qui libertatis tribus filiis ibi trinoctium furuæ hostiæ sacrificium exhibuit, de quo Ausonius. *Terna Terentino celebrata trinoctia ludo.*

Ipsam aram Romani bello Albino constituerunt, atque alta occultarunt terrâ, vt omnibus præterquam ipsis esset ignota. Hæc ferè de Terento Marlianus lib. 6. cap. 9. plura lib. 4. 1.

Ad Librum.

LX. LXXI.

Vade salutatum, pro me liber ire iuberis,
Ad Proculi nitidos, officiose, Lares.
Quæris iter? dicam: Vicinum Castora canæ
Transibis Vestæ, virgineamq; domum.
Inde sacro veneranda petes pallatia cliuo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.
*Nec te detineat * miri radiata Colossi,* *miri.
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.
Flecte vias hàc, quà madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles dicto stat Corybante tholus.
*Protinus à læua clari * sub fronte Penates,* *tibi.
Atriaq; excelsæ sunt adeunda domus.
Hanc pete, ne metuas fastus, limenq; superbum:
Nulla magis toto ianua poste patet,
Nec propior quam Phœbus amat, doctæq; sorores,
Si dicet, quare non tamen ipse venit?

N *Sic

*scilicet.

Sic licet excuses; quia qualiacunq; leguntur
Ista, salutator scribere non potuit.

C. Iulio Proculo salutationis loco librum mittit, cuius scriptio & labor poëtam detinuit, quo minus ipse coram Proculum salutaret. Est ad hunc aliud lib. 11. ep. 37. VADE SALVTATVM] Vt hoc epigramma intelligatur, sciendum vnde, quoue ex loco mittatur. Vterq; erat in vrbe Proculus & Martialis. Ab ædibus Martialis ad Proculum mittitur liber. Domus Martialis erat ad pilam Tiburtinam, vt ipse testatur, in septima regione vrbis.

Sed Tiburtina sum proximus accola pila,
Qua videt antiquum rustica Flora Iouem.

Proculi verò domus erat in palatio Regione 10. ad læuam templi Deûm Matris. Mediam viam hic describit Martialis. SALVTATVM] vt cliens patronum, quod more fiebat, vt supra exposuimus epig. 56. ad Frontonem.

Et matutinum portat ineptus aue.

PRO ME] epistola vicarias agit partes absentis. Ouid.

O vtinam possem nunc meus esse liber.

Et 1. Trist. El. 1. *——sine me liber ibis in vrbem.*

Et ibidem. *Vade liber verbisq; meis loca grata saluta.*

Et lib. 3. el. 7. *Vade salutatum subito per arata Perillam*
Littera sermonis fida ministra mei.

Lib. 5. el. 5. *Qui mihi flens dixit, tu, cui licet, aspice Romam.*
Heu quanto melior sors tua sorte mea est.

QVÆRIS ITER DICAM] A septima regione ad octauam, hoc est à foro Archemorio ad forum Romanum transibis, cui additum est templum Castoris & Pollucis, itemque templum Vestæ cum atrio vbi erant Palladium & ignis, & virgines Vestales. Onuphri. 8. Reg. CANÆ] vetustæ, antiquæ, Deûm matris. De altero Vestæ templo vide Marlianum lib. 4. cap. 4. Ouid. 3. Tr. El. 1.

Hic locus est Vestæ, &c.

CASTORA] Castoris templum omnes in foro Romano collocant. Victor. Rufus vetus descriptio V. INDE SACRO VENERANDA] A foro ad Palatinum montem via sacra itur. Palatia autem multa circum erant. CLIVO] colle Palatino, omnia dicta à Palatino monte in quo primum palatium. De varia Palatij etymologia Marlianus lib. 3. c. 1. toto. PLVRIMA QVA SVMMI] Statuam equestrem Domitiani, quã longo carmine describit Papinius, significat, quæ fuit in Romano foro.

Quæ super imposito moles geminata colosso
Stat latum complexa forum ——

P. Victor. Ducis Domitiani Cæsaris. sensus erit. A foro Romano transeas ad viam sacram, ea parte qua Domitiani statua equestris in foro Romano posita est. Malim transferre ad Arcum Titi, qui in 4. Reg. & via sacra in eadem & colossus in 4. Reg. vrbis. P. V.

NEC TE DETINEAT] seorsim iudico ab iis, qui etiam hoc carmine iudicant statuam equestrem Domitiani intelligendam; cur enim bis idem in eodem carmine? Et transeundus erat Colossus ad Proculum 10. regione habitantem. De Colosso eo capiendum hoc distichum iudico, de quo lib. spect. ep. 2. *Hic vbi sidereus propius videt astra colossus.*

COLOSSI] supra lib. A. epig. 2. de colosso dictum. RHODIVM] Rhodius Colossus inter septem vrbis spectacula censetur, vt suprà epig. 1. lib. 1. ostendimus 60. cubitorum fuit vt Plin. & inscriptio græca colossi indicat. architectus fuit Chares Lindius.

Τὸν ἐν ῥόδῳ Κολοσσὸν ἑπτάκις δέκα — *Rhodium Colossum Lindius fecit Chares*
Χάρης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος. — *Qui septies altus decem cubitos fuit.*

Ita lege hoc epigramma in 4. lib. non ἐκποίει, nec λάχης, sed χάρης. Festus corruptus in eo loco vbi Caletus seu Coletus legitur pro Charete. nec Suidas rem tetigit de Colossensibus. Bernartium testor ad Papinium sil. 1. Est huius Colossi mentio apud Strabonem, Plinium, Orosium, Polybium, qui terræ motu concussum decussumque aiunt. 105. pedes altus erat, vt Festus metitur.

FLECTE VIAS HAC] Pete templum Bacchi (madidi) periphrasis templi liberi. Templum Bacchi P. Victor, & alii in 2. Reg. vrbis collocant. Est & 6. Reg. ædicula Liberi patris: & in 11. Reg. ædes Liberi Liberæque. Quodnam horum templorum poëta intellexerit, non satis affirmo. illud nobilissimum in 2. Reg. putem.

THOLVS] testudo templi, vbi est quasi scutum breue in medio templi tecto, quo trabes connectuntur, & dona suspenduntur. De hoc Varro, Arnobius, Statius, Philander ad Vitruuium, Virgil. 9. PICTO CORYBANTE] Corybantes erant euirati sacerdotes Cybeles, de quibus alibi. Supra tholum Corybas habitu sacerdotis stabat. Templum Matris Deûm omnes in palatio seu 10. Reg. ponunt. PROTINVS A LÆVA] Descriptio domus Proculi sitæ ad læuam Ideæ Matris. PENATES] tota domus Proculi. HANC * PETE NE] Etsi maximè educta domus, altique postes & limina terrere possint adeuntem, tamen adeo humanus, facilis & officiosus est Proculus, vt nulla superbia,

*Hanc lege, non hac.

perbia, nullus fastus in illo sit timendus. laus Proculi à moribus. NVLLA MAGIS] Neminem virum bonum excludit, omnibus bonis bona patet domus. De hac humanitate & hospitalitate copiosissimè doctissimus Heraldus ad hunc locum. NEC PROPIOR] Nec domus aut ianua gratior vlla Phœbo. DOCTÆQVE SORORES] Musæ nouem. SI DICET, QVARE] Si quærat Proculus; cur non ipse poeta togatus me salutet coram? SIC LICET] Quia si ipse obiisset officium salutandi, otium non habuisset ista scribendi, qualiacunque, seu bona, seu mala, seu mediocria.

Ad Fidentinum.

LXI. LXXIII.

Nostris versibus esse te poëtam
Fidentine putas, cupisq; credi?
Sic dentata sibi videtur Ægle,
Emtis oßibus, Indicoq; cornu:
Sic quæ nigrior est cadente moro,
Cerussata sibi placet Lycoris,
Hac & tu ratione, qua poëta es,
Caluus *cùm fueris, eris* comatus.

Idem sæpius argumentum, sed non eod. car. nec inuentione. Fidentinum furem exagitat. SIC DENTATA] Tu inseris alienos versus tuis, vt alienos dentes suis Ægle puella. Hoc enim factitabant edentulæ fœminæ, quæ pulchritudinem, artificio emebant; sic Palladas.

Et Lucilius aliud epigramma eius Græcum εἰς γραίας κεφ. θ. lib. 2.

Ἠγόρασας πλοκάμους φῦκος, μέλι, κηρὸν ὀδόντας·
Τῆς αὐτῆς δαπάνης ὄψιν ἂν ἠγόρασας.

Vide Budæum pag. 197. INDICOQVE CORNV] ebore. Elephas enim Indica bellua. CORNV] de hac re lib. spect. disputatum est, an Elephas cornu vel dentes, an vtrunque, an neutrum habeat, an medium aliquid. SIC QVÆ NIGRIOR EST MORO] Morus arbor (cuius fabulam Ouid. lib. Trans. 4. de Pyramo & Thysbe describit) mora fert, quorum triplex in succo color. primus candidus, cùm adhuc acerba, deinde purpureus, cùm maturescunt, postremo, cum penitus maturuerunt, nigrescunt. CERVSSATA SIBI] Cerussa lita, Cerussa Græcis est ψιμμίθιον, fit ex tenuissimis plumbis laminis acris aceti vapore resolutis. vide El. 2. Propers. lib. 1. Fœminæ purpurisso & cerussa faciem inficiebant ad conciliandam gratiam & venustatem, contra quas eleganter Xenophon disputat in œconomico, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & alij, Theophrast. in Char. Eth. Cerussa candida est. Quo pacto fiat, leges apud Isidor. lib. 19. Orig. cap. 17. Plura Plinius, Vitruuius lib. 7. cap. 12. & ibidem Philander, Dioscorid lib. 5. cap. 53. & Serapio cap. 38.

Maulbör. Elegans fabula. Bleiweiß.

HAC ET TV RATIONE] Caluitium antiqui horrebant. Iulius Cæsar, vt Suetonius tradit, & Domitianus maximè. Diuinæ quoque literæ de Elysæo à pueris irriso fidem faciunt. Subinde autem emebant crines factitios, & comam fingebant. Ita ridet Martialis Fidentinum, quem poëtam prius caluum fuisse dicit, id est nullũ aut certè malum, insertis quibusdam alienis versibus, velut crinibus factum esse comatũ. CALVVS COMATVS] De hoc plura adagiographus in caluo comato.

De Lino.

LXII. LXXVI.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum
Qui mauult, mauult perdere dimidium.

Lino, quod nil reddat, nil credendum. Cùm te poscit centum sestertios nummos Linus, dona illi quinquaginta; præstat enim quinquaginta illi donare, quàm centum perdere; æquè enim non soluit mutuum, ac donatum. Similis est iocus in 2. lib. epig. 3.

Sexte nihil debes, nil debes Sexte fatemur;
Debet enim, si quis soluere, Sexte, potest.

Donare ergo & dare perdere est scriptorib. Plauto in Eucl. Trinummo, Senecæ, Tertulliano, testes producit Musambertius.

Ad Flaccum.

LXIII. LXXVII.

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce Antenorei spes, & alumne Laris,

*Pierios differ cantusq; * chorosq; sororum:*
Æs dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Mineruæ:
Hæc sapit, hæc omnes fœnerat vna Deos,
Quid possent ederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas,
*Præter aquas Helicon, & serta, lyrasq; * Deorum*
*Nil habet, & magnum * semper inane sophos.*
*Quid tibi cum Cirrha? quid cum * Permessidos vnda?*
Romanum propius, diuitiusq; forum est;
Illic æra sonant: at circum pulpita nostra,
Et steriles cathedras, basia sola crepant.

* citharamque.
* Dearum.
* sed per inane semper in ore.
* Permessida vnda. al. Permessida lympha.

Hic est Valerius Flaccus Setinus seu Patauinus, nam de natali eius solo certatur, auctor octo librorum Argonauticorum, de quo supra in carmine *scriptores vnde.* Hoc epigrammate Martialis Flaccum poetam magnum, sed tenui censu, vt plerique, hortatur, vt desinat poëtari, & forum adeat, ac quæstuosam eloquentiam sectetur, quando nullus aut exiguus honos sit præmiumque Musis. qua de re est Sat. 7. Iuuen. Et liber Quintiliani de caussis corruptæ eloq.

O MIHI CVRARVM] Flacce Patauinæ, qui curarum mearum leuamen & solatium es vnicum. ANTENOREI LARIS ALVMNE] Ciuis Patauine, Antenor Pataui conditor. Virg. 1. Æneid.

Hic tamen ille vrbem Pataui, sedesq; locauit.
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaq; fixit
Troia——

PIERIOS DIFFER CANTVS] differ lege, non differt. Desine poëticam, aut differ in aliud tempus, nunc enim nullum Musis pretium. Et verum est illud Titi Calpurnij Eclog. 4.

Frange puer calamos & inanes desere musas
Et potius glandes rubicundaq; collige corna
Duc ad mulctra greges & lac venale per vrbem
Non tacitus porta. quid enim tibi fistula reddet,
Quô tutere famem?

ÆS DABIT EX ISTIS] Ouid. 2. de arte.

Carmina laudantur, sed munera magna petuntur.

Et idem. *Ipse licet venias musis comitatus Homere:*
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Idem lib. 4. Tri. eleg. 10. *Sæpe pater dixit, studium quid inutile tentas?*

Martial. lib. 11. *Dicitur & nostros cantare Britannia versus,*
Quid prodest? nescit sacculus ista meus.

Lege ep. 56. lib. 8. ad hunc eundem.

Temporibus nostris——

Et Ouid. in lib. de arte. *Ingenium quondam fuerat pretiosius auro.*

QVID PETIS A PHŒBO] Phœbus pauper est, nil habet, quod largiatur. Si numen poëtarum, & ipse Deus pauper est, quid poëtæ eius alumni, clientesque habeant? ARCA MINERVÆ] Forum Romanum, iuxta quod Mineruæ templum, in quo causæ agebantur, reique larga patronis soluebant patrocinij præmia & Minerual. Perottus. Subtilius quæsitum videtur, quod Domitius de Domitiani Minerua censet & adulatores intelligit Domitiani, qui tantum assentoribus suis donet æquis & iniquis, sed apertè Martialis de Caussidicis agit, cum mox subiungit Romanum propius diuitiusque forum est. Qui existimant arcam Mineruæ dici ob leges à Minerua conditas, æquè enucleatum iudico, sinceras & expeditus Perotti sensus. alij de priuata cuiusque arca & pecunia arcis custodita interpretantur: sed poëta ipse mittit nos ad forum (cui præsidebat Minerua) cum subiungit:

Romanum propius diuitiusq; forum est.

De foro & simpliciter pro iudiciis accipi Mineruam iudico, Martialis ad Plinium:

Totos dat tetricæ dies Mineruæ
Dum centum studet auribus virorum.

HÆC SAPIT, HÆC] sapit ἐνεργητικῶς, eadem enim sapientia Pallas & Minerua. FŒNERAT] Dat reliquis Diis mutuum, miseros Deos & ridiculos, qui mendicare nummos à fœmina coguntur.

tur. Scaliger apud Scriuerium reum solœcismi peragit hic Martialem, defendit Scriuerius & *fœnerat* pro *defœnerat* dictum putat, id est, exhaurit, ac trucidat. sine exemplo tamen dixit Martialis *fœnerat Deus* latini fœnero alicui pecuniam, sol fœnerat sideribus lumen, apud Plinium leges. Itaq; Scriberio subscribamus, dum aliqua melior scriptura appareat. QVID POSSENT EDERÆ] Confirmat quod dixerat, *fœnerat vna Deos*, ab enumeratione singulorum. non locupletant etiam mille Bacchi ederæ.

Cura ducum quondam fuerant regumq; poëtæ.
Præmiaq; antiqui magna tulere chori.
Sanctaq; maiestas, & erat venerabile nomen
Vatibus & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus hortos
Contiguus poni Scipio magne tibi.
Nunc ederæ sine honore iacent, operataq; doctis
Cura, nihil musis, nomen inertis habet.

Ouid. lib.3. de arte. PALLADIS ARBOR] Olea sacra Palladi, arbor & plena baccis & fructibus, vt meritò Iuppiter apud Auienum laudet Palladem ob delectum. Phædrum Augusti libertum in Æsopiis audi. lib.3.56.

Olim quas vellent esse in tutela sua,
Diui legerunt arbores, quercus Ioui,
Et Myrtus veneri placuit, Phœbo laurus,
Pinus Neptuno, populus celsa Herculi.
Minerua admirans, quare steriles sumerent,
Interrogauit caussam dixit Iupiter,
Honorem frustra ne videantur vendere.
At me Hercules inquit quod quisq; voluerit:
Oliua nobis propter fructus gratior.
Tum sic Deorum genitor, atq; hominum sator:
O nata meritò sapiens dicere omnibus:
Nisi vtile est quod facimus stulta est gloria.

INCLINAT VARIAS] Baccarum nigrarum, (nigrescunt enim maturiores) pondere & vbertate oliua ramos incuruat. COMAS] frondes. VARIAS] quia bacca varia, viridis, flaua, nigricans, &c. PRÆTER AQVAS HELICON] Helicon Musarum vertex, Boeotiæ mons est (vnde dicuntur Musæ Heliconiades) vicinus Phocidi, in qua Parnassus seu Larnassus, cui Helicon æmulus altitudine, ambitur saxea rupe & niuibus. Parnassum tamen Ptolemæus & alij in Asia ponunt, nisi Phocis etiam in Achaia. Lege Mythologos. Helicon accipitur pro ipso studio poëtico. Heliconem Oty & Ephialtes Musis consecrarunt, dictus Helicon à vertendis foliis. Nata. lib.7. cap.15. NIL HABET] Lege Quintiliani Dialogum apud Tacitum. SERTA] quæ ferunt poëtæ ex edera vel lauro. LYRAS] Vnde Lyrici poëtæ, qui ad lyram vel citharam canebant vt Pindarus, Horatius, Anacreon, & alij. DEORVM] Apollinis & Musarum. SEMPER INANE σοφῶς] non est improba hæc scriptura, nec scio an Perotti melior qui habet sed perinane eod. sensu, σοφῶς nempe acclamatio sine vtilitate, fructu compendio. De acclamatione nos alibi. PERMESSIDOS] Permesside lympha Ianus Gulielmus ex M.S. legit, vtraque lectio emendata est. Permessis vnda, dicitur, sicut Libystis vrsa. Permessus fluuius est, qui ex Helicone in Coparden Lacum deuoluitur, sacer vt fons Caballinus. CYRRHAM] alii oppidum Phocidis iuxta Parnassum affirmant, alii verticem Parnassi. biceps enim Parnassus & biuertex est. alter Cyrrha, Nissa alter appellatur, vt testatur Abrahamus Ortelius. de bicipiti Parnasso Persius in Prologo.

Nec fonte labra prolui Caballino
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini———

ROMANVM PROPIVS] Ad forum te conferas, caussas agas, si rem augere desideras, vt suprà se à Tito admonitum dicit.

Cogit me Titus actitare caussas,
Et dicit mihi sæpe magna res est.

PROPIVS] quam Helico aut Parnassus. Propius ad opes comparandas. De triplici foro in quibus caussæ agebantur dicam loco. DIVITIVS] Ita & Cicero locutus est in lib. de Orat. *Inde ille licentior & ditior fluxit Dithyrambus.* Hinc veteres dixere ditito, diuitas, id est, locupleto. Accius. *Nihil credo auguribus, qui aureis verbis diuitant alienas, suas vt auro locupletent domos.* Et Turpilius: *Dij me diuitant.* ILLIC ÆRA SONANT] æquè in foro patronis à clientibus numerantur: illic enim venalis est lingua precio. Cicero certè & Demosthenes ad magnas opes eloquentia & patrociniis peruenerunt. AT CIRCVM PVLPITA NOSTRA] Nos præter laudem, & acclamationes, & oscula nil referimus. PVLPITA] Pulpitum ante scenam locus editior, in quo omnis comœdia recitabatur.

In 8. Regiæ me.

CVI LICET EXIGVI.] Qui venari potest in villa, qui villæ adiunctas hab: t siluas, & agros, vt supra ad Licinianum. *Vicina in ipsum silua descendet focum.* RVRISQVE BEATI] Horatius

Beatus ille, qui ——

Paterna rura bobus exercet suis.

ANTE FOCVM PLE. EXPLICVISSE PLA.] exposuisse habent alii libri; vtraque scriptura proba. Retia intelligit & casses, vt supra.

Ibi illigatas mollibus damas plagis.

Horatius. *Aut trudit acres hinc & hinc multa cane*

Aptos in obstantes plagas.

Aut amite leui rara tendit retia.

ET PISCEM TREMVLA.] Et cui piscari lic: t in suo alueolo, tremula seta, arundine, virga, à qua tremente pendet seta. Oppian. lib. 4. Halieuticῶν quatuor piscandi n odos recenset. N: ssa, hamo, lino, seu reti, & facibus ac tridente. Poeta hic de hamo loquitur. FLAVAQVE RVBRO] Rubro cado, seu rubra testa, vt lib. 13. de Faba. *Si spumet rubrâ conchis tibi pallida testa.* Horatius amphoras vocat.

Aut prisca puris mella condit amphoris.

Ita cadus & amphora ponuntur pro quouis vase melli seruando apto. PINGVIS INÆQVALES.] Domitius exponi, inæquales sine ordine, forte melius ad ipsas mensas inæquales, claudas, non pares, nec æque altas aut humiles, vt Ouidius Transfor. lib. 8.

——mensam succincta tremensq;

Ponit anus, mensæ sed erat pes tertius impar

Testa parem fecit, quæ postquam subdita cliuum

Sustulit, æquatam menta exterjere virentes.

Imo ipse Martialis videtur hoc clamare, quod lib. 2. epig. 4. aperte dicit.

Fulcitur testa fagina mensa mihi.

Mittit Ramiresius lectorem ad lib. 2. ep. 43. vbi tamen hæc ipsa posuit, quæ ego hoc loco, vt mea tantum migrarit verba ex Ouid. o, & hanc ipsius artem nobilem ac Fidentinianam non raro deprehendes, & notauit Musambertius.

ET SVA NON EMPTVS.] Et cui focus ministrat epulas inemptas. sic enim malo, quam Domitius, non emptum cinerem, ligna interpretatur non empta. cuius tamen non reiicio explanationem. Iuuen. *Et panis fumusq; domi.* Sed Iuue. de cibo loquitur. Horat.

Sacrum vetustis extruat lignis focum,

Et horna dulci vina promens dolio

Dapes inemptas apparet.

Dicuntur autem inemptæ dapes domi natæ nullo ære paratæ. OVA] Lac & oua villicorum delitiæ. Diisapposita scribit Ouidius in 8. *Ouaq; non acri leuiter versata fauilla.* NON AMET HANC.] Conclusio voti. Vitam hanc quietam & priuatam oderit is, qui me odit, nihil enim deterius illi imprecari possum, quam curas æter nas, odia, vigilias, insidias, inimicitias, turbas, quibus vrbana vita cumulata est: Agricolæ autem felicissimi. Virgil.

Qui magis optato queat esse beatior æuo,

Quam qui mente procul pura sensuq; probando

Non auidas agnouit opes ——

VIVAT ET VRBANIS] *Albus*, inquit Lipsius lib. 1. Elect. c. 13. *non ad pallorem, sed ad vestem: quoniam officia hæc anteambulonum in toga alba.* Iuuenalis.

——niueosq; ad frena Quirites.

Domitius albus exponit sollicitum anxium, nam & alibi album timentem, & anxium dixit esse poeta. Turnebus ni fal: or exponit pallium. Ego sicut Martialem de officio anteambulonum proprie locutum non dubito, ita plane existimo eundem oblique curas, turbasque, & tumultus vrbicos voluisse significare, cuius institutum erat quietam priuatam, & agricolarum vitam anteponere publicæ & vrbanæ, &c. Quo & Horatii c de spectat, & laus vitæ rusticæ, Virgil. in culice. Ramiresius: *albus* est delicatus & pulcher, quem alia omnia docet Musamb.

Ad Cauponem.

LVII. XLIX.

Continuis vexata madet vindemia nimbis;

*Non potes, vt cupias, vendere, * caupo, merum.*

* *Copo. P. semper.*

Elegantissimè illudit in copone vinum solito aqua miscere, ac pro mero vendere. Tunc autem ob assiduam tempestatem, & imbres cadentes vinum non poter: t diluere, aquosum enim fuisse

lesti satis tinctum. VT CVPIAS] videtur laudare fidem, & notat perfidiam. Vt cupias quamuis minime cupis fidus, & bonus esse, tamen non potes, propter imbres. Argutissima argutia in Coponem, cuius ait tantam esse improbitatem, vt volens etiam non possit esse bonus. Nam boni viri tingunt aqua merum, tingit & copo, illi ne noceant, iste tantum, vt sibi prosit. Illi cum merum propinant, optima fide faciunt, hic inuitus ac nolens, quod vinum ὑδροφόρον, & per se aquosum plus aquæ non ferat, quod tamen cupit copo. *Videtur*, inquit Titius noster, lib. 2. cont. cap. 7. *hoc velle dicere Martialis. Quoniam vindemia madet continuis vexata nimbis, non potes, ô caupo vendere vinum, vt velles, id est purum, sed tamen interim tacito sensu vult cauponem illum cupere quidem vinum infuscatum, vt loquitur Plautus, ac multâ aquâ fractum hospitibus exhibere, id autem non posse propterea, quod vinum illud, ex vua madida expressum & aquosa, non patiatur aliam insuper aquam sibi infundi ac permisceri. Et tota ambiguitas latet in voce* (merum) non secus ac penes Ausonium in Meroen à natura ebriosam.

Infusum sed quod vinum non diluis vndis,
Potare immissum sueta merumque merum.

Quæ contra Ramiresium Musamb. hic collocat, tute leges; mecum certe facit Musambertius.

Ad Flaccum de Sportula.

L. LX.

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum:
Inter delicias quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli:
Tam male cum cœnem, cur bene, Flacce, lauor?

Sportulam litterariam damus iis qui nondum rectas Latinæ Musæ cœnas gustauerunt; de nomine, initione, origine, pretio, vsuque ordine συνώνυμως disseremus, quando multorum inde scriptorum intelligentia pendet. Sportula & sportella à sporta dicitur, quod à sparto nomen accepit, aut ab asporto, vt Nonius & Isidorus docent. Est autem spartus frutex virgosus sine foliis, ab asperitate vocatus, similis carici herbæ, & funes de eo conficiuntur. Isid. lib. 20. c. 9. Polluci dicitur κίστα, ὀψοφόρος σπυρίς. Sunt sportæ, seu sportulæ, & sportellæ, vel ciborum, vel pecuniarum receptacula, sportea item vtensilia, vt Asconius ad Cic. Verrinas docet. Turnebus sportellas viriles ait esse, quibus artolagani & bellaria ferebantur. Varro de vita P. R. lib. 1. *Neque enim obsonium in tota cœna receptum ex variis rebus cum coniectum in vnam sportam perspicitur.*

Sportula ergo proprie nummis ferendis & opsoniis seruiebat, vnde μετωνυμικῶς pro ipsa pecuniâ & cibo frequentissime apud scriptores ponitur. Apud posteriores Romanos cenæ etiam sportulæ sunt dictæ, quas diuites dabant tenuioribus in sportulis gerendis, quæ opponuntur rectis.

Auctorem sportularum facit Alexander Neap. lib. 5. c. 24. Catonem Vticensem. *Cato iunior*, inquit, *nouo more tribuit sportulas Græcis ex tritico, raphano, blito & apio. Romanis autem vini amphoras, carnes porcinas, ficus & lignorum fasces.* Quæ quidem ex Plutarcho sumpsit Alexander, qui in Catone minore dona attribuit Græcis quidem ex porro & lactuca, & raphano, & blito, & apio; Romanis autem vini amphoras, carnes suillas, & ficus, & cucumeres, & lignorum fasces. Hinc sportulæ videntur cœpisse germanæ cum opsonio. Nam vox quod & antiquior, & vsus alius atque alius: in sportulis enim qui ad alios cœnatum ibant, secum cœnam aut cœnæ partem veluti symbolam ferebant, vt hodie fieri quandoque amat apud Germanos; sed de hac sportula hic non tractamus.

Occasio sportularum institutarum. Occasionem accepit res ex ludis & muneribus publicis, cum populus laute accipiebatur, & publice accumbebat ab editoribus munerum acceptus. Deinde transiit ad priuatos potentiores, qui suis salutatoribus, & qui in officiis erant, sportulam seu cœnam rectam dabant, vt hodie viri principes; cumque ingentes sumptus fierent, Nero cœnas rectas sustulit & sportulam à Catone cœptam reuocauit, factumque est, vt sæpe pecunia pro opsonio daretur, nonnunquam pecunia cum ipso opsonio, Domitianus cœnas rectas reuocauit. Pecunia, quæ clientibus dabatur à patronis vice sportulæ erat C. quadrantes, hoc est, viginti cruciferi, seu quinque victoriati, Martialis æuo XVI. tantum. *Ein Frey tafel.*

Prima origo sportulæ à frumentatione. Sportulam accipiebant quidem ex more tenuiores tantum, sed Iuuenalis queritur à potentioribus eandem experi solitam, & Martialis lib. 10. epig. 10. *Cum tu laurigeris, &c.* Primam originem videtur sumpsisse à frumentatione, seu frumenti in populum largitione, statim ab eiectis regibus: quæ quidem frumentatio durauit semper in Repub. Romana. Ita vt vilissimo pretio magnum frumenti numerum emerent ciues. Clodius pretium omnino sustulit, & gratis dedit, quod seruatum postea. Sed non idem frumentatio & sportula. frumentatio enim ex ærario publico fiebat. Sportula etiam à priuatis, imò primitus nunquam ex ærario dabatur. *Non videtur fuisse haec vera sportulæ origo.*

Accipiebat vnus aliquis cliens, tres, quatuor, quinque, aut plures sportulas eodem die singulis

Lib. 1. epig. 81. enim qui erant in officiis sportulam præbebant. Sic Martialis ad Canum. *Occidit puttore, Cane, quod una fuit.* Scribit de hac re Turnebus, Lambinus, Stukius, Fuluius Vrsinus. Læuinus Torrentius, Lipsius, Faber, Alex. Neapol. Ex Cic. Plutarcho, Plauto, Suetonio, Dione, Polluce, Tertulliano, Martiale, Iuuenale.

Sportula præterea salarium, & honorarium iudicum est: significat & erogationem in funere apud Christianos συλλογὴν, λογίαν, ἐλεημοσύνην, χάριν collectam, Germanis, ein Spendt / Almosen Seckel für die Haußarme Leuth. Hic Augustæ prorsus à senatu sportula datur ciuibus tenuioribus, panis, butyri, ligni, &c. Huc reuocantur Xenodochia, prochodochia, quibus à ciuitatibus victus suppeditatur.

Die Pfründt / crslipendia.

A Martiale pluries sportula opponitur cœnæ rectæ, quæ dicitur, cum accumbentibus iusta cœna datur. Vt hoc loco.

Ein gesetztes mahl.

DAT BAIANA MIHI QVADRANTES SPORTVLA CENTVM.] Baiana sportula dicitur quod ob lauationem detur. qui enim vna lauabant Baiis, vbi optimæ erant aquæ, vna à potentioribus ibidem sportulas accipiebant. Sed Poeta & præstantiam balnei laudat, & de fame queritur. optime, inquit, Baiis laui, pessime cœnaui. De Baiis copiosius, lib. 11. epigr. 81. lib. 3. epigr. 57. & aliis. QVADRANTES CENTVM.] Communis sportula priuatorum. Imperatores sæpe liberaliorem dederunt.

Iuuen. Sat. 1. QVADRANTES CENTVM] valent 25. assibus; quatuor quadrantes, seu teruncii, vno æstimantur asse. Dictus quadrans, quod sit quarta pars assis. teruncius à tribus vnciis; quinq; quadrantes, seu teruncii, hodie apud Tyrolenses æquant cruciferum. Italis vn quadrin: 10. nummi, decem sestertii; decem nummata; & centum quadrantes idem habent pretium, id est, 20. cruciferos. Et hoc prisca & primâ assis æstimatione. Æuo Martialis 12. quadrantes efficiebant sestertium nummum. centum ergo quadrantes æstimabis sedecim cruciferis & asse. TENEBROSA] antiqua consuetudine, nam postea clariora. Sen. epist. 87. Plinius epist. 3. lib. 1. Sidonius lib. 2. epist. 2. Rectam cœnam multis partib. anteponit sportulæ Martialis, aliis locis enim vocat misellos quadrantes. INTER DELICIAS] Cum optime & laute lauerim, decuit etiam laute accumbere. alioqui malim pessimè lauari, optimè cœnare. REDDE LVPI NOBIS.] Nomina sunt balneatorum, qui mercenaria balnea, vt hodie passim in Germania, habebant. Malo inquit poeta, lauari mercede apud Gryllum & Lupum, quamuis male, sed largius cœnare, quam in Baiis delicate lauari, & secundum balneum esurire. Multa passim balneatorum priuatorum nomina ponit Martialis. Hetrusci, Tuccæ, Grylli Lupi, Fortunati, Pontici, Seueri, Fausti, Pæti, Tillini. De publicis & priuatis simul consule Philandrum ad lib. 5. Vitruuii, c. 10. TAM MALE CVR CŒNEM] Fames & delitiæ balnei male conueniunt. corpus sudore, caloreq; debilitatum, requirit largiorem lautioremque cœnam. FLACCE] putatur hic Valerius Flaccus poeta qui condidit Argonautica, ad quem plura passim sunt epig.

De lepore & leone.

LXI. LI.

Intres ampla licet torui lepus ora leonis:
Esse tamen vacuo se leo dente putat.
*Quod ruet in tergum, vel quos * procumbet in armos,*
Alta iuuencorum vulnera figet vbi?
Quid frustra nemorum Dominum, regemque fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera,

* prorumpet.

Ludit adhuc Martialis in leone & lepore, tantillus, inquit, est lepus, vt quamuis totus ora leonis ingrediatur, ille tamen perinde putet, ac si nihil in ore habeat. QVOD RVET IN TERGVM] Iuuenci vel tauri, vel grandioris animalis. ruet autem significat impetum feræ, quo fertur in prædam repertam. ARMOS] armi sunt in pecudibus, qui in hominibus humeri solus homo dicitur habere proprie humeros, armos verò bestiæ. Perottus. Festus docet ab antiquis humeros cum brachiis etiam in homine dictos fuisse armos, vnde vox armillæ & arma ab his dependētia. ALTA IVVENCORVM] vbi nulla est prope caro, non possunt alta vulnera infligi, iuuenci pingues præbent locum altis vulneribus, lepores non item. QVID FRVSTRA NEMORVM DOMINVM.] Conclusio à præstantia & nobilitate leonis. REGEMQVE] Basilius leonem pro dominatore animalium rationis expertium ponit. Reges sane augurium ex leone ceperunt. Trogus de Sandrocolto Indo, cui ex fuga fesso somnoque in silua correpto leo sudorem abstersit. quod Regni augurium fuit Pierius lib. 1. Extat dialogus Pontani nostr. in tertio progymnasmatum Leontarchia, seu de principatu leonis in feras, vbi regnum Leoni inter belluas oratione conciliatur. NON NISI DELECTA] Conclusio, leonis tantum nobiles, & maximas captare prædas. Multi fuimus in hoc argumento supra.

Iacobi Pontani Leontarchia.

Ad † Licinianum scriptores vnde.

LII. LXII.

Verona docti syllabas amat vatis.
Marone fœlix Mantua est.
Censetur Apona Liuio suo tellus,
Stellaque nec Flacco minus.
*Apollodoro * plaudit imbrifer Nilus,*
Nasone Peligni sonant,
Duosque Senecas, vnicumq; Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent iocosæ Canio suo Gades,
Emerita Deciano meo.
*Te * Liciane gloriabitur nostra,*
Nec me tacebit Bilbilis.

† *Non Licinianum nam prima breuis Catull. Hesterno Licini die ocioso.*

* *Gaudet. nō probo: quia mox sequitur.*

* *Liciniane.*

Occasionem captat se patriamque laudandi. VERONA] Catullus Veronensis. (Verona vrbs Italiæ, etiam hodie retinet nomen.) Ad Benanum natus in peninsula Sirmione, quam bello descripsit carmine. De Verone antiquitate, & origine legendus Taurellus, Saraina, qui super ea quatuor volumina condidit. SYLLABAS] Syllabæ pro Phalcucio accipiuntur, qui hendecasyllabus est. Catullus.

Adeste hendecasyllabi, quot estis
Omnes vndique——

Res nota vulgo, soli Ramiresio ignota, quem docet literas Musambertius, qui multa erudite hoc loco.

MARONE FELIX] *Mantua me genuit*——de hac re multa Virgiliani interpretes, quos videbis. CENSETVR.] Magni fit, laudatur, prædicatur, numero, & loco est propter Liuium. Ita censeri virtute, armis, iustitia dicitur eruditis priscis. APONA] Apona Patauina tellus. Aponus fons nobilis haud procul Patauio celebratus Claudiano singulari poemate. lege plura. lib. 6. epig. 42. Describit hunc Cassiodorus disertè. vt lib. 6. leges. Historicus Liuius, Thraseas Pætus, Valerius Flaccus poeta, Stella item poeta, Paulus I C. Asconius Pedianus, Longo ius, omnes Pataui vel nati fuere, vel ibi floruere. APOLLODORO * PLAVDIT IMBRI.] Plures fuere Apollodori vel tragici, vel comici, vel Grammatici. Hic Alexandrinus poeta laudatur æmulus Menandri. IMBRIFER NILVS] Quid? imbrifer? cum omnium fere Geographorum, & poetarum testimonio imbres in Ægypto non cadant, aut rarò, & per hiemem cadant. Imbriferum vocat Nilum, prudenter, & erudite doctus poeta, quod Nilus Ægyptiis sit loco imbrium cœlestium, & pluuiarum, quando totam Ægyptum quotannis inundatione sua fœcundat. Quod scriptores testantur omnes, qui de Ægypto cogitarunt. Egesippus plane huc facit lib. 2. de Excidio Hierosol. Et imprimis Seneca Natural. Quæst. 4. c. 2. *Nam*, inquit, *in parte, quæ in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetum aquis cælestibus non adiuuent.* Lucanus l. 8.

Ande natus, inde Andemus.

* *Gaudet.*

Terra suis contenta bonis, non indiga venti
Aut Iouis, in solo tanta est fiducia Nilo.

Claudianus. *Ægyptus sine nube ferax——*

Et. [illegible] *Gaudet aquis quas ipsa vehit——*

Sed nihil opus, in re testatissima, testibus aliis. Ramiresius Nilum vicem imbrium esse iam à me doctus docet. NASONE PELIGNI.]

Sulmo mihi patria est gelidis vberrimus vndis,
Millia quæ nouies distat ab vrbe decem. †

† *quadraginta nostratia.*

2. [illegible] *Hæc ego composui Pelignis natus aquosis*

Et in 3. Elegi. *Mantua Vergilio gaudet Verona Catullo*
Pelignæ gentis gloria dicor ego.

DVOSQVE SENECAS.] Laudat Hispanos scriptores & poetas, sui non oblitus. Senecæ Cordubenses sunt, vri & Lucanus. Ingens certamen est de Senecis duobus. sed docte & vere componunt Lipsi El. i. c. 2. & Delrius in vita Senecæ. Tu rem hic accipe, fidem ibi quære. Senecas duos

laudat Martialis, Rhetorem, seu declamatorem, qui & auctor controuersiarum & suasoriarum. & Philosophum, cuius cætera omnia, quæ Senecæ nomine extant siue ligata, siue libera oratione scripta. Rhetor, seu declamator, huius Philosophi & Tragici pater. Obscurior ille post ritati, clarissimus iste & solus prope notus. Illi Rhetori tres filii fuere, Philosophus seu tragicus. Nouatus & Mela, qui postremus Lucanum poetam procreauit. Hæc vt dixi sic habent. si contra venias, duos Achilles cum immortalibus armis obiicio propugnatores Lipsium & Delrium, quorum si vim & argumenta eluseris, ego manus dabo. Itaq; caue à Sidonio Appol inare in errorem traharis, qui de duobus hunc in modum scribit. Cor. 9. *Non quod Corduba, &c.* Ioannes Sauar. nouus Sidonii interpres à Lipsio & Delrio dissentit. Vide Delrium in vita Senecæ. Obserua item carmen Martialis:

Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Vbi tres fratres poeta prædicat illius Rhetoris filios, Senecam, Nouatum, & Melam; caue item Gyraldum histor. poet. dial, 8. De Lucano lege Schol astas in vita eiusdem. Aliam Meursius explanationem adfert quam videbis ad hoc epig. lib. 4. ep. 40. GAVDENT IOCOSÆ] Gades insula, & ciuitas ad extremum Oceanum Occidentis, Canii patria de quo plura sunt epigrammata, infra ep. 70. multa super hoc Canio. lib. 3. c. 20. IOCOSÆ] quia Canius iocosus & ridiculus. imo quia Gades improbæ & artifices lasciuiæ & iocorum petulantiorum. Regredere ad lib. 1. ep. 42. EMERITA DECIANO MEO] E eritæ Augustæ mentionem faciunt Ptolemæus, Strabo, Mela, Plinius, eamq; Lusitaniæ vrbem faciunt, quam alii Bæturiæ, alii Turdulis tribuunt. Golzius ex nummo Augusti coloniam factam ostendit. De Deciano plura supra diximus in epigr. de dogmate Deciani. fuit enim Stoicus, vbi negauit meus encomiastes Ramir. esse Emeritianum.

TE LICIANE.] De Liciano supra ep. 50. dictum. ibidem de Bilbili oppido Celtiberiæ patria Martialis. De Apollodori, Canii, Deciani, Liciani scriptis nihil superat; reliqua clara.

De Læuina casta, & ad Baias adultera.

XLIII. LIII.

Casta, nec antiquis cedens Læuina Sabinis,
Et quamuis tetrico tristior ipsa viro,
Dum modò Lucrino, modò se permittit Auerno:
Et dum Baianis sæpè fouetur aquis;
Incidit in flammas, iuuenemq́; secuta, relicto
Coniuge, PENELOPE VENIT, † ABIT * *HELENE.*

† Abiit.
* Thymele.

Balnea castis publica vitanda, docet exemplo Læuinæ. Læuina ficta vox. meminisse potes illius versus.

Hunc seruare modum nostri nouere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

ANTIQVIS SABINIS] Romanis matronis, quæ natæ ex Sabinis. Liuius lib. 1. d. 1. *Sabinorum vero mores incorrupti & sancti.* Id. eod. lib. *Instructumq́;* (intellige Numam Pompilium) *non tam peregrinis artibus, quam disciplinâ tetricâ ac tristi veterum Sabinorum, quo genere nullum quondã incorruptius fuit.* Iuuen.

—— Intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina.

Nec dubito, quin Lucretiam similesque Lucretiæ poeta insinuet. ET QVAMVIS TETRICO] Laus coniugi. honesti, castus & honestus maritus castior honestiorque vxor Læuina. Attollit castimoniam amplius, vt maius inde dedecus ostendat. tetricus & tristis significant alienos ab inhonestis voluptatibus, studiis ac iocis. DVM MODO LVCRINO] Lucrinus & Auernus duo sunt lacus propter Baias, inter se non procul dissiti, quos tempestas grauior subinde iungit. Auernus dictus est ab auibus ex graui lacus halitu necatis, dum superuolarent. Lucrinum à lucro dictum putant, quod maior ibi copia piscium. Perottus. Hos Cæsar purgauit mareq; in vtrumq; immisit, portu Iulio facto. ET DVM BAIANIS] Baiarum aquarum, non tantum poetæ, sed historici & Cicero, & Vitruuiu mentionem faciunt. Non fuerunt laudatiores thermæ, lege carmen 60. supra. & lib. 11. epig. 81. INCIDIT IN FLAMMAS] turpes & fœdos amores. notat Romanarum matronarum prauos mores. Et tu, quid balnea prosint, ex græco epigrammate disce.

B.V.P nigrã Plutonis in antrum. Et propter Al, vecto lumine præceptant.

Οἶνος καὶ τὰ λοετρὰ, καὶ ἡ περὶ κύπριν ἐρωὴ
Ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην.

Et Aristophanes in nubibus non fœminas corrumpi balneis, sed viros etiam reddi timidos, hoc est fœminas dicit.

Τὰ θερμὰ λουτρὰ δειλὸν ποιεῖ τὸν ἄνδρα. Thermæ viros effœminant.

Sed qui reperiantur socii in balneis, quæue numina breuiter, & verè expressit Damocharis.

Κυπρὶς

Κύπρις, ἔρως, χάριτες, νύμφαι, Διόνυσος, Ἀπόλλων

Ὤμοσαν ἀλλήλοις ἐνθάδε ναιετάειν. Lege li.4.cap. de balneis,ep. Græcorũ.

PENELOPE VENIT] Iniuriam Homero faciam,ſi quicquam de moribus,vt ſanctiſſimæ Penelopes,vel impuriſſimæ Helenes dixero;quando ille vtramq; orbi terrarum,omnibuſq; ſæculis ſpectandam præbuit. VENIT] caſta ad maritum,vt vult Perottus;abit adultera ad balneas.Sed rectius, venit caſta ad Baias,& balneas,& abit inde corrupta,& adultera. Vere Seneca: *nunquam mores,quos extuli,refero.* De Thymele dictum ſupra epig.5. Non lege Thymele,ſed Helene: nec vitium eſt carminis cum duæ præcedentes ſyllabæ in vnam coeant. abit,abiît. Muſambertius. Helene adultera, vaga,venefica, impudica,vt Troiana fuit bis rapta primum à Theſeo,iterum à Paride.

Cypris, Amor, Charites, Nymphæ, Dionyſius, Apollo, iurati,ſedes his poſuere ſuas. De Baianis corruptelis præter Senecam Ouid. lib.1.de arte. Propert.lib.1 El.2.

Ad Celerem.

LIV. LXIV.

Vt recitem tibi noſtra rogas epigrammata,nolo.
Non audire,Celer,ſed recitare cupis.

Celer certæ & fœlicis erat memoriæ,auditaq; ſemel,vt de quibuſdam fertur,retinebat; cum poetam rogaſſet,vti noua epigrammata nondum vulgata recitaret,negauit Martialis: Celer enim poſtea eadem pro ſuis erat venditurus. Vt ſupra à Fidentino factum dixit. Aut male recitabat Celer, carminaq; deprauabat & corrumpebat,vt nulla illis ineſſe venuſtas videretur,quemadmodum de eodem Fidentino ſcripſit. *ſed male cum recitas,incipit eſſe tuum.* Aut (recitare) tua vis mihi viciſſim,vtq; habeas occaſionem,hoc à me petis. In quo ſenſu eſt illud lib.7.3.

Vel excipiebat Celer notis & emẽdaret carmina vt notarij.

Cur non mitto meos tibi Pontiliane,libellos,
Ne mihi tu mittas,Pontiliane tuos.

De hac re pluries alibi. Alii planiſſimè laudari tantum putant Celerem, quem putant eſſe familiarem Plinii cuius ad hunc extat lib.7.epiſt.1.

Ad Fabullam ambitioſam.

LV. LXV.

Bella es,nouimus,& puella,verum eſt:
Et diues,quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimium Fabulla laudas,
Nec diues,neq; bella,nec puella es.

Φιλαυτίαν Fabullæ taxat,docetque virgines commendari modeſtia & verecundia.
Bella & venuſta es virgo,& copioſa,ſed cum teipſam laudas,ſordida es,nec virgo,quia impudens,nec diues, quia talem arrogantem, & ſuperbam quamuis diuitem & formoſam & virginem tamen oderunt omnes,in copiis inops eſt,nemo enim talem ducit.

In Cæcilianum.

LXVI. LVI.

Cum dixi ficus,rides quaſi barbara verba;
Et dici,ficos,Cæciliane, * *iubes.*
Dicemus,ficus,quas ſcimus in arbore naſci:
Dicemus,ficos,Cæciliane tuos.

* *putas.*

Qui omnia Grammaticorum decreuit componere certamina, fruſtra eſt; prius ille tumulo componetur,& prius extremum componet veſper olympum. Quam longa lis eſt de hac vnica vocula ficus; nec dum finita? Docebo paucis quæ ſtet ſententia mentis.

Primum dicam ex antiquis & nouis Grammaticis de genere ficus,mox de ordine ſeu declinatione,poſtremo de intellectu carminis. Genus voci ficus Soſipater Chariſius virile & muliebre tribuit his verbis: *Sed Cicero: de ficu ſe ſuſpendit dicendo, dedit multis licentiam vt hos & has ficus dicerent,quod vſurpare maluimus propter* * *cacophaton,de qua re elegantiſſimè Martialis:*

pag.9 l.1. * *cacophaton.*

Cum dixi ficus,rides quaſi barbara verba,
Et dici ficos Cæciliane putas.
Dicemus ficus,quas ſcimus in arbore naſci,
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Et infra: *Ficos vitium eſſe corporis proinde declinari debere quaſi pomum Martialis in Cæcilianũ, Cum dixi ficus,*

Lib.a.pag.1

ficus,&c. *vt sit* ἀσύνθετον *dictum. Quamuis quidam ficus vitium esse velint, vt doloris quasi sonitum audiatur.* Priscianus: *Etiam hic ficus vitium corporis quarta est.* Martialis in primo Epigrammaton.

Lib.6.p.200.

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos Caciliane iubes.
Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos Caciliane tuos.

Ex quo ostendit & vitium & fructum posse esse quartæ declinationis genere autem differre. Priscianus virile genus tantum morbo dat, arbori, & pomo muliebre tantum. Nostri æui Grammatici alii Charisium, alii Priscianum sequuntur. Nunc quid ego sentiam, aperiam. Ficus arbor, ficus pomum, ficus etiam vitium corporis, tantum est muliebris generis, non virilis, aut certe videtur esse quod inde ostendo. Grammaticorum decreta tantam habent vim, quantam testes, quos pro suis decretis laudant. Nullum autem ex omni antiquitatis memoria testem idoneum, (scriptorem inquam * classicum) sistunt, cuius auctoritate doceant nomen ficus, cum vitium corporis valet, masculinum esse, præter Martialem, quem non intelligunt. Non igitur est ficus virile nomen, etiam cum pro morbo ponitur. De Martiale mox dicam vbi carminis sententiam inuestigaro. Carisius quidem Grammaticus affirmat Ciceronem, qui scripserat ficu, multis dedisse occasionem vt hos & has ficus dicerent, sed absq; tabulis, nullum enim adducit qui scripserit hos ficus. Quæ ex Plinio referuntur, omnium sententia praue leguntur, cum codices emendati habeant semper muliebre.

* Marcellū medicum sequitur ans, non multum moror. de quo infra.

Sequitur vt de declinatione agamus, in qua minor est controuersia, cum nemo inficias eat, ficum, seu arborem seu fructum significet, esse promiscue quartæ & secundæ. Nec porro super eo est contendendum, quod in promptu variorum & nobilissimorum scriptorum Lucilii, Varronis, Horatii, Ciceronis, Plinii, Macrobii, Gellii aliorum testimonia certa & copiosa. Cum vero morbum significat, alii secundi ordinis, alii quarti, & exertè Priscianus esse docet, qui vltimum quoq; versum Martialis ita legit:

Dicemus ficus Caciliane tuos.

Enimuero cum Carisius legat, *Dicemus ficos Caciliane tuos*, nihil ex Martiale proficit Priscianus. Ficum ergo arborem & fructum tum quarti tum secundi ordinis esse; ficum morbum secundi tantum cæteri docent omnes, a quibus non discedo.

Veniamus ad epigramma Valerii nostri, quod est in Cæcilianum fictum, vt & alia multa a quo se reprehensum dicit. quod quarto casu dixisset ficus pro pomo, vt quartus ordo declinationum exigit, dicendum fuisse ficos, quod ficus fici non ficus ficus diceretur. Ita lis est inter Martialem & Cæcilianum non de genere vocis ficus, sed declinatione tantum, quod recte notauit Valla, nihil enim de genere dicitur in carmine. CVM DIXI FICVS RIDES QVASI BARBARA VEBRA] no scripserat hos vel has ficu ; non accusauit ergo genus, sed declinationem vocis ficus. Praua ergo etiam inscriptio de gen re & declinatione ficus. & rescribendum in Cæcilianum. Respondet ergo secundo disticho poeta:

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
Dicemus fi os Caciliane tuos.

Qui docet ficos poma, esse quarti ordinis etiam, neque interim de secundo negat. Sed addit scommia, ficos cum vitium corporis significat, hoc est ficosos homines, quales erant Cæcilianus & eius familia, esse secundi tantum. Itaq; tuos non est loco epitheti seu adiectiuum hoc loci; sed pro nomine substantiuo positum, vt si dicas iubeo te tuosque saluere, & Cornelius Nepos dedit signum suis. Et hoc est quod dixit Ca isius esse ἀσύνθετον ficos & tuos, hoc est, esse substantiua coniuncta seu appositionem, id quod Ramiresius vel non legit, vel non intellexit, alioqui non iactasset se principem hoc carmen intellexisse, quod tamen meo animo recte intellexit & explicauit. Itaq; Grammatici nihil docent, cum ex hoc loco conantur ostendere nomen ficus pro morbo esse generis virilis, cum tuos non referatur vt adiectiuum ad ficos, sed vt substantiuum ἀσύνθετον, tuos inquam filios, seruos & tuam familiam, vt alibi de ficosa familia scribit.

Placet tamen etiam Vallæ ponere verba & enarrationem, vt si cui nostra minus faciat satis, habeat in promptu diuersam. Ficus (inquit Pri cianus lib.6.) etiam vitium corporis quartæ est. Martialis 5. epig.

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos Caciliane iubes.
Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos Ca iliane tuos.

Ante omnia, cur ille rideret Martialem, quod diceret ficus? An non reperitur ficus, altera pro arbore, atque etiam pro fructu in numero singulari? Non hoc ergo ille ridebat. Quid ergo? quod genere abuteretur? ne hoc quidem. Quippe cum dico ficus, quo genere vtar, nemo intelligit. Certe ridebat, quod alia declinatione vteretur, quam ea, qua debebat, vt ex secundo versu, in quo muta a est declinatio apparet. Quod si igitur Cæcilianus de declinatione aiebat, non de genere, debuerat Martialis ad declinationem, non ad genus respondere, vt est putandum. Atque adeo

neceffe

necesse est eum respondisse. Siquidem (vt ostendi) ille reprehenderat, quod hic ficos diceret non ficus, quæ reprehensio si vera est, vt Prisciano videtur, qui vult ficus magis esse quartæ, quæ tandem modestia præter tuisset, eum qui rectè admoneat, tam execrabili (etiamsi vero crimine) incessere? Ergo coniunxit accusationem imperitiæ cum accusatione flagitii per iocum & dicacitatem, vt moris sui est, quod ille adeo stolidus non solum nequam esset, vt negaret, ficos, reperiri, quos secum semper, & quidem cum dolore gestaret. Quod minime mirum est reperiri, cum pro fructu, ad cuius similitudinem morbus appellatus est, in secunda declinatione, & (vt opinor) in genere masculino, non modo apud poetas, sed apud oratores quoque probatissimos reperiatur, vt Horatius: Pinguibus & ficus pastum iecur anseris albi. Et Plinius ad Octauium Ruffum. Quæ nunc cum ficis, & boletis certamen nondum habent. Et Cicero de senectute. Ex tantulo grano fici. Quidam Grammaticorum recentium, idest, imperitorum aiunt pro fructu quartæ, pro arbore secundæ esse declinationis, cum pro arbore sit sæpius quartæ, vt idem de Oratore: Vxorem suam suspendisse se de ficu. Secundæ autem, vt apud Iuuenalem, —ad quæ discutienda valent sterilis mala robora fici. Macrobius & ipse in secunda declinatione semper fere vtitur, & plurimos veterum ostendit vsos. Priscianus vero vult pro fructu & morbo quartæ esse, & hoc authoritate Martialis. Neque ego inficior vltimũ illum Martialis versum posse sic legi, vt recitat Priscianus. Sed id magis ioco, quam serio à poeta accepimus esse dictum. Neq; enim seipsum, quod ficos dixisset, sed illius & nequitiam, & imperitiã reprehendere voluit, non ignorans ficos & Latinè & vsitatè dici. Nec vero Prisciano faciendum fuit, vt vnum Martialem sequeretur, & Cæcilianum nescio quem, vt flagitiosum, sic eruditum in eo præsertim loco vbi iocabatur poeta, nec suam sententiam aperiebat, & tacitè negabat, quod affirmare videbatur. Nam nequaquam dixisset ficus quartæ esse declinationis, & generis masculini, quod inauditum est, nec differentiam posuisset generis inter morbum & fructum, cum hoc ab illo dicatur.

Adde postremo de morbo ex Celso lib. 6. quem Græcis σύκωσιν ait dictum ad similitudinem fici, quem ibid. copiosè describit, & varia illius genera eod. lib. 6. c. 18.

Celsus ergo fugit nomen fici pro morbo acceptum, maluitq; Græcam vocem vsurpare, perinde quasi Latina non esset vsitata. Marcellus autem & ipse perantiquus & æuo Theodosii Imper. medicus, ficum pro morbo posuit & genere virili, sic enim ille: *Ad ficos, qui in locis verecundioribus nascuntur, de orbita rotæ collige caluos lapides, non pregrandes, neq; paruos, & pone in foco, vt candescant, & lotio infantis eos extingue, postea de ipso lotio locum assiduè laua, ita vt frequenter mutes & lapides & lotium infantis, tantum proderit, vt sectione & ferro opus non sit.* Sed Marcellus iste in senatum classicorum scriptorum nunquam est adscriptus, vt illius proinde auctoritas præscribere nobis legem Grammaticam non possit. Quod si ex vsu sæculi ita pronunciauit, & illud à superiore accepit, erit ho aliquid, sed incertum. Exposui ego quod sensi; Sacramento non contenderim pro sententia mea. aliorum qui virili genere vsurpant, non condemno. Hoc miror omnes vnius Martialis auctoritate niti, cum versus illius alio versum trahatur, aut certe dubius sit. Quod existiment aliqui non posse versum ἀσυνθέτως exponi, quod ij qui fico laborant non dicantur fici, sed ficosi, sicut qui vlcere non vlcus sed vlcerosi. Atqui poetæ abutuntur sæpe verbis, & primitiua ponunt pro deriuatis vti Terentius scelus appellat sceleratum, Plautus propudium loco propudiosi, vt & lutum, & alia Martialis:

> *Mentitur qui te vitiosum zoile dicit,*
> *Non vitiosus homo es zoile sed vitium.*

Ficum autem discerte infra lib. 4. ep. 52. Ædilum vocat.

> *Gestari iunctis nisi desinis Ædile capis,*
> *Qui modo ficus eras——*

Disputat super hoc epigrammate Martialis longa epistola L. Christophorus Scobár Bethicus ad Nicolaum Canauellum IC. & producit Aristotelis c. 13. lib. 1. Elenchorum ex veteri interprete. Solæcismus autem quale quid, dictum est prius. Est autem & hoc facere, & non facientem videri. Quemadmodum Cæcilianus dicit, si ficus sit secundæ declinationis. nam qui dicit ficus maturas, Solœcismum quidem facit secundum illum (Cæcilianum) non videtur autem pluribus. Qui vero ficus maturos, videtur quidem, sed non facit. Eod. modo fit ficus solum masculini generis secundũ quosdam. Miris modis obstupui, cum hunc Aristotelis locum perlegerem, nec poteram expedire quomodo Aristoteles de Cæciliano ex Martiale exemplum sumpserit, qui ante Martialem quadraginta supra quadringentos & hæc amplius annos vixerat. Inspexi Græcum exemplar & sua lingua loquentem Aristotelem, vbi hæc verba cognoui. Σολοικισμὸς δ᾽ οἷον μὲν ἐστιν, εἴρηται πρότερον. ἔστι δὲ τοῦτο καὶ ποιεῖν, καὶ μὴ ποιοῦντα φαίνεσθαι, καὶ ποιοῦντα μὴ δοκεῖν. καθάπερ ὁ Πρωταγόρας ἔλεγεν, εἰ ὁ μῆνις καὶ ὁ πήληξ ἄρρεν ἐστίν. ὁ μὲν γὰρ λέγων οὐλομένην, σολοικίζει μὲν κατ᾽ ἐκεῖνον, οὐ φαίνεται δὲ τοῖς ἄλλοις. ὁ δὲ οὐλόμενον, φαίνεται μέν, ἀλλ᾽ οὐ σολοικίζει. Quæ ego ita interpretor. Solæcismus quid sit, dictum est antea. Est autem hoc: Et facere, & non facientem videri, & facientem non videri facere. Quemadmodum Protagoras dicebat: si ira, & galea sint virilis generis, qui dicit perniciosam, Solæcismum faciet, ex illius sententia: aliis autem non videtur: qui vero dicit perniciosum, videtur quidem, sed non facit solæcismũ. Hæc Aristoteles, qui nihil de ficu, nihil etiam de Venere, vt est apud Macrobium: Læuinus etiam sic ait: Venerem

Venerem igitur almum adorans, siue femina, siue mas est, ita vt alma noctibua est. Veteres ergo interpretes pro exemplo Protagoræ substituerunt simile ex Latina Lingua, Græcum enim non quadrabat. Sed Ficus & Venus cum à quibusdam in controuersiam partim generis, partim declinationis vocentur, maluerunt illis pro exemplo vti.

Ad furem de libro suo.

LXVII. LVII.

Erras meorum fur auare librorum,
Fieri poëtam posse qui putas tanti,
Scriptura quanti constet, & tomus vilis.
Non sex paratur, aut decem sophos, nummis.
Secreta quære carmina, & rudes curas,
Quas nouit vnus, scrinioq; signatas
Custodit ipse Virginis pater chartæ.
Quæ trita duro non inhorruit mento.
Mutare Dominum non potest liber notus.
Sed pumicata fronte, si quis est nondum,
Nec vmbilicis cultus, atq; membrana:
Mercare tales adeò, nec sciet quisquam
Aliena quisquis recitat & * petit famam,
Non emere librum, sed silentium debet.

* al. cupit.

Fu i, carmina nondum emissa, aut publicata emenda, & pro suis recitanda aut vditanda dicit, sua iam orbi nota surripi non posse. Erras quicunque es seu Fidentinus, seu nouus aliquis Thestorides, seu alius, qui eius libros & eos à te factos postea mentiris, non emitur nummis doctrina & poësis.

Ordo verborum est. Erras ô fur qui putas tanti fieri poëtam posse, quanti liber constat. TOMVS VILIS] vide notas Lugdunenses, Vitellium in Merulam. Volumen hoc loco à τέμνω dicitur, vnde τόμος, nam vnum volumen diuiditur in plures libros, & quasi secatur in partes. Scriuerius ex Græcis tomum chartam interpretatur hoc loco, id est, atramentum, inquit, siue describendi labor, quanti constet & charta. * NON SEX PARATVR.] Librum fortasse duodeni aut vicenis cruciferis emeris. For nam eruditionis seu eruditionem ipsam minime. Σοφῶς] de hoc supra dictum est. acclamationis genus erat ἄτ@ ὁ σοφὸς, aut σοφῶς, sapenter, bellè, quod Latinis euge, vt Persius, Horatius, & Martialis vsurpant. SECRETA QVÆRE CARMINA] secreta, nondum publicè proposita. RVDES] vt persuadeas esse tua, quem omnes rudem, & indoctum esse non ignorant; si enim polita sublegeris, tua rudia & impolita, qualia tu componis, facile à reliquis tuis furtis secernentur. Quid vero doctum doces & ante pilos Ramiresi? respondit ecce propinanti Musambertius. En quo te cæcus ferat impetus mentis: legisses quæ sequuntur, inuenisses meam, quam tibi more tuo transcribis exegesin.

* Mancinius lib. 3. ad Q. Fr. epist. 1.

Ego rudes curas (non rudes chartas) exposui, carmina nondum expolita & absoluta, sed noua, recentia nondum in vulgus data, sed ab auctore velut patre domi custodita, hæc enim mea verba sunt. Tu rudes curas, carmina quæ nondum in vulgus prodiere: quæso te mi Ramiresi an θεῖξ ἀναμέσον; estne pilus in medio? carmina quæ nondum in vulgus prodiere; &: carmina nondum in vulgus data? Estne lac lacti ouum ouo tam geminum ac horum verborum intellectus? an tu ἀνόητος; sed nego, inquis, impolita; Doce ergo quis rudia interpretetur elegantia aut polita? Nam recentia & ego appellaui. quæ tu concionaris de voce rudis infra mihi dicta sunt lib. 6. ep. 42. ad illum versum,

Nec fontes Aponi rudes puellis.

Quis rudes fontes nesciat valere intactas vndas, rudes puellas, intactas, viris immaturas, & quas Tertullianus acerbas appellat? tu πάντας ἐν τῷ εἴδεσθαι. Quæ porrò de mento, dementias monuit Musambertius, vt & alia de pura & virgine charta; si in nostris Academiis versareris, mentum tibi ita raderetur non quidem à Radero, sed aliis rasoribus, vt tu nullum illo volumine abraderes, sed flore sanguinis purpurares.

QVAS

QVAS NOVIT ANVS] auctor so'us. SCRINIOQVE SIGNATAS.] Clausas & obsignatas annulo seruat auctor libri non vulgati. Virgo charta metaphora. Vt virgo sola, Ita virgo charta, nondum in vulgus data, sed ab auctore velut patre domi custodita. ex qua nullum est descriptum exemplar. QVÆ TRITA DVRO] quæ nondum in lectorum manus venit, nec versata & tractata pilosa est reddita. Metaphora a barba.

Ouid. *Hirsutus passu vt videare comis.*

Persius *——positu membrana capillis.*

MVTARE DOMINVM] Auctor, vbi semel intonuit, obtinet ius suum, & securus est furti SED PVMICATA FRONTE] Libri pellibus, vt nunc fit, olim obtegebantur, eæque pumice politi ac leuigari solebant. vel ex membrana fiebant, quæ lapide vel dente terebatur vt scabritia complanaretur. Ouid.

Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes.

Idem El. 1. lib. 1. *Quod neq, sum Cedro flauus nec pumice læuis,*

Catullus. *Cui dono lepidum nouum libellum*

Arida modo pumice expolitum.

Frontes appellant alii interiorem & exteriorem voluminis partem: alii summas oras chartæ.

VMBILICIS] bullæ in vtraque libri extimâ facie mediæ. In fine libri ex ligno aut osse vmbilici solent apponi. Pieri. lib. 34. *Per vmbilicum*, inquit, *intelligendus est, voluminis terminus qui cum volumen explicatur, in fine oratio est. cum vero idem obuoluitur in spiram collectam medium tenet locum.*

Manutius ad lib. 3. Cicer. ad Famil. epist. 7. dicit epistolas plicatas fuisse, non inuolutas in volumen vt libri inuoluebantur. Idem tamen ad epist. 1. lib. 3. ad Q. Fr. scribit epistolas eodem modo inuolutas fuisse & collectas in volumen vt libri colligebantur, Videturque Manutius emendare sententiam priorem. De vmbilicis quoque & cornibus librorum idem disputat fusius ad lib. 3 ep. 7 ad Fam. ad quem te locum hinc ablego vt item ad epist. 1. lib. 3. ad Q. Fr. vbi & de pellibus, in quibus veteres scribebant, de quibus nos copiosè lib. 14. lemmate *chartæ maiores*, Sed de vmbilicis & cornibus librorum iuuat adscribere locum Pierii.

Cum autem & finem significet vmbilicus, ostendendum quid vmbilicus in libro sit, de libro enim loquitur Martialis cum se peruenisse dicit ad vmbilicum vsque, vti paulo ante dicebamus. In quo quidem multi hallucinantur, dum alii vmbilicos esse putant, defensacula ea ænea quibus librorum anguli ornantur simul & muniuntur: quandoquidem cornua etiam eodem errore vocari crediderint a poetis, præcipue vero bullam in libri medio affixam. Alii signa quædam esse arbitrantur, quibus antiqui librorum fines concludere soliti essent: ideoque Porphyrionem citant, qui ad vmbilicum, ad finem interpretetur apud Horatium:

Deus Deus. nam me vetat
Inceptum celeres promissum carmen iambos
Ad vmbilicum ducere.

Alii clauos ad similitudinem bullæ, qui pro ornamento affigi soleant tabulis quibus libri conglutinantur, intelligunt. Alii, vt ex errore vno in alium trahantur, rati se aperte rem indicasse, locum Ciceronis ex tertio de Oratore citant: Sed tum ita solet narrare Scæuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & Lucrinum legere consuesse: ibi per vmbilicos, lapillos intelligunt lotos & politos, ita enim scriptis prodidere, cum hæ buccinorum quorundam testulæ sint, quæ turbinatim conuoluuntur, in fastigium acuminatæ vmbilici forma, qui ex lapide olim fieri consueuit, ad vmbilici nostri similitudinem. Vt vero & Martialem & Horatium idem dicentes, neque non Catullum & Ouidium etiam intelligamus, qui vmbilicum hunc eodem omnes significato posuere sciendum libros olim fieri solito ductu plurimum perpetuo, vna quippe pagina, non vt nos illis dissectis, & in quaterniones quos dicimus consertis: & quia complicabantur ad instar spiræ conuoluti inde volumina dicta sunt a voluendo. In extrema autem pagina firmitudinis ergo paruus admodum bacillus, ex cedro quippe, aut buxo, cupressoue, vel ex ebeno, vel ex ebore adglutinabatur, ad latitudinis modum, qua membrana præcisa erat hunc vmbilicum appellabant, cuius quidem capita volumine complicato hinc & inde prostarent: solebantq; ea ex argento, vel auro, vel etiamnum gemmis ad ornatum præmuniri: atque ea sunt quæ cornua nonnulli vocitarunt, vt Ouidius ad librum Epistola Tristium prima:

Vmbilicus quid.

Candida, nec nigra cornua fronte geras.

Hoc est, neque ebore, neq; argento, aut nitida vlla gemma vmbilici præmuniantur, cuius facies atrata luctum præ se ferat. Martiali. 11.

Explicitum nobis vsq; ad sua cornua librum.

Sic apud eundem, vti superius dictum, quod & apud Horatium, vmbilicus pro fine ponitur: quia principium libri est vbi à titulo incipit explicari: finis, vbi tota reuoluta pagina peruentum est ad vmbilicum. Huius ergo generis volumina multa vidi, eaque vetustissima, alia ex membranis

alia

alia ex Nilotica papyro, alia Græcis, alia Hebraicis, alia etiam Arabicis literis perscripta. Non prætenibo papyracea illa monumenta, quæ in arcis Æliæ thesauris Romæ asseruantur, in quibus archetypa est Constantini Imperatoris donatio, papyraceum esse textum, glutine quodam delibutum, mox aut aprina sana, vel vero exæquatum ac perpolitum, vt & scripturæ patiens fuerit, neque vlla calamum asperitate offenderit, miro quippe læuore complanatum.

CVLTVS ATQVE MEMBRANA] pellem hic intelligo, qua obducebantur libri, etsi alias pro ipsa charta ponatur, imò chartæ vicem subeat. potest & hic membrana pro charta poni.

Hoc dubito, an gemina fuerint membrana, quæ ad volumen pertinebat: altera scripta, sed intus tantum; altera non scripta, qua prior scripta tegebatur & inuoluebatur: An vna tantum sed bicolor, & introrsum quidem, qua parte perscribebatur, candida; extrorsum vero crocea seu purpurea; de qua Persius Marcilio capiendus cum Sat. 3. dixit; *Iam liber & bicolor positis membrana capillis*. Bicolorum enim membranam interpretatur intus candidum, foris croceam seu purpuream. Sed haud scio an eod. sensu de bicolore & vna intelligendus sit Tibullus:

Lutea seu niueum inuoluat membrana libellum.

Et Ouid. *Nec te purpureo velent vaccinia succo.*

Et Papin. *Noster purpureus nouusq; charta*

Et noster hic & lib. 3. ep. 2. *Et te purpura delicata velet.*

Lib. 5. ep. 6. *Quæ cedro decorata purpuraq;*
Nigris pagina creuit vmbilicis.

Et Lucianus cum πορφυρᾶν διφθέραν appellat ἔκτοσθεν. Omnino censeo vnicam fuisse membranam & bicolorem, vt dixi; illud enim, ἔκτοσθεν, tergum membranæ exterius notat. Vmbilici porro lignei, vel ossei, vel aurei. De ligneis & osseis Porphyrius testis; aureos laudat in mercenariis philosophis, & imperitis librorum emptoribus Lucianus, qui χρυσοῦς ὀμφαλοὺς nominat. Marcilium adi.

MERCARE TALES] nondum editas in scrinio latentes, non compactas & ornata, vulgatasque. Scriuerius *Mercare, tales habeo*, vulgo erat, *ab eo*. Heraldus: *Mercare tales; habeo*, Gruterus, *adeo*. ALIENA QVISQVIS RECITAT.] Elegans & arguta conclusio. Tu quisquis es, qui vis alienis te plumis ornare, & famam colligere, noli emere libros iam publici iuris factos & notos; sed rudes & recentes, inuisosque, & auctori da pecuniam insuper, vt taceat; permittatque te sua pro tuis recitare. Aut si nouos libros emis, tuosque vulgo iactitas: da auctori pecuniam, vt taceat, & silentium vna cum libro eme, ne ridiculus & ludibrium fias.

Ad * Chœrilum.

* Chœrilus.

LXVII. LVIII.

Liber homo es nimium, dicis mihi Chœrile semper,
*In te qui dicit Chœrile, liber homo * est.*

* Est? cum interrog.

Ludit in dilogia vocis *liber*. Primo versu capitur pro nimia dicacitate, & linguæ petulantia & maledicentiâ: Altero vacantem omni negotio significat. Et continet distichum summum Chœrili contemptum, qui ne dignus quidem sit, in quem dicto iaciundo aliquid otii sumatur. Nomen Chœruli sumptum opinor ab illo antiquo & pessimo poeta, qui Olymp. 113. cum Alexandro magno vixit, eius in expeditione comes: de quo Alexander dixisse fertur, malle se Homeri Thersiten esse, quam Chœrili Achillem. Cum eodem pepigit Alexander, vt pro singulis bonis carminibus singulos aureos pro malis totidem colaphos acciperet. Ridet hunc Horatius lib. 2. epist. 1. Et in Arte poet. ad quem locum interpretes lege. Fuerunt & alii Chœruli poetæ laudatissimi, Gyraldum dial. 3. & 6. lege.

Musambertius erotetice exponit: liber homo est? hoc est liber dicendo dicta in te: & intelligi vult dignum, qui omnibus omnium dicteriis tanquam scopus telis propositus sit. Atqui & hoc non liquet, nec quicquam singulare dicit poeta hoc intellectu. Fortasse hoc vult poeta: Tu me Chœrile hominem procacioris & liberioris linguæ reum facis: Ego mihi conscius sum nullum à me læsum sciente volente. Nisi forte in te nescius liber sum, qui tibi conscius es, & de te putas omnia dici. Qui sanè & acutus & argutus, & aculeatus est versus. Ac si diceret. Ego quidem nullum nominatim læsi versu meo. Si tu te læsum putas, ergo te reum confiteris. Parthius, in eo inquit, argutia est se non esse velut per conuicium dicendum liberum hominem à Chœrilo, quippe qui Chœrilum ipsum longè viliorem æstimat, quam vt in eum dicere aliquid vel tralatitium velit.

Ad

Ad Maximum.

LIX. LXX.

Cœpit, Maxime, Pana quæ solebat.
Nunc ostendere Canium, Terentos.

Canius Rufus iocularis poëta in campo Martio sedem locarat, vnde ioci occasionem accepit poëta in Canium ludendi, quem Terentos (qui locus est in campo Martio templo Ditis Panis Satyrorum Faunorumque insignis) populo spectandum præbuit loco Panis, cuius ibi simulachrum erat ridentis. De Canio supra in carm. scriptores vnde. Et lib.3. epig.20.

Vis scire quid agat Canius tuus? ridet.

Lege de hoc Gaditano Canio epistolam Valerij ad Rufinum inter D. Hieronymi. Hic cùm ex Hispaniâ, quam reuiserat, in Italiam rediret, obiit in itinere, quod & ex inscriptione tumuli discis quæ est apud Briss. lib.7.

PANA] Panis fabulam totam diligentissimè exponit Natal. Comes Mythol. lib.5. cap.6. Polyænus Stratag. lib.1. Panem Bacchi ducem fuisse in Indica expeditione scribit, ab eoque primum inuentam phalangam. plura ibidem. Cur autem, quod ad institutum huc pertinet, simulachrum eius semper ridentis habitu finxerint, caussam ex Homero sumtam iudico, qui in Hymno Iouis eum in amœnissimis pratis inter suauissimos flores semper fistulâ cantantem facit & Deos delectantem. Aut quia solem refert, sol enim ob splendorem ridere dicitur.

TERENTOS] Locus in campo Martis dictus, quòd eo loco ara Ditis patris occultaretur, vel quod profluentis Tyberis ripas aquarum cursu tereret. Quo in loco Euander ex Arcadia profectus cum classe substitisse dicitur. Ouid.

Iamq; ratem docta monitu Carmentis in amnem
Egerat, & Tuscis obuius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt vada iuncta Terenti,
Aspicit, & sparsas per loca sola casas.

Eodem loci Proserpinæ ara subterranea fuit, quam Valer. Max. tradit egesta terra ad 20. pedum altitudinem apud Terentum iunctam Valisio quodam auctore, è salinis locuplete & rusticæ vitæ homine, qui libertatis tribus filiis ibi trinoctium furuæ hostiæ sacrificium exhibuit, de quo Ausonius. *Terna Terentino celebrata trinoctia ludo.*

Ipsam aram Romani bello Albino constituerunt, atque alta occultarunt terrâ, vt omnibus præterquam ipsis esset ignota. Hæc ferè de Terento Marlianus lib.6. cap.9. plura lib.4.1.

Ad Librum.

LX. LXXI.

Vade salutatum, pro me liber ire iuberis,
Ad Proculi nitidos, officiose, Lares.
Quæris iter? dicam: Vicinum Castora canæ
Transibis Vestæ, virgineamq; domum.
Inde sacro veneranda petes pallatia cliuo,
Plurima quâ summi fulget imago ducis.
*Nec te detineat * miri radiata Colossi,* (* mire.)
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.
Flecte vias hàc, quà madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles dicto stat Corybante tholus.
*Protinus à læua clari * sub fronte Penates,* (* tibi.)
Atriaq; excelsæ sunt adeunda domus.
Hanc pete, ne metuas fastus, limenq; superbum:
Nulla magis toto ianua poste patet,
Nec propior quam Phœbus amat, doctæq; sorores,
Si dicet, quare non tamen ipse venit?

* scilicet. ** Sic licet excuses; quia qualiacunq; leguntur*
Ista, salutator scribere non potuit.

C. Iulio Proculo salutationis loco librum mittit, cuius scriptio & labor poëtam detinuit, quo minus ipse coram Proculum salutaret. Est ad hunc aliud lib. 11. ep. 37. VADE SALVTATVM] Vt hoc epigramma intelligatur, sciendum vnde, quoúe ex loco mittatur. Vterq; erat in vrbe Proculus & Martialis. Ab ædibus Martialis ad Proculum mittitur liber. Domus Martialis erat ad pilam Tiburtinam, vt ipse testatur, in septima regione vrbis.

Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Iouem.

Proculi verò domus erat in palatio Regione 10. ad læuam templi Deûm Matris. Mediam viam hic describit Martialis. SALVTATVM] vt cliens patronum, quod more fiebat, vt supra exposuimus epig. 56. ad Frontonem.

Et matutinum portat ineptus aue.

PRO ME] epistola vicarias agit partes absentis. Ouid.

O vtinam possem nunc meus esse liber.

Et 1. Trist. El. 1. *——sine me liber ibis in vrbem.*
Et ibidem. *Vade liber verbisq; meis loca grata saluta.*
Et lib. 3. el. 7. *Vade salutatum subito per arata Perillam*
Littera sermonis fida ministra mei.
Lib. 5. el. 5. *Qui mihi flens dixit, tu, cui licet, aspice Romam.*
Heu quantò melior sors tua sorte mea est.

QVÆRIS ITER DICAM] A septima regione ad octauam, hoc est à foro Archemorio ad forum Romanum transibis, cui additum est templum Castoris & Pollucis, itemque templum Vestæ cum atrio vbi erant Palladium & ignis, & virgines Vestales. Onuphri. 8. Reg. CANÆ] vetustæ, antiquæ, Deûm matris. De altero Vestæ templo vide Marlianum lib. 4. cap. 4. Ouid. 3. Tr. El. 1.

Hic locus est Vestæ, &c.

CASTORA] Castoris templum omnes in foro Romano collocant. Victor. Rufus vetus descriptio V. INDE SACRO VENERANDA] A foro ad Palatinum montem via sacra itur. Palatia autem multa circum erant. CLIVO] colle Palatino, omnia dicta à Palatino monte in quo primum palatium. De varia Palatij etymologia Marlianus lib. 3. c. 1. toto. PLVRIMA QVA SVMMI] Statuam equestrem Domitiani, quā longo carmine describit Papinius, significat, quæ fuit in Romano foro.

Quæ super imposito moles geminata colosso
Stat latium complexa forum ——

P. Victor. Ducis Domitiani Cæsaris. sensus erit. A foro Romano transeas ad viam sacram, ea parte qua Domitiani statua equestris in foro Romano posita est. Malim transferre ad Arcum Titi, qui in 4. Reg. & via sacra in eadem & colossus in 4. Reg. vrbis. P. V.

NEC TE DETINEAT] seorsim iudico ab iis, qui etiam hoc carmine iudicant statuam equestrem Domitiani intelligendam; cur enim bis idem in eodem carmine? Et transeundus erat Colossus ad Proculum 10. regione habitantem. De Colosso eo capiendum hoc distichum iudico, de quo lib. spect. ep. 2. *Hic vbi sidereus propius videt astra colossus.*

COLOSSI] supra lib. A. epig. 2. de colosso dictum. RHODIVM] Rhodius Colossus inter septem vrbis spectacula censetur, vt suprà epig. 1. lib. 1. ostendimus 60. cubitorum fuit vt Plin. & inscriptio græca colossi indicat. architectus fuit Chares Lindius.

Τὸν ἐν ῥόδῳ Κολοσσὸν ἑπτάκις δέκα *Rhodium Colossum Lindius fecit Chares*
Χάρης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος. *Qui septies altus decem cubitos fuit.*

Ita lege hoc epigramma in 4. lib. non ἐκτάκις, nec λάχης, sed χάρης. Festus corruptus in eo loco vbi Caletus seu Colerus legitur pro Charete. nec Suidas rem tetigit de Colossensibus. Bernartium testor ad Papinium sil. 1. Est huius Colossi mentio apud Strabonem, Plinium, Orosium, Polybium, qui terræ motu concussum decussumque aiunt. 105. pedes altus erat, vt Festus metitur.

FLECTE VIAS HAC] Pete templum Bacchi (madidi) periphrasis templi liberi. Templum Bacchi P. Victor, & alii in 2. Reg. vrbis collocant. Est & 6. Reg. ædicula Liberi patris: & in 11. Reg. ædes Liberi Liberæque. Quodnam horum templorum poëta intellexerit, non satis affirmo. illud nobilissimum in 2. Reg. putem.

THOLVS] testudo templi, vbi est quasi scutum breue in medio templi tecto, quo trabes connectuntur, & dona suspenduntur. De hoc Varro, Arnobius, Statius, Philander ad Vitruuium, Virgil. 9. PICTO CORYBANTE] Corybantes erant euirati sacerdotes Cybeles, de quibus alibi. Supra tholum Corybas habitu sacerdotis stabat. Templum Matris Deûm omnes in palatio seu 10. Reg. ponunt. PROTINVS A LÆVA] Descriptio domus Proculi sitæ ad læuam Ideæ Matris. PENATES] tota domus Proculi. HANC * PETE NE] Etsi maximè educta domus, altique postes & limina terrere possint adeuntem, tamen adeo humanus, facilis & officiosus est Proculus, vt nulla superbia,

* Hanc lege, non hac.

perbia, nullus fastus in illo sit timendus. laus Proculi à moribus. NVLLA MAGIS] Neminem virum bonum excludit, omnibus bonis bona patet domus. De hac humanitate & hospitalitate copiosissimè doctissimus Heraldus ad hunc locum. NEC PROPIOR] Nec domus aut ianua gratior vlla Phœbo. DOCTÆQVE SORORES] Musæ nouem. SI DICET, QVARE] Si quærat Proculus; cur non ipse poeta togatus me salutet coram? SIC LICET] Quia si ipse obiisset officium salutandi, otium non habuisset ista scribendi, qualiacunque, seu bona, seu mala, seu mediocria.

Ad Fidentinum.

LXI. LXXIII.

Nostris versibus esse te poëtam
Fidentine putas, cupisq; credi?
Sic dentata sibi videtur Ægle,
Emtis ossibus, Indicoq; cornu:
Sic quæ nigrior est cadente moro,
Cerussata sibi placet Lycoris,
Hac & tu ratione, qua poëta es,
Caluus *cùm fueris, eris* comatus.

Idem sæpius argumentum, sed non eod. car. nec inuentione. Fidentinum furem exagitat. SIC DENTATA] Tu inseris alienos versus tuis, vt alienos dentes suis Ægle puella. Hoc enim factitabant edentulæ fœminæ, quæ pulchritudinem, artificio emebant; sic Palladas.

Et Lucilius aliq; epigrammata eius Graec. εἰς γραίας κεφ. θ. lib. 2.

Ἠγόρασας πλοκάμους φῦκος, μέλι, κηρὸν ὀδόντας·
Τῆς αὐτῆς δαπάνης ὄψιν ἂν ἠγόρασας.

Vide Budæum pag. 197. INDICOQVE CORNV] ebore. Elephas enim Indica bellua. CORNV] de hac re lib. spect. disputatum est, an Elephas cornu vel dentes, an vtrunque, an neutrum habeat, an medium aliquid. SIC QVÆ NIGRIOR EST MORO] Morus arbor (cuius fabulam Ouid. lib. Trans. 4. de Pyramo & Thysbe describit) mora fert, quorum triplex in succo color. primus candidus, cùm adhuc acerba, deinde purpureus, cùm maturescunt, postremo, cum penitus maturuerunt, nigrescunt. CERVSSATA SIBI] Cerussa lita, Cerussa Græcis est ψιμμύθιον, fit ex tenuissimis plumbis laminis acris aceti vapore resolutis. vide El. 2. Propert. lib. 1. Fœminæ purpurisso & cerussa faciem inficiebant ad conciliandam gratiam & venustatem, contra quas eleganter Xenophon disputat in œconomico, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & alij, Theophrast. in Char. Eth. Cerussa candida est. Quo pacto fiat, leges apud Isidor. lib. 19. Orig. cap. 17. Plura Plinius, Vitruuius lib. 7. cap. 12. & ibidem Philander, Dioscorid lib. 5. cap. 53. & Serapio cap. 38.

Maulbör. Elegans fabula.

Bleiweiß.

HAC ET TV RATIONE] Caluitium antiqui horrebant. Iulius Cæsar, vt Suetonius tradit, & Domitianus maximè. Diuinæ quoque literæ de Elysæo à pueris irriso fidem faciunt. Subinde autem emebant crines factitios, & comam fingebant. Ita ridet Martialis Fidentinum, quem poëtam prius caluum fuisse dicit, id est nullũ aut certè malum, insertis quibusdam alienis versibus, velut crinibus factum esse comatũ. CALVVS COMATVS] De hoc plura adagiographus in caluo comato.

De Lino.

LXII. LXXVI.

Dimidium donare Lino, quàm credere totum
Qui mauult, mauult perdere dimidium.

Lino, quod nil reddat, nil credendum. Cùm te poscit centum sestertios nummos Linus, dona illi quinquaginta; præstat enim quinquaginta illi donare, quàm centum perdere; æquè enim non soluit mutuum, ac donatum. Similis est iocus in 2. lib. epig. 3.

Sexte nihil debes, nil debes Sexte fatemur;
Debet enim, si quis soluere, Sexte, potest.

Donare ergo & dare perdere est scriptorib. Plauto in Eucl. Trinummo, Senecæ, Tertulliano, testes producit Musambertius.

Ad Flaccum.

LXIII. LXXVII.

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce Antenorei spes, & alumne Laris,

Pierios

tur. Scaliger apud Scriuerium reum solœcismi peragit hic Martialem, defendit Scriuerius & *fænerat* pro *defæneraт* dictum putat, id est, exhaurit, ac trucidat. sine exemplo tamen dixit Martialis *fænerat Deus* latini fœnero alicui pecuniam, sol fœnerat sideribus lumen, apud Plinium leges. Itaq; Scribenio subscribamus, dum aliqua melior scriptura appareat. QVID POSSENT EDERÆ] Confirmat quod dixerat *fænerat vna Deos*, ab enumeratione singulorum. non locupletant etiam mille Bacchi ederæ.

Cura ducum quondam fuerant regumq; poëtæ.
Præmiaq; antiqui magna tulere chori.
Sanctaq; maiestas, & erat venerabile nomen
Vatibus & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus hortos
Contiguus poni Scipio magne tibi.
Nunc ederæ sine honore iacent, operataq; doctis
Cura, nihil musis, nomen inertis habet.

Ouid. lib.5. de arte. PALLADIS ARBOR] Olea sacra Palladi, arbor & plena baccis & fructibus, vt meritò Iuppiter apud Auienum laudet Palladem ob delectum. Phædrum Augusti libertum in Æsopiis audi. lib.3. 56.

Olim quas vellent esse in tutelâ suâ,
Diui legerunt arbores, quercus Ioui,
Et Myrtus veneri placuit, Phœbo laurus,
Pinus Neptuno, populus celsa Herculi.
Minerua admirans, quare steriles sumerent,
Interrogauit caussam dixit Iupiter,
Honorem frustra ne videantur vendere.
At me Hercules inquit quod quisq; voluerit:
Oliua nobis propter fructus gratior.
Tum sic Deorum genitor, atq; hominum sator:
O nata meritò sapiens dicere omnibus:
Nisi vtile est quod facimus stulta est gloria.

INCLINAT VARIAS] Baccarum nigrarum, (nigrescunt enim maturiores) pondere & vbertate oliua ramos incuruat. COMAS] frondes. VARIAS] quia bacca varia, viridis, flaua, nigricans, &c. PRÆTER AQVAS HELICON] Helicon Musarum vertex, Bœotiæ mons est (vnde dicuntur Musæ Heliconiades) vicinus Phocidi, in qua Parnassus seu Larnassus, cui Helicon æmulus altitudine, ambitur saxea rupe & niuibus. Parnassum tamen Ptolemæus & alij in Asia ponunt, nisi Phocis etiam in Achaia. Lege Mythologos. Helicon accipitur pro ipso studio poëtico. Heliconem Oty & Ephialtes Musis consecrarunt, dictus Helicon à vertendis foliis. Nata. lib.7. cap.15. NIL HABET] Lege Quintiliani Dialogum apud Tacitum. SERTA] quæ ferunt poëtæ ex edera vel lauro. LYRAS] Vnde Lyrici poëtæ, qui ad lyram vel citharam canebant vt Pindarus, Horatius, Anacreon, & alij. DEORVM] Apollinis & Musarum. SEMPER INANE σοφῶς] non est improba hæc scriptura, nec scio an Perotti melior qui habet sed perinane eod. sensu, σοφῶς nempe acclamatio sine vtilitate, fructu compendio. De acclamatione nos alibi. PERMESSIDOS] Permesside lympha Ianus Gulielmus ex M.S. legit, vtraque lectio emendata est. Permessis vnda, dicitur, sicut Libystis vrsa. Permessus fluuius est, qui ex Helicone in Coparden Lacum deuoluitur, sacer vt fons Caballinus. CYRRHAM] alii oppidum Phocidis iuxta Parnassum affirmant, alii verticem Parnassi. biceps enim Parnassus & biuertex est. alter Cyrrha, Nissa alter appellatur, vt testatur Abrahamus Ortelius. de bicipiti Parnasso Persius in Prologo.

Nec fonte labra prolui Caballino
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini———

ROMANVM PROPIVS] Ad forum te conferas, caussas agas, si rem augere desideras, vt suprà se à Tito admonitum dicit.

Cogit me Titus actitare caussas,
Et dicit mihi sæpe magna res est.

PROPIVS] quam Helico aut Parnassus. Propius ad opes comparandas. De triplici foro in *In 8. Regionib.* quibus caussæ agebantur dicam loco. DIVITIVS] Ita & Cicero locutus est in lib. de Orat. *Inde ille licentior & diuitior fluxit Dithyrambus.* Hinc veteres dixere diuito, diuitas, id est, locupleto. Accius. *Nihil credo auguribus, qui aureis verbis diuitant alienas, suas vt auro locupletent domos.* Et Turpilius: *Dij me diuitant.* ILLIC ÆRA SONANT] æquè in foro patronis à clientibus numerantur: illic enim venalis est lingua precio. Cicero certè & Demosthenes ad magnas opes eloquentia & patrociniis peruenerunt. AT CIRCVM PVLPITA NOSTRA] Nos præter laudem, & acclamationes, & oscula nil referimus. PVLPITA] Pulpitum ante scenam locus editior, in quo omnis comœdia recitabatur.

tur. Ponitur etiam pro suggesto siue loco quocunque editiore, vnde ad populum verba fiunt. Isidor.lib.15.cap.4. *Pulpitum dicitur quod in eo lector vel psalmista positus in publico conspici à populo possit, quo liberius audiatur.* Pulpitum non erat totum proscenium, sed pars eius. Scena altior proscenio, pulpitum in ipso proscenio altum pedes quinque, vt qui in orchestra sederant, spectare potuerint omnium agentium gestus. Proscenium auctore Diomede est locus ante scenam. Ibi erat pulpitum, in quod actores fabularum prodibant: scena itaque erat altior pulpito, pulpitum altius orchestra. lege Philandrum & Vitruu. lib.5.cap.6. Hic pulpita generatim intelligenda. Ianus Guliel.lib.3.Verisim.cap.19. *Omnino melius,* inquit, *liber scriptus: ad circum & pulpita nostra. Recenset loca poëtis veluti consecrata, Circum, in quo ludi fiebant. & spectabantur fabulæ; pulpita, è quibus recitabantur poëmata; cathedras Grammaticorum è quibus explicabantur.* Rectè si legas ad Circum, non at Circum, &c. ET STERILES CATHEDRAS] alij cathedras subsellia, alij sellas interpretabantur. Lips. Eleg.1. cap.19. *Cathedras,* inquit, *non absurde capiam pro sellis, suadente Iuuen.*

Et Sat.7. plura.

——cum iam sexta ceruice feratur
Hinc atq; inde patens ac nudà pœne cathedrà
Signator falso——

Quanquam ea vox propriè de sella muliebri. Et græca, ἀπὸ ϛ κτ, καὶ τῆς ἕδρας. ἕδρα autem sedes est. Horat. serm.1. Sat.10.

Discipulorum inter iubeo plorare cathedras.

Ex quo loco intelligis cathedras dici pro subsellijs gymnasiorum. Vnde credo cathedrarij Philosophi apud Senecam, vmbratiles, qui apud discipulos in sellis de virtute tantùm disputant. Hic subsellia auditorij in quo recitabant poetæ accipe. de recitatione copiosè lib.10. Sensus ergo carminis est. At poëtis, qui sua in cathedris & pulpitis scripta recitant, aut ab aliis recitantur, nihil præter basia, id est, laudes & commendationes, seu grande sophos datur pro labore. BASIA] Poëtas si placuissent, osculo acceptos ab auditoribus. lege apud Plinium, de quo suprà epig.4. alii ad libros poëtarum referunt, quos lectos & gratos basiabant. alii ad laudes tantum. laus tamen ista metonymicōs accipi videtur. basium enim signum erat libri probati & laudati. de libro intelligendum & laude simul illud libro hoc epig 4.

Non incredibile de basiis, quæ aliis gentibus visitata in ista, reditu quotidiano occursu.

Audieris cum grande sophos & basia captas.

Laudis quidem nobis multum sed nihil æris datur. ex laude non viuimus. hinc miseri sumus.

De Festo.

LXXIX. LXIV.

Indignas premeret pestis cum tabida fauces,
Inq; ipsos vultus serperet atra lues.
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos
Decreuit Stygios Festus adire lacus.
*Nec tamen obscuro pia * polluit ora veneno,*
Aut torsit lenta tristia fata fame.
Sanctam Romana vitam sed morte peregit;
*Dimisitq; animam nobiliore * rogo.*
Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
Fama potest: huius Cæsar amicus erat.

* M. S. pollunt.

* Vta non displiceat propter illud Græcum Anthol.3. τὴν πρὶν πυρκαϊῆς.

Laudatur Festus quod mentagra fœdissimo morbi genere correptus, non veneno, non fame, sed ferro sibi mortem consciuerit. Qui Festum hunc illum iudicant, qui S. Paullum vinctum Romam misit, nullo id argumento probant.

INDIGNAS PREMERET PESTIS] Plinius lib.26. c.1. scribit tempore Claudii Cæsaris primùm in vrbem inuectum hoc malum à quodam Perusino equite R. quæstorio scriba, *cum in Asia apparuisset, inde cognitionem eius importante sine dolore quidem, se tanta fœditate, vt quacunque mors præferenda esset. Grauissimum ex his* (intellige generibus pestis) *Lichenas appellauere Græco nomine.* Martialis lib.10.ep.99.

Non virus acre pustulæue lucentes
Non triste mentum, sordidiq; Lichenes.

Latini quoniam à mento ferè oriebatur, ioculari primum lasciuia, mox & vsurpato vocabulo mentagram, occupantem in multis totos vtiq; vultus oculis tantum immunibus. descendentem verò in colla, pectusq; ac manus fœdo cutis furfure. curabatur caustici, ni vsq; in ossa corpus exustum esset rebellante tædio. Manilius Cornutus ex prætorii.

prætorius Legatus Aquitaniæ prouinciæ quina millia Phil ppæorum. H S CC. in eo morbo curando elocauit. lege [...]ura ibidem apud Plinium, scitu digna de hoc morbo.

SICCIS IPSE GENIS] quod firmi pectoris argumentum Morbum ipse ridens tulit, quem amici spectare non potuerunt sine lachrymis, quibus mœrorem verbis abstergere conabatur. Sic Thraseas *Lætitiæ propior abiit è vita, vt è conuiuio, porrectis venis, & incisis.* POLLVIT] pal'luit habet M.S. præclare vt sentit Guliel. 3. Ver. cap. 19. *Venenum enim pallorem inducit. Virgil. de Cleopatra-- pallentem morte futura.* Oratio est figurata, pallet ora. Sed reuera retinuerim cum Mus mbertio polluit, quod non modo non ἄχυρον sed χυρώτατον. DECREVIT STYGIOS] Mori semperque ferire. NEC TAMEN] vt multi mortales, Hannibal, Cleopatra, Themistocles, alii, nec inedia exhausit vt Silius aliique sexcenti.

SANCTAM ROMANA] Illustri morte claram vitam finiisti. ROMANA MORTE] prima omnium, quod sciam, Lucretia huius princeps & dux facti. quam magna vis virorum fœminarumque secuta & ex illustri genere Catones, Scipiones, Fabii, Bruti, Arreæ, Pæti, Thraseæ, &c. solenne hoc fuit Romanis multis sæculis, vt circumuenti malo malum anteuerterent non auerterent, atque ante mortem morerentur. lege lib. 5. Cæsa. is de bello Gallico. nos supra quoque disseruimus in dog. Deciani. lege Cic. somnium, & Catonem maiorem, & primam Tuscul. vbi probat iniussu Dei non esse viruptis corporis vinclis è vita emigrandum.

DIMISITQVE ANIMAM] fato nobili perfunctus. an videtur alludere ad illud Græcum lib. 3. de via dextra, vt proinde legendum potius nobiliora via? vt & Serturius contendit legendum.

Τὴν δὴ πυγκαὶ ἧς ἐν δέξια φασὶ κέλευθον
Ἐμὲ τὺς ἀγαθοὺς εἰς ῥαδάμανθυν ἄγειν.

Ad dextram enim partem rogi heroes à Mercurio ad inferos deduci putabantur. An ad Virgilii dictum allusum--*pulchramq, petant per vulnera mortem.* HANC MORTEM] Conclusio ex comparatione Cato. is & Festi. Vterque se interfecit, sed ille metu Cæsaris, hic sponte animi. nam illi Cæsar inimicus, huic amicus erat. Ita blanditur Augusto dum Festum laudat.

Ad fora purgatos manes Plutonia dextrâ. Ducere pars te rogi firtur Atlantiades.

Ad Attalum.

LXV. LXXX.

Semper agis caussas, & res agis Attale semper,
Est, non est, quod agas, Attale semper agis.
Si res, & caussæ desunt, agis Attale mulas,
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

Attalus πολυπράγμων, vt semper occupatus aliquid agere videretur, apta inepta agebat. Ita, vt si quod ageret, deesset, asinas ageret. Precatur huic poëta salsè, vt si nihil habeat quod agat, agat animam, id est, moriatur. Sen. quid egeris, tunc apparebit, cum animam ages. Ita intelligo hunc versum, nec placet qui lectionem variant vt Cælius, & legunt agis asinam, pro animam. Iam enim antè dixerat, agis Attale mulas. nec ignoro esse vetus verbum agere asellum, quod in 2. de Orat. Cicero refert. Quid sit agere docet Varro lib. 5 de LL. AGIS ATTALE MVLAS.] olim qui varia vitæ genera erant sectati, nec in iis operæpretium fuerant, ad agendos asinos amandabantur, siue redacti ad inopiam in Agasonum album referebantur. Plura Bisciola lib. 6. cap. 4.

Ad Canum.

LXVI. LXXXI.

Sportula, Cane, tibi suprema nocte petita est,
*Occidit puto te, Cane quod * vna fuit.*

** vrna, non placet.*

Non probo Perottum in explanatione huius distichi, cùm dicit: Puto te Cane defunctum esse, quia tantum vna sportula fuit, hoc est, quia cibum amplius capere non potuisti, perinde ac si dixisset, inedia periisti; sic enim omnes inedia moriuntur. Auaritiam potius Cani notare videtur, qui, cum multas sportulas petisset, vnamque duntaxat præter spem accepisset, ex dolore & desperatione perierit. Aut vora itatem Cani tangit, qui consueuerat plures semper sportulas deuorare vna cœna, vix tamen famem compresserit. Et quia pridie quam moreretur, vnam tantùm acceperat, fame mortuum dicit, vna enim non sufficiebat cœnanti. QVOD VNA FVIT] Non quia cibum capere non potuisti, vt Perottus, sed quia deuorata vna non erat quod caperes amplius: vna enim non sufficiebat auaro & helluoni.

Ad Sosibianum.

LXXXII. LXVII.

E seruo scis te genitum, blandeq; fateris,
Cùm dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Sosibianus fictum nomen, graue enim & acerbum conuitium, quo vitium natalium certi cuiusdam nomine falso Sosibiani taxat, quem ex matre adultera seu ancilla natum dicit, cum se equestri loco natum iactaret, vt plerique ex ancillis nati. Domitius fuisse libertum contendit. Liberti dominos non patres, sed patronos vocabant. Deinde nil erat cur negaret, si libertus fuit, se natum seruo, nec enim erat illi turpe, sed potius honestum, quod primus libertatem sit adeptus suæ posteritatis. Hybrida ergo fuit Sosibianus & serua & libero natus, ampullæ enim Ram. nihil mouent aut continent. Scribe ins latere grandius secretum existimat: viuente patre Sosibiani, seruus eius suspectus erat de consuetudine stupri cum hera sua adeò vt populus crederet Sosibianum nostrum atque ex seruo ipso conceptum. Non est, inquit Martialis quod in dubium reuocemus id quod omnes hactenus suspicati sunt, te è seruo tuo domestico genitum. Id enim blandè fateris quum ipsum seruum illum vocas Dominum qui reuera pater tuus est. Nam Domini ludendo sæpè seruos suos vocabant Dominos. Martialis lib. V. ep. LVII. Sunt qui emendát & legunt --- *è serua genitum* --- de qua re iam egimus. Parthius l.36.21. Martialis inquit epigramma est quod multos eruditissimos viros suspensos habuit interpretationibus variis inter se dissidentes. E seruo &c. Nihil aliud quam ineptam adulationem & generis eleuationem ambitiosiorem quo in Sosibiano reprehendit poeta; nam homine ingenuo indignum erat, vt se vel patri seruum submitteret. Allusit verò sanctionem priscorum Romanorum qui à virtute sua alienum putabant vel parentes appellare Dominos quod isti ambitiosulo obiicit Martialis Sanè inquiens, credimus tibi, dominus est tuus tibi, vt appelles, pater. Sed eo fateris generis vilitatem, nam fateris seruum te seruo natum, dignum seruitio. Brutus ad Atticam: Sed dominum, parentem ne maiores quidem nostri voluerunt esse. Sueton. in Aug. Dominumq; se posthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel ioco passus est. Non malè Parthius malim tamen Scriuerio subscribere.

CVM DICIS DOMINVM] *Domini vox*, inquit Lips. ad 2. Annal. Tac. *propriè non nisi in seruos. Quanquam Augusti æuo & infra à liberis patres appellatos reperire est, & à fratribus blandientibus fratres. Quod tamen Augustus in sua vetuit domo.* Suetonius tangit vtrumque morem in Augusto. *Dominum*, inquit, *appellari se nec à liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel ioco passus est: atque huiusmodi etiam blanditias inter ipsos prohibuit.* Quod patres domini audirent etiam ex Diadumeni Cæsaris epistola discimus apud Lampridium in eius vita, per inscitiam ergo negat vsum vocis huius Ramires, cùm æuo Martialis maximè fuerit vsurpata. De fratribus, Senecæ docet locus epistola. C.V. *Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis, qui cùm in Achaia febrim habere cœpisset, confestim nauim conscendit, &c.* Itemque coniuges inter se eo nomine vsi. Suet. Claud. *Occisa Messalina paulò post, quam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requisiuit*, sed & obuios vulgo dominos vocabant. Seneca. *Quomodo obuios, si nomen non succurris dominos vocamus.*

Plura infrà ad Priscum epig.113. Idem Martialis ad Priscum.

Cùm te non nossem, dominum regemq; vocabam
Postquam te noui, iam mihi Priscus eris.

Ad Cinnam. *Cùm voco te dominum, noli tibi Cinna placere:*
Sæpe etiam seruum sic voco Cinna meum.

Irrisionis caussa vt hodie Herr Junckherr. De coniugibus se mutuatim dominos appellantibus Ouidius suffragatur, qui tempore Augusti scripsit lib.3. Trist. el.3.

Nunciet huc aliquis dominum venisse, resurgam.

Ibidem. *Nec dominæ lacrymis in nostra cadentibus ora.*

Et alibi sæpius. apud Catullum in nuptijs Iuliæ & Manlij.

Ac domum dominum voca.

Vide plura apud Læuinum Torrentium ad cap.53. Aug. Suet. in Augusto.

De Regulo.

LXXXIII. LXVIII.

Hæc quæ puluere dissipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto iacet absoluta casu;
Tectis nam modò Regulus sub illis

Gesta-

Gestatus fuerat, recesseratq;
Victa est pondere cum suo repentè,
Et postquàm domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.
Tantæ Regule post metum querelæ,
Quis curam neget esse te Deorum?

Casum huius & historiam descripsit supra epig.13. *Itur ad Herculei.* Vbi quis hic Regulus fuerit docuimus. LONGAS EXPLICAT RVINAS] Nam porticus longa erat, & soluta magis extendebatur. EN QVANTO] Vt miraculum grandius reddat, horribilem eius casum exponit. alij legunt: Heu quanto, quod placet non minus quam En. durius est *vitato* perit energia. ABSOLVTA] vel ad tecta, vt idem sit quod soluta, vel ad culpam, cùm innoxia cecidit, vt absoluta exponas, innocens, non rea culpæ. supra, *heu quàm pœne nouum porticus ausa nefas?* TECTIS NAM MODO] Ita superius.

Nam subitò collapsa ruit, cum mole sub illa
Gestatus biiugis Regulus esset equis.

ET POSTQVAM] Hoc est quod dixit. absoluta casu, incruenta, innoxia, securo damno. sui tantum corporis & molis, sine periculo Reguli. TANTÆ REGVLE] *Nimirum tenuit nostras fortuna querelas.* Est epiphonema, res mortalium esse curæ immortalibus. QVIS CVRAM NEGET] suprà.

Stantia non poterant tecta probare Deos. Plura super hoc epig. Scriuerius.

De Mario.

LXIX. *LXXXVI.*

Venderet excultos colles cùm præco facetus,
Atq; suburbani iugera pulchra soli:
Errat, ait, si quis Mario putat esse necesse
Vendere: nil debet, fœnerat immò magis.
*Quæ ratio est igitur? seruos * vbi perdidit omnes,*
Et pecus & fructus, non amat inde locum.
Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere vellet
Omnia? sic Mario noxius hæret ager.

* *alit. ibi, non male Scriuerius.*

Præconis erat commendare quod venale proclamabat. vt Horatius:

Laudat venales qui vult extrudere merces.

Marius homo copiosus agros loco graui & insalubri vendere cupiebat, vt qui plus detrimenti quàm adiumenti adferrent. Præco simplex præconio suo laudando copias Marii, vituperauit agros, vt pestilentes: ex caussà enim subiecta hoc cogebatur, non amat locum, qui amisit in illo pecus & seruos, & fructus; pestilens ergo, quod non intelligebat præco stupidus se vituperare, quos volebat laudare, vt rectè notauit Musamb. contra Ramires. ac effecit, vt agrum nemo emeret. VENDERET EXCVLTOS] qua regione, via, locoue sitos nemo docet. EXCVLTOS] opponitur hic inexculto, rudi. Et intelligenda villa seu prædium cum fundis & agris. PRÆCO FACETVS] ridiculos ob simplicitatem, acutos, & dicaculos. nonnullos fuisse legimus præcones. Apud Ciceronem secundo de Oratore, omnes superabat Granius, quo, vt inquit Cicero, nemo dicacior. Et in Bruto: *Ego memini*, inquit, *T. Tineam Placentinum, hominem facetissimum cum familiari nostro, Q. Granio præcone dicacitate certare, quem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo.* Hic ille Granius est, qui patrono malo, cùm vocem in dicendo obtudisset, suadebat vt mulsum frigidum biberet, simul ac domum rediisset. *Perdam*, inquit, *vocem, si id fecero*: *Melius est*, inquit, *quam reum.* Præcones apud veteres magno in honore fuere, quos Homerus vocat, διὸς ἀγγέλους.

Χαίρετε κήρυκες διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Hic autem Marii præco bardus erat, & ideo aliis facetus.

ATQVE SVBVRBANI] Suburbana iugera sunt agri ad vrbem proximi quasi sub vrbe. PVLCHRA] ad aspectum, non fructum, nam quomodo alioqui fructus & omnia perdidisset? ERRAT, AIT] Non ob inopiam vendit Marius, vt alii, qui præconi sua subiiciunt, à creditoribus pressi. Nil debet Marius, immò illi debetur, aliisque dat mutuam pecuniam. QVÆ RATIO EST] Locus est pestilens, qui fruges corrumpit, animam inficit, hominesque & feras enecat. Hæc est caussa cur

Nemo libenter recolit, qui læsit, locum. Phædrus lib. 1. fab. 8.

non amet locum Marius, & cur hastæ subiiciat, circumuenire vult emptorem pariq; damno mactare, hoc est occidere. QVIS FACIAT PRETIVM] Hoc distichum epiphonematis loco adiungit. Quod cum ita se habeat, quis emat illud prædium Marij nisi insanus, qui se suosque eat perditum? SIC MARIO] hinc vendere prædium Marius non potest, nec poterit, quis enim emat pestem? & hoc ob præconis stuporem qui rem domini venalem vituperauit, quam putabat se laudare.

De Nouio Micropsycho.

LXXXVII. LXX.

Vicinus meus est manuq; tangi
De nostri Nouius potest fenestris
Quis non inuideat mihi, putetq;
Horis omnibus esse me beatum,
Iuncto cui liceat frui sodale?
Tam longè est mihi quàm Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.
Non conuiuere, nec videre saltem,
Non audire licet, nec vrbe tota
Quisquam est tam propè, tam proculq; nobis.
Migrandum est mihi longius vel illi,
Vicinus Nouio, vel inquilinus
Sit, si quis Nouium videre non vult.

De remoto vicino facetum epigramma. quem hoc rarius videbat, quo vicinior erat. Nouius potens & prædiues, sed præparcus Euclio. Nomen fictum vt reor à poëta, res fortasse ita habuit. Quod enim Domitius affirmat sine testimonio, credat Iudæus Apella. Micropsychus, sonat hominem abiecti animi, sordidum, illiberalem, qualis auarus: hic ne cogeretur aliquid rogaturo Martiali dare, nunquam se in conspectum dedit, quamuis esset vicinus Martiali. *Nihil enim est tam angusti animi, quàm amare pecuniam* verè M. Tullius. VICINVS] Vicinorum nomen propè est amicorum, propter assiduum vsum & conuiuendi consuetudinem, mutuaque auxilia, quod sapientissimus mortalium docet Prouerb. 29. *Melius est*, inquit, *vicinus iuxta, quam frater procul*, cuius caussam reddere videtur Ascræus lib. 1. ἡμερ.

Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει
Εἰ γὰρ τι καὶ χρῆμα ἐγχώριον ἄλλο γένηται
Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
Πῆμα κακὸς γείτων ὅσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ
Ἔμμορέ τοι τιμῆς, ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ.

Vt igitur vicinus bonus magnum bonum, ita malus malum pessimum vt Iuuen. de finitimis testatur, cum scribit. *Inter finitimos vetus, atq; antiqua simultas*
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus.

Persarum hi mores erant, vt quo quis vicinior cuiquam erat, hoc amicior chariorque haberetur. Herodotus lib. 1. id me docet, cùm scribit, *τιμῶσι δὲ ἐκ πάντων ἄγχιστα τοὺς ἑαυτῶν οἰκέοντας, μετά γε ἑαυτοὺς, δεύτερα δὲ τοὺς δευτέρους, μετὰ δὲ κατὰ λόγον προβαίνοντες τιμῶσι, ἥκιστα δὲ τοὺς ἑαυτῶν ἑκαστάτω οἰκημένους ἐν τιμῇ ἄγονται.* IVNCTO CVI] colloquendo, conuiuendo, conuiuando. TAM LONGE EST MIHI] Proximus mihi Nouius, est remotior Terentiano proconsule Ægypti, si tamen proconsul fuit. Tacitus enim 1. histor. *Ægyptum copiasq; quibus coërceretur iam inde à D. Augusto equites obtinent loco Regum, &c.* Regebant eam Neronis & Galbæ tempore, Tiberius Alexander illustris eques Romanus, cui successisse puto hunc Terentianum Martialis amicum. NILIACAM SYENEN] Ægyptum noto schemate intelligit, Syene vrbs est Ægypti in finibus Æthiopiæ, vbi puteus est qui æstiuum indicat solstitium: quando is locus circulo Tropico ad vnguem subiectus est, solemque rectà supra verticem habet, cùm ingreditur cancrum, quo tempore puteus totus illuminatur, nullamque prorsus iacit vmbram sol medio solstitij die. Quod & Lucanus poëta notauit—*Vmbras nunquam flectente Syene*, sunt qui volunt hoc de illo Virgiliano in 3. ecl. ænigmate intellectum cùm dixit.

Tres pateat cœli spatium non amplius vlnas.

NON CONVIVERE] Non admodum hoc incredibile videatur de Nouio. Quis olim Visto

præsidi

præſidi Conſilij Lutetiani Budæus fuerit vicinus, audi Ludouicum Regium in vita Budæi narrantem. *Budæus è regione adium mearum, ait, plus decem annis iam habitauit, tamen quoad poſſum totius ſpacij memoriam recordari, hunc nunquam vidi, ne diebus quidem feſtis in limine domus (vt aſſolet) otiantem, nunquam horis pomeridianis circulantem, aut prætereuntes circumſpicientem.* hæc Regius & plura, vt etiam die nuptiarum eum minimum tres horas ſtudiis impendiſſe affirmet.

Inauditum Budæi ſtudium.

NEC VRBE TOTA] Ludit eleganter & argutè in contrariis. MIGRANDVM EST] Vt vel ille me videat, vel ego illum, præſentem enim nunquam video, fortè & abſentes mutuo vel occurremus vel videbimus. VICINVS NOVIO] Concluſio ex abſurdo & paradoxo planeque contrario. Vt mutuo videamus, conuenimus: vt Nouium videas, recedas ab illo, non accedas oportet. præſentem videbis nunquam, abſens ſæpius. quæ videntur ἀδύνατα. INQVILINVS] qui caret domo & in conducta habitat. ſic animus inquilinus corporis, & nos vitæ inquilini ſumus: inquilina philoſophia, dixit Cicero. De lemmate totius epigrammatis. plura Scriue. ius.

Ad Feſcenniam.

LXXI. LXXXVIII.

Ne grauis heſterno fragres, Feſcennia, vino,
Paſtillos Coſmi luxurioſa voras.
Iſta linunt dentes ientacula: ſed nihil obſtat,*
Extremo ructus cùm venit à Barathro.
Quid quod olet grauius miſtum diapaſmate virus?
Atq; duplex animæ longius exit odor?
Notas ergo nimis fraudes, deprenſaq; furta
Iam tollas, & ſis ebria ſimpliciter.

* *obſtant.*

Vini vſus Romanis fœminis, tam ſeuerè interdictus, vt vinum bibiſſe perinde eſſet, ac ſi in adulterio, aut graui crimine deprehenſa capitali ſupplicio plectenda foret. Hinc oſcula cognatorum quibus viri mulierum abſtinent. an, explorabant. Scribunt hac de re Polyb. lib.6. Plin. lib.14. c.13. Plutarchus in problem. Dion. Halicar. lib.2. Cicero de natura Deorum. Seruius ad 1. Æneidos. D. Hieronymus, Iſidor. Fabius Pictor. Athenæus, Liuius, Alexand. Neapol. lib.3. cap.11. Tiraquellus legibus connubialibus. lib.9. & alii recentiores. Ouidius monſtri inſtar refert in Faſtis. *Atque ſenem potum pota trahebat anus.* Hinc Feſcennia ebria cùm vellet culpam velare, vinique odorem reprimere, vorauit aromata, paſtillos, diapaſmata. Sed Martialis non repreſſum fœtorem, ſed auctum affirmat, monetque vt ſimpliciter ſit ebria, nec diſſimules culpam, ne in grauiorem incidat.

NE GRAVIS HESTERNO] *Egnatius certè Metellus,* vt Plinius lib.13. cap.14. tradit *vxorem ſuam, quod vinum biberat, fuſte necauit.* hoc factum Feſcennia timebat. Alias pœnas aliarum mulierum apud eundem habes Plinium. Æuo Iuuenalis & Martialis lex iſta de vino prope exlex erat. PASTILLVS] Paſtillus, in Sacris, eſt genus libi rotundi, Feſtus. Paullus *Paſtillus eſt forma panis parui, vtiq; diminutiuum à pane.* Placet hic pro genere libi accipi. niſi malis paſtillos intelligi quos deſcribit Platina Crem. lib.6. (ſubiicit enim Martialis paſtillos pro ientaculo voraſſe.) Habent & medici paſtillos ſuos, de quibus Celſus lib.5. cap.17. Krebsküngl. Trochiſcos Græci vocant. Eſt rotunda maſſula ex caryophyllo, cynnamo, pipere odoriferiſque rebus conflata. Horat. Sat.2. Ser.1. *Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircum.* molles effœminatique vtuntur.

COSMI] myropolæ, aromatopolæ, vnguentarii, & odorarii, ſiue, qui odores & vnguenta conficiebant, quæ omnia hodie pharmacopolæ. LVXVRIOSA] ſobrii enim & frugales ab huiuſmodi deliciis abhorrebant. ISTA LINVNT DENTES] non ientabant aut prandebant, niſi pueri aut ægri, & luxurioſi. de ientaculis lib.14 ep. vlt. DENTES] qui graue olent, ſed aromata terentes pellunt, aut potius opprimunt fœtorem in dentibus hærentem, non poſſunt illum qui ex ſtomacho ructat. SED NIHIL OBSTAT] Muſamb. legit, non incommodè obſtant, ad ientacula & paſtillos referendo verbum. Ex ſentina ſtomachi, ex imo ſtomacho. barathrum propriè locus tanta altitudine depreſſus, vt ægrè deſpicere poſſis, ἀπὸ τοῦ βαρὺ ἀτρεῖν. Sed grauem animam inquit, è ventriculo crudo ructantem non potes vllis paſtillis emendare. QVID QVOD OLET] Diapaſmata fiebant ex roſis aridis & attritis. Plinius lib.21. cap.19. in balneis adhibebantur ad coërcendos ſudores. Turnebus lib.9. cap.17. Liquidos autem odores (de Horatio loquitur,) vnguenta vocat, ad diapaſmatum diſcrimen, quæ odorata quidem, non tamen liquida, ſed ſicca ſunt; puluiſculos ergo odoratos intelligo, Martialis hic pro ipſis paſtillis ponere videtur.

ATQVE DVPLEX ANIMÆ] Fœdius, habet antiquus codex. Ergo fœtor diapaſmatis ex ſtomacho prodibat. Animam fœtidam appellauit Titinnius in Fullonibus. Fœtida anima oppugnat naſum. Plautus, animam etiam poſticam appellat in Aul. DVPLEX] vini & paſtillorum, & diapa-

diapasmatis. NOTAS ERGO NIMIS] Iam ars tua, & fraus deprehensa est, frustra voras pastillos & diapasmata, quibus non modò non tegis vinum, sed magis prodis. Itaque ne dissimula in posterum vinum haustum, & minus eris nocens. Notat artificia, & flagitia Romanarum matronarum in tegendis sceleribus.

Ad Alcimum.

LXXXIX. LXXII.

Alcime, quem raptum domino crescentibus annis
Labicana leui cespite velat humus.
Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis vmbras,
*Quæq; virent lachrymis * humida prata meis.*
*Accipe care puer nostri monumenta * doloris*
Hic tibi perpetuo tempore viuit honor,
Cum mihi supremos Lachesis perneuerit annos:
Non aliter cineres mando iacere meos.

* roscida.
* laboris

Dulce & flebile epitaphium Alcimi pueri, cui se similem sortiri tumulum optat.
ALCIME QVEM] an fuerit Martialis seruus, an alterius quæro. Videtur ipsius Martialis fuisse. CRESCENTIBVS ANNIS] puerum vel adolescentem, viri non crescunt. LABICANA HVMVS] In via Labicana tumulatus erat Alcimus. De more hoc, nam sepulchra olim iuxta vias publicas, & militares fiebant, vt prætereuntes monerent mortalitatis, Frontinus de Iure limitum. Varro lib. 5. de ling. Latin. Labicum Latij mediterranei pagus apud Strab. λαβίκων; hodie vel Montone dici putat Leander, quà ab Esquilina porta itur. Est agri Labicani mentio apud Plinium. vide plura apud Sigonium in notis ad Liuium, varia enim est huius vocis scriptura. caput viæ Labicanæ incipit à regione Tabernolæ supra Colosseum. Marlianus lib. 5. cap. 17. LEVI CESPITE] tumulo non magnifico. vel quod magis arridet, alludit ad priscam formulam. H, S, E, S, T, T, L.

Hic situs est sit tibi terra leuis.

Persius. *Nunc leuior cippus non imprimat ossa?*

Noster item Martial. lib. 4. *Mollia non rigidus cespes tegat ossa nec illi*
Terra grauis fueris, non fuit ille tibi.

Plura hac de re lib. 4. Precabantur autem omnes, vt terra esset leuis, postquam Præfica dixerat verbum I, licet. ACCIPE NON PHARIO NVTANT.] sepulcra ornabantur hermis, mensis, tabellis, statuis, columnis, pyramidibus. Retinenda videtur scriptura Pharioque legendum. Alludit ad Pyramides, vel potius obeliscos Ægyptiorum: qui celsissimas moles, & prodigiosas statuas cadaueribus excitabant. Phario ergo, Ægyptio. negant enim de Pario marmore ædificata Mausolæa. * NVTANTIA PONDERA] ob immensam altitudinem. de his lib. spect. dictum. QVÆ CINERI] Omnia soluit ætas. *Nihil enim est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas.* Cic. pro M. Marcel. *Longa dies molli saxa peredit aqua.* Tibullus.

* CC. P. legunt Pario. penes lectorem esto sententia.

Tabida consumit ferrum lapidemq; vetustas.
Nullaq; res maius tempore robur habet. Ouid. 4. de Ponto.
Ipsa etiam veniens consumet saxa vetustas,
Et nullum est quod non tempore cedat opus. Cornelius auctor.

Et Sophocles. πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει καὶ φλέγει. SED FRAG. BVXOS] Poëta signa dat amoris Alcimo buxum, & ederam: quia, quamuis palleat, semper tamen viret. quasi poëta dicat Alcimo. Etsi morte palleas Alcime, semper tamen amor in te meus florebit, cuius rei signum esto buxus. Ederam, à Poëta Martiali, poëtarum symbolum dari conueniebat, aut quia puer erat humatus, & Bacchus iuuenili forma pingeretur. De buxo vide Alciatum embl. 207. Et Claudium Minoem ibidem. Ederam Cisso puero Bacchus dono dedit. Alciat. embl. 204.

Credo hic morem tangi priscum, quo sertis & floribus ornabant sepulchrum, vt tradit Plin. lib. 1. cap. 3. Minutius felix. Græcis serta ex appio, vt Plutarch. in Timoleonte scribit, fiebant [FRAGILES BVXOS] Coronas ex buxo, & vitis folia, & ederam. Alii ipsas arbores illi depactas tradunt, sepulchrumque buxo & vite opacatum, quod poëta dicat opacas pal. vmbras. Sed folia opinor, seu pampini, non stirps opacat, nisi insitas velis ipsas vites, & vinetum seras vti & buxetum, nam hæc omnia ex more fiebant. QVÆQVÆ VIRENT] flores, serta, quod, vt dixi, more fiebat. Neque

enim

enim laurum hic puto intelligendam, de qua Seruius ad illud Virg. 8. Æneid. *laurus data.* ACCIPE CHARE] Carmen æternum. cætera fugiunt. Ouid. 4. Trist.

Carmine fit viuax virtus, expersque sepulchri
Notitiam serae posteritatis habet.

DOLORIS] Laboris legit Scaliger, & intelligit epitaphium. Marcilius ad Horatium exponit τὸ laboris, amoris. labor enim poetis amor est, sicut laborare, amare. Græcis πονεῖν μοχθεῖν. Perpetuum porro honorem Musambertius ad buxum & prata refert, non ad carmen. Super hoc versu Scriuerius audiendus

Accipe care puer nostri monumenta laboris.

Sic optimè libri veteres, & Scaliger Castigationibus Catullianis. Ramiresius qui *doloris* pro *laboris* mordicus retinet, non intelligit mentem Martialis. Alcimus puer, ipsius poetæ dubium, an amici, conditus erat in prato, in cuius ambitu buxetum, & hypampelus exculta à Domino. Ideo vocat tam buxetum quam hypampelum monumenta sui laboris: nimirum quod ea excoluisset ipse. Profectò nisi legas *laboris*, perit omnia gratia huius versus. Certe neq; hypampelus, neq; buxetum, neq; pratum possunt esse monumenta doloris, quæ quidem prius exculta erant, quam ibi Alcimus tumularetur. Ineptus fuit homo, qui ex *laboris* fecit *doloris*. Hypampeli autem mentio est in veteri inscriptione Tiburtinâ, cippo sepulchrali incisa; quam habes in maiore Orthographiâ Manutii pag. XV. & in Gruterianis Collectaneis pag. DCCXL 3. Eam, quia eximia est, & propriè huc spectat, totam adscribam.

Valeria. Athenais. Fecit. Modiæ. T. F. Paulinæ. F. Piissimæ. &. sibi. suis. posterisque eorum. Vix. anno X. III. M. XI. Hunc locum vti me viua determinaui cum ascensu gradum. VII. & cippis inscriptis VII. collig. in. circuitu. P. CCCXXX. &. ab. introitu. portæ. superioris. ascensus. dexterioris. parte. vsque. ad. cippum. III. cum taberna. via. lata. a. pariete. P. V. cedere debebit. &. pilas, structilis. II. vsque; ad. iannam. superiorem. HYPANPELVS huic. cedat. in. rigorem. maceriæ. & furcarum. &. ara. in qua furcepem. HYPANPELVS ibi, vt video scriptum pro HYPAMPELVS. qualia menda plurima occurrunt in Saxis antiquis & Tabulis. Est autem Hypampelus trichila ex vitibus; vinea conuexa & camerata, quæ subdiales inambulationes vmbrosis pergulis opacat. Quæ in fine huius inscriptionis leguntur de *rigore maceriæ & furcarum*, non oscitanter prætereunda sunt: coniunge ea cum Veterum Auctorum commentariis de limitibus. Nos nisi festinaremus, nobilem ex hoc præclaro monumento locum apud auctores illos constitueremus. Sed digitū intendisse ad mendi cubile, nunc sufficiat. Pergamus. Dicit Martialis, non tibi damus, ô Alcime monumenta laboris vani, marmoreas moles, aut pyramides. sed monumenta laboris nostri, viridaria, buxeta, pratum, hypampelum; quæ durabunt, & viuent perpetuo honore. An vocasset *perpetuum honorem*, dolorem suum? Nugæ, & quidem nugacissimæ. Ibidem.

Hic tibi perpetuo tempore viuet honor.——

Ineptè de viuacitate carminis hariolatur idem. de quo ne minima quidem mentio. Omninò Epigramma non constat, si *doloris*, non *laboris* legatur. Tota Martialis sententia dissimulabitur, si Ramiresium auctorem hic sequamur. A quo temerè & iuueniliter reprehenditur magnus Scaliger. cuius, vt & Veri studio atque amore, fusius hunc locum pertractauimus. Hæc Scriuerius.

LACHESIS] de Parcis vna; lege Hesiodi Theog. Orpheum in Parcas. De Parcis hæc συντόμως & vere ex Aristo. lib. de mundo, seu quis alius sit auctor. Τρεῖς αἱ μοῖραι κατὰ τοὺς χρόνους μεμερισμέναι· νῆμα ἀτράκτου τὸ μὲν ἐξειργασμένον. τὸ δὲ μέλλον, τὸ δὲ περιστρεφόμενον. Τέτακται δὲ κατὰ μὲν τὸ γεγονὸς μία τῶν μοιρῶν Ἄτροπος ἐπεὶ τὰ παρελθόντα πάντα ἄτρεπτά ἐστι. κατὰ δὲ τὸ μέλλον Λάχεσις· εἰς πάντα γὰρ ἡ κατὰ φύσιν μένει λῆξις· κατὰ δὲ τὸ ἐνεστὸς Κλωθὼ συμπεραίνουσά τε καὶ κλώθουσα τὰ οἰκεῖα. Id est, *Tres Parcæ iuxta tria tempora diuisæ, quarum alia res transactas, alia venturas alia præsentes significat. Nam vna Parcarum Atropos nomine præteritas spectat, quia quæ præterierunt nulla ratione possunt conuerti, aut reuocari. Alia quæ futuri curam sortita est; Lachesis dicitur, quia rerum naturalium est euentus stabilis est. At Clotho perspicit præsentia, illaq; absoluit, qui sui sunt muneris.* Ex quibus intelligis, quare Poeta hic de tribus Lachesin nominet. fatum expectabat viuus Martialis, hinc illam appellat, quæ futuri rationē temporis habet. Dicitur à λαγχάνω. Aliter ex Platone de Lachesi, Foquelinus in Persium, apud quem plura de Parcis, & Natal. Com.

PERNEVERIT] scio alios codices habere præuenerit, alios peruenerit; Perneuerit placet, vere enim dicuntur Parcæ, & nascentibus stamina de colo detrahere. Homer. Il. H.

——ἔνθα δ' ἔπειτα
Πείσεται ὅσσα οἱ Αἶσα κατὰ Κλῶθές τε βαρεῖαι
Γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ ὅτε μιν τέκε μήτηρ.
——*Ille deinde*
Cuncta feret quæ fata dabunt, Parcæq; seuera
Nascenti neuere, parens quando edidit ipsum.

Nentes autem elegantissimus, & venustissimus poeta Veronensis in carmine, de Nuptiis Pelei & Thetidis, describit ab illo principio. *His corpus tremulum, &c.* Peruenerit ergo, vbi absoluerit pensum, impleuerit fatales annos, & decretorium diem, cupio non alio frui honore, sepulchri, atq;

O

qu, mi

tu, mi Alcime. Tibullus El. 7. libro 1. nentes quoque facit Parcas.

Hunc cecinere diem Parca fatalia nentes
Stamina non vlli dissoluenda deo.

Ad Cinnam.

XC. LXXIII.

Garris in aurem, semper omnibus Cinna,
Garris & illud, teste quod licet turba.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras
Cantas in aurem, iudicas, taces, clamas,
*Adeóne * penitus sedit hic tibi morbus,*
Vt sæpè in aurem Cinna Cæsarem laudes?

* Penitè.

Cinnam carpit obtrectatorem & adulatorem. GARRIS IN AVREM] Græcorum vetus verbum est εἰς οὖς λέγειν, in aurem dicere, hoc est, secreto & clanculum commitere alteri, quod nolis ab aliis exaudiri. Homer. Ἄγχι σχὼν κεφαλήν, ἵνα μὴ πευθοίατο ἄλλοι.
Admoto capite prope, ne quis vt arbiter esset.

Eurip. Δεῦρ' ἔλθ' ἐς οὖς σοι τοὺς λόγους
Ades dum, in aurem, vt quæ volo tibi eloquar.

Lucianus in Gallo, πρὸς οὖς συρακουσίων κοινολογούμενος, *ad aurem cum Syracusanis quibusdam communicans.* Ergo in aurem dicere, vt vides, primitus non significat carpere, aut obtrectare, sed arcana committere. GARRIS IN AVREM] immurmuras, vt susurro singulis apud singulos, omnibus apud omnes sigillatim detrahis. GARRIS ET ILLVD.] Etiam illa clam in aurem dicis, quæ palam norunt omnes. *Iocum æmulatus videtur Scauri,* inquit Lips. ad 4. Annal. Taci. *In Iunium quendam Othonem Rhetorem, quem Scaurus dicebat acta in aurem alterius legere. Acta autem publica sunt, nec aliud tam vulgo promptum, notumque, adeo, vt prouerbij loco Seneca fil. in alibi dixerit. Beneficia in acta non mitto, id est, non publico, non vulgo. Et quid magis ridiculum, quam acta publica alicui in aurem?* RIDES IN AVREM.] Studia populi in theatro vel foris, vel circulis videtur significare. Ibi enim modo ridebatur palam, modo plorabatur, arguebatur, contendebatur, clamabatur, acclamabatur, silebatur, attendebatur, damnabatur, pro cuiusque affectu & sensu, de quo alibi dictum. Hæc omnia, quæ populus faciebat palam, Cinna clam, atque si haberet arcana factitabat; sed faciebat hoc Cinna, quia sæpe apud familiares potentibus nominatim obtrectabat, vel eosdem iudicabat, damnabatque sententia sua, & irridebat, quod palam nominatim facere non potuisset.

ADEÓNE PENITVS.] Operæ ne tanto tibi hoc vitium placet? *sedet*, placet. Eodem sensu Virgil. 2, 4. & 5. vocem vsurpat, itemque alii. MORBVS] Vitium. Cice. in Tusc. animi ægritudines, iram, voluptates, inuidiam, odia, &c. morbos appellat. IN AVREM CÆSAREM] Seorsum à Perotto, & Domitio iudico. *Vsque adeo* inquiunt illi, *hic morbus in aurem garriendi, & detrahendi innatus erat, vt ne Cæsarem quidem, nisi clam laudaret, vt aperte liceret,* quod hic acumen? Voluit, quantum assequor, poeta communem omnium obtrectatorem carpere, & Cæsaris assentatorem vnicum affirmare. Mens ergo carminis est; omnibus clam detrahit Cinna, & solum Cæsarem in os laudat, quod proprium est assentatorum, & eorum, qui aulas lambunt, vt domi, non publice laudent principes: non publicè, vt, quod sunt, non videantur. Est ergo occultus obtrectator, & occultus assentatór, quo genere hominum, quæ pestis sit exitialior, non video. Ita acerbissimum est carmen Martialis. Aliud videtur aliis, mihi hoc. Ramiresius non ad obtrectationes, sed improbam tantum Cinnæ consuetudinem referendum putat. Atqui huic consuetudini prauæ alterum detractionis vitium plerumque est coniunctum. Nam quod honestè dicitur, non horret aures alienas & publicas. Lipsium ex me laudauit Ramiresius.

Ad Lælium.

XCII. LXXIV.

Cum tua non edas, carpis mea carmina Læli,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Si tua edideris, plura in illis reprehendenda legentur quam in meis, cum interim velis melior aliis poeta videri, aliosque carpas, quod cuiuis in promptu est. *Nam facilis cuiuis rigidi censura cachinni,* qui morbus sedet multis, vt, cum ipsi nil possint, censendis aliis posse videantur.

De

De Aquino.

XCIV. LXXV.

Fabricio iunctus fido requiescit Aquinus,
*Qui prior Elysias gaudet * adisse domos.*
Ara duplex primi testatur munera pili:
** Plus tamen est, titulo quod breuiore legis.*
** Functus vterq; sacro laudatæ fœdere vitæ.*
Famaq; quod raro nouit, amicus erat.

* abiisse CO. P.
* Inscriptâ.
* Iunctus.

Fabricius & Aquinus primos ducebant in acie ordines, qui primi centuriones primipili, &c. vocabantur, de quibus copios. Polyb. & ad Polyb. Lipsius de militia Romana. Poeta laudat firmam & æternam vtriusq; amicitiam, quæ non viuos tantum, sed mortuos etiam coniunxit. atque hoc rarius id exempli est, quod eundem ambo ordinem duxerint, inter quos facillime existit simultas. Figulus, vt in veteri est prouerbio, figulum odit, apud Hesiodum.

QVI PRIOR ELYSIAS.] Aquinus citius abiit, & lætius obiit, quod sodalis viueret. ARA DVPLEX.] Quia duobus simul iunctis gemina ara exitata est. TESTATVR] fuisse primos pilos, aquiliferos, nam penes primipilos erat custodia aquilæ. PLVS TAMEN.] Plus tamen admirationis adfert quod inscriptum aræ legitur. Quid illud? quod sequitur. FVNCTVS VTERQVE.] vterque alterius amicus erat, quod Romæ, atque inter milites pares, atque æmulos inusitatum erat. De æmulis mira apud Cæsarem & Osorium leges.

Ad Helium.

LXXVI. XCV.

Quod clamas semper, quod agentibus abstrepis Heli,
Non facis hoc gratis; accipis, vt taceas.

In acrem causidicum, & præuaricatorem est hoc distichum, vel potius in ineptum clamatorem iocatus est poeta. CLAMAS] quod est contra Rhetorũ leges, insolenter rustice clamare. Quare Demosthenes cum audiret quendam immodicè vociferantem. *Non*, inquit, *quod magnum est, bene est; sed quod bene est, magnum est.* AGENTIBVS OBSTREPIS] actores interpellas, clamoribus tuis terres. NON FACIS HOC] non gratis clamas. ACCIPIS VT TACEAS] vt quondam ab Harpalo Demosthenes, de quo sic Pluta. in Demosthene. *Ictus munere, vt si præsidium recepisset, adiunxit se Harpalo (erat Harpalus profugus ab Alexandro cum ingenti pecunia) Postridie collo lana, & fasciis diligenter obligato in concionem progressus, cum excitaretur ad dicendum, nutu ostendit præclusam sibi vocem. Ibi homines faceti cauillantes non anginã dixerunt, sed argentanginã oratore nocte correptum & corruptum.* Fassus postea id ipsum cum dixit se plus aliis oratoribus accepisse, non vt loqueretur, sed taceret. Gellius lib. 9. c. 11. Ramiresium alia omnia sentientem reprimit Mutamb. Si tamen Ramiresius tabulis planum fecisset, solitos se miscere causis non vocatos in patrocinium, aut hoc prætores passos esse, non abnuerem ire pedibus in eius sententiam. excipio totas factiones, quales in Miloniana & similibus fuere. Huc facit adagium bos in lingua Æschilus in Agam.

Τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, βοῦς ἐπὶ γλώττης μέγας Βίζηκεν. plura Adagiographus.

Alii illud taces ad tacenda scelera referunt. Mihi alia omnia hoc loco videntur.

Ad Scazontem.

XCVII.

Si non molestum est, teq; non piget Scazon,
Nostro, rogamus, pauca verba Materno
Dicas in aurem, sic, vt audiat solus.
Amator ille tristium lacernarum
Et Bæticatus, atque leucophæatus,
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystinasque mulierum vocat vestes,

Natiua laudet, habeat & licet semper
Fuscos colores, * *Galbanos habet mores*

* * *

Quæris quis hic sit? * *excidit mihi nomen.*

* Galbanos, id est, molles & effeminatos. Turneb. l.17. cap. 8. * Vide Lip. lib. 1. epist. 5. Sags niemandt dann jederman.

Alloquitur Scazontem προσωποποιητικῶς: & impuros seu Fusci, seu Galbæ, seu Cinnæ mores insectatur tacito nomine.

SI NON EST MOLESTVM] claudicas enim & ægrè incedis. Versus hic Choliambus dicitur. MATERNO] I.C. doctissimo & clarissimo viro amico nostro, & Municipi, lege lib. 10. epig. 37. DICAS IN AVREM] clam velut mysterium Cereris, vt nemo præter illum exaudiat. sed lepide poeta iubet, vt in aurem dicat, cum ipse publico versu vulget per orbem. Quid sit in aurem loqui paullò antè dictum. SIC VT AVDI.] hoc enim est in aurem dicere. AMATOR ILLE.] Qui pullatus luxum vestium carpit in aliis. de lacerna iam dictum. Est pulla vestis, nonnunquam etiam amethystina. ET BÆTICATVS.] De colore Bæticato Martial. lib. 14.

Non est lana mihi mendax nec mutor aheno:
* *Sic placeant Tyria, me mea tinxit ouis.*

* v. fi.

Oues Bæticæ Hispanienses rutilata vellera ferebant, ex quibus vestes natiuo colore fiebant rufæ. LEVCOPHÆATVS.] Vide Merulam. Est color ex albo & nigro, cum albus nigredine obscuratur, cinereus. Columella murinum, mausfarb/schimel/graw/aschefarb. λευκός, græce albus, φαιὸς nigricans. lege Pollucem, Plinium. Vitru. QVI COCCINATOS] Coccinatus, purpuratus, coccotinctæ vestes purpureæ. AMETHYSTINASQVE] Qui lacernas aut coccineas, aut amethystinas ferebant, iudicabantur tum lautiores & delicatiores. Sene. epi. 115. *Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut interuellunt, qui labra pressius tondent, aut abradunt, qui lacernas coloris improbi sumunt.* Lacernas improbi coloris, interprete Lipsio, *purpuræ sunt, quoniam insolens ille color, Senecæ temporibus & audax.* Amethystinæ dicuntur à colore lapidis Amethysti. Nomen habet à vini colore, quem prius quam degustet, in violam desinit. vt Plin. tradit, & violacei coloris est. sic Theophrast. eum vocat οἰνωπὸν τῇ χρόᾳ. & Tryphiodorus αἱμαλέην ἀμέθυσον, quod diluti cruoris colorem referat. Dionys. Afer. σχεδὸν πορφυρίζοντα, *propemodum purpureum.* Ex quibus intelligis quis color vestis amethystinæ fuerit. Plutarchus Symp. 3. probl. 1. NATIVA LAVDET HAB. ET LIC. SE. FV. COL. GAL. HA. MORES.] Ferat lacernas natiuo colore tinctas, Bæticatas & leucophæatas; ferat fuscos, pullos, atros: lacernæ enim color pullus potissimum. *Fuscos, colores, Galbanos mores*, homioteleuta, & homioptota. sensus est. Viriles gestet vestes, muliebres certè habet mores. nam Galbus color est pallidus, viridis, flauus. Turneb. lege lib. 17. c. 8. & Lipsi. Ei. 1. c. 15. viridis, seu herbaceus, græcè χλωρὸς, qui & fœmineus Iuuen. *Cærulea indutus scutulata, aut Galbana rasa.*

Porro etiam ad Galbam Imperatorem fœdum allusit, de quo Tranquil. c. 22. Torrentium consule in Galba.

Galbani autem mores effœminati, minimè viriles, sed molles & muliebres. Itaque poeta in voce Galbanos respicit simul ad colorem, de eodem colore herbaceo videtur intelligendus ille Martialis versus,

Herbarum fueras indutus Basse colores.

QVÆRIS QVIS HIC] omnino in sententia argutissimum est hoc epigramma. Excidit mihi nomen inquit. quasi diceret se oblitum esse nominis, cum contra sibi excidisse nomen ipsum improbi hominis dicat, hoc est, à se in hoc carmine nominatum. & ludit in dilogia vocis, excidit, quod obliuionem, vel imprudentiam casumue notat. sed vbi nominauit? cum dixit Fuscos colores, Galbanos mores. En, aut Fuscus erat quem descripsit, aut Galba, aut fortè vnus Fuscus Galba, aut Cinna. Coccinatos accipe medias syllabas erit Cinna. Hoc acutissimus credo Lipsius primus vidit, & notauit. lib. 1. epist. quæ. c. 5.

Ad Næuolum Caussidicum.

XCVIII. LXXVII.

Cum clamant omnes, loqueris tu Næuole semper,
Et te patronum caussidicumq; putas,
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce tacent omnes. Næuole hic aliquid.

Næuolus alter Thersites insulsus, & ineptus caussidicus, cum in Iudicio clamores inter aduersarios magni essent, tum insolentissime vociferabatur; cum silentium inter reliquos factum, ne gry audebat. Martialis irridet eloquentiam eius, vel potius infantiam. DIC ALIQVID.] Vt quantus sis orator, quem te iactas, audiam. nam in strepitu clamas, nemo, quid dicas, intelligit.

Ad

Ad Flaccum.

XCIX. LXXXVIII.

Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat,
Sed nil patrono porrigit. hac Cheragra est.

Diodorum auarum notat, & eleganter in voce podagra & Cheragra ludit. LITIGAT] In iudicio coram Prætore cum aduersariis de bonis fortè, quanquam tota res ficta videri possit. Cum duobus litigat Diodorus, cum parte aduersa, & cum morbo suo conflictatur. SED NIL PATRONO] Caussidico, qui Diodori causam defendit. HÆC CHERAGRA EST] sic lego cum Iunio non Chiragra, quæ primam tendit. χεὶρ χειρὸς, χειράγρα, nisi expungas, vt apud Ausonium φειδίας αὐλ... Ioseph. Scalig. ad Auson. lib. 1. c. 12. vbi & hæc vox χειράγρα exterio ι, ponitur. Dicitur igitur cheragra eliso ι, dicitur chiragra expuncto ε. vtraq; breui. Pulcher iocus. Chiragra manus captat, vt officio fungi nequeant; parci, sordidi, auari laborant Chiragra, inuiti enim largiuntur, quod manu fit. Huc facit illud Diogenis, manus non esse porrigendas amicis complicatis digitis. An ego hoc de Nonnio promserim, nescio, hoc scio, Raderum à Ramiresio non semel plagium esse passum. & si quisquam in hoc genere candidus, in eo profiteor ego nomen meum, quod vbiq; deprehendet lector. Si quod à me laudatum adagium, ab aliis item vsurpatum; non continuo ab eodem accepisse, sed in adagiographo legisse possum, quoties tibi Musambertius crimen plagii obiicit? HÆC CHERAGRA EST] non iusta nec vera, sed qua tantum auari laborant. Metaphora elegans ducta b articulari morbo qui verus aut fictus: Horat. 2. Sat.

Scurra Volanerius postquam illi iusta Chiragra Contudit articulos——

Iusta Chiragra est sontica & vehemens, quæ hominem à muneribus publicis excusat; non item lenis & interrupta. Plura Scipio Gentilis lib. 1. Parerg. c. 4.

Ad Calenum auarum.

LXXIX. C.

Non plenum modo vicies habebas;
Sed tam prodigus atq; liberalis,
Et tam lautus eras, Calene, vt omnes
Optarent tibi centies amici.
Audit vota Deus, precesq; nostras:
Atque intra, puto, septimas Kalendas
Mortes hoc tibi quatuor dederunt.
At tu sic, quasi non foret relictum,
Sed raptum tibi centies, abisti
In tantam miser esuritionem,
Vt conuiuia sumptuosiora,
Toto quæ semel apparas in anno,
Nigræ sordibus explices moneta,
Et septem veteres tui sodales
Constemus tibi plumbea selibra.
Quid dignum meritis precemur istis?
** Optamus tibi millies Calene:*
Hoc si contigerit, fame peribis.

* al. Optemus.

Huius epigrammatis periochen illud Ouidii, primo Fastor. complectitur.

Quo plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ. Et: *Crescit amor nummi, &c.*

Calenus, cum mediocres opes haberet, minime sordidus in amicos extitit, vt cœpit rem habere, copiasq; augere, amicis nihil largiebatur amplius, & ipse parcius vixit. optat illi poeta immensas opes, vt fame pereat, atq; ita irridendo castigat auaritiam.

NON PLENVM MODO] non omnino vicies centena millia HS. possidebas, hoc est, quinquaginta

Philippæum nostras, & aureum Gallicum idem pretium vti & coronatum Italicum, seu scutatum decem iuliorū.

quaginta millia Philippæorum, cum vnus Philippæus decem drachmis, id est, 80. cruciferis æstimatur. PLENVM] sic lib. 5. c. 71. In Syriscum. ET IAM LAVTVS.] Tam liberalis, tam splendidus, & profusus. CENTIES] Ducenta quinquaginta millia Philippæorū, seu florenorū trecenta millia. AVDIT VOTA DEVS] intra septem menses accepisti (quod nos tibi amico amici optabamus) centies centena millia HS. hoc est, vt diximus 250000. Philippæ. MORTES QVATVOR] quorum tu post mortem hæreditatem adiisti, AT TV SIC.] At tu non secus ac fur, clam habuisti illam quaternam hæreditatem, imo tam sordide cœpisti viuere, ac si fractis opibus protractus esses ad extremam paupertatem, & qui antea profusus eras, cum minus haberes, postquam cœpisti rem habere, vix semel in anno natalitium conuiuium curas, illudq; ipsum adeo parce, ac vulgariter, vt paucis ac sordidis assibus compares. Hoc est enim, quod dicit, *nigra sordibus moneta.* as enim nigra moneta, quia æreus semper. RAPTVM] optime habet scriptura, nec gry mutandum, vt te rectè monuit tuus Ramiresiomastix Musambertius, opposuit enim raptum relicto vt lib. 10, partum relicto. Tu post centies centena millia tibi relicta tam sordide cœpisti viuere, ac si non essent relicta, sed ablata. denarius nunquam æreus, sed argenteus. Quæris iam quot assibus? ipse exponit, & indignatur.

Zween Sierer.

ET SEPTEM VETERES.] Extenuat poeta conuiuium, ampliusq; non constitisse selibra, hoc est, semisse, siue duobus Teruncijs affirmat, cum ille tamen ingentem vim pecuniæ ex hæreditate accepisset. Quod si veteres amicos, eosq; lectissimos ita accepit, quid de alijs factum credi possit? Libra idem est quod as, si pretium spectes, selibra dimidiatus as, duo quadrantes. PLVMBEA] Quid plumbea? apud Nigritas Libyæ, & Taprobanas incolas, plumbeum nummum fuisse percussum legimus. apud Romanos nunquam. quid ergo poeta plumbea? Romani cum de vilissima minimaque pecunia loquerentur, prouerbii loco vsurpabant plumbeum Plautus in Trinu *Cui, si capitis res sit, nummum nunquam credam plumbeum.* Item in Trin. *Cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus.* Quod etiam alijs rebus vi neruoq; carentibus vsurpabant. Cicer. *plumbeus pugio*, pro argumento leui, & futili plumbeum ingenium stupidum, plumbeum acumen: Quadrans tamen æreus & plumbeus, æreus fusus, plumbeus cusus; plura Musambertius contra Ram. QVOD DIGNVM MERITIS.] Meditatur quas gratias conuiuatori velit agere. OPTAMVS TIBI.] Precamur vt Dii tibi dent millies centena millia HS. Videtur grata optataque imprecari, cum extremam illi famem optet. Ergo vt fame, inquit, pereas optamus tibi millies, id est, vicies quinquies centena millia Philippæorum. seu ter centies tricies mille trecentos triginta tres florenos. Geminum huic epigramma est infra de Scæuola. Quo enim plus possederis, hoc parcius viues: si plurima, omnino, fame peribis.

De Afra vetula.

CI. LXXX.

Mammas atq; tatas habet Afra: sed ipsa tatarum
Dici, & mammarum maxima mamma potest.

Mammeatum hoc carmen est, & ipsis litteris exprimit rem. Cato. *pueri*, inquit, *potum & cibum primum buas, & papas vocant, & matrem mammam patrem tatam.* Festus Græcis auum putat valere. Scaliger libro 1. in Auson. c. 29. *Mamma, quo iunior auum appellat: Tata, quo iunior senem. Aba, quo frater fratrem.* Auson.

——Et possum fratris abare vicem.

Paulò aliter Turnebus lib. 18. cap. 24. *Mamma*, inquit, *in Persio, nutricem esse putem, & apud Martialem. Maxima autem dicitur, vt dicitur magnus socer, vxoris auus. Maior socer vxoris proauus, maximus socer, vxoris abauus. Ergo maxima mamma est, vt ita dicam, abnutrix, De mamma sic scribit Ammonius:* Τίτθη μὲν γὰρ ἐστὶν ἡ τοῦ παιδὸς τροφὸς, τὰς τίνας δ' ἔνιοι μαίας καὶ μάμμας καλοῦσι; Græcè Tethe vocatur filii nutrix, has autem nonnulli Mæas, siue Maias, & Mammas vocant. Simile est illud in Græco epigrammate lib. 2. εἰς χαίτας. Βάπτε δὲ τὰς * λευκάς, καὶ λέγε πᾶσι τατᾶ. *Inficē anus canos, Dicq; puella tata.*

* Τείχας.

Et Brodæus. *Vox est infantis*, inquit, *aut adolescentuli ad eum, qui ætate maior sit, sicuti* ἄττα, Eustathio, & Suidæ. Hom. Ili d. Δ. ἄττα γεραιὲ ... φώνησε ... φίλα ... [illegible]. Martialis autem Afram vetulam verbis infantes æmulantem seniores se mammas & tatas appellauisse, vt iunior videri posset irridet, eamque ait adeo vetulam, & turpem videri, vt omnium mammarum, & tatarum videatur parens esse. Fortè & papillas grandiores poeta notat, ὁμώνυμον enim verbum mamma est, & papillam, & nutricem significat. De ingentibus mammis etiam lib. 14.

Taurino poteras pectus constringere tergo,
Nam pellis mammas.

De

De Demetrio.

LXXXI. CII.

Illa manus quondam studiorum fida meorum
Et felix Domino, notaq; Cæsaribus,
*Destituit primos * virides Demetrius annos:*
Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
Vreret implicitum cùm scelerata lues,
Cauimus; & Domini ius omne remisimus agro:
Munere dignus erat conualuisse meo.
Sensit deficiens sua præmia, meq; patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

* al. viridis.

Describit mortem librarii sui Afri, quem moriturum manu misit, quia tenere non poterat Enimuero solebant veteres chariores seruos ante mortem manu mittere. * ILLA MANVS] serui, Amanuensis, seruus ad manum, Cic. 3 de orat. FELIX DOMINO] meis enim carminibus, & illa consecuta laudem est, & immortalitatem, & felix, quia nota Cæsaribus, quibus ego sæpe mea carmina missa dedicaui, aut vltro ab illis lecta sunt. DESTITVIT PRI.] abiit adolescens. QVARTA TRIBVS] annos natus nouenos denos. lustrum quinquennium est. NE TAMEN] beneficium suum in Demetrium prædicat, eumq; à se libertate donatum priusquam decederet. sed quod hoc beneficium tum liberare, cum seruare non potest? VRERET] Mentagra, de qua supra in Alcimo dictum. CAVIMVS] verbum Iuris variamq; vim & vsum habet, hoc loci exponas, liberum pronunciauimus, aut certum securumq; pro more de libertate reddidimus, cautionem de libertate dedimus. ET DOMINI] Libertate donauimus, manu misimus, vti nec ego Dominus, nec ipse seruus, sed patronus ego, ipse libertus meus esset. Ius autem habebat Dominus in seruum vitæ & necis, omniaq; serui bona Domini erant. lege Iuris consultos. MVNERE DIGNVS] pare:at, vt liber conualesceret, sed fata inuida obstitere. SENSIT DEFICIENS PRÆMIA] libertatis pro fideli opera, quæ sæpè liberabat seruos. hinc tot liberti apud Romanos. MEQVE PATRONVM] Libertus & patronus collata sunt, vt seruus & Dominus, magister & discipulus, pater filius, dux miles. LIBER] maluisset opinor seruire apud superos, quam liber ire ad inferos.

* Plinius ep. 16. lib. 8. plura ad hunc locum Heraldus.

Vliset Alter.

Nouemdecennis erat, tria lustra, quindecim, quatuor messes addita, nouemdecim explent.

Ad Lycorim.

LXXXII. CIII.

Qui pinxit Venerem tuam, Lycori,
Blanditus, puto, pictor est Mineruæ.

Elegantissimus iocus in picturam & pictorem inelegantem. Venus, vt ex Luciano & Mythopœis constat, venustatis & pulchritudinis palmam tulit, quando cum Iunone, & Pallade in certamen formæ apud Paridem arbitrium venit, vnde æternum inter tres illas Diuûm reginas odium extitit. Pictor Lycoridi puellæ Venerem adeo deformem descripserat, vt illi meritò etiam Idæo pastore iudice præferri Pallas potuerit, cui blanditum pictorem dixit poeta, cum Venerem turpiorem expressit. Nam Veneri Pallas ob venustatem inuidebat. Itaq; epigramma hoc dicit: turpem esse iconem Veneris, quam possidebat Lycoris. quæ puella lupa erat; luparum autem antistitam Venerem nemo ignorat. lege ep. 14. lib 5. Affine est hoc illi Græco Leonidæ in Diodorum pictorem, qui Menodorum aliis omnibus potius quam Menodoto simi:em depinxerat.

A Scæuolam.

LXXXIII. CIV.

Si dederint superi decies mihi millia centum
*Dicebat nondum Scæuola * factus eques.*
Qualiter ô viuam! quam largè quamq; beatè?
Riserunt faciles, & tribuere Dei.

* Insum.

Sordidior multò post hoc toga, pænula peior:
Calceus est sarta terq; quaterq; cute.
Deq; decem plures semper seruantur oliuæ,
Explicat & cœnas vnica mensa duas;

* * *

In ius ô fallax, atq; inficiator eamus:
Aut viue, aut decies Scæuola redde Deis.

Idem argumentum est cum superiore in Calenum auarum, cui certabat Scæuola, diuersum tamen epiphonema & contrarium. Caleno plura optabat quam habebat, vt fame periret, Scæuolæ nihil optat, vt lautius, velut ante, viuat.

DECIES MILLIA CENTVM] decies centena millia H S. siue decies centum millia, hoc est, vicies quinquies mille Philippæos, nota Liuio, Ciceroni, Martiali, & aliis. Eclipsis, cum vel decies, vicies, centies, millies, &c. tantum ponitur, pro, decies, vicies, centies, millies, &c. centena millia H S. vel decies H S. &c.

NONDVM FACTVS EQVES] iustus; etiam iustè scribunt alii, nec tamen vulgata scriptura mendosa. Hic obserua non dici eo, decies centum millia, à poeta, quod tanta summa ad equestrem ordinem requireretur, sufficiebant enim quadraginta sestertia, siue decem millia Philippæorum, sed vt ostendat, Scæuolam voluisse lautum esse equitem, lauteq; viuere. Poterant equites plus quadringentis possidere, sed nō minus. Decies vero centena millia ponuntur pro magna summa. Et decies H S. olim fuit maxima dos apud Romanos. Iuuenal. *viro decies centena dabuntur, Antiquo*—Horatius—*decies centena dedisses.* Martialis lib. 2. epig. 65.

Illa illa diues mortua est Secundilla
Centena decies quæ tibi dedit dotis.

QVALITER Ò VIVAM] ipsemet se exponit, cum subiicit, quàm laute, quamq; beate, genialiter & alotitè. RISERVNT FACILES ET TRIB. DEI] Irriserunt auaritiam Scæuolæ, liberaliter tamen largiti, voti potentem fecerunt, quamuis scirent, bonis non vsurum præ auaritia.

SORDIDIOR] posteaquam impetrasti tantas opes, multo parcius, vilius, & sordidius, ac pauper, cœpisti viuere, quod toga, penula, calcei, cultusq; corporis totus neglectior, & vilior ostendit, vt taceam mensas, & esuritiones, cum in alteram ac tertiam cœnam, vel paucas oliuas reseruas. IN IVS EAMVS] Iuris formula in ius ire. quod Plautus in Curcul. Persa, Rudente, dixit, *in ius ambulato, vti &, in ius te voco, in ius veni, sequere ad tribunal.* Brissonius plura lib. 5. formul.

Quæ erit accusatio? quod conditionem voti violes, quod fallas Deos, quibus promisisti te dapaliter ætatem acturum, si decies dedissent. INFICIATOR] dicitur is, qui negat se debere quod petitur. Cicero fraudatores, & inficiatores coniungit pro Flacco. Idem in Catil. lentos vocat inficiatores, quasi conantes negare, & vadimonia ægrè obeuntes.

AVT VIVE] genialiter. AVT REDDE.] Nam ea lege tibi Dii decies dederunt vt viueres, non viuis: redde igitur decies Diis, quando illis non veteris. noster poeta, opinor, vsurus & abusurus erat, vt ille Horatianus Tigellius.

De spectaculo.

CV. LXXXIV.

Picto quod iuga delicata collo
Pardus sustinet, improbæq; tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quod lupata cerui;
*Quod * frenis Libyci donantur vrsi,*
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris:
Turpes esseda quod trahunt bisontes,
Et molles dare iussa quod choreas
Nigro bellua nil negat magistro:

* Fræno.

Quis

Quis spectacula non putet deorum?
Hæc transit tamen, vt minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos,
Et securior est in ore præda,
Laxos cui dare, peruiosque rictus
Gaudent, & timidos tenere dentes,
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratis cum modo venerint iuuencis.
Hæc clementia non paratur arte:
Sed nôrunt, cui seruiant leones.

Hoc lemma tractatum supra epigr. 15. 23. 45. 49. 52. 61. nunc elegantissime per σύγκρισιν, seu comparationem expolitur, cum ludicrum hoc leonum, & leporum spectaculum contendit cum aliis feris arte cicuratis, & magistro obtemperantibus, seu pardos iungat ad iugum, seu ceruis frena iniiciat, seu vrsos habena regat, seu apris capistrum induat, seu bisontes cogat esseda trahere, elephantos iubeat saltare; leones, omnes feras arte superare, cum pareant leporibus captis, captosque dimittant, ac recipiant, milleq; modis innoxie cum illis ludant, quod blandiendo poeta Cæsaris diuinitati adsignat.

PICTO COLLO PARDVS] Pardi, pardales, pantheræ, variæ, Africanæ, vnum genus ferarum putantur; pardus mas, pardalis & panthera, fœmina, de quibus Plinius libro 18. c. 17. Ælianus passim, Oppianus lib. 3. Cyneget. Aristoteles, Plutarchus, alii. Fœmina ferocior mare, vnde panthera dicta, quasi penitus fera, ἀπὸ τὸ πᾶν, καὶ θὴρ, vel θήρα, venatio. Varro. Pierius lib. 11. seu quod omnium ferarum coloribus variegata cernatur, seu omnis generis feras venetur. *Picto collo*, ob varietatem villorum, qua speciosior est omnibus feris. Oppianus lib. 3. Cyneg.

Ῥινὸς δαιδαλέῃ χροιῇ ἐπιπαμφανόωσαι.
Cute dædala colorque micans.

Et ibid.
Εἶδος δ' ἀμφοτέροισιν ὁμοῖα δαιδάλλονται
Forma autem vtrisque similes variegantur.

Latinis inde variæ, à macularum varietate appellatæ. IVGA DELICATA] μετωνυμικῶς, iuga enim propriè non delicata, sed pardorum colla iugum trahentia. quanquam & iuga non plaustralia, vel equina, sed mollia, elegantia, modica, sericaque, & aurea vocare possit delicata, qualia pardi ferebant Indorum pardos & tigrides, Ælianus lib. 15. cap. 14. docet mansuefactos regibus offerri. Romæ quis primus varias exhibuerit, Plinius notat lib. 18. IMPROBÆQ. TIGRES] improbas vocat, vt supra leporem improbum, Du loser lenniger Haß. in meliorem potius, quam deteriorem partem, faciunt enim quod nulli probabile erat facturas tigres, aut lepores, sic vt admirationem spectatoribus adferant. Virgilius. *——labor improbus omnia vincit.*

Nequaquam ergo hoc loco cum Ramiresio exponet improbas, ferocissimas, quamuis natura tales sint. sed vt Æsopus in fabulis cochleas appellat κάκιστα ζῶα improba animalia, quod incensis tectis suis striderent seu riderent & canerent, vt ille γεωργοῦ παῖς interpretabatur.

INDVLG. PAT. FLAGELLO] Vsqueadeo mansuescunt, vt se etiam verberari innoxiè patiuntur imminò delectentur, vt Musambertius noster contra Ram. docet. Seneca etiam osculatas tradit à custodibus. Manlius lib. 4. vim illam mansuetarius per siderum impressionem dari putat.

Exornare tigres, rabiemque auferre leoni.

Et lib. 5. copiosè de iis, qui sub leone, & scorpio nascuntur.

Ille manu vastos poterit frenare leones
Et palpare lupos. pantheris ludere captis, &c.

Cicurandi vero artes variæ admodum cum variis adhibebantur, quas inter herbarum quidam succi, quibus magistri feris ora constringebant, ne dente læderent attingentes; dabantur & potiones feris medicatæ, quibus mitigabantur. Elephanti adeps amuletum erat aduersus omnes feras, si vnctus ea feræ nudus occurreret. leones allio illitos non attingunt. ἀείζωον herba sedum dicta feris in potu propinata tollit feritatem. addebant alloquia, permulcebant manu blandiebantur, &c. Plinius multa super his lib. 26 cap. 11. lib. 29 c. 6. lib. 36. c. 11. l. 29. c. 4. l. 8. c. 41. Ælianus lib. 1. de natura animal cap. 38. Seneca ep. 86. Philostratus lib. 7. MORDENT AVREA. QVOD LVPATA CERVI]

CERVI] perinde quasi equi. Lupata sunt asperrimi freni genus, à lupinis dentibus dicta, qui inæquales sunt, & eo morsus eorum acerrimus. Virgil.

——pressique negabunt
Vulnera dura pati, & duris parere lupatis.

Ceruos etiam dociles narrat Ælianus lib. 2. cap. 25. vbi catulum cerui, dono datum ait Ptolemæo Philadelpho, qui lingua Græca nutritus sit, & loquentes intellexerit. FRENIS LIBICI DOMANTVR VRSI.] Disputat Electorum lib. 2. cap. 4. Musarum decus Lipsius, quinam sint Libyci vrsi, seu Numidici, cum passim apud scriptores occurrant. *Annales Romani notant M. Pisone, M. Messala Coss. a. d. XIV. Kalend. Octob. Domitium Aenobarbum Ædilem curulem vrsos Numidos centum, & totidem venatores Æthiopas in Circo dedisse.* Idem Herodotus scripsit Melpom. de Libya, cui qua Orientem spectat, leones, elephantos, vrsos tribuit. Solinus accedit cap. 29. *Numidici vrsi forma cæteris præstant rabie duntaxat, & villis profundioribus.* Strabonis locus de Mauris adeo luculentus, vt negari non possit. οἱ δὲ πεζοὶ, inquit, τὰς τῶν ἐλεφάντων δορὰς, ὡς ἀσπίδας περιβάλλοντας. τὰς τῶν λεόντων, καὶ παρδάλεων, καὶ ἄρκτων ἀμπέχονται, καὶ ἐγκοιμῶνται. *Pedites elephantum pellibus pro clypeis vtuntur; leonum autem, pardalium, vrsorum induuntur, & indormiunt.* Claudius apud Suetonium cap. 21. *Africanas per turmam equitum prætorianorum ducibus tribunis ipsoque præfecto confecit*, quas Africanas Xiphilinus vrsos, & alias feras Libycas interpretatur, signatè enim dicit, ἄρκτους τετρακοσίους μεθ' ἑτέρων Λιβυκῶν θηρίων. Poetæ ab his non discedunt. Iuuen.

Profuit ergo nihil misero, quod cominus vrsos
Figebat Numidas.

Virgilius 5. Æneid. *Occurrit Acestes*
Horridus in iaculis, & pelle Libystidis vrsæ.

Ad quem locum Seruius. *Aut reuera vrsæ, aut feræ Africanæ.* Martialis verò noster hoc loco ita Libycos vrsos distinguit à leonibus, vti non possim induci, leones pro vrsis intelligi. Inductione enim à cæteris feris paullatim ad leones ascendit, minusq; mirandum ait, quod pardi iuga trahant, tigres flagra patiuntur, cerui frena mordeant, vrsi Libyci lupatis domentur, apri capistra admittant, bisontes esseda trahant, elephanti saltent, quam quod leones cum leporibus ludant, captosq; non lædant ac dimittant, dimissos capiant. Cur vrsos alioqui ferum, & crudele animal præteriisset? quamuis enim dociles sint, aliaque multa humano propè ritu discant faciantque, poeta tamen ad illud spectaculum respexit, quo diuersæ feræ iuga subierunt, non tanta admiratione, quam cum luderent cum leporibus leones. ceruos etiam lupata mordere non tam stupendum erat, quam eosdem linguam Græcam intelligere. Sed ego rem in medio relinquo nec contra Entellum hunc Dares, Antæusue Herculem venio, qui Libycos, seu Numidicos vrsos interpretatur Leones Africanos, ita veteribus videri dictos, cum primum in vrbem importarentur, vt Elephantem, Bouem Lucam, Struthionem, passerem marinum: Camelopardalim, ouem feram; Pantheras, Mures Africanos. Ad eundem modum leones inuisos ante, Vrsos Numidicos. sed plena ruris hæc est onomatopœia, seu onomasia, quid enim simile, aut commune leoni cum vrso? Reddit tamen verisimilem sententiam Lipsius quod libro 8. cap. 36. Plinii auctoritate Africam carere vrsis, apris, ceruis, capreis ostendat, nunquam Plinium in eo loco plerique reiiciant. Subit etiam mirari Plinium nescisse Vrsos Numidicos priscis leones dictos, qui sciuerit Boues Lucas appellatos elephantos. Lipsii igitur & Bullengeri lib. de venatione explicatu, Virgilius, Iuuenalis, Martialis, Annales Romani per Numidicos vrsos, leones intelligunt, qui ex ea regione plerique adducebantur. Bullengerus tamen in Martiale hæret, agnoscitque reuera vrsos Libycos, non leones Martiali putat dictos, sed vrsos, quod est à vero minime alienum. Neque tamen negatum eo Lipsii disputationem doctam, & æquè veram videri posse.

ET QVANTVM CALYD. TVL. FERTVR.] Aper Calydonius capistra admittit. Calydon vrbs Ætoliæ, quæ aluit aprum illum vastatorem à Meleagro & Atalanta cæsum, de quo fuse lib. A. epigr. 15. Ouid. Met. 8.

CAPISTRIS.] Capistrum, vinculum est, quod mulis, bobus, aliisque iumentis adhibetur, ne fugiant, & quod circa os inuoluitur, ne gramen carpant. vitium quoque vincula capistra dicuntur. Columellæ, Varroni, Catoni. PVRPVREIS] vt tigres, & pardi delicata iuga ferebant, ita apri capistra picta & mollia, sericáue.

TVRRES BISONTES] bison fera cerui figura, cuius ad media fronte inter aures vnum cornu existit excelsum. è cuius summo rami, tanquam palmæ diffunduntur, vt supra plenius ex Cæsare, & aliis feram depinximus. lib. A. epig. 23. *Illi cessit atrox bubalus atque bison.* ESSEDA] Essedum currus Britannicus Parthius lib. X. c. 17. pagin. 191. de quo Iulius Cæsar, seu Iulius Celsus lib. 5. Propertius El. 1. lib. 2.

ET MOLLES CHOREAS.] Omnem prope fidem excedere videatur, quod de elephantorum ingenio, natura, indole, docilitate amplissimi testes prodiderunt. Hic de saltatione de choreis primum Ælianum lib. 2. cap. 11. de natura animalium audi memorantem. Χορείαν δὲ καὶ ὄρχησιν, καὶ βαίνειν πρὸς ῥυθμὸν, καὶ αὐλουμένοις ἐνδιδόναι, ἢ ταχύνειν προορμώντων, μαθὼν ἐλέφας. καὶ ἀκριβοῖ, καὶ οὐ σφάλλεται.

Elephas

Elephas nouit, vbi didicerit, choreas & saltationes ad numerum obire, & audire tibiis canentes, & intelligere sonorum discrimina, & tarditates, aut celeritates imperatas exsequitur, & exactum est, & non fallitur. Sed multo maiorem adferunt admirationem ea, quæ in eodem auctore, & capite sequuntur, quæ rute legas, ego propter rei longitudinem ad breuiora propero. Plinius lib. 8. c. 2. *Germanici Cæsaris*, inquit, *munere gladiatorio quosdam inconditos motus dedere saltantium modo. Vulgare enim erat per auras arma iacere non auferentibus ventis, atq; inter se gladiatorios congressus edere, aut lasciuiente pyrriche colludere, postea per funes incessere, lecticas etiam ferentes, quaterni singulas puerperas imitantes, &c.* Plutarchus idem de saltatione adfirmat. de fortuna ὀρχήσεις τε μανθάνει, καὶ χορείας, καὶ σχηματισμούς. *Saltationes discit, & choreas, & adorationes.* Et lib. περὶ τῶν ζώων. *In spectaculo ostendit elephas gestuum figuras & varietates, quarum copiam, atque concinnitatem difficile, sit humana vlli industriæ exprimere, aut memoria complecti.* Infinitus sim, si belluæ artes explicare aggrediar. Aristotelem adi lib. 2. hist. animal. cap. 1. lib. 9. c. 46. nec non de historia animal. Ælianum lib. 2. c. 11. lib. 13. c. 22. Plinium lib. 8. c. 1. & lib. 10. 45. Plutarchum de solertia animalium. Dionem lib. 39. Oppianum lib. 2. Cyneg. eiusq; scholiastas Martialem lib. A. ep. 17. ad quem locum plura leges. Descripsit elephanti laudes & ingenium egregie Lipsius epist. 50. Centur. 1. NIGRO BELLVA NIL NEGAT MAG.] nigrum magistrum Æthiopem appellat, vti & bellua ipsa sæpe nigra vocitatur. de Æthiope Seneca epist. 86. *Elephantum minimus Æthiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem, nil negat*, inquit, *hoc est, omnia discit, & quæ didicit publice exhibet.* Quæ autem discat, docebunt, quos modo laudaui. QVIS SPECTACVLA NON PVT. DEORVM.] Cæsarum, quibus ferte non minus parent, quam ipsis Diis, Martial. lib A. epig. 17. de Elephante.

Crede mihi, numen sentit, & ille tuum.

Et in fragmentis. *Numen habet Cæsar, sacra est vis, sacra potestas*
Credite, mentiri non didicere feræ.

HÆC TRANSIT] Inductionis ἀπόδοσις: Alteram partem exponit, cuius causa inductionem instituerat, leonum cum leporibus ludum, quem omnibus aliis ferarum admirabiliorem anteponit. Cætera quæ sequuntur lucent per se, & ex iis, quæ de hoc ludo supra sunt dicta. HÆC CLEMENTIA NON PARATVR ARTE] totius epigrammatis cum epiphomenate conclusio, qua leonum in lepores clementiam diuinitati Cæsaris adscribit, cuius numen sentiant leones, eique ad nutum seruiant.

Ad Ouidium.

LXXXV. CVI.

*In Nomentanis, Ouidi, quod nascitur * aruis,* (* Agris.)
Accepit quoties tempora longa merum,
Exuit annosa mores, nomenq; senecta,
Et quidquid voluit, testa vocatur anus.

Habuit poeta, quod pluribus testatur versibus, vt in vita expositum est, vineam in Nomentano agro. Vinum hic Nomentanum, cuius esset ingenii & naturæ docet Recens ingratum & insuaue erat, quod ex Athenæo & Mat ial e discis. *Nomentanum*, inquit ille, *cito ad vigorem accedit, & ab annis quinq; potioni aptum est.* noster lib. 13. epig 119.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum:
Si te Quintus amat, commodiora bibes.

Laudat idem lib. 10. *De Nomentana vinum sine fæce lagena*
Quæ bis Frontino consule prima fuit.

Quod si diffusum esset annos ue suos, decoctum vixisset, poterat cum generosissimis de palma certare. Nomentum Latii oppidum est, vnde via Nomentana nomen accepit. In Vmbria ponit Leander Albanorum coloniam, habuit in agro Nomentano vineta doctissimus Seneca, de quo Columella lib. 4. *Hu*, inquit, *temporibus, & Nomentana regio celeberrima fama est in vinea, præsertim quam possedit Seneca, cuius in prædiis vinearum iugera singula culleos octonos reddidisse compertum est.* De vinis Nomentanis, Plinius lib. 14. c. 4. vbi copia magis quam auctoritate præstitisse hæc affirmat, qua etiam Cæcubis Setinisque præficiebantur. ET QVIDQVID VOL. TESTA VOC. ANVS] testa anus, vinum in testas diffusum, & in multos annos seruatum, quamuis Nomentanum, tamen potest dici Falernum, Cæcubum, Fudanum, Setinum, &c. nostram explanationem confirmat Musamb. contra Ramiresium. hæc enim omnia, præstantia sua, quam ab annis accipit, æquat testa anus, antiquum vas, ante multos annos conditum, vt charta anus apud Catullum, quæ perennat.

(*Vnum ingerum nostrates mensuras reddebat 3840.*)

Testas varias supra descripsimus epigr. 27. in Sextil. Ouidium hunc, quem alibi Quinctum appellat, amauit poeta, pleraq; ad eundem infra epigrammata scripsit.

Dd Lucium Iulium.

CVIII. LXXXVI.

Sapè mihi dicis Luci * *clarißime Iuli,*
Scribe aliquid magnum; desidiosus homò es.
Otia da nobis, sed qualia fecerat olim
Mæcenas Flacco Virgilioq; suo.
Condere victuras tentem per sæcula curas,
Et nomen flammis eripuisse meum.
In steriles campos nolunt iuga ferre iuuenci:
Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.

* *carissime] MSS.*

Se magna sublimiaque poemata conditurum ait, si non desint magni Mœcenates. De Iuliis variis ad quos poeta scribit, monuimus supra epig. 16.

SCRIBE ALIQVID MAGNVM.] Singulis poetis suus quidam est genius & vena, grandior aliis, aliis tenuior & exilior, valent tamen singuli in suo genere cum

Naturæ sequitur semina quisque suæ

Vt sunt tot fere genera dicendi, quot extitere Oratores. Agnoscunt hoc ipsi vates, & de se fatentur. Anacreon primus.

Θέλω λέγειν Ατρείδας *Cantem libens Atridas,*
Θέλω δ' κάδμον ἄδειν *Cantemque libens Cadmum,*
Α' βάρβιτος δ' χορδαῖς *Sed barbiti mihi vnum*
Ερωτα μοῦνον ἠχεῖ, &c. *Neruis sonans amorem.*

Propertius alter. lib. 2. eleg. 2.

Quod mihi si tantum, Mæcenas, fata dedissent,
Vt possem heroas ducere in arma manu:
Non ego titanas canerem, &c. sed
Bellaq; resq; tui memorarem Cæsaris, &c.

Ouidius quoque non ignorauit se cum 2. T. ita cecinit.

Cur non Argolicis potius quæ concidit armis,
Vexata est iterum carmine Troia meo.
Cur tacui Thebas, &c.

Et subiicit causam. *Bella sonant alij telis instructa cruentis*
Parsq; tui generis, pars tua facta canit.
Inuida me spacio natura coercuit arcto.
Ingenio vires exiguasq; dedit.

Idem pluribus testatur versibus & hoc lib. & 3. de Ponto eleg. 3.

Noster idem fatetur de se. lib. 8. epig. 57.

Ergo ero Virgilius, si munera Mæcenatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero.

Et lib. 4. epig. 49. *A nostris procul est omnis vesica libellis,*
Musa nec insano syrmate nostra tumet.

Lib. item 9. e. 4. Ad quam victuras, &c.

Videtur tamen non desperasse maiora, sed voluntate se in epigrammata coniecisse, quod lib. 5. epig. 16. monet.

Seria cum possim, cur delectantia malim
Scribere, tu causa es lector amice mihi.

Et lib. 9. epig. 1. *Maiores maiora sonent, mihi parua locuto*
Sufficit in vestras sæpe redire manus.

Omitto quæ lib. 13. epig. 1. lib. 14. epig. 1. aliisque epigrammatis, de epigrammatis & se profulsit. ALIQVID MAGNVM] Gigantomachiam vt Callimachus; vel Thebanum bellum vt Papinius; Troianum vt Homerus, Virgilius, alii; Argonauticum vt Apollonius, & Valerius Flaccus; Hannibalicum, vt Silius; ciuile Lucanus; Astronomica Manilius; Physica Lucretius, vel sume Tragica argumenta vt Æschylus, Euripides, Sophocles, Liuius, Andronicus. Cn. Næuius, Pacuuius, Accius seu Actius. Seneca, & alii. quid in tenui labor tantus?

Romanorũ maxima facta vt Ennius.

OTIA DA NOBIS.] Ad Virgilium respicit Ecl. 1. *O Melibœe Deus nobis hæc otia fecit.* Otium pingue pecuniosumque intelligit, quale Virgilio & Horatio datum à Mœcenate & Augusto, de quibus lib. 8.

Et Persius Prol.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Quod si dolosi spes refulserit nummi.
Coruos poëtas & poëtidas picas
Cantare credas Pegaseium melos.

Notat tempora Domitiani, non Domitianum vt quidam censuere. Domitianus enim ipse excitabat studia propositis certaminibus, vt infra leges.

In magno sanè precio fuêre quondam nobilia ingenia, & ingeniorum opera, quæ reges & imperatores regiâ munificentiâ sunt prosecuti. Taceo Demosthenes, Isocrates, Cicerones, qui per studium dicendi, ad summas opes sunt euecti. De genere & natione poëtarum loquor, quorum singulos olim versus, vt notant Iureconsulti, annumerabant, auroq. e rependebant. Notæ sunt opes Virgilianæ, quæ maiores esse potuissent, si proscriptorum oblata patrimonia non recusasset. Tiberius Asellio Sabino propter Dialogum, in quo boleti & ficedulæ, ostreæ, & turdi certamen instituerat HS. CC. donauit, vt Suetonius & Plinius sunt auctores. Saleio Basso cùm poëma recitasset, Vespasianus quingenta sestertia dari præcepit, hoc est, duodecies mille & quingentos Philippæos, liberalior fuit Antoninus in Oppianum de venatione & piscatione libros dedicantem, cui in singulos versus singulos stateres aureos numerauit, quæ summa excreuit ad centies sexagies mille Philippæos, cùm versuum essent vicena millia, singulique stateres aurei, æstimarentur florenis binis nostratibus & besse seu cruciferis octo. Chærili quoque victoriam Atheniensium de Xerxe reportatam scribentis luculentos versus Archelaus Macedonum rex singulis aureis compensauit. Hiero Syracusanus Archimelo epigrammatario pro elegia denûm octonûm versuum mille tritici medimnos est dimensus. An tibi non videntur hi aurea poëmata condidisse, qui tantum auri inde reportarint? MÆCENAS] Hic ille Virgiliana, Venusina, Propertiana, aliorumq; Musa decantatus est Mœcenas, cuius liberalitas maximè in Virgilium & Horatium Flaccum extitit. De Virgil. noster 8. lib. ad Valerium Flaccum.

Quintilianus libro de caussis corruptæ Eloquentiæ.

Accipe diuitias, & vatum maximus esto.

Ab hoc cæteri Musarum patroni nomen acceperunt, velut à Iulio Cæsare Imperatores.

IN STERILES CAMPOS] Musæ recusant arare littus. Fabij dialogus multa in hanc sententiam, de poëtarum sterili & infructuoso studio, noster quoque infra ad Flaccum. Ouid. l. b. 4. T. *Sæpè pater dixit: studium quid inutile tentas?* PINGVE SOLVM LASSAT] perseuerat in contentione culturæ cum studio musico. fatigantur quidem boues, dum opimum solum proscindunt, sed spes amplissimæ segetis solatur agricolas. Difficile quidem plerumque sudoris erat condere Æneidem, sed Augustus & Mœcenas certum labori præmium ostendebant.

At quàm victuras (ait noster) poteramus pangere chartas,
Quantaq; Pieria prælia flare tuba;
Cùm pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Mæcenatem si mihi Roma daret?

Ad Gallum.

LXXXVII. CIX.

Est tibi (sitq; precor, multos crescatq; per annos)
Pulcra quidem, verùm Transtiberina domus.
At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus,
Factus in hac ego sum iam regione senex.
Migrandum est, vt mane domi te Galle salutem:
Es tanti, vel si longius illa foret.
Sed tibi non multum est, vnum si præsto togatum:
Multum est, hunc vnum si mihi Galle, nego.
Ipse salutabo decimâ, vel serius horâ:
Mane tibi pro me dicat AVERE liber.

Excusat matutinum officium & salutationem neglectam ob viæ longitudinem. Martialis enim 7. Regione via lata è regione Apollinis & Clathræ inter forum Archemorium & pilam Tiburtinam ad Pyrum habitabat. Gallus verò Transtiberina. Reg. 14.

SITQVE PRECOR] Alludit priscam formulam, vt Ouid. 3. Fast.

Vtile sit faustumq; precor.

Millies vsurpabant veteres illud. QVOD FELIX FAVSTVMQVE SIT. vel. QVOD BONVM, FELIX, FAVSTVMQVE REIPVB. &c. Brison. lib. 1. p. 67. Noster lib. 9. ad Cresc. eod. modo carmen, vt hic auspicatur.

Est mihi sitq; precor——

TRANSTIBERINA DOMVS] Transtiberinam regionem parum amœnam, vbi fex populi Indæique ferè stabulabant, supra in Cæcilium descripsimus. Etsi, inquit Martialis, magnifica tibi egregiaque domus est, est tamen parum egregio loco sita, immò etiam quasi separata à corpore ciuitatis.

AT MEA VIPSANAS SPECTANT COENACVLA LAVRVS] Vipsanios plures lego apud Suetonium, Tacitum, Plinium, & in Fastis. Quos inter primum obscurissimus Vipsanus Agrippa postea M. Agrippa dictus ad summum propè nobilitatis & fortunæ fastigium euectus à Socero Augusto Cæsare, cuius Agrippæ hic porticum, quæ ad Panthei est, fortè poëta intelligit lauro insignem, vt coniicio. Nam cur Perotto subscribam, qui T. Vespasianum Apronianum Coss. cum Fonteio V. C. DCCC. XI. conditorem porticus facit, nulla me ratio vel testis antiquæ fidei adducit. Porticum autem ad Pantheum additam ab Agrippa fuisse nulla potest esse dubitatio, cùm & descriptiones vrbis & auctores sanè plures ostendant. Marlianum laudo libro 6. cap. 6. Panuinium in vrbe Roma. Baptistam Leonem. Plinius hanc pronaum, alii prothyron appellant. Ita sentio. Nec puto quicquam hic de minore vel maiore loreto 14. regionis cogitandum. Suetonius ab hoc Agrippa 3. Coss. multa & egregia opera facta refert in Augusto, cap. 29. Pantheum verò occupat hodie Maria Rotunda. Panuinius tamen negat liquere, vbi Porticus Vipsani fuerit. vide 14. eius regionem.

COENACVLA] dicuntur à cœna. Varro lib. 4. L L. *Vbi cubabant, cubiculum, vbi cœnabant, cœnaculum vocitabant.* Cœnationes & diætæ, ἀνώγεα, τρικλίνια eadem dicta. Multa super his ex veteribus Petrus Ciaconius de triclinio p. 1. Stuckius Conuiuial. lib. 1. c. 14. copiosè. Erant in editiore parte ædium. Victruuius lib. 2. cap. 8. *Itaq; pilis lapideis, structuris testaceis, parietibus cementitiis altitudines extructa contignationibus crebris coaxata, & cœnaculorum summas vtilitates & despectiones perficiunt.* Cic. contra Rullum idem scribit. Tota superior pars, vbi cœnabatur, cœnaculum vsque ad scandulas appellabatur, quæ plerunq; pauperibus locabatur inquilinis. Iuuen.

Varus venit in cœnacula miles.

Horat. *Quid pauper? ride, cœnacula mutat.*

Martialis. *Et scalis habito tribus sed altis,*

Iterum Iuuen. *Vltimus ardebit, quem tegula sola tuetur.*

A pluuia, molles vbi ponunt oua columbæ.

Pruden-ius. *Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus.*

Quod nisi alta fuissent, Martialis inde Vipsanam porticum spectare non potuisset. Res notior, quàm vt pluribus testibus egeret, quos multos Stuckius lib. 2. colligit stititque. Martialis quamuis eques tamen pauper erat & tantùm honorarius. Neque enim irrisoriè vt Ram. loquitur, dixit poëta. *Et scalis habito tribus sed altis.* poterat hoc docere præcedens epigramma.

MIGRANDVM EST VT MANE DOMI TE GALLE SALVTEM] tanta locorum intercapedo est inter meam tuamque domum, vti si prima luce exeam, te tamen ante tertiam, quartam, aut quintam conuenire non possim, atque hora interim salutandi elabatur, quæ prima & altera est. Itaque Transtiberim mihi domus conducenda erit, vt te sua hora salutem. Sed tantum incommodum officio tuo facilè postponis, ne officio meo mihi officiam.

ES TANTI] Es quidem tanti faciendus, vt tuâ causâ quotidie hanc viam vorem, quæ vel longior in tuam gratiam suspicienda esset. Sed tibi perinde est, seu te salutatum veniam, seu non veniam, quando tibi de dignitate nihil decedit, cùm vnus de clientibus tuis abest. VNVM SI PRÆSTO TOGATVM] togati comitabantur clientes regem seu patronum suum, quod frequenter poëta inculcat. patroni officium salutandi, vt supra dictum, sportula compensabant.

SI VNVM MIHI NEGO] te prosequendo me ipsum negligo, & otium scribendi amitto.

IPSE SALVTABO DECIMA, VEL SERIVS HORA] Non intermittam tamen officium erga te meum. mane carmina mittam, quę te meo nomine salutent, vesperi ego carminum auctor veniam. decima hora, quæ tertia est ante noctem. Post cœnam ad compotationem ait se venturum, aut ad ipsam cœnam, quæ quidem nonâ pomeridianâ, apud nos tertiâ, inchoabat, durabatque sæpè ad duas tresúe horas. Horam certè decimam amauit poëta suisque libellis legendis definiuit lib. 4. epigram. 8.

Hora libellorum decima est Eupheme meorum,

Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

Lib. 7. epig. 50. *Hunc licet à decima (nec enim satis ante vacabit)*

Sollicites: capies carmula parua duos.

Lib. 10.

Lib.10. ad Plinium. *Seras tutior ibis ad lucernas.*

Hæc hora est tua, dum furit Lyæus, &c.

AVERE] vox solennis matutinæ salutationis. AVE supra cap.56.

Et matutinum portat ineptus AVE.

Ad quem vsum volue, quæ ibi euoluimus.

De Catella Publii.

LXXXVIII. CX.

Issa est passere nequior Catulli.
Issa est purior osculo columbæ.
Issa est blandior omnibus puellis,
Issa est carior Indicis lapillis.
Issa est deliciæ catella Publij.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis.
Sentit tristitiamq́; gaudiumq́;.
*Collo * nixa cubat, capitq́; somnos,*
Vt suspiria nulla sentiantur;
Et desiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit vlla,
Sed blando pede suscitat, toroque
*Deponi * rogat, & monet * leuari.*
Castæ tantus inest pudor catellæ.

* * *

Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella,
In qua tam similem videbis Issam
*Vt sit tam similis sibi nec * ipsa.*
Issam deniq; pone cum tabella:
Aut vtramq́; putabis esse veram,
Aut vtramq; putabis esse pictam,

* nexa lib. Medicus.

* monet & rogat.

* lauari. Vide Gruteri Suspicionum lib. & annotat. ad hunc locum Martialis. melius lauari.

* Issa.

Cum Catulli passere, & Stellę columba, psittaco Papinij hoc epigramma, qua argutiâ qua suauitate, & venustate contendi potest. laudat catellam Gallicanam Publij, tamque artificiosè depingit Musæ penicillo, vt hanc catellam vera Publii, pictaque veriorem pulchioremque iudicem. Et nec ipsi poëtæ hæc catella displicuit, vt cuius mentionem ipse nonnullam faciat. lib.14. epig.198.

Delicias paruæ si vis audire Catellæ,

Narranti breuis est pagina prima mihi.

Et lib.7. epig.86. *Publius exiguæ si flagrat amore catellæ.*

Publium verò amicum suum prædicat sæpius lib.2. epig.57. reprehendit etiam lib.10. epig. 98. si tamen idem.

ISSA EST PASSERE NEQVIOR CATVLLI] Issa est nomen catellæ Publij. Nomina quæ canibus indenda docet venator Xenophontis. NEQVIOR] blanditiis & adulatione vincit passerem Lesbiæ Catullo celebratum. plura epig.8. OSCVLO COLVMBÆ] De columbarum osculis meminit Plinius lib.10. c.8. Aristoteles, Ælianus, Oppianus, Athenæus, Alij. PVRIOR] Munditiem & castitatem columbę certatim laudant Plinius, Ælianus, Orus, Pierius, vt adulteria etiam pœna mortis vindicent. Videtur poëta alludere columbam Stellæ, vt passerem Catulli. INDICIS LAPILLIS] gemmis. Plinius lib. vlt. cap. vlt. *Gemmiferi amnes sunt Acesinus & Ganges; terrarum autem omnium maxime India.* DELICIÆ PVBLII] Alii canes, alii dracones, feles, simias, sciuros, aues, pisces, equos, noctuas in deliciis habent, & habuerunt. Martial. lib.7. epig.86.

Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus, &c.

Ad quem locum plenius de bestiis & animantibus, &c. Hic respicit versum Catulli.

Passer deliciæ meæ puellæ.

SENTIT TRISTITIAMQVE GAVDIVMQVE] sensum rationis proprium bestiis inesse negant philosophi, suum quendam ac quasi affinem homini cognatumque negat nemo qui naturas elephantorum, formicarum, canum, equorum, &c. nouerunt. Tanta porrò quarundam pecudum & ferarum, auiumque est indoles & docilitas, vt discant ea, quæ homines ægrè assequuntur, vti paullò ante ex Æliano de elephanto dictum. Issa ergò hominum prope ritu motibus animi tangebatur, quamuis al) ad herum Publicum referant, quasi cùm ille gauderet aut mereret, perinde Issa afficeretur. NIXA COLLO] nexa al. vtrumque commodè: Scriuerio nixa, non nexa placet. suspensa collo domini conniuet. Musambertius reiicit Modij limam, & nixa collo, inquit, Issa quasi collecta in orbem & corpore in caput nixo, quasi puella brachio aut latere. GVTTA PALLIA NON FE. VLLA] torum toriue stragula non contaminat, cùm vrgetur à natura; sed deponi dimittique rogat. Pallium hoc loco, tori & lecti operimentum valet, qua notione sæpius vsurpat hanc vocem poëta.

Pignorum reus ebriaq; noctis
Cœnatoria mittat aduocato;

Lib. xi. *Ad cœnam venies, sed sic diuisa recumbes,*
Vt non tangantur pallia nostra tuis.

Lib. 14. *Nec fora sunt nobis sunt vadimonia nota,*
Hic opus est pictis accubuisse toris.

Pallia enim cœnatoria intelligit. Eodem sensu dixit Ouid. Am. el. 2.

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata? nec in lecto pallia nostra sedent.

Tametsi Ouidius non cœnatoria, sed cubicularia stragula accipiat, vti & Iuuenal. Sat. 6.

——tum corpore sano (simulans tamen morbum)
Aduocat Archigenem (medicum) *onerosaq; pallia iactat.*

LAVARI] propriè de fœmina vesicam exonerante. legatur Gruterus in susp. Placet *leuari* de quo plura Scriuerius.

CASTÆ TANTVS INEST PVD. CAT.] Epiphonema quo concludit narrationem de mundicia catellæ sequitur laus depictæ Issæ. IN QVA TAM SIMILEM VIDEBIS ISSAM.] Videtur in mentem fuisse Martiali seu Bembo, seu alteri elegantis epigrammatis in Hippolytum pictorem auctori, qui ita canit de imagine, quâ Hippolytus nescio quem expressit.

Est mea tam similis mihi, quam depinxit imago
Hippolytus, quantum vix queat esse sibi.
Illi ego tam similis, tamq; omni ex parte quod illa est,
Vt similis possim non magis esse mihi.
Percurrit mentem interdum gratissimus error,
Anne ego sim quod ea est? anne ea sit quod ego?
Idem error fortè indomitam post fallere mortem
Posset & indomitas effugere ipse manus.
Quod si non potero, extinctus durabit in æuum
Alter ego & mortem mortuus effugiam.
Quis meritis igitur iuuenis te laudibus æquet,
Si dabis extinctum me superesse mihi.

HANC NE LVX] Ne memoria Issæ vnquam interiret, adhuc viuam Publius curauit ad viuum exprimi, tamque feliciter expressa & depicta est, vt dubites, quæ vera sit, quæ picta, cùm vtraque picta videatur. Verba Poetæ tam clara sunt ac ipsa tabella Issæ. Plinius huc facit lib. 35. c. 10. de cane Ialyso, quem tute, si vacabis leges, verba sunt plura, quæ piget adscribere. Lusit eleganter in catellum Borgetum Andreas Naugerius, cuius hoc est initium; *Borgetus lepidus catellus ille. Cuius blanditias proteruitates,* &c. de cane Lydia aliisque multa lib. 11.

Ad Velocem.

CXI. LXXXIX.

Scribere me quereris, Velox epigrammata longa;
Ipse nihil scribis, tu breuiora facis.

Hoc distichon rectè poëta superiori subiecit, quod alioqui venustatem suam amitteret. longiusculum fuerat de Issa. nunc breuiore lectorem reficit quasi fatigatum. Laudat Velocem ironicôs quod breuia, hoc est, nulla scribat carmina. nec enim breuiora scribi possunt, quàm nulla scribuntur. Quæ autem longa, quæ breuia sint epigrammata dicenda, docet poëta libro 2. e. 77. de qua re plenius in Prolemmatis dictum.

Ad

Ad Regulum.

XC. CXII.

Cum tibi sit Sophiæ par fama, & cura deorum,
Ingenio pietas, nec minor ipsa tuo;
Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum,
Et qui miratur, Regule, tura dari.

Regulum illum causidicum, de quo supra epig.13. laudat à studio sapientiæ & pietatis.

PAR SOPHIÆ] Cùm æquè celebreris à laude doctrinæ, quam religionis, nihil est quod quisquam miretur (nisi stolidus, & rerum imperitus) tibi libros dedicari & donari, tusque mitti, si lubet huius Reguli seu Caussidici, seu propè Oratoris eloquentiam & pietatem nosse, recognosce, quæ Cæcilius Secundus lib.4.epist.e.7. sentit. *Exemplo*, inquit, *est regulus, imbecillum latus, os confusum, hæsitans lingua, tardissima inuentio, memoria nulla: nihil denique præter ingenium insanum, & tamen eò impudentiâ, ipsoq; illo furore peruenit, vt à pluribus orator habeatur. Itaque Herennius Senecio mirificè Catonis illud de Oratore in hunc è contrario vertit. Orator est vir malus, dicendi imperitus. Non me Hercule Cato ipse tam benè Oratorem verum quam hic Regulum expressit.* Laudat tamen idem eundem sine inuidia principio epistolæ. *Sæpè tibi dico inesse vim Reguli, mirum est, quàm efficiat, in quod incubuit. Placuit ei lugere filium, luget, vt nemo, &c.* Clarius & præclarius lib.6.cap.2. *Soleo nonnunquam in iudiciis quærere M.Regulum: nolo enim dicere desiderare, cur quæro? habebat studiis honorem, timebat, pallebat, scribebat, &c.* Audi pietatem seu impietatem eiusdem ex eodem. *Quamuis non posset dediscere illud ipsum, quòd oculum modò dextrum, modò sinistrum circumlinebat: dextrum, si à petitore, alterum, si à possessore esset acturus; quòd candidum splenium in hoc aut illud supercilium transferebat: quòd semper aruspices consulebat de actionis euentu. animi superstitione, sed tamen à magno studiorum honore veniebat.* Reliquos mores intueberis apud eundem variis epistolis, de quibus nos epig.13.

Ad Priscum.

XCI. CXIII.

Cùm te non nossem, dominum regemq; vocabam:
Cùm benè te noui, iam mihi Priscus eris.

Elegans & iocosa argutia. Dominos vocabant obuios quoque & ignotos, vt hodie amat fieri, & supra ad epigram.82. ex Seneca, & aliis docuimus ad Sosibianum. *Cùm dicis dominum Sosibiane patrem.*

Poëta ludit simul in nomine Prisci, quod proprium est, & appositum. Obuium te sæpè & ignotum velut dominum meum & regem appellaui per errorem. Postquam cæpi te nosse, eris mihi posthac, qui fuisti tibi ante, Priscus nempe seu seruus, seu plebeius, & εἷς ἐκ πολλῶν. Seruos tamen suos ironicè subinde dominos vocitabant, vt hodie, Junckher. Martial. lib.5.epig.58.

Cùm voco te dominum, nolo tibi Cinna placere;
Sæpè etiam seruum sic resaluto meum.

Multa super his Brissonius lib.8. Form. pag.744. Reges appellabant patronos suos clientes lib.2. in Olum.

Quod te nomine iam tuo saluto
Quem regem & dominum prius vocabam, &c.
Reges & dominos habere debet
Qui se non habet, atque concupiscit,
Quod reges dominiq; concupiscunt.

Idem docet lib.4. epig.40. & epig.84.

Sollicitus donas, regem dominumq; salutas.

Iuuen. Sat.14.
——Idumæa Syrophænix incola porta
Hospitis affectu regem dominumq; salutat.

PRISCVS ERIS] Rebar te magnum ciuem, antequam nossem, postquam, quis esses, & quàm vilis, intellexi, eris, qui es erasque, hoc est, Priscus ille Priscus contemptus & abiectus. Fortean salutando Priscum sperabat sportulam, cùm Priscus dissimularet, poëta desiit à blanditiis, eumque suo nomine, vt Olum infra, appellabat, quemadmodum epigrammatarius Græcus iocatur.

Palladas li. 1. εἰς κόλακας.

Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν.
Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα. αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω δόμινε. οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Noster Gerardus Gontius distichon totum alio sensu tractat. *Argumentum*, inquit, *epigrammatis hoc est: O Prisce, antequam nossem grauitatem animi tui, putabam me debere tecum agere, sicut cum reliqua leui nobilitate, tibi blandiri, te regem, te dominum appellitare; vbi verò peruidi & persensi has puerilia tibi displicere, & consilia veraq; te probare, remotis his nugis & technis te tamquam priscum & vetustis moribus & sapientia consularem habebo & colam.* Putat idem hunc Priscum Terentium fuisse ad quem sunt aliquot Plinij epistolæ, & nostri poetæ multa epigrammata cui 12. quoque librum dedicauit. Sed nescio an non leniculum hoc distichon sit ad tantum virum, & planè ambiguum. certè infra lib. 2. idem prorsus argumentum tractat in malam partem.

Quod te nomine iam tuo saluto,
Quem regem & dominum prius vocabam
Ne me dixeris esse contumacem, &c.

Ad Lectorem.

CXIV. XCII.

Quæcumque lusi iuuenis, & puer quondam,
Apinasq; nostras, *quas nec ipse iam noui,*
Male collocare si bonas voles horas,
Et inuidebis otio tuo, Lector,
A Valeriano Pollio petes Quincto,
Per quem perire non licet meis nugis.

Iuuenilia sua, vbi venalia sint, docet. Hoc amice lector & tu doceare libellum hunc, quem hic poeta insinuat, iniuria temporum intercidisse. Quod non vni nostro, sed nimium, quàm multis & scriptis & scriptoribus vsu venerit veniatque. Nec librum spectaculorum, nec hunc primum intelligit, multò minus Priapeia, sed alia omnia, quæ iam nulla, vt supra docui.

APINASQVE NOSTRAS] Tricæ apinæque, res nugatorias, gerrasque & inanias valent. Martial. lib. 14. *Sunt apinæ tricæq;, & si quid vilius istis.* Vnde & tricari simili figura dicebant, nugas agere. Est ab euentu natum adagium. Nam Tricam & Apinam oppida fuisse quondam Apuliæ docet Plinius lib. 2. cap. 11. *Diomedes,* inquit, *ibi deleuit gentes Monadorum Dordorumq;, & vrbes duas. quæ in prouerbij ludricum vertere, Apinam & Tricam.* Alij Tricam aiunt Thessaliæ vrbem fuisse, & dictam à Trica Penei filia. Sed de tricis plura lib. 14. tricabimur.

QVAS NEC IPSE NOVI] tantum fluxit annorum, cùm has extricaui. MALE COLLOCARE BONAS HORAS] Occupato & graui lectore indignas fatetur solitâ poetę modestiâ. nec tamen abiicit adeò, vt legi nolit, dum Bibliopolam Quinctum Pollium Valerianum exprimit. Ad hunc ferè sensum loquitur lib. epig. 2.

Ne perdas operam: qui se mirantur, in illis
Virus habe: nos hæc nouimus esse nihil.
Non tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure,
Nec matutina si mihi fronte venis.

Bibliopolæ huius alicubi non meminit, aut immemor ego. Sunt qui putent esse hunc Q. Pollium Valerianum, cuius Statius in Siluis celebrauit Surentinum. Ego diuersum censeo ab hoc nostro Bibliopola & mercatore. PER QVEM NON LICET MEIS PERIRE NVGIS] nugas vocant Horatius, Catullus, & alij sua poëmata, noster plurimis locis. Habuit verò plures huic Pollio Valeriano similes fautores poeta, præsertim Pompeium Auctum libro 7. epigram. 50.

Sic tenet absentis nostros cantatq; libellos,
Vt pereat chartis littera nulla meis.

Ad

Ad Faustinum.

XCIII. CXV.

Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
Fœnius & breue rus, vadaq; prata tenet,
Condidit hic natæ cineres, nomenq; sacrauit,
Quod legis Antullæ, dignior ipse legi.
*Et Stygias æquum fuerat * patrem * ire sub vmbras:*
*Sed quia non licuit, * viuit vt ossa colat.*

* pater
* ire al. pater ire ad
* viuat.

Epitaphium Antullæ puellæ immaturo fato raptæ. FAVSTINE] singularis hic poëtæ amicus, cui plurima epigrammata inscripsit, regredere ad 26. huius libri. VICINOS HORTOS] An Fænius in agro Tiburtino habuit fundum & hortos? Nam Faustinum per æstatem Tibure rusticatum vigesimo ab vrbe lapide canit noster lib. 4. epig. 57.

Tu colis Argei regnum Faustine coloni,
Quo te bis decimus ducit ab vrbe lapis.

CONDIDIT HIC NATÆ CINERES] Romani primis annis funera suis quisque in ædibus sepeliebant, vnde lares, hoc est, domesticos deos colere cœperunt, quare & vmbræ illis laruæ dictæ, vti docet Seruius ad 5 & 6. Æneidos. Mox lege 12. tab. cautum, ne mortui intra vrbem humarentur. Cic. 2. de legib. *Hominem mortuum, inquit lex, in vrbe ne sepelito.* Idem postea Romanis & Imperatoris decretis sancitum. Quod Vlpianus testatur, qui scribit Adrianum pœnam statuisse aureorum quadraginta in eos, qui in ciuitate sepulcrum fecissent, quam fisco inferri iussit. Et in magistratus eandem statuit pœnam, qui id passi forent. l. mortuorum. ff. de relig. & sumptibus funeb. & l. prætor. §. D. Adrianus. ff. de sepul. viol. Idem Paullus 1. sent. narrat. *Corpus in ciuitatem inferri non licet ne funestentur sacra ciuitatis.* Datum tamen vt Cicero, Plutarchus, Dion. Hal. monent, viris nonnunquam illustribus, Imperatoribus, ducibus, vt in vrbe sepelirentur, vti Publicola Tubertus, Traianus, aliique in vrbe sepulti sunt. Nec fuit hæc Romanorum tantum, sed Sicyoniorum, Atheniensium, Corinthiorum prisca lex, quod ex Ciceronis * epistolis, Plutarchi Arato, Thucydide, aliisque discas. Romani in agris potissimum iuxta vias militares & publicas maximè Latinam, Flaminiam, Appiam, vt viatores mortalitatis admonerent, sua corpora tumulabant, ornabantque hermis, mensis, labellis, statuis, aris, pyramidibus, columnis. Nec ad eam publicos semper agros, sed patrium & auitum solum quisque ad suos maiores condendos adhibebat. Ita Fænius suam quoque Antullam in suo fundo humarat. De quo genere & vsu veterum sepeliendi, qui plura desiderat præter alios consulat Rhodiginum lib. 17. cap. 19. & 20. Alexand. Neap. lib. 3. cap. 2. lib. 6. cap. 14. & ad ea. Tiraquellum. (Et qui nuper scripsere de funeribus ex instituto, Kirchmanni libros 4. Ioannis Meursii librum singularem.) Benicum nostrum oratione de funere antiquorum Rom. Brissonium lib. 7. Formul. NOMENQVE SACRAVIT] Indicem ac titulum sepulcro addebant D. M. S. Diis Manibus sacrum. Addebant nomen sepulti, quod in omnibus Antiquorum inscriptionibus legitur, sæpè cum dicto venusto & epigrammate. cuius exempla non pono, cùm hodie magna tumulorum & inscriptionum epigrammatumque copia voluminaque prostent. Communis formula erat. H. S. E. N N.

* Li. 4. Sermius ad Cic.

Ouidius. *Hic situs est Phaëton*—— Tibullus lib. 3. El. 2.
Lygdamus hic situs est.

Lucilius. *Seruus neque infidus domino, nec inutilis cuiquam*
Lucilij Columella HIC SITVS *Metrophanes.*

Sed hac de re copiosius infra suo loco, & iam supra d. Sacer verò locus erat sepulcri, magnisque pœnis inuiolabilis, vt mox ostendemus. DIGNIOR IPSE LEGI] Fænius pater, turbato naturæ ordine filiæ nomen inscripsit tumulo legendum, cùm par fuisset prius patris inscribi legique. solebant hoc in epigrammatis filiorum ponere parentes. Ita vetus inscriptio.

FORMOSVS, FRVGI, DOCTVS, PIVS, A PATRE MŒSTO
ACCEPIT TVMVLOS, QVOS DARE DEBVERAT.

Ad eundem ferè sensum alia legitur. QVOD FAS PARENTI FACERE DEBVIT FILIVS, MORS IMMATVRA FECIT VT FECERIT PARENS. Nec diuersa, quæ sequitur. QVOD FILIVS PATRI FACERE DEBVERAT, IPSE FECIT. Et illa. VOTA ERANT, VT PARENTIBVS ISTA PARARET, SED MORS IMMATVRA FECIT, VT FACERENT PARENTES FILIO. Et huic gemina. OPPIA CALSIANE MATER FECI FILIÆ MEÆ, QVOD ÆQVOM FVERAT FILIA HOC FACERET MIHI: VITELLIÆ L. F. TALLIÆ. Q. V. A. XXI. In his epitaphiis sæpiculè

culè additur INFELICISSIMVS PARENS. MATER AD LACRIMAS RELICTA. CONTRA VOTVM, &c. cuius haud pauca apud Brissonium & alios testimonia leges.

ÆQVVM FVERAT] ante filium mori patrem, vt modò inscriptiones docuerunt. Lego affinia his apud Græcos lib. 3. Diotimi.

> Τί πλέον εἰς ὠδῖνα πονεῖν; τί δὲ τέκνα τεκέσθαι;
> Μὴ τίκοι, εἰ μέλλοι παιδὸς ὁρᾶν θάνατον.
> Ἠϊθέῳ γὰρ σῆμα Βιάνορι χεύατο μήτηρ
> Ἔπρεπε δ' ἐκ παιδὸς μητέρα τοῦδε τυχεῖν.
> *Funera natorum si sunt spectanda parenti,*
> *Quid labor in partu, quid peperisse fuit?*
> *Quæ te mœsta parens scrobe texit nate Bianor,*
> *Hac à te matrem par erat ante tegi.*

Elegans & illud ἀδέσποτον quod sequitur.

> Τὶ πατὴρ τόδε σῆμα, τὸ δ' ἔμπαλιν ἦν τὸ δίκαιον.
> Ἦν γὰρ δικαιοσύνης ὁ φθόνος ὀξύτερος.
> *Æquom erat, vt patri natus monumenta pararet:*
> *Vt contra fieret, fecit iniqua dea.*

Scriuerius: *Et stygias æquus fuerat pater ire sub vmbras.*

Græcismus inquit, est. Πατὴρ δίκαιος ἦν ἰέναι. Δίκαιος εἰμι ποιεῖν εἰπεῖν φράσαι. Durè sanè in latio sonat: vulgares editiones commodius:

> *Et stygias æquum fuerat patrem isse sub vmbras.*

VIVIT VT OSSA COLAT] Relictus lacrymis, priuatus gaudio suo Antulla Fænius, quid agat nisi vt amissam fleat filiam, illiusque colat tumulum? Sacri erant Priscis, vti & hodie tumuli. Lex 12. tab. *Vbi corpus demortui hominis condas, sacer esto.* Plinius lib. 2. *Terra nos à reliqua natura abdicatos, tum maximè, vt mater, operit, nullo magis sacramento, quàm quo nos quoque sacros facit.* Plutarchus in Numa mortuos appellat sacros, quorum sacra sint sepulcra. Multa super his Cicero 2. de leg. Nec res obscura de cultu & veneratione cinerum, quibus aras, columnas, pyramides, &c. extruebant. Nam inter deos manes habebantur. Lex 12. Tabula. *Deorum manium iura sancta sunto. Hos leto datos, diuos habento.* Colebant ergo defunctos velut diuos. Eruta nuper in Italia via Nomentana illustria quædam monumenta præsente amico & familiari nostro Ioanne Bait, V. C. IC. qui illa ipsa delineata mecum communicauit, conditoria, inquam, cippos, testas, cineres, lapides, inscriptiones, dimensiones tumulorum, quæ omnia cœlo expressa tibi hic propono.

A. C. MDCIV. intra viam Nomentanam & Amenum vetem.

INSCRI-

INSCRIPTIONES IN IISDEM MONVMENTIS LECTÆ.

Sunt hæ numero XXXIII. quas eo ordine colloco, quo sunt à Jo. Bairio exscriptæ & signatæ.

A

1.

C. LVCRETIO.
G. F.
PRIMIGENIO.
SIBI. ET. SVIS.
IN FR. P. XXVII.
IN AGR. P. XII.

2.

DIIS. MANIBVS.
ATILIÆ. COMPSÆ.
VIXIT. ANNIS. XXX.
C. IVLIVS. HELIVS.

3.

DIIS. MANIBVS.
IVLIÆ. PRIMIGENIÆ.
VIXIT. ANNIS. XXVIII.
IVLIVS. EYCOSMVS.
CONIVGI. SVÆ.
BENEMERENTI. FECIT.

4.

COMINIÆ.
AGRÆ.
GALLIA.
CAVILLA. MATRI.
PIENTISSIMÆ.
B. M. F.

5.

D. M.
LVCIO. VALERIO.
L. F. ANIESI.
FORTVNATO.
CREMON. MILI.
COH. XV. RO
CANDIDO. LEG.
VALERIAN. ANATOLI
Æ. NAT. COH. I. PR. 7. AVR.

6.

VARIÆ.
THALEÆ.

7.

AMPVDIÆ.
HELPIDI.

8.

LVCIÆ. PAVLINÆ.
CONIVGI. B. M.

B

9.

Q. PLOTI. Q. F.
FELICIS.
IN. FRO. P. XII.
IN. AGR. P. XII.

10.

FL. ONESIMVS. MIM-
MIANÆ. VER. SVÆ.
FECIT. Q. V. A. IIII. M. X.

11.

D. M.
T. FLAVIO.
SYMMACHO.
FECIT.
T. FLAVIVS.
ABASCANTVS.
LIBERTVS. B. M.

12.

D. * M. * S. *
PHÆDRO.
T. FLAVIVS. PHIDIAS.
ET. FLAVIA. OSIME.
FECERVNT. FILIO.
KARISSIMO.
PARENTES.
INFELICISSIMI.
V. * A. * XVIII.
ME. * V. *

C

13.

IN. FR. P. IIX.
IN. AGR. P. XII.

14.

Q. TITIO. PASTORALI.
FILIO. NATVRALI.
PIENTISSIMO. QVI.
VIXIT. ANNIS. XVIII.
DIEBVS. IIII. L. AXI
LIVS. MVSEIVS.
PATER. AMANTISSI
MO. FIL. FIERI. F.

C. IV-

D

15.

C. IVLIVS.
HILARIO.
IN. FR. XII.
IN. AGR. P. XII.
D. M. S.

16.

D. M.
C. SETONIO. DE.
PETILIA. SINTHRICH.
BENEMERENTI. FEC.
ANNIL. MENSOR.
DIEBVS. VII.

17.

DIS. MANIBVS.
C. MVCIO. IANVAR.
C. MVCIVS. IANVARIVS. LIB.
PATRONO. OPTIMO.
FL. IVLIÆ SECVNDÆ. CONIVG.
M. ET. SIBI. LIBERTIS. LIBERTA-
BVSQ; QVIQ; AB. IS. MANVMIS-
SI. MANVMISSÆVE. POSTERIS-
QVE. EORVM.

18.

DIS. MANIBVS. DIDIO.
ROMANO. ET. DIDIÆ. C. F.
VENVSTÆ. ET. DIDIO. VE
NVSTO. C. DIDIVS AGATHO
MER. PATRONIS. OPTIMIS.
FECIT. BENE. MERENTIBVS.
ET. LIB. LIB. POSTERISQ; SVIS.

E

19.

M. COCCEIVS.
CL. MEGORCIA.
M. COCCEIVS. M. F.
VOL. APRILIS.
M. COCCEIVS.
CL. MENICANO.
COCCEIA. M. F. PHILVMINA.
ELPIDIA. M. LASSO.
IN. FR. P. XIIX. IN. AGR. P. XII.

20.

DIS.
MANIBVS.
M. MVNATIO. M. F.
AVGVSTALI. VIX.
ANN. L. MENS. V.
M. MVNATIVS. FVS-
CVS. FILIO. CARIS-
SIMO. FEC.

21.

D. M.
P. ATVCIVS. MAR
CELLINVS. TERENTIÆ.
ELEVTHERIDI. SANCTÆ.
FECIT. BENEMERENTI.

22.

D. M.
P. ENNIO.
CONSTANTI.
VETERANO.
CONIVG. BENE
MERENTI. AN
TISTIA. THREPTIA.
FECIT.

23.

VETVRIÆ. EVTYCHIÆ.
Q. VIXIT. AN. LXV. M. V.
DIEBVS. XV. MATRI. DVLCIS
PIENTISSIMÆ. FECIT.
M. ANNIVS. IVSTVS. FIL.
PIENTISSIMVS. BENE.
MERENTI. DE. SE. CVM. M.
ANNIO. THREPTIO. PATRE.
SVO. ET. AVO. IV. K. D.

E

24.

DIS. MANIBVS.
VRBANÆ.
M. VICTORIVS.
THREPTIVS. B. M.
IN. F. P. IV.
IN. AG. P. IV.

F

25.

IN. FR. P. X.
IN. AGR. P. XII.

26.

M. CORNELIVS.
EPITYNCANVS.
SEMPRONIÆ.
SATVRÆ.

27.

TITIÆ. LOGE.
CN. MVNATIVS.
EPITYNCANVS.
CONIVGI. B. M.
TITIVS. NICEPHOR.

G

28.

DIS. MANIBVS.
C. PAPIRIVS.
C. F. SCAPTIO.
PVDENTI. VET.
EX. COH. II. PR.
7. VIBI.
VIXIT. ANNIS. L.
T. F. I.
IN. F. P. IX.
IN. AG. P. V.

29.

D. M.
L. VALLIO. CARPO.
BENEMERENTI.
PIENTISSIMO. PATRI.
VALLIA. PRIMITIVA.
FECIT.

H

30.

IN. FRO. P. XII.
IN. AGR. P. X.
DIS. MANI-
BVS.

31.

D. M.
L. STERTINIO.
HYLÆ. CONIVGI.
KARISS. VETTIA.
MAGNA. ET. FILIA.
FECERVNT.

32.

M. * MARI.
PRIMIGENI.

Duorum circiter pedum altitud nis terra egesta, primò, Cippi; secundò, lapides tam litterales, quàm rudes, tertiò, ipsa conditoria, trinis, binis, vel singulis ollis repleta, comparúere: nullam vacuam, plures ad summum vsque, ossibus & cinere frustulentas reperi.

*Extabant & in mediis agris, lapidum, seu litterarum fragmenta. Forte vt Siculus Flaccus. lib. de conditione agrorum, censuit. Sepulchra in locis saxuosis, & sterilibus, etiam in mediis possessionibus fecerunt. In his exscripsi notata num.*25.26.27.28.29.30.31.32.

Formam loci religiosi, camenta terra mixta, notanter designabant: hinc olim sepimentis munitum fuisse conicio. Macer. l. 17. p. 1. *libri primi ad legem vicisimam hereditariam.* D. de Religiosis & *sumptibus funerum, Monumentum autem sepulchri, id esse, Diuus Hadrianus rescripsit, quod monumenti causa muniendi eius loci, factum sit. Et quia prater album & subrufum, ordinaria gleba colorem, frusta munimentum designantia aspexi, intra que, etiam sepulchris, & ollis inania loca notaui, maximè in signatis,* B. C. D. H. *Vlpianum I. C. consului, qui l.*73. *Æde sacrâ. p.*10. *D. de contrahenda empt. de locis puris me admonuit. Intra materiam* (inquit) *sepulchrorum, hortis, vel certis culturis, loca pura seruata, si nihil venditor nominatim excepit, ad emptorem pertinent.*

Trigesimi secundi numeri, erca, inter ollas vnica & sola, si saculi sequioris non est, saltem ex alterutrá Marciani distinctione. Legis 39. *D. de reliq. & sumpt. funerum seqq. verbis eò collocata prasumitur. Videtur autem* (inquit textus) *terrà conditum, & si in arculâ conditum hoc animo sit, vt non alibi transferatur. Sed arculam ipsam si res exigat, in locum commodiorem licere transferre, non est denegandum.*

De Antulla.

XCIV. CXVII.

Hoc nemus æterno cinerum sacrauit honore
Fænius, & culti iugera pauca soli.
Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulcro,
Hoc erit Antullæ mistus vterq; parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo ne speret agellum:
Perpetuo dominis seruiet ille suis.

Eiusdem Antullæ epitaphium, vnaque parentum. quem morem & hodiè familiæ seruant, vt commune conditorium curent. Epigramma plenum antiqui iuris est, vt mox intelliges.

HOC NEMVS] Sepulcris lucos sacros, & nemora addebant religionis causâ, quæ violare nefas erat, Seruius ad 5. Æneid. Et lucos latè. *Nemus hoc loco pro luco ponit. Lucus sacer erat vel numini, vel homini sepulto.* Tacitus veteres Germanos præter nemora & lucos templa nulla scribit habuisse. ÆTERNO HONORE] Sepulcrum Fænij & Antullæ *H. M. H. N. S.* Inscriptum fuisse reor tumulum Antullæ his litteris de more. *H S. H. N. S.* Hoc sepulcrum hæredes non sequetur. Ita vt vendi non posset

posset ante emi, agro vendito. Certum enim spacium tumulo sacrum in fundo definiebatur à fronte in agrum, hoc est, in latum & longum, quod erat inuiolabile, & vsu capi non poterat, nec hæredes sequebatur, vt alia bona. Horat. Sat. 8. lib. 1.

Pantolabo scurra Nomentanoq; nepoti
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: HEREDES MONVMENTVM NE SEQVERETVR.

Ad quem locum vide veterem Horatij interpretem. Lambinum quoque & Brissonium lib. 7. Form. Qui plurimas monumentorum inscriptiones adfert cum his literis *H. M. H. N. S.* vel cum his *H. M. E. H. N. S.* Hoc monumentum exeternum hæredem non sequetur. vel *H. M. E. H. N. R.* vel *H. M. S. S. E. H. N. S.* vel. *H. M. H. EXT. N. S.* apud Lambinum hoc mon. hæredem ex testamento non sequitur. Eiusmodi poëta describit Antullæ sepulcrum & lucum à posteris non abalienandum. IVGERA PAVCA SOLI] pedes pauciores aut plures sepulcro de fundo addebant, qui locus descriptus postea sacer erat. CITO RAPTA] decedunt æui maturi, rapiuntur immaturi. Ouid.

Brissonius lib. 7. l.

Qua mihi de rapto tua venit epistola Celso.

Noster clarius lib. 10. epig. 71. vbi raptos opponit senibus.

Hoc tamen vt primus raptos sibi quærit ab annis.

Et lib. 6. epig. 68. de Eutycho puero:

Inter Baianas raptus puer occidit vndas.

MISTVS VTERQVE PARENS] familiare igitur sepulcrum, non hæreditarium fuit. sequitur enim. PERPETVO DOMINIS SERVIET ILLE SVIS] hoc est, hæredes non sequetur. æternum sacer erit Antullæ, Fænio & vxori Fænii. Plura Brisonius lib. 7. p. 702. & 705. & 700.

In Lupercum.

CXVIII. XCV.

Occurris quoties Luperce nobis,
Vis, mittam puerum, subinde dicis,
Cui tradas epigrammaton libellum?
Lectum quem tibi protinus remittam?
Non est, quòd puerum Luperce vexes.
Longum est, si velit ad Pyrum venire,
Et scalis habito tribus, sed altis.
Quod quæris, propius petas licebit:
Argi nempe soles subire letum.
Contra Cæsaris est forum taberna,
Scriptis postibus hinc & inde totis,
Omnes vt cito perlegas poëtas.
*Illinc me pete: * ne roges Atrectum,*
Hoc nomen dominus gerit tabernæ,
De primo dabit, alteróue nido,
Rasum pumice, purpuraq; cultum
Denariis tibi quinque Martialem.
Tanti non es, *ais? sapis Luperce.*

** me.*

Eludit Luperci auari petitionem. Petiuerat in via Martialem à Martiale dono. Martialis illi Bibliopolam vicinum Atrectum monstrat vnde emat. CVI TRADAS EPIGRAM. LIBELLVM] gratis nempe. NON EST, QVÒD PVERVM LVPERCE VEXES] Non intelligit poëta Lupercum gratis petentem, sed respondet perinde quasi Lupercus cuperet emere. Nihil est opus, inquit, puerum venire domum meam; longum est; in vicinia est Atrectus Bibliopola, hinc petas, licet. AD PYRVM] Iunius quidem sine teste affirmat, Regionem vrbis dici ad Pyrum, in qua Martialis habitarit. P. Victor. S. Rufus. Panuinius nullam hoc nomine indigitant regionem. Martialis, vti supra docui ex Martiale Reg. 7. via lata ad Pilam Tiburtinam plurimis annis habitauit.

Domitius

Domitius mallet legere ad Pisam. nihil tamen mutat. Perottus ad Pyrum dici putat, vti ad malum Punicum, ad Gallinas ob arbores ibi satas, vel pictas. Crediderim insigne ædium fuisse pyrum, vt aquila cælata Pedonis insigne erat. Aut prorsus locum in 7. Regione certum hoc nomine insignitum, vt malum Punicum Reg. 6. vbi natus Domitianus. ET SCALIS HABITO TRIBVS SED ALTIS] Paullo supra ad Gallum, monui tenuiores sub tectis & prope tegulis habitasse, vt Iuuenalis de Codro, Suetonius de Orbilio testantur. Martialis de seipso. *Et mea Vipsanas spectant cœnacula Lauros.* Turneb. l. 13.

ARGI NEMPE SVBIRE SOLES LETVM] In 11. Regione tabernæ librariæ erant ad Argiletum locum vrbis, sic ab Argi letho nominatum, vt fuse supra epig. 4. *Argiletanas mauis habitare tabernas.* CONTRA CÆSARIS FORVM] E regione fori Cæsariani. Forum Cæsaris Iulium intelligit, non Romanum seu vetus, non Augusti aut Neruæ. Iulius Cæsar nondum dictator, sed proconsul Galliæ aream ad forum illud suum parandum emit HS. millies, hoc est, binis millionibus & semis Philippæorum. De foris hisce plenius ad illum versum Martialis.

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

SCRIPTIS POSTIBVS] Foribus tabernæ auctorum nomina figebantur, vt sciret lector, qui libri venales essent. figebantur & ad pilas seu columnas, ad quas bibliopolæ suas tabernas ædificabant, vt Venusinus docet. Sat. 4. lib. 1.

Nulla taberna meos habeat, nec pila libellos

Et de art. poet. *——mediocribus esse poetis*

Non Dij, non homines, non concessere columnæ.

NE ROGES ATRECTVM] Bibliopolæ nomen, vt Tryphonis, Pollij, Aucti, &c. Ne sit opus rogare & interrogare, vbi degat Atrectus: simul bibliopolium inspicies in Argileto, Atrectus petenti tibi Martialem statim è bibliotheca sua proferet DE PRIMO ALTEROVE NIDO] Nidos Vopiscus vocat armaria. *Bibliotheca*, inquit, *Vlpia elephantini pugillares in sexto armario siti.* Fuere igitur Foruli & capsæ certo ordine & situ collocata; vnde primo, imo seu altero de nido, id est, de armario primo vel extremo, vel medio, &c. RASVM PVMICE PVRPVRAQVE CVLTVM] Vt poliuerint frontes librorum, voluminaque ornarint purpura & vmbilicis d. supra epig. 67.

Sed pumicata fronte si quis est nondum,
Nec vmbilicis cultus atq. membrana.

DENARIIS TRIBVS TIBI QVIN] Semiphilippico, si denarium pro drachma seu 8. cruciferis accipias, vt primum acceptus est. si Martialis æuum spectes, quinque denarij sex drachmas efficient, id est, 48. cruciferos; tum enim denarius duodecim assibus æstimabatur, cum prius tantum decem valeret. Lipsium do testem lib. 1. El. cap. 2. & lib. 1. ad Tacitum. Dicitur denarius à denis assibus, cui apud Græcos perpetuo respondebat drachma, apud Italos hodie Iulius, apud Germanos octo cruciferi seu duo victoriati, quos bazios vocamus. Fuit denarius diurnum militum & operarum stipendium apud Romanos; sequius apud Græcos. Nam Demosthenes 1. philippica militi menstruum totum, tantum assignat vnum philippicum: equiti tres. Ita militis diurnum fuit sestertius, & tres quadrantes, cum vna tertia: equitis denarius. ducentis equitibus vno mense talentum dabatur. toto anno duodecim bis mille gregariis, quadraginta talenta, quatuor millibus LXXX. Annum ergo stipendium omnium LXXXXII. talenta. Id quod Demosthenes prima philippica docet, quem locum hactenus interpretes non exputarunt: nos hic παρέργως. Quin Solonis lege ὁπλῖται seu pedites sine stipendiis prius militare cogebantur. Primus Pericles ad populum de militum stipendiis legem tulit, vt Vlpianus ad Demosthenem docet. Vnde Thucydides in tertia historia prodidit. Periclis æuo, militi & ministro militis quotidie binas drachmas fuisse numeratas. legatur Sigonius lib. 4. de Repub. Atheniensium. c. 5. Porro denarij, quinarij & sestertij numi germanam formam ex ipsa moneta suis quamque notis insignem hic tibi spectandam propono, quam ex Ill. V. Marci Velseri bibliotheca depromptam accepi & incidi curaui. Sunt omnes numi argentei.

Denar. Denar.



Denar. Quinar.

Sestert. Sestert.

Q Tres

Tres cernis denarios quinarium seu victoriatum vnum, sestertium numum itidem vnum. Primus denarius, cruce decussata denarij nota insignis, secundus stellula notatus, tertius caret numero, quod non videbatur necessarium semper addere numerum in nummo vulgo omnib' noto. Quinarium ex V. sestertiũ ex IIS. agnoscis. TANTI NON ES AIS? SAPIS LVPERCE.] Egon' te tanti emam? non sum adeo demens. tu tanti non es Martialis, vt te seu librum tuum quinque denariis emam. SAPIS LVPERCE] Laudando irridet hominis auaritiam, & clam insinuat, & se sapere, cui tanti non sit Lupercus auarus, quem suo libello donet. Idem fere dicit lib. 4. epig. 72.

Ad Cæcilianum.

CXXI XCVI.

Cui legisse, satis non est, epigrammata centum,
Nil illi satis est, Cæciliane mali.

Supra epig. 17. de suis epigrammatib. iudicium tulerat, esse quędam bona, alia mediocria, plura vero mala. Hic quasi omnia sint mala, iocatur, ac proinde satis mali in vno libro, si centum sint epigrammata, qui numerus etiam in bonis poterat videri satis magnus. Nam si bona, multa *satis, si mala, multa nimis.*

Et magnus nimis liber, non potest esse optimus. Callimachus, inquit Athenęus. *ὁ γραμματικὸς ἔλεγε. τὸ μέγα βιβλίον. ἶσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ*, *magnum librum magno malo similem.* Martialis ergo quasi hoc dicit. Fateor epigrammata mea esse mala, sufficiunt ergo centum, qui plura desiderat, mali plus desiderat. Catullus de Fuseno pessimo poeta.

Idemq; longe plurimos facit versus.

Propria, inquit Muretus, *ac pene perpetua malorum poetarum nota.* vt quidam de Mantuano sentiunt. Et Horatius de Lucilio Sat. 4. lib. 1. Sed ne & ego in breuiem epigrammatum enarratione, longior sim, verbum non amplius addam, nisi illud nostri de nostro.

Esse tibi tanta cautus breuitate videris,
Heu mihi quam multis, sic quoque longus eris!

MATTHÆI

MATTHÆI RADERI AD M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBRVM SECVNDVM Commentarius.

EPISTOLA.

*QVID nobis, inquis, cum epistola? parumne tibi præstamus, si legimus epigrammata? quid hic porro * dicturus es, quod non possis versibus dicere? Video, quare tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet. Epigrammata Curione non egent, & contenta sunt sua, id est, mala lingua. In quacunque pagina visum est, epistolam faciunt. Noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam, & * togam saltanti inducere personæ. Denique videas (videris, alij probant) an te delectet contra retiarium ferula. Ego inter illos sedeo, qui protinus reclamant. Puto me hercule, Deciane, verum dicis. Quid si scias, cum qua, & quam longa Epistola negotium fueris habiturus? Itaque, quod exigis, fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non lassi peruenient.*

* P.C daturus.

* in toga saltantis inducere personã. al. saltantis.

Ad Decianum V.C. è Stoicorum disciplina, poetæ familiarem & lib. superiore sæpius laudatum, est hoc epistolium. quo quasi mirantem facit poeta Decianum, cur epistolam epigrammatis ipse suis, cum ipsa epigrammata pro se loqui possint, & epistolæ vicem fungi, proscribat. Poeta velut immemor sui, admonitu Deciani abrumpit epistolam, longius alioqui, vt iocatur, progressurus. Fecit idem Statius in Siluis suis. Sunt in hac non pauca, quæ pertinent ad cognitionem antiquitatis. Singula ordine exponemus.

Decianus quis. (Curione non egent) Aliena nempe opera, cũ ipsa pro se loquantur.

VIDEO, QVARE TRAGŒDI EPISTOLAM ACCIPIANT.] Tragœdi se populo vel principi commendaturi, aut aliquid petituri, per epistolam id exequebantur, quam curio in theatro palam recitabat, ipsis loqui fas non erat, indigebant ergo curione seu præcone. Lectas autem epistolas, & alia docet Plinius lib. 4. epist. 7. *Scripsit publice vt è Curionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret eam populo.* Alii putant tragœdiæ præfationis loco præscriptam fuisse.

Tragœdorũ mos per epistolam aliquid petendi.

Curionis autem officium erat, omnia quæ in theatro aut in amphitheatro, vel principis mandato, vel magistratus iussu edictoue, vel alicuius postulato pronuncianda erant, proclamare, vt quasi præconem ageret theatralem Curio. cuius mentio est apud Eusebium Cæsariensem * interprete Ruffino, quem ministrum ille theatralem appellat, hic curionem nominat, qui ad populum iubente magistratu vel prætore aliquid vulgat aut pronunciat. Vocat & Trebellius Pollio Curionem in Gallienis. *Nam*, inquit, *cum taurum ingentem in arenam misisset, exissetque ad eum feriendum venator, neque productum decies potuisset occidere, coronam venatori misit: mussantibusque cunctis, quid rei esset, quod homo ineptissimus coronaretur, ille per curionem dici iussit; taurum toties non ferire difficile est.* Et idem, *mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici iussit, Imposturam fecit & passus est.* Merulam & Turnebum lege. Chalderinus d Tragœdorum prophasin & Comœdorum prologum epistolam & curionem satis imperite refert. Quæ alioqui notio curionis, hoc loco supersedeo dicere. SVA, id est, MALA LINGVA] liberâ & mordaci. TOGAM SALTANTI PERSONÆ INDVCERE] vulgata hæc scriptura. Adagiographus legit, *in toga saltantis personam inducere*, alii malunt legere: in toga saltanti personam inducere. Est quippiam facere indecorum, vt si monachus saltet, senex ineptiat. Toga enim ciuium Romanorum erat, & honoris causa sumebatur. In ludis scenicis omnes personas pantomimus saltu & gestu exprimebat. *Mimicæ autem personæ facies & habitus è foro, angiportis & tabernis afferebant cauponis, coqui, productoris, sycophantæ, militis, meretriculæ, conciliatricis, cursoris ebrij stolidi insani, pistoris, pædagogi, surdi, cæci, fartoris, circulatoris, impostoris, ariolatoris & eiusmodi.* D. Cyprianus lib. de spect. etiam nudos ait saltatores esse productos. Alii togam tralate dictam putant, & pro epistola vel soluta oratione accipiendam, personam autem saltantem interpretantur epigrammata vel poemata, quæ in

Curionis officium idem fere quod præconis in theatro.

* 4 Eccl. hist. Ios. Scaligerum ad Festum vide, voce Curiales Chil. 2. Cẽt. 5. adag. 18.

Saltantis persona.

De saltatoribus seu mimis eruditissime I. vsan. περὶ ὀρχήσεως.

culcu

Iul. Scal. lib. 1. poet. Persona vnde dicta. Lib. 2. poet. c. 13. Lib. 1. Sat. c. 15 Ferulae gerundae eadem hoc loco.

cultu scenico saltabantur. Dixeris, inquit Ramiresius, in prætextis & togatis fabulis togas fuisse, & apud C. Plinium c. 48. lib. 7. Stephanionem esse, qui primus togatus saltare instituit, &c. Sane. Sed togæ illæ dictæ improprie, quæ togæ illæ mimicæ, consuti ex panniculis versicoloribus centones. Scenicæ nempe vestes ἐκ ῥακῶν πάνυ δὲ πλαῶν συγκεκομμένων: ex vilibus admodum pannis concisæ. Scripserat forte Lucianus συγκεκομμένων, id est, consutæ. Noluere Quirites togam suam, quæ nota propria ciuitatis, actionibus scenicis dehonestari. Musamb. Persona non à personando, vt Gellius existimauit, sed à prisco habitu, qui περὶ σῶμα ludionibus erat vt Scaliger notauit, dicta est. De personarum origine Delrium vide in Proleg. ad Senecam c. 8. CONTRA RETIARIVM FERVLA.] Vero Lipsius tortuosum hunc locum affirmat, nec mea sententia adhuc satis euolutum & explicatum: ferulam, rudem exponunt; retiarium pro tridente accipiunt. Adagiographus. *An, inquit, id faciendum putes, quod nemo non damnet atq; exsibilet?* Calderinus prouerbium in eos dici solitum docet, qui infirmo præsidio contra maxime instructum pugnabant. sic contra obtrectatores Martialis epistola se defensurus erat, qua parum poterat, plus epigrammate valiturus. Turnebus ad nouos auctoratos allusum putat, cum illud Senecæ ex Apocolocyntosi exponit, *Et proximo munere inter nouos auctoratos ferulis vapulare placet. Nouos auctoratos hic dicit, qui nuper mercede conducti sunt, vt depugnent, qui pro auspicio ferulis vapulabant, cum ipsi ferro carerent, & alij gladiatores per ludibrium ferulis eos caederent. vt pueros ludimagistri. Nam aduersus eum, qui ferrum habuisset, cuius temeritatis esset ferulâ batuere?* Hinc scripsit Martialis Denique videas, an te, &c. Hæc Turnebus. Ergo sensus est, operam ludes poeta, si te epistola contra Zoilos defendes, ego primus reclamo & dissuadeo. An illud Gellianum huc facit ξυλοκεραυνεῖν baculum mouere in aliquem? non autumo, quamuis Adagiographus arbitretur. De ferula nos lib. 14. 80. Alii aliud docent non tam re quam verbis. Epistolam comparant ferulæ, obtrectatores retiariis. Vt ergo Myrmillo antogonista retiarii, parum proficeret ferulâ, ita Martialis parum epistolâ, vt ergo spectatores reclamarent statim, si hi duo ita componerentur, ita ego reclamo tibi Martialis epistola te defendenti; & tanto magis inquit Martialis, reclamares, si nosses cogitasse me de bene longa epistola, quæ tantisper satisfacient, quoad meliora occurrant.

Lib. 18. c. 13. Noui auctorati. Ferulis vapulare gebrigt werden. Sensus poetæ. Lib. 1. c. 7.

Ad librum suum.

1. I.

** perlegeretus.*

Ter centena quidem poteras epigrammata ferre.
*Sed quis te ferret * perlegeretq; liber?*
At nunc, succincti quæ sunt bona, disce, libelli.
Hoc primum est, breuior quod mihi charta perit.
Deinde quod hæc vna peragit librarius hora,
Nec tantum nugis seruiet iste meis.
Tertia res hæc est, quod si cui forte legeris;
Sis licet vsq; malus, non odiosus eris.
*Te conuiua leget misto * quincunce: sed ante,*
Incipiat positus quam tepuisse calix.
Esse tibi tanta cautus breuitate videris.
Heu mihi, quam multis sic quoq; longus eris?

** Quincunx, quinq; cyathi.*

Liber epigrammatum sine lege numeri epigrammatum.

Argumentum libri est sine certo argumento. Hoc epigrammate enumerat commoda breuioris libri, & tempus eius legendi præscribit. TER CENTENA.] Nullam habet legem liber epigrammatum; epigrammata capit centum, ducenta sexcenta. Quod vel in Anthologia obserues, quam eo nomine adhuc nemo reprehendit. Scio Tragicis aliam esse legem, quibus certi sunt a scriptoribus definiri actus SED QVIS TE FERRET PERLEGERETQVE LIBER] duplex intellectus (τὸ ferret) graue esses onus gestanti, & molestus ob longitudinem legenti, Ita alter ad corpus, ad animum alter refertur. Horatius lib. epistolarum 1. 2. 13.

Si te forte meæ grauis vret sarcina chartæ.
Abijcito ——

Breuis libel li commoda Chartas perdere.

Cicero tamen interrogatus, quæ oratio Demosthenis esset optima, respondit longissima. De eadem re Plinius in epistolis. AT NVNC SVCCINCTI.] Audisti incommoda magni & longi voluminis; accipe nunc commoda breuis. HOC PRIMVM EST BREVIOR.] Qui illepida inuenustaq; scribunt carmina, dicuntur perdere chartas. Martialis lib. 6. epig. 64.

Audes præterea, quos nullus nouerit, in me

Scribere

Scribere versiculos, miseras & perdere chartas. —— *vbi quid datur oti,*
Illudo chartis, hoc est, mediocribus illis *Ex vitiis vnum* ——

Lib. 1. plura de his. Ergo primum commodum breuis libri minor iactura chartæ. hoc ioco-sè. DEINDE QVOD HÆC.] Alterum, breuis liber breui tempore describitur. LIBRARIVS] dicebatur, qui libros transcribebat, idem amanuensis. NEC TANTVM NVGIS.] De nugis & ineptiis iam supra dictum. Occupabitur melioribus libris describendis. hoc modeste. TERTIA RES HÆC EST] Tertium, vt breui tempore à lectore sine molestia percurratur; euoluto enim libro, veluti quodam penso absoluto gaudemus. Diogenes cum diutissime legens, tandem eo venisset vt videret chartam vacuam: *bono*, inquit, *animo estote viri, terram video.* Apophthegmata. TE CONVIVA LEGET.] Tempus libri sui legendi monet esse tum, cum feruet potandi studium, id est, cum hilari sunt conuiuæ. Atque hanc esse mentem Poetæ, ipse docet Poeta ad Plinium.

Hæc hora est tua, dum furit Lyeus,
Dum regnat rosa, dum madent capilli
Tum me vel rigidi legant Catones.

Libr*arius.*

MISTO QVINCVNCE] vino aqua calida diluto. Antiquitus enim aqua calida ad potum, & delicias fuit. De quicunce libro 1. copiose, & cum cura disseruimus. Continet quinque cyathos hoc poculi genus. (Sed antequam incipiat positus calix tepere.) Ante legatur liber meus in ipso feruore vini & calore: antequam frigescat & gelet: gemina vis latet sub hoc verbo tepuisse vel enim vt verba iacent, intelligitur, id est, antequam frigeat vinum calida mistum, vel antequam remittatur certamen potandi, & hilaritas conuiuarum. De more bibendi, & miscendi calidam, & frigidam lege lib. 1. c. 4. Electorum Lipsii, qui disertissime, & planissime de hac re disputat. ESSE TIBI TANTA.] Videris inuitasse lectorem, & cepisse pollicitatione hac breuitatis, velut illicio quodam, Sed, HEV MIHI QVAM MVLTIS.] Non tamen omnium vitabis reprehensionem, & fastidium. sunt Romani proceres fastidiosissimi, & mella iuxta ac fella nauseant. Ita mox infra. *lectis vix tibi paginis duabus. Spectas ἐσχατοκόλλιον Seuere, Et longas trahis oscitationes.*

Vinum vini aqua diluendi. Lib. 1. 12. plura. Quincunx. Videtur veterem bibendi morem vt Heraldus notauit, respexisse. ἢ τρία, ἢ πέντε, ἢ μὴ τέτταρα.

Ad * Cæsarem Domitianum.

II.

** Germanicum Cæsarem P. C.*

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodq; Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos:
*Quæ datur ex * Dacis Laurea, tota tua est.*

** Cattis al. & rectius.*

CRETA DEDIT MAGNVM.] Domitianus duplicem triumphum egit de Cattis & Dacis, vt Suetonius cap. 6. scribit his verbis: *De Cattis Dacisq, post varia prælia duplicem triumphum egit.* Idem Eutropius lib 7. extremo Xiphil. idem insinuat. Martialis hunc triumphum Domitiani cum Metelli & Scipionis, ac patris cum fratre triumphis componit & hunc illis præponit. Creta dedit magnum nomen L. Metello Cretico. qui triumphauit D. Silano, & L. Murena Coss. vt Eutropius testatur Vicit Cretenses. A. V.C. DC. XXCVII. & *crudeliter victoriā exercuit, nec quicquam amplius de tam famosa victoria, quam Creticæ cognomen reportauit.* Florus de triumpho etiā Velleius & Dio & Ouid. Fastor. MAIVS DEDIT AFRICA NOMEN.] Scipioni Africano, vt ipsemet in sequenti versu declarat. Res gestæ à Scipione Africano maiore, notiores sunt quam vt expositione indigeant. Africani cognomen militaris prius fauor, an popularis aura celebrauerit, an sicuti Felicis Sullæ, Magniq; Pompei cœptum ab assentatione familiari sit, haud pro comperto habetur. Primus tamen hic Imperator nomine victæ à se gentis est nobilitatus. Cicero, Liuius, Polybius, Florus, Eutropius, Zonaras, Salustius. Appianus. De hoc Ennii extant epitaphia:

Duplex Domitiani triumphus. Metellus Creticus. Scipio Africanus maior. Sulla Felix. Pompeius Magnus. Scipionis ex Ennio epitaphium.

Hic est ille situs, quoi nemo ciuis neque hostis
Quibit pro factis reddere operæpretium.
Aliud eiusdem.
A Sole exoriente supra Mæotidis paludes
Nemo est qui factis me æquiparare queat.
Si fas endo plagas cœlestum scandere quoiquam;
Mi soli cœli maxima porta patet.

SCIPIO QVOD VICTOR.] Iam intelligitur ex superiori versu explicato. NOBILIVS DOMITO TRIBVIT.] Germanicus Cæsar Drusi filius primus hoc nomen meruit, non quod in Germania obiecit, sed Germanos domuerit. *Hoc loco ne te fallat Raderus* (inquit Ramiresius) *more suo fal-*

Germanici cognomen quis primus meruerit.

Domitianus cui Germanicus dictus *sit, cum existimet Germanicum Cæsarem, qui fraude Pisonis interiit, esse primum cui Germanici nomen obtigit? Non enim is fuit sed eius pater Drusus, & Pater ex lectione lib. 1. Annal. Taciti.* Imo ne tu Ramitesi lectorem falle tua ἀνεζρησία. Ego de lecytho, tu de strophio. ego de viuis, tu de mortuis tractas. Druso patri Germanici, Augusti priuigno, mortuo demum, Germanici nomen decretum in senatu; Germanico autem viuo, & vna cum patre. Ita vt viuus, quemadmodum Scipiones Africani & Asiatici, Metelli, Cretici, Cæsares, Parthici, Getici, Dacici, &c. appellaretur. Dionis historiam attigisses, Florum inspexisses, Albinouani consolationem ad Liuiam, non teipsum prius accusandum, quam alios reprehensum isses, & hunc honorem mortuo patri primum, filio dein habitum mecum cognouisses. De Germanico ego scripsi, qui hanc appellationem dum viueret obtinuit, & viuus hanc. & primus accepit. Drusus viuus nunquam audiuit Germanicus. Mortuis principibus multi alii honorum ac nominum tituli impertiti. vt Diui, &c. appellarentur. Germanicus verò Cæsar hoc nomen habuit proprium & Germanos vicit & triumphauit, à quo SECVNDVM se GERMANICVM dixit Domitianus, quod & ipse victoriam è Germanis reportasset, à quibus & Germanicus appellatus, & mensem Septembrem *Germanicum* appellari iussit. Quod autem SECVNDVS GERMANICVS fuerit dictus docet inscriptio: * T. FLAVIO. T. F. GERMANO. CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI. GERMANICI. SECVNDI. IMP. CÆSARIS. DIVI F. DOMITIANI. AVGVSTI. EXORNATO. SACERDOTI. SPLENDISS. PONTIF. MINOR. Non interim inficias imus Caligulam, Claudium, Neronem & sequentes Imperatores idem Germanici nomen tulisse, sed non ex victoriis in Germania de Germanis partus vt primi duo Germanici pater & filius, & Secundus Domitianus. Domitianus idem sibi nomen adsciuit, nam puer, seu iuuenis cum Antonio & Mutiano Batauos repressit. Batavi autem seu Holandi inferioris Germaniæ populi sunt, & ad Rhenum habitant. Tacitus, Cæsar, Iunius. Legendum igitur Cattis, non Dacis, Rhenus enim Cattos & Batauos, non Dacos alluit. [ET PVER HOC DIGNVS.] De Germaniæ non necessaria expeditione Domitiani iuuenis habes apud Tranquillum cap. 2. in Domitiano lege lib. 4. Histor. Taciti ad finem. pe eadem re non alibi. Nam puer, seu iuuenis in Germania fuit, & in Gallia, ibique affectauit imperium patre adhuc viuente, vbi expertus est suam iuuentam à senioribus contemni. Nomen tamen Germanici primum post geminos actos triumphos assumpsit. Suetonius. FRATER IDVMÆOS MERVIT.] Eutropius libro 7. *Hic (Vespasianus) cum Tito filio de Hierosolymis triumphauit.* Sueton. 17. Tito: cap. 6. *Triumphauit Censuramq; gessit vna cum patre.* Et in Domitiano cap. 2. *ac triumphum vtriusq; Iudaicum equo albo comitatus est.* Triumphum vero actum, & excidium Hierosolymitanum præter multos alios egregie describit Iosephus Iudæus, quem leges. FRATER] Titus. Idumæos Iudaicos. Idume pars Iudeæ, ab Occidente Iordanem spectans quæ Genes. 32. *Εδώμ* appellatur, eadem Gobolitis, & Amalechitis Iosepho teste, dicta. Stephanus γεμολίτας, Nabathæos Strabo vocat. Bidumos hodie incolas nominant. CVM PATRE] Vespasiano, qui bellum Iudaicum inchoauit. Iosephum cepit. QVÆ DATVR EX * DACIS.] Tu solus Dacos vicisti, solus igitur triumphas, non indigebas aut patre vel fratre ad victoriam comparandam. Sed lege quid de Dacico bellico scribat Dio, seu Xiphilinus, & Theodosius ex Dione. *At Domitianus*, inquit, *ducto in eos exercitu, quamquam ipse bellum nulla ex parte attigit (erat n. non solū impatiens laboris corporis, sed etiam animo timido & imbellis, petulans, & libidinosus; &c.) tamen missis ducibus ad bellum gerendum, ac magna parte militum turpiter amissa, vt victor Romam litteras misit.* In eodem prælio cecidit Cornelius Fuscus præfectus cohortium, de quo Iuuenalis, & alibi Martialis. Sed scribendum potius ex Cattis, vt supra monui. DATVR] lege Heraldi animaduersiones ad hunc locum, ex Lipsio epistol. quæstio. lib. 1. epistol. 5. LAVREA] pro triumpho hîc ponitur, laureati enim triumphabant. De laurea in Iouis gremio deposita & nos infra & hic copiose Heraldus.

** Apud Panuinium Romæ.*

Titus Hierosolymorum victor. Triumphus Titi & Vespas. Generatim totam triumphi pompam oculis subiicit Panuinius tabulæ picta libro de triumpho

** Transsiluani Daci sunt hodie. Domitianus Veneri quã Marti aptior.*

Ad Sextum.

V. IV.

Sexte nihil debes, nil debes Sexte, fatemur.
Debet enim, si quis soluere Sexte potest.

Mendicitatem Sexto obiicit. NIHIL DEBES] felicitatem & fortunas Sexti laudare simulat, cum inopiam eius ridet, felix enim, qui nil debet, nec quisquam infelicior obærato. SOLVERE POTEST] qui soluendo non est, nihil debet. Vide carmen in Linum lib. 1. notum est Iurisconsultorum dictum. *Inopia debitoris excludit omnem actionem, quod nil auferri possit ab eo, qui non habeat.*

Iurif. dictum N de dolo malo l. nam si, & habeat de furtu eot.

Ad

Ad Decianum.

IV. *V.*

Ne valeam, *si non totis Deciane diebus,*
Et tecum totis noctibus esse velim.
Sed duo sunt, quæ nos, distinguunt, millia passûm.
Quatuor hæc fiunt, cum rediturus eam.
*Sæpe domi non es: cum sis quoq; * sæpe, negaris:*
Vel tantum causis, vel tibi sæpe vacas.
Te tamen vt videam, duo millia non piget ire:
Vt te non videam, quatuor ire piget.

* sæpe negaris.

Vsum quotidianæ cum Deciano vitæ, & coniunctionem impediri locorum intercapedine dicit. Cupio sanè, inquit, tecum æuum consumere, nec à latere tuo vnquam discedere. NE VALEAM] iurandi formula, vt illæ, dispeream, peream, ne viuam, ne saluus sim. moriar nisi. Brissonius fusè lib. 8. Contraria huic obtestandi: sic valeam, sic viuam, &c. Nasicæ iocus ex Cicerone. sed DVO SVNT QVÆ NOS.] Assiduus adesse tibi nequeo propter iter duûm millium passuum, quæ geminantur, cum redeo abs te, & fiunt quatuor millia. Vnde colligis in vrbe disiunctissimas ædes Deciani à Pila Tiburtina fuisse. Nec enim puto Decianum extra vrbem habitasse. SÆPE DOMI NON ES.] Nec refugerem laborem, & molestiam itineris, ni frustra subirem. Est, cum te domi tuæ non offendo, est, cum offendo, & congressu prohibeor. NEGARIS] esse domi Elegans est iocus Nasicæ apud Ciceronem in secundo de Orato. *Hic enim cum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quærenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse. Nasica sensit.* (Der Herr sagt/er sey nicht daheym) *illam Domini iussu dixisse & illum intus esse: paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius, & eum à ianua quæreret, exclamat Nasica se domi non esse: tum Ennius, Quid? ego non cognosco vocem, inquit, tuam? Hic Nasica, Homo es impudens: ego cum te quærerem. ancillæ tuæ credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?* VEL TANTVM.] Ergo Caussidicus Decianus. TIBI VACAS] valetudini, aut balneis, curæ cutis. TE TAMEN] Bella & arguta conclusio à contrariis, quasi ad Decianum, tam longo itinere iret, vt eum ne videret.

Ad Seuerum.

V. *VI.*

I nunc, *edere me iube libellos*
Lectis vix tibi paginis duabus.
*Spectas * ἰσχατοκώλιον Seuere,*
Et longas trahis oscitationes.
Hæc sunt, quæ relegente me solebas
*Rapta * scribere, sed Vitellianis.*
Hæc sunt singula, quæ sinu ferebas
Per conuiuia cuncta, per theatra.
Hæc sunt, aut meliora, si qua nescis.
Quid prodest mihi tam macer libellus,
Nullo crassior vt sit vmbilico,
Si totus tibi triduo legatur?
** Nunquam deliciæ supiniores.*
Lassus tam cito deficis viator.
Et cum currere debeas Bouillas,
*Interiungere * quæris ad Camœnas.*
I nunc, *edere me iube libellos.*

* ἰσχατοκώλιον τὸ ἐν ἰσχάτῳ κώλῳ γεχαραγμένον
* rapta inscribere lego cum Leuino Torrentio. al. Raptim scribere C.P. Rapta scribere.

* Nusquam recte leges.

* Interiungere legendum lib. 3. interiungit equos.

Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus, &c.

Ad quem locum plenius de bestiis & animantibus, &c. Hic respicit versum Catulli.

Passer deliciæ meæ puellæ.

SENTIT TRISTITIAMQVE GAVDIVMQVE] sensum rationis proprium bestiis inesse negant philosophi, suum quendam ac quasi affinem homini cognatumque negat nemo qui naturas elephantorum, formicarum, canum, equorum, &c. nouerunt. Tanta porrò quarundam pecudum & ferarum, auiumque est indoles & docilitas, vt discant ea, quæ homines ægrè assequuntur, vti paullò ante ex Æliano de elephanto dictum. Issa ergò hominum prope ritu motibus animi tangebatur, quamuis al[ij] ad herum Publicum referant, quasi cùm ille gauderet aut mereret, perinde Issa afficeretur. NIXA COLLO] nexa al. vtrumque commodè: Scriuerio nixa, non nexa placet. suspensa collo domini conniuet. Musambertius reiicit Modij limam, & nixa collo, inquit, Issa quasi collecta in orbem & corpore in caput nixo, quasi puella brachio aut latere. GVTTA PALLIA NON FE. VILA] torum toriue stragula non contaminat, cùm vrgetur à natura; sed deponi dimittique rogat. Pallium hoc loco, tori & lecti operimentum valet, qua notione sæpius vsurpat hanc vocem poeta.

Pignorum reus ebriaq; noctis

Cœnatoria mittat aduocato;

Lib. [11]. *Ad cœnam venies, sed sic diuisa recumbes,*

Vt non tangantur pallia nostra tuis.

Lib. 14. *Nec fora sunt nobis sunt vadimonia nota,*

Hic opus est pictis accubuisse toris.

Pallia enim cœnatoria intelligit. Eodem sensu dixit Ouid. Am. el. 2.

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur

Strata? nec in lecto pallia nostra sedent.

Tametsi Ouidius non cœnatoria, sed cubicularia stragula accipiat, vti & Iuuenal. Sat. 6.

——tunc corpore sano (simulans tamen morbum)

Aduocat Archigenem (medicum) *onerosaq; pallia iactat.*

LAVARI] propriè de fœmina vesicam exonerante. legatur Gruterus in susp. Placet *lauari* de quo plura Scriuerius.

CASTÆ TANTVS INEST PVD. CAT.] Epiphonema quo concludit narrationem de mundicia catellæ sequitur laus depictæ Issæ. IN QVA TAM SIMILEM VIDEBIS ISSAM.] Videtur in mentem fuisse Martiali seu Bembo, seu alteri elegantis epigrammatis in Hippolytum pictorem auctori, qui ita canit de imagine, quâ Hippolytus nescio quem expressit.

Est mea tam similis mihi, quam depinxit imago

Hippolytus, quantum vix queat esse sibi.

Illa ego tam similis, tamq; omni ex parte quod illa est,

Vt similis possim non magis esse mihi.

Percurrit mentem interdum gratissimus error,

Anne ego sim quod ea est: anne ea sit quod ego?

Idem error fortè indomitam post fallere mortem

Posset & indomitas effugere ipse manus.

Quod si non potero, extinctus durabit in æuum

Alter ego & mortem mortuus effugiam.

Quis meritis igitur iuuenis te laudibus æquet,

Si dabis extinctum me superesse mihi.

HANC NE LVX] Ne memoria Issæ vnquam interiret, adhuc viuam Publius curauit ad viuum exprimi, tamque feliciter expressa & depicta est, vt dubites, quæ vera sit, quæ picta, cùm vtraque picta videatur. Verba Poetæ tam clara sunt ac ipsa tabella Issæ. Plinius hoc facit lib. 35. c. 10. de cane Ialyso, quem tute, si vacabis leges, verba sunt plura, quæ piget adscribere. Lusit eleganter in catellum Borgetum Andreas Naugerius, cuius hoc est initium; *Borgetus lepidus catellus ille. Cuius blanditias proteruio. es,* &c. de cane Lydia aliisque multa lib. 11.

Ad Velocem.

CXI. LXXXIX.

Scribere me quereris, Velox epigrammata longa;

Ipse nihil scribis, tu breuiora facis.

Hoc distichon rectè poëta superiori subiecit, quod alioqui venustatem suam amitteret. longiusculum fuerat de Issa. nunc breuiore lectorem reficit quasi fatigatum. Laudat Velocem ironicôs quod breuia, hoc est, nulla scribat carmina. nec enim breuiora scribi possunt, quàm nulla scribuntur. Quæ autem longa, quæ breuia sint epigrammata dicenda, docet poëta libro 2. e. 77. de qua re plenius in Prolemmatis dictum.

Ad

Ad Regulum.

XC. CXII.

Cum tibi ſit Sophiæ par fama, & cura deorum,
Ingenio pietas, nec minor ipſa tuo;
Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum,
Et qui miratur, Regule, tura dari.

Regulum illum cauſidicum, de quo ſupra epig.13. laudat à ſtudio ſapientiæ & pietatis.

PAR SOPHIÆ] Cùm æquè celebreris à laude doctrinæ, quam religionis, nihil eſt quod quiſquam miretur (niſi ſtolidus, & rerum imperitus) tibi libros dedicari & donari, tuſque mitti, ſi lubet huius Reguli ſeu Cauſſidici, ſeu propè Oratoris eloquentiam & pietatem noſſe, recognoſce, quæ Cæcilius Secundus lib.4.epiſt.e.7. ſentit. *Exemplo*, inquit, *eſt regulus, imbecillum latus, os confuſum, hæſitans lingua, tardiſſima inuentio, memoria nulla: nihil denique præter ingenium inſanum, & tamen eò impudentiâ, ipſoq; illo furore peruenit, vt à pluribus orator habeatur. Itaque Herennius Senecio mirificè Catonis illud de Oratore in hunc è contrario vertit. Orator eſt vir malus, dicendi imperitus. Non me Hercule Cato ipſe tam benè Oratorem verum quam hic Regulum expreſſit.* Laudat tamen idem eundem ſine inuidia principio epiſtolæ. *Sæpè tibi dico ineſſe vim Reguli, mirum eſt, quàm efficiat, in quod incubuit. Placuit ei lugere filium, luget, vt nemo, &c.* Clarius & præclarius lib.6.cap.2. *Soleo nonnunquam in iudiciis quærere M.Regulum: nolo enim dicere deſiderare, cur quæro? habebat ſtudiis honorem, timebat, pallebat, ſcribebat, &c.* Audi pietatem ſeu impietatem eiuſdem ex eodem. *Quamuis non poſſet dediſcere illud ipſum, quòd oculum modò dextrum, modò ſiniſtrum circumlinebat: dextrum, ſi à petitore, alterum, ſi à poſſeſſore eſſet acturus; quòd candidum ſplenium in hoc aut illud ſupercilium transferebat: quòd ſemper aruſpices conſulebat de actionis euentu. animi ſuperſtitione, ſed tamen à magno ſtudiorum honore veniebat.* Reliquos mores intueberis apud eundem variis epiſtolis, de quibus nos epig.13.

Ad Priſcum.

XCI. CXIII.

Cùm te non noſſem, dominum regemq; vocabam:
Cùm benè te noui, iam mihi Priſcus eris.

Elegans & ìocoſa argutia. Dominos vocabant obuios quoque & ignotos, vt hodie amat fieri, & ſupra ad epigram.82. ex Seneca, & aliis docuimus ad Soſibianum. *Cùm dicis dominum Soſibiane patrem.*

Poëta ludit ſimul in nomine Priſci, quod proprium eſt, & appoſitum. Obuium te ſæpè & ignotum velut dominum meum & regem appellaui per errorem. Poſtquam cæpi te noſſe, eris mihi poſthac, qui fuiſti tibi ante, Priſcus nempe ſeu ſeruus, ſeu plebeius, & εἷς ἐκ πολλῶν. Seruos tamen ſuos ironicè ſubinde dominos vocitabant, vt hodie, Junckher. Martial. lib.5.epig.58.

Cùm voco te dominum, nolo tibi Cinna placere;
Sæpè etiam ſeruum ſic reſaluto meum.

Multa ſuper his Briſſonius lib.8. Form. pag.744. Reges appellabant patronos ſuos clientes lib.2. in Olum.

Quod te nomine iam tuo ſaluto
Quem regem & dominum prius vocabam, &c.
Reges & dominos habere debes
Qui ſe non habet, atque concupiſcit,
Quod reges dominiq; concupiſcunt.

Idem docet lib.4.epig.40. & epig.84.

Sollicitus donas, regem dominumq; ſalutas.

Iuuen. Sat.14. *——Idumæa Syrophœnix incola porta*
Hoſpitis affectu regem dominumq; ſalutat.

PRISCVS ERIS] Rebar te magnum ciuem, antequam noſſem, poſtquam, quis eſſes, & quàm vilis, intellexi, eris, qui es eraſque, hoc eſt, Priſcus ille Priſcus contemptus & abiectus. Fortean ſalutando Priſcum ſperabat ſportulam, cùm Priſcus diſſimularet, poëta deſiit à blanditiis, eumque ſuo nomine, vt Olum infra, appellabat, quemadmodum epigrammatarius Græcus iocatur.

Pallada li. 1. εἰς κόλακας.

Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν.
Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα. αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω δόμινε. οὐ γὰρ ἔχω δόμινε.

Noster Gerardus Gontius distichon totum alio sensu tractat. *Argumentum*, inquit, *epigrammatis hoc est: O Prisce, antequam nossem grauitatem animi tui, putabam me debere tecum agere, sicut cum reliqua leui nobilitate, tibi blandiri, te regem, te dominum appellitare; vbi verò peruidi & perspexi hac puerilia tibi displicere, & consilia veraq; te probare, remotis his nugis & techniis te tamquam priscum & vetustis moribus & sapientia consularem habebo & colam.* Putat idem hunc Priscum Terentium fuisse ad quem sunt aliquot Plinij epistolæ, & nostri poetæ multa epigrammata cui 12. quoque librum dedicauit. Sed nescio an non leniculum hoc distichon sit ad tantum virum, & planè ambiguum. certè infra lib. 2. idem prorsus argumentum tractat in malam partem.

Quod te nomine iam tuo saluto,
Quem regem & dominum prius vocabam
Ne me dixeris esse contumacem, &c.

Ad Lectorem.

CXIV. XCII.

Quæcumque lusi iuuenis, & puer quondam,
Apinasq; nostras, *quas nec ipse iam noui,*
Male collocare si bonas voles horas,
Et inuidebis otio tuo, Lector,
A Valeriano Pollio petes Quincto,
Per quem perire non licet meis nugis.

Iuuenilia sua, vbi venalia sint, docet. Hoc amice lector & tu doceare libellum hunc, quem hic poëta insinuat, iniuria temporum intercidisse. Quod non vni nostro, sed nimium, quàm multis & scriptis & scriptoribus vsu venerit veniatque. Nec librum spectaculorum, nec hunc primum intelligit, multò minus Priapeia, sed alia omnia, quæ iam nulla, vt supra docui.

APINASQVE NOSTRAS] Tricæ apinæque, res nugatorias, gerrasque & inanias valent. Martial. lib. 14. *Sunt apina tricæq; & si quid vilius istis.* Vnde & tricari simili figurâ dicebant, nugas agere. Est ab euentu natum adagium. Nam Tricam & Apinam oppida fuisse quondam Apuliæ docet Plinius lib. 2. cap. 11. *Diomedes, inquit, ibi deleuit gentes Monadorum Dardorumq; & vrbes duas, quæ in prouerbij ludricum vertere, Apinam & Tricam.* Alij Tricam aiunt Thessaliæ vrbem fuisse, & dictam à Trica Penei filia. Sed de tricis plura lib. 14. tricabimur.

QVAS NEC IPSE NOVI] tantum fluxit annorum, cùm has extricaui. MALE COLLOCARE BONAS HORAS] Occupato & graui lectore indignas fatetur solitâ poëtę modestiâ. nec tamen abiicit adeò, vt legi nolit, dum Bibliopolam Quinctum Pollium Valerianum exprimit. Ad hunc ferè sensum loquitur lib. epig. 2.

Ne perdat operam: qui se mirantur, in illis
Virus habe: nos hac nouimus esse nihil.
Non tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure,
Nec matutina si mihi fronte venis.

Bibliopolæ huius alicubi non memini, aut immemor ego. Sunt qui putent esse hunc Q. Pollium Valerianum, cuius Statius in Siluis celebrauit Surentinum. Ego diuersum censeo ab hoc nostro Bibliopola & mercatore. PER QVEM NON LICET MEIS PERIRE NVGIS] nugas vocant Horatius, Catullus, & alij sua poëmata, noster plurimis locis. Habuit verò plures huic Pollio Valeriano similes fautores poeta, præsertim Pompeium Auctum libro 7. epigram. 50.

Sic tenet absentis nostros cantatq; libellos,
Vt pereat chartis litera nulla meis.

Ad Faustinum.

XCIII. CXV.

Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
Fœnius & breue rus, vdaq; prata tenet,
Condidit hic natæ cineres, nomenq; sacrauit,
Quod legis Antullæ, dignior ipse legi.
*Et Stygias æquum fuerat * patrem * isse sub vmbras:*
*Sed quia non licuit, * viuit vt ossa colat.*

* pater
* ire al. pater ire ad
* vmas.

Epitaphium Antullæ puellæ immaturo fato raptæ. FAVSTINE] singularis hic poëtæ amicus, cui plurima epigrammata inscripsit, regredere ad 26. huius libri. VICINOS HORTOS] An Fænius in agro Tiburtino habuit fundum & hortos? Nam Faustinum per æstatem Tibure rusticatum vigesimo ab vrbe lapide canit noster lib. 4. epig. 57.

Tu colis Argei regnum Faustine Coloni,
Quo te bis decimus ducit ab vrbe lapis.

CONDIDIT HIC NATÆ CINERES] Romani primis annis funera suis quisque in ædibus sepeliebant, vnde lares, hoc est, domesticos deos colere cœperunt, quare & vmbræ illis laruæ dictæ, vti docet Seruius ad 5. & 6. Æneidos. Mox lege 12. tab. cautum, ne mortui intra vrbem humarentur. Cic. 2. de legib. *Hominem mortuum, inquit lex, in vrbe ne sepelito.* Idem postea Romanis & Imperatoriis decretis sancitum. Quod Vlpianus testatur, qui scribit Adrianum pœnam statuisse aureorum quadraginta in eos, qui in ciuitate sepulcrum fecissent, quam fisco inferri iussit. Et in magistratus eandem statuit pœnam, qui id passi forent. l. mortuorum. ff. de relig. & sumptibus funeb. & l. prætor. §. D. Adrianus. ff. de sepul. viol. Idem Paullus 1. sent. narrat. *Corpus in ciuitatem inferri non licet ne funestentur sacra ciuitatis.* Datum tamen vt Cicero, Plutarchus, Dion. Hal. monent, viris nonnunquam illustribus, Imperatoribus, ducibus, vt in vrbe sepelirentur, vti Publicola Tubertus, Traianus, aliique in vrbe sepulti sunt. Nec fuit hæc Romanorum tantum, sed Sicyoniorum, Atheniensium, Corinthiorum prisca lex, quod ex Ciceronis * epistolis, Plutarchi Arato, Thucydide, aliisque discas. Romani in agris potissimum iuxta vias militares & publicas maximè Latinam, Flaminiam, Appiam, vt viatores mortalitatis admonerent, sua corpora tumulabant, ornabantque hermis, mensis, labellis, statuis, aris, pyramidibus, columnis. Nec ad eam publicos semper agros, sed patrium & auitum solum quisque ad suos maiores condendos adhibebat. Ita Fænius suam quoque Antullam in suo fundo humarat. De quo genere & vsu veterum sepeliendi, qui plura desiderat præter alios consulat Rhodiginum lib. 17. cap. 19. & 20. Alexand. Neap. lib. 4. cap. 2. lib. 6. cap. 14. & ad ea. Tiraquellum. (Et qui nuper scripsere de funeribus ex instituto, Kirchmanni libros 4. Ioannis Meursii librum singularem.) Benicum nostrum oratione de funere antiquorum Rom. Brissonium lib. 7. Formul. NOMENQVE SACRAVIT] Indicem ac titulum sepulcro addebant D. M. S. Diis Manibus sacrum. Addebant nomen sepulti, quod in omnibus Antiquorum inscriptionibus legitur, sæpè cum dicto venusto & epigrammate. cuius exempla non pono, cùm hodie magna tumulorum & inscriptionum epigrammatumque copia volumina que prostent. Communis formula erat. H. S. E. N N.

* Ld. 4. Sermus ad Cic.

Ouidius. *Hic situs est Phaëton*——— Tibullus lib. 3. El. 2.
Lygdamus hic situs est.

Lucilius. *Seruus neque infidus domino, nec inutilis cuiquam*
Lucilij Columella HIC SITVS *Metrophanes.*

Sed hac de re copiosius infra suo loco, & iam supra d. Sacer verò locus erat sepulcri, magnisque pœnis inuiolabilis, vt mox ostendemus. DIGNIOR IPSE LEGI] Fænius pater, turbato naturæ ordine filiæ nomen inscripsit tumulo legendum, cùm par fuisset prius patris inscribi legique. solebant hoc in epigrammatis filiorum ponere parentes. Ita vetus inscriptio.

FORMOSVS, FRVGI, DOCTVS, PIVS, A PATRE MŒSTO
ACCEPIT TVMVLOS, QVOS DARE DEBVERAT.

Ad eundem ferè sensum alia legitur. QVOD FAS PARENTI FACERE DEBVIT FILIVS, MORS IMMATVRA FECIT VT FECERIT PARENS. Nec diuersa, quæ sequitur. QVOD FILIVS PATRI FACERE DEBVERAT, IPSE FECIT. Et illa. VOTA ERANT, VT PARENTIBVS ISTA PARARET, SED MORS IMMATVRA FECIT, VT FACERENT PARENTES FILIO. Et huic gemina. OPPIA CALSIANE MATER FECI FILIÆ MEÆ, QVOD ÆQVOM FVERAT FILIA HOC FACERET MIHI: VITELLIÆ L. F. TALLIÆ. Q. V. A. XXI. In his epitaphiis sæpiculè

culè additur INFELICISSIMVS PARENS. MATER AD LACRIMAS RELICTA. CONTRA VOTVM, &c. cuius haud pauca apud Brissonium & alios testimonia leges.

ÆQVVM FVERAT] ante filium mori patrem, vt modò inscriptiones docuerunt. Lego affinia his apud Græcos lib. 3. Diotimi.

> Τί πλέον εἰς ὠδῖνα πονεῖν; τί δὲ τέκνα τεκέσθαι;
> Μὴ τέκοι, εἰ μέλλει παιδὸς ὁρᾶν θάνατον.
> Ἠϊθέῳ γὰρ σῆμα Βιάνορι χεύατο μήτηρ
> Ἔπρεπε δ᾽ ἐκ παιδὸς μητέρα τοῦδε τυχεῖν.
> *Funera natorum si sunt spectanda parenti,*
> *Quid labor in partu, quid peperisse fuit?*
> *Quæ te mæsta parens scrobe texit nate Bianor,*
> *Hac à te matrem par erat ante tegi.*

Elegans & illud ἀδέσποτον quod sequitur.

> Τὸ πατρὸς τόδε σῆμα, τὸ δ᾽ ἔμπαλιν ἦν τὸ δίκαιον.
> Ἦν γὰρ δικαιοσύνης ὁ φθόνος ὀξύτερος.
> *Æquum erat, vt patri natus monumenta pararet:*
> *Vt contra fieret, fecit iniqua dea.*

Scriuerius: *Et stygias æquus fuerat pater ire sub vmbras.*

Græcismus, inquit, est. Πατὴρ δίκαιος ἦν ἰέναι. Δίκαιός εἰμι ποιεῖν εἰπεῖν φράσαι. Durè sanè in latio sonat: vulgares editiones commodius:

> *Et stygias æquum fuerat patrem isse sub vmbras.*

VIVIT VT OSSA COLAT] Relictus lacrymis, priuatus gaudio suo Antulla Fænius, quid agat nisi vt amissam fleat filiam, illiusque colat tumulum? Sacri erant Priscis, vti & hodie tumuli. Lex 12. tab. *Vbi corpus demortui hominis condas, sacer esto.* Plinius lib. 2. *Terra nos à reliqua natura abdicatos, tum maximè, vt mater, operit, nullo magis sacramento, quàm quo nos quoque sacros facit.* Plutarchus in Numa mortuos appellat sacros, quorum sacra sint sepulcra. Multa super his Cicero 2. de leg. Nec res obscura de cultu & veneratione cinerum, quibus aras, columnas, pyramides, &c. extruebant. Nam inter deos manes habebantur. Lex 12. Tabula. *Deorum manium iura sancta sunto. Hos leto datos, diuos habento.* Colebant ergo defunctos velut diuos. Eruta nuper in Italia via Nomentana illustria quædam monumenta præsente amico & familiari nostro Ioanne Bair, V. C. IC. qui illa ipsa delineata mecum communicauit, conditoria, inquam, cippos, testas, cineres, lapides, inscriptiones, dimensiones tumulorum, quæ omnia cœlo expressa tibi hic propono.

A C. MDCIV. intra viam Nomentanam & Anienem vetem.

INSCRI-

INSCRIPTIONES IN IISDEM MONVMENTIS LECTÆ.

Sunt hæ numero XXXIII. quas eo ordine colloco, quo sunt à Io. Bairio exscriptæ & signatæ.

A

1.
C. LVCRETIO.
G. F.
PRIMIGENIO.
SIBI. ET. SVIS.
IN FR. P. XXVII.
IN AGR. P. XII.

2.
DIIS. MANIBVS.
ATILIÆ. COMPSÆ.
VIXIT. ANNIS. XXX.
C. IVLIVS. HELIVS.

3.
DIIS. MANIBVS.
IVLIÆ. PRIMIGENIÆ.
VIXIT. ANNIS. XXVIII.
IVLIVS. EVCOSMVS.
CONIVGI. SVÆ.
BENEMERENTI. FECIT.

4.
COMINIÆ.
AGRÆ.
GALLIA.
CAVILLA. MATRI.
PIENTISSIMÆ.
B. M. F.

5.
D. M.
LVCIO. VALERIO.
L. F. ANIESI.
FORTVNATO.
CREMON. MILI.
COH. XV. RO
CANDIDO. LEG.
VALERIAN. ANATOLI
Æ. NAT. COH. I. PR. 7. AVR.

6.
VARIÆ.
THALEÆ.

7.
AMPVDIÆ.
HELPIDI.

8.
LVCIÆ. PAVLINÆ.
CONIVGI. B. M.

B

9.
Q. PLOTI. Q. F.
FELICIS.
IN. FRO. P. XII.
IN. AGR. P. XII.

10.
FL. ONESIMVS. MIM-
MIANÆ. VER. SVÆ.
FECIT. Q. V. A. IIII. M. X.

11.
D. M.
T. FLAVIO.
SYMMACHO.
FECIT.
T. FLAVIVS.
ABASCANTVS.
LIBERTVS. B. M.

12.
D. * M. * S. *
PHÆDRO.
T. FLAVIVS. PHIDIAS.
ET. FLAVIA. OSIME.
FECERVNT. FILIO.
KARISSIMO.
PARENTES.
INFELICISSIMI.
V. * A. * XVIII.
ME. * V. *

C

13.
IN. FR. P. IIX.
IN. AGR. P. XII.

14.
Q. TITIO. PASTORALI.
FILIO. NATVRALI.
PIENTISSIMO. QVI.
VIXIT. ANNIS. XVIII.
DIEBVS. IIII. L. AXI
LIVS. MVSEIVS.
PATER. AMANTISSI
MO. FIL. FIERI. F.

C. IV-

D

15.

C. IVLIVS.
HILARIO.
IN. FR. XII.
IN. AGR. P. XII.
D. M. S.

16.

D. M.
C. SETONIO. DE.
PETILIA. SINTHRICH.
BENEMERENTI. FEC.
ANNIL. MENSOR.
DIEBVS. VII.

17.

DIS. MANIBVS.
C. MVCIO. IANVAR.
C. MVCIVS. IANVARIVS. LIB.
PATRONO. OPTIMO.
FL. IVLIÆ SECVNDÆ. CONIVG.
M. ET. SIBI. LIBERTIS. LIBERTA-
BVSQ; QVIQ; AB. IS MANVMIS-
SI. MANVMISSÆVE. POSTERIS-
QVE. EORVM.

18.

DIS. MANIBVS. DIDIO.
ROMANO. ET. DIDIÆ. C. F.
VENVSTÆ. ET. DIDIO. VE
NVSTO. C. DIDIVS AGATHO
MER. PATRONIS. OPTIMIS.
FECIT. BENE. MERENTIBVS.
ET. LIB. LIB. POSTERISQ; SVIS.

E

19.

M. COCCEIVS.
CL. MEGORCIA.
M. COCCEIVS. M. F.
VOL. APRILIS.
M. COCCEIVS.
CL. MENICANO.
COCCEIA. M. F. PHILVMINA.
ELPIDIA. M. LASSO.
IN. FR. P. XIIX. IN. AGR. P. XII.

20.

DIS.
MANIBVS.
M. MVNATIO. M. F.
AVGVSTALI. VIX.
ANN. L. MENS. V.
M. MVNATIVS. FVS-
CVS. FILIO. CARIS-
SIMO. FEC.

21.

D. M.
P. ATVCIVS. MAR
CELLINVS. TERENTIÆ.
ELEVTHERIDI. SANCTÆ.
FECIT. BENEMERENTI.

22.

D. M.
P. ENNIO.
CONSTANTI.
VETERANO.
CONIVG. BENE
MERENTI. AN
TISTIA. THREPTIA.
FECIT.

23.

VETVRIÆ. EVTYCHIÆ.
Q. VIXIT. AN. LXV. M. V.
DIEBVS. XV. MATRI. DVLCIS
PIENTISSIMÆ. FECIT.
M. ANNIVS. IVSTVS. FIL.
PIENTISSIMVS. BENE.
MERENTI. DE. SE. CVM. M.
ANNIO. THREPTIO. PATRE.
SVO. ET. AVO. IV. K. D.

E

24.

DIS. MANIBVS.
VRBANÆ.
M. VICTORIVS.
THREPTIVS. B. M.
IN. F. P. IV.
IN. AG. P. IV.

F

25.

IN. FR. P. X.
IN. AGR. P. XII.

26.

M. CORNELIVS.
EPITYNCANVS.
SEMPRONIÆ.
SATVRÆ.

27.

TITIÆ. LOGE.
CN. MVNATIVS.
EPITYNCANVS.
CONIVGI. B. M.
TITIVS. NICEPHOR.

G

28.

DIS. MANIBVS.
C. PAPIRIVS.
C. F. SCAPTIO.
PVDENTI. VET.
EX. COH. II. PR.
7. VIBI.
VIXIT. ANNIS. L.
T. F. I.
IN. F. P. IX.
IN. AG. P. V.

29.

D. M.
L. VALLIO. CARPO.
BENEMERENTI.
PIENTISSIMO. PATRI.
VALLIA. PRIMITIVA.
FECIT.

H

30.

IN. FRO. P. XII.
IN. AGR. P. X.
DIS. MANI-
BVS.

31.

D. M.
L. STERTINIO.
HYLÆ. CONIVGI.
KARISS. VETTIA.
MAGNA. ET. FILIA.
FECERVNT.

32.

M. * MARI.
PRIMIGENI.

Duorum circiter pedum altitudinis terra egeſta, primò, Cippi; ſecundò, lapides tam litterales, quàm rudes, tertiò, ipſa conditoria, trinis, binis, vel ſingulis ollis repleta, comparuere: nullam vacuam, plures ad ſummum vſque, oſſibus & cinere fruſtulentas reperi.

Extabant & in mediis agris, lapidum, ſeu litterarum fragmenta. Forte vt Siculus Flaccus, lib. de conditione agrorum, cenſuit. Sepulchra in locis ſaxuoſis, & ſterilibus, etiam in mediis poſſeſſionibus fecerunt. In his exſcripſi notata num. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.

Formam loci religioſi, cæmenta terra mixta, notanter deſignabant: hinc olim ſepimentis munitum fuiſſe coniicio. Macer. l. 17. p. 10. *libri primi ad legem viciſimam hereditariam. D. de Religioſis & ſumptibus funerum, Monumentum autem ſepulchri, id eſſe, Diuus Hadrianus reſcripſit, quod monumenti cauſa muniendi eius loci, factum ſit. Et quia præter album & ſubruſum, ordinaria glebæ colorem, fruſta munimentum deſignantia aſpexi, intra quæ, etiam ſepulchris, & ollis inania loca notaui, maximè in ſignatis, B. C. D. H. Vlpianum I. C. conſului, qui l. 73. Æde ſacrâ. p. 10. D. de contrahenda empt. de locis puris me admonuit. Intra materiam* (inquit) *ſepulchrorum, hortis, vel certis culturis, loca pura ſeruata, ſi nihil venditor nominatim excepit, ad emptorem pertinent.*

Trigeſimi ſecundi numeri, area, inter ollas vnica & ſola, ſi ſaculi ſequioris non eſt, ſaltem ex alterutrâ Marciani diſtinctione. Legis 39. D. de reliq. & ſumpt. funerum ſeqq. verbis eò collocata præſumitur. Videtur autem (inquit textus) *terrâ conditum, & ſi in arculâ conditum hoc animo ſit, vt non alibi transferatur. Sed arculam ipſam ſi res exigat, in locum commodiorem licere transferre, non eſt denegandum.*

De Antulla.

XCIV. CXVII.

Hoc nemus æterno cinerum ſacrauit honore
Fænius, & culti iugera pauca ſoli.
Hoc tegitur cito rapta ſuis Antulla ſepulcro,
Hoc erit Antullæ miſtus vterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo ne ſperet agellum:
Perpetuo dominis ſeruiet ille ſuis.

Eiuſdem Antullæ epitaphium, vnaque parentum, quem morem & hodiè familiæ ſeruant, vt commune conditorium curent. Epigramma plenum antiqui iuris eſt, vt mox intelliges.

HOC NEMVS] Sepulcris lucos ſacros, & nemora addebant religionis cauſsâ, quæ violare nefas erat, Seruius ad 5. Æneid. Et lucos latè. *Nemus hoc loco pro luco ponit. Lucus ſacer erat vel numini, vel homini ſepulto.* Tacitus veteres Germanos præter nemora & lucos templa nulla ſcribit habuiſſe. ÆTERNO HONORE] Sepulcrum Fænij & Antullæ *H. M. H. N. S.* Inſcriptum fuiſſe reor tumulum Antullæ his litteris de more. *H. S. H. N. S.* Hoc ſepulcrum hæredes non ſequetur. Ita vt vendi non poſſet

Domitius mallet legere ad Pilam. nihil tamen mutat. Perottus ad Pyrum dici putat, vti ad malum Punicum, ad Gallinas ob arbores ibi satas, vel pictas. Crediderim insigne ædium fuisse pyrum, vt aquila cælata Pedonis insigne erat. Aut prorsus locum in 7. Regione certum hoc nomine insignitum, vt malum Punicum Reg. 6. vbi natus Domitianus. ET SCALIS HABITO TRIBVS SED ALTIS] Paullo supra ad Gallum, monui tenuiores sub tectis & prope tegulis habitasse, vt Iuuenalis de Codro, Suetonius de Orbilio testantur. Martialis de seipso. *Et mea Vipsanas spectant cænacula laurus.* Turneb. l. 13.

ARGI NEMPE SVBIRE SOLES LETVM] In 11. Regione tabernæ librariæ erant ad Argiletum locum vrbis, sic ab Argi letho nominatum, vt fuse supra epig. 4. *Argiletanas mauis habitare tabernas.* CONTRA CÆSARIS FORVM] E regione fori Cæsariani. Forum Cæsaris Iulium intelligit, non Romanum seu vetus, non Augusti aut Neruæ. Iulius Cæsar nondum dictator, sed proconsul Galliæ aream ad forum illud suum parandum emit HS. millies, hoc est, binis millionibus & semis Philippæorum. De foris hisce plenius ad illum versum Martialis.

Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

SCRIPTIS POSTIBVS] Foribus tabernæ auctorum nomina figebantur, vt sciret lector, qui libri venales essent. figebantur & ad pilas seu columnas, ad quas bibliopolæ suas tabernas ædificabant, vt Venusinus docet. Sat. 4. lib. 1.

Nulla taberna meos habeat, nec pila libellos

Et de art. poet.

——mediocribus esse poetis

Non Dij, non homines, non concessere columnæ.

NE ROGES ATRECTVM] Bibliopolæ nomen, vt Tryphonis, Pollij, Aucti, &c. Ne sit opus rogare & interrogare, vbi degat Atrectus: simul bibliopolium inspicies in Argileto, Atrectus petenti tibi Martialem statim è bibliotheca sua proferet DE PRIMO ALTEROVE NIDO] Nidos Vopiscus vocat armaria. *Bibliotheca*, inquit, *Vlpia elephantinis pugillares in sexto armario sitis.* Fuere igitur Foruli & capsæ certo ordine & situ collocata; vnde primo, imo seu altero de nido, id est, de armario primo vel extremo, vel medio, &c. RASVM PVMICE PVRPVRAQVE CVLTVM] Vt poliuerint frontes librorum, voluminaque ornarint purpura & vmbilicis d. supra epig. 67.

Sed pumicata fronte si quis est nondum,

Nec vmbilicis cultus atq; membrana.

DENARIIS TRIBVS TIBI QVIN] Semiphilippico, si denarium pro drachma seu 8. cruciferis accipias, vt primum acceptus est. si Martialis æuum spectes, quinque denarij sex drachmas efficient, id est, 48. cruciferos; tum enim denarius duodecim assibus æstimabatur, cum prius tantum decem valeret. Lipsium do testem lib. 1. El. cap. 2. & lib. 1. ad Tacitum. Dicitur denarius à denis assibus, cui apud Græcos perpetuo respondebat drachma, apud Italos hodie Iulius, apud Germanos octo cruciferi seu duo victoriati, quos bazios vocamus. Fuit denarius diurnum militum & operarum stipendium apud Romanos; sequius apud Græcos. Nam Demosthenes 1. philippica militi menstruum totum, tantum assignat vnum philippicum: equiti tres. Ita militis diurnum fuit sestertius, & tres quadrantes, cum vna tertia: equitis denarius. ducentis equitibus vno mense talentum dabatur. toto anno duodecim bis mille gregariis, quadraginta talenta, quatuor millibus LXXX. Annum ergo stipendium omnium LXXXXII. talenta. Id quod Demosthenes prima philippica docet, quem locum hactenus interpretes non exputarunt: nos hic παρέργως. Quin Solonis lege ὁπλῖται seu pedites sine stipendiis prius militare cogebantur. Primus Pericles ad populum de militum stipendiis legem tulit, vt Vlpianus ad Demosthenem docet. Vnde Thucydides in tertia historia prodidit. Periclis æuo, militi & ministro militis quotidie binas drachmas fuisse numeratas. legatur Sigonius lib. 4. de Repub. Atheniensium. c. 5. Porro denarij, quinarij & sestertij numi germanam formam ex ipsa moneta suis quamque notis insignem hic tibi spectandam propono, quam ex Ill. V. Marci Velseri bibliotheca depromptam accepi & incidi curaui. Sunt omnes numi argentei.

Denar. Denar.

Denar. Quinar.

Sestert. Sestert.



Q Tres

Tres cernis denarios quinarium ſeu victoriatum vnum, ſeſtertium numum itidem vnum. Primus denarius, cruce decuſſata denarij nota inſignis, ſecundus ſtellula notatus, tertius caret numero, quod non videbatur neceſſarium ſemper addere numerum in numino vulgo omnib⁹ noto. Quinarium ex V. ſeſtertiũ ex IIS. agnoſcis. TANTI NON ES AIS? SAPIS LVPERCE] Egon' te tanti emam? non ſum adeo demens. tu tanti non es Martialis, vt te ſeu librum tuum quinque denariis emam. SAPIS LVPERCE] Laudando irridet hominis auaritiam, & clam inſinuat, & ſe ſapere, cui tanti non ſit Lupercus auarus, quem ſuo libello donet. Idem fere dicit lib. 4. epig. 72.

Ad Cæcilianum.

CXXI XCVI.

Cui legiſſe, ſatis non eſt, epigrammata centum,
Nil illi ſatis eſt, Cæciliane mali.

Supra epig. 17. de ſuis epigrammatib. iudicium tulerat, eſſe quædam bona, alia mediocria, plura vero mala. Hic quaſi omnia ſint mala, iocatur, ac proinde ſatis mali in vno libro, ſi centum ſint epigrammata, qui numerus etiam in bonis poterat videri ſatis magnus. Nam ſi bona, multa *ſatis, ſi mala, multa nimis.*

Et magnus nimis liber, non poteſt eſſe optimus. Callimachus, inquit Athenæus. ὁ γραμματικὸς ἔλεγε. τὸ μέγα βίβλιον. ἶσον εἶν τῷ μεγάλῳ κακῷ, *magnum librum magno malo ſimilem.* Martialis ergo quaſi hoc dicit. Fateor epigrammata mea eſſe mala, ſufficiunt ergo centum, qui plura deſiderat, mali plus deſiderat. Catullus de Fuſeno peſſimo poeta.

Idemq; longe plurimos facit verſus.

Propria, inquit Muretus, *ac pene perpetua malorum poetarum nota.* vt quidam de Mantuano ſentiunt. Et Horatius de Lucilio Sat. 4. lib. 1. Sed ne & ego in breuium epigrammatum enarratione, longior ſim, verbum non amplius addam, niſi illud noſtri de noſtro.

Eſſe tibi tanta cautus breuitate videris,
Heu mihi quam multis, ſic quoque longus eris?

MATTHÆI

MATTHÆI RADERI AD M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBRVM SECVNDVM Commentarius.

EPISTOLA.

*QVID nobis, inquis, cum epistola? parumne tibi præstamus, si legimus epigrammata? quid hic porro * dicturus es, quod non possis versibus dicere? Video, quare tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet. Epigrammata Curione non egent, & contenta sunt sua, id est, mala lingua. In quacunque pagina visum est, epistolam faciunt. Noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam. & * togam saltanti inducere persona. Denique, videas (videris, alij probant) an te delectet contra retiarium ferula. Ego inter illos sedeo, qui protinus reclamant. Puto me hercule, Deciane, verum dicis. Quid si scias, cum qua, & quam longa Epistola negotium fueris habiturus? Itaque, quod exigis, fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non lassi peruenient.*

** P.C daturus.*

** in toga saltantis inducere personã. al. saltantis.*

Ad Decianum V.C. è Stoicorum disciplina, poetæ familiarem & lib. superiore sæpius laudatum, est hoc epistolium, quo quasi mirantem facit poeta Decianum, cur epistolam epigrammatis ipse suis, cum ipsa epigrammata pro se loqui possint, & epistolæ vicem fungi, proscribat. Poeta velut immemor sui, admonitu Deciani abrumpit epistolam, longius alioqui, vt iocatur, progressurus. Fecit idem Statius in Siluis suis. Sunt in hac non pauca, quæ pertinent ad cognitionem antiquitatis. Singula ordine exponemus.

Decianus quis. (Curione non egent) Alieno nempe opera, cũ ipsa pro se loquantur.

VIDEO, QVARE TRAGŒDI EPISTOLAM ACCIPIANT.] Tragœdi se populo vel principi commendaturi, aut aliquid petituri, per epistolam id exequebantur, quam curio in theatro palam recitabat, ipsis loqui fas non erat, indigebant ergo curione seu præcone. Lectas autem epistolas, & alia docet Plinius lib. 4. epist. 7. *Scripsit publice vt è Curionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret eam populo.* Alii putant tragœdiæ præfationis loco præscriptam fuisse.

Tragœdorũ mos per epistolam aliquid petendi.

Curionis autem officium erat, omnia quæ in theatro aut in amphitheatro, vel principis mandato, vel magistratus iussu edictoue, vel alicuius postulato pronuncianda erant, proclamare, vti quasi præconem ageret theatralem Curio. cuius mentio est apud Eusebium Cæsariensem * interprete Ruffino, quem ministrum ille theatralem appellat, hic curionem nominat, qui ad populum iubente magistratu vel prætore aliquid vulgat aut pronunciat. Vocat & Trebellius Pollio Curionem in Gallienis. Nam, inquit, *cum taurum ingentem in arenam misisset, exissetque ad eum feriendum venator, neque productum decies potuisset occidere, coronam venatori misit: mussantibusque cunctis, quid rei esset, quod homo ineptissimus coronaretur, ille per curionem dici iussit; taurum toties non ferire difficile est.* Et idem, *mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici iussit, Imposturam fecit & passus est.* Merulam & Turnebum lege. Chalderinus d Tragœdorum prophasin & Comœdorum prologum epistolam & curionem satis imperite refert. Quæ alioqui notio curionis, hoc loco supersedeo dicere. SVA, id est, MALA LINGVA] libera & mordaci. TOGAM SALTANTI PERSONÆ INDVCERE] vulgata hæc scriptura. Adagiographus legit, *in toga saltantis personam inducere*, alii malunt legere: in toga saltanti personam inducere. Est quippiam facere indecorum, vt si monachus saltet, senex ineptiat. Toga enim ciuium Romanorum erat, & honoris causa sumebatur. In ludis scenicis omnes personas pantomimus saltu & gestu exprimebat. *Mimicæ autem personæ facies & habitus è foro, angiportis & tabernis afferebant cauponis coqui productoris, sycophantæ, militis, meretriculæ, conciliatricis, cursoris ebrij stolidi insani, pistoris, pedegogi, surdi, caci, fartoris, circulatoris, impostoris, ariolatoris & eiusmodi.* D. Cyprianus lib. de spect. etiam nudos ait saltatores esse productos. Alii togam tralate dictam putant, & pro epistola vel soluta oratione accipiendam, personam autem saltantem interpretantur epigrammata vel poemata, quæ in

Curionis officium idem fere quod præconis in theatro.

** 4 Eccl. hist. Ios. Scaligerum ad Festum vide, voce Curiales Chil. 2. Cẽt. 5. adag. 18.*

Saltantis persona.

De saltatoribus seu mimis eruditissime Lucian. περὶ ὀρχήσεως.

culu

Iul. Scal. lib. 1. poet. cultu ſcenico ſaltabantur. Dixeris, inquit Ramireſius, in prætextis & togatis fabulis togas fuiſſe, & apud C. Plinium c.48. lib.7. Stephanionem eſſe, qui primus togatus ſaltare inſtituit, &c. Sane. Sed togæ illæ dictæ impropriè, quæ togę illæ mimicæ, conſuti ex panniculis verſicoloriis centones. Scenicæ nempe veſtes ἐκ ῥακῶν πάνυ εὐτελῶν συγκεκομμένων: ex vilibus admodum pannis conciſæ. Scripſerat forte Lucianus συγκεκοτεμμένας, id eſt, conſutæ. Noluere Quirites togam ſuam, quæ nota propria ciuitatis, actionibus ſcenicis dehoneſtari. Muſamb. Perſona non à perſonando, vt Gellius exiſtimauit, ſed à priſco habitu, qui περὶ σῶμα ludionibus erat vt Scaliger notauit, dicta eſt. De perſonarum origine Delrium vide in Proleg. ad Senecam c.8. CONTRA RETIARIVM FERVLA.] Vero Lipſius tortuoſum hunc locum affirmat, nec mea ſententia adhuc ſatis euolutum & explicatum: ferulam, rudem exponunt; retiarium pro tridente accipiunt. Adagiographus. *An, inquit, id faciendum putes, quod nemo non damnet atq; exſibilet?* Calderinus prouerbium in eos dici ſolitum docet, qui infirmo præſidio contra maxime inſtructum pugnabant. ſic contra obtrectatores Martialis epiſtola ſe defenſurus erat, qua parum poterat, plus epigrammate valiturus. Turnebus ad nouos auctoratos alluſum putat, cum illud Senecæ ex Apocolocyntoſi exponit, *Et proximo munere inter nouos auctoratos ferulis vapulare placet. Nouos auctoratos hic dicit, qui nuper mercede conducti ſunt, vt depugnent, qui pro auſpicio ferulis vapulabant, cum ipſi ferro carerent, & alij gladiatores per ludibrium ferulis eos caderent, vt pueros ludimagiſtri. Nam aduerſus eum, qui ferrum habuiſſet, cuius temeritatis eſſet ferulâ batuere?* Hinc ſcripſit Martialis. Denique videas, an te, &c. Hæc Turnebus. Ergo ſenſus eſt, operam ludes poeta, ſi te epiſtolâ contra Zoilos defendes, ego primus reclamo & diſuadeo. An illud Gellianum huc facit ξύλον ἐπισείειν baculum mouere in aliquem? non autumo, quamuis Adagiographus arbitretur. De ferula nos lib. 14. 80. Alii aliud docent non tam re quam verbis. Epiſtolam comparant ferulæ, obtrectatores retiariis. Vt ergo Myrmillo antagoniſta retiarii, parum proficeret ferulâ, ita Martialis parum epiſtolâ, vt ergo ſpectatores reclamarent ſtatim, ſi hi duo ita componerentur, ita ego reclamo tibi Martialis epiſtola te defendenti; & tanto magis inquit Martialis, reclamares, ſi noſſes cogitaſſe me de bene longa epiſtola, quæ tantiſper ſatisfaciet, quoad meliora occurrant.

Perſona vnde dicta. Lib. 2. poet. c. 15. Lib. 1. Sat. c. 15. Ferula & rudis eadem hoc loco. Lib. 18. c. 13. Noui auctorati. Ferulis vapulare ge=bricht werden. Senſus poeta. Lib. 1. c. 7.

Ad librum ſuum.

I. I.

Ter centena quidem poteras epigrammata ferre.
*Sed quis te ferret * perlegeretq; liber?*
At nunc, ſuccincti quæ ſunt bona, diſce, libelli.
Hoc primum eſt, breuior quod mihi charta perit.
Deinde quod hæc vna peragit librarius hora,
Nec tantum nugis ſeruiet iſte meis.
Tertia res hæc eſt, quod ſi cui forte legeris;
Sis licet vſq; malus, non odioſus eris.
*Te conuiua leget miſto * quincunce: ſed ante,*
Incipiat poſitus quam tepuiſſe calix.
Eſſe tibi tanta cautus breuitate videris.
Heu mihi, quam multis ſic quoq; longus eris?

** perlegeretur.*

** Quincunx, quinq; cyathi.*

Argumentum libri eſt ſine certo argumento. Hoc epigrammate enumerat commoda breuioris libri, & tempus eius legendi præſcribit. TER CENTENA.] Nullam habet legem liber epigrammatum; epigrammata capit centum, ducenta ſexcenta. Quod vel in Anthologia obſerues, quam eo nomine adhuc nemo reprehendit. Scio Tragicis aliam eſſe legem, quibus certi ſunt à ſcriptoribus definiti actus. SED QVIS TE FERRET PERLEGERETQVE LIBER] duplex intellectus (τὸ ferret) graue eſſes onus geſtanti, & moleſtus ob longitudinem legenti, Ita alter ad corpus, ad animum alter refertur. Horatius lib. epiſtolarum 1.2.13.

Liber epigrammatū ſine lege numeri epigrammatum.

Si te forte meæ grauis vret ſarcina chartæ.
Abijcito ——

Cicero tamen interrogatus, quæ oratio Demoſthenis eſſet optima, reſpondit longiſſima. De eadem re Plinius in epiſtolis. AT NVNC SVCCINCTI.] Audiſti incommoda magni & longi voluminis; accipe nunc commoda breuis. HOC PRIMVM EST BREVIOR.] Qui illepida inuenuſtaq; ſcribunt carmina, dicuntur perdere chartas. Martialis lib. 6. epig. 64.

Breuis libelli commoda Chartas perdere.

Audes præterea, quos nullus nouerit, in me

Scribere

Scribere versiculos, miseras & perdere chartas. —*vbi quid datur oti,*
Illudo chartis, hoc est, mediocribus illis *Ex vitiis vnum* —

Lib. 1. plura de his. Ergo primum commodum breuis libri, minor iactura chartæ. hoc ioco-sè. DEINDE QVOD HÆC.] Alterum, breuis liber breui tempore describitur. LIBRARIVS] dicebatur, qui libros transcribebat, idem amanuensis. NEC TANTVM NVGIS.] De nugis & ineptiis iam supra dictum. Occupabitur melioribus libris describendis. hoc modeste. TERTIA RES HÆC EST] Tertium vt breui tempore à lectore sine molestia percurratur; euoluto enim libro, veluti quodam penso absoluto gaudemus. Diogenes cum diutissime legens, tandem eo venisset vt videret chartam vacuam: *bono*, inquit, *animo estote viri, terram video.* Apophthegmata. TE CONVIVA LEGET.] Tempus libri sui legendi monet esse tum, cum feruet potandi studium, id est, cum hilari sunt conuiuæ. Atque hanc esse mentem Poetæ, ipse docet Poeta ad Plinium.

Hæc hora est tua, dum furit Lyeus,
Dum regnat rosa, dum madent capilli
Tunc me vel rigidi legant Catones.

MISTO QVINCVNCE] vino aqua calida diluto. Antiquitus enim aqua calida ad potum, & delicias fuit. De quicunce libro 1. copiose, & cum cura disseruimus. Continet quinque cyathos hoc poculi genus. (Sed antequam incipiat positus calix tepere.) Ante legatur liber meus in ipso feruore vini & calore: antequam frigescat & gelet: gemina vis latet sub hoc verbo tepuisse vel enim vt verba iacent, intelligitur, id est, antequam frigeat vinum calida mistum, vel antequam remittatur certamen potandi, & hilaritas conuiuarum. De more bibendi, & miscendi calidam, & frigidam lege lib. 1. c. 4. Electorum Lipsii, qui disertissime, & planissime de hac re disputat. ESSE TIBI TANTA.] Videris inuitasse lectorem, & cepisse pollicitatione hac breuitatis, velut illicio quodam, Sed, HEV MIHI QVAM MVLTIS.] Non tamen omnium vitabis reprehensionem, & fastidium. sunt Romani proceres fastidiosissimi, & mella iuxta ac fella nauseant. Ita mox infra. *lectu vix tibi paginis duabus. Spectas ἐσχατοκόλλιον Seuere, Et longas trahis oscitationes.*

Vinum Simia qua dilutdi. Lib. 1. 12. plura. Quincunx.

Videtur veterum bibendi morem vt Herulanus notauit, reflexisse, ἢ πῖθι, ἢ πέντε, ἢ μὴ τέσσαρα.

Ad * Cæsarem Domitianum.

II.

** Germanicum Cæsarem P. C.*

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodq; Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos:
*Quæ datur ex * Dacis Laurea, tota tua est.*

** Cattis al. & rectius.*

CRETA DEDIT MAGNVM.] Domitianus duplicem triumphum egit de Cattis & Dacis, vt Suetonius cap. 6. scribit his verbis: *De Cattis Dacisq; post varia prælia duplicem triumphum egit.* Idem Eutropius lib 7. extremo Xiphil. idem insinuat. Martialis hunc triumphum Domitiani cum Metelli & Scipionis, ac patris cum fratre triumphis componit & hunc illis præponit. Creta dedit magnum nomen L. Metello Cretico qui triumphauit D. Silano, & L. Murena Coss. vt Eutropius testatur Vicit Cretenses. A. V. C. DC. XXCVII. *& crudeliter victoriâ exercuit, nec quicquam amplius de tam famosa victoria, quam Cretici cognomen reportauit.* Florus de triumpho etiã Velleius & Dio & Ouid. Fastor. MAIVS DEDIT AFRICA NOMEN.] Scipioni Africano, vt ipsemet in sequenti versu declarat. Res gestæ à Scipione Africano maiore, notiores sunt quam vt expositione indigeant. Africani cognomen militaris prius fauor, an popularis aura celebrauerit, an sicuti Felicis Sullæ, Magniq; Pompei cœptum ab assentatione familiari sit, haud pro comperto habetur. Primus tamen hic Imperator nomine victæ à se gentis est nobilitatus. Cicero, Liuius, Polybius, Florus, Eutropius, Zonaras, Salustius. Appianus. De hoc Ennii extant epitaphia:

Duplex Domitiani triumphus.

Metellus Creticus. Scipio Africanus maior.

Sulla Felix. Pompeius Magnus. Scipione ex Ennio epitaphium.

Hic est ille situs, quoi nemo ciui nec hostis
Quibit pro factis reddere opera pretium.
Aliud eiusdem.
A Sole exoriente supra Mæotidi paludes
Nemo est qui factis me æquiparare queat.
Si fas endo plagas cœlestum scandere quoiquam;
Mi soli cœli maxuma porta patet.

SCIPIO QVOD VICTOR.] Iam intelligitur ex superiori versu explicato. NOBILIVS DOMITO TRIBVIT.] Germanicus Cæsar Drusi filius primus hoc nomen meruit, non quod in Germania obierit, sed Germanos domuerit. *Hoc loco ne te fallat Raderus* (inquit Ramiresius) *more suo falsus, cum*

Germanici cognomen quis primus meruerit.

Domitianus cur Germanicus dictus sis, cum existimet Germanicum Cæsarem, qui fraude Pisonis interiit, esse primum cui Germanici nomen obtigit? Non enim is fuit sed eius pater Drusus, & Pater ex lectione lib. 1. Annal. Taciti. Imo ne tu Ramiresi lectorem falle tua ἀναισχυντία. Ego de lecytho, tu de strophio. ego de viuis, tu de mortuis tractas. Druso patri Germanici, Augusti priuigno, mortuo demum, Germanici nomen decretum in senatu; Germanico autem viuo, & vna cum patre. Ita vt viuus, quemadmodum Scipiones Africani & Asiatici, Metelli, Cretici, Cæsares, Parthici, Getici, Dacici, &c. appellaretur. Dionis historiam attigisses, Florum inspexisses, Albinouani consolationem ad Liuiam, non teipsum prius accusandum, quam alios reprehensurum illes, & hunc honorem mortuo patri primum, filio dein habitum mecum cognouisses. De Germanico ego scripsi, qui hanc appellationem dum viueret obtinuit, & viuus hanc, & primus accepit. Drusus viuus nunquam audiuit Germanicus. Mortuis principibus multi alii honorum ac nominum tituli impertiti. vt Diui, &c. appellarentur. Germanicus verò Cæsar hoc nomen habuit proprium & Germanos vicit & triumphauit, à quo SECVNDVM se GERMANICVM dixit Domitianus, quod & ipse victoriam è Germanis reportasset, à quibus & Germani us appellatus, & mensem Septembrem *Germanicum* appellari iussit. Quod autem SECVNDVS GERMANICVS fuerit dictus docet inscriptio: * T. FLAVIO. T. F. GERMANO. CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI. GERMANICI. SECVNDI. IMP. CÆSARIS. DIVI F. DOMITIANI. AVGVSTI. EXORNATO. SACERDOTI. SPLENDISS. PONTIF. MINOR. Non interim inficias imus Caligulam, Claudium, Neronem & sequentes Imperatores idem Germanici nomen tulisse, sed non ex victoriis in Germania de Germanis partis vt primi duo Germanici pater & filius, & Secundus Domitianus. Domitianus idem sibi nomen adsciuit, nam puer, seu iuuenis cum Antonio & Muriano Batauos repressit. Batauí autem seu Holandi inferioris Germaniæ populi sunt, & ad Rhenum habitant. Tacitus, Cæsar, Iunius. Legendum igitur Cattis, non Dacis, Rhenus enim Cattos & Batauos, non Dacos alluit. ET PVER HOC DIGNVS.] De Germaniæ non necessaria expeditione Domitiani iuuenis habes apud Tranquillum cap. 2. in Domitiano lege lib. 4. Histor. Taciti ad finem. pe eadem re no. alibi. Nam puer, seu iuuenis in Germania fuit, & in Gallia, ibique affectauit imperium patre adhuc viuente, vbi expertus est suam iuuentam à senioribus contemni. Nomen tamen Germanici primum post geminos actos triumphos assumpsit. Suetonius. FRATER IDVMÆOS MERVIT.] Eutropius libro 7. *Hic (Vespasianus) cum Tito filio de Hierosolymis triumphauit.* Sueton. 17. Tito: cap. 6. *Triumphauit Censuramq; gessit vna cum patre.* Et in Domitiano cap. 2. *ac triumphum vtriusq; Iudaicum equo albo comitatus est.* Triumphum vero actum, & excidium Hierosolymitanum præter multos alios egregiè describit Iosephus Iudæus, quem leges. FRATER] Titus. Idumæos Iudaicos. Idume pars Iudeæ, ab Occidente Iordanem spectans quæ Genes. 32. Εδώμ appellatur, eadem Gobolitis, & Amalechitis Iosepho teste, dicta. Stephanus γεμολίτας, Nabathæos Strabo vocat. Bidumos hodie incolas nominant. CVM PATRE] Vespasiano, qui bellum Iudaicum inchoauit. Iosephum cepit. QVÆ DATVR EX * DACIS.] Tu solus Dacos vicist, solus igitur triumphas, non indigebas aut patre vel fratre ad victoriam comparandam. Sed lege quid de Dacico bellico scribat Dio, seu Xiphilinus, & Theodosius ex Dione. *At Domitianus*, inquit, *ducto in eos exercitu, quamquam ipse bellum nulla ex parte attigit (erat n. non solū impatiens laboris corporis, sed etiam animo timido & imbelli, petulans q; & libidinosus, &c.) tamen missis ducibus ad bellum gerendum, ac magna parte militum turpiter amissa, vt victor Romam litteras misit.* In eodem prælio cecidit Cornelius Fuscus præfectus cohortium, de quo Iuuenalis, & alibi Martialis. Sed scribendum potius ex Cattis, vt supra monui. DATVR] lege Heraldi animaduersiones ad hunc locum, ex Lipsio epistol. quæstio. lib. 1. epistol. 5. LAVREA] pro triumpho hîc ponitur, laureati enim triumphabant. De laurea in Iouis gremio deposita & nos infra & hic copiose Heraldus.

** Apud Panuinium Romæ.*

Titus Hierosolymorum victor. Triumphus Titi & Vespas. Generatim totam triumphi pompam oculis subiicit Panuinius tabulæ picta libro de triumpho

** Transsiluani Daci sunt hodie.*

Domitianus Veneri quā Marti aptior.

Ad Sextum.

V. IV.

Sexte nihil debes, nil debes Sexte, fatemur.
Debet enim, si quis soluere Sexte potest.

Mendicitatem Sexto obiicit. NIHIL DEBES] felicitatem & fortunas Sexti laudare simulat, cum inopiam eius rideet, felix enim, qui nil debet, nec quisquam infelicior obærato. SOLVERE POTEST] qui soluendo non est, nihil debet. Vide carmen in Linum lib. 1. notum est Iurisconsultorum dictum. *Inopia debitoris excludit omnem actionem, quod nil auferri possit ab eo, qui non habeat.*

Iurisf. dictum N de dolo malo l. nam is, & habeat de furtis cot.

Ad Decianum.

IV. *V.*

Ne valeam, *ſi non totis Deciane diebus,*
Et tecum totis noctibus eſſe velim.
Sed duo ſunt, quæ nos, diſtinguunt, millia paßûm.
Quatuor hæc fiunt, cum rediturus eam.
*Sæpe domi non es: cum ſis quoq; * ſæpe, negaris:*
Vel tantum cauſis, vel tibi ſæpe vacas.
Te tamen vt videam, duo millia non piget ire:
Vt te non videam, quatuor ire piget.

* *ſæpe negarus.*

Vſum quotidianæ cum Deciano vitæ, & coniunctionem impediri locorum intercapedinē dicit. Cupio ſanè, inquit, tecum æuum conſumere, nec à latere tuo vnquam diſcedere. NE VALEAM] iurandi formula, vt illæ, diſperеam, peream, ne viuam, ne ſaluus ſim. moriar niſi. Briſſonius fusè lib.8. Contraria huic obteſtandi: ſic valeam, ſic viuam, &c. Naſicæ iocus ex Cicerone. ſed DVO SVNT QVÆ NOS.] Aſſiduus adeſſe tibi nequeo propter iter duûm millium paſſuum, quæ geminantur, cum redeo abs te, & fiunt quatuor millia. Vnde colligis in vrbe diſiunctiſſimas ædes Deciani à Pila Tiburtina fuiſſe. Nec enim puto Decianum extra vrbem habitaſſe. SÆPE DOMI NON ES.] Nec refugerem laborem, & moleſtiam itineris, ni fruſtra ſubirem. Eſt, cum te domi tuæ non offendo, eſt, cum offendo, & congreſſu prohibeor. NEGARIS] eſſe domi Elegans eſt iocus Naſicæ apud Ciceronem in ſecundo de Orato. *Hic enim cum ad poetam Ennium veniſſet, eique ab oſtio quærenti Ennium ancilla dixiſſet, domi non eſſe. Naſica ſenſit.* (Der Herr ſagt/er ſey nicht daheym) *illam Domini iuſſu dixiſſe & illum intus eſſe: paucis poſt diebus cum ad Naſicam veniſſet Ennius, & cum à ianua quæreret, exclamat Naſica ſe domi non eſſe: tum Ennius, Quid? ego non cognoſco vocem, inquit, tuam? Hic Naſica, Homo es impudens: ego cum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi?* VEL TANTVM.] Ergo Cauſſidicus Decianus. TIBI VACAS] valetudini, aut balneis, curæ cutis. TE TAMEN] Bella & arguta concluſio à contrariis, quaſi ad Decianum, tam longo itinere iret, vt eum ne videret.

Ad Seuerum.

V. *VI.*

I nunc, *edere me iube libellos*
Lectis vix tibi paginis duabus.
*Spectas * ἰσχατοκώλιον Seuere,*
Et longas trahis oſcitationes.
Hæc ſunt, quæ relegente me ſolebas
*Rapta * ſcribere, ſed Vitellianis.*
Hæc ſunt ſingula, quæ ſinu ferebas
Per conuiuia cuncta, per theatra.
Hæc ſunt, aut meliora, ſi qua neſcis.
Quid prodeſt mihi tam macer libellus,
Nullo craßior vt ſit vmbilico,
Si totus tibi triduo legatur?
** Nunquam deliciæ ſupiniores.*
Laſſus tam cito deficis viator.
Et cum currere debeas Bouillas,
*Interiungere * quæris ad Camœnas.*
I nunc, *edere me iube libellos.*

* ἰσχατοκώλιον τὸ ἐν ἰσχάτῳ κώλῳ γεχαραγμένον

* *rapta in ſcribere lego cum Leuino Torrentio. al. Raptim ſcribere C.P. Rapta ſcribere.*

* *Nuſquam recte leges.*

* *Interiungere legendum lib. 3. interiungit equos.*

I NVNC.] Contra delicatum, & oscitantem lectorem. Ironia est, (de qua libr. 1. plura diximus) sæpe insultantis. SEVERE] qui solebas meas esse aliquid putare nugas, & laudare, iubereque, vt eas in litteras mitterem & lucem. En quam præclare mecum agatur, parui tuis monitis, editi, at nunc LECTIS VIX TIBI.] Tute ipse vix inspecto libro, vnoq; & altero epigrammate, aut pagina lecta, spectas finem. SPECTAS ἐσχατοκόλλιον SEVERE.] An fuit Catilius Seuerus ad quem epistola Plinii est lib. 1. 22. ἐσχατοκόλλιον. imum chartæ appellatur. sic fastigia πρωτόκολλον. Tibullus lib. 3. eleg. 1.

—— tenuis fastigia charta.

ἐσχατοκόλλιον quid. πρωτόκολλον. De his li. 14. ἐσχατοκόλλιον. κῶλα charta. μακρόκολλα. σωμάτια. Oscitatio molestia vel otii vel somnolentia signũ. Plutarchum lege περὶ τοῦ ἀκούειν. Gellium li. 8. c. 3. & lib. 4. c. 20. de quodam oscitationem a censoribus notato.

Πρωτόκολλον intelligit inquit Scaliger. sicut imam chartæ ἐσχατόκωλον, spectas ἐσχατοκώλιον, Seuere. Perperam legitur hodie ἐσχατοκωλικόν, siue ἐσχατοκολλικόν. Legendum est autem cum Scaligero in Tibullum ἐσχατοκώλιον. In charta κῶλα, sunt partes adglutinatæ, quas scapos vocabant. Vnde regiæ chartæ μακρόκωλα vocabantur ab amplitudine. Ab eo membranæ pelles, καὶ διφθέραι, quia vnum tantum κῶλον habent, nec adglutinantur, vt chartæ. Propterea vocantur σωμάτια à Græcis, nimirum quia vnum corpusculum sunt, & non plura membra, vt chartæ. Accipe igitur pro ἐσχατοκωλίῳ, vltimam libri partem. ET LONGAS TRAHIS] signa fastidii edis; oscitari enim, seu oscitare est vel ob somnolentiam, vel lassitudinem, vel otium ipsum, & fastidium ora repandere, apud Plautum Menech. *pandiculans oscitatur toto corpore extenditur biante ore.* Hic captæ ex lectione molestiæ argumentum est, vt lib. 6. epist. 61. *Ecce rubet quidam pallet stupet oscitat, edit.* In elegantes homines oscitant. HÆC SVNT QVÆ.] Miratur Seuerum tam cito fatigatum lectione epigrammatum suorum, quæ tamen, cum primum legerentur, ab ipso Martiali raptim excipiebat pugillaribus. VITELLIANIS] quibus amatoria excipiebantur, significat hunc librum secundum esse obscœnum. De Vitell. lib. 14. epist. 8.

Nondum legerit hos licet puella,
Nouit, quid cupiant Vitelliani.

Pugillares Vitelliani amatorii, deinde etiam nummos poscebant. Videntur autem Vitelliani elegantes fuisse, vt nos elegantissimus Velserus admonuit; vult enim poeta scripta sua carmina, & excepta honoris causa à Seuero eleganti charta, quod faciebant proceres Romani, cum sua carmina etiam citreis pugillaribus inscriberent vt Persius est auctor, Sat. 1. plura his lib. 14. quanquam lectos citreos, non pugillares loqui videatur Persius. HÆC SVNT SING.] In conuiuiis lectitabant carmina, quod passim ex Horatio Persio, Catullo, Martiale constat. Et nos supra lib. 1. docuimus. PER THEATRA] in quibus recitabantur, & canebantur carmina, vt Ouid. de suis cum abesset scribit cantata fuisse. MELIORA] quæ hoc libro continentur, & tibi inaudita, nec enim omnia recitaui. scripsisti quædam à me recitata, nec audisti omnia, quæ postea composui. QVID PRODEST MIHI] macer, tenuis, breuis. Facile intercidunt tam curti libelli, vt supra lib. 1. epist. 46. dixerat:

Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potius τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

NVLLO CRASSIOR.] Vmbilicus hic accipitur pro vniuerso libro, vt pars pro toto, aliàs pro fine libri. Horat Epod. Od. 14.

Deus Deus nam me vetat
Inceptos olim promissum carmen Iambos
Ad vmbilicum adducere.

Martial. lib. 4. *Ohe iam satis est, ohe libelle.*
Iam peruenimus vsq; ad vmbilicos.

Aliàs accipitur pro ornamentis librorum, vt lib. 1. diximus, & Catullus ad Varum.

Noui vmbilici, lora rubra membrana
Derecta plumbo, & pumice omnia æquata.

Vmbilici forma & descriptio.

Ex ebore, ligno, auro, osse fiebant, vt Porphyrio & Lucianus docent, ad imitationem humani in ventre vmbilici, ad quorum similitudinem illi vmbilici Ciceronis, & Valerii Maximi de honesto otio dicti videntur. Aliàs vmbilicus pro eo, quod medium in quapiam re dicitur apud Plautum in Menech. dies ad vmbilicum iam est, id est, meridies. Sic Reate Italiæ vmbilicus, &c. ducere aphoram ad vmbilicum apud Horatium est mediam exhaurire SI TOTVS TIBI.] Quid hoc rei? non legat centum epigrammata, aut mille etiam toto triduo? ille ne maior libellus, qui triduo absoluitur? Non hoc dicit Martialis, quod triduum sit insumendum in lectione huius vnius paucorum epigrammatum libelli, sed moleste fert, vix totum toto triduo relegi, cum vna alteraue hora possit. Quid, inquit, prodest breuitas, si breuissimo etiam libello triduum insumas? Scriuerius hunc versum putat legi posse hoc modo. *Si totus triduo tibi legatur.*

Atqui *triduo* primam tendit. atq; ita claudicabit Phaleucus. *Malim hic nusquam, quam nunquam.* quamuis *quatriduum* subinde alteram rapiat. sed in triduo non memini. NVNQVAM DELICIÆ] maiores. fastidia grauiora lib. 1. epist. 4.

Nescis, heu nescis dominæ fastidia Romæ,
Maiores nusquam ronchi ——

Iuuenal. Sat. 1. *Et multum referens de Mæcenate supino.*

Et noster infra. *Quod nec carmine glorior supino.*

Delicis

Delicias vocat hîc oscitationes. LASSVS TAM CITO.] Vix ingressus viam consides, vix vna alterave pagina lecta fastidis. ET CVM CVRRERE.] Nec Bouillæ procul ab vrbe, & propius absunt adhuc Camœnæ. Quibus docet librum suum esse breuem, nec tamen ab oscitante lectore vno decursu perlegi. Sed hæreri in itinere. BOVILLA] Bouillæ dictæ sunt à boum multitudine, quasi boum villa, mendicorum statio, ibi enim stipem colligebant. Vicus olim Latii pauper, via Appia, * ad quem Pædiano teste occisus est à Milone Clodius. facit huius mentionem Persius 6. Satyr.

Bouilla vnde dicta.

** ad sacrarium bona Dea.*

Clodius vbi occisus.

—— & credo Bouillas
Cliuumq; ad Virbi.

Non sunt idem Bouillæ, & Boalia seu Boaulia, seu Baulli, quamuis à bubus dicti, de quibus Symmachus epist. 1. fuse.

INTERIVNGERE] Interiungere inquit Ioseph. Scaliger ad Propert. est deiungere equos, donec cibo recreati sunt. Abiungere, & deiungere, & abiugassere est plane soluere, vt peracto labore vesperi fieri solet. Interiungere sine controuersia legendum, vt lib. 3. c. 66.

Interiũgere.
Deiungere
Abiungere
Abiugassere.

—— & hora lassos
Interiungit equos meridiana.

Interiungere pausam interponere, interquiescere à curru ducta metaphora, in cuius rotas bacillus interiicitur, vt non circumuoluantur. Recentes Grammaticos alia docentes nihil moror. Deinde interiungo, id est, disiungo, vt lib. 3. *Tertio interiungo.* coniungo, interiungere dextras, Vergil. dixit, & alii. CAMŒNAS.] Templum Camœnarum est ad portam Trigeminam. Subsistere ad Camœnas. Camœnarum locus, & ædes extra portam Appiam à Fuluio Nobiliore condita fuit, vt idem auctor est Marlianus. Porta Capena olim Camœna dicta iuxta Camœnas est. Nunc porta S. Sebastiani in prima regione. Vide lege Marlianum lib. 1. c. 8. Panuinium de porta Capena, vel via Appia. l. NVNC EDERE] Ironia. cum tam male agatur cum libello meo, vt tam delicatus fastidiosusq; sit, vt exposuit, lector, quis eius causa frustra laborem suscipiat? Repetitiones primi & vltimi versus reperiuntur etiam apud Catullum, & ipsum Martialem. Cat. ad seipsum 58. & alios sæpè.

Templum Camœnarũ.

Porta S. Sebastiani.

Quid est Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli struma Nonius sedet,
Per consulatum peierat Vatinius
Quid est Catulle, quod moraris emori?

Ad Attalum.

VI. VII.

Declamas belle, causas agis Attale belle.
Historias bellas, carmina bella facis.
*Componis belle * mimos, epigrammata belle.*
Bellus Grammaticus, bellus es Astrologus.
Et belle cantas, & saltas Attale belle.
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
*Nil bene cum facias, facis * attamen omnia belle.*
Vis dicam, quid sis? magnus es ardelio.

** facis hæc tamen M.S. longe melius quam illud attamen.*

Ad hunc Attalum est epigram. lib. 1. 80. vbi illius πολυπραγμοσύνην carpit. Hic irridet arrogantiam & iactantiam eiusdem. Quia omnia affectabat & iactabat, & denique actum, hoc est, nihil agebat. DECLAMAS BELLE] notum discrimen inter declamatorem & Oratorem. Orator veras causas, declamator fictas agebat. Morem attende priscorum declamandi, cuius extant certi magistri. Extant Quintiliani declamationes, immo præcepta declamandi eiusque locus, vsus, necessitas, fructus. Lege cap. 10. libro 2. & cap. 5. eiusdem lib. & multis aliis locis. Declamarunt summi Oratores, Principes, Imperatores, domi, foris, in senatu, in theatro, & tabernaculis etiam &c. Nihil enim veteres iudicabant esse vtilius hac exercitatione declamandi. Accuratè multa de veterum declamandi vsu Wouerius ad Petronium, pag. 275. & 276. atque sequenti. CAVSAS AGIS] defendis & causas, nunc partes oratoris, nunc declamatoris suscipis. COMPONIS BELLE] Videtur legendum mimos, non numeros, ne idem bis, terue; quid enim est componere numeros quam carmina facere & epigrammata? Primum ergo genus posuit, carmina, deinde partes; comœdias componis, seu scenicas actiones & histrionicas. & epigrammata, quæ sunt distincta genera scriptionum. MIMI] ἀ μιμεῖσθαι dicti sunt; referunt enim gestu,

Ardelio, rerum omnium desiderio ardens omnia agens, nihil peragens.

voce

voce, vultu, maxime naturam & hominum mores exprimunt. Mimographi, qui scribunt mimica, vt Laberius, Philistio, Publius, quorum fragmenta extant. BELLVS GRAMMATICVS] Enumerat disciplinarum genera; quæ Attalus instituebat. Rhetoricam, Oratoriam, Historiam, Poeticen, Grammaticen, Mathesin, Musicam, Imo & saltatorem, lyristam, lusorem, Mimographum esse aiebat. NIL BENE CVM.] Iudicium poetæ de Attalo, soli tibi belle videris omnia facere, solique tibi places, displices omnibus. VIS DICAM QVID.] Nec Grammaticus, nec Mathematicus, nec Rhetor, nec Orator, nec Poeta, nec Musicus, sed verissimus thraso. ARDELIO] Sipontinus Ardelionem ab ardea, seu ardeola aue deducit. Domitius ab ardendo, qui præceps ex ardore omnia faciat, incipiat omnia, nihil prosequatur. Aiunt significare hominem inquietum, qui omnia, & nihil agat. Lego apud quosdam Artelio littera T. Sed melius Ardelio. Eleganter Ardelionum ingenia exprimit Phædrus Augusti libertus, libro 2. Fabul. Æsop. capite 36. His versibus:

Τὸ ὅμοιως πάντων μηδὲν ἔχεις ἴδιον Palladam vide, πολυτεχνεῖς.

Est Ardelionum Romæ quædam natio
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo, nihil agens,
Sibi molesta, & aliis odiosissima:
Hanc emendare si tamen possum, volo
Vera fabella, pretium est operæ attendere
Cæsar Tiberius, &c

18 Calend. Maij, Baronius in Martyr. Rom.

Sunt qui censent Ardeliones etiam mimos fuisse, qui in theatris cum alia, & aliorum, tum Christianorum mysteria per ludibrium imitati traduxerint. Ex quo genere in Græcorum Menologio constat fuisse, Ardalionem qui ex mimo & histrione Martyr euasit, vti & Genesius, & apud S. Augustinum epist. 76. ad Alipium Dioscorus. Hoc ergo genus hominum, seu mimorum, seu histrionum Ardeliones, seu Ardaliones dictos existimant. Quanquam apud Phædrum seruus Atriensis in hac tribu censetur. Nec histrionum vlla mentio. Lege totam fabulam 36. lib. 2. cuius principium hic adduximus. Finis eiusdem carminis sanè obscurus, si verba spectes. Quid enim (vt hoc παρ' ὁδὸν dicamus) *Multò maiores alapæ mecum veneunt*. quid inquam vult hic versus: Manumissionem insinuari puto. Vt Tiberius significarit Atriensem tam lenicula opera libertatem haudquaquam consequuturum. Ritus verò manumissionis notus ex quinta Persii & Cornuto, vt putatur, Quos manumittebant eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant. Cod. lib. 8. tit. de emancip. liber. l. vlt. iniuria rhapismata vocantur. Nouella Const. 81. Nam si emancipationis actio dudum quidem, & per eas, quæ legis nuncupantur actiones, facta cum iniuriis & alapis, liberabat eos huiusmodi vinculis, &c. lege Cuiacii Obser. ex Ambrosio & Claudiano. Hinc natas in Confirmationis Sacramento alapas nonnulli existimant, quod ego in medio relinquo. Germani nobiles seruis ius gladii dantes hodie etiam colaphum ducunt.

Lib. 5. c. 13.

Ad Lectorem.

VIII. VII.

Si qua videbuntur charitis tibi Lector in istis,
Siue obscura nimis, siue Latina parum.
Non meus est error: nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi,
Quod si non illum, sed me peccâsse putabis;
Tunc ego te credam cordis habere nihil.
*Ista tamen mala sunt; * quæ si manifesta negamus,*
Hæc mala sunt, sed tu non meliora facis.

** quasi nos manifesta negemus, quæ lectio Aldina magis placet. Al. Quis sic manifesta negemus? Al. Quasi si.*

Excusat se, lectorem accusat. OBSCVRA] sane multa, partim nostrâ causâ, qui non satis paratiâ doctrina ad hunc auctorem legendum accedimus, partim ob priuatas res, quas vix duo tresue norunt; partim festinatione librarii, à quo se incitatum & oppressum affirmat, vt cogeretur properare. Rhingelbergius, hoc meo quidem animo, insulsum & ineptum dat documentum, vt in lucem aliquid vulgaturus, tres quatuorue paginas inchoatas statim prælo subiicias, ita futurum est, inquit, vt vrgearis à typographo, cogarisque opus maturare, à quo alioqui cessares. Vbi illud Horatianum ex Cinna —*nonumq; prematur in annum*? LATINA PARVM.] Videtur respexisse ad superioris epigrammatis extremum verbum nouum, & scriptoribus perfecti æui ignotum. Licet Epigrammatariis risus aut ioci gratia, non solum barbarum quandoq; verbum, sed plane solœcon sermonem adhibere. Sic Catullus de Ario. c. 85.

Chom-

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & hinsidias Arrius insidias.

De latina & candida dictione Martialis supra dictum. NON MEVS EST] Vt iusta esset magnitudo libri, coactum se dicit à Librario seu bibliopola properata quædam epigrammata adducere, quibus quasi extrema manus non accesserit. Hinc carmen quidem suum esse, sed crimen librarij, si quid vitij in epigrammatis. Sed quis cogebat ante prodere volumen librario, quam esset perfectum? PROPERAT] Excusant plerique & maximè vulgaris notæ poetæ sua poemata à tempore, & ea vocant αὐτοσχεδιάσματα, perpetuo malorum poetarum more. QVOD SI NON ILLVM] Hoc mirer poetam dicere; Quis enim condidit epigrammata, tu, an librarius? Poteras omnino nihil edidisse, si placuisset, quid in librarium confers? Et eum, qui credit te vitiose composuisse, stultum & sine corde, id est, sine mente & ratione putas? Tunc dominus librarij, an Librarius in te imperium? Placet hoc loco etiam Ramiresij explanatio, nec enim recuso vel ab hoste doceri, etsi Ramiresium amicum potius cum Philippo, quam inimicum censeo, ἀγαθὸν δὲ καὶ παρὰ ἐχθροῦ ἐστὶν μαθεῖν. *Librarij bibliopolarum amanuenses vt pensum sibi ab heris vrgentibus absoluerent, solebant nimium properare, & interrumpere voces ipsas, versus aliquando integros præterire, transmittere alios & loco mutare, vnde obscuritas & latinitatis corruptio sæpe consequebatur.* Hæc noster Ram. Sed in venerium stationem? Musambertius non patitur illum μὴ δ᾽ ὅσον σκαρδαμύττειν, ne puncto quidem temporis liquido frui honoris gaudio, & melle quod propinarat, qui mox nasturtium edendum apponit, & elleborum bibendum, cor sapientiæ adimit, adeo communis est alea Martis, vt qui modo vincit, idem mox vincatur. vti vere Homerus,

Ξυνὸς ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα.

Versum huius epigrammatis: *Tunc ego te credam cordis habere nihil.* Ram. conatus infelici cursu & inuita Critica, castigare & rescribillare:

Numne ego te credam cordis habere nihil?

Id est (inquit Ramiresius) si dixeris me peccasse, te cordatum & sapientem iudicabo &c. Hunc contra Musambertius: *Enimuero iam nequeo continere. Tu homo videris iuratus ad euertenda Valerij sensa & iocos accessisse. Quippe ex linea antica pugnat interpretatio tua cum mente Valerij. Nec enim, vt tu consomnias, in seipso iocatur, sed in lectorem voluit. Patet conclusione ipsa ——sed tu non meliora facis. At finem epigrammatis non pessimè legis, sed neque optime intelligis. Nempe:*

Ista tamen mala sunt. Quasi nos manifesta negemus.
Hæc mala sunt, sed tu non meliora facis.

Peccas tamen cum erotetice legis, negemus? Sed grauius peccas, cum interpretaris, quasi dictum per lectoris personam ad Valerium. Si manifestum, inquis, est, esse mala tua carmina, cur me stultum appellas, quod errores tuos non librario, sed tibi imputem? Atqui Valerij verbum illud est ad lectorem: Quasi vero, inquit, ego manifesta mala ita diffitear, aut potius vltro non fatear. Cum dixisset poeta errores illos librarij esse, instat lector, & vrget, inquiens, imo non librarij, sed tua ista mala sunt siue peccata: Quasi vero inquit Valerius, ego diffitear esse illa peccata siue mala mea, & non ioci causa dixerim librarij. Sed vtcunque res habet, siue mea illa, siue librarij sunt, tu meliora non facis. ISTA TAMEN MALA] Premit lector. seu tu causa erroris, seu librarius constat mala esse carmina. QVÆ SI] respondet poeta, si negamus mala esse, quæ manifesta sunt, imprudentes sumus. Sed melior Apollo emendabit, *quasi nos*, vel *quasi sic manifesta negemus*. Dicat lector. *Ista tamen mala sunt*, perinde quasi nos mala esse negemus, cum sint manifeste mala. Respondet Martialis. Hæc quidem &c. HÆC MALA SVNT] Fatemur ergo mala esse, seu mea, seu aliena culpa. SED TV NON MELIORA] In eadem naui lectorem dicit esse, qui possit quidem aliena carpere, sed non emendatiora melioraue scribere. Ergo diceret lector, quia te meliora non facio, nulla facio, idem tibi faciendum iudico, sic enim Aristarchus respondisse fertur quærenti, cur ipse nulla ederet. *Quia*, inquit, *qualia possum, nolo, qualia vellem, non possum.*

In Postumum

X. VIII.

*Basia dimidio * quæ das mihi Postume labro,* *V. quid.
Laudo: licet demas hinc quoque dimidium.
Vis dare maius adhuc, & inenarrabile munus?
Hoc tibi habe totum Postume dimidium.

Impuri oris & capitis hominem notat, cuius, vt alibi scribit, maluit dextram osculari, quam oris osculum excipere. sic enim infra, hoc eodem lib. e. 21.

Basia das aliis: aliis das Postume dextram:
Dicis, vtrum mauis, elige, malo manum.

BASIA

Legatur & Heraldus ad 21. ep. Mart.

BASIA] Oscula officiosa nonnullis etiam hodie gentibus vsurpata, apage autem cum turpibus & obscænis. Lipsium El. 2. c. 6. de honestis audi loquentem & docentem. *Ea inquit, vare vsurpata vulgo, & in omni fere corporis parte. Primum in facie. ibiq; os, genas, oculos suauiabantur, in itu, reditu gratulatione, imo in salutatione, & cottidiano occursu. Qui mos inualuit maxime, vt opinor, sub Augusto, ideoq; Tiberius, vt nouistiū, conatus pellere, & oscula cottidiana, ait Suetonius, prohibuit edicto. Sed hæsit nihilominus, & creberrima oscula iterum sub principibus secutis. vnum Martialem lege, cui benigna materia iocorum ista.* His Lipsius mox testes addit. & deinde subiungit. *Secundo manus osculabantur, sed non tamen nisi potentiorum. Is mos etiam libera Rep. ratus, natus videtur à blanditiis candidatorum, prensantium, rogantium, & alienas manus osculantium.* Hoc ipsum postea auctoritatibus affirmat, Parte autem auersa dextræ osculum imprimebatur, vt ex Plinio ostendit. Viliores tamen, & serui manus, alij oculos, genas, collum osculabantur, Arriano lib. 2. Dissert. sic docente. Ab osculatione manus nata illa loquendi formula. AD MANVM ACCEDERE] Tertio denique genua osculati, imo & pedes. Testimonia cumulat ibidem ex Vopisco, Capitolino, Ammiano, Plinio iuniore, Dione, &c. quæ tu otiosus leges. DAMAS DIMIDIVM] nec totum, nec dimidium tuum osculum, opto, tibi habe totum cum dimidio. MAIVS ET INENARRABILE MVNVS] vin' vtroque me labro disuauiari? sic interpretor, nec moror nequiores cogitationes. De basiis hisce Posthumianis mox infra ep. 12. *Esse quid hoc dicam*, &c. & epi. 21. 22. 23. Eius. argumenti est 15. in Hermum & alia, aliis libris. Tu mihi hic Fabium aliquem Persicum cogita, aut Mamercum Scaurum, aut Natalem, de quibus Seneca & Tacitus.

Seneca. 4. de ben. c. 31. & epist. 87. Tacit. annal.

In Selium.

XI. IX.

** Seruus per hypallagen. Ambulator pro otioso vt scrib. positum Cato R. c. 5. Villicus ne sit an ambulator, sobrius siet semper. Et de Villica alibi, neue ambulatrix siet.*

Quod fronte Selium nubilâ vides Rufe,
*Quod ambulator porticum terit * serus,*
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus,
Quod pœne terram tangit indecens nasus,
Quod dextra pectus pulsat, & comam vellit,
Non ille amici fata luget, aut fratris,
Vterque natus viuit, & precor viuat.
Salua est & vxor, sarcinæq; seruiq;:
Nihil colonus, villicusq; decoxit;
*Mæroris igitur caussa; * quod domi cœnat.*

** Causa qua malim causa quæ? domi cœnat. Aldina habet, caussa quæ est? domi cœnat. ead. est MS. P. * Plinius in epist.*

Selius à nemine vocatus triste luget. FRONTE NVBILA] contrarium, serena, metaphora à cœli tempestate; nubila, mœsta, tristi, caperata. Sub porticibus conueniebant, quibant, & redibant, ibique maxima occasio erat colloquendi: vt hic ad curiam. * LVGVBRE QVIDDAM] præsegerit signa tristitiæ. PIGER] tacitus, tetricus, demissus, mœstus. QVOD POENE] Qui & longus per se, & longior depresso vultu videbatur. Multi sunt apud poetas ioci in nasos Antholog. 2. cap. 13. εἰς δυσώδεις.

Ἠρὶς Κάστορ@-, &c.

Ἑρμοκράτης τῆς ῥινὸς ἐπεὶ &c. vbi plura. Extat & Mureti iocus & Adagiographi Dialogus. QVOD DEXTRA PECTVS] Fiunt hæc non nisi in grauissima fortuna aut casu. In morte parentum, aut vxoris, aut filiorum, &c. aut fortunarum iactura facta. Heraldus totis paginis hunc morem & ritum plangendi pectus, & lugendi persequitur. NON ILLE AMICI] Hæc amissa pariunt dolorem dignum, ob quem pectus tundas; crinem vellas. SARCINÆ] opes metonym. videtur alludere ad formulam, *satin salue?* cui respondet poeta: salua omnia, frater, natus, vxor, domus, familia, pecunia. NIHIL COLONVS] Nihil in agro, in prædiis, & villis perditum, aut amissum. DECOXIT] per luxum aut negligentiam perdidit, ex re familiari nihil damni dedit. MOERORIS IGITVR CAVSA] Nulla inquit ergo restat alia causa, cur lugeat, quàm quòd à nemino sit vocatus, & cogatur domi cœnare, forte & auaritiam insinuat, quòd Selius vt suis parceret rebus, lambebat mensas aliorum. caussâ quâ legit Lipsius.
Emendarim potius causa quæ? vel, causa quæ est?

Domicœnandi causa mæroris Selio domi nil habente.

In Postumum.

X. XII.

Esse quid hoc dicam, quòd olent tua basia myrrham,
Quodq́ tibi est nunquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quòd oles benè Postume semper.
POSTVME, NON BENE OLET, QVI BENE SEMPER OLET.

Impurum notat Postumum. Est Postumus fictum nomen, carpitur enim semper ferè Postumus; apertè autem neminem licebat per legas cauillari. ESSE] quid dicam te admisisse flagitij? Intelligo enim, cùm oscularis me (quod more gentis fiebat, cùm sibi occurrerent, vt paullò antè dictum) esse ementitos odores, quibus tetrum odorem dissimules. olent enim tales hircum. HOC MIHI SVSPECTVM] Benè olet, qui nihil olet. Cic. ad Att. 2. *Vt mulieres ideo benè olere, quòd nihil olent, videntur.* Plautus Mostell. *Quia Æcastor mulier rectè olet, vbi nihil olet: Nam isthæc veteres, qui se vnguentis vnctitabant, &c. Qui oleant, nescias, nisi id vnum, vt malè olere intelligas.* Idem: *Olet stabulum, nauseam, vnguenta exotica.* Diogenes cuidam habenti capillos vnguento delibutos: *Caue*, inquit, *ne τῆς κεφαλῆς εὐωδίας, ὁ βίος δυσωδίαν adducat.* Fama est quidam odor vitæ, vnguentum & odores olent mollitiem, & nequitiam: Quis autem tales viros non non dicat mulieres? Cicero de Catilinariis pueris. * Horat. Ep. od. 12. Hoc Hemistichum B. Hieronymus, Petronio Arbitro assignat, epist. ad Demet. *Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris pelliculas olentes; de quibus illud arbitri est. non benè olet, qui benè semper olet, virgo deuitet.* Ita & illud, Ingeniosa gula est, apud eundem Arbitrum, & Martialem legitur. Cælius plura super hac re lib. 24. c. 25.

* Orat. 4.

Ad Sextum.

XI. XIII.

Et iudex petit, & petit patronus.
Soluas, censeo, Sexte, creditori.

Corrupta Romanorum iudicia taxat. IVDEX PETIT] pecuniam & munera spe absolutionis. PATRONVS] ob defensionem, creditor iure & lege. SOLVAS CREDITORI] præstat vni satisfacere, quàm tribus. Nam si iudicio contendas, vt vincas nimirum, duobus satisfacies. Victus etiam tribus. Facilius ergò soluis creditori. Hoc ex Verrinis intelligis. Verres enim non sibi tantùm, sed canibus suis aliena legit. Petronius.

Ergo iudicium nihil est, nisi publica merces.
Atq; eques, in caussa qui sedet, empta probat.

Ad Paulinum de Selio.

XII. XIV.

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties iam videt esse domi.
Currit ad Europen, & te Pauline, tuosq;
Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.
Si nihil Europe fecit, tum septa petuntur,
Si quid Phyllirides præstet, & Æsonides.
Hinc quoq; deceptus Nemphitica templa frequentat,
Assidet & cathedris mœsta iuuenca tuis.
Inde petit centum pendentia tecta columnis,
Illinc Pompei dona, nemusq; duplex.
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grilli tenebras, Æoliamq́ Lupi.

Selius Laudicenus.

Europe picta in portica campi Martij.

πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, Hom.

Templum Neptuni cũ portcu.

** iterumq́.*

Nam thermis iterum cunctis, iterumq́ lauatur;*
Omnia cùm fecit, ſed renuente Deo;
Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Si quis ibi ſerum carpat amicus iter,
Per te, perq́ tuam, vector laſciue, puellam,
Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure, voca.

Occide Selium Taure, vt cum Ioue poſſis cœnare.

Idem argumentum cum 7. epigrammate de Selio Cœnipeta, quem & infrà ab eadem virtute laudat. A nemine inuitatus vltro omnibus occurrit vbique, vt inuitetur; CVRRIT AD EVROPEN] Currit ad Campum Martium, in quo multæ porticus ſcenicis picturis nobiles. inter quas Europe à Ioue tauro vecta deſcripta erat, à qua locum Martialis totum nominat. Fuiſſe id genus picturas in campo Martio, ex Strabone intelligimus, qui de operibus campi Martij hunc in modum ſcribit: πλησίον δ' ἐστὶ τοῦ πεδίου τούτου, καὶ ἄλλο πεδίον, καὶ στοαὶ κύκλῳ παμπληθεῖς, καὶ ἄλση, καὶ θέατρα τρία, καὶ ἀμφιθέατρον, καὶ ναοὶ πολυτελεῖς. *Iuxta autem eſt alius campus, & porticus circumquaq; plurima, & luci, & theatra tria, & amphitheatra. Quid perennes ſolo herbas coronatosq; ad fluminis alueum colles? Scenicarum oſtentatio picturarum, omniq; generis ſpectacula præſtant, vt difficulter, & inuitus abſcedas.* Vbi tamen neſcio, an ita capienda ſint, verba Græcè, vt habent interpretes. Nam Strabo Græcus ita habet. Καὶ τὸ ἔδαφος ποάζον δι' ἔτους, καὶ τῶν λόφων στεφάναι τῶν ὑπὲρ τοῦ ποταμοῦ μέχρι τοῦ ῥείθρου σκηνογραφικὴν ὄψιν ἐπιδεικνύμεναι δυσαπάλλακτον παρέχουσι τὴν θέαν. En στεφάναι inquit, σκηνογραφικὴν ὄψιν ἐπιδεικνύμεναι, hóc eſt, *coronæ ferentes ſpeciem ſcenæ*, non de pictura ibi, ſed de ſitu loci videtur loqui, qui cinctus vndequaque videatur ſpeciem theatri præferre. Nec tamen negarim fuiſſe ibi picturas, nam varia opera in campo Martio inſinuat Strabo. LAVDAT ACHILLEOS] Exercebantur in campo Martio, omni genere armorum, & ſaltu, item & curſu. Strabo, Horatius, Marlianus & alij. Mercurialis gymnaſtica conſule. Selius laudabat Paullinum à celeritate pedum, & ſubinde alterum Achillem nominabat, de quo millies Homerus. πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Achillei pedes igitur celerrimi pedes. SINE FINE] ſine modo, vt quiuis animaduertat, eum cœnam captare. SI NIHIL EVROPE] Enumerat loca conuentibus hominum frequentata. SEPTA] autem fuere inter columnam, poſteà Traiano ædificatam, & aquam virginem. Erant autem loca tabulis incluſa & vallata, in quibus P. R. ſuffragia laturus claudebatur. Martialis noſter. *In ſeptis Mamurra diu multumq; vagatus, &c.* Quæ & ouilia, abouium ſeptis ducta ſimilitudine appellabantur. Lucanus.

—— & miſerè maculauit ouilia Romæ.

Plura de ſeptis apud Blondum, qui aliquantum diſcedit à Marliano, quem nos ſequimur lib. 6. cap. 13. Ergo ſi nihil Europe fecit, ſi nullam cœnam promiſit Europe, recurrit ad ſepta, vtrum ibi ſpes aliqua affulgeat. SI QVID PHYLLIRIDES] Iuxta ſepta Dionyſius ſcribit templum Neptuni cum pulcherrima porticu fuiſſe, quem locum M. Agrippa multis decorauit ornamentis. In hac porticu Argonautarum hiſtoria, ſeu fabula erat egregio opere depicta. Martialis partem nominat pro tota pictura; nam inter Argonautas, de quibus alibi fuſius, fuit Chiron, Phyllires, & Neptuni filius, & Iaſon Æſone procreatus. A Phyllire fit Phyllyrides ab Æſone Æſonides. Vterque omnium prope poëtarum fabulis celebratiſſimus. HINC QVOQVE DECEPTVS] Templa Iſidis plura lego Romæ extitiſſe. Erat Iſidis Antenodoricæ à Baſſiano conditum, iuxta Baſſiani thermas, vt lapidis inſcriptio, & Marlianus lib. 4. c. 24. docet. Lego & in regione quinta, quæ Exquilina dicitur, Iſidis templum fuiſſe apud P. Victorem Sext. Rufum, Marlianum. Lego apud Ouidium, Iuuenalem, Propertium, Suetonium, Eutropium, Diodorum, Apuleium, & alios de templo Iſidis in Campo Martio, iuxta ouilia. Iuuenalis Sat. 6.

Iſidis antiquo quæ proxima ſurgit ouili.

Hoc intelligit Martialis.

Id eſt ſeptis, de quibus ſuprà. Locus erat infamis ſtupris & adulteriis, vt ex artibus Ouidij, & Triſtibus, aliiſque ſcriptoribus colligis. Fuit Iſis Inachi fluminis filia à Ioue in vaccam mutata, dicta Io. reuerſa apud Ægyptum in priſtinam formam pro Dea colebatur, cui operaturæ fœminæ à viris abſtinebant. Sacra Romam ex Ægypto tranſlata. Hinc Memphitica (Memphis enim caput Ægypti) dicitur. Ouid. 3. Am.

Vide Ioſephum lib. 8. Antiquit. de Iuſtina quadam Mundo.

Viſite thuricremas vacca Memphitidos aras.

Sed cùm Tiberius euerterit templum, vt Ioſephus ſcribit, quid Martialis hic illud ædificat? duplex reſponſio, aut locum ſeruaſſe nomen vbi templum ſteterat, aut refectum à ſequentibus Imperatoribus. Nam de Domitiano Eutropius diſertis verbis Iſeum, hoc eſt, Iſidis templum ab illo conditum ſcribit. Et Suetonius in Othone. *Sacra, inquit, etiam Iſidis ſæpè in lintea religioſaq; veſte propalam celebrauit.* Vnde intelligis iam inſtauratum fuiſſe templum, ante Domitianum. Fuit etiam in tertia regione Iſidis, ſeu potius Serapidis templum, à quibus regio nomen habet. Lege Marlianum lib. 7. Pub. Victorem. Sex. Rufum tertia regione. ASSIDET ET CATHEDRIS] Currit ad Memphitica templa, & ibi in ſubſelliis (cathedra enim ſubſellium eſt, vt ſuprà dictum) expectat, dum vocetur.

cetur. MŒSTA IVVENCA] Propter virum Osirim amissum, quem & diu mœsta quæsiuit, & laceratum inuenit apud Phialam. Seruius. IVVENCA] simulachrum Isidis iuuenca. Ouidius Meta.

Ne fuge Niliaca Memphitica sacra iuuenca,
Cùm sedeat Pharia sistris operata Iuuenca. & suprà 1. de Art.
——vacca memphitidos eras.

INDE PETIT CENTVM] refert hæc Martialis ad porticum Europes Corinthiam, Cn. Octauij. Domitius Vispanam suspicatur. Merula ad primum Ouidij de Art. *Porticus*, inquit, *olim Romæ erigebantur, ad inambulationes & vmbras. Inter cæteras maxima fuit admirationis porticus Corinthia, ad Circum Flaminium erecta à Cn. Octauio ita appellata, propter æs Corinthium, quod erat in columnis.* Eadem dicebatur porticus in campo Martio, ingenti sumptu ædificata, & vt scribit Plinius, clara pictura Antiphili pictoris, qui Cadmum & Europen pinxit. * Et hæc erit illa de qua suprà Martialis: *Currit ad Europen,* ad quam videtur allusisse lib. 5. Strabo. Sunt qui velint hic Pompeiam intelligi, de qua Ouid. 1. de Art. *Tu modò Pompeia lentus spaciare sub vmbra,*

* In Pompeia.

Et tertio. *At licet, & prodest Pompeias ire per vmbras.*
Et Propertius. *Scilicet vmbrosis sordet Pompeia columnis*
Porticus aulæis nobilis Attalicis.

Certè clarius & expressius de columnis Propertius, vt propè concedam in sententiam Merulę ad lib. 3. de Art. vbi hanc porticum in campo Martio Pompeiam vocat: ex Plinio, qui lib. 35. cap. 10. disertè Antiphili picturam in Pompeia ponit, sed Merula videtur eam confundere cum Cn. Octauij fabrica. De eadem porticu infrà lib. 3. e. 17.

Proxima centenis pendentia tecta columnis
Exornant ficta, qua Platanona fera.

Alij Vipsanam intelligunt, inter quos Torrentius Læuinus cum Domitio. vt infrà lib. 3.

Proxima centenis ostenditur vrsa columnis.

Panuinius non definit vbi porticus hæc C. columnarum fuerit, sed nec constare dicit.

ILLINC POMPEI] Hic primum videtur porticum Pompeianam intelligere, nisi quod in hexametro dixerit generatim, nunc speciatim exprimat. NEMVS DVPLEX] Strabo lib. 5. in descriptione vrbis. Propè hunc campum alius est campus, porticusq; circumcirca permultæ, tum luci, Lucos vocat, quia plures. Quanquam Domitius de vnico intelligendum putet, eoque magno, quem mox infrà nominat Strabo. A tergo lucus magnus, tabulationes habens mirabiles. Læuinus Torrentius ad duplices Pompei hortos refert, de quibus Cicero pro Milone, & Asconius Pędianus interpres. *Atq; adeò ob eas suspiciones Pompeius in superioribus hortis se continuerat*; Vt manifestum sit duplices fuisse. NEC FORTVNATI] Quatuor sunt nomina balnearum, & balneatorum mercenariorum, hoc est, qui mercenaria balnea habent Fortunati, Fausti, Grylli, & Lupi. Sed Lupus & Gryllus habebant planè contrarias, Gryllus in loco depresso & tenebricoso, Lupus propè in cœlo, hoc est, excelso, patente & libero, velut Regia Æoli, vndè vocat Æoliam ab Æolo ventorum Deo. Quo autem loco singulæ fuerint, nec Martialis, nec alij tradunt. Panuinium in XIV. reg. lege frequentissimæ fuere in vrbe, & singulæ regiones certum ac magnum numerum habebant, vt è Sexto Rufo, & Pub. Victore constat. NAM THERMIS] De thermis lib. extraordinario de spectaculis dictum. In Thermis propriè sudabatur tantum, balneis lauabatur, coniunctæ erant ferè semper balneæ & thermæ. Et fortè cùm dicit *Æoliamq; domum*, thermas insinuat. Selius per omnes balneas, omnes thermas discurrit, sudat, lauat semel, iterum ac sæpius, vt aliquem tandem reperiat, quo cum cœnet. OMNIA CVM FECIT] Sed aquam è pumice petiuit, ab omnibus delusus est auersa Fauentia. Loquendi vsus sanè priscus, omnia facere, quod Græci dicunt, πάντα ποιεῖν. Martialis de Agathino; *Vt peccare velis, cùm feceris omnia, falli. Non potes.*—Seneca epist. 125. *Quid formam colis? Cum omnia feceris, à multis animalibus vinceris.* Petronius. *Quæ ergo dementia est omnia facere, ne quid è nobis relinquat sepultura?* LOTVS AD EVROPES] Decursis & lustratis omnibus publicis locis, rediit ad primum, hoc est, ad porticum, & Buxetum Europes, ibique insedit iter, in proximum quemque amicorum impetum facturus, cœnamque opportunè importunè extorturus, sed vsque ad vesperum cunctatus miser, tamen à nemine vocatus, incœnatus domum redire cogitur. PER TE, PERQVE TVAM] Misertus poëta miseri Selij, rogat Iouem, vt saltem ipse Selium ad cœnam inuitet, & est salsissimum epiphonema, imprecatur enim mortem Selio, dum videtur. dolere illius vicem, & vt Iouis conuiua sit precari. Verborum ordo est: PER TE TAVRE LASCIVE VECTOR] id est, Iupiter in taurum mutate, & per tuam puellam Europam te rogo, saltem tu Selium desertum ab omnibus, ad cœnam voca, hoc est, interfice, vt possit tecum cœnare. Non interpretor taurum Phalaridis vt quidam.

Imprecatur mortem Selio.

In Hermum.

XIII. XV.

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis Herme, non superbè.

Hermi spurcum os taxat. NVLLI PROPINAS] hoc alioqui videtur affectatæ arrogantiæ & grauitatis, neminem iudicare tanti, cui propines. De more propinandi fuse Heraldus, cui locum addo ex Tertulliano maximè ad hunc locum pertinentem. Vnde discas, quàm horruerint antiqui calices ab infami aliquo tractatos, quem morem poëta doctè allusit, cùm dixit ab Hermo humanè tactum, quòd calicem suum, in quem obscænitas oris impuri ructarit, nulli propinarit; vbi poëta Hermum infamibus comparauit; horum enim calices non libabant veteres. Tertullianum audi lib. de Resurrect. carnis, cap. 6. *Et tamen calicem non dico venenarium, in quem mors aliqua ructarit, sed fricricis, vel Archigalli, vel gladiatoris, vel carnificis spiritu infectum, quæro an minus damnes quam oscula ipsorum? Nostris quoq; sordibus nubilum vel non pro animo temperatum, elidere solemus quo magis putra irascamur.* Lege quæ sequuntur. HVMANE] modestè, non superbe, quæ sunt contraria. Laudare simulat illius modestiam, damnat impuritatem. Caussam enim relinquit lectori cogitandam. Si enim superbe non facit, sed humane non propinando, caussa latebit, & conscientia impuri oris, à quo, suspicari poterat, abhorrere conuiuas. Tale est infrà in Postumum. *Basia das aliis, &c. aliis dextram malo manum,* quia os impurum. Seneca de Fabio Persio; à quo Græcinus propinationem non accipiebat. l. 2. de Ben. cap. 21. Nihil attinet plura addere, aut nomina flagitiosorum edere. quæ apud Domitium & alios reperies.

In Zoilum.

XVI. XIV.

Zoilus morbum simulabat, vt vestem pretiosam ostentaret.

Zoilus ægrotat: faciunt hanc stragula febrem,
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
*Quid torus à Nilo, quid sindone * tinctus olenti?*
Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.
Vis fieri sanus? stragula sume mea.

* *tinctus.*

Plurima sunt in Zoilum epigrammata. Videndum quis Zoilus hic, aut vnde nomen eius propagatum in obtrectatores, inuidos, maledicos, mordaces, & huiusmodi genus hominum, quibus hoc nominis tribuitur. Vt enim Cæsares à Iulio Cæsare, vt maxima minimis contendamus, & Hercules ab Hercule, Harpocrates ab Harpocrate, Catones à Catone, Machaones à Machaone, sic à Zoilo calumniatore, iactatore, obtrectatore Zoili pari ingenio, & liuore imbuti dicuntur. Zoilum auctorem pestilentissimæ nationis ita describit Ælianus Var lib. 11. c. 10. Ζωΐλος ὁ Ἀμφιπολίτης ὁ καὶ εἰς Ὅμηρον γράψας, καὶ εἰς Πλάτωνα, καὶ εἰς ἄλλους, Πολυκράτους μὲν ἀκουστὴς ἐγένετο. οὗτος δὲ ὁ Πολυκράτης, καὶ τὴν κατηγορίαν ἔγραψε τὴν κατὰ Σωκράτους. ἐκαλεῖτο δὲ Ζωΐλος οὗτος, κύων ῥητορικός. ἦν δὲ τοιοῦτος. τὸ μὲν γένειον αὐτῷ καθεῖτο, ἐκέκαρτο δὲ ἐν χρῷ τὴν κεφαλήν, καὶ τὸ ἱμάτιον ὑπὲρ τὸ γόνυ ἦν. ἤρα δὲ ἀγορεύειν κακῶς, καὶ ἀπεχθάνεσθαι πολλοῖς σχολὴν εἶχε, καὶ ψογερὸς ἦν ὁ κακοδαίμων. ἤρετο οὖν αὐτόν τις τῶν πεπαιδευμένων, διὰ τί κακῶς λέγει πάντας; ὁ δέ, ποιῆσαι γὰρ κακῶς βουλόμενος οὐ δύναμαι. De eodem Adagiographus. *Zoili audax quidem*, inquit, *sed parum felix mordacitas prouerbio locum fecit, vt vulgo Zoili vocentur alienarum laudum obtrectatores & alienorum librorum reprehensores.* Martial. *Pendentem volo Zoilum videre.* Sophista fuit, hoc facinore potissimùm nobilitatus, quod Homerum poëtarum omnium principem ausus est libris aliquot in eum scriptis incessere. Vnde Ὁμηρομάστιγος cognomen meruit, quod ipsum etiam abiit in prouerbium; sic enim appellari cœpti nobilium auctorum castigatores, vel teste Plinio in præfatione historiæ naturalis. *Zoilus commentarios in Homerum compositos Ptolomæo tyranno Ægyptiorum obtulit, ingens videlicet præmium à rege sperans. Verùm cùm nihil mitteretur, penuria coactus, misit, qui peterent. Illi Ptolomæus ait se mirari, cum Homerus ante tot annos defunctus, tot hominum millia pasceret, Zoilum egere, Homero doctiorem.* Denique per occasionem supplicio affectus est. Quanquam de mortis genere diuersa tradant auctores. Sed de Zoilo alibi ex Vitruuio plura. Hoc epigrammate Zoili stolidam opum & vestium ostentationem, stringit. Qui tantum ea gratia simularat morbum, vt stragulam vestem salutantibus visentibusque ostenderet. ZOILVS] ægrotat ab animo magis, quàm corpore. Sed quæ caussa morbi? FACIVNT HANC STRAGVLA FEBREM] vt morbum simulares stragula sunt caussa. STRAGVLA] Vlpianus ex Labeone docet instratum omne vestimentum contineri, quo amicimur, neque dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium. Hunc emendat Valla lib. 6. El. cap. 46. qui docet stragulam vestem non dici de vestimento hominis, quo amicitur. *Ego*, inquit, *non memini me reperire stragulam vestem in hunc sensum, sed in opertorium lectorum potius, vbi & dormiebant, & discumbebant.* Probatque id ex Varrone, qui stragulum à sternendo deducit. Sed stragulum, & stragulam vestem etiam pro hominis indumento à probis auctoribus vsurpari, recteque & signate Vlpianum docuisse propugnat Alexander Neapol lib. 2. cap. 19. Ex Liuio, Tranquillo, Paullo Iurisconsulto, qui ex pellibus vestes confici dicit, cùm & tunicam, & stragulam pelliceam nonnul-

Stragulum quibusdam tantum quod insternitur.

nonnulli habeant. Festo Pompeio Grammaticorum eruditissimo, qui *Vestis*, inquit, *generaliter dicitur, vt stragula, vt pallium, tunica, vel penula*. Hæc Alexander. Asconius in tertiam Verrinam stragulam vestem pictam esse docet. Isidorus, *Stragulum*, inquit, *vestis est discolor, quod manu artificis diuersa varietate distinguitur, quod in stratu & amictu aptum sit*. Manut. in apopht. *Non tu desines virtutis stragulas pudefacere, de eo, qui exuuio leonis tectus incedebat*. Ego stragulum nudè positum pro tapetibus tantum vsurpari puto; cum verò additur: stragula vestis, etiam pro indumento seu pallio, seu toga, &c. pro me facit Marcellus Donatus, cuius verba laudo, quicquid ogganniat Ramiresiu., cui tum demum respondebo, vter erraret, cum ille perpetuum edictum prætoris ad quod Vlpianus scripsit, protulerit. Donatus. Laurentius Valla lib. Eleg. 6. cap. 46. Vlpianum corripit in l. instratum, D. de verb. significat. & in l. lex Cornelia, §. inter pulsationem, D. de iniur. affirmantem authoritate Labeonis omne vestimentum esse, quod ini citur, & ita stragulam vestem esse quæ inicatur. Quod [illegible] iter confirmat in l. quæsitum est, §. sed si fundus, D. de fundo instr. Aduertas, ait Valla, vestimentum non esse instratum, neque stragulam vestem pro hominis vestimento, sed pro lecti operimento tantum apud authores inueniri. Vlpianum & Labeonem, Alex. ab Alexandro, Genial. lib. 3. cap 19. tutatus est: & primum authoritate Tranquill. in Nerone, cap. 50. Funeratus est, inquit, Nero impensa ducentum millium stragulis albis auro intextis, quibus vsus Kalendis Ianuarii fuerat. *Addit authoritatem Pompeij Festi scribentis*: Vestis generaliter dicitur, vt stragula, vt pallium, tunica, vel penula. Paulus quoque Iurisconsultus in l. quum & tunicam, D. de aur. & arg. leg. & ipse tradit, ex pellibus vestes confici, quum & tunicam & stragulam pelliceam nonnulli habeant. Postremò adducit & hunc Liuij locum pro sua corroboranda opinione. Addimus & nos Ciceronis authoritatem in 3. Verr. scribentis: Per triennium quæ illa plena domo telarum stragulam vestem confecit, nihil nisi conchylio tinctum: & iterum 4. Verr. Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, multam Deliacam supellectilem, &c. D. Hieronymus stragulam muliebrem vestem appellat Prouerb. capite 31. Stragulam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius. Non desunt, his non obstantibus, qui stragulam seu stragulum opertorium lecti, à strato aut sternendo dici putent, ex Plinio lib. 13. capite 12. vbi de papyro agens, ait: Et è libro vela, tegetesque, nec non & vestem & stragulam, ac funes. Martialis Epigram. vlt.

Stragula purpureis lucent villosa tapetis.

Et paulò pòst: —— *Nudo stragula ne toro paterent.*

Tibull. 1. Eleg. 2. *Nam neq; tunc pluma, nec stragula picta soporem.*

Et Martial. lib. 2. *Zoilus ægrotat faciunt hanc stragula febrem.*

Qui à strato stragulam deducunt citant Virgilium 4. Æneid. de Dione scribentem.

—— *stratuq; relictis*
Incubat.

Et Papinianum Syl. 1. de Venere:

Fessa tacet stratis.

Et secundo eiusdem: *Quis matutinos abrumpit murmure somnos,*
Impositus stratis.

Varro stragulam à sternendo dictam ait, in hæc verba: Quidquid insternebant, à sternendo stragulam appellabant. Budæus in post. Annotat. hoc in loco vestem stragulam interpretatur tapetes, quos Græci & ipsi τάπητας vocant, tegmen, inquam, seu stratum mirè pictum variis coloribus, quo equi, mensæ, & pauimenta sternuntur, vulgo quoque tapeti dicti; sicuti & Latinis. Virg. lib. 10. Æneid.

—— *Qui forte tapetibus altis*
Exstructus, totum proflabat pectore somnum.

Et lib. [illegible] *Instratos ostro alipedes pictisq; tapetis.*

Et Statius lib. 1. Theba. *Aliosq; inferre tapetes.*

Plautus in Pseud. *Neq; Alexandrina belluata, consutaq; tapetia.*

Ego sanè in hac opinionum varietate existimo, straguli nomine absolutè prolato, venire non modo stragula lectorum, sed & tapetia, aliaque huiusmodi telarum seu pannorum genera, animalium herbarumque variis figuris & coloribus contexta, ob id belluata dicta à Plauto, & picta à Tibullo. Si verò cum additione vestis stragulam protulerimus, dubio procul intelligendum indumentum seu vestimentum, eiusdem tamen generis, vnde Asconius in 3. Verr. act. scriptum reliquit; stragulam vestem esse pictam, & aurum quoque & aliquando intextum habentem existimandum, quum addat Liuius verbum illud, pretiosam. Nostram sententiam confirmare possumus ex sacris paginis. Nam 4. Regum, cap. 8. stragulum absolutè prolatum, operimentum lecti significat: loco verò Prouerb. supra citato, cum additione, vestem stragulatam, indumentum exprimit, quod & loco isto fecit Liuius. At non minor occurrit difficultas in explicatione alterius vocis plagulæ. Nonius; plagæ, inquit, grande tegumen linteum, quam lecticariam syndonem dicimus. Varro de vita populi Rom. Chlamides plagæ, vela, vasa aurea: Et rursus: Ebur-

 neis

Tres cernis denarios quinarium ſeu victoriatum vnum, ſeſtertium numum itidem vnum. Primus denarius, cruce decuſſata denarij nota inſignis, ſecundus ſtellula notatus, tertius caret numero, quod non videbatur neceſſarium ſemper addere numerum in nummo vulgo omnib⁹ noto. Quinarium ex V. ſeſtertiũ ex IIS. agnoſcis. TANTI NON ES AIS? SAPIS LVPERCE] Egon' te tanti emam? non ſum adeo demens. tu tanti non es Martialis, vt te ſeu librum tuum quinque denariis emam. SAPIS LVPERCE] Laudando irridet hominis auaritiam, & clam inſinuat, & ſe ſapere, cui tanti non ſit Lupercus auarus, quem ſuo libello donet. Idem fere dicit lib. 4. epig. 72.

Ad Cæcilianum.

CXXI XCVI.

Cui legiſſe, ſatis non eſt, epigrammata centum,
Nil illi ſatis eſt, Cæciliane mali.

Supra epig. 17. de ſuis epigrammatib. iudicium tulerat, eſſe quedam bona, alia medio cria plura vero mala. Hic quaſi omnia ſint mala, iocatur, ac proinde ſatis mali in vno libro, ſi centum ſint epigrammata, qui numerus etiam in bonis poterat videri ſatis magnus. Nam ſi bona, multa *ſatis, ſi mala, multa nimis.*

Et magnus nimis liber, non poteſt eſſe optimus. Callimachus, inquit Atheneus. ὁ γραμματικὸς ἔλεγε. τὸ μέγα βιβλίον ἶσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ, *magnum librum magno malo ſimilem.* Martialis ergo quaſi hoc dicit. Fateor epigrammata mea eſſe mala, ſufficiunt ergo centum, qui plura deſiderat, mali plus deſiderat. Catullus de Fuſeno peſſimo poeta.

Idemq; longe plurimos facit verſus.

Propria, inquit Muretus, *ac pene perpetua malorum poetarum nota.* vt quidam de Mantuano ſcriſerunt. Et Horatius de Lucilio Sat. 4. lib. 1. Sed ne & ego in breuium epigrammatum enarratione, longior ſim, verbum non amplius addam, niſi illud noſtri de noſtro.

Eſſe tibi tanta cautus breuitate videris,
Heu mihi quam multis, ſic quoque longus eris?

MATTHÆI

MATTHÆI RADERI
AD
M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATON
LIBRVM SECVNDVM
Commentarius.

EPISTOLA.

*QVID nobis, inquis, cum epistola? parumne tibi præstamus, si legimus epigrammata? quid hic porro * dicturus es, quod non possis versibus dicere? Video, quare tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet. Epigrammata Curione non egent, & contenta sunt sua, id est, mala lingua. In quacunque pagina visum est, epistolam faciunt. Noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam, & * togam saltanti inducere persona. Denique videas (videris, alij probant) an te delectet contra retiarium ferula. Ego inter illos sedeo, qui protinus reclamant. Puto me hercule, Deciane, verum dicis. Quid si scias, cum qua, & quam longa Epistola negotium fueris habiturus? Itaque, quod exigis, fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non lassi peruenient.*

* *P.C datu- rus.*

* *in toga saltanti inducere persona. al. saltantis.*

Ad Decianum V.C. è Stoicorum disciplina, poetæ familiarem & lib. superiore sæpius laudatum, est hoc epistolium, quo quasi mirantem facit poeta Decianum, cur epistolam epigrammatis ipse suis, cum ipsa epigrammata pro se loqui possint, & epistolæ vicem fungi, proscribat. Poeta velut immemor sui, admonitu Deciani abrumpit epistolam, longius alioqui, vt iocatur, progressurus. Fecit idem Statius in Siluis suis. Sunt in hac non pauca, quæ pertinent ad cognitionem antiquitatis. Singula ordine exponemus.

Decianus quis. (Curione non egent) Alieno tempe opera, cũ ipsa pro se loquantur,

VIDEO, QVARE TRAGŒDI EPISTOLAM ACCIPIANT.] Tragœdi se populo vel principi commendaturi, aut aliquid petituri, per epistolam id exequebantur, quam curio in theatro palam recitabat, ipsis loqui fas non erat, indigebant ergo curione seu præcone. Lectas autem epistolas, & alia docet Plinius lib. 4. epist. 7. *Scripsit publice vt è Curionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret eam populo.* Alii putant tragœdiæ præfationis loco præscriptam fuisse.

Tragœdorũ mos per epistolam aliquid petendi.

Curionis autem officium erat, omnia quæ in theatro aut in amphitheatro, vel principis mandato, vel magistratus iussu edictoue, vel alicuius postulato pronuncianda erant, proclamare, vti quasi præconem ageret theatralem Curio. cuius mentio est apud Eusebium Cæsariensem * interprete Ruffino, quem ministrum ille theatralem appellat, hic curionem nominat, qui ad populum iubente magistratu vel prætore aliquid vulgat aut pronunciat. Vocat & Trebellius Pollio Curionem in Gallienis. *Nam*, inquit, *cum taurum ingentem in arenam misisset, exissetque ad eum feriendum venator, neque productum decies potuisset occidere, coronam venatori misit: mussantibusque cunctis, quid rei esset, quod homo ineptissimus coronaretur, ille per curionem dici iussit; taurum toties non ferire difficile est.* Et idem, *mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici iussit, Imposturam fecit & passus est.* Merulam & Turnebum lege. Chalderinus ad Tragœdorum prophasin & Comœdorum prologum epistolam & curionem satis imperite refert. Quæ alioqui notio curionis, hoc loco supersedeo dicere. SVA, id est, MALA LINGVA] liberâ & mordaci. TOGAM SALTANTI PERSONÆ INDVCERE] vulgata hæc scriptura. Adagiographus legit, *in toga saltantis personam inducere*, alii malunt legere: in toga saltanti personam inducere. Est quippiam facere indecorum, vt si monachus saltet, senex ineptiat. Toga enim ciuium Romanorum erat, & honoris causa sumebatur. In ludis scenicis omnes personas pantomimus saltu & gestu exprimebat. *Mimica autem personæ facies & habitus è foro, angiportis & tabernis afferebant cauponæ, coqui productoris, sycophantæ, militis, meretriculæ, conciliatricis, cursoris ebrij stolidi insani, pistoris, pædagogi, surdi, cæci, fartoris, circulatoris, impostoris, ariolatoris & eiusmodi.* D. Cyprianus lib. de spect. etiam nudos ait saltatores esse productos. Alii togam tralate dictam putant, & pro epistola vel soluta oratione accipiendam, personam autem saltantem interpretantur epigrammata vel poemata, quæ in

Curionis officium idem fere quod præconis in theatro.

* *4 Eccl. hist. Ios. Scaligerum ad Festum vide, voce Curiales. Chil. 2. Cet. 5. adag. 18.*

Saltantis persona.

De saltatoribus seu mimis eruditissime Lucian. περὶ ὀρχήσεως.

Q[illegible] ...culu

Iul. Scal. lib. 1. poet. *Persona vndedicta.* *Lib. 1. poet. c. 13.* *Lib. 1. Sat. c. 25* *Ferula & rudis eadem hoc loco.*

cultu scenico saltabantur. Dixeris, inquit Ramiresius, in prætextis & togatis fabulis togas fuisse, & apud C. Plinium c. 48. lib. 7. Stephanionem esse, qui primus togatus saltare instituit, &c. Sane. Sed togæ illæ dictæ improprie, siue togę illæ mimicæ, consuti ex panniculis versicoloriis centones. Scenicæ nempe vestes ἐκ ῥακῶν πάνυ εὐτελῶν συγκεκομμέναι: ex vilibus admodum pannis concisæ. Scripserat forte Lucianus συγκεκροτημέναι, id est, consutæ. Noluere Quirites togam suam, quæ nota propria ciuitatis, actionibus scenicis dehonestari. Musamb. Persona non à personando, vt Gellius existimauit, sed à prisco habitu, qui περὶ σῶμα ludionibus erat vt Scaliger notauit, dicta est. De personarum origine Delrium vide in Proleg. ad Senecam c. 8. CONTRA RETIARIVM FERVLA.] Vero Lipsius tortuosum hunc locum affirmat, nec mea sententia adhuc satis euolutum & explicatum. ferulam, rudem exponunt; retiarium pro tridente accipiunt. Adagiographus. *An, inquit, id faciendum putes, quod nemo non damnet atq; exsibilet?* Calderinus prouerbium in eos dici solitum docet, qui infirmo præsidio contra maxime instructum pugnabant. sic contra obtrectatores Martialis epistola se defensurus erat, qua parum poterat, plus epigrammate valiturus. Turnebus ad nouos auctoratos allusum putat; cum illud Senecæ ex Apocolocyntosi exponit, *Et proximo munere inter nouos auctoratos ferulis vapulare placet. Nouos auctoratos hic dicit, qui nuper mercede conducti sunt, vt depugnent, qui pro auspicio ferulis vapulabant, cum ipsi ferro carerent, & alij gladiatores per ludibrium ferulis eos caederent, vt pueros ludimagistri. Nam aduersus eum, qui ferrum habuisset, cuius temeritatis esset ferulâ batuere?* Hinc scripsit Martialis. Denique videas, an te, &c. Hæc Turnebus. Ergo sensus est, operam ludes poeta, si te epistolâ contra Zoilos defendes, ego primus reclamo & dissuadeo. An illud Gellianum huc facit ξυλοπεσεῖν baculum mouere in aliquem? non autumo, quamuis Adagiographus arbitretur. De ferula nos lib. 14. 80. Alii aliud docent non tam re quam verbis. Epistolam comparant ferulæ, obtrectatores retiariis. Vt ergo Myrmillo antogonista retiarii, parum proficeret ferulâ. ita Martialis parum epistolâ, vt ergo spectatores reclamarent statim, si hi duo ita componerentur, ita ego reclamo tibi Martialis epistola te defendenti; & tanto magis inquit Martialis, reclamares, si nosses cogitasse me de bene longa epistola, quæ tantisper satisfacient, quoad meliora occurrant.

Lib. 18. c. 13. *Noui auctorati.* *Ferulis vapulare geschlagen werden.* *Sensus poetæ.* *Lib. 1. c. 7.*

Ad librum suum.

I. — I.

Ter centena quidem poteras epigrammata ferre.
*Sed quis te ferret * perlegeretq́; liber?*
At nunc, succincti quæ sunt bona, disce, libelli.
Hoc primum est, breuior quod mihi charta perit.
Deinde quod hæc vna peragit librarius hora,
Nec tantum nugis seruiet iste meis.
Tertia res hæc est, quod si cui forte legeris;
Sis licet vsq; malus, non odiosus eris.
*Te conuiua leget misto * quincunce: sed ante,*
Incipiat positus quam tepuisse calix.
Esse tibi tanta cautus breuitate videris.
Heu mihi, quam multis sic quoq; longus eris?

** perlegeretus.* ** Quincunx, quinq; cyathi.*

Liber epigrammatis sine lege numeri epigrammatum.

Argumentum libri est sine certo argumento. Hoc epigrammate enumerat commoda breuioris libri, & tempus eius legendi præscribit. TER CENTENA.] Nullam habet legem liber epigrammatum; epigrammata capit centum, ducenta sexcenta. Quod vel in Anthologia obserues, quam eo nomine adhuc nemo reprehendit. Scio Tragicis aliam esse legem, quibus certi sunt à scriptoribus definiti actus SED QVIS TE FERRET PERLEGERETQVE LIBER] duplex intellectus (τὸ ferret) graue esses onus gestanti, & molestus ob longitudinem legenti, Ita alter ad corpus, ad animum alter refertur. Horatius lib. epistolarum 1. 2. 13.

Si te forte meæ grauis vret sarcina chartæ.
Abijcito ——

Breuis libelli commoda Chartas perdere.

Cicero tamen interrogatus, quæ oratio Demosthenis esset optima, respondit longissima. De eadem re Plinius in epistolis. AT NVNC SVCCINCTI.] Audisti incommoda magni & longi voluminis; accipe nunc commoda breuis. HOC PRIMVM EST BREVIOR.] Qui illepida inuenustaq; scribunt carmina, dicuntur perdere chartas. Martialis lib. 6. epig. 64.

Audes præterea, quos nullus nouerit, in me

Scribere

Scribere versiculos, miseras & perdere chartas. —*vbi quid datur oti,*
Illudo chartis, hoc est, mediocribus illis *Ex vitiis vnum* ——

Lib. 1. plura de his. Ergo primum commodum breuis libri, minor iactura chartæ. hoc ioco-sè. DEINDE QVOD HÆC.] Alterum, breuis liber breui tempore describitur. LIBRARIVS] dicebatur, qui libros transcribebat, idem amanuensis. NEC TANTVM NVGIS.] De nugis & ineptiis iam supra dictum. Occupabitur melioribus libris describendis. hoc modeste. TERTIA RES HÆC EST] Tertium, vt breui tempore à lectore sine molestia percurratur; euoluto enim libro, veluti quodam penso absoluto gaudemus. Diogenes cum diutissime legens, tandem eo venisset vt videret chartam vacuam: *bono*, inquit, *animo estote viri, terram video.* Apophthegmata. TE CONVIVA LEGET.] Tempus libri sui legendi monet esse tum, cum feruet potandi studium, id est, cum hilari sunt conuiuæ. Atque hanc esse mentem Poetæ, ipse docet Poeta ad Plinium.

Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,
Dum regnat rosa, dum madent capilli
Tunc me vel rigidi legant Catones.

MISTO QVINCVNCE] vino aqua calida diluto. Antiquitus enim aqua calida ad potum, & delicias fuit. De quincunce libro 1. copiose, & cum cura disseruimus. Continet quinque cyathos hoc poculi genus. (Sed antequam incipiat positus calix tepere.) Ante legatur liber meus in ipso feruore vini & calore: antequam frigescat & gelet: gemina vis latet sub hoc verbo tepuisse vel enim vt verba iacent, intelligitur, id est, antequam frigeat vinum calida mistum, vel antequam remittatur certamen potandi, & hilaritas conuiuarum. De more bibendi, & miscendi calidam, & frigidam lege lib. 1. c. 4. Electorum Lipsii, qui disertissime, & planissime de hac re disputat. ESSE TIBI TANTA.] Videris inuitasse lectorem, & cepisse pollicitatione hac breuitatis, velut illicio quodam, Sed, HEV MIHI QVAM MVLTIS.] Non tamen omnium vitabis reprehensionem, & fastidium. sunt Romani proceres fastidiosissimi, & mella iuxta ac fella nauseant. Ita mox infra. *lectu vix tibi paginis duabus. Spectas ἐσχατοκώλιον Seuere, Et longas trahis oscitationes.*

*Visus vini aqua diluêdi. Lib. 1. 11. plura. Quincunx. Videtur veterem bibendi morem vt Heraldus notauit, respexisse. ἢ πῖθι, ἢ πῖνε, ἢ μὴ πῖθι, ἔρα. * Germanicum Cæsarem P. C.*

Ad * Cæsarem Domitianum.

II.

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos:
*Quæ datur ex * Dacis Laurea, tota tua est.*

** Cattis al. & rectius.*

CRETA DEDIT MAGNVM.] Domitianus duplicem triumphum egit de Cattis & Dacis, vt Suetonius cap. 6. scribit his verbis: *De Cattis Dacisque, post varia prælia duplicem triumphum egit.* Idem Eutropius lib 7. extremo Xiphil. idem insinuat. Martialis hunc triumphum Domitiani cum Metelli & Scipionis, ac patris cum fratre triumphis componit & hunc illis præponit. Creta dedit magnum nomen L. Metello Cretico qui triumphauit D. Silano, & L. Murena Coss. vt Eutropius testatur Vicit Cretenses. A. V. C. DC. XXCVII. *& crudeliter victoriã exercuit, nec quicquam amplius de tam famosa victoria, quam Cretici cognomen reportauit.* Florus de triumpho etiã Velleius & Dio & Ouid. Fastor. MAIVS DEDIT AFRICA NOMEN.] Scipioni Africano, vt ipsemet in sequenti versu declarat. Res gestæ à Scipione Africano maiore, notiores sunt quam vt expositione indigeant. Africani cognomen militaris prius fauor, an popularis aura celebrauerit, an sicuti Felicis Sullæ, Magnique Pompei cœptum ab assentatione familiari sit, haud pro comperto habetur. Primus tamen hic Imperator nomine victæ à se gentis est nobilitatus. Cicero, Liuius, Polybius, Florus, Eutropius, Zonaras, Salustius. Appianus. De hoc Ennii extant epitaphia:

Duplex Domitiani triumphus. Metellus Creticus. Scipio Africanus maior. Sulla Felix. Pompeius Magnus. Scipionis ex Ennio epitaphium.

Hic est ille situs, quoi nemo ciui nec hostis
Quibit pro factis reddere operæpretium.
Aliud eiusdem.
A Sole exoriente supra Mæotidi paludes
Nemo est qui factis me æquiparare queat.
Si fas endo plagas cœlestum scandere quoiquam;
Mi soli cœli maxuma porta patet.

SCIPIO QVOD VICTOR.] Iam intelligitur ex superiori versu explicato. NOBILIVS DOMITO TRIBVIT.] Germanicus Cæsar Drusi filius primus hoc nomen meruit, non quod in Germania obierit, sed Germanos domuerit. *Hoc loco ne te fallat Raderus* (inquit Ramiresius) *more suo falsus, cum*

Germanici cognomen quis primus meruerit.

Domitianus cur Germanicus dictus

sus, cum existimet Germanicum Cæsarem, qui fraude Pisonis interiit, esse primum cui Germanici nomen obtigit. Non enim is fuit sed eius pater Drusus, & Pater ex lectione lib. 1. Annal. Tacit. Imo ne tu Ramiresi lectorem falle tua ἀνιστορησίᾳ. Ego de lecytho, tu de strophio. ego de viuis, tu de mortuis tractas. Druso patri Germanici, Augusti priuigno, mortuo demum, Germanici nomen decretum in senatu; Germanico autem viuo, & vna cum patre. Ita vt viuus, quemadmodum Scipiones Africani & Asiatici, Metelli, Cretici, Cæsares, Parthici, Getici, Dacici, &c. appellaretur. Dionis historiam attigisses, Florum inspexisses, Albinouani consolationem ad Liuiam, non teipsum potius accusandum, quam alios reprehensum illes, & hunc honorem mortuo patri primum, filio dein habitum mecum cognouisses. De Germanico ego scripsi, qui hanc appellationem dum viueret obtinuit, & viuus hanc, & primus accepit. Drusus viuus nunquam audiuit Germanicus. Mortuis principibus multi alii honorum ac nominum tituli impertiti, vt Diui, &c. appellarentur. Germanicus verò Cæsar hoc nomen habuit proprium & Germanos vicit & triumphauit, à quo SECVNDVM se GERMANICVM dixit Domitianus, quod & ipse victoriam è Germanis reportasset, à quibus & Germanicus appellatus, & mensem Septembrem *Germanicum* appellari iussit. Quod autem SECVNDVS GERMANICVS fuerit dictus docet inscriptio: * T. FLAVIO. T. F. GERMANO. CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI. GERMANICI. SECVNDI. IMP. CÆSARIS. DIVI F. DOMITIANI. AVGVSTI. EXORNATORI. SACERDOTI. SPLENDISS. PONTIF. MINOR. Non interim inficias imus Caligulam, Claudium, Neronem & sequentes Imperatores idem Germanici nomen tulisse, sed non ex victoriis in Germania de Germanis partis vt primi duo Germanici pater & filius, & Secundus Domitianus. Domitianus idem sibi nomen adsciuit, nam puer, seu iuuenis cum Antonio & Mutiano Batauos repressit. Batauí autem seu Holandi inferioris Germaniæ populi sunt, & ad Rhenum habitant. Tacitus, Cæsar, Iunius. Legendum igitur Cattis, non Dacis, Rhenus enim Cattos & Batauos, non Dacos alluit. ET PVER HOC DIGNVS.] De Germaniæ non necessaria expeditione Domitiani iuuenis habes apud Tranquillum cap. 2. in Domitiano lege lib. 4. Histor. Taciti ad finem. pe eadem re no. alibi. Nam puer, seu iuuenis in Germania fuit, & in Gallia, ibique affectauit imperium patre adhuc viuente, vbi expertus est suam iuuentam à senioribus contemni. Non. n tamen Germanici primum post geminos actos triumphos assumpsit. Suetonius. FRATER IDVMÆOS MERVIT.] Eutropius libro 7. *Hic (Vespasianus) cum Tito filio de Hierosolymis triumphauit.* Sueton. 17. Tito: cap. 6. *Triumphauit Censuramq; gessit vna cum patre.* Et in Domitiano cap. 2. *ac triumphum vtriusq; Iudaicum equo albo comitatus est.* Triumphum vero actum, & excidium Hierosolymitanum præter multos alios egregie describit Iosephus Iudæus, quem leges. FRATER] Titus. Idumæos Iudaicos. Idume pars Iudeæ, ab Occidente Iordanem spectans quæ Genes. 32. Ἐδώμ appellatur, eadem Gobolitis, & Amalechitis Iosepho teste, dicta. Stephanus γομολίτας, Nabathæos Strabo vocat. Bidumos hodie incolas nominant. CVM PATRE] Vespasiano, qui bellum Iudaicum inchoauit. Iosephum cepit. QVÆ DATVR EX * DACIS.] Tu solus Dacos vicisti, solus igitur triumphas. non indigebas aut patre vel fratre ad victoriam comparandam. Sed lege quid de Dacico bellico scribat Dio, seu Xiphilinus, & Theodosius ex Dione. *At Domitianus*, inquit, *ducto in eos exercitu, quamquam ipse bellum nulla ex parte attigit (erat n. non solū impatiens laboris corporis, sed etiam animo timido & imbelli, petulans, & libidinosus, &c.) tamen missis ducibus ad bellum gerendum, ac magna parte militum turpiter amissa, vt victor Romam litteras misit.* In eodem prælio cecidit Cornelius Fuscus præfectus cohortium, de quo Iuuenalis, & alibi Martialis. Sed scribendum potius ex Cattis, vt supra monui. DATVR] lege Heraldi animaduersiones ad hunc locum, ex Lipsio epistol. quæstio. lib. 1. epistol. 5. LAVREA] pro triumpho hic ponitur, laureati enim triumphabant. De laurea in Iouis gremio deposita & nos infra & hic copiose Heraldus.

** Apud Panuinium Romæ.*

Titus Hierosolymorum victor. Triumphus Titi & Vespas. Centratim totam triumphi pompam oculis subiicit Panuinius tabulæ picta libro de triumpho

** Transsilvani Daci sunt hodie.*

Domitianus Veneri quā Marti aptior.

Ad Sextum.

V. IV.

Sexte nihil debes, nil debes Sexte, fatemur.
Debet enim, si quis soluere Sexte potest.

Mendicitatem Sexto obiicit. NIHIL DEBES] felicitatem & fortunas Sexti laudare simulat, cum inopiam eius ridet, felix enim, qui nil debet, nec quisquam infelicior obærato. SOLVERE POTEST] qui soluendo non est, nihil debet. Vide carmen in Linum lib. 1. notum est Iurisconsultorum dictum. *Inopia debitoris excludit omnem actionem, quod nil auferri possit ab eo, qui non habeat.*

Iurisf. dictum N. de dolo malo l. nam is, & habeat desurtis toc.

Ad Decianum.

IV. *V.*

Ne valeam, *ſi non totis Deciane diebus,*
Et tecum totis noctibus eſſe velim.
Sed duo ſunt, quæ nos, diſtinguunt, millia paſſûm.
Quatuor hæc fiunt, cum rediturus eam.
*Sæpe domi non es: cum ſis quoq; * ſæpe, negaris:*
Vel tantum cauſis, vel tibi ſæpe vacas.
Te tamen vt videam, duo millia non piget ire:
Vt te non videam, quatuor ire piget.

* *ſæpe negaris.*

VSum quotidianæ cum Deciano vitæ, & coniunctionem impediri locorum intercapedine dicit. Cupio ſanè, inquit, tecum æuum conſumere, nec à latere tuo vnquam diſcedere. NE VALEAM] iurandi formula, vt illæ, diſpeream, peream, ne viuam, ne ſaluus ſim. moriar niſi. Briſſonius fusè lib. 8. Contraria huic obteſtandi: ſic valeam, ſic viuam, &c. Naſicæ iocus ex Cicerone. ſed DVO SVNT QVÆ NOS.] Aſſiduus adeſſe tibi nequeo propter iter duûm millium paſſuum, quæ geminantur, cum redeo abs te, & fiunt quatuor millia. Vnde colligis in vrbe diſiunctiſſimas ædes Deciani à Pila Tiburtina fuiſſe. Nec enim puto Decianum extra vrbem habitaſſe. SÆPE DOMI NON ES.] Nec refugerem laborem, & moleſtiam itineris, ni fruſtra ſubirem. Eſt, cum te domi tuæ non offendo, eſt, cum offendo, & congreſſu prohibeor. NEGARIS] eſſe domi Elegans eſt iocus Naſicæ apud Ciceronem in ſecundo de Orato. *Hic enim cum ad poetam Ennium veniſſet, eique ab oſtio quærenti Ennium ancilla dixiſſet, domi non eſſe. Naſica ſenſit.* (Der Herr ſagt/er ſey nicht daheym) *illam Domini iuſſu dixiſſe & illum intus eſſe: paucis poſt diebus cum ad Naſicam veniſſet Ennius, & cum à ianua quæreret, exclamat Naſica ſe domi non eſſe: tum Ennius, Quid? ego non cognoſco vocem, inquit, tuam? Hic Naſica, Homo es impudens: ego cum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi?* VEL TANTVM.] Ergo Cauſſidicus Decianus. TIBI VACAS] valetudini, aut balneis, curæ cutis. TE TAMEN] Bella & arguta concluſio à contrariis, quaſi ad Decianum, tam longo itinere iret, vt eum ne videret.

Ad Seuerum.

V. *VI.*

I nunc, *edere me iube libellos*
Lectis vix tibi paginis duabus.
*Spectas ** ἐσχατοκόλλιον *Seuere,*
Et longas trahis oſcitationes.
Hæc ſunt, quæ relegente me ſolebas
*Rapta * ſcribere, ſed Vitellianis.*
Hæc ſunt ſingula, quæ ſinu ferebas
Per conuiuia cuncta, per theatra.
Hæc ſunt, aut meliora, ſi qua neſcis.
Quid prodeſt mihi tam macer libellus,
Nullo craſſior vt ſit vmbilico,
Si totus tibi triduo legatur?
** Nunquam deliciæ ſupiniores.*
Laſſus tam cito deficis viator.
Et cum currere debeas Bouillas,
*Interiungere * quæris ad Camœnas.*
I nunc, *edere me iube libellos.*

* ἐσχατοκόλλιον τὸ ἐν ἐσχάτῳ κόλλῳ γεγραμμένον

* *rapta inſcribere lego cum Leuino Torrentio. al. Raptim ſcribere C.P. Rapta ſcribere.*

* *Nuſquam rectè leges.*

* *Interiungere legendum lib. 3. interiungit equos.*

NVNC.] Contra delicatum, & oscitantem lectorem. Ironia est, (de qua libr.1. plura diximus) sæpe insultantis. SEVERE] *qui solebas meas esse aliquid putare nugas*, & laudare, iuberesque, vt eas in litteras mitterem & lucem. En quam præclare mecum agatur, parui tuis monitis, editi, at nunc. LECTI: VIX TIBI.] Tute ipse vix inspecto libro, vnoq; & altero epigrammate, aut pagina lecta, spectas finem. SPECTAS ἐσχατοκώλιον SEVERE.] An fuit Cacilius Seuerus ad quem epistola Plinii est lib.1.22. ἐσχατοκώλιον. imum chartæ appellatur. sic fastigia πρωτόκωλον. Tibullus lib.3.eleg.1.

—— tenuis fastigia chartæ.

ἐσχατοκώλιον quid. πρωτόκωλον. De hoc li. 14. ἐσχατόκωλον. κῶλα chartæ. μακρόκωλα. σωμάτια. Oscitatio molestia vel otij vel somnolentiæ signu. Plutarchum lege περὶ ἀκούειν. Gellium li. 8. c.3. & lib. 4. c.20 de quadam oboscitatione a censoribus notato.

Πρωτόκωλον intelligit inquit Scaliger. sicut imam chartæ ἐσχατόκωλον, spectas ἐσχατοκώλιον, Seuere. Perperam legitur hodie ἐσχατοκωλικόν, siue ἐσχατοκολλητικόν. Legendum est autem cum Scaligero in Tibullum ἐσχατοκώλιον. In charta κῶλα, sunt partes adglutinatæ, quas scapos vocabant. Vnde regiæ chartæ μακρόκωλα vocabantur ab amplitudine. Ab eo membranæ pelles, καὶ διφθέραι, quia vnum tantum κῶλον habent, nec adglutinantur, vt chartæ. Propterea vocantur σωμάτια a Græcis, nimirum quia vnum corpusculum sunt, & non plura membra, vt chartæ. Accipe igitur pro ἐσχατοκωλίῳ, vltimam libri partem. ET LONGAS TRAHIS] signa fastidii edis; oscitari enim, seu oscitare est vel ob somnolentiam, vel lassitudinem, vel otium ipsum, & fastidium ora repandere, apud Plautum Menech. *pandiculans oscitatur, toto corpore extenditur hiante ore.* Hic captæ ex lectione molestiæ argumentum est, vt lib.6.epist.61. *Ecce rubet quidam pallet stupet oscitat odit.* In elegantes homines oscitant. HÆC SVNT QVÆ.] Miratur Seuerum tam cito fatigatum lectione epigrammatum suorum, quæ tamen, cum primum legerentur, ab ipso Martiali raptim excipiebat pugillaribus. VITELLIANIS] quibus amatoria excipiebantur, significat hunc lib. um secundum esse obscœnum. De Vitell. lib.14. epist.8.

Nondum legerit hos licet puella,
Nouit, quid cupiant Vitelliani.

Pugillares Vitelliani amatorii, deinde etiam nummos poscebant. Videntur autem Vitelliani elegantes fuisse, vt nos elegantissimus Velserus admonuit; vult enim poeta scripta sua carmina, & excepta honoris causa à Seuero eleganti charta, quod faciebant proceres Romani, cum sua carmina etiam citreis pugillaribus inscriberent. vt Persius est auctor, Sat.1. plura his lib.14. quanquam lectos citreos, non pugillares loqui videatur Persius. HÆC SVNT SING.] In conuiuiis lectitabant carmina, quod passim ex Horatio Persio, Catullo, Martiale constat. Et nos supra lib.1. docuimus. PER THEATRA] in quibus recitabantur, & canebantur carmina, vt Ouid. de suis cum abesset scribit cantata fuisse. MELIORA] quæ hoc libro continentur, & tibi inaudita, nec enim omnia recitaui. scripsisti quædam à me recitata, nec audisti omnia, quæ postea composui. QVID PRODEST MIHI] macer, tenuis, breuis. Facile intercidunt tam curti libelli, vt supra lib.1. epist.46. dixerat:

Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potius τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

NVLLO CRASSIOR.] Vmbilicus hic accipitur pro vniuerso libro, vt pars pro toto, aliâs pro fine libri. Horat Epod. Od. 14.

Deus Deus nam me vetat
Inceptos olim promissum carmen Iambos
Ad vmbilicum adducere.

Martial. lib.4. *Ohe iam satis est, ohe libelle.*
Iam peruenimus vsq; ad vmbilicos.

Aliàs accipitur pro ornamentis librorum, vt lib.1. diximus, & Catullus ad Varum.

Noui vmbilici, lora rubra membranæ
Derecta plumbo, & pumice omnia æquata.

Vmbilici forma & descriptio.

Ex ebore, ligno, auro, osse fiebant, vt Porphyrio & Lucianus docent, ad imitationem humani in ventre vmbilici, ad quorum similitudinem illi vmbilici Ciceronis, & Valerii Maximi de honesto otio dicti videntur. Aliâs vmbilicus pro eo, quod medium in quapiam re dicitur apud Plautum in Menech. dies ad vmbilicum iam est, id est, meridies. Sic Reate Italiæ vmbilicus, &c. ducere aphoram ad vmbilicum apud Horatium est mediam exhaurire. SI TOTVS TIBI.] Quid hoc rei? non legat centum epigrammata, aut mille etiam toto triduo? ille ne maior libellus, qui triduo absoluitur? Non hoc dicit Martialis, quod triduum sit insumendum in lectione huius vnius paucorum epigrammatum libelli, sed moleste fert, vix totum toto triduo relegi, cum vna alteraue hora possit. Quid, inquit, prodest breuitas, si breuissimo etiam libello triduum insumas? Scriuerius hunc versum putat legi posse hoc modo. *Si totus triduo tibi legatur.*

Atqui *triduo* primam tendit. atq; ita claudicabit Phaleucus. *Malim hic nusquam, quam nunquam:* quamuis *quatriduum* subinde alteram rapiat. sed in triduo non memini. NVNQVAM DELICIÆ] maiores. fastidia grauiora lib.1. epi. 4.

Nescis, heu nescis dominæ fastidia Romæ,
Maiores nusquam ronchi ——

Iuuenal. Sat.1. *Et multum referens de Mæcenate supino.*
Et noster infra. *Quod nec carmine glorior supino.*

Deliciæ

Delicias vocat hîc oscitationes. LASSVS TAM CITO.] Vix ingressus viam consides, vix vna alteraue pagina lecta fastidis. ET CVM CVRRERE.] Nec Bouillæ procul ab vrbe, & propius absunt adhuc Camœnæ. Quibus docet librum suum esse breuem, nec tamen ab oscitante lectore vno decursu perlegi. Sed hæreri in itinere. BOVILLA] Bouillæ dictæ sunt à boum multitudine, quasi boum villa, mendicorum statio, ibi enim stipem colligebant. Vicus olim Latii pauper, via Appia, * ad quem Pædiano teste occisus est à Milone Clodius. facit huius mentionem Persius 6. Satyr.

Bouillæ vnde dictæ.

** ad sacrarium bonæ Deæ.*

Clodius vbi occisus.

—— & credo Bouillas
Cliuumq; ad Vrbi.

Non sunt idem Bouillæ, & Boalia seu Boaulia, seu Baulli, quamuis à bubus dicti, de quibus Symmachus epist. 1. fuse.

INTERIVNGERE] Interiungere inquit Ioseph. Scaliger ad Propert. est deiungere equos, donec cibo recreati sunt. Abiungere, & deiungere, & abiugassere est plane soluere, vt peracto labore vesperi fieri solet. Interiungere sine controuersia legendum, vt lib. 3. c. 66.

Interiũgere. Deiungere Abiungere Abiugassere.

—— & hora lassos
Interiungit equos meridiana.

Interiungere pausam interponere, interquiescere à curru ducta metaphora, in cuius rotas bacillus interiicitur, vt non circumuoluantur. Recentes Grammaticos alia docentes nihil moror. Deinde interiungo, id est, disiungo, vt lib. 3. *Tertio interiungo*, coniungo, interiungere dextras, Vergil. dixit, & alii. CAMOENAS.] Templum Camœnarum est ad portam Trigeminam. Subsistere ad Camœnas. Camœnarum locus, & ædes extra portam Appiam à Fuluio Nobiliore condita fuit, vt idem auctor est Marlianus. Porta Capena olim Camœna dicta iuxtà Camœnas est. Nunc porta S. Sebastiani in prima regione. V. lege Marlianum lib. 1. c. 8. Panuinium de porta Capena, vel via Appia. I, NVNC EDERE] Ironia. cum tam male agatur cum libello meo, vt tam delicatus fastidiosusq; sit, vt exposuit, lector, quis eius causa frustra laborem suscipiat? Repetitiones primi & vltimi versus reperiuntur etiam apud Catullum, & ipsum Martialem. Cat. ad seipsum 58. & alios sæpè.

Templum Camœnarũ.

Porta S. Sebastiani.

Quid est Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli struma Nonius sedet,
Per consulatum peierat Vatinius
Quid est Catulle, quod moraris emori?

Ad Attalum.

VI. VII.

Declamas belle, causas agis Attale belle.
Historias bellas, carmina bella facis.
*Componis belle * mimos, epigrammata belle.*
Bellus Grammaticus, bellus es Astrologus.
Et belle cantas, & saltas Attale belle.
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
*Nil bene cum facias, facis * attamen omnia belle.*
Vis dicam, quid sis? magnus es ardelio.

** facis hæc tamen M.S. longe melius quam illud attamen.*

Ad hunc Attalum est epigram. lib. 1. 80. vbi illius πολυπραγμοσύνην carpit. Hic irridet arrogantiam & iactantiam eiusdem. Quia omnia affectabat & iactabat, & denique actum, hoc est, nihil agebat. DECLAMAS BELLE] notum discrimen inter declamatorem & Oratorem. Orator veras causas, declamator fictas agebat. Morem attende priscorum declamandi, cuius extant certi magistri. Extant Quintiliani declamationes, immo præcepta declamandi eiusque locus, vsus, necessitas, fructus. Lege cap. 10. libro 2. & cap. 5. eiusdem lib. & multis aliis locis. Declamarunt summi Oratores, Principes, Imperatores, domi, foris, in senatu, in theatro, & tabernaculis etiam &c. Nihil enim veteres iudicabant esse vtilius hac exercitatione declamandi. Accuratè multa de veterum declamandi vsu Wouerius ad Petronium, pag. 275. & 276. atque sequenti. CAVSAS AGIS] defendis & causas, nunc partes oratoris, nunc declamatoris suscipis. COMPONIS BELLE] Videtur legendum mimos, non numeros, ne idem bis, terue; quid enim est componere numeros quam carmina facere & epigrammata? Primum ergo genus posuit, carmina, deinde partes; comœdias componis, seu scenicas actiones & histrionicas. & epigrammata, quæ sunt distincta genera scriptionum. MIMI] à μιμεῖσθαι dicti sunt; referunt enim gestu, voce

Ardelio, rerum omniũ desiderio ardens omnia agens, nihil peragens.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & hinsidias Arrius insidias.

De latina & candida dictione Martialis supra dictum. NON MEVS EST] Vt iusta esset magnitudo libri, coactum se dicit à Librario seu bibliopola properata quædam epigrammata adiicere, quibus quasi extrema manus non accesserit. Hinc carmen quidem suum esse, sed crimen librarij, si quid vitij in epigrammatis. Sed quis cogebat ante prodere volumen librario, quam esset perfectum? PROPERAT] Excusant plerique & maximè vulgaris notæ poetæ sua poemata à tempore, & ea vocant αὐτοσχεδιάσματα, perpetuo malorum poetarum more. QVOD SI NON ILLVM] Hoc furor poetam dicere; Quis enim condidit epigrammata, tu, an librarius? Poteras omnino nihil edidisse, si placuisset, quid in librarium confers? Et eum, qui credit te vitiose composuisse, stultum & sine corde, id est, sine mente & ratione putas? Tunc dominus librarij, an Librarius in te imperium? Placet hoc loco etiam Ramiresij explanatio, nec enim recuso vel ab hoste doceri, etsi Ramiresium amicum potius cum Philippo, quam inimicum censeo, ἀγαθὴ δὲ παρὰ φωτὸς ἐσθλοῦ ἐπαίνει. *Librarij bibliopolarum amanuenses vt pensum sibi ab heris vrgentibus absoluerent, solebant nimis properare, & interrumpere voces ipsas, versus aliquando integros præterire, transmittere alios & loco mutare, vnde obscuritas & latinitatis corruptio sæpe consequebatur.* Hæc noster Ram. Sed ò venterum stationem? Musambertius non patitur illum μὴ δ' ὅσον σκαρδαμύττειν, i. e puncto quidem temporis liquido frui honoris gaudio, & melle quod propinarat, qui mox nasturtium edendum apponit, & elleborum bibendum, cor sipientiæ adimit, adeo communis est alea Martis, vt qui modo vincit, idem mox vincatur. vti vere Homerus.

Ξυνὸς ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα.

Versum huius epigrammatis: *Tunc ego te credam cordis habere nihil.* Ram. conatus infelici cursu & inuita Critica, castigare & rescrib·llare:

Numne ego te credam cordis habere nihil?

Id est (inquit Ramiresius) si dixeris me peccasse, te cordatum & sapientem iudicabo &c. Hunc contra Musambertius: *Enimuero iam nequeo continere. Tu homo videris iuratus ad euertenda Valerij sensa & tonos accessisse. Quippe ex lineis antica pugnat interpretatio tua cum mente Valerij. Nec enim, vt tu comsomnias. in seipse iocari, sed in lectorem voluit. Patet conclusione ipsa ——sed tu non meliora facis. At finem epigrammatis non pessime legis, sed neq; optime intelligis. Nempe:*

Ista tamen mala sunt. Quasi nos manifesta negemus,
Hæc mala sunt, sed tu non meliora facis.

Peccas tamen cum erotetice legis, negemus? Sed grauius peccas, cum interpretaris, quasi dictum per lectoris personam ad Valerium. Si manifestum, inquis, est. esse mala tua carmina, cur me stultum appellas, quod errores tuos non librario, sed tibi imputem? Atqui Valerij verbum illud est ad lectorem Quasi vero. inquit, ego manifesta mala ita diffitear, aut potius vltro non fatear. Cum dixisset poeta errores illos librarij esse, instat lector, & vrget, inquiens. imo non librarij, sed tua ista mala sunt siue peccata: Quasi vero inquit Valerius, ego diffitear esse illa peccata siue mala mea, & non ioci causa dixerim librarij. Sed vtcunq; res habet, siue mea illa, siue librarij sunt, tu meliora non facis. ISTA TAMEN MALA] Premit lector. seu tu causa erroris, seu librarius constat mala esse carmina. QVÆ SI] respondet poeta, si negamus mala esse, quæ manifesta sunt, imprudentes sumus. Sed melior Apollo emendabit, *quasi nos*, vel *quasi sic manifesta negemus*. Dicat lector. *Ista tamen mala sunt*, perinde quasi nos mala esse negemus, cum sint manifeste mala. Respondet Martialis. Hæc quidem &c. HÆC MALA SVNT] Fatemur ergo mala esse, seu mea, seu aliena culpa. SED TV NON MELIORA] In eadem naui lectorem dicit esse, qui possit quidem aliena carpere, sed non emendatiora melioraue scribere. Ergo diceret lector, quia te meliora non facio, nulla facio, idem tibi faciendum iudico, sic enim Aristarchus respondisse fertur quærenti, cur ipse nulla ederet. *Quia*, inquit, *qualia possum, nolo, qualia vellem, non possum.*

In Postumum

X. VIII.

*Basia dimidio * quæ das mihi Postume labro,*
Laudo: licet demas hinc quoq; dimidium.
Vis dare maius adhuc, & inenarrabile munus?
Hoc tibi habe totum Postume dimidium.

* V. quod.

Impuri oris & capitis hominem notat, cuius, vt alibi scribit, maluit dextram osculari, quam oris osculum excipere. sic enim infra, hoc eodem lib. e. 21.

Basia das aliis: aliis das Postume dextram:
Dicis, vtrum mauis, elige; malo manum.

BASIA

Legatur & Heraldus ad 21. ep. Mart.

BASIA] Oscula officiosa nonnullis etiam hodie gentibus vsurpata, apage autem cum turpibus & obscænis. Lipsium El. 2. c. 6. de honestis audi loquentem & docentem. *Ea inquit, vetere vsurpata vulgo, & in omni fere corporis parte. Primum in facie. ibiq; os, genas, oculos suauiabantur, in itu, reditu gratulatione, imo in salutatione, & cottidiano occursu. Qui mos inualuit maxime, vt opinor, sub Augusto, idque Tiberius, vt nouistin, conatus pellere, & oscula cottidiana, ait Suetonius, prohibuit edicto. Sed hasit nihilominus, & creberrima oscula iterum sub principibus secutis. vnum Martialem lege, cui benigna materia iocorum ista.* His Lipsius mox testes addit. & deinde subiungit. *Secundo manus osculabantur, sed non tamen nisi potentiorum. Is mos etiam libera Rep. ratus, natus videtur à blanditiis candidatorum, prensantium, rogantium, & alienas manus osculantium.* Hoc ipsum postea auctoritatibus affirmat, Parte autem auersa dextrę osculum imprimebatur, vt ex Plinio ostendit. Viliores tamen, & serui manus, alij oculos, genas, collum osculabantur, Arriano lib. 2. Dissert. sic docente. Ab osculatione manus nata illa loquendi formula AD MANVM ACCEDERE] Tertio denique genua osculati, imo & pedes. Testimonia cumulat ibidem ex Vopisco, Capitolino, Ammiano, Plinio iuniore, Dione, &c. quæ tu otiosus leges. DEMAS DIMIDIVM] nec totum, nec dimidium tuum osculum, opto, tibi habe totum cum dimidio. MAIVS ET INENARRABILE MVNVS] vin' vtroque me labro disuauiari? sic interpretor, nec moror nequiores cogitationes. De basiis hisce Posthumianis mox infra ep. 12. *Esse quid hoc dicam*, &c. & epi. 21. 22. 23. Eius argumenti est 15. in Hermum & alia, aliis libris. Tu mihi hic Fabium aliquem Persicum cogita, aut Mamercum Scaurum, aut Natalem, de quibus Seneca & Tacitus.

Seneca. 4. de ben. c. 21. & epist. 87. Tacit. annal.

In Selium.

XI. IX.

Quod fronte Selium nubilâ vides Rufe,
*Quod ambulator porticum terit * serus,*
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus,
Quod pœne terram tangit indecens nasus,
Quod dextra pectus pulsat, & comam vellit,
Non ille amici fata luget, aut fratris,
Vterque natus viuit, & precor viuat.
Salua est & vxor, sarcinæq; seruiq;:
Nihil colonus, villicusq; decoxit;
*Mæroris igitur caussa; * quod domi cœnat.*

** Seram per hypallagen. Ambulator pro otioso vt scrib. positus Cato R. c. 5. Villicus ne sit an ambulator, sobrius siet semper. Et de Villica alibi, neue ambulatrix siet.*

** Causa quæ malim causa quæ? domi cœnat. Aldina habet, caussa quæ est? domi cœnat. ead. est MS. P. * Plinius in epist.*

Selius à nemine vocatus triste luget. FRONTE NVBILA] contrarium, serena, metaphora à cœli tempestate; nubila, mœsta, tristi, caperata. Sub porticibus conueniebant, qui ibant, & redibant, ibique maxima occasio erat colloquendi: vt hic ad curiam. * LVGVBRE QVIDDAM] præsegerit signa tristitiæ. PIGER] tacitus, tetricus, demissus, mœstus. QVOD POENE] Qui & longus per se, & longior depresso vultu videbatur. Multi sunt apud poetas ioci in nasos Antholog. 2. cap. 13. εἰς δυσώδεις.

Ἡρὶς Κάστορ@, &c.

Ερμοκράτης τῆς ῥινὸς ἦν &c. vbi plura. Extat & Mureti iocus & Adagiographi Dialogus. QVOD DEXTRA PECTVS] Fiunt hæc non nisi in grauissima fortuna aut casu. In morte parentum, aut vxoris, aut filiorum, &c. aut fortunarum iactura facta. Heraldus totis paginis hunc morem & ritum plangendi pectus, & lugendi persequitur. NON ILLE AMICI] Hæc amissa pariunt dolorem dignum, ob quem pectus tundas; crinem vellas. SARCINÆ] opes metonym. videtur alludere ad formulam, *satin salue?* cui respondet poeta: salua omnia, frater, natus, vxor, domus, familia, pecunia. NIHIL COLONVS] Nihil in agro, in prædiis, & villis perditum, aut amissum. DECOXIT] per luxum aut negligentiam perdidit, ex re familiari nihil damni dedit. MOERORIS IGITVR CAVSA] Nulla inquit ergo restat alia causa, cur lugeat, quàm quòd à nemine sit vocatus, & cogatur domi cœnare, forte & auaritiam insinuat, quòd Selius vt suis parceret rebus, lambebat mensas aliorum. caussâ quâ legit Lipsius.
Emendarim potius causa quæ? vel, causa quæ est?

Domicœnalis causa mæroris Selio domi nil habente.

In

In Postumum.

X. XII.

Esse quid hoc dicam, quòd olent tua basia myrrham,
Quodq́; tibi est nunquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quòd oles benè Postume semper.

POSTVME, NON BENE OLET, QVI BENE SEMPER OLET.

Impurum notat Postumum. Est Postumus fictum nomen, carpitur enim semper ferè Postumus; apertè autem neminem licebat per legas canillari. ESSE] quid dicam te admisisse flagitij? Intelligo enim, cùm oscularis me (quod more gentis fiebat, cùm sibi occurrerent, vt paullò antè dictum) esse ementitos odores, quibus tetrum odorem dissimules. olent enim tales hircum. HOC MIHI SVSPECTVM] Benè olet, qui nihil olet. Cic. ad Att. 2. *Vt mulieres ideo benè olere, quòd nihil olent, videntur.* Plautus Mostell. *Quia Æcastor mulier rectè olet, vbi nihil olet: Nam istbaec veteres, quæ se vnguentis vnctitabant, &c. Quæ oleant, nescias, nisi id vnum, vt malè olere intelligas.* Idem: *Olet stabulum, nauseam, vnguenta exotica.* Diogenes cuidam habenti capillos vnguento delibutos: *Caue,* inquit, *ne τῆς κεφαλῆς εὐωδία, τῷ βίῳ δυσωδίαν adducat.* Fama est quidam odor vitæ, vnguentum & odores olent mollitiem, & nequitiam: Quis autem tales viros non non dicat mulieres? Cicero de Catilinariis pueris. * Horat. Ep. od. 12. Hoc Hemistichum B. Hieronymus, Petronio Arbitro assignat, epist. ad Demet. *Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris pelliculas olentes; de quibus illud arbitri est. non benè olet, quæ benè semper olet, virgo deuitet.* Ita & illud, Ingeniosa gula est, apud eundem Arbitrum, & Martialem legitur. Cælius plura super hac re lib. 24. c. 25.

* Orat. 2.

Ad Sextum.

XI. XIII.

Et iudex petit, & petit patronus.
Soluas, censeo, Sexte, creditori.

Corrupta Romanorum iudicia taxat. IVDEX PETIT] pecuniam & munera spe absolutionis. PATRONVS] ob defensionem, creditor iure & lege. SOLVAS CREDITORI] præstat vni satisfacere, quàm tribus. Nam si iudicio contendas, vt vincas nimirum, duobus satisfacies. Victus etiam tribus. Facilius ergò soluis creditori. Hoc ex Verrinis intelligis. Verres enim non sibi tantùm, sed canibus suis aliena legit. Petronius.

Ergo iudicium nihil est, nisi publica merces.
Atq; eques, in caussa qui sedet, empta probat.

Ad Paulinum de Selio.

XII. XIV.

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties iam videt esse domi.
Currit ad Europen, & te Pauline, tuosq;
Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.
Si nihil Europe fecit, tum septa petuntur,
Si quid Phyllirides præstet, & Æsonides.
Hinc quoq; deceptus Nemphitica templa frequentat,
Assidet & cathedris mœsta iuuenca tuis.
Inde petit centum pendentia tecta columnis,
Illinc Pompei dona, nemusq; duplex.
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grilli tenebras, Æoliamq́; Lupi.

Selius Laudicenus.

Europe picta in porticu campi Martij.

πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, Hom.

Templum Neptuni cũ porticu.

* iterumq́.

*Nam thermis iterum * cunctis, iterumq́ lauatur,*
Omnia cùm fecit, sed renuente Deo;
Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit,
Si quis ibi serum carpat amicus iter,
Per te, perq́ tuam, vector lasciue, puellam,
Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure, voca.

Occide Selium Taure, vt cum Ioue possis cœnare.

Idem argumentum cum 7. epigrammate de Selio Cœnipeta, quem & infrà ab eadem virtute laudat. A nemine inuitatus vltro omnibus occurrit vbique, vt inuitetur; CVRRIT AD EVROPEN] Currit ad Campum Martium; in quo multæ porticus scenicis picturis nobiles. inter quas Europe à Ioue tauro vecta descripta erat, à qua locum Martialis totum nominat. Fuisse id genus picturas in campo Martio, ex Strabone intelligimus, qui de operibus campi Martij hunc in modum scribit: πλησίον δ' ἐστὶ τοῦ πεδίου τούτου, καὶ ἄλλο πεδίον, καὶ στοαὶ κύκλῳ παμπληθεῖς, καὶ ἄλση, καὶ θέατρα τρία, καὶ ἀμφιθέατρον, καὶ ναοὶ πολυτελεῖς. *Iuxta autem est alius campus, & porticus circumquaq́ plurimæ, & luci, & theatra tria, & amphitheatra. Quid perennes solo herbas coronatosq́ ad fluminis alueum colles? Scenicarum ostentatio picturarum, omniq́ generis spectacula præstant, vt difficulter, & inuitus abscedas.* Vbi tamen nescio, an ita capienda sint, verba Græcè, vt habent interpretes. Nam Strabo Græcus ita habet. Καὶ τὸ ἔδαφος ποάζον δι' ἔτους, καὶ τῶν λόφων στεφάναι τὰ ὑπὲρ τοῦ ποταμοῦ μέχρι τοῦ ῥείθρου σκηνογραφικὴν ὄψιν ἐπιδεικνύμεναι δυσαπάλλακτον παρέχουσι τὴν θέαν. En στεφάναι inquit, σκηνογραφικὴν ὄψιν ἐπιδεικνύμεναι, hoc est, *coronæ referentes speciem scenæ*, non de pictura ibi, sed de situ loci videtur loqui, qui cinctus vndequaque videatur speciem theatri præferre. Nec tamen negarim fuisse ibi picturas, nam varia opera in campo Martio insinuat Strabo. LAVDAT ACHILLEOS] Exercebantur in campo Martio, omni genere armorum, & saltu, item & cursu. Strabo, Horatius, Marlianus & alij. Mercurialis gymnastica consule. Selius laudabat Paullinum à celeritate pedum, & subinde alterum Achillem nominabat, de quo mil hes Homerus. πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Achillei pedes igitur celerrimi pedes. SINE FINE] sine modo, vt quiuis animaduertat, eum cœnam captare. SI NIHIL EVROPE] Enumerat loca conuenientibus hominum frequentata. SEPTA] autem fuere inter columnam, postea Traiano ædificatam, & aquam virginem. Erant autem loca tabulis inclusa & vallata, in quibus P. R. suffragia laturus claudebatur. Martialis noster. *In septis Mamurra diu multumq́ vagatus, &c.* Quæ & ouilia, ab ouium septis ducta similitudine appellabantur. Lucanus.

——— *& miserè maculauit ouilia Romæ.*

Plura de septis apud Blondum, qui aliquantum discedit à Marliano, quem nos sequimur lib. 6. cap. 13. Ergo si nihil Europe fecit, si nullam cœnam promisit Europe, recurrit ad septa, vtrum ibi spes aliqua affulgeat. SI QVID PHYLLIRIDES] Iuxta septa Dionysius scribit templum Neptuni cum pulcherrima porticu fuisse, quem locum M. Agrippa multis decorauit ornamentis. In hac porticu Argonautarum historia, seu fabula erat egregio opere depicta. Martialis partem nominat pro tota pictura; nam inter Argonautas, de quibus alibi fusius, fuit Chiron, Phyllires, & Neptuni filius, & Iason Æsone procreatus. A Phyllire fit Phyllyrides ab Æsone Æsonides. Vterque omnium prope poëtarum fabulis celebratissimus. HINC QVOQVE DECEPTVS] Templa Isidis plura lego Romæ extitisse. Erat Isidis Antenodoticæ à Bassiano conditum, iuxta Bassiani thermas, vt lapidis inscriptio, & Marlianus lib. 4. c. 24. docet. Lego & in regione quinta, quæ Exquilina dicitur, Isidis templum fuisse apud P. Victorem Sext. Rufum, Marlianum, Lego apud Ouidium, Iuuenalem, Propertium, Suetonium, Eutropium, Diodorum, Apuleium, & alios de templo Isidis in Campo Martio, iuxta ouilia. Iuuenalis Sat. 6.

Isidis antiquo quæ proxima surgit ouili.

Hoc intelligit Martialis.

Vide Iosephum lib. 8. Antiquit. de Iustine quodam Mundo.

Id est septis, de quibus suprà. Locus erat infamis stupris & adulteriis, vt ex artibus Ouidij, & Tristibus, aliisque scriptoribus colligis. Fuit Isis Inachi fluminis filia à Ioue in vaccam mutata, dicta Io. reuersa apud Ægyptum in pristinam formam pro Dea colebatur, cui operaturæ fœminæ à viris abstinebant. Sacra Romam ex Ægypto translata. Hinc Memphitica (Memphis enim caput Ægypti) dicitur. Ouid. 3. Am.

Visit thuricremas vacca Memphitidos aras.

Sed cùm Tiberius euerterit templum, vt Iosephus scribit, quid Martialis hic illud ædificat? duplex responsio, aut locum seruasse nomen vbi templum steterat, aut refectum à sequentibus Imperatoribus. Nam de Domitiano Eutropius disertis verbis Iseum, hoc est, isidis templum ab illo conditum scribit. Et Suetonius in Othone. *Sacra, inquit, etiam Isidis sæpè in linea religiosaq́ veste propalam celebrauit.* Vnde intelligis iam instauratum fuisse templum, ante Domitianum. Fuit etiam in tertia regione Isidis, seu potius Serapidis templum, à quibus regio nomen habet. Lege Marlianum lib. 7. Pub. Victorem. Sex. Rufum tertia regione. ASSIDET ET CATHEDRIS] Currit ad Memphitica templa, & ibi in subsellijs (cathedra enim subsellium est, vt suprà dictum) expectat, dum vocetur.

cetur. MOESTA IVVENCA] Propter virum Osirim amissum, quem & diu mœsta quæsiuit, & laceratum inuenit apud Phialam. Seruius. IVVENCA] simulachrum Isidis iuuenca. Ouidius Meta.

Ne fuge Niliacæ Memphitica sacra iuuencæ,
Cùm sedeat Pharia sistris operata Iuuenca. & suprà 1. de Art.
——vacca memphitidos eras.

INDE PETIT CENTVM] refert hæc Martialis ad porticum Europes Corinthiam, Cn. Octauij. Domitius Vispanam suspicatur. Merula ad primum Ouidij de Art. *Porticus, inquit, olim Romæ erigebantur, ad inambulationes & vmbras. Inter cæteras maxima fuit admirationis porticus Corinthia, ad Circum Flaminium erecta à Cn. Octauio ita appellata, propter æs Corinthium, quod erat in columnis.* Eadem dicebatur porticus in campo Martio, ingenti sumptu ædificata, & vt scribit Plinius, clara pictura Antiphili pictoris, qui Cadmum & Europen pinxit. * Et hæc erit illa de qu suprà Martialis: *Currit ad Europen,* ad quam videtur allusisse lib. 5. Strabo. Sunt qui velint hic Pompeiam intelligi, de qua Ouid. 1. de Art.

* In Pompeia.

Art. *Tu modò Pompeia lentus spaciare sub vmbra,*
Et tertio. *At licet, & prodest Pompeias ire per vmbras.*
Et Propertius. *Scilicet vmbrosis sordet Pompeia columnis*
Porticus aulæis nobilis Attalicis.

Certè clarius & expressius de columnis Propertius, vt propè concedam in sententiam Merulę ad lib. 3. de Art. vbi hanc porticum in campo Martio Pompeiam vocat: ex Plinio, qui lib. 35. cap. 10. disertè Antiphili picturam in Pompeia ponit, sed Merula videtur eam confundere cum Cn. Octauij fabrica. De eadem porticu infrà lib. 3. e. 17.

Proxima centenis pendentia tecta columnis
Exornant ficta, qua Platanona fera.

Alij Vipsanam intelligunt, inter quos Torrentius Læuinus cum Domitio. vt infrà lib. 3.

Proxima centenis ostenditur vrsa columnis.

Panuinius non definit vbi porticus hæc C. columnarum fuerit, sed nec constare dicit.

ILLINC POMPEI] Hic primum videtur porticum Pompeianam intelligere, nisi quod in hexametro dixerit generatim, nunc speciatim exprimat. NEMVS DVPLEX] Strabo lib. 5. in descriptione vrbis. Propè hunc campum alius est campus, porticusq; circumcirca permultæ, tum luci, Lucos vocat, quia plures. Quanquam Domitius de vnico intelligendum putet, eoque magno, quem mox infrà nominat Strabo. A tergo lucus magnus, tabulationes habens mirabiles. Læuinus Torrentius ad duplices Pompei hortos refert, de quibus Cicero pro Milone, & Asconius Pędianus interpres. *Atq; adeò ob eas suspiciones Pompeius in superioribus hortis se continuerat;* Vt manifestum sit duplices fuisse. NEC FORTVNATI] Quatuor sunt nomina balnearum, & balneatorum mercenariorum, hoc est, qui mercenaria balnea habent Fortunati, Fausti, Grylli, & Lupi. Sed Lupus & Gryllus habebant planè contrarias, Gryllus in loco depresso & tenebricoso, Lupus propè in cœlo, hoc est, excelso, patente & libero, velut regia Æoli, vndè vocat Æoliam ab Æolo ventorum Deo. Quo autem loco singulæ fuerint, nec Martialis, nec alij tradunt. Panuinium in XIV. reg. lege frequentissimæ fuere in vrbe, & singulæ regiones certum ac magnum numerum habebant, vt è Sexto Rufo, & Pub. Victore constat. NAM THERMIS] De thermis lib. extraordinario de spectaculis dictum. In Thermis propriè sudabatur tantum, balneis lauabatur, coniunctæ erant ferè semper balneæ & thermæ. Et fortè cùm dicit *Æoliamq; domum*, thermas insinuat. Selius per omnes balneas, omnes thermas discurrit, sudat, lauat semel, iterum ac sæpius, vt aliquem tandem reperiat, quo cum cœnet. OMNIA CVM FECIT] Sed aquam è pumice petiuit, ab omnibus delusus est auersa Fatentia. Loquendi vsus sanè priscus, omnia facere, quod Græci dicunt, πάντα ποιεῖν. Martialis de Agathino; *Vt peccare velis, cùm feceris omnia, falli. Non potes.*—Seneca epist. 125. *Quid formam colis? Cum omnia feceris, à multis animalibus vinceris.* Petronius. *Quæ ergo dementia est omnia facere, ne quid è nobis relinquat sepultura?* LOTVS AD EVROPES] Decursis & lustratis omnibus publicis locis, rediit ad primum, hoc est, ad porticum, & Buxetum Europes, ibique insedit iter, in proximum quemque amicorum impetum facturus, cœnamque opportunè importunè extorturus, sed vsque ad vesperum cunctatus miser, tamen à nemine vocatus, incœnatus domum redire cogitur. PER TE, PERQVE TVAM] Misertus poëta miseri Selij, rogat Iouem, vt saltem ipse Selium ad cœnam inuitet, & est salsissimum epiphonema, imprecatur enim mortem Selio, dum videtur. dolere illius vicem, & vt Iouis conuiua sit precari. Verborum ordo est: PER TE TAVRE LASCIVE VECTOR] id est, Iupiter in taurum mutate, & per tuam puellam Europam te rogo, saltem tu Selium desertum ab omnibus, ad cœnam voca; hoc est, interfice, vt possit tecum cœnare. Non interpretor taurum Phalaridis vt quidam.

Imprecatur mortem Selio.

In Hermum.

XIII. XV.

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humanè facis Herme, non superbè.

Hermi spurcum os taxat. NVLLI PROPINAS] hoc alioqui videtur affectatæ arrogantiæ & grauitatis, neminem iudicare tanti, cui propines. De more propinandi fuse Heraldus, cui locum addo ex Tertulliano maximè ad hunc locum pertinentem. Vnde discas, quàm horruerint antiqui, calices ab infami aliquo tractatos, quem morem poeta doctè allusit, cùm dixit ab Hermo humanè factum, quòd calicem suum, in quem obscænitas oris impuri ructarit, nulli propinarit; vbi poëta Hermum infamibus comparauit; horum enim calices non libabant veteres. Tertullianum audi lib. de Resurrect. carnis, cap. 6. *Et tamen calicem non dico venenatum, in quem mors aliqua ructarit, sed fricticu, vel Archigalli, vel gladiatoris, vel carnificis spiritu infectum, quæro an minus damnes quam oscula ipsorum? Nostra quoq; sordibus nubilum vel non pro animo temperatum, elidere solemus quo magis pueros irascimur.* Lege quæ sequuntur. HVMANE] modestè, non superbe, quæ sunt contraria. Laudare simulat illius modestiam, damnat impuritatem. Caussam enim relinquit lectori cogitandam. Si enim superbe non facit, sed humane non propinando, caussa latebit, & conscientia impuri oris, à quo, suspicari poterat, abhorrere conuiuas. Tale est infrà in Postumum. *Basia das aliis*, &c. *aliis dextram, malo manum*, quia os impurum. Seneca de Fabio Persio; à quo Græcinus propinationem non accipiebat. L. 2. de Ben. cap. 21. Nihil attinet plura addere, aut nomina flagitiosorum edere. quæ apud Domitium & alios reperies.

In Zoilum.

XVI. XIV.

Zoilus morbum simulabat, vt vestem pretiosam ostentaret.

Zoilus ægrotat: faciunt hanc stragula febrem,
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
*Quid torus à Nilo, quid sindone *tinctus olenti?*
Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas omnes.
Vis fieri sanus? stragula sume mea.

* *unctus.*

Plurima sunt in Zoilum epigrammata. Videndum quis Zoilus hic, aut vnde nomen eius propagatum in obtrectatores, inuidos, maledicos, mordaces, & huiusmodi genus hominum, quibus hoc nominis tribuitur. Vt enim Cæsares à Iulio Cæsare, vt maxima minimis contendamus, & Hercules ab Hercule, Harpocrates ab Harpocrate, Catones à Catone, Machaones à Machaone, sic à Zoilo calumniatore, iactatore, obtrectatore Zoili pari ingenio, & liuore imbuti dicuntur. Zoilum auctorem pestilentissimæ nationis ita describit Ælianus Var. lib. 11. c. 10. Ζωΐλος ὁ Ἀμφιπολίτης ὁ καὶ εἰς Ὅμηρον γράψας, καὶ εἰς Πλάτωνα, καὶ εἰς ἄλλους Πολυκράτους μὲν ἀκουστὴς ἐγένετο. οὗτος δὲ ὁ Πολυκράτης, καὶ τὴν κατηγορίαν ἔγραψε τὴν κατὰ Σωκράτους. ἐκαλεῖτο δὲ Ζωΐλος οὗτος, κύων ῥητορικός. ἦν δὲ τοιοῦτος. τὸ μὲν γένειον αὐτῷ καθεῖτο, κέκαρτο δὲ ἐν χρῷ τὴν κεφαλήν, καὶ τὸ ἱμάτιον ὑπὲρ τὸ γόνυ ἦν. ἤρα δὲ ἀγορεύειν κακῶς, καὶ ἀπεχθάνεσθαι πολλοῖς χολὴν εἶχε, καὶ ψογερὸς ἦν ὁ κακοδαίμων. ἤρετο οὖν αὐτόν τις τῶν πεπαιδευμένων, διὰ τί κακῶς λέγει πάντας; ὁ δὲ, ποιῆσαι γὰρ κακῶς βουλόμενος οὐ δύναμαι. De eodem Adagiographus. *Zoili audax quidem*, inquit, *sed parum felix mordacitas prouerbio locum fecit, vt vulgo Zoili vocentur alienarum laudum obtrectatores & alienorum librorum reprehensores.* Martial. *Pendentem volo Zoilum videre.* Sophista fuit, hoc facinore potissimùm nobilitatus, quod Homerum poetarum omnium principem ausus est libris aliquot in eum scriptis incessere. Vnde Ὁμηρομάστιγος cognomen meruit, quod ipsum etiam abiit in prouerbium: sic enim appellari cœpti nobilium auctorum castigatores, vel teste Plinio in præfatione historiæ naturalis. *Zoilus commentarios in Homerum compositos Ptolomæo tyranno Ægyptiorum obtulit, ingens videlicet præmium à rege sperans. Verum cùm nihil mitteretur, penuria coactus misit, qui peterent. Ibi Ptolomæus ait se mirari, cum Homerus ante tot annos defunctus, tot hominum millia pasceret, Zoilum egere, Homero doctiorem.* Denique per occasionem supplicio affectus est. Quanquam de mortis genere diuersa tradant auctores. Sed de Zoilo alibi ex Vitruuio plura. Hoc epigrammate Zoili stolidam opum & vestium ostentationem, stringit. Qui tantum ea gratia simularat morbum, vt stragulam vestem salutantibus visentibusque ostenderet. ZOILVS] ægrotat ab animo magis, quàm corpore. Sed quæ caussa morbi? FACIVNT HANC STRAGVLA FEBREM] vt morbum simulares stragula sunt caussa. STRAGVLA] Vlpianus ex Labeone docet instratum omne vestimentum contineri, quo amicimur, neque dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium. Hunc emendat Valla lib. 6. El. cap. 46. qui docet stragulam vestem non dici de vestimento hominis, quo amicitur. *Ego*, inquit, *non memini me reperire stragulam vestem in hunc sensum, sed in opertorium lectorum potius, vbi & dormiebant, & discumbebant.* Probatque id ex Varrone, qui stragulum à sternendo deducit. Sed stragulum, & stragulam vestem etiam pro hominis indumento à probis auctoribus vsurpari, recteque & signate Vlpianum docuisse propugnat Alexander Neapol. lib. 2. cap. 19. Ex Liuio, Tranquillo, Paullo Iurisconsulto, qui ex pellibus vestes confici dicit, cùm & tunicam, & stragulam pelliceam nonnul-

Stragulum quibusdam tantum quod insternitur.

nonnulli habeant. Festo Pompeio Grammaticorum eruditissimo, qui *Vestis*, inquit, *generaliter dicitur, vt stragula, vt pallium, tunica, vel penula.* Hæc Alexander. Asconius in tertiam Verrinam stragulam vestem pictam esse docet. Isidorus, *Stragulum*, inquit, *vestis est discolor, quod manu artificis diuersa varietate distinguitur, quod in stratu & amictu aptum sit.* Manut. in apopht. *Non tu desines virtutis stragulas pudefacere, de eo, qui exuuio leonis tectus incedebat.* Ego stragulum nudè positum pro tapetibus tantum vsurpari puto; cum verò additur: stragula vestis, etiam pro indumento seu pallio, seu toga, &c. pro me facit Marcellus Donatus, cuius verba laudo, quicquid ogganniat Ramiresius, cui tum demum respondebo, vter errarit, cum ille perpetuum edictum prætoris ad quod Vlpianus scripsit, protulerit. Donatus. Laurentius Valla lib. Eleg. 6. cap. 46. Vlpianum corripit in l. instratum, D. de verb. significat. & in l. lex Cornelia, §. inter pulsationem, D. de iniur. affirmantem authoritate Labeonis omne vestimentum esse, quod insternitur, & ita stragulam vestem esse quæ iniiciatur. Quod [illegible] iter confirmat in l. quæsitum est, §. sed si fundus, D. de fundo instr. Aduertas, ait Valla, vestimentum non esse instratum, neque stragulam vestem pro hominis vestimento, sed pro lecti operimento tantum apud authores inueniri. Vlpianum & Labeonem, Alex. ab Alexandro, Genial. lib. 3. cap 19. tutatus est: & primum authoritate Tranquill. in Nerone, cap. 50. Funeratus est, inquit, Nero impensa ducentum millium stragulis albis auro intextis, quibus vsus Kalendis Ianuarii fuerat. *Addit authoritatem Pompei Festi scribentis*: Vestis generaliter dicitur, vt stragula, vt pallium, tunica, vel penula. Paulus quoque Iurisconsultus in l. quum & tunicam, D. de aur. & arg leg. & ipse tradit, ex pellibus vestes confici, quum & tunicam & stragulam pelliceam nonnulli habeant. Postremò adducit & hunc Liuij locum pro sua corroboranda opinione. Addimus & nos Ciceronis authoritatem in 3. Verr. scribentis: Per triennium quæ illa plena domo telarum stragulam vestem confecit, nihil nisi conchylio tinctum: & iterum 4. Verr. Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, multam Deliacam supellectilem, &c. D. Hieronymus stragulam muliebrem vestem appellat Prouerb. capite 31. Stragulam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius. Non desunt, his non obstantibus, qui stragulam seu stragulum opertorium lecti, à strato aut sternendo dici putent, ex Plinio lib. 13. capite 12. vbi de papyro agens, ait: Et è libro vela, tegetesque, necnon & vestem & stragulam, ac funes. Martialis Epigram. vlt.

Stragula purpureis lucent villosa tapetis.

Et paulò post: —— *Nudo stragula ne toro paterent.*

Tibull. 1. Eleg. 2. *Nam neq; tunc pluma, nec stragula picta soporem.*

Et Martial. lib. 2. *Zoilus ægrotat faciunt hanc stragula febrem.*

Qui à strato stragulam deducunt citant Virgilium 4. Æneid. de Didone scribentem.

——— *stratisq; relictis*
Incubat.

Et Papinianum Syl. 1. de Venere:

Fessa iacet stra [illegible]

Et secundo eiusdem: *Quis matutinos abrumpit murmure somnos,*
Impositus stratis.

Varro stragulam à sternendo dictam ait, in hæc verba: Quidquid insternebant, à sternendo stragulam appellabant. Budæus in post. Annotat. hoc in loco vestem stragulam interpretatur tapetes, quos Græci & ipsi τάπητας vocant, tegmen, inquam, seu stratum mirè pictum variis coloribus, quo equi, mensæ, & pauimenta sternuntur, vulgo quoque tapeti dicti; sicuti & Latinis. Virg. lib. 10. Æneid.

——— *Qui forte tapetibus altis*
Extructis, totum proflabat pectore somnum.

Et lib. 7. *Instratos ostro alipedes pictisq; tapetis.*

Et Statius lib. 1. Theba. *Aliosq; inferre tapetes.*

Plautus in Pseud. *Neq; Alexandrina belluata, consutaq; tapetia.*

Ego sanè in hac opinionum varietate existimo, straguli nomine absolutè prolato, venire non modo stragula lectorum, sed & tapetia, aliaque huiusmodi telarum seu pannorum genera, animalium herbarumque variis figuris & coloribus contexta, ob id belluata dicta à Plauto, & picta à Tibullo. Si verò cum additione vestis stragulam protulerimus, dubio procul intelligendum indumentum seu vestimentum, eiusdem tamen generis, vnde Asconius in 3. Verr. act. scriptum reliquit; stragulam vestem esse pictam, & aurum quoque & aliquando intextum habentem existimandum, quum addat Liuius verbum illud, pretiosam. Nostram sententiam confirmare possumus ex sacris paginis. Nam 4. Regum, cap. 8. stragulum absolutè prolatum, operimentum lecti significat: loco verò Prouerb. supra citato, cum additione, vestem stragulatam, indumentum exprimit, quod & loco isto fecit Liuius. At non minor occurrit difficultas in explicatione alterius vocis plagulæ. Nonius; plagæ, inquit, grande tegumen linteum, quam lecticariam syndonem dicimus. Varro de vita populi Rom. Chlamydes plagæ, vela, vasa aurea: Et rursus: Ebur-

neis lectis & plagis sigillat. Suetonius in Tito, cap. 10. scribit: Lecticæ dimotis plagulis. Ex quibus colligere possumus, plagas, seu diminutiuum plagulas, textilia fuisse, quibus lecti vel lecticæ circumtegebantur, quam interpretationem recipit & Turnebus, lib. Aduers. 1. cap. 25. Budæus loco dicto, Plagam, stragulum & tapetia confundit. Vlpian. l. 25. de aur. & arg. leg. plagulam inter muliebres vestes recenset, sed quàm bene & eleganter, diiudicet lector, mihi quidem audiendus non videtur. SI FVERIT SANVS] Hinc intelligis stragula fuisse picta, vel discoloria, cum illa vocet coccina. Coccinæ vestes sunt cocco tinctæ, id est, rubro colore, græcè κόκκος, Galatiæ rubens granum, vnde succus ad tingendas vestes exprimitur. Sensus est. Si fuerit sanus, non poterit ostentare coccina sua & stragula picta & purpurea, quia tantum in toro & lecto adhibebantur à Zoilo. QVIS TORVS A NILO] *Torus*, inquit Isidorus, *dicitur à tortis herbis*, alij à toris herbis, quæ accumbentium humeris supponuntur. *Torus à Toruo. Torus*, inquit Scaliger, *est quiuis funis ex loris retortus: vnde nomen habet. Quod autem toris lecti tenderentur, ab eo toros vocarunt. Herodotus τόνους vocat.* Plura ibid. Scaliger. Alias aliter accipitur. Plinius lib. 8. cap. 48. *Antiquis torus è stramento erat, qualiter etiam nunc in castris gausape.* Ouid. 8. Meta. ——— *in medio torus est de mollibus vluis*

Strosack.

Impositus lecto ———

Torus igitur congesta vel pluma, vel herba, vel arundo. Et toral inuolucrum erat tori, seu operimentum, quod elegantiore rursum stragulo obducebatur. Hoc loco poeta συνεκδοχικῶς torum pro toralibus dixit. Ita lectus torum, vt & hodie habebat. Torus inuoluebatur toralibus, toralia stragulis, aut conchyliatis, aut purpureis, aut babylonicis. Sed tam honesta vestis parum decebat, si toral, quod subesset, turpe & sordidum aliqua parte non opertum, aut retectum appareret. Lege Turneb. lib. 1. cap. 24. TORVS A NILO] Quid toralia è lino candidissimo, atque ab Ægypto vsque petita tibi volunt? SINDON] tenuissimum & subtilissimum velum est eximii candoris. Sindonesque lecticariæ videntur eadem, quæ Germanis Schlacher / & tenuibus à simplici tela fiebant, nobilibus è sindone. Sindones è bombice, alias pro amictu, alias pro toralibus & plagulis plagisúe ponuntur, de quibus plura Marcilius ad Horatium, & Mutambertius contra Ramirezium hoc loco. Cornelius Vitellius Sylloge III. in Georgium Merulam C. XIV. de Sindone, & Scriuerius ad hoc epigramma nostri poëtæ omnibus modis contendunt hic pro *Sindone* rescribendum esse *Sidone* quæ in Phœnice est nobilissima vrbs purpura abundans. Hic autem à poëta pro ipsa purpura velut contentum pro continente vsurpari, nisi curiosius inquit, indaganti placeret *Sidone* pro continenti etiam & vrbe ipsa accipere, vt sensus esset, torus tinctus olenti Sidone. Pictum ergo & purpura instratum volunt torum purpura autem olet succum ex murice expressum. Addit Scriuerius etiam illum versum Martialis lib. 71. ep. 1. ita legendum.

Quò tu, quo liber otiose tendis

Cultus Sindone non quotidiana. vbi pro *Sindone* reponit *Sidone*.

Et vterq; grauiter insectatur aliter sentientes & scribentes. Atqui profecto nec mihi nec cuiquam erudito, quantumuis & ipsi eruditi, tam insolentem castigationem persuaserint. Non quod negem Sindonem etiam pro purpura accipi. nam Martialis ipse lib. IV. ep. XIX. dixit. *Non sic in Tyria Sindone tutus eris.* Sed quod contra omnium MSS. & editorum codicum fidem *Sidonem* pro *Sindonem* ponat. cum propriè Sindon sit vestis & Sidon ciuitas. Martialis autem mirè sit religiosus in proprietate verborum. Deinde nullus vnquam poëtarum latinorum secundam in ipsa voce *Sidone* corripuit, quamuis inde deriuatum Sidonius breuem & longam posuerint. Virgilius 1. Æn.

Atq; equidem memini Teucrum Sidona venire.

Fortasse Ouidij versus è V. Fastorum obiicies:

Sidonis si fueras aspicienda Ioui. Et mox infra.

Taurus init cœlum: te Sidoni Iupiter imples.

Patronymicum est, non ciuitas Sidon, sed Europa Sidonia. à qua voce Sidonis in recto casu. Sed apud Homerum breuem leges Σιδόνα. Respondet Martialis: Dicunt Earinon tamen poëtæ; Sed Græci quibus est nihil negatum, Et quos Ἄρες Ἄρες decet sonare. *Nobis non licet esse tam disertis, Qui Musas colimus seueriores.* Demum vt demus Sidonem in medio corripi, tamen id nihil ad rem. quid enim ciuitatem pro veste poni necesse est cum Sindon etiam pro purpura accipiatur? vt antea ostendi ex versu Martialis: *Non sic in Tyria Sindone tutus eris.* vbi ineptè legeretur *in Tyria Sidone.* E NILO] ex Ægypto. TINCTVS] melius ad sequens verbum OLENTI] quàm cinctus, & si nec malè cinctus legatur, quod lectus esset cinctus, hoc est, ornatus, ἐπιμελῶς, non, vt exponit Domitius pro muliebri habitu. OLENTI] fragrante, infecta, & imbuta odoribus. OSTENDIT STVLTAS] Morbi genus exponit. ostentationem, & arrogantiam, iactantiamque opum. QVID TIBI CVM] Nihil opus ad hunc morbum curandum medicis, ab animo, non à corpore ægrotas Zoile. MACHAONES] Machaon apud Homerum à præstantia medicinæ celebratur, à quo cæteri præstantiores Machaones dicuntur. vt supra dictum. VIS FIERI SANVS?] Deposito luxu vestium sanus eris: est dilogia in voce *sanus*, & ad mentem refertur, & corpus. Nunc insanis Zoile in tuarum ostentatione opum. Vt sanus fias, sis pauper & ege. Ita lusit Agesilaus Metrodorum (si ritè lecta recordor) se Iouem in epistolâ dictitantem. cui Agesilaus, τῷ Μετροδώρῳ ὑγιαίνειν. id est, sanam mentem optat.

Ad

Ad Amianum.

XV. XVII.

Tonſtrix Suburæ faucibus ſedet primis
Cruenta pendent quâ flagella tortorum,
Argiq; letum multus obſidet ſutor;
Sed iſta tonſtrix Amiane, non tondet,
*Non tondet, * inquam, * quid ergò facit? radit.*

** inquàm cum Heraldo legerim.*
** Ergo quid Tonſtricem tondet poeta. Gruterum non tondet inquam, non. quid ergo? quid? radit.*

TONSTRIX SVBVRÆ] Subura auctore Marliano principium habuit à Foro Romano, & rectà veniendo per forum Neruæ ad cliuum ſuburanum, vnde initium viæ Præneſtinæ eſt, deſinebat. Dicta, quòd ſub muro terreo Carinarum eſſet. Iunius, quòd ſub antiqua vrbe. Varro à pago Succuſano littera deleta, & c. in s. mutata. Faciunt huius mentionem cum alij, tum Liuius, Perſius & ſæpius Martialis. Locus fuit frequens. Iuuenal.

Cedere namq; foro iam non eſt deterius, quàm
Exquilias à feruenti migrare ſubura.

Vicus infamis. Martial. lib.6. Perſius. Sat. 5

——totiq; impunè ſubura
Permiſit ſparſiſſe oculos iam candidus vmbo.

Horatius Epod. Od. 5. ſuburanæ canes. FAVCIBVS SEDET PRIMIS] In aditu ſuburæ. CRVENTA PENDENT] Vbi Apollo tortor. Suet. Aug c.70. Locum ad caput Saburræ publicum intelligo, reis ſeruis, aut maleficis potius deſtinatum, vbi de tergo ſatisfaciebant. Nec puto illum Horatij verſum lib.2. huc facere epiſt. ad Florum. *In ſcalis latuit metuens pendentis habenæ.* Hoc enim ſupplicium ad priuatas Dominorum animaduerſiones cum Acrone referendas puto, de quibus Plautus in Aſinaria. Hic verò locus publicus supplicij deſcribitur. Verberabantur autem ſerui, immò & liberi damnati. Tranquillus in Tito, c.8. flagris in foro Romano cæſos delatores ſcribit. ARGIQVE LETHVM,] Sutorum tabernæ frequentes ad Argiletum, de Argileto ſuprà dictum. NON TONDET, INQVAM] Tondet caput, radit crumenam, pretium ingens petit non ob tonſuram, ſed nequitiam. Lupam ait eſſe non tonſtricem, & hæret in ſimilitudine, nam & tonſores & tonſtrices tondent raduntque, ſed alterum refertur, vt dixi, ad caput, alterum ad crumenam. Verſus claudus claudicat. legerim. *Non tondet inquam, ergo quid facit? radit.* Gruterus longius abit à communi ſcriptura. RADIT] Plautus non minùs elegantes in hoc genere metaphoras habet, cùm dicit exenterare marſupium, emungere, &c. alij exponunt, *radit*, glubit, vt ſit idem quod τρίβει τὰ σκεύη pudendo ſignificatu.

Latiſſimè de loco & genere verberationum Petrus Faber lib.2. Sem. c.8. quem vide. Obiter etiam Caſaubonus ad Suet. lib. 2. pag.125 & Iacobus Gretſerus lib.1. de Cruce c.8. toto.

In Maximum.

XVII. XVIII.

Capto tuam, pudet heu, ſed capto Maxime cœnam:
Tu captas aliam, iam ſumus ergo pares.
Mâne ſalutatum venio: tu diceris iſſe
Antè ſalutatum: Iam ſumus ergò pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidíque ante ambulo regis:
Tu comes alterius iam ſumus ergò pares.
Eſſe ſat eſt ſeruum: iam nolo vicarius eſſe:
Qui rex eſt, regem, Maxime, non habeat.

Maximi animum ſeruilem, aut auarum aut vtrumque reprehendit, qui etiam ſemiclientis & quaſi ſerui munus obeat, ſalutet, comitetur, cœnas captet. Non eſt hic Maximus ille ad quem Plinius ſed alius ex mille Maximis vel potius nullus. CAPTO TVAM COENAM] Rebar, heu, me Domini cœnam captare, cùm captus à te & deceptus ſum. Ipſemet enim captus, & vterque ſeruus eſt. IAM SVMVS ERGO PARES] Frequentes nec ingratas habet repetitiones poëta nec eodem ſemper modo: lib.1. ep.78. v.

Pulchre valet Charinus & tamen pallet,
Parcè bibit Charinus, & tamen pallet.
Benè concoquit Charinus, & tamen pallet,
Sole vtitur Charinus, & tamen pallet.
Tingit autem Charinus, & tamen pallet.

Solo vtitur alij ferme priſcâ lectionem, & valet, quod inſolatur, ἡλιάζεται.

R Multus

Multus in hoc Heraldus.

Et mox sequens: *Semper agis caussas & res agis Attale semper &c.*

Et eodem de Issa Catella Publij. Et hoc lib. epig. 7. in Attalum.

Declamas bellè, caussas agis Attale bellè, &c.

Tale est 33 in Philænium, & aliis libris alia:

Rumpitur inuidia quidam——

Largè de comitib. Heraldus. Vide Calii Rhod. de vicario ex Vlpiano. lib. 25. cap. 23. pag. 986.

Et in Olum. ANTE SALVTATVM] de hoc more iam suprà dictum. SVM COMES IPSE TVVS] Rex hic pro domino, vt suprà. Præcedo te præcedentem, velut seruus aut cliens, sed tu idem alteri præis. ESSE SAT EST SERVVM] Renuncio officium salutandi, comitandi, prosequendi, quando ipse illud subis, satis est esse me seruum, nolo esse vicarius serui, hoc est seruus serui. Qui rex & dominus videri vult, ne sit ipse seruus, nam qui dominum aut regem alium agnoscit, ipse illius seruus est. Obiisse autem potentiores quoque officia clientium & Iuuenalis docet, & noster lib. 10. ep. 10. VICARIVS] Vicarius est, qui in familia sub alterius serui potestate est, qui Ordinarius vocatur.

Ad Zoilum.

XIX. XVII.

Felicem fieri credis me, Zoile, cœna:
Felicem cœna, Zoile? deinde tua?
Debet Aricino conuiua recumbere cliuo.
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

Contemnit Zoilum, Zoilique cœnam. Quòd me felicem iudicas ob frequentia, ad quæ vocor, conuiuia, rectè habet. Sed quòd felicem ob tuam cœnam, nego & pernego. DEBET ARICINO] Nisi mendicus non beabitur tua cœna, adeò vilis est & agrestis, nec videtur aprum, quod de ægris refert Domitius. ARICINO CLIVO] Extra vrbem ad Virbij vicum, siue ipsam Ariciam, quæ in cliuo sita, via Appia post Albanum montem, vbi lucus Dianæ fuit, quò magna multitudo populorum confluebat. hinc tot mendicabulorum in eo cliuo statio. Persij interpres ad 6. Sat. scribit:

——accede Bouillas
Cliuumq; ad Virbi——

Iuuenalis. *Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.*

Lege Strabonem de ipsa Aricia, de qua nos alibi plura.

De Paullo.

XX. XVIII.

Carmina Paullus emit, recitat sua carmina Paullus;
Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

Iocus in Paullum furem carminum, vt suprà lib. 1. in Fidentinum.

Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint.

Seneca hunc facit lib. 7. De benef. cap. 6. *Libros dicimus Ciceronis. Eosdem Dorus librarius suos vocat: & vtrumque verum est. Alter illos tanquam auctor sibi, alter tanquam emptor asserit. ac rectè vtriusque dicuntur esse.* Sic potest T. Liuius à Doro accipere, aut emere libros suos. Et Martialis lib. 6. de Fabulla. epig. 12.

In Postumum.

XXI. XIX.

Basia das aliis: aliis das Postume dextram
Dicis, vtrum mauis, elige? malo manum.

Illotum & impurum os Postumi insectatur. DAS DEXTRAM] in salutatione aut osculatis, quod more fiebat, aut dextram porrigis, poëta mauult dextram puriorem ore, quod olebat nauseam. Vide Remmij Palæmonis apophthegma. plura suprà. Osculum pangebatur vel ingenuum ori, oculis, collo; vel seruile dextræ. Illud liberorum; hoc seruile, quia serui manum libabant dominorum, liberi amicorum, quamuis Domitianus etiam liberis manum præbuerit osculandam. testes apud Musambert. contra Ramuccl. audies.

De

De eodem.

XX. XXII.

Quid mihi vobiscum est, ô Phœbe, nouemq; sorores?
Ecce nocet vati Musa iocosa suo.
Dimidio nobis dare Postumus antè solebat
Basia, nunc labro cœpit vtroque dare.

Quod pretium & præmium curæ & carminis videri poterat, pœnam interpretatur, perinde ac si osculum à Postumo iactum inuitus exciperet.

QVID MIHI] Ita Ouid. 2. Trist.

Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli,
Ingenio perij qui miser ipse meo?
Si saperem, doctas odissem iure sorores,
Numina cultori perniciosa suo.

DIMIDIO NOBIS DARE] Cùm ignotior essem Postumo, vix dimidio labro modicè libauit oscula, quia me ex carmine amat, impingit os totum, quod ego velut impurum horreo.

De eodem.

XXI. XXIII.

Non dicam, licet vsque me rogetis,
Quis sit Postumus in meo libello,
Non dicam. quid enim mihi necesse est,
Has offendere basiationes,
Quæ se tam bene vindicare possunt?

Sic finxere alij Lesbias, Corynnas, Cynthias, Lycorides; Aliasque nominabant, alias intelligebant. Apuleius Apol. pro se 1. OFFENDERE BASIATIONES] amicum, qui se nominari non vult, in hoc argumento, me tamen amat. QVÆ SE TAM BENE] Tam amanter iniuriam factam. Dixerat enim poëta malle se manum, quàm os. Postumus inuitum osculo modico lacessiuit, deinde ore, & pluribus vindictæ caussâ, sed hæ vindictæ erant amoris, non odij signa. Talis est nescio cuius epistola, nisi fal at memoria Iuliani. & nostri lib. 7. epist.

Tacitus de Petronio & Nerone.

In Candidum.

XXII. XXIV.

Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiorq; reo.
Si iubeat patria damnatum excedere terra,
Per freta, per scopulos *exulis ibo comes.*
Dat tibi diuitias; ecquid sunt ista duorum?
Das partem, multum est. Candide, das aliquid?
** Mecum ergo miser es quod si Deus ore sereno*
Annuerit: felix Candide solus eris?

Vide Alciatum par. 2. cap. 10.

*C.P. melius. * Mecum eris ergo miser.*

SI DET INIQVA] Malè relatam queritur gratiam fidei amicitiæ. TRISTEM REATVM] si ob culpam aut crimen in ius ire cogaris, tecum muto vestem, & tua caussâ plus doleo, quàm mea, metuoque & pallesco. Hanc vocem, reatus, primus (Fabio libro 8. teste) vsurpauit Messalla. SQVALLIDVS] Rei viri illustres mutabant togam, sordidatique incedebant. Nec solus reus, sed propinqui & clientes, imo ipse accusator etiam sordidatus. Quintil. lib. 8. Lege Wouerium ad illa verba Petronij. horridos norentesque capillos. pag. 384. Quo pacto sordidati, pullatine & atrati? minimè verò, sed candidati; Verùm toga immunda, illota, sordida, cùm aliâs niuea candidissimaque vterentur. Vt miserabiliores essent in veste plebeia. Itaque rei in sordibus esse dicuntur aut

tur aut sordidati, non pullati, *ne quis erret*, inquit Lipsius lib. 1. Eleg. cap. 13. *qui color* (pullatus) *tantum funebris.* Promittebant etiam barbam. infrà epig. 36.

——nec sit tibi barba reorum.

& capillum. Hinc Rosini errorem intelligis qui lib. antiq. Rom. cap. 19. scribit in hunc modum. *Toga alba deposita, atram induit* (reus nempe) quod falsum. plura de vestium mutatione Ram. & contra eundem Musambertius. SI IVBEAT PATRIA] Si victus exilio multabitur, comitabor euntem. PER FRETA PER SCOPVLOS] Ingens nempe amoris & amicitiæ firmę certæque argumentum. Laudatur vox Thescæ Dionysij tyranni sororis nuptæ Polyxeno, posteaquam maritus metu tyranni profugerat, & rex sororem accusaret, quòd conscia fugæ mariti, non indicasset. *Adeóne*, inquit, *Dionysi me vilem abiectámq; animi fœminam iudicas, vt si sensissem illum moliri fugam, non illi nauigationis & omnium fortunarum comitem additura fuerim?* DAT TIBI DIVITIAS] Fortuna. Sed quid tu mihi socio laborum? DAS PARTEM, MVLTVM EST] Ex magnis copiis minimam vt partem des, immo vt aliquid des? ne teruntium quidem. MECVM ERGO MISER ES] Tu mecum eris miser, ego tecum non felix? hoc est, me tibi comitem ascisces in tristi & acerba fortuna, in læta & secunda à te repellis? tecum ergo pauper & miser fui, cur iam non sum felix & beatus? vbi illud: πάντα φίλων κοινά? &c. Malim legere cum aliis. Mecum eris ergo miser. Socium habebis aduersæ fortunæ. FELIX SOLVS ERIS] hoc est, infelix: destitutus ab omni amicitia. Itaque miser eris semper.

Ad Bithynicum.

XXVI. XXIII.

Quòd querulum spirat, quòd acerbum Nauia tussit,
*Inq; * suos mittit sputa subinde sinus:*
Iam te rem factam Bithynice credis habere?
Erras, blanditur Nauia, non moritur.

* tuos P C.

Næuia diues, hæredem Bythinicum scriptura videbatur. Hæreditati inhiabat Bithynicus, eoque mortem Næuiæ optabat, quæ cùm tussiret, ægreque animam traheret, Iam Bithynicum, quasi certum de morte & gaudentem poëta irridet, Næuiamque simulare morbum non sentire dicit, nullamq; spem adhuc hæreditatis. Heredipetam Bithynicum sæpius infrà exagitat poëta. Næuiæ verò eludentis Bithynici artem planè describit Lucianus in Plutone & Terpsione. & Eucrate Sicyonio. Petronius Satyr. quem infrà sæpius laudabimus. Iterum Lucianus in Zenophanta & Gnemone. TVSSIT] Cæterùm tussis inueterata ad Libitinam ducit, quam Seneca portussim appellat. tussi laborantes tussicos Iulius Firmicus. In Priapeis.

Defecit latus & periculosam
Cùm tussi miser expuo saliuam.

BLANDITVR] ludit te, dum hæredem appellat, non moritura. SINVS] quasi præ imbecillitate & inualitudine longius reiicere non posset. Placet tuos legere: vt magis animaduertat Bithynicus.

De Selio.

XXVII. XXIV.

Laudantem Selium, cùm cœna retia tendit,
Accipe, siue legas, siue patronus agas:
Effetè, grauitèr, citò, nequitèr, eugè, beatè,
Hoc volui, *facta est iam tibi cœna, tace.*

Redit Cenipeta Selius. Audi, quibus modis cœnam captet Selius; ad legentem vel recitantem, vel agentem accedit, laudat, exclamat. Petronius. *Vt foras cœnares poëtam laudasti*, Et suprà. *Sicut ficti adulatores. cùm cœnas diuitum captant, nihil prius meditantur, quàm quod putant gratissimum † auditoribus fore, nec enim aliter impetrabunt, quodpetunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint.* EFFETE, GRAVITER] Sunt qui legant aff ctè vel effectè. EFFETE] maturè, sapienter, EFFECTE] perfectè, AFFECTE] cum affectu quod placet, arripe. Persuadet Heraldus * effectè. alii malunt effœtè, id est, omnibus partibus absolutè. GRAVITER] cum dignitate. CITO] expeditè. NEQVITER] versute, arguté, tectè, occulte, ἰσχυρῶς, blande. EVGE] præclare, BEATE] diuine. Persius in huiusmodi adulatores.

† auribus al.

* & C. P.

Euge tuum & bellè, nam bellè hoc excute totum.
Quid non intus habet.

Horatius Art. poët.

Tu seu donaris, seu tu donare voles quid,
Nolito aduersus tibi factos ducere plenum
Lætitia, clamabit enim, pulchrè, benè, rectè.

Lucilius

Lucilius.

Ποιητὴς πανάριστος ἀληθῶς ἐστιν ἐκεῖνος
Ὅστις δειπνίζει τοὺς ἀκροασαμένους.
Optimus est vatum, qui dat censoribus offas.

HOC VOLVI] Iam nouit te adulatorem. hanc confessionem volui exprimere, expressisti, satis est, video quantum dicas, cœnabis mecum, satis adulationis, tace modo.

Ad Rufum.

XXV. XXIX.

Rufe vides illum subsellia prima tenentem,
Cuius & hinc lucet sardonychata manus.
Quaeq; Tyron toties epotauere lacernæ,
Et toga non tactas vincere iussa niues:
*Cuius olet toto pinguis coma * Marceliano,*
Et splendent vulso brachia trita pilo,
Non † extrema sedet lunata lingula planta,
*Coccina * non læsum * cingit aluta pedem.*
*Et numerosa linunt * stellantem splenia frontem.*
Ignoras quid sit? splenia tolle, leges.

* *Marcellano potius legerim aut Marcellino.*
† *Non hesterna legunt alii & recté.*
* *sed celsum.*
* *pingit. CP. stringit.*
* *Stellantem Lipsius.*

Stigmatiæ cuiusdam insectatur fortunam ad equestrem è seruili fastum enecti, & insolentiam indignabundus detestatur. SVBSELLIA PRIMA] Domitius refert ad subsellia iudicum. Quid si ad amphitheatri equestria sint referenda? In theatris seu amphitheatro orchestram senatores, equestria, equites, popularia plebs occupabat. Qua de re l b.5. fusè epigr.8. An patronum agebat, & inter subsellia equitum sedebat in iudicio? Crediderim de Caussidico seu patrono carmen scriptum, etsi verè illud subsellia sit ambiguum de equestri loco & iudiciis. CVIVS ET HINC] Recitatores, declamatores, Caussidici. Cum dicerent, annulos induebant. Persius Satyra 5.

Et natalitia tandem cum Sardoniche albus
Sede legens celsa.

Et Iuuenal. Sat. 7.

Vt redeant veteres Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit hoc primum, qui litigat, an tibi serui
Octo, decem comites post te, an sit sella togati
Ante pedes, ideo conductá Paullus agebat
Sardoniche, atque adeò pluris quàm Crassus agebat.

Mutuos accipiebant, si carerent.

Sardonyx nobilis lapillus à Sarda dictus, quòd in Sardinia repertus primùm dicatur, & onyche gemma candida. Laudatur Arabica. In huius lapidis iactura tantum piamenti putauit esse Polycrates, vt sardonyche in mare coniecta, se à fortunæ (cuius, vt ipse aiebat, nimis prospero successu vtebatur) inconstantia & inuidia redemptum iri putaret. Omnium primus hac vsus ex Romanis dicitur Scipio Africanus. *Lib. 31. c. 10.* ET TOGA NON TACTAS] Albo vulgo vtebantur Romani, sed discrimen ingens in hac toga; quotidiana populi sordidata, alba tamen erat & natiua, elegantiores & munduli semper in toga à fullone niuea incedebant. Diebus festis & sacris fermè recenti; Cum prensarent, non alba natiui coloris, sed ab arte. & ideò candidati, candida enim distinguitur ab alba. hæc enim natura, illa artificio cretæ inductæ splendebat. De qua re plenè Lipsius lib. Eleg.1. cap.13. CVIVS OLET TOTO PINGVIS COMA MARCELIANO] Per totum theatrum Marcelli spargitur odor, quo perfusus est ille seruus. Vel TOTO MARCELIANO] exhausto myrothecio Marcelli, olet vnguenta Marcelli, vt supra Cosmi pastillis, vt Cosmus & Marcellus vnguentarij fuerint. malim legere Marcellino aut Marcellano, videtur litera altera non fuisse expressa, eoque in i. abiisse. Si Marceliano legendum putes παρώνυμον erit Marcelius vt Antoninus Antonianus, Plautus Plautinus, Terentius Terentianus. Reperio tamen apud Martialem Cosmianus à Cosmo vnguentario. ET SPLENDENT VVLSO BRACHIA TRITA PILO] Brachia læuia, argentea & vncta, vulso pilo, vt nihil in iis asperum aut horridum, molliriem notat. qua de sæpe infrà. NON HESTERNA SEDET LVNATA LINGVLA PLANTA] Non hesterna, sed antiqua, vt sentit Iunius; sed hoc pugnat menti poëtæ, lunati calcei, aut lunulæ in calceis nobilitatis insigne de qua re lib. 1. *Lunata nusquam pellis & nusquam toga.* epigram. 50. Domitius planè contrarium docet. Non hesternâ, non antiqua, sed recenti, nouâ & hodiernâ, singulis enim horis mutauit vestem. Hæc placet interpretatio: quamuis *hesternus* alioqui pro nupero & recenti vsurpetur, vt rectè Heraldus docet qui: Cuique hesterna sedet, legit & hesterna accipit pro recenti.

Alij

Alij seruant non extremam, id est, non vulgatem. & exponit lingulam, fibulam auream Musamb. in Ram. nobis arridet, Domitii & Heraldi mens. LVNATA] Accipiunt nonnulli plantam lunatam non pro extrema calcei lunula nobilitatis insigni, sed loro, vinculo, seu corrigia calceamenti, quòd in modum lunæ cingat pedem & complectatur plantam. Mihi prior arridet explanatio; nunquam legi corrigiam dictam lunam & lunatam, lunata sursum spectant non deorsum, vti ex omnibus pictis & fictis imaginibus doceris quæ semilunam, seu lunam mediam erectis cornibus gestant. hic planè nouum ait hominem, & hodie primum nobilitatum, immò ne nobilem quidem: sed impostorem, qui se pro nobili g. rat, cùm stigmatias & seruus sit, id quod frons inscripta doceat. LINGVLA] per diminutionem linguæ dicta, aliàs à similitudine linguæ exertæ, vt in calceis; aliàs insertæ, id est, infrà pentes coërcitæ, vt in tibiis. P. F. Sosipater. *Lingula à lingendo dicta, est in argento. In calceis verò à ligando, sed vsus ligulam sine N. frequentat.* † Fuit, vt hinc colligis, calcei in acutum desinentis formula similis linguæ exertæ versusque nares intortæ. COCCINA ALVTA] Calciamenta g stat coccinea seu rubentia ex pellibus hœdinis confecta, vt coniicio ex libro 11. Martialis ad Phœbum.

† Lib. 4. cap. 10.

Hœdina tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticemq; calua
Festiuè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

Festiuè, inquit, *Baysius, propterea, quòd Romanis temporibus illis in calceamentis vterentur pellibus hœdinis.* Calceis Romani primum albis vsi sunt, vt toga & tunica. Martial.

Sordidior cœno, cùm sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, niue, &c.

Iuuenalis vetus interpres Sat. 1. *Illo enim tempore nondum senatores nigris calceis vtebantur.* Nigros perones senatorium calceamentum habet Horatius lib. 1. Sat. 6.

Nam vt quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demisit pectore clauum.

Aurelianus apud Vopiscum Calceos mulleos, cereos, albos (galbos legunt alii) hederaceos viris omnibus sustulit, mulieribus concessit. Imperatores ipsi coccineis vsi præter Alexandrum. Posteriores verò principes obtinuerunt, vt nulli nisi Cæsari liceret vti calceamento purpureo, vt Nicetas Choniates & Chorippus lib. 2. de laudibus Iustini Imperatoris testantur.

Purpureo suræ resonant, &c.

Spartianus de Alexandro imperatore attestatur. Vnde ergo coccinæ? *Ciuile*, inquit Lipsius, *illud, quòd Alexander calceis albis vsus more cæterorum, non coccineis, vt ante eum Imperatores, & homines aliquot (obserua) delicatiores.* PINGIT] Non malè, dixerat enim coccina aluta: nec reiicio vulgatem lectionem, *cingit*, nec rei cio, *stringit*.

NON LÆSVM PEDEM] Nam si læsum fascia coccinea, calceoq; molliore fouisset, reprehensione caruisset, hinc poeta non læsum dicit. Notæ sunt Pompei fasciæ. ET NVMEROSA LINVNT STILLANTEM SPLENIA FRONTEM] Plinius Secundus lib. 6. epistolarum ad Arrianum de Regulo caussidico. *Quamuis*, inquit, *non possit dediscere illud ipsum, quòd oculum modò dextrum, modò sinistrum circumliniebat: dextrum, si à petitore, alterum si à possessore esset acturus, quod candidum splenium, in hoc aut in illud supercilium transferebat.* Cataneus candidum splenium exponit candidam fasciam. Apud Plinium maiorem reperio splenion esse herbam Teucrion à Teucro inuentore dictam, qua vescentes pecudes splenibus seu lienibus carere sunt reperta. Vnde splenion dicta est. Lego apud Cælium ex Polluce, quem ille tamen non nominat, splenium vocari visceris caput. Est autem crassissima in liene portio; græcè σπληνιᾶν est splenis vitio seu lienis laborare. Sunt & in genere emplastrorum splenia, de lienis forma nomenclaturam indepta, videlicet in longitudinem producta, fronti plerunque arcendis doloribus solita impingi. Græci sic finiunt ἐπιμήκη ὀθόνια, Galeno hæc quandoque σπλῆνες vocantur; Hinc intelligis splenium esse emplastrum lienis forma, quod fronti doloris arcendi caussa imponatur; vt autem frontis honor & elegantia constaret, fascia candida nitensque adhibebatur. Sunt qui existiment splenia vnguentum esse, eoque emendent priorem vocem stellantem, leguntque stillantem. Sed Plinius Secundus de Regulo dixit, illum consueuisse splenium candidum, in hoc aut illud supercilium transferre, quod in vnguentum fluens & stillans haud conueniret, nisi fortè ipsam fasciam vnguento delibutam dicas. De emplastro è melle confecto, vt Plinius tradit, etiam videtur intelligendus ille versus Martialis lib. 10. epig. 22.

Cur spleniato sæpius prodeam mento.

Vt enim deterreret Philænum à basio, dicit se spleniato mento progressum. Et illud li. 8. ep. 33.

Talia lunata splenia fronte sedent.

Quæ in vnguenta non conueniunt, Nec in sputum aut succum panis, de quo aliàs: idem enim bis in hoc carmine diceret. NVMEROSA] Quia sæpius eadem mutabat ille spleniatus, non Rufus: Rufo enim est carmen dedicatum de stigmatia, quem Rufo propinat deridendum, accipias. STELLANTEM] Frontem radiantem, si ad stigmata vt Domitius. Sed emendat Lipsius stillantem, propter splenium. Fortasse seruanda erit vsurpata lectio, vt stellantem,

tem, nitentem, ſplendentem, propter candorem faſciæ exponamus. ſic toga candida vocatur λαμπρὰ ſeu ſplendida. Omnino ſtellantem à ſtellis faſciæ ſeu ſplenio ornatus cauſa attextis ſcribo, vt Pollio in Gallienis *auratos conſtellatoſq; balteos* nuncupat, id eſt, ſtellis radiantes. Symmachus lib. 3. epiſt. 11. *Verborum ſtellatur auro.* Ad quæ multa Iuretus ex variis ſcriptoribus ſuper hoc verbo, *ſtellat*, vbi & Martialis teſtimonium affirmat. Erudite multa hic Muſamb. contra Ramireſium. An placet ſtellantem dicere ob ſtellas ſecundas à Mathematicis in fronte poſitas, vnde coniectant hominis fata? nugæ, inquis, mittamus ergo. lege tamen Cælium de fronte humana. NVMEROSA.] Etiam hoc epithetum obſcurum, niſi numeroſa, pro frequentia interpretens, vt lib. 10. *cur ſpleniato ſæpe, &c.* An numeroſa ſæpe recentia noua & alia atque alia quotidie. IGNORAS QVID SIT? SPLENIA TOLLE, LEGES.] Ignoras, cur ſplenia ſeu faſcias & emplaſtra fronti addat? ſtigmaticus fuit ſeruus & literatus. negas? remoue ſplenia, ipſe leges literas, & inuſta fronti ſtigmata. *Hinc ſtigmatia*, inquit Cælius lib. 7. cap. 3. *ſiue ſtigmatici appellati, quibus ob inſigne flagitium, ac bleſos mores, notis inurebatur corpus, & frons imprimis*, & Martialis lib. 3.

Proſcriptum famulus ſeruauit fronte notatum.

Vnde inſcriptos vultus nominat ſcitiſſime Plinius, & *Thracia nota* in prouerbium adductæ, quanquam illis gentibus nobilitatis loco cenſeretur, vt auctor Herodotus, prætuliſſe frontem notatam punctis. Quæ quia literarum formam quandoque oſtentarent, non ſtigmatiæ modo, quod Nonius eſt interpretatus, ſed & literati quoque dicebantur. Nam quod Nicanor Alexandrinus Grammaticus, vt proditur à Græcis feſtiuè ſtigmatius eſt cognominatus, non ex ſeruili fœditate natum, ſed quod maxime ſolliciteque lucubrationibus aliquid περὶ στιγμῆς conſcripſiſſet, id eſt, de punctis ſiue diſtinctionibus, quibus vtimur in ſcribendo.

De ſtigmatiis Lipſius lib. elect. 2. c. 15. plene & accurate. Muſambertius in Ram. vbi de tribus & nouem litteris multa.

In Caium.

XXVI. XXX.

Mutua viginti ſeſtertia forte rogabam,
Quæ vel donanti non graue munus erat.
*Quippe rogabatur * felixq; vetuſq; ſodalis,* * Fiduciq.
Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi diues eris, ſi cauſas egeris, inquit.
Quod peto da, Cai, non peto, conſilium.

Caii veteris amici ſordes & auaritiam exponit.

VIGINTI SESTERTIA.] Viginti millia HS. vnum enim ſeſtertium neutro genere mille valet ſeſtertiis, vicies autem mille ſeſtertii quingentis Philippæis æſtimantur, aut 666. florenis & duobus HS. QVÆ VEL DONANTI NON GRAVE MVNVS ERAT.] Ego non petiui tantillam ſummam mihi donari, ſed mutuo dari. quanquam ille donare potuerit. Necquicquam ex hoc verſu conatur docere Agricola, & hunc nuper ſecuti, ſeſtertium in neutro eſſe eiuſdem aut non multo maioris precii cum ſeſtertio in virili, quod illis videatur nimis magnus pecuniæ numerus quingentorum Philippæorum. Nec interim attendunt, tantum eſſe mutuo petitos, & per mioſim non graue munus appellari. Et vero non erat graue homini Romano, felici, copioſo, veteri amico. Non erat ergo cur à toto conſeſſu Reipub. litterariæ deſciſcerent. Omnia alia exempla vel ex Cicerone vel Horatio, vel inſcriptionibus allata nullo negotio diluuntur cum nihil contra priſcam omnium ſententiam poſſint. Aliud enim ſeſtertium in neutro, aliud ſeſtertiûm ſecundo caſu multitudinis, aliud ſeſtertius numus. Seſtertii numi & ſeſtertii idem valent: Seſtertium neutro ſingulari mille ſeſtertios ſeu ſeſtertios numos. Seſtertiûm idem eſt ac ſeſtertiorum numorum. Seſtertium tamen in ſingulari neutrius generis non reperitur. Accipe quæſo compendio quæ doctiſſimus Petrus Ciaconius ſuper hac re doceat lib. de numis, qui poſtquam de aſſe, denariis & ſeſtertiis numis egit: *Reliquum eſt*, inquit, *vt probemus, Romanos olim ſeſtertiis illis neutris, quæ ſingula mille ſeſtertios nummos continebant, in ſummis numerandis vti ſolitos, à duobus videlicet vſq; ad mille, ſic, Duo ſeſtertia, decem ſeſtertia, centum, itemque mille ſeſtertia, aut ſeſtertia nummûm. interdum etiam ducenta. & quadraginta tantum dixiſſe, ſeſtertia ſubintelligentes; quod ex adductis teſtimoniis planum fiet.* Iuuenalis Sat. 7.

Hos inter ſumptus ſeſtertia Quintiliano
Vt multum duo ſufficient.

Seſtertium autem genere neutro, numero ſingulari legiſſe non memini, ſed mille ſeſtertiûm. Martialis lib. 11. epigr. 77.

Soluere Pate decem tibi me sestertia cogis,
Perdiderat quoniam Buco ducenta tibi.
Ne noceant oro mihi non mea crimina, tu qui
Bis centena potes perdere perde decem.

Iuuenalis Sat. 1. *——simplex ne furor sestertia centum*
Perdere, & horrenti tunicam non reddere seruo?

Martialis lib. 11. epigram. 105.
Quadringentorum reddis mihi Phœbe tabellas:
Centum da potius mutua Phœbe mihi.

Et lib. 11. epig. 11. *Empta domus fuerat tibi Tongiliane ducentis:*
Abstulit hanc nimium casus in vrbe frequens.

Cicero act. 4. in Verrem: *Repente recitatur vno nomine sestertiûm ducenta quinquaginta millia iussu Pretoris data.* & statim: *Numerantur illa sestertia ducenta quinquaginta Syracusanis.* Ex quo apparet, ducenta quinquaginta millia sestertiûm, & ducenta quinquaginta sestertia idem esse, singulaq; mille nummos efficere. Igitur quotiescunque numerale nomen neutro genere notis sestertii apponitur, si non additur millia, sestertia neutra sunt intelligenda. Tranquillus in Caligula. *Compererat prouincialem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, vt per fallaciam conuiuio interponeretur. nec tulerat moleste tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. huic postero die sedenti in actione misit qui nescio quid friuoli ducentis millibus traderet, diceretq; cœnaturum apud Cæsarem vocatu ipsius.* Tum subiicit Ciaconius ineptam & iure explosam sententiam, secundum quam docet nostratem doctrinam hoc est Budæanam & communem esse veram. Sed, inquit, sestertia neutra fuisse, quæ summam mille nummûm sestertiorum conficerent, & sexcenta sestertiûm, quod ille vult, inusitatam Latinis locutionem fuisse, adductis quibusdam authorum locis ita planum faciemus, vt ipse etiam Agricola id fateatur, vt est homo candidus & veritatis amator. Primum enim Flauius Sosipater, siue Charisius est, quem auctorem Agricola plurimi facit. lib. 1. sic ait: *Item in coniungendo propria quibusdam potestas, qua ratione excluditur, vt cum dicimus quinquaginta millia nummum nec statim centies nummûm dicere possumus, sed centies sestertium; neq; tamen quinquaginta sestertiûm, sed quinquaginta sestertia dicimus.* Ex quibus verbis illud videtur colligi, si nominibus numeralibus apponitur M. nummûm item sestertium addi posse: si non apponitur, nummûm non posse, sestertiûm aut sestertia posse; sestertiûm nempe, si per aduerbium loquamur, alioqui sestertia. verbi causa, dicimus decem millia sestertiûm, & decem millia nummûm; non autem decem millia sestertia item dicimus decies sestertium, non decies nummum, aut decies sestertia: præterea decem sestertia, non autem decem sestertium, aut decem nummum. sed decem sestertia nummum. Qua sola auctoritate licet Agricolæ opinio abunde confutata videatur nonnulla tamen poëtarum loca adducam, quæ rem controuersam esse non patiantur. Martialis lib. 10. epist. 75. sic ait.

Millia viginti quondam me Galla poposcit,
Et fateor magni non erat illa nimis.
Annus abit, bis quina dabis sestertia, dixit:
Poscere plus visa est quam prius illa mihi.
Iam duo poscenti post sextum millia mensem,
Mille dabam nummos, noluit accipere.
Transierant binæ forsan, trinæue Kalendæ,
Aureolos vltra quatuor ipsa petit.

Et lib. 4. epig. 67. *Pretorem pauper centum sestertia Gaurus*
Orabat, nota carus amicitia:
Dicebatq; suis hæc tantum deesse trecentis,
Vt posset Domino plaudere iussus Eques.
Prætor ait, scis me Scorpo Thalloq; daturum;
Atque vtinam centum millia sola darem.
Ah pudet ingratæ, pudet ah male diuitis arcæ.
Quod non das equiti, vis dare Prætor equo?

Notum est autem equestrem censum Romæ fuisse quadringenta millia sestertium, quæ hîc quadringenta sestertia appellat. Iuuenalis item Satyr. 2.

Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini—— & statim:
Ingens cœna sedet.——

Vbi quadringenta sestertia pro equestri censu posuit. Quin & Horatius epist. lib. 1. epist. 7.

——videt ridetq; Philippus,
Et sibi dum requiem, dum risus vndiq; quærit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit persuadet vti mercetur agellum.
Mercatur.——

Et de

Et de Luculli milite, lib. 2. epist. 2.

Clarus ob id factum donis ornatur honestis,
Accipit & bis dena super sestertia nummûm.

Sestertia autem nummum dixit, vt Cicero Act. 4. in Verrem: Redeunt illi Regio Syracusas: queri cum multis, ita vt fit, incipiunt, sese HS. octaginta nummûm frustra dedisse. Quemadmodum Castellani loquuntur dicunt enim, Dos quentos, y dos quentos de marauedis: sic illi decem sestertia, & decem sestertia nummum. Quin Plutarchus id clare ostendit in Fabio sic: Θέας δὲ μουσικὰς καὶ θυμελικὰς ἄξειν ἀπὸ σηστερτίων διακοσίων τριάκοντα τριῶν, καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν, ἔτι τριτημορίου προσόντος. τοῦτο τὸ κεφάλαιόν ἐστιν, ὀκτὼ μυριάδες δραχμῶν, καὶ δραχμαὶ τρισχίλιαι πεντακόσιαι ὀγδοήκοντα τρεῖς, καὶ δύο ὀβολοί. id est, *Ludos autem magnos vouit ex sestertiis trecentis triginta tribus, denariis item trecentis triginta tribus, denariiq; triente: quæ summa efficit drachmarum octoginta tria millia, & quingentas octoginta tres drachmas, obolos duos. Quod si singulis sestertiis mille nummos, vel ducentas quinquaginta drachmas tribuerimus, sicut ex superioribus tribuendas esse satis patuit, summa ipsa ad nummum quadrabit, atque Agricolæ opinio explodetur. Præterea ex his quæ diximus, satis constat, quid distent inter se decem sestertij, decem sestertia, & decies sestertiûm. nam decem sestertij, decem nummi sunt, qui singuli duas libras æris & semissem valebant: ac decem sestertia, decem millia nummûm huiusmodi: decies autem sestertium, decies centena millia eorundem.* Rursum Ciaconius ostendit *vnde factum sit vt singula sestertia mille sestertios continuerint, Et Budæus, inquit, eam rationem affert, quod quemadmodum sestertius duas libras æris & semissem valebat, ita sestertia singula duas libras & selibram argenti, hoc est, ducentos quinquaginta denarios, quasi libra centenos denarios penderet. Sed id reprehendit Agricola ea potissimum ratione, quod ex libra argenti iustum fuit Romæ octoginta quatuor denarios signari, non centum, vt ex Plinio supra retulimus. Et videri potest id non ratione, sed consuetudine inductum, vt mutato genere à masculino in neutrum, multiplicatio per millenarium fieret, vt apud Castellanos etiam fit.* Et demum concludit: *Igitur si numeralia nomina sestertiis vnita masculini sint generis sestertios nummos esse sciemus: si autem neutrius, tunc sestertia neutra. nam cum casibus qui vtrisq; communes sunt, vtuntur, si de nummis loquuntur, sestertijs nummis dicunt amphibolia vitandæ causa.* Si vacat, percurre etiam cætera plane digna lectu, & dignus auctor, cui subscribas.

QVIPPE ROGABATVR FŒLIXQ. VETVSQ. SODALIS.] Fuit enim & copiosus & potens, diuesque, & non ignotus mihi, sed cui mecum iam vetus necessitudo intercessisset, quo indignius fero mihi negatam opem.

ET CVIVS LAXAS ARCA FLAGELLAT OPES.] Sic locutus est lib. 5. epig. 13.

Et libertinas arca flagellat opes.

Flagellant, vt ait Turnebus, lib. 21. c. 4. diuitias & annonam, qui magnas arcis clausas opes tenent, & horreis fruges, quod inuitas velut verberibus & carceribus coërcitas erumpere foras non sinunt. Quod in annona qui faciunt, eam duriorem reddunt, & onerant coëmptis frugibus, & in horreis reconditis, qui & Dardanarii vocabantur, quasi veneficio in horrea sua fruges contruderent, & annonam premerent, & carmine, alio messes traduci opinio erat. Vt autem flagellare opes dixit Martialis, ita Papinius strangulare, quod verbum confirmat interpretationem hanc, quod tanquam inuitæ & constrictæ retinerentur & constipatæ. Statius 2. sil.

IS MIHI DIVES ERIS SI CAVSAS EGERIS INQVIS.] Si linguam foro loces, mercenariamq; eis facias, comparabis tibi opes, inquit Caius. QVOD PETO, DA, CAI, NON PETO CONSILIVM.] Et Titus lib. 1. suaserat poetæ vt causas ageret, & ipse poëta Flacco Ita Diogenes queritur nunquam sibi dari, quod petat sed aliud à Platone. *Cum interrogaris, inquit, quot sint duo & duo, respondes viginti, ita nec secundum ea, quæ rogaris, das, nec ad ea, quæ interrogaris, respondes.* Legendus Seneca epist. 45.

In Ponticum.

XXVII. XXXII.

Lis mihi cum Balbo est, tu Balbum offendere non vis,
*Pontice: cum Licino: * hic quoq; magnus homo est.*
Vexat sæpe meum Patrobas confinis agellum:
Contra libertum Cæsaris ire times.
Abnegat, & retinet nostrum † Latonia seruum,
Respondes, orba est, diues, anus, vidua.
Non bene, crede mihi, seruo seruitur amico.
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

* *est sic, &c.*

† *Lauronia, Laronia.*

LIS MIHI CVM BALBO EST, TV BALBVM OFFENDERE NON VIS] Ponticus caussidicus à Martiale fingitur appellatus de defensione contra Balbum Licinum, Patrobam, Lauroniam. Is quia hos timebat, eisq; seruiebat, opem Martiali negabat, quem à seruili & timido animo arguit, quæ vitia patrono plurimum nocent, cum vel honore, vel potentia, vel gratia inductus libertatem perdit & à fide deficit.

*sic quoq; magnus &c.

LIS MIHI.] Controuersia apud Prætorem dirimenda. BALBO] fictum nomen hoc, sed à vera origine natum, vti & Licini, & Patrobæ, & Lauroniæ, Balbum copiosum, & diuitem nolit offendere Ponticus. PONTICE, CVM LICINO * EST, HIC QVOQVE MAGNVS HOMO.] Licinus seu tonsor, seu alter, de quo Persius Sat. 2.

——& spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

Fuit Licinius Augusti libertus procurator & spoliator Galliæ. testes Suetonius & Iuuenalis Satyr. 14.

Dispositis prædiues hamis vigilare cohortem
Seuorum noctu Licinus iubet——

De eodem Licino videtur illud lib. 8. cap. 3.

Et cum rupta situ Messala saxa iacebunt,
Altaq; cum Licini marmora puluis erunt.

VEXAT SÆPE MEVM PATROBAS CONF. AGEL.] Patrobium quendam libertum Neronis repetio apud Plin. lib. 35. c. 13. cui è Nilo arena ad debellanda corpora in palestræ studiis collata est. Patrobas paullum inflexa voce, videtur inde à poeta deductum verbum. Patroba potens & gratia Cæsaris fretus violat aut inuolat transilitque agelli mei limites. tu neque hunc aggredi audes metu Cæsaris. de eodem Patroba seu Patrobio Sueto. Galba. c. 20. Tacit. lib. 17. Est qui hunc Patrobam Neronis libertum putet fuisse Christianum, & S. Pauli discipulum, quem salutere iubet ad Hebr. c. 16. Dorotheus numerat eundem inter septuaginta Christi, quem Martyrologium Romanum IV. Nou. Pontificem Neapolitanum vel Puteolanum facit. Menologium V. Nou. inter Martyres ponit. Ego de tempore non nego conuenire, sed vtrum hic ipse patrobas Neronis fuerit libertus an alius vehementer dubito, nullis enim id rationibus affirmari video.

ABNEGAT ET RETINET NOSTRVM LAVRONIA SERVVM.] Lauronia nomen potentis & copiosæ viduæ. poeta ex partium enumeratione ostendit Ponticum seruili esse ingenio, qui nec viros, nec fœminas audeat contrauenire. Lauronia iamdiu mancipium meum contra ius fasq; velut suum seruat. repeto te patrono, tu munire non audes. sed respondes. ORBA EST, DIVES, ANVS, VIDVA] capto illius hereditatem veluti mox ad frigentes abituræ, quod iam anus sit, & anus vidua, copiosa, & sine liberis ἄτεκνος. Lauroniæ cuiusdam mentio est apud Iuuenalem Sat. 2.

Non tulit ex illis toruum Laronia quendam
Clamantem——

NON BENE, CREDE MIHI, SERVO SERVITVR AMICO.] Ergo renuncio tibi officia item mea & amicitiam, nolo seruire seruo rebar te dominum, sed tute seruis omnibus, vt supra.

Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse;
Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

Ad Phœbum.

XXXVI. XXVII.

Cum sint crura tibi, simulent quæ cornua Lunæ,
** In rhytio poteras Phœbe lauare pedes.*

De Rhyto lege Bayfium. * Imbricio legunt Perottus & alij.

Rhytum genus poculi est, quod binos capit congios, solisque heroibus, vt Theophrastus de ebrietate scribit, propinabatur. Dorotheus, Sidonius Rhyta similia cornibus esse dicunt. Athenæus lib. 11. cap. 15. & 16. prolixe de hoc disputat. à Rhyto per diminutionem, vt ait Merula deflexum Rhytium. Extat elegans epigramma Hedylii de Rhyto poculo apud Athenæum ex emend. Casauboni.

Multus est in hoc difficili explanando Tiraquellus in Legibus Connubialibus, vbi Ciceronis, Horatij, Senecæ, Quintiliani, Plutarchi, diui Hieronymi auctoritatē profert. Nosatis liquet ipsum.

CORNVA LVNÆ.] Valgus diductis distortisque poplitibus, coëuntibus vestigiis seu plantis, cui varia seu varius contrarius incedit. IN RHYTIO LAVARE PEDES] Vt Rhytium instar cornu coit, ita pedes valgi, lauari ergo poterit in Rhytio. Rhyto malunt alii λουτῆρι, vide Bayfium. Petronius. Nunquid & crura in orbem pandere. Ægyptiorum & Æthiopum vitium. Woueriuum lege.

In Pannicum.

XXXVI. XXIX.

Pectere te, nolim, sed nec turbare capillos.
Splendida sit, nolo, sordida, nolo, cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sibi tibi barba reorum.
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.

Nunc

*Nunc * tibi crura pilis, & sunt tibi pectora setis*
Horrida? sed mens est, Pannice, vulsa tibi.

* sunt C. P.

PECTERE ET NOLIM, SED NEC TVRBARE CAPILLOS] Pannicus fictum nomen, quem virum corpore, mente fœminam dicit. & lib. 1. tale est epig. 25. ad Decianum, & 97. ad Scazontem. PECT. TE. NOL.] Flectere C. P. & melius ad sententiam vt recte Gulielmius aduertit, quem adibis. Forma viros neglecta decet.——Ouidius & lib. 1. de Art.

Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina, compti,
Fine coli modico forma virilis amat.

Idem 3. *Sed vitate viros cultum, formamq; professos,*
Quiq; suas ponunt in statione comas.

Ridetur apud Ouid. lib. 13. Polyphemus, qui rastro pectere siluam instituit, vt Galateæ, placeret.

Iam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos,
Iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam.

SED NEC TVRBARE CAPILLOS.] Nolim te ritu muliebri comam componere, nec furiarum more disturbare. Alterum enim fœminam, alterum feram sapit. Hinc diplicet illius, de quo lib. 1. coma.

Adspicis incomptis illum Deciane capillis, &c

SPLENDIDA SIT, NOLO] Reprehendit & Horatius curam hanc epist. 1. ad Lollium.

In cute curanda plus æquo operata iuuentus.

Cui tamen ipse deditus. *Me pinguem*, inquit, *& nitidum bene curata cute vises.*
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

SORDIDA NOLO CVTIS.] Medium tenuere beati, in medio virtus, est modus in rebus. Volo, vt te cures siue cura.

NEC TIBI MITRARVM.] Domitius, barbam mitrarum redimicula mitrarum dependentia exponit. Ego reor poetam voluisse contraria coniungere, hoc est, nec tibi sit nulla, nec nimium promissa ad pectora barba. Mitræ fœminarum aut effœminatorum virorum erant, qui depilabant mentum, vt Otho, & alii, qui fœminis propiores, quam viris. Barba ergo mitrarum, id est, fœminarum, hoc est, nulla omnino, aut barba mitrarum virorum mulierosorum, quales Cicero in Catil. describit barbatulos, &c. MITRARVM,] id est, fœminarum, matronæ enim Romæ mitras ferebant fuit & Venus vocata mitra, & mitram soluere, est deuirginare. Vnde incorrupta mitra pro pudicitia & virginitate. Legatur Cælius. Forte ad Gallos sacerdotes Cybeles castratos imberbes & mitratos alludit. An barbatos mitratos intelligit? Virgil. 4. Æn. in persona Iarbæ Æneæ mitram gestanti obiicit.

Mæonia mentum mitra crinemq; madentem
Subnixus.

Et li. 9. Romulus Ascanio. *Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.*

BARBA REORVM.] Iam supra diximus reos ad squalorem comparandum barbam non resecuisse, vestem mutasse, sordidos fuisse, &c.

NVNC TIBI CRV. PILIS, ET SVNT TIBI PECT. SETIS HORRIDA.] Egregius vir appares. Nam vt canit apud Ouidium lib. 13. Met. Polyphemus.

Nec mea quod duris horrent densissima setis
Corpora, turpe puta, turpis sine frondibus arbos,
Pluma tegit volucres ouibus sua lana decori est,
Barba viros hirtæq; decent in corpore setæ.

Et Homerus Achillem prædicat à natis in pectore setis, & Virgilius. SED MENS EST, PANNICE, VVLSA TIBI.] Animo es parum virili, sed molli, effœminato, in horrido & virili corpore animum geris muliebrem. corpore vir, animo fœmina es. Sunt qui hoc epigramma abiudicent Martiali, sed causam veram non video.

Vt viri fortes & à mollitie alieni barbata brachia, & alas hircosas ostabant. Casaubonus plura in hæc rem ad Theophrast. caput [illegible] *& Sauaro ad Sidonij epist. 2. lib. 1.*

In Cæcilianum.

XXX. XXXVII.

Quidquid ponitur hinc, & inde, verris:
Mammas suminis, imbricemq; porci,
Communemq; duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumq; totum,
Murenæq; latus, femurq; pulli,
Stillantemq; alica sua palumbum.

S 5 Hæc

Hæc cum condita ſunt madente mappa;
Traduntur puero domum ferenda.
Nos accumbimus otioſa turba
Vllus ſi pudor eſt; repone cœnam.
Cras te, Cæciliane, non † vocabo.

† *Vocaui. mirifice arridet hoc vocaui. vide Mediā. ep. 33. & editam. Palatinam.*

QVIDQVID PONIT. HINC, ET INDE, VER.] Impudentiſſimum conuiuam deſcribit. Qualem infra lib. 7. epiſt. 19. laudat Sanctram. VERRIS] abſtergis, remoues, tollis à menſa. verr.s menſam, vt Verres Siciliam, ita verſam & exterſam relinquins, qui, quidquid ponitur in menſam, rapis. Licebat tamen bona venia Modiperatoris, aliquid è menſa ſecum tollere, vel per alium domum vxori vel amico mittere. Lucianus in Lapithis. Athen. 4 & 14. alii. Suet. Auguſt. MAMMAS SVMINIS.] Sumen ex papillis porcæ poſt editum fœtum occiſæ fiebat, antequam porcelli ſuxiſſent, quoq; magis lacteum erat, hoc amplius commendabatur lib. 13.

Eſſe putes nondum ſumen ſic vbere largo
Effluit, & viuo lacte papilla tumet.

Ita eleganter Arnobius dixit imbrex narium.

Plura de ſumine lib. 13. lem. *umen.* de apparatu ſuminis Apicius lib. 7. c. 2. IMBRICEMQ. PORCI.] Imbrex proprie tegula canalem ſeu dimidiatum tubum exprimens. Hic translate aut pro papillis ſ. ctis accipitur, aut ea parte, qua vrina defluit. Domitius lumbum interpretatur aprugnum, nec fortaſſe male: quod enim in apro in tres partes diuiſo medium erat, aprinum ſeu aprugnum dicebatur. Scriuerius auriculam porci put t imbricem vocari, quod imbricem referat, quod & mihi arridet. COMMVN. DVOB. ATTAG.] De hac copioſe diſſeruimus lib. 13. ſuper illo verſu.

Inter ſapores fertur alitum primus
Ionicarum guſtus attagenarum.

Meerbarbel.

Germani vocant ein Haſelhun. Deſcribit hanc Athenæus lib. 9. c. 12. Oppianus, Geſnerus. & alii de auibus. De eius apparatu lege Apitium lib. 6. c. 3. MVLLVM DIMIDIVM] Græcis τρίγλη, vel μύκος, quod ter in anno pariat, gulonibus haud ignotus piſcis, de quo lib. 13. ad illum verſum.

Spirat in aducto ſed iam piger, æquore mullus.
Langueſcit; viuum da mare, fortis erit.

DIMIDIVM.] Diſputat acute A. Gellius 3. c. 14. quid dimidium dimidiato interſit. Tu verbo rem accipe. Dimidiatum dicitur res tota diuiſa in duas partes dimidium, altera, ex diuiſis. Ita dimidiatum ſignificat vtramque, ſed diuiſam, dimidium alteram tantum. In dimidiato vtraq; pars extat, in dimidio altera, aut cert. vnius tantum habetur ratio. Exempla pete ex auctore ipſo. Mullum ergo dimidium, partem alteram mulli fuiſſe appoſitam intellige. Nam ſi mullus fuiſſet integer diuiſus in menſa, dimidiatus diceretur mullus. Ego tamen cum alteram partem edo dimidium, non dimidiatum edo; ſi vtramq; partem abſumerem, dimidiatum mullum dicerer abſumpſiſſe. ſi per partes alarum, pedum, femoris, capitis, &c. nec dimidium, nec dimidiatum. Ne puta tamen dimidium vno hauſtu vorandum. LVPVMQ. TOTVM.] Lupus & Lucius ein Höcht/ notus piſcis, de quo lib. 13.

Anguilla maxima Germanis Meeraal.

MVRÆNÆQ. LATVS.] De nobilitate murænæ ex variis auctoribus lib. 13. ad illum verſum multa ſcripſimus.

Quæ natat in Siculo grandis Muræna profundo,
Non valet exuſtam mergere ſole cutem.

der Bern.

Holtztaub.

FEMVRQ. PVLLI.] Optima pulli pars femur & ala. STILLANTEMQ. ALICA SVA PALVMBVM] Alica ſiue Zea genus eſt præſtantiſſimi tritici. Fiebat inde puls, panis & potio, quæ prope reſpondit Zitho ſeu cereuiſiæ. Hic videtur accipi pro aruina ſeu adipe & pinguedine palumbi, niſi fartum alica intelligas. Nam haud crediderim alica perfuſum fuiſſe illum palumbum. Nihil enim apud Apicium de hac re, qui palumbi præparationem diligentiſſime proſequitur lib. 6. c. 3. Plura lib. 13. lem. alica. PALVMBVM] Palumbus columba ſeu columbus ſilueſtris, de quo Athen lib. 9. c. 16. Martialis lib. 13.

Theophilacti Simocata epiſt. 14. lege.

HÆC CVM CONDITA SVNT MAD. MAPPA.] Hæc, ſumen, imbrex, attagena, mullus, lupus, muræna, pullus, palumbus. CONDITA?]. Inuoluta mappa coctis cibis madente imbuta. TRAD. PVERO DOMVM FER.] More Romano id fiebat, vt ſubinde ex alieno etiam conuiuio amicis aliquid mitterent, ſed non abſq; voluntate conuiuatoris. Extat ea de re iocus perelegans inter apophthegmata Auguſt., apud quem cum Curtius eques Romanus homo lautus & delicioſus cœnaret, macrum turdum ſuſtulit è patina, cumq; tenens interrogauit Cæſarem, liceretne mittere. cumq; is reſpondiſſet, quid ni liceret? Ille protinus auem miſit per feneſtram iocatus in dilogia verbi, *mitto.* nec offenſus Cæſar. NOS ACCVMB. OTIOSA TVRBA.] Non habemus, quod edamus. VLLVS SI PVDOR EST, REPONE CŒNAM.] quam domum miſiſti, nobiſq; eripuiſti. Ego te conuiuam adhibui, tu totum conuiuium abſtuliſti.

CRAS TE, CÆCILIANE, NON VOCABO.] Male ſcribunt & legunt alii, vocabo. Vocaui ſcribendum recte monet Domitius, lepos omnis in hoc verbo, vocaui, conſiſtit. Et eſt ſolœcus ſermo,

ſed argutiſſimus, & notat ſolœciſmum conuiuæ impudentis. Vocaui, inquit, te hodie, tu cœnam meam abſtuliſti, vt cras cœnes, ego te non vocaui in craſtinum, ſed hodie. ergo repone cœnam.

In Linum.

XXXI. XXXVIII.

Quid mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus.
Hoc mihi reddit ager: te, Line, non video.

Odium in Linum declarat. Tam charus & gratus es mihi Line, vt me putem beatum, cum te non video, vt non videam, ſecedo in agrum meum Nomentanum, qui, vt alioqui nihil commodioſius, vel inuiſius. De agello Martialis Nomentano plura lib. 13.

De muneribus mœchæ.

XXXII. XXXIX.

Coccina famoſæ donas, & ianthina mœchæ.
Vis dare, quæ meruit munera, mitte togam.

Cuiuſdam adulteræ aut potius proſtibuli notam ignominiæ exprimit. Coccina & Ianthina veſtes ſunt purpureæ & violaceæ, à cocco & ἴον, viola. Veſtes autem Romani ſibi mutuo mittebant, & ipſe populus Romanus regibus & amicis: lege Bayfium de re veſt.

VIS DARE, QVÆ MERVIT MVNERA, MITTE TOGAM.] Meruit togam, hoc eſt, vt toga velut adultera, induta publice producatur. *Matrona conuicta adulterij ac damnata, vt quidam volunt*, inquit Lambius (innuit autem Domitium, Porphyrionem, Acronem.) *Alij ſimpliciter meretricem interpretantur: & melius. Nam mulieres, quæ vulgo expoſitæ, in publicum togatæ prodibant, & togis vtebantur, vt à matronis ſtolatis diſtinguerentur. M. Tull. Philipp. 2. ſumpſiſti virilem: quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti.* Horat. Sat. 2. *Eſt in matrona, ancilla peccesue togata.* Tibullus, *Sit tibi cura togæ potior.* Legatur Briſſonius ad legem Iuliam de adulterio. Plura Biſciola lib. 4. c. 5. de toga & ſtola.

Iuuen. Sat. 2. Martial. lib. 2. lib 6. epiſt. 66.

In Tongilium.

XXXIII. XL.

Vri Tongilius male dicitur hemitritæo;
*Noui hominis * mores, eſurit, atq; ſitit.*
Subdola tenduntur craſſis † modo retia turdis,
Hamus & in mullum mittitur, atq; lupum.
*Cæcuba * ſiccentur, quæq; annus coxit Opimi:*
Condantur parco fuſca Falerna vitro.
Omnes tongilium medici iuſſere lauari.
O ſtulti, febrem creditis eſſe? gula eſt.

An ille Tongilius, quem notat Iuuen. Satyr. 7.
** Fraudes.*
† V. nunc.
** Saccentur. Turnebus rectè legit.*

Tongilii morbus eſt eſurire pullos, ſitire falernum. ſane pernicioſus & longe lateque ſerpens, apud Apicios. VRI HEMITRITHÆO.] Semitertiana; genus eſt febris, quam Græci φρικώδη, id eſt, horridam febrem appellitant, concurrunt in eo quotidiana & tertiana. Genera febrium ex Galeno & Hippocrate commemorat Celius Rhod. lib. 22. cap. 8. Hanc tamen præterit. Hippocrates πυρετὸν φρικώδη appellat. Celſus ſpeciem eſſe tertianæ. Hermolaus Hemitritæam ideo dici putat, quod tertianam aliqua parte præſentet nec tamen tandiu duret, ac tertiana. Huius ſæpius fit mentio apud Martialem. De Hemitritæo Q. Serenus Samonicus.

Magen-ſucht.

Mortiferum magis eſt quod Græcis hemitritæum
Vulgatur verbis, hoc noſtra dicere lingua,
Non potuere vlli, puto, nec voluere parentes
Inſcribis charta, quod dicitur, ABRACADABRA, &c.

VRI] quia febres prope omnes calidæ. NOVI HOMINIS MORES: ESVRIT, ATQVE SITIT] Ingenium ſubdolum dixiſſet, noui hominis morbos. Fingunt ſæpe homines morbos, vt mollius habeantur. SVBDOLA TENDVNTVR RETIA TVRDIS.] Eſurit turdos, quibus Martialis lib. 13. dat palmam.

Inter aues turdus, ſi quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Vbi de turdo plenius. CRASSIS.] pinguibus. RETIA TENDVNTVR] prætextu morbi venatur aues gulæ suæ.

† siccentur.

HAMVS ET IN MVL. MIT. ATQ. LVPVM.] De mullo & lupo paulò ante d. lib. 13. sunt metaphoræ à ven. & piscat. CÆCVBA † SACCENTVR.] Vina cæcuba saccentur. sacco vinario castrentur, transmittantur, defecentur, liquentur. Cæcubum dicitur ab agro Cæcubo, qui non procul à Falerno & Massico. de hoc Plinius, Athen. Columella, Strabo, & alii, nos fusius lib. 13. ad illud distichon.

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis.
Vitis & in media nata palude viret.

Sed fortasse, siccentur, non vitiosè legetur. Sensus enim erit dentur illi siccanda cęcuba, id est, haurienda, valebit. Turnebus pugnat pro priore, cui non repugnamus. QVÆ ANNVS COXIT OPIMI] Fundana lib. 13.

Hac Fundana tulit fœlix autumnus Opimi,
Expreßit mulsum, consul & ipse bibit.

De Opinio lib. 1. de epist. 27. ad Sextilianum.

Vinum ergo Opinianum (cuius frequens mentio apud Martialem) est vetustum, nobile, generosum. Consul fuit L. Opinius. A. V. C. DC. XXXIV. Ducenti erant anni ad tempora Plinii, non multo plures ad Martialis ætatem. plura lib. 13. CONDANTVR PARCO FVSCA FALERNA VITRO] Propinentur illi Cæcuba, Fundana, Falerna, parco vitro; modice enim bibebatur Falernum ætate coctum, quod esset indomitum, & vel exiguum vitrum, cuius bibonis poterat sufficere, vel ægris certe debebat. Athen. & lib. 13. Martialis. Atqui febrientibus non debatur vinum. Dabatur & datur hodie pro cuiusque febris conditione. FVSCA] subnigra.

OMNES TONGILIVM MEDICI IVS. LAV. Ô STVL. FEBR. CRED. ESSE? GVLA EST.] Concludit medicos ridendo, qui morbum Tongilii non nouerant, & lauationem præscripserant, cum ipse culinaria & vinaria pharmaca optaret.

In Maximinam.

XII. XXXIV.

Ride, si sapis, ô puella, ride,
Pelignus, puto, dixerat poëta:
Sed non dixerat omnibus puellis.
** Quamuis dixerat omnibus puellis,*
Non dixit tibi, tu puella non es,
Et tres sunt tibi, Maximina, dentes,
Sed plane piceiq; buxeiq;.
Debes non aliter timere risum,
Quam ventum Spanius, manumq; † Priscus,
Quam cretata timet Fabulla nimbum,
Cerussata timet Sabella solem:
*Vultus * indue tu magis seueros,*
Quam coniunx Priami, nurusq; maior.
Mimos ridiculi Philistionis,
Et conuiuia nequiora vita,
Et quidquid lepida procacitate
Laxat perspicuo labella risu.
Te mœstæ decet aßidere matri
Lugentiq; virum, piumq; fratrem,
Et tantum tragicis vacare Musis.
At tu iudicium secuta nostrum,
Plura, si sapis, ô puella plora.

* V. verum dixerit. al. Verum vt dixerit omnibus puellis.

† Crispus. P.C. & aliy.

* finge tuos.

RIDE

RIDE, SI SAPIS, Ô PVELLA, RIDE] Maximinam vetulam ridentem irridet, & σιμαίζειν κε-λεύει, edentulam ait rubiginosam esse, ingratumque ridere. Vt Catullus Egnatium renidentem. PELIGNVS, PVTO, DIXERAT POETA.] Domitius putat Martialem alludere ad versus quosdam de Arte, qualis esse videtur: *Spectantem specta, ridentem mollia ride.* Sed Beroaldus ex Martiano docet, hunc primum versum huius epigrammatis. RIDE, SI SAPIS, Ô PVELLA RIDE.] Ouidii versum esse integrum petitum ex Medea, Angelus Politianus esse ex epigrammatis Ouidii, non ex Medea. Nam quorsum phaleucium in Tragœdia aut Medea? Ab Angelo stare placet. Imo in suspicionem venio Priapeia aut pleraque omnia, aut plura esse Ouidii, cùm alii quoq; versus ex iisdem à Seneca proferantur. Sed de hac re dictum initio cap 2.

Mens ergo Martialis hæc. Si sapis, ô puella si placere cupis, ride, dixerat Ouidius. SED NON DIXERAT OMNIBVS PVELLIS.] Non deformibus, sed formosis tantum, candidulis dentibus puellis. In illis enim gratus risus. tu vetula, annosa, capularis, edentula, aut tridentula.

DEBES NON ALITER TIMERE RISVM, QVAM VENTVM SPANIVS, MANVMQ. PRISCVS.] Spanius puellarum ritu componebat capillos, & studiose pectebat. Priscus tam curiosus erat vestis, vt velut alter Hortensius cuiuslis contactum refugeret, ne turbaret plicas, quarum causa legitur Hortensius quendam in ius vocasse: vterque elegans, nitidus, in quos illud Ennianum. *Tot etenim iuuenes, &c.* Scriuerius & aliter hæc versum scribit, & aliter interpretatur cuius verba subdo, quod eisd. subscribam. Gruterus in Viennensis codicis scriptura legerat:

Quam ventum vacuus manumue lippus:

Ex quo Scriberius: *Quam ventum Vatius, manumue lippus.*

Vatius inquit, seu *vatias* (vt quibusdam placet) est qui lente ac moleste incedit propter vitium crurum quæ curua habet atq; exteriu flexa: Qualia Æthiopibus plerunq; tribuuntur; qui crura in orbem pandere apud Petronium dicuntur. Perstringiturq; hoc libro quidam Phœbus à poeta cuius crura simulent Lunæ cornua. Epigr. XXXIII. Vatium hunc fuisse suspicamur. *Varus* contra est, cui introrsum crura obtorta sunt & deprauata A priore illo vitio Vatiarum & Vatiniorum cognomina fluxerunt, quod pedibus essent vitiosis. In ead. voce corruptum esse Martialem lib XII. iamdudum odorati sumus hoc versu: *Lintea ferret Apro vacuus cum vernula nuper.* Legendum enim *Vatius*. Monet hoc loco Maximinam anum poeta dil genter et cauendum esse à risu, ne si rideat solutius, deformitatem oris tribus tantum dentibus iisq; piceis buxeisq; superstitibus populo prodat laxo rictu. Non aliter inquit. risum debes timere quam homo distortis cruribus ventum, cuius vi ac impetu in terram prosterneretur & caderet, quam vel manum lippus, homo oculis ægris & lippitudine turgidis. Qui quantopere indelectetur, *Omnibus & lippis notum & tonsoribus.* Ne cui autem mirum videatur, inueniri homines qui ventum reformident ac declinent, ne vehementia eius humi affligantur: sciat nanos exilitq; staturæ & iundeos homullos huic casui plerumq; obnoxios. Et Philetam nobilem poetam ita gracili corpore fuisse & leui, vti necesse habuerit pilas plumbeas pedibus subiicere. ac calceis suppingere, ne à vento subuerteretur. Quod memoriæ prodidit Athenæus Deipnos lib. 13. sub finem Hæc erudite Scriuerius.

QVAM CRET. TIM. FAB NIMB.] Infecta est Fabulla, terra Chia, qua illita nitorem, candoremq; sibi conciliabat, sed ab vnda contacta, vt auctor est Plinius, celeriter defluit.

CERVS TIM. SAB. SOL.] Spanius, Priscus, Sabella ficta sunt nomina, quibus tamen multos, qui id factitabāt, arguit. nam *mutato nomine de te fabula narratur*, fieri potest vera esse nomina. Cerussa genus pigmenti, quo imbuitur facies ad candorem. de hoc dictum lib. 1. epig. 73. v. Sed cur timet solem? quia vrit, vt vultum reddit duriorem credo etiam nigricantem, proditq; artificium.

VVLTVS INDVE TV MAGIS SEVEROS.] Non belle rides plurabis belle, compone vultum ad seueritatem & luctum.

QVAM CONIVNX PRIAMI, NVRVSQ MAIOR.] Quam Priami Hecuba, & Andromache Hectoris vxor. minor nurus Helena Paridis adultera, maior facta vti & vxor Andromache. Ouid. de Art.

Nunquam ego te, Andromache, nec te, Tecmessa, rogarem.
Odimus & mœstas, Tecmessam diligit Aiax &c.

MIOS RIDMIC. PHILISTIONIS, ET QVIDQVID LEPIDA PROCAC. ET CONV. NEQVIORA VITA, LAXAT PERSPICVO LABELLA RISV.] Philistio, Pantomimus, Magnesianus patria. Eusebius mimus, Eusebio auctore, Augusti æuo theatra cachinnis impleuit, qui & ipse risu tandem interiit, cùm mimum daret, qui φιλογέλων inscriptus est. Nominant eundem Sidonius B. Hieronymus, Marcellinus, Epiphanius. Laberius ex eodem genere ob ridicularia minime ridiculos honores est indeptus. Tu Maximina, vt personæ tuæ decorum retineas, nunquam ride, nec ridicula specta. Et declina mimicas actiones, vita leuiora conuiuia in quibus gelotopœi, sanniones ridiculis dictis risus excitant, vt apud Plautum parasiti, apud Xenophontem in symposio, ni fallor, Philippus. LAXAT.] pandit ora, vt appareant dentes. LEPIDA PROCACITATE] iocularibus dictis, facetiis, scommatis.

TE MŒSTÆ DECET ASSIDERE MATRI, LVGENTIQ VIRVM PIVMQ. FRATREM.] Te Maximina decet audire, & spectare tragœdias, & assidere Hecubæ lugenti virum vel Priamum, vel Androma-

dromachæ Hectorem, pium fratrem Alexandri impii. Ille enim pro patria mortuus est, hic viuam patriam extinxit. Vel vt vult Domitius, Lugenti Hecubæ Hectorē virum Andromaches, & te decet assidere sorori Electræ deflenti Oresten fratrem pium in patrem Agamemnonem, vel Pyladen, pro quo mortem oppetere cupiebat.

ET TANTVM TRAGICIS VACARE MVSIS.] Quæ tantum tristia & luctuosa dant, quod nôrunt omnes, spectacula.

AT TV IVDICIVM SECVTA NOSTRVM PLORA, SI SAPIS Ô PVELLA PLORA.] Pulchre inuertit primum carmen. Cum inelegans sis Maximina ridendo, elegantior eris, si me audieris, plorando, Illepidus risus tuus, decoræ lachrymæ.

In Candidum.

XLIII. XXXV.

Venustius: tua, Candide κοινά.

** Candide κοινὰ φίλων, hæc sunt tua, Candide, πάντα.*
Quæ tu magniloquus nocte, dieq; sonas.
Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso,
*Vel quam seposito de grege * Parma dedit.*
*At me, quæ passa est * furias, & cornua tauri,*
Noluerit dici quam pila prima suam.
*Misit * Agenoridæ Cadmi tibi terra lacernas;*
Non vendes nummis coccina nostra tribus.
Tu Lybicos Indis suspendis dentibus orbes:
Fulcitur testâ fagina mensa mihi.
Immodici tibi flaua tegunt Chrysendeta mulli:
Concolor in nostra cammare lance rubes.
Ex opibus tantis veteri fidoq; sodali,
Das nihil, & dicis, Candide κοινὰ φίλων.

** Creta, Acerra.*
** furiosi cornua tauri.*
** agenoreas.*

In Candidum & Candido geminos λόγῳ φίλους, ἔργῳ δ' ἀφίλους. Primus versus etiam sic legitur.

Κοινὰ φίλων, hæc sunt tua semper Candide κοινά;

Codex Palatinus paullo venustius:

Κοινὰ φίλων hæc sunt; hæc sunt tua, Candide, κοινά

τὰ τῶν φίλων κοινά. Cic. Gell. Laertius.

Κοινὰ φίλων.] Hoc verbum lippis & tonsoribus notum, vsurpant iuxta Græci ac Latini, cuius auctorem alii Socratem, alii pleriq; Pythagoram faciunt, qui non verborum tantum, sed rerum omnium communitatem intrudere conabatur. Quem correxit Epicurus, lege apophtheg. Ex hoc verbo Diogenes ostendit, sapientem virum diuitem esse. *Deorum*, inquit, *sunt omnia, Deorum autem amici sunt sapientes, & amicorum communia, sunt omnia, sapientum igitur sunt omnia.* Sed hæc alii referunt ad Socratem. Seneca hunc locum sibi explicandum sumpsit lib. 7. de benef. cap. 4. & eod. lib. c. 12. ad quem amicum lectorem mitto, cui mecum liber communis est.

QVÆ TV MAGNILOQVVS NOCTE, DIEQVE SONAS.] Tu iactas semper τὰ τῶν φίλων κοινά, & amicis interim nihil largiris.

TE LACEDÆM. VELAT TOGA LOTA GALESO.] Tu tibi togam è lana Tarentina laudatissima conficis. Plin. *circa Tarentum Canusiumq; summam nobilitatem habent*, lanæ nempe. Galesus est agri Tarentini fluuius ad quintum ab vrbe lapidem. De quo Virgilius 4. Georg. Horatius, Liuius lib. 25. eundem alii vocant Eurotam, lege Ortelium.

LACEDÆMONIO.] Achiui seu Lacedæmonii condiderunt Tarentum. TOGA] nobili lana Tarentina. Martialis lib. 13. *Nobilis & lanis, & fœlix vitibus Aulon*,

Ad quem versum plura ibid. TOGA LOTA] quia oues in Galeso fluuio lauabant, ex quarum nobili vellere togæ fiebant, aut vellera ipsa.

** Creta vel Acerra, vide Iunium Ratione primam Scripturam.*

VEL QVAM SEPOSITO DE GREGE * PARMA DEDIT.] Vel te velat toga Parmensis. SEPOSITO DE GREGE.] delecto ex nobiliori vellere Parmensi. Olim Chrysopolis dicta est Parma, ciuitas Italiæ, nota ex retento nomine, & caseo Parmensi & vellere. Mart. 14. Et lib. 5. epig. 13. *Velleribus primis Apulia, Parma secundis.*

AT ME, QVÆ PASSA EST FVRIAS, ET CORNVA TAVRI.] At ego tegor vilissima toga & lacera, quales sunt pilarum tauris obiectarum. De pilis, hoc est, imaginibus & simulachris hominum,

tauris

tauris in amphitheatro obiectis, supra diximus. lib. spect. vide plura apud Cœlium Rhod. Forte emendatius hic legas, furiosi, vel furiati tauri.

NOLVERIS DICI QVAM PILA PRIMA SVAM.] Compitales pilas hic intelligit. Erant enim vt Sextus Pompeius scribit, pilæ viriles effigies, atq; item muliebres ex lana, quæ compitalibus suspendebantur in compitis, quod esse Deorum inferorum putarent, quos vocant Lares, quibus tot pilæ, quot capita liberorum, seruorum, mulierum circa compita habitabant, ponebantur, vt essent iis pilis, & simulachris contenti, viuisq; parcerent. Hisce vero imaginibus nullius omnino pretii vestes circumponebantur. Proinde pannosas etiam quandoq; Martialis pilas vocat, & epig. 10. in Laurum.

Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas:
Nunc postquam desiit ludere, prima pila est.

Sed cur prima pila? Ab harum nempe pilarum similitudine, quasi secundæ prodierunt feris obiectæ. Primæ erant compitales, primæ dictæ, quia in principiis viarum, hoc est, compitis ponebantur. Secundæ, quæ feris obiiciebantur, quæ primulum è stramine fiebant, de quibus supra. Primipilares, id est, aquiliferi, & primi centuriones nihil ad rem, nec pilæ, columnæ. Plura vide apud Gell. lib. 16. c. 11.

MISIT AGEN. CAD. TIBI. TER. LACERNAS.] Tibi Tyrus misit purpureas, & nobiles lacernas. AGENORIDÆ.] Cadmi Agenoris filii Tyrii, sed Cadmus Theb. Rex fuit, & vrbis Theb. conditor. Alii malunt Agenoreas.

NON VEN. NVM. COCCI. NOSTRA TRIBVS.] Nummus & sestertius eiusdem sunt pretii. tres nummi sex valent cruciferis. COCCINA.] Lacernæ coccineæ purpureæ.

TV LYB. IND. SVSP. DENT. ORBES.] Tu citreas mensas eburneis pedibus possides. LYBICOS ORBES.] Periphrasis mensarum, quæ fiebant è citro, qua abundauit Atlas mons Lybiæ. De citreis mensis * alibi copiosius. INDIS DENTIB.] Pedibus, vt dixi, eburneis. Ebur ex elephanto, qui bellua Indica.

ἐλεφαντόποδας τραπέζας. μονξύλους. * Apoph. lib. 14.

FVLCITVR TESTA FAG. MEN. MIHI.] Pauperum & vicanorum ritu, lib. 1. Ad Frontonem.

Pinguis inæquales onerat cui villica mensas.

Ouid. 8. met. *——Sed erat pes tertius impar,*
Testa parem fecit.

IMMODICI TI. FLA. TEG. CHRYS. MVLLI.] Ingentes mulli tuas lances implent: tu voras in gemmatis catinis opimos mullos, ego in fictili paropside cammarum: CHRYSENDETA.] Viri doctissimi explicant vasa crustis aureis illigata, *Ego*, inquit, Turnebus lib. 14 cap. 3. *vasa gemmata esse puto, quorum gemmæ auro conserta & contexta tenerentur.* Plutar. in Lucullo id satis indicat. ἰδὼν ἐπὶ τοῦ χρυσενδέτου σμαράγδου, τ πλαιτπλῶι, &c. χρυσένδετον, diceres auro vinctum, auro illigatum. Cœlius ex sententia Martialis Chrysendeton ait esse lancem auro litam. ex Plutarcho smaragdum auro illigatum.

CONCOLOR IN NOSTRA CAM. LAN. RV.] Cammarus Græcis ἀστακός, vel κάμμαρος, nobis, Meerkrebs. Tu mullos nobiles, ego viles & rubentes cammaros in rubente lance esse cogor. Sic Iuuenalis Sat. 5.

Aspice quam longo distendat pectore lancem
Asparagis, qua despiciat conuiuia cauda
Quæ fertur Domino Squilla, & quibus vndiq; Septa,
Cum venit excelsi manibus sublata ministri,
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ouo
Ponitur exigua feralis cœna patella, &c.

Tota Sat. huius fere argumenti est.

GREX TVVS ILIA. POT. CER. CYNÆDO.] Tui pueri administri mensæ, elegantia, flore, venustate prope superant Ganymedem. Ganymedes enim Troianus raptus à Iouis alite ad cœlum, Iouis vocatur cynædus, &c.

AT MIHI SVCCVRRIT PRO GANYMEDE MANVS.] Ego ipse mihi Dominus & minister, manum pro seruo habeo.

EX OPIBVS TANTIS VETERI, FIDO Q. SODALI DAS NIHIL, ET DICIS CANDIDE κοινὰ φίλων.] Ex tantis copiis rerum omnium, quas enumeraui modo, nihil omnino, das mihi & antiquo & fido amico, ἐμφατικῶς, & dicis φίλων κοινά, tute tibi solus, vt video, amicus es, cum tua seruas omnia. Alii per notam interrogationis scribunt quod est ἐμφατικώτερον.

In Sextum.

XXXVI. XLIV.

Emi seu puerum, togamue pexam,
*Seu * tres, * vt * puto, quatuorue libras.*
Sextus protinus ille fænerator,

* Tris C.P. * Puto. * Compute Heraldus legit Aldus. Vel puto,

Quem

Quem nostis veterem meum sodalem.
Ne quid forte petam, timet, cauetq́;.
Et secum, sed vt audiam, susurrat;
Septem millia debeo Secundo,
Phœbo quatuor, vndecim Phileto,
Et quadrans mihi nullus est in arca.
O grande ingenium mei sodalis!
Durum est. Sexte, negare, cum rogaris?
Quanto durius. antequam rogeris.

Auaritiam Sexti argute, & lepide depingit.

TOGAM PEXAM] est recens & villosa. Persius. —— *pexusq́, togaq́, recenti.* Et Martialis infra.

Pexatum pulchre rides mea Zoile trita.

Tritæ & pexæ aduersæ sunt. Tritæ apud Festum decotes, id est, detritæ, quasi decutes, de floccatæ sine floccis. Adi Lips. lib. 1. Elect. c. 15. à toga pexa pexati. Pexam tamen alii aliter accipiunt, & ἐκπεπιεσμένην exponunt, Marcilium consule ad 1. Sat. Persii.

SEV TRES VT PVTO, QVATVORVE LIBRAS] Libra argenti Romani X. Philippæis valebat, & centum denarios seu drachmas æquabat, vt Budæus, & qui Budæum sequuntur ex Liuio, Plutarcho, Gellio & aliis ostendunt. Et hæc ratio mihi semper obseruatur in his commentariis. Alii libræ 84. denarios tribuunt. alii 96. drachmas. Georgium Agricolam, Ioannem Marianam, pluresque darem testes si mihi propositum fuisset disputare. Lampridii locum penitus corruptum scias, vbi centum sestertia triginta cum libris confert. Ioannes Mariana pro triginta, legit trecentas libras, qua ratione libra argenti contineret octo Philippicos, 6. Victoriatos, H-S. 1. & numos binos, quorum tres crucifero æstimantur. Idem tamen c. 8. assignat 84. denarios, vnde libra 8. Philippæos & 8. Victoriatos comprehenderet. Alexandrum ab Alexandro hic non adduco super dubio fundamento variæ scripturæ noua genera sestertiorum cudentem. Matthæum Hostum consule lib. 2. c. 11. p. 366. Senius carminis est quem Heraldus exponit, cum quo, lego, computo, Alioqui ex sensum carmen. Cum ipse mecũ tacitus puto, & exputo trium seu quatuor librarũ rationes, veretur Sextus, ne petam à se illas ipsas libras. Sed nihil mutandum putant alii, quod Martialis dixerit, vt puto, quantum memini, nisi fallit memoria. FŒNERATOR] Qui fœnerat, occupat pecuniam, quam cum fœnore & vsura recipiat, diues ille Sextus, qui abundat auro. Scriuerius cum Grutero legit, *vt puta*, vocem Vlpiano sæpe vsurpatam. Docetq; Gruterus vltimum corripi sicut & in Priapeis

Vt Phœbo puta, filioque Phœbi.

QVEM NOSTIS VET. MEVM SODAL. NE QVID FORTE PETAM, TIMET CAVETQ.] Quod hoc indignius est, quod notus sodalis, qui non solum nihil dat mihi, sed timet etiam, ne quid petam, nec petere me sinit, ne dicam impetrare.

ET SECVM, SED VT AVDIAM, SVSVR.] Secum ipse putat rationes suas tacite, sed tamen, vt exaudiam, tacitus clamat, ne petam.

SEPTEM MIL. DEB. SECVN. PHŒ. QVAT. VND. PHILETO.] * Exempli causa hîc posuit numerum certum pro incerto, septem, quatuor, & vndecim millia, subaudi HS. hoc est 22. millia, HS. quingentos quinquaginta Philippæos.

*Lipsl. 4 37.

ET QVADR. MIHI NVL. EST IN ARCA.] Deterret Martialem à petitione; quadrans quarta pars assis, 5. efficiunt cruciferum. 4. assem. de hac re supra lib. 1.

O GRANDE INGEN. MEI SODALIS! DVRVM EST, SEXTE, NEG. CVM ROGARIS? QVANTO DVR. ANT. ROGERIS.] Epiphonema carminis. Hoc est, artificiose negare. efficere, ne plane petas. O detestabilem auaritiam, tu non solum amico nihil dones, nec mutuum commodes, sed nec petere permittas, negesq; antequam petaris? εἰς χρήματα, cum tua amicitia, & sodalitate.

In Næuolum.

XLVI. XXXVII.

Florida per varios, vt pingitur Hybla colores,
Cum breue Sicaniæ ver populantur apes:
*Sic tua * compositis perlucent † præla lacernis:*
Sic micat innumeris arcula synthesibus,

* Composi- tis collucent. * Oppositis- suppositis. Al dina editio. † Prata lacernis.

Atq; vnam vestire tribum tua vellera possunt,
Apula non vno quæ grege terra tulit.
Tu spectes hyemem succincti lentus amici,
*Prô scelus, & lateris frigora * tuta times.*
Quantum erat, infœlix, pannis fraudare duobus?
** Non * metuas mortem, Næuole, sed timeas.*

* *V. trita. Lipsius tute.*
* *Quod remunc non ta (Quod remunc?) non tu, &c.*
* *timeas.*

FLORIDA PER VARIOS] Argumentum est prope idem 32. ad Candidum. Comparat e-nim suam egestatem cum amici copiis & opibus. eumque tam parcum dicit, vt vestes amicis inuideat, & tineis potius depascendas relinquat. Vt Hybla vere floret mille depicta coloribus. Ita hic tua vestiaria supellex. Hybla Siciliæ (eadem est Sicania) vrbs, & triplex auctore Stephano, maior, minor, & parua, incolæ Hyblæi. Aiunt & esse montem Siciliæ hoc nomine. Pomponius Sabinus ad 7. Virgilij eclogam, & videtur Martialis insinuare lib. 13. *Cùm dederis Siculis media de collibus Hybla.* Domitius idem affirmat, Merula desiderat auctorem.

CVM BREVE SICANIÆ VER POPVLANTVR APES] Sicaniæ & Sicani multa mentio apud Virgilium & alios poëtas. Breue ver libant apes, nec enim flores diuturni.

SIC TVA SVPPOSITIS PERLVCENT PRÆLA LACERNIS] Maximè probatur hæc scriptura: Appositis, si legas, carmen repugnat; compositis non repudio, sed suppositis propriè; subiiciuntur enim prælis, vt libri solent aut vuæ. summa cura veteribus erat, in componenda veste, maximè toga. Senecam adi lib. 1. de Tranquill. vitæ. c. 1. PRÆLA] Prælum trabs, qua vua calcata, aut oliua premitur à premendo vocatum, quasi pressorium. Seruius Isid. Sunt præterea instrumenta pressoria, quibus chartarij & typographi vtuntur. Plinius lib. 13. cap. 12. de chartis. Ita hoc loco accipiuntur præla pro trabibus, aut trabulis, quibus premuntur vestes. Poëta ergo sub prælis, inquit, tuis tot apparent lacernarum colores, quot genera florum in Hybla. Hic lacerna pro quauis veste, species pro genere. Lege plura de toga pressa apud Marcilium ad Sat. 5. Persij. De luxu Romanorum in cultu & copia vestium Meursius c. 4.

SIC MICAT INNVMERIS ARCVLA SYNTHESIBVS] Idem dicit: & in arca, & in prælis infinitas vestes habes. SYNTHESIBVS] Primus hic locus de synthesi, quæ recurret millies. Videndum; quod genus vestis, quæ forma, quis vsus. Synthesis græca vox est, quam rectè compositionem interpreteris. Accipitur nonnunquam pro veste tota, in vestiario composita, vt hoc loco. Alias pro certo genere. Bayfius esse vestes viliores affirmat, Cœlius indumentum vile & seruile. Sed aliter disputat Lipsius lib. 1. Satur. cap. 2. Primùm vocat vestem cœnatoriam. deinde forma Pallij, tertiò non vilem, sed nobilem equitumque tantùm & senatorum, & lautiorum hominum. Postremò non Saturnalibus tantùm, sed omnibus cœnis vsitatam, vestemque domesticam, semper purpuream coccinamúe, fuisse, quam Persius lænam hyacinthinam, Plautus Malacum, Martialis pallium vocitant. Quæ cùm grauissimis scriptorum testimoniis stabiliat, ab eius sententia non puto discedendum. Quod autem de quinque diebus Saturnalium dicetur, intellige per eos dies non in cœna, sed extra etiam vsurpatam synthesim, quod aliàs nefas. Plura lib. 14. ep. 1.

ATQVE VNAM VESTIRE TRIBVM TVA VELLERA POSSVNT, APVLA NON VNO QVÆ GREGE TERRA TVLIT] Denique tanta tibi copia vestium, vt integram tribum, hoc est, vt innumeros vestire possis. Alij pro τῷ *vellera* ponunt *candida* seruo vellera. APVLA] (vnde Apulus incola) Regionem Italiæ describit, Plinius li. 3. c. 11. Abundabat nobilissimis villo ouibus. Martial. li. 14.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis.

Et Plinius. *Apulæ lana breues, nec nisi penulis vtiles.* NON VNO] de multis & variis gregibus adfert tibi Apulia vestes.

TV SPECTAS HYEMEM SVCCINCTI LENTVS AMICI, PRÔ SCELVS, ET LATERIS FRIGORA TVTA TIMES] Cùm abundes veste, pateris tamen me clientem, & amicum pauperem frigere, & ipsemet præ auaritia prope frigore interis, nec tuum latus tegis, stulte cui seruas tot testes, mauis dare tineis, quàm tibi & amico? Hæc primùm occursabat sententia: sed altera probatur, vt *lateris* pro *laterone* accipias, pro eo nempe, qui latus cingebat, vt Næuoli Martialis officij caussa, & clientes patronorum. Mens ergo hæc, vt Lipsius exponit. Adeò amicus tuus Næuole friget, vt tu ipse vereri possis, ne frigus eius ad te permanet. Sanè non à frigido ingenio hæc interpretatio. Legunt alii tuta, alij trita. Lipsius *tute.* Trita tres MSS. habent, & propugnat Gruterus in notis. Mihi Lipsius olim potior, nunc trahit Scriuerius in Gruteri sententiam. Festiuè vocat tritas suas lacernas frigora trita, quod illæ deflocctæ & longo vsu attenuatæ facile frigus admittebant, nam de se loquitur: *Tu spectas hiemem succincti lentus amici*: hoc est; hiemem meam, meum frigus.

QVANTVM ERAT, INFŒLIX, PANNIS FRAVDARE DVOBVS? QVID R. N. T. NÆVOLE, SED TINEAS] Hæc scriptura vel potius litura placet. Quid erat si duas mihi vestes donasses?

ſes? non tibi eas eripuiſſes, ſed tineis, quæ illas abſument. Altera lectio habet (*ne metuas mortem*) ſenſus erit. Non eſt, quòd timeas, ne frigore pereas, ſed potiùs time tineas [QVID, RENVIS?] NON TE, NÆVOLE, SED TINEAS. Ita emendauit Lucas Fruterus lib. I. Veriſ. c. 9. Iocatus eſt in hunc ferè ſenſum Statius. Sil. Ludo Satur. vbi enumeratis omnibus, quæ apophoreti nomine donarentur amicis, tandem ad minima gradum faciens ludit,

Quantum vel dare cereos nitentes,
Cultellum, tenueſue codicillos?
Ollares, rogo, non licebit vuas
Cumano patinas in orbe tortas,
Aut vnam dare ſynthesin (quid horres?)
Alborum calycum atq; cacaborum.

Plura ſuper his, & Martiale Fruterus.

Ramireſius legit, Non metuas, non te, Næuole, te timeas. Senſu expedito. Quantum erit duobus pannis ſeu veſtibus fraudare non tam teipſum (ne metuas) quam tineas, quibus arrodendas relinquis.

Ad Rufum.

XLVIII. XXXVIII.

* Coponem noſtrum.

** Cauponem, laniumq; balneumq;,*
Tonſorem, tabulamq;, calculoſq;,
Et paucos, ſed vt eligam, libellos:
Vnum, non nimium rudem ſodalem;
*Hæc præſta mihi Rufe, vel * Bitontis,*
Et thermas tibi habe Neronianas.

* B. ſonte.

CAVPONEM, LANIVMQVE, &c.] Vitam quietam & modicam in loco etiam obſcuro præfert vrbanæ & lautæ. Quas deſiderem opes, audi. Cauponem & lanium ad victum; balneum & tonſorem ad corpus curandum, calculos ad animum relaxandum, libellos ad ſtudium ſelectos.

ET PAVCOS, SED VT ELIGAM LIBELLOS] Paucos, ſed optimæ notæ libros. ſodalem amicum, & ſeruum doctum, & eruditum.

HÆC PRÆSTA MIHI, RVFE, VEL BITONTIS] Hanc ſupellectilem ſi mihi vel Bitontis (quamuis v li, obſcuro & contempto oppidulo Apuliæ) ſuppeditaris. Bitonti legunt alij vti & lib. 4. ep. 55. Bituntos ſeu Bitontos, vbi alias Britannos ſcribitur. Iacobus Bononienſis Annot. c. 8. emendat Biſuntos quod oppidum eſt Hiſpaniæ apud Ptolomæum. Expecto Scriuerij dubia apud Martial.

ET THERMAS TIBI HABE NERONIANAS] Ridebo luxum, vel delicias Romanas. Habeas tibi quantum inſumtum eſt in thermas Neronianas.

THERMAS NERONIANAS] Principatum Neronianæ in vrbe tenebant. Martialis.

Quid Nerone peius,———
Quid thermis melius Neronianis?

Erant inter Pantheonis, & Longobardorum plateas poſt ædem S. Euſtachij Reg. 9. quæ & Circus Flaminius P. V. Marlianus.

In Maximum.

LIII. XXXIX.

Vis fieri Liber? mentiris, Maxime, non vis:
Sed fieri ſi vis, hac ratione potes.
Liber eris, cœnare foris ſi, Maxime, nolis:
Veientana tuam, ſi domat vua ſitim:
Si ridere potes miſeri chryſendeta Cinnæ:
Contentus noſtra ſi potes eſſe toga.

* * *

Hæc

Hæc tibi si vis, si mentis tanta potestas,
*Liberior * Partho viuere rege potes.*

* *Vt maximè domini reges, Ita maximè serui Parthi, Seneca Parthicam seruitutem alicubi de Ben. nominat. Vel Persicam potuit.*

VIS FIERI LIBER?] Docet libertatem consistere in victu & cultu tenui, sed non alieno.

LIBER ERIS, CŒNARE FORIS SI, MAXIME NOLIS] Qui cœnant foris, libertatem vendunt illis, apud quos cœnant. Parmenio.

Ἀρκεῖ μοι χλαίνης λιτὸν σκέπας· οὐδὲ τραπέζαις
Δουλεύσω —— & in clausula extrema.
—— οὐδ' ὀλίγης δαιτὸς ἐλευθερίην.

Et Lucilij. Μή σύγ' ἱπποτρόφος ὢν θρέψῃ.

Et nescio cuius alterius. Ω γαστὴρ κυνόμυια, δι' ἣν κόλακες παράσιτοι
ὠμοῦ πωλοῦσι στομὸν ἐλευθερίης.

Huc referendum apophthegma de Diogene & Callisthene philosopho, quem cùm multi fœlicem prædicarent, quòd apud Alexandrum apparatu splendido exciperetur. Imò, inquit, Diogenes, infœlix est, quòd illi prandendum cœnandumque sit, cùm Alexandro visum est. Nihil enim putabat beatum, quod non cum libertate coniunctum esset.

VEIENTANA SI DOMAT VVA SITIM] Veientana & Vaticana vina odit reiicitque Martialis lib.3. de Veientano. In Inuitatorem.

Veientana mihi misces, tibi Maßica potas,
Olfacere hæc malo pocula, quàm bibere.

Et alibi de Veientanis rubellis. De Vaticano lib.1. e. ad Tuccam.

Quid te, Tucca, iuuat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi peßima vina, &c.

Ergo, si potes bibere Veientanum vinum, liber eris.

SI RIDERE POTES MISERI CHRYSENDETA CINNÆ] συνεκδοχικῶς chrysendeta pro opibus. Si contemnere potes, & irridere diuitias, vt Diogenes ille Cynicus Alexandrum, & Crœsum lib.1. Anthol. quod epigramma Ausonius aliquando expressit.

Effigiem Rex Crœse tuam ditißime regum.
Vidit apud Manes Diogenes Cynicus.
Constitit, vtque procul, solito maiore cachinno
Concußus dixit, quid tibi diuitiæ?

Chrysendeta, quæ sint, iam suprà ep.32. docuimus. MISERI] miseri sapientibus iudicantur potentes, & potentibus seruientes. Elegans ea de re dictum est Diogenis in Apophtheg. Alexander Macedo miserat Epistolam, ad Antipatrum per quendam nomine Athliam. cùm id temporis adesset Diogenes, Cynico more dixit. Athlius ab Athlio per Athlium ad Athlium. ἄθλιος Græcis est miser.

CONTENTVS NOSTRA SI POTES ESSE TOGA] Trita. qualem dicit se Martialis habuisse lib. hoc ep.58.

Pexatus pulchrè rides mea, Zoile, trita.

Et lib.3. e.36. *Hæc merui Fabiane, togatritaque, meaque.*

HÆC TIBI SI VIS EST, SI MENTIS TANTA POTESTAS, LIBERIOR PARTHO VIVERE REGE POTES] Si tam excelso es animo, vt prisci fuere Philosophi, qui aurum etiam abiecere. PARTHO REGE] Quia nulli alteri subiecti erant, se seque magnos reges, & Reges regum appellabant. Plutarchus in Pompeio, Suetonius Calig. c.5. Dio in Augusto. Alexa. Neapol. lib.1. cap.28. Quodlibet enim impunè facere Rex potest, vt ait Salustius; quod quidem singulari quadam licentia autores Regi Parthorum factitatum scribunt, vt Herodotus tradit. Lex est, inquit, qua licet Parthorum Regi facere quidquid libet. Plura de hoc Iacobus Bononiensis. cap.8. Annot.

Ad Sextum.

XL. *LV.*

Vis te, Sexte, coli: volebam amare,
Parendum est tibi: quod iubes, colêris.
Sed si te colo, Sexte, non amabo.

Æqualitatem & familiaritatem inesse docet meræ amicitiæ. COLI] quod est inæqualium, potentiores enim coluntur à tenuioribus, æquales inter se familiariter amant: & notum est verbum, Æqualitas amicitiæ.

Si te colo, non amabo] quia non potest amor cum timore misceri. Coniunctus est enim quidam metus, qui non amorem, sed odium creat. Hinc inter inæquales fortuna, statu, conditione, vix vnquam vera amicitia; inferiores enim nisi colant superiores, videntur contra officium facere. Vrbanè Augustus exceptus à quodam (vt nulli ferè negabat) perparca à pœnè quotidiana cœna, cùm à conuiuatore dimitteretur, hoc illi tantùm insusurrauit, *non putabam me tibi tam familiarem.* Macrob. Apophtheg. Xiphilinum de Traiano, Sidonium lib. 4. epist. 4. Plutarchi Alexandrum de Cratero & Hephæstione lege.

** De Microphycho.*

* In fictum diuitem.

LVII. XLI.

Hic, quem videtis greßibus vagis lætum,
Amethystinatus media qui secat septa;
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipse Codrus alpha pænulatorum,
Quem grex togatus sequitur, & capillatus,
Recensq; sella, linteisq; lorisq;:
*Oppignerauit ad * modò Claudij mensam*
Vix octo nummis annulum, vnde cœnaret.

** Claudi modo mensam.*

Inscriptio continet argumentum, & notat Saufellum equitem ad incitas redactum.

Gressibvs vagis] graphicè describit Sycophantæ tardum & magnis, & amplis passibus incessum, Vagis] etiam incertis expone, hoc est, temerè nunc huc, nunc illuc graditur.

Beylbraun. Amethystinatvs] Amethystus gemma violacei coloris, dicta Plutarcho teste, quòd arceat temulentiam. Inde Amethystinæ vestes, quæ gemmæ, seu lapidis colorem referunt, ad genera purpuratum refertur. Bayfius cap. 5. de vestibus, & Antonius Thylesius de coloribus, pluresque alij.

Amethystinatvs] ornatus amethystinis vestibus, sicut Coccinatus, togatus, Bæticatus, Leucophæatus, nec enim puto hic Amethystinatus dicitur sicut Sardonichatus, vt intelligitur ille, qui Sardonychem gemmam gestat, sed qui Amethystinam vestem.

Media qvi secat septa] Ardelio ille, der Gassentretter. Septa erant, in quibus populus R. suffragia ferebat. De his supra copiosiùs e. 9. dictum. Media] velut princeps & Imperator. Secat] quia media dixerat, rectè subiungit secat, incedit enim & quasi diuidit viam, omnia ad factum exprimendum apta.

Qvem non lacernis Pvblivs mevs vincit] Qui pauperior est Publio & Codro, aut qui habet æquè tritas & viles vestes, ac Publius & Codrus. An Publius est ille, de quo libro 1. in Issa.

Nec ipse Codrvs alpha pænvlatorvm] Hoc vincit Codrus, haud meliores habet pœnulas ac Codrus, nec Codrus meliores Amethystinato. Sed quomodo Amethystinatus? quia Amethystinæ non erant fictitij illius equitis Saufelli, sed conductæ duntaxat, vt hodiè conducuntur à Iudæis.

Alpha pœnvlatorvm] Intellige principem pauperum. Alpha in ordine primum significat, seu primus sit inter diuites, seu pauperes, seu doctos seu indoctos; vt ω vltimum. Vnde prouerbium α pœnulatorum. Eratosthenes apud Themistium, βῆτα τῶν φιλοσοφούντων dictus est. Apud S. Ioannem Christus se, A, appellat & Ω. primum & vltimum. Codrvs] De hoc eodem Codro est illud Martialis lib. 5. e. 27.

Quod Alpha dixi Codre, pænulatorum
Te nuper aliqua cùm iocarer in charta,
Si forte litem mouit hic tibi versus,
Dicas, licebit, beta me Togatorum.

Lips. lib. El. 1. cap. 3. Pœnulam pullam serui gestabant in cultu quotidiano. Deinde domini cùm iter facerent. Cicer. pro Milone. Postremò verò passim omnes. Præsertim verò pauperes. Lipsius lib. El. 1. c. 13. Bayfius. Et adagium, Codro pauperior. Et hic pœnulam pro paupere sumi certum est. nam Codrus poëta pauperrimus, cuius supellectilem describit his versibus Iuuenal. Sat 3.

Lectus erat Codro Procula minor, vrceoli sex
Ornamentum abaci, nec non & paruulus infra

Cantha-

Cantharus, & recubans sub eodem marmore Chiron.
Iamq; vetus Græcos seruabat cista libellos,
Et diuina opici rodebant carmina mures
Nil habuit Codrus, quis enim negat?——

QVEM GREX TOGATVS SEQVITVR ET CAPILLATVS] Hoc non ad Codrum, sed Saufeium. GREX TOGATVS] clientes officiosi & albati; conducti, capillati serui, mallem pueros interpretari, qui Martiali sæpius capillati.

RECENSQVE SELLA, LINTEISQVE, LORISQVE] Lecticis primùm gestabantur honestiores, deinde Imperatorum temporibus sellis, eisque vel laxioribus, vel angustioribus, pro cuiusque fortuna, & primum apertis, dein, vt fœminæ, clausis. Lege Lips. Elect. lib.1.c.14. accuratissimè de sellis disputantem. Linteis] quibus sellam velabant: sic enim suspicor; nisi fortè ornatus caussa vsum linteorum introductum dicas. LORISQVE] i. Vinculis, quibus lectica colligabatur. Gracchus. *Vbi audiuit, lecticam deponi iussit: stuppis, quibus lectica deligata erat, vsq; adeò verberari, dum animam efflauit.* Lipsius auctor huius explicationis.

OPPIGNERAVIT AD MODÒ CLAVDII MENSAM, VIX OCTO NVMMIS ANNVLVM, VNDE CŒNARET] Deposuit apud Claudium fœneratorem (& Collybistam) siue Trapezitam annulum pignoris loco, vti mutuos octo nummos acciperet, quibus cœnam compararet, adeò in speciem diues, re miser & egenus erat. Alij legunt, ad Claudi modò mensam. Scriuerius: Oppignerauit Claudij modò ad mensam.

Extrema egestas in-dex Iuuen. Sat. 1.

In Zoilum.

XLII. LVIII.

Pexatus pulchrè rides mea, Zoile, trita,
Sunt hæc trita quidem, Zoile, sed mea sunt.

Idem argumentum superiori. Zoilus lautior Martiale, sed alienis plumis tectus erat, aut suam pexam furatus sit. PEXATVS] à toga pexa, id est, villosa, pexati dicuntur, qui pexam gestant. de pexa suprà lib. hoc epig.33. vbi Lipsij sententiam adduximus. hic adde Turnebum, si placet. *Vestes*, inquit, *illæ pexæ sunt, in quibus nec stamen, nec subtegmen apparet, eminente & operiente villo: nam in quibusdam licet numerare licia, vt in quibus textis & tramis lana est pilo propior vt istriania.* TRITA] vestimenta, togam, & lacernam vsu attritam. SED MEA SVNT] tu conductitias tantum habes vestes, ego non alienam, ita ego ditior, nec pexam, nec tritam habes, quæ tua sit. De Zoilo aliàs plura.

De cœnatione micæ.

XLIII. LIX.

Mica vocor, quid sim, cernis? Cœnatio parua,
Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum.
Frange toros: pete vina: rosas cape: tingere nardo:
*Ipse iubet mortis te * meminisse Deus.*

** domenisse.*

Laudat Domitiani Diætam, siue cœnaculum aureum, & hortatur amicos auctore principe ad viuendum. MICA VOCOR] Fuit Mica aurea secunda regione vrbis P. V. Sextus Rufus ead. reg. laudat eandem Eusebius in Chronico Anno Christi X C. Domitiani, IX. Olymp. CC. XVII. vbi simul omnia Domitiani opera compendio refert, vt immerito Domitius à quibusdam reprehendatur quasi Eusebium Micæ aureæ falso testem adduxerit. Reperio apud scriptores varia cœnaculorum cognomina. Strabo tradit Alexandriæ ab Antonio Triumuiro ædificatam diætam regiam, quam Timonion appellauit, in qua post Actiacā pugnam vitam Timoniam, solitariamq; ageret. Aliam Romæ in vita Claudij diætam vocat Tranquillus Hermæum. Lampridius ab Alexandro Imperatore Romano in Regia seu palatio diætam scribit dictam Mammeam, quod mater Mammea vocaretur. Plutarchus Luculli diætam Apollinem cognominatam ait. Vbi summo impendio parabantur conuiuia. Vnde celebratissima est illa vox, *Cœnatur in Apolline.* Ita diæta Domitiani ab operis paruitate vocatur Mica, quam præter Eusebium videtur insinuare Plutarchus in Poplicola: *At*, inquit, *quibus facit Capitolij magnificentia admirationem, hi vnam si in Domitiani domo viderint porticum, vel basilicam, vel balneum, vel pellicum diætam: cuiuscemodi est Epicharmi ad gurgitem dictum: Haud benignus es, habes morbum, gestis tu largiens: consimile quid ad Domitianum coguntur dicere. Non tu quidem religiosus, nec magnificus es: morbo teneris, gaudes cùm in ædificia omnia profundas: qui, vt Midas ille, omnia tibi aurea fieri, & gemmea cupis.* Vides dici diætam, & legis omnia fuisse aurea & gemmea. Aliam

Luxus Domitiani ex Plutarcho.

diætam condidit Domitianus in qua περίδειπνον seu silicernium dedit Senatorij ordinis viris, hoc est, funebres epulas de quibus in hæc verba Xiphilinus ex Dione: Qua ex re non pauci in graues morbos inciderunt, & mortui sunt. Itaque populo nocturnum epulum dedit eius consolandi causa. Noctu enim sæpe exhibebat certamina; interdum verò & nonnas & mulieres committebat. Vtque plebi eo tempore, ita post primorib. Senatorij & equestris ordinis conuiuium in hunc modum fecit. Apparauit ædes nigerrimas ex omnibus partibus: erant enim atra laquearia, parietes ac pauimentum; in eoque sedes nudæ eodem modo collocatæ erant. Quibus paratis rebus, eos de nocte introduci iubet absque comitibus: ac primum omnium iuxta vnumquemque columnam collocat, factam instar sepulchri, in quo nomen eius scriptum erat; pendebatque de ea lychnuchus paruus, vt assolet in monumentis: tum nudi pueri, atramentoque obliti, tanquam spectra quædam ingrediuntur, ipsosque horribili saltatione circumeunt; eoque facto ante pedes ipsorum consistunt; ad extremum, omnia quæ in exsequiis mortuorum adhiberi solent, in vasis eodem modo eis apposita fuerunt. Quas ob res quisque maxime reformidare cœpit & perhorrescere; quod se iam expectarent interfectum iri; præsertim quod cæteris magnum silentium erat, quasi iam mortui essent, quodque Domitianus sermonem habebat de iis rebus quæ ad mortes, quæue ad cædes pertinerent. Tandem verò illos dimittit, præmissis famulis ipsorum qui in vestibulis ædium remanserant. Cumque præparasset alios incognitos homines, à quibus domum reducerentur, vehiculis & lecticis datis, iis metum multo maiorem incussit. Iam quisque domum venerat, iamque respirare quodammodo cœperat; cum nuntiatum est, nonnullos ab Augusto venire. Quæ ex re iis mort omnino spectantibus, ab vno horum oblata est columna argentea; ab altero aliud quidpiam, ab alio vas ex iis quæ in cœna apposita fuerant, quæ erant pretiosissima: postremò, puer ille qui ante dæmonem repræsentauerat, vnicuique lotus & ornatus oblatus est: eoque pacto illi totam noctem magno timore perculsi, munera acceperunt. Et Domitianus hos triumphos egit, vel, (vt vulgo loquebantur) exsequias eorum qui in Dacia Romæque mortem obierant.

CŒNATIO PARVA] Iam suprà diximus lib. 1. ep. ad Gallum cœnationem, & cœnaculum eam habere vim, hoc est, locum esse, vbi cœnaretur. Obserua tamen ex Valla, discrimen quoddam in cœnaculo & cœnatione. *Cœnaculum*, inquit lib. 4. c. 22. *locus ad cœnandum in loco superiori; cœnatio locus ad cœnandum, sed in imo potius. Iuuenal. -& algentem rapiat cœnatio solem. Veruntamen cœnaculum, non tam pro loco cœnandi, quàm pro parte domus superiore accipitur, quæ frequenter hospitibus ad habitandum locari solet, qui totam domum conducere non possunt, & parte inferiore, siue ille taberna, siue officina sit, non habent opus. Non est dubium, &c.* Sed accipe quid propriè diæta. Iurisprudentibus diæta est habitatio in hortis amœnitatis & voluptatis caussa extructa, l. 43. §. 1. D. de leg. 1. l. 13. §. vlt. Has Lampridius zetas appellat more Græcorum Æolica dialecto, quæ pro δι, ponat ζ. vt ζιαβάλλω pro διαβάλλω. vnde Zætarius item diætario est, & S. Castulus Diocletiani diætarius, qui diætam seu zetam curabat. Ita ζάβολος pro διάβολος. In ædibus pro ipsis cœnaculis accipitur; apud * medicos pro certa lege & ratione victus; apud Græcos pro diurno quoque victu: est enim ἡ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τροφή. legendus Cœlius Rhodig. lib. 12. c. 18. Priss. de signif. verb. verbo *diata*. alij.

* *vnde medicina diætetica apud Celsum.*

EX ME CÆSAREVM PROSPICIS ECCE THOLVM] Vel Capitolium, vel Flauiæ gentis templum, si tamen tum ædificatum erat, vel ædes Cæsaris. Templum autem Cæsaris ex hoc loco, vel cùm me vides, ex magnificentia coniectas opus esse Cæsaris. An neque capitolium, nec templum Cæsaris, nec Flauiæ gentis poëta hic intelligit, sed tholum interiorem ipsius micæ à quo pendebat cranium, quod conuiuas mortis admonebat, vt eo largius, & indulgentius viuerent, ac potationibus voluptatibusque assiduè vacarent? THOLVS] *Tholus*, inquit Philander ad 4. Vitruuij. *est ædificij camera. quæ altius crescens rotunda forma in fastigiatum cacumen desinit, à quo πάνθειον θολοειδὲς εἶναι, scripsit Dion lib. 53. Re enim vera Pantheum est hemisphærio tectum, hoc est, circulata camera, inque medio hemisphærio lumen ad circinum factum. Alioqui est testudinis vmbilicus, id est, veluti scutum in medio tecto, quo trabes omnes conueniunt, vbi dona suspendebantur auctore Seruio 9. Æneid.* Varro de re rustica tholum dixit, *ædificium rotundum columnatum, duplici columnarum ordine, inter quas retibus pro parietibus obiectis, aues omne genus maximeq; cantatrices nutriebantur.* Plura habes apud Philandrum loco d. Vitruuium lib. 7. cap. 5. vbi tholos appellat tholorum rotunda tecta, aut potius tholos rotundas cameras, in tecta rotunda desinentes; An Mausoleum Augusti? vt Ramiresius interpretatur, & probat ex versu Martial.

Iam vicina iubent nos viuere Mausolea
Cum doceant ipsos posse perire Deos.

Non displicet hæc enarratio.

FRANGE TOROS] Auctore Cæsare, viuamus, potemus, laudamus, priusquam abeamus. Torus hoc loco pro lecto ipso capitur, in quo cœnaturi accumbebant. qui propriè torus fuit, vt suprà ep. 11. exposuimus. FRANGE TOROS] assiduus accumbe, vt vsu diurno nocturnoq; frangatur, aut, vt alij, accumbendo disturba, vt lectus compositus solet turbari, cùm itur cubitum, aut cubitu surgitur. Simile est illud 1. Anthol. Palladæ.

Palla-

Palladæ. Ἔσθιε πῖνε μύσας ἐπὶ πένθεσιν· οὐ γὰρ ἔοικε.
Et eiusd. Πῖνε πίνες, μὴ κάμνε, πόσον χρόνον ἐνθάδε μίμνεις;

PETE VINA] pota Græco more, maioribus posce poculis, græcare, ROSAS CAPE] coronabibebant veteres, quod mill. locis Martialis, & mille auctores Græci Latinique loquuntur. lege Anthol. c. 47. l. 2. TINGERE NARDO] vngaris. De nardo vide lib. 13. c. 51. *Texta rosis fortasse tibi vel diuide nardo.*

Multa super rosis hoc loco. & coronis Heraldus.

IPSE IVBET MORTIS TE MEMINISSE DEVS] Domitius ex manu S. Iacobus Cuiacius. docent legendum dem minisse, id est, obliuisci, mortis futuræ & imminentis. Communis scriptura, te meminisse. Ipse Deus Cæsar Domitianus extructa aurea diæta, monet, vt præsenti vita fruare & vtere, nullamque horam (vt Martialis & alij iubent) à locis & voluptatibus abire patiaris. Planè fuit illud Epicurei porci lib. 2. Anthol.

Viue memor lethi, &c. Extremumque tibi semper adesse puta.

Ἤθελον ἂν πλουτεῖν ὡς πλούσιος ἦν ποτε Κροῖσος
Καὶ βασιλεὺς εἶναι τῆς μεγάλης Ἀσίης.
Ἀλλ' ὅταν ἐμβλέψω νικάνορα τὸν σοροπηγὸν
Καὶ γνῶ πρὸς τί ποιεῖ ταῦτα τὰ γλωσσόκομα,
Ἄκμην τὸ πάσας, καὶ τὰ κοτύλας ἀποβρέξας
Τὴν Ἀσίαν πωλῶ πρὸς μύρα καὶ στεφάνους.

De osillo. σωματίω προσωπείοις, copiosè Ios. Scal. ad Ausonium.

Eiusdem ferè argumenti sunt illa lib. 2. cap. 42. καὶ πῖνε καὶ τέρπε, &c. & μὴ μύρα μὴ στεφάνους, & Anacreontis, ὁ μοι μέλει γυγέω, &c. τὸ δ' αὔριον τίς οἶδε. Et Palladæ, πῖνε καὶ εὐφραίνου, &c. & alia pleráque. Sed omnium optimè exprimit disti hon illud. Ἡδυχῶν χαρίεσσα, &c.
Extremum est hoc. Πῖνε, λέγει, τὸ γλύμμα, καὶ ἔσθιε, καὶ περίκεισο.
Αὔριον τοιοῦτοι γινόμεθ' ἐξαπίνης.

Scal. Anson. lect. lib. 2. cap. 25. plura ex Ausonio & aliis.

Et Ægyptij ceream in conuiuio circumferebant mortis imaginem, vt conuiuæ de morte admoniti largius se inuitarent, genioque suo benignè facerent, * quòd animam vnà cum corpore putarent nonnulli interire. Apud Arbitrum in Trimalcionis conuiuio idem lego. *Potantibus ergo & accuratissimè nobis lautitias mirantibus. laruam argenteam attulit seruus sic aptam, vt articuli eius vertebræq; locata in omnem partem flecterentur. Hanc cum super mensam, semel iterumq; abiecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adiecit.*

Heu heu nos miseros, quàm totus homuncio nil est?
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus.

** Herodotus de Aegyptiorum institutis. Inscriptio vetus ead. Amici, dum viuimus, viuamus.*

In * Taurum.

** Laurum.*

XLIV. LXIV.

Dum modò caußidicum, dum te modò Rhetora fingis,
Et non decernis, Taure, quid esse velis;
*Peleos & Priami * transit vel Nestoris * ætas,*
Et fuerit serum iam tibi desinere.
Incipe, tres vno perierunt rhethores anno,
Si quid habes animi, si quid in arte vales.
Si schola damnatur, fora litibus omnia feruent:
*Ipse * potest fieri Marsya caußidicus:*
*Eia age, rumpe moras. quo te * spectabimus vsque?*
*Dum, * quid sis, dubitas, iam potes esse nihil.*

** transis, transiit. * annos. * potes. * spectabimus. * quis.*

Taurum vel Laurum ἀπειρόκαλον contemnit, nec Rhetorem, nec Caussidicum esse contendit. Qui temporibus Martialis & paullò antè Martialem Caussidici, patroni, aduocati vocabantur, Ciceronis æuo Oratoris nomen amplius & augustius ferebant. Primus dicitur flexisse ab illa vetere dicendi via directa, Cassius Seuerus quasi parens Caussidicorum, & nouæ eloquentiæ nouus magister. Quinctil. in de Oratoribus dialogo. Caussidicus autem à Rhetore differt, vt Rhetor & Orator. Rhetor est is, qui præcepta, artemque dicendi tradit. Caussidicus & Orator præceptis vtuntur, vsque ipso eloquentiam exercent in foro & in iudiciis. QVID ESSE VELIS] Caussidicus, an Rhethor, an vterque, an neuter, an nihil. Apuleius Apol. prima pro seipso, Caussidicos ait dictos quod cur quæque facta sint, caussas expediant.

PELEOS ET PRIAMI * TRANSIT VEL NESTORIS * ÆTAS] Iam prope centum, imo trecentos deliberas annos, vtrum te foro vel scholæ velis applicare. Vere Seneca: Plerosque nihil

** transis. * annos.*

De breuitate. hil certum sequentes vaga & inconstans & sibi displicens leuitas per noua consilia iactatur. Quibusdam nihil in quo cursum dirigant, placet, sed marcentes oscitantesque fata deprehendunt. PELEOS] Miror, quid hic enumeret duos Pelios Domitius, cum nihil hic de Pelijs, sed de Peleo Æaci Iouis nepote patre Achillis agatur. De quo præter poëtas scribunt & Historici. Pausanias in Corinthiacis, Diodorus Siculus lib. 4. & alij. Quot annos vixerit, nihil hactenus memini legere. PRIAMI] Priami senectam describit Virgil. 2. Æneid.

Arma diu senior desueta trementibus æuo, &c.

Eodem libro refert æquæuum fuisse Anchisæ. NESTORIS ÆTAS] nonaginta, vt multi, trecentos, vt Ouidius docet, vixit annos. de hoc lib. 1. accuratius. Versum hunc meo iudicio feliciter emendauit Scriuerius: *Peleos & Priami transisti vel Nestoris annos:* Semper enim Taurũ alloquitur. Et crebra sunt apud Martialem huiusmodi contracta verba *Surrexti, Adduxti, Perduxti:* Non caret tamen prior scriptura iusto sensu. SERVM IAM DESINERE] Oportebat, inquit, iam pridem desiisse vel Oratoriam, vel Rhetoricam, cum tu adhuc hæres, quod genus artis velis amplecti. Iam in ea es ætate, vt videri possis serius desinere quàm incipere. INCIPE TRES VN. PERIL. RHET. AN.] Iam incipe, quia præstantissimi Rhetores extincti sunt, & tu quamuis ἀκμαῖος, tamen aliquo numero esse poteris. Qui fuerint ij tres Rhetores. & quo anno perierint quæro, nec tamen opere magno quærendum puto. Atestinum, & Ciuem extinctos nominat lib. 3. 38. Egit Atestinus caussas, & Ciuis, laudat & Iuuenal. Sat. 7. Paullum tenuem. Cossum & Basilum. Fuit & Matho eod. tempore Caussidicus, vt alios taceam, inter quos princeps Regulus. SI QVID HABES ANIMI, SI QVID IN ARTE VALES] accingere vel ad docendum, vel dicendum, si quid didicisti. SI SCHOLA DAMNATVR] si Rhetoris officium recusas. FORA LITIBVS OM. FERVENT.] In tribus potissimum foris caussæ agebantur, vt docet Martialis, & alij cum hoc scriptores. *Atq; erit in triplici par mihi nemo foro,* imo quatuor, vt Plinius in epistolis docet, & nos infra monebimus. IPSE POTEST FIERI MARS. CAVSID.] Facilè est hodie fieri Caussidicum, quibus nil est rudius, immo iam propè ipse Marsya, possit agere caussas, dummodo loqui possit. Erat statua in foro, de qua Suetonius, & alij. Alter sensus non sine sensu acutiore. Tam frequentes aguntur caussæ, vt Marsyæ statua in foro sita potuerit addiscere artem dicendi quamuis saxea. Lege Lipsium lib. 3. antiq. lect. Ad Marsyæ statuam Romani vadimonia obibant Porphy. ad Hor. *obeundus Marsya*, Senecam lege 6. de Benef. Plin. lib. 21. c. 3. De eod. Marsya lib. 10. ep. 62. Gestabat Marsyas manu funem, quo litigatoribus improbis suspendia minabatur. Plin. lib. 35. c. 10. Sidonius carm. 13. scribit Marsyam indoctis poëtis minitari, immò poëtis omnibus & suspendium ominari, odio nempe Phœbi.

Marsyaq; timet manum ac rudentem,
Qui Phœbi ex odio vetustiore,
Nunc suspendia vatibus minatur.

Sic Palatinus codex habet. alij tamen veteres spectabimus, simplex pro composito. Quid si legas ex spectabimus.

EIA AGE RVMPE MORAS] Malo sperabimus (quàm spectabimus) quòd expectandi vim habet. qui enim sperat, expectat. Quamdiu nos tenes? ecquando tandem eris vel Rhetor, vel Orator, vel nihil? NIHIL] non insulsè etiam ad rogum, & cineres, id est, mortem, quæ ad nihil redigit corpus, referuntur. Antequam deliberes, quid esse velis, vita te deficiet. Lege sis Quintil. lib. 12. c. 6. Epict. c. 26.

In Saletanum.

LXV. LXV.

** Saletanũ mal. in ex MSS.*

*Cur tristiorem cernimus * Saletanum.*
An caussa leuis est? extuli, inquis, vxorem?
O grande fati crimen! ô grauem casum!
Illa, illa diues mortua est Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis?
Nollem accidisset hoc tibi, Saletane.

Dolere simulat casum Saletani, & inuidet hæreditati. EXTVLI] cur solito tristiores? mortua vxor, extuli, proprium funeris verbum. Ter. in Andr. *Effertur, imus*, &c. Plautus in Asinaria.---*Vtinam sic efferamur.* Cicer. pro Flacco. *cùm efferretur magna frequentia*, & aliis locis, atque alij. O GRANDE FATI CRIMEN] Ironicῶs, peccasti mors, errasti fatum, quid tanto bono affecisti Saletanum? ILLA, ILLA DIVES] Secundilla vxor Saletani, quæ plenam marito reliquit dotem. Dos maxima, vt suprà diximus, erant decies centena millia H-S, viginti quinque millia Philippæorum. NOLLEM ACCIDISSET HOC TIBI] Ad dotem refertur. nollem mortua esset Secundilla, ne tu dotem occupares, argutia est in ambiguitate sermonis. videtur dolere casum, & dolet fœlicitatem Saletani.

Künigische Thaler.

Illa

In Lalagen.

XLVI. LXVI.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus, incerta non benè fixus acu.
Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, vlta est,
Et cecidit sectis icta Plecusa comis.
*Desine * iam Lalage tristes ornare capillos,*
Tangat & insanum nulla puella caput.
Hoc salamandra notet, vel saeua nouacula nudet,
Vt digna speculo fiat imago tuo.

* tam.

Intemperiem & insolentiam Balages insectatur. vt Iuuen. Sat. 6. alias perstringit nominatim, alias generatim fœminas omnes. VNVS ANNVLVS] cincinnus crinium. circuli gemini in formam geminæ lunæ erigebantur in comarum fronte, à læua & dextra comæ transuersæ & erectæ (quos cincinnos dicebat) circulis inuoluebantur, acuque figebantur. Iuuen. Sat. 6.

Altior hic quare cincinnus?

Sunt qui interpretentur annulum crinium siue capillum crispum dependentem. Sed frustrà sunt. INCERTA ACV] quæ crines non fideliter constringit, sed extra locum d fixa est. de hac acu lib. 14. plura. HOC FACINVS LALAGE] Lalage fictum nomen. Studium ornandi componendique capillamentum ita describit Iuuenalis.

De crinali acu plenissimè VVouerius ad Petronium. p. 294. nos lib. 14. epig. 24. Pamelius ad Tertullianū lib. de cultu fœm. c. 7. De Virgin. velandis ca. 12. De corona Mil. cap. 14. Martial. lib. 14. vbi plura. Heraldus ad hunc locum.

——alter a læuum
Excedit pectitq; comas & voluit in orbem.
Est in consilio matrona, admotaq; lanis
Emerita quæ cessit acu: sententia prima
Huius erit: post hanc ætate atque arte minores
Censebunt, tanquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ, tanti est quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput,
Post minor est: aliam credas——

Sic Lalage cum cincinnos in speculo contemplata videret non pares esse, vlta est errorem, velut capitale facinus. sic enim sequitur. ET CECIDIT SECTIS ICTA PLECVSA COMIS] An Plecusam ancillam crudelis Lalage omnino mactauit? haud credo. Sed cur CECIDIT] cadere moriest. auctores innuere Plautus, Virgilius, Ouid. Cic. Tacitus aliique, & valet ad inuidiam Lalages, si ob leniculam culpam, i ò insontem Plecusam interfecit. Quod si tibi ἄπιστον, sic interpretare, icta speculo concidit, nec tamen exanimata; sic apud Iuuenalem tractata est Psecas puella, non à Taurea fœmina, vt ridiculè Domitius; taurea enim genus flagri aut nerui est, sed taureo neruo pulsata. Versus sunt hi:

Componit crinem (Psecas ancilla dominæ) laceratis ipsa capillis
Nuda humeros Psecas infœlix nudisq; mamillis,
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen, facinusq; capilli.

Taurea punit, neruus punit ancillam μετονυμικῶς. sic Plautus est locutus in Asinar.

De taureis Tertull. ad Martyres.

Apud fustitudinas, ferricrepinas insulas,
Vbi viuos homines incursant mortui boues, id est, nerui bubuli.

PLECVSA] Plecusam non reperio inter Dianæ ministras apud Ouidium, qui has tantum recenset lib. 3. Ismenidem, Crocalin, Nipten, Hyalen, Rhanidem, Psecademq; cuius mentio apud Iuuenalem, lego tamen illi fuisse octogenas nymphas. An quia venatrix Diana passo capillo? Virgilius

——dederatq; comas diffundere ventis

De Venere quidem, sed habitu venatricis.

Plecusa vero colligit in lectitque crines, atque annulos spiraque intorquet, quod ipsum nomen à πλέκειν haud dubiè deductum docet. DESINE IAM LALAGE] Pendeas à cruce Lalage cum tuis capillis, quorum caussa tanta p tiuntur insontes puellæ. TRISTES] quia caussa tristitiæ puellæ, & verberum puellis. *Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ,*
Si tibi displicuit nasus tuus?

De salamandra igniem extinguente, Aelianus lib. 2. de ani. c. 31.

INSANVM CAPVT] Dominæ cædentis ancillas ob pilum conturbatum. HOC SALAMANDRA NOTET] Caput dignum sanie salamandræ, qua imbutum totum depiletur, aut certè

ferro ad cutem radatur, vt digna tuo speculo fiat imago, vt caput sit tam nudum ac ipsum speculum est. Nihil est turpius calua muliere. Apuleius lib.2. Metam. de ornatu crinium sic ait: *Licet Venus ipsa fuerit, licet omni gratiarum choro stipata, & toto cupidinum populo comitata, & balteo suo cincta cinnama fragrans, & balsama rorans, calua processerit placere non poterit, &c.* digna speculo, dignum verberibus caput. Quod autem Martialis de salamandræ sanie scribit, præter Plinium confirmat Dioscorides lib.2. cap.56. Liquefacta in oleo pilos euellit, exenterata, detractis pedibus & capite, in melle seruatur ad eundem vsum. Sammonicus.

> S. *ira potens nulliq; obnoxia flammis*
> *.. capitis tactu deiecit honorem.*

Petronius. *Quid dicis tu atro? qua Salamandra supercilia tua exussit?* Niandr. scholiastes. τὰ δ' ἔντερα αὐτῆς ψιλοῖ τὰς τρίχας. Hoc παρέργως addo, fide carere, quod Ælianus lib.4. animal. cap.31. & Plin. lib.10. cap.17. & Arist. lib.5. c.19. de hist. anim. affirmant, Salamandram in igne viuere, imo ignem extinguere. Sic enim Dioscorides. *Salamandra Lacerta genus est, iners, varium, quod frustra creditum est ignibus viuere.* Galenus lib.3. de temperamentis. Salamandram ait ad certum vsque temporis spatium in igne nihil pati, vri tamen, si ea longius igni sit admota. Ab his stat doctissimus Matthiolus ad Dioscor. in adductum locum. Qui addit salamandras in Tridentino agro copiosas esse.

In Postumum.

LXVII. XLVII.

Occurris quocunque loco mihi, Postume, clamas
Protinus, & prima est hæc tua vox, quid agis?
Hoc, si me decies vna conueneris hora,
Dicis. habes, puto, tu Postume, nil quod agas.

Otium & ignauiam Postumi exagitat, cuius vnicum videtur negotium rogare, quid alij agant, cùm ipsi nihil sit, quod agat. QVID AGIS?] Obuios post datam, & acceptam salutem interrogabant solenni & vulgari formula, Quid agis? Plin. epist.20. lib.3. *Et Hercule, quousque illa vulgaria, ergo, quid agis? & quid commodè vales?* Elegans est & Granij præconis responsum, M. Druso tribuno plebis multa in Rempub. molienti datum, cùm salutasset dixissetque, Quid agis Grani? respondit imo verò tu, Druse, quid agis? Machinationes in Rempub. notabat. Sic Plaut. Curcul. *Tu quid agis, qui patriam euersum vadis?*

> *O scelerum caput* SALVE QVID AGIS?? *O. viuo.*
> *Occurrit quidam notus mihi nomine tantum,*
> *Acceptaq; manu, quid agis dulcissime rerum?*
> *Suauiter, vt nunc est, inquam: & cupio omnia, quæ vis.*

Exempta eiusdem formulæ sexcenta tibi passim apud Ouidium, Ciceronem, Senecam, Plutarchum, Manutium, & alios occurrent. HOC, SI ME DECIES] Hoc vnum habebat Postumus, quod ageret, vt quæreret, quid agerent alij, sed hoc agere, est nihil agere.

Ad Olum.

LXVIII. XLVIII.

Quòd te nomine iam tuo saluto,
Quem regem, & dominum prius vocabam,
Ne me dixeris esse contumacem,
Totis pilea sarcinis redemi.
Reges & dominos habere debet,
Qui se non habet atque concupiscit.
Seruum si potes, Ole, non habere,
Et regem potes, Ole, non habere.

Se tandem verè liberum ait, nullumque agnoscere dominum amplius. Ne me superbum & insolentem existima, quòd te tuo nomine compellem, quem antea regem appellaui. OLVS] fictum à poëta nomen, ad quem plura extant. QVEM REGEM ET DOMINVM] Clientes suos patronos, non secus ac serui dominos reges q; appellitabant, de qua re lib.1, à nobis dictum commemini ad Priscum. *Cùm te non nossem, regem dominumque vocabam.* TOTIS PILEA SARCINIS] omnes fortunas meas posthabui libertati, sarcinas meas commutaui libertate, seu iam rebus omnibus relictis contemptisque peperi mihi libertatem. Metaphora ducta à veterum consuetudine, qua serui, cùm

cùm statum mutarent, ac manu mitterentur, capite raso pileum accipiebant. Plaut. Amphitr.

——Quod ille faciat Iuppiter,

Vt ego hodie raso capite caluus capiam pileum,

Plutarchus in T. Flaminio de Romanis ab eo liberatis. *Hi enim viri, quemadmodum consueuerant serui, vbi manu missi fuerint, rasis capitibus pileos gerere, ita ipsi ornati Tito triumphanti comites se praebuerunt.* Appian. bello Mithridat. de Prusia. Suet. Ner. *Obiit trigesimo & secundo aetatis anno, quo die quondam Octauiam interemerat, tantumq; gaudium publicè praebuit, vt plebs pileata tota vrbe discurrerit.* Seruius ad 8. Æn. refert Feroniam seruorum seu libertorum Deam haberi, quòd in templo eius capite raso soliti sint pileum accipere. Extat pileus etiam libertatis signum in nummis. Figurabantur enim sigilla quatuor expeditis pedibus gradientia, quorum secundum & quartum fasces & secures alligata gestarent. cum inscriptione BRVTVS. Vnde apud Virgilium.

——animamq; superbam

Vltoris Bruti fascesq; videre receptos.

Ab altera parte foeminae caput est cum inscriptione LIBERTAS. In historiae memoriam scilicet, quòd exactis regibus partaque libertate consularis magistratus annuus auctore praecipue Bruto, constitutus. Quod verò in alterius Bruti numismatis cernere est pugiones duos adiecto pileo, Dion ex hoc Brutum & Cassium patriae liberatores indicari dicit. Nam pugio caedem patratam omnino significat, pileus verò libertatem. Natum hinc prouerbium. *Ad pileum vocare*, pro eo, quod est ad libertatem inuitare, aut promissis ingentibus seditionem commouere. Seneca epist. 47. *Dicat nunc me vocare ad pileum seruos, & dominos de fastigio deiicere.* Liuius lib. 34. *Postero die serui ad pileum vocati, & carcere vincti emissi, &c.* Suet. T. 6. *Seruusq; ad pileum frustra vocatis in Siciliam profugit.* Lege Pierium lib. 40. Lambinum in Plaut. Adagiographum, &c. REDEMI] Videtur allusisse ad genus manumissionis, quod censu fiebat. Vlpianus. *Serui, qui in peculio centum haberent, aut quibus eas facultates domini impartirent. Si eos domini in censum ciuium, à censoribus adscribi iuberent, libertatem consequebantur.* Haec manumissio à Seruio Tullio 6. Rom. Rege originem videtur traxisse. plura lib. 9. epig. 89.

Multum in hoc itempileo Heraldus.

REGES ET DOMINOS HABERE DEBET] Seruus cliens & indigens alieni, quiq; vult ipse fieri dominus & rex, dominum quaerat, ille enim se non habet, non liber est, non est contentus suo, qui seruit aliis, vt habeat, ego me habeo, nil quaero aliud. Dominus quaerit seruum & clientem; cliens & seruus dominum; ego nec dominum, nec seruum. QVOD REGES DOMINIQVE] opes, diuitias, seruos clientes. haec vt acquirant ipsi domini, maioribus seruiunt dominis, vt hodie nobiliores aulici. SERVVM SI POTES, OLE, NON HABERE] Qui potest carere seruo, carere potest & domino, ipse sibi seruus & dominus, vt Ouidius de Palaemone & Baucide 8. Metam.

8. Metam.

Nec refert dominos illic famulosq; requiras,

Tota domus duo sunt, idem parentq;, iubentq;.

Liber tamen quisquis sibi imperare potest, quod vult, & imperata facere, aut recusare. Eiusmodi homo Synopaeus ille doliaris fuit, qui se Alexandro praeferre non dubitauit, nec alios seruos aut clientes habuit, quàm mures & glires. Ad seruos alendos opus est sumptu, quo plerique carent, nisi ipsi seruiant, quod dum faciunt, amittunt libertatem, quamuis seruos habeant.

In Classicum.

XLIX. LXIX.

Inuitum coenare foris te Classice, dicis,
Si non mentiris, Classice, dispeream.
Ipse quoque ad coenam gaudebat Apicius ire.
Cùm coenaret, erat tristior ille, domi.
Si tamen inuitus vadis, cur Classice vadis?
Cogor ait? verum est, cogitur & Selius.
En rogat ad coenam Melior te, Classice, rectam.
Grandia verba vbi sunt? si vir es, ecce nega.

Classicum coenipetam tangit, qui verbo negabat, re maxime expetebat conuiuia. DISPEREAM] Formula Romanis vsitata in execrationibus adiurationibusque. Horatius lib. 1. Sat. 9.

——dispeream ni Summosses omnes——

Plautus Amphit. Virgilius Catalectis. Catullus 93.---- *dispeream me nisi Lesbia amat, &----verum dispeream nisi amo.* Eandem vim habent illa verba priscis solennia. peream si, ne viuam. Dij me perdant. Brissonius lib. 8. IPSE QVOQVE AD COENAM] Tam leta res est foris coenare, vt maiores inuitati à minoribus, ditiores à tenuioribus vocati venerint. Augustus Caesar vix vlli negauit amicorum. Et quis potentior Augusto? Apicius ille dictator helluonum & imperator propinarius copio-

copiosissimus, vt infra ostendemus lib.3. epig.22. non inuitabat tantum, sed inuitabatur, & inuitus domi cœnitabat, etsi nihil deliciarum deesset. Largè de Apicio hic Heraldus.

Si tamen invitvs vadis, cvr Classice vadis?] Fateri nolentem, esse tamen cenipetam ostendit Classicum. si inuitus vadis, cur vadis? atqui verò nemo cogitur inuitus promittere. Eleganter parasitos hosce & gnatones describit Sidonius lib.3. epist.3. *Ieiunat, quoties non vocatur, sed sic leuitate parasitica. Si inuitetur, excusans, Si vitetur, explorans, Si excludatur, exprobrans, Si admittatur, exultans, Si verberetur expectans. Cùm discubuerit, fertur actutum, Si tardè comedas, in rapinas: Si citò saturetur, in lacrymas. Si sitiat, in querelas: Si inebrietur, in vomicas, &c.* tu perge si vacas, nam graphicè depingit hos cenisequos. Cogor] cogeris? qui? quia pauper? ditissimus: contendit cum ipso Apicio. an vt parcat sumptibus, ne cogatur vicissim alios vocare? an quia alienæ dulciores cœnæ, vt Diogenes de vino sensit? Hoc suadeor. & fortè vtrumque. Nam cogitur, inquit, vt Selius. Selius autem, vt supra hoc libro expositum est, tota vrbe quæritabat cœnas alienas, quod domi vilius cœnaret & assuesset alienas lambere quadras. Ita triste erat Selio domicenium, affectabat foris lautiores. Eodem modo Classicus tantùm lautis accumbit, & cogitur à ventre & cupidine, trahiturque ad alieni foci n dorem, vt sua quemque trahit voluptas.

En rogat ad cœnam Melior te, Classice, rectam] Rogarat aliquis tenuiorum ad cœnam Classicum, negabat. seq; inuitum foris cœnare dictitabat. rogat delicatus & nitidus Melior, & non ad sportulam, sed ad rectam. volas. Melior] vide Statium lib.2. siluarum de arbore At. l j, & Epicedion in Glauciam Melioris, & Psittacum. Grandia verba] te inuitum cœnare foris. De cœna recta, seu iusta lautaque & aduersaria illi sportula, dicemus ad illum versum. *Promissa est nobis sportula, recta data est.* immo iam dictum & doctum lib.1.

Ad Cæcilianum.

LXXI. [illegible] L.

* Callidius.

** Candidius nihil est te, Cæciliane, notaui,*
Si quando ex nostris disticha pauca legis.
Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli.
Hæc mihi das, tanquam † deteriora legas:
Ut collata magis placeant mea? credimus illud
Malo tamen recites, Cæciliane tua.

† *dexteriora quidam parum dextrè conati sunt emendare.*
* *istud.*

Cæcilianum, ad quem sunt plura passim huius poëtæ epigrammata, ironicῶs carpit ab inuidia carminum suorum, vt qui Martialem Catullo & Marso deteriorem videatur iudicare. Candidivs] Ἀντιφραστικῶς in os me laudas summo candore animi, dum meos versiculos contendis cum Catullo & Marso. sed videris id eo facere, vt appareat, quanto ego illis deterior sim. Marsi] Marsus epigrammatarius erat laudatissimus, de quo sic Gyraldus. dialog.10. de hist. poët. *Et cum Laurea* (Ciceronis intellige) *erat Domitius Marsus, cuius epigrammata apud antiquos summis laudibus sunt celebrata. Amazonida opus conscripsit, de quo Martialis.*

Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.

Plura apud eundem leges, vti & de Catullo, de quo lib.1. diximus. Marsum imitari conatus est Martialis. Ouidius lib.4. de Ponto, eleg.16. *Cum foret & Marsus.* Hæc mihi das, tanqvam deteriora legas] Hæc Marsi & Catulli carmina à te lecta mihi das, vt ego videam, quanto mea his meliora sint, imò deteriora, sic enim interpretatur Martialis. Ramiresius Dexterrora emendat in quem est lepidum Scriuerij distichon:

Dexteriora legit magno Laurentius ausu:
Sed tamen infelix deteriora facit.

Vt collata magis placeant mea?] mihi an tibi? & mihi & tibi, vt tu, Cæciliane simulas, eo das mihi nomine. Credimvs istvd] dari ea mente, quasi tibi mea placeant. credimus, vt tu credis id est, non credimus, sed faciamus non credere. Malo tamen recites] malo, vt conferas te cum Catullo & Marso. ego me scio esse deteriorem, nec iactaui meliorem. Subest & alia argutia. * Malo tua recites & conferas cum meis, tunc facile apparebit, mea tuis meliora; vt enim me postpono Catullo & Marso, ita me antepono tibi insulso & indocto. Et hunc sensum esse suadet vetus lectio, quæ primã huius epigrammatis vocem ponit Gallidius. non Candidius. sed reor tantum fuisse in ora glossema quod Martialis contrarium voluerit docere, εἰρωνικῶς enim est positũ candidius.

* *Pro hac enarratione propugnat etiam Mu-famb. contra Ramiresi.*

In Saufellum.

LXXIV. LI.

* Saufeium.

*Cinctum togatis pòst & antè * Saufellum,*
Quanta reduci Regulus solet turba,

Ad

At alta tonſum templa cum reum miſit,
Materne, cernis? inuidere nolito.
Comitatus iſte ſit, precor, tuus nunquam.
Hos illi amicos, & greges togatorum,
Fuſciculenus præſtat, & Fauentinus.

Ad Maternum eſt hoc carmen de Saufelli, ſeu Saufei vt ex antiquis inſcript. docet Scriuerius. inſolenti fictoq; faſtu. de quo ſupra in fictum diuitem diximus. An is eſt Maternus Orator, qui in Dialogo Quintiliani de Oratoribus loquitur? CINCTVM TOG. POST ET ANTE.] anteambulonibus, & lateronibus, & pediſequis clientibus officioſis, & de more togatis, cernis ſtipatum comitatumq; Saufellum, vt iudicare poſſis diuitem & beatum. QVANTA REDVCI REGVLVS] Caſtigo Iunii editionem in hoc epigrammate. quid enim τὸ (ſola) nec verſus ratio nec ſenſus conſtat, lege, ſolet. Tanta incedit comitatus turba Saufellus, quanta Regulus Cauſſidicus reo iudicio liberato & abſoluto domum reduci ſolet. altera labes in voce (Materne) perinde accentuatur ac ſi geminæ voces eſſent materne, cum ad Maternum, non Matrem ſcribat, ſed typographi, non Iunii error. REGVLVS] Is ipſe eſt, ad quem ſunt lib. 1. epigrammata de lapſu porticus Inſignis cauſſidicus & nobilis impoſtor. Plin. lib. 2. epiſt. vlt. *Aſpice Regulum, qui ex paupere, & tenui ad tantas opes per flagitia proceſſit, vt ipſe mihi dixerit, cum conſuleret, quam cito ſeſtertium ſexcenties impleturus eſſet: inueniſſe ſe exta duplicia quibus portendi millies & ducenties habiturum, &c.* De eiuſdem Reguli ſtudio in dicendo & labore meditandi lib. 6. epiſtolarum epiſt. 2. vbi & mortuum affirmat Traiani imperio, dignum maturiore morte.

QVANTA TVRBA] Ingens olim honor oratoribus & cauſſidicis claris habebatur, domum deducebantur frequenti populo, digito demonſtrabantur, ſalutabantur. Quintilianum audi in Dialogo de Oratoribus. *Iam vero, inquit, qui togatorum comitatus & egreſſus? quæ in publico ſpecies, quæ in iudiciis veneratio? quod gaudium conſurgendi aſſiſtendiq; inter tacentes in vnum conuerſos, coire populum & circumfundendi coram?* REVM TONSVM] ſupra diximus reos & veſtem, & barbam comamq; promiſiſſe, & alia luctus ſigna dediſſe. Abſoluti rurſum tondebantur, togam nitidam reſumebant, & abſoluti ad templa properabant, vt vota Diis ſoluerent, quorum auxilio credebant ſuam innocentiam teſtatam fuiſſe, ſeq; periculum euaſiſſe. Patronis autem velut victoribus certatim omnes gratulabantur. INVIDERE NOLITO.] Materne huic tu ne inuideas, cauſam ſubſcribit.

Mos hic quã fuerit antiquus tonden di cap. 41. Gen. diſcit.

COMITATVS ISTE SIT, PRECOR, TVVS NVNQVAM.] Eſt emptus & conductus comitatus à fœneratoribus Faſciculeno & Fauentino, quibus oppignerauit ſe ſuaq; omnia, vt ille fictus ſupra diues, qui octo nummis annulum depoſuerat apud Claudii menſam, vt cænaret.

De leone.

LII. LXXV.

Verbera ſecuri ſolitus leo ferre magiſtri
Inſertamq; pati blandus in ora manum.
Dedidicit pacem ſubito feritate reuerſa,
Quanta nec in Lybicis debuit eſſe iugis.
Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
Sanguineam raſtris quæ renouabat humum,
Sæuus & infœlix furiali dente peremit,
Martia non vidit maius arena nefas,
Exclamare libet, crudelis, perfide, prædo,
A noſtrâ pueris parcere diſce lupâ.

Elegans hoc epigramma eſt & venuſtiſſimam habet apoſtrophen ad leonem in concluſione.

Arena amphitheatri ſanguine ferarum & gladiatorum cruenta, de more à pueris renouabatur. Vagabatur in eadem domitus & cicur leo, nec omnino pueris timendus, qui tamen ſubito datus in priſtinum furorem pueros inuaſit, & miſerabiliter in conſpectu omnium lacerauit. exclamat poeta per apoſtrophen ad leonem, & monet, vt humanitatem à lupa, quæ Romulum & Remum in alueo expoſitos fouit, & nutriuit, diſcat.

VERBERA SECVRI.] Sic etiam tigres cicures verbera magiſtri patiebantur. Martialis lib. 1. epig. 105. ——*Improbæ que tigres Indulgent patientiam flagello.*

INSERTAMQ. PARI BLANDVS] de hac re Seneca lib. 1. c. 3. de benef. *Leonum ora à magiſtris impune*

pune tractantur. Idem epist. 68. *Leonibus manum insertat, osculatur tigrin suus custos.* Omnium primus leonem manu tractare ausus & ostendere mansuefactum Hanno è clarissimis Pœnorum traditur. M. Antonius triumuir & primus etiam iugo subdere: primusq; Romæ ad currum iungere. Plin. li. 8. c. 16. lege Bullengerum de Venatione Circi. DEDID. PACEM] subito efferatus leo oblitus est pacis. Sicut lupus pilum, non animum mutat, ita leo. Plinius loco citato. *cum à pueris alioqui & feminis maxime abstineat vires, fame tamen stimulante parcit nemini:* Sen. epist 86. *Tigres leonesq, nunquam feritatem exuunt, aliquando submittunt, & cum minime expectaueris, exasperatur toruitas mitigata. nunquam bona fide vitia mansuescunt.* PACEM] Leonina pax & societas infida. Prouerbium, lege Æsopi apologum de asino, vulpe & leone. plura super his lib. A. 10. de leone qui gubernatorem offendit. QVANTA NEC IN LIBYCIS.] Leonum Europa Africa seu Libya ferax est. In Europa tantum sunt inter duos amnes Achiloum & Nestum. In Libycis montibus plurimi. sed Europæi viribus præstant iis, qui vel in Africa vel Syria reperiuntur. Plin. lib. 8. c. 16. quare ergo Libycos Martialis velut ferocissimos nominauit? quia ibi maior eorum copia videtur, nec leonem cum leone contendit, sed affirmat in Libya feroces elic, quod verum est. Et Getulia in Libya est, vbi præstantissimi quiq; nascuntur. Virgilius, *Getuli tergum immane leonis.* NAM DVO DE TENERA] duo pueri seu adolescentes, quibus alioqui non facile nocent etiam feroces, & indomiti, nisi extrema fame vrgente. Plinius.

SANG. ROST. QVÆ RENOV.] Arenam amphitheatralem intelligit. Amphitheatrum enim ad vsum pugnæ arena sterni solebat. Nam si lapide ruderato, in tam crebra effusione sanguinis, lubrico pauimento quæ ratio standi aut certandi? Arenam iniecere igitur, quæ bibula: & quam ipsam renouare, & velut inarare soliti per interualla ludorum. Arenam porro vulgariam insterni solitam Lipsi⁹ in Amphitheatro putat, nisi quod quidam rasuram lapidis albi destinarunt etiam huic rei, quæ sita gratia candoris. Plin. lib. 36. *Inuenere album etiam vsum eius lapidis in ramentis quoq, Circum maximum sternendi, vt sit in commendatione candor.* Principes aliquando arenæ loco instrauere minium aut chrysocollam, vt Sueto. & Plin. testantur. Plura ibid. Lips. SÆVVS ET INFŒ.] Sæuus præter expectationē. infœlix, qa puero, innocē es mactauit & reddidit morte infœlices, aut qa ipse postea interfect⁹ est.

MARTIA ARENA] quia gladiatorum prælia sic committebantur, vt iusti sæpe belli speciem præferrent. Tunc enim mille nunc 20. millia gladiatorum paria exhibebantur, quorum pars maxima in arena velut bello cadebat. Martia etiam quia Marti sacra. plura Musamb. contra Ram. MAIVS NEFAS] multo maius erat scelus, cum intactę virgines, episcopi, sanctissimiq; homines & innocentes à nocentissimis latronibus vltro feris in Amphitheatro obiicerentur.

EXCLAMARE LIBET.] Apostrophe ad leonem, & conclusio ab exemplo lupæ quæ Romulum & Remum expositos non modo non læsit, sed nutriuit etiam. Cuius rei monumentum seruabant Romani in Capitolio. Cicero de diuin.

Hic siluestris erat Romani nominis altrix
Martia, quæ paruos Mauortis semine natos
Vberibus grauidis vitali rore rigabat.
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atq, auulsa pedum vestigia liquit.

Plura extant in nummis antiquis.

De Mario.

LXVI. LIII.

Argenti libras Marius tibi quinq, reliquit,
Cui nihil ipse dabas, is tibi verba dedit.

Testamento legauit quinq; libras agenti, id est, quingenos denarios, seu quinquaginta Philippæos. de libris argenti lege epig. 44. huius lib. CVI NIHIL IPSE DABAS.] Marium morituriētē colebat amicus, vt rogabat, vt sibi aliquid legaret, à quo tamen Marius nihil vnquam acceperat. Marius se relicturum quinq; libras argenti affirmat, cum tamen omnia bona iam distribuisset. Mortuo Mario amicus petiuit, nihil accepit. hunc irridet Martialis, & ait eum tantum accepisse, quantum ipse Mario dederat. Musamb. putat tamen esse datas quinq; libras hæredipetæ: sed parum à poeta pro nihilo reputatum. Antequam legerem Musambertium, inspexi Ramiresii interpretamentum, & attonitus hæsi aliquandiu miratus nouum Priscianum. Adii Musamb. an & ipse mecum. prorsus ille bene Ram. *Satius esset tibi Priscianum terere, quam de coniurâ in litterarum principis somniare, &c.* lege in gratiam Ramiresii reliqua Musambertii.

Ergo disce misellæ disce Ramex *Cadmæum genus* ALPHA. BETA GAMMA.

VERBA DEDIT] verba dare est nihil dare, decipere Plautus, Terentius, Cicero, Ouidius. lege Donat. in Terent. *verba seni dare difficile est.*

In Cosconium.

LXXVIII LIV.

Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra,
Vtilis vngendis axibus esse potes.

Hac

Hac tu credideris longum ratione colossum,
Et puerum Bruti dixeris esse breuem.
Disce, quod ignoras: Marsi, doctiq; Pedonis
Sæpe duplex vnum pagina tractat opus.
Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis:
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis.

Docet, quæ longa, quæue breuia sint dicenda epigrammata.

VTILIS VNGEN. AXIB.] videtur prouerbii vicem obtinere hoc dictum, quo illiteratum Cosconium melius aurigæ quam poetæ officium præstaturum censet, vt qui ex longo itinere reddere breuius possit vngendo sæpius currum, quo expedito longius spatium citius percurreret, quam alii breue. sed non est, inquit, similis ratio poematum, requirunt iustam symmetriam, pro ratione materiæ, vt in colossis statuarii, pueri longi, monstrosi sunt, & viri puerorum statura pumiliones, iusta cuiq; naturæ tribuenda proportio, res longa longiusculum epigramma requirit. Nihil moror hic tricas aliorum, qui rem explicando implicant. De axungia ab axibus vngendis dicta prolixe Plin. lib. 28. c. 9. *Antiqui*, inquit, *maxime axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circum actum rotarum vtebantur; vnde nomen.* Ex quibus fiat ibid. docet, vti & variam ac vsum in medicinis. HAC TV REDD.] De colosso habes lib. in amphith. epig. 2. *Hic vbi sidereus propius videt astra colossus.* olim erant Deorum, quos postea sibi reges & principes vsurparunt. maiores ter & amplius humana staturâ. ET PVERVM BRVTI] Strongilion statuarius Bruti puerum fecit, ex ære nempe, quem Brutus Philippensis, quia placuerat, cognomine suo Brutum appellauit, Plin. 34. c. 8. Ita Martialis duas statuas longissimam & breuissimam coniungit, & tamen nec illam longam, nec hanc breuem esse dicendam, quod hæc puero, illa Deo συμμετρικῶς expressa conueniat. De hoc ficto puero Martialis in Apopho. epig. 171.

Gloria tam parui non est obscura sigilli,
Istius pueri Brutus amator erat.

DISCE, QVOD IGNO.] Marsus & C. Pedo Albinouanus epigrammatarii laudatissimi, quorum auctoritate nititur poeta, suaq; longiuscula quædam epigrammata defendit. de Marso dictum supra epig. 71 C. Pedonem celebrat Ouid. lib. 4. de Ponto. El. 10. ad Albinouanum, vbi fallitur auctor thesauri Latinæ linguæ, cum scribit vocari ab Ouidio Pedonium. Nec versum, quo firmare nititur errorem, intellexit, qui sic habet. *Si rogat hac aliquis cur sint narrata Pedoni.* Non est vocandi, sed dandi casus. Mihi narrata, id est, à me, Græco more. Fabius Pedonem ponit inter poetas heroicos. Adducit Seneca eius carmina de nauigatione Germanici. Et Thesei gesta scripsit, si scribenti credendum Ouidio.

At tu, non dubito, cum Theseïa carmine laudes,
Materia titulos quin, tueare tua.

Altiloquum eundem & sidereum appellat eodem lib. El. 16.

Cum foret & Marsus, magniq; Rabirius oris,
Iliacusq; Macer, sidereusq; Pedo.

Miror tamen, cur dicat El. 10.

Qui (Theseus) quanquam factis ingens & conditur à te
Vix tanto, quanto debuit ore cani.

Insinuat enim Albinouano dictionis charactere non expressam gestorum magnitudinem. Cætera lege apud Gyraldum de hist. poet. d. 10.

SÆPE DVPLEX VNVM PAGINA TRACTAT OPVS.] Vnum epigramma sæpe duas occupat paginas, seu duabus paginis vnum tantum epigramma absoluitur. Alteram sententiam, quæ Domitio arridet, quia coacta, nec plana, sed violenta apparet, negligo; sunt qui doceant epigramma vno disticho finiendum esse. sunt qui δεκάστιχον, id est, decem versus admittant, non vltra. sed vsus optimorum scriptorum ac poetarum, à quibus leges huiusmodi sunt accipiendæ, aliter docet. De hac re copiose in Prolemmatis disputatum. NON SVNT LONGA] Concludit & docet, quæ sint longa, quæ breuia dicenda. nec abit à Cicerone, qui 2 de orat. *breuis est L. Crassi oratio, si tamen est breuitas, cum tantum verborum est, quantum necesse est.* Qui plura desiderat, legat, quæ sunt dicta ad epigramma lib. 1. ad velocem.

Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa,
Ipse nihil scribis, tu breuiora facis.

Legat & Plin. lib. 5. epist. 6. Sidonium epist. 2. lib. 2.

SED TV, COSCONI, DISTICHA.] Qui nec venuste quicquam, nec lepide, nec argute dicere potes. Ita longum est, quod scribis, quia nihil γνωμικῶς aut sententiosum, neruosumq; dicis, vt etiam distichon pariat lectori molestiam, longumque videatur. Vel quia tota vita laborasti, & nec vnum distichon absoluisti, & edidisti.

Ad Cæcilianum.

LXXVIII. LV.

** Æstiuo serues vbi piscem tempore, quæris?*
In thermis serua, Cæciliane, tuis.

* Testiuo sed male.

Ridicule.

Irridet frigidas Cæciliani thermas, cum thermæ à calore calidæ dicantur. IN THERMIS SERVA TVIS] quæ gelida & hiberna aqua sunt frigidiores. Legitur Nicandri epigrammata lib. 2. Anthol. in frigidum balneum λ..., &c. & nostri supra ep. 14. de Lupi balneo.

In Nasicam.

LXXIX. LVI.

Inuitas tunc me, cum scis Nasica vocatum.
Excusatum habeas me, rogo: *cæno domi*

Salse & ridicule.

Vt Nasica tum Martialem inuitabat, cum sciret eum iam foras promisisse. Ita Martialis excusat se, cum nec ab eo, nec alio inuitatus esset. Et est Sardonica oratio, vt si quis exceptus pridie ab aliquo pugnis, postridie diceret de hesterna beneuolentia. Ago tibi gratias, quod me heri tam liberaliter, tamq; amice acceperis. Vt te Dii Deæq; omnes perduint. CÆNO DOMI.] Ingratum parasitis domi cœnium. Monet aperte Martialis tunc se inuitandum, cum domi sibi cœnandum. EXCVSATVM] formula prisca Ouid. Excusata suo tempore lector habe. & apud Lucam, ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον. Atque hæc pro editionis vulgaris explicatione. Scriuerius nuper ex antiqui codicis fragmentis aliam huius distichi scripturam inuenit, & ex aliis occasione aliam carminis interpretationem mea sententia valde opportunam quam subiungo. Si (inquit ex vulgari editione) vocatus est alio, atq; alibi condixit, quomodo ergo dicit, cœno domi? hæc pugnantia sunt. Mirũ. Interpretes non aduertisse frigus epigrammatis. Mi bone Scriueri, si non aperuisset tibi viam noui acuminis antiquior codex, quo omnes carebamus, tu quoque nobiscum frixisses & gelasses. In quodam inquis Scripto est perspicue *vocasse* non *vocatum*. In quo versatur acumen & argutia epigrammatis. Nasica cænipeta tum inuitabat Martialem cum sciebat illum instruere conuiuium & amicos inuitasse. Sperabat enim ita responsurum Martialem; Non tibi condicam Nasica, vides enim me alios vocasse. Sed & tu quoq; poteris apud nos esse vna cum iis quos inuitaui: Nam & adhuc locus vacat tibi. Hoc vnum nempe quærebat & sperabat Nasica: sed dissimulauit vrbanissimus poeta, qui coruum hiantem elusit, & ... festiue se excusauit, non inuitato Nasica, cum dicit se cœnare domi. Non enim mos est nos excusare quod cœnemus domi, sed alibi operam promisimus. Hæc Scriuerius, & vt videtur, vere & argute.

De Fannio.

LXXX. LVII.

Hostem defugeret, se Fannius ipse peremit.
** Hic rogo, non furor est, ne moriare mori?*

* Hoc historicum.

Multi id fecere clarissimorum imperatorum. Annibal, Cleopatra, Otho, Cato Vticensis, Nero, sexcenti alii. Atq; id vel contumeliæ, vel grauioris supplicii metu. quos sapientes non fortes, sed imbecilles pronunciant, veluti fortunæ succumbentes, nec eius vim sustinentes. plura lib. 1. epigr. ad Decianum ex Seneca, & aliis quibus adde Galenum lib. περὶ τῶν ... & Budæum lib. 6. Miscell. c. 29. Plutarchum ad Apollonium ... Aliter Christiani heroes qui se arbitrio immanissimorum tyrannorum permiserunt, ad omnia crudelitatis & immanitatis exempla in se expromenda parati.

Fannii porro haud pauci fuere scriptoribus celebrati, quos recenset Melchior Guilandinus de papyro, p. 159. Hic noster Ennius fuit ille qui contra Augustum coniurauit, vti testatur Tranq. c. 19. in Aug. Dio lib. 54. Seneca, apud quem Liuia: *Saluidianum, inquit, Lepidus secutus est. Lepidum Murena, Murenã Cæpio, Cæpionem Egnatius.* Cæpio erat Fannius. Seneca ex vna cóiuratione duas facit. Meminit eiusdem Velleius, Macrobius, & ipse alibi Suet. Hic ergo sibi mortem consciuit. Sunt qui dicant de C. Fannio hic agi, quem laudat in epist. 5. l. 5. Plinius ad Maximum, quasi propter somnium se occiderit. merum hoc quidem somnium, nec Plinius hoc narrat nec quisquam alius, nec ipse Fannius hoc somniauit; Et quem laudat Plinius. Plinii æuo naturali morte decessit. Audi ipsum Plinium narrantem: Nunciatum est mihi, C. Fannium decessisse: qui nuntius graui me dolore confudit. Primum, quod amaui hominem elegantem & disertum, deinde, quod iudicio eius vti solebam. Erat enim natura acutus, vsu exercitatus, varietate promptissimus. Angit me super ista, casus ipsius. Decessit veteri Testamento: omisit quos maxime diligebat: prosecutus est quibus offensior erat. Sed hoc vtcunq; tolerabile: grauius illud, quod pulcherrimum opus imperfectum reliquit. Quamuis enim

enim agendis causis distringeretur, scribebat tamen exitus occisorum aut relegatorum à Nerone: & iam tres libros absoluerat subtiles, & diligentes, & Latinos, atque inter sermonem historiamq; medios. Ac tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto frequentius hi lectitabantur. Mihi autem videtur acerba semper & immatura mors eorum qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti, quasi in diem viuunt, viuendi causas quotidie finiunt: qui vero posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, vt quæ semper inchoatum aliquid abrumpat. C. quidem Fannius quod accidit, multo ante præsensit. Visus est sibi per nocturnam quietem iacere in lectulo suo compositus in habitu studentis, habere ante se scrinium (ita solebat) mox imaginatus est venisse Neronem, in toro sedisse: prompsisse primum librum quem de sceleribus eius ediderat, eumq; ad extremum reuoluisse: idem in secundo ac tertio fecisse, tunc abiisse. Expauit: & sic interpretatus est, tanquam idem sibi futurus esset scribendi finis, qui fuisset illi legendi: & fuit idem. Quod me recordantem miseratio subit quantum vigiliarum, quantum laboris exhauserit frustra.

Viden quid narret Plinius, hoc inquam Fannium præsensisse multo antequam moreretur sibi fatum impendere post tertium de Nerone librum absolutum, quem tum nec inchoarat forte, nec dum finierat. Nec enim dum consomniauit hoc, extinctus est Fannius, nec posteaquam finiuit, seipsum occidit, non dixit hoc Plinius, non somniauit Fannius. Si autem hoc præsensit Fannius, nunquam debuisset finire tertium librum, ita nunquam fuisset mortuus, sed fata, hoc est numinis decreta rescindi aut infringi non possunt. Vide Brisciol. 3. c. 3.

In Zoilum.

LVIII. LXXXI.

Laxior hexaphoris tua sit lectica, licebit,
** Cum tamen hac tua sit, Zoile, sandapila.*

* *Dum, scripserim: vt li. 8. epist. 3. Dū tua multorū vincat auenatubam.*

Ominatur vel imprecatur Zoilo mortem. *Significat enim*, inquit Lipsius, *in illa ipsa superba & pāciorum hominum lectica ferri ad sepulchrum, id est, non aliud esse quam quod dicitur, viuum cadauer.* Lectica feretri prope formam imitabatur, vt scribit Philander ad Vitru. Lectica etiam mortui efferebantur, & viui in sella circumferebantur. Descriptam & ad vnguem depictam habes apud Lipsium lib. El. 1. c. 19. vbi & de vsu, tempore, forma pluria.

Sententia carminis est. Tu Zoile, velut è lautioribus vnus nunc lectica ampla & magnifica circumferris à sex lecticariis, cum dignus sis sandapila seu feretro. nihil enim es præter viuum cadauer. imo iam tum non ferri, sed efferri videris, adeo squalidum, emortuum, turpe & fœdum habes corpus seu cadauer. Potentiores hexaphoris seu octophoro efferebantur: viliores sandapila, quam subeunt tantum quatuor. Fulgentius. *Sandapilam antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum, id est, loculum, non in quo nobilium corpora, sed in quo plebeiorum atq; damnatorum cadauera portabantur.* Sueto. Dom. c. 17. *Cadauer eius populare sandapila per Vespillones exportatum.* Inde Sidonio sandapilarius. Ita lib. 6. *Non debes ferri mortuus hexaphoro.* Et: *Quatuor inscripti portabant vile feretrum.* sandapila igitur pauperum feretrum, hexaphorum diuitum. Hexaphorum dicitur, quod sex famuli lecticam eam ferant, sicut octophorum ab octo lecticariis gestatum.

Ad Ponticum.

LXIX. LXXXII.

*Abscissa seruum quid * fingis Pontice lingua?*
Nescis tu, populum quod tacet ille, loqui?

* *Fœdas, fringis, figis.*

Seruum vt domini scelus non enunciaret, per summam crudelitatem elinguauit herus. poeta, quod vnus locutus fuisset, nunc omnes loqui locuturosque dicit. FŒDAS] placet hæc, præ illa, quæ (fingis) habet Hoc distichum, si vere emendandum est, est elinguandum propter literam mutandam. *f in l.* Nescio an huius carminis occasionem, poeta acceperit ex Ouidio de Progne & Philomela. Quod enim dominus seruo fingitur fecisse, id Tereus Philomelæ regiæ virgini Natæ Pandionis. Regis Atheniensium & sorori Prognes excisa lingua fecit. Fabulam plenam lachrymis describit Oui 5 Metamor. postquam vitiata, minutaq; erat.

——ipse pudore
Proiecto tua facta loquar, si copia detur,
In populos veniam, si siluis clausa tenebor
Implebo siluas, & conscia saxa mouebo,
Audiet hæc æther, & si Deus vllus in illo est.

Tum de tyranno his verbis perculso simul & ad iram velut æstro impulso & inflammato.

Quo fuit accinctus, vagina liberat ensem,
Arreptamq; coma, flexis post terga lacertis
Vincla pati cogit, iugulum Philomela petebat,
Spemq; suæ mortis viso conceperat ense;
Ille indignantem, & nomen patris vsq; vocantem,
Luctantemq; loqui comprensam forcipe linguam
Abstulit ense fero. radix micat vltima linguæ,
Ipsa (lingua nempe) *docet, terraq; tremens immurmurat atra.*

Tū cætera, quæ ibi sequuntur. vt elinguis Philomela intexuerit scelus telæ, & ad sororem miserit. Vsq; adeo nihil est opertum, quod non aperiatur. saxa credo loquentur, quod homo taceat. Martialis in apophor.

Luscinia. *Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ*
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

* colum niuarium.

Ad * amicum.

LXXXV. LX.

*Vimine clausa leui niueæ custodia * coctæ,*
Hoc tibi Saturni tempore munus erit.
Dona quod æstatis misi tibi mense Decembri,
Si quereris, rasam tu mihi mitte togam.

* placentæ genus, alij copta vitiose.

Artificiose petit togam, aut emit potius carmine & cocta. Ordo & mens carminis est; leui vimine clausa custodia niueæ coctæ. Colum seu saccus niuarius, qui est custodia niueæ coctæ, qui coctam conseruet frigidam. Scriuerius intelligendam putat lagenam, dubium figlinam an vitream, texto vimine abditam atq; armatam, quo minus vsu quotidiano & conensu rumperetur. Cuiusmodi fere Suriscula Ægyptiorum fuisse videtur circumlata in æstiuis peregrinationibus sibi sedandæ. De niuibus & aquis coctis fuse lib.14. lem.116.& 117. Coptam hoc loco proscribimus quicquid Iunius ogganniat.

Cocta erat, aqua cocta & saccata & niuibus refrigerata. NIVEÆ COCTÆ] frigidæ & candidæ niuib. refrigeratæ. HOC TIBI SATVRNI TEM. MVNVS ERIT.] Hoc Saturnalibus mitto. DONA QVOD ÆSTATIS.] Si ægre fers mitti tibi hiberno tempore æstiua munera, hoc est aquam coctam & niuibus refrigeratam mense decembri, tu mihi mitte æstiuam togam, ita precor vlciscaris iniuriam. RASAM TOGAM.] Merula rasam & pexam, ait eandem esse. Domitius rasam æstiuo tempore adhiberi, id quod videtur poeta loqui. De pexa iam supra. Pexam ait non esse villosam; sed alii pexam & tritam aduersas faciunt, non rasam & pexam, vt Domitius.

Ad Classicum.

LXXXV.

Quod nec carmine glorior supino,
Nec retro lego Sotadæ cynædum
Nusquam Græcula quod recantat Echo,
Nec dictat mihi luculentus Attis
Mollem debilitate Galliambon.
Non sum, Classice, tam malus poëta.
Quid si per graciles vias Petauri
Inuitum iubeas subire Ladam?
Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.
Scribat carmina circulis Palæmon:
Me raris iuuat auribus placere.

Ingenio, non nouis carminum generibus, cuiusmodi sunt Sotadica, Galliambica, Echetica, inuitare se dicit lectorem, nec curare vulgus. CARMINE SVPINO] numeris leuioribus mollioribus,

qualea

quales sunt in Mæcenatis versibus. Duplex enarratio, non glorior carmine antistropho: supinus enim cursus est, qui retro fit. Ouidius de Ponto. El. 5. *Fluminaq; in fontes cursu reditura supino.* Et ita versum hunc Martialis explanandum existimo: subiungit enim speciatim, quod generatim dixerat. Quali carmine supino non glorior?

NEC RETRO LEGO SOTA, CYNEDVM.] Sotades Cretensis auctor dicitur à Strabone lasciuorum carminum. ἦρξε δὲ σωτάδης πρῶτος τοῦ κιναιδολογεῖν l. 14. scripsit φλύακας & κιναίδους, ridicula, cynædica, obscæna, nugacia. Suidas, Diomedes, Victor. Gy. de poetis. Quique sane pretium operæ tulit inclusus arca plumbea, & demersus in pontum. Athen. sed Plutarchus ait in vinculis ob carmen obscænum contabuisse. RETRO LEGO] recurrentia, antistropha, reciproca dicuntur Sotadea vel Sotadica, à Pausania βυστροφηδὸν scripta, ab aliis παλινδρομικοί. Atque horum varia sunt genera, vel enim heroicum & elegiacum recurrit, vt illud Nicomedis in Hippocratem

Athen. l. 14. ὁ δὲ ἰωνικὸς λόγος Σωτάδου, &c.

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων καὶ σῶμα λαῶν
Ἔθνεα καὶ νεκύων ἦν ὀπάντε εἰν αἴδῃ. ab extremo.
Εἰν αἴδῃ ὀπάντε ἦν νεκύων καὶ ἔθνεα λαῶν
Σῶμα καὶ μερόπων ἦν φάος Ἱπποκράτης.

☞ Plura huius generis antistrephonta & recurrentia reperies lib. 6. Ep. Gr. c. 4. toto. Initium est τὰν ἰλόπη, &c. Eiusmodi est & illud nuperum.

Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo.
Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.

Vel cum omnes literæ literis loco immotis releguntur, ita non tantum à voce, sed litera ipsa incipias. cuiusmodi est apud Sidonium lib. 9. epig. 14.

Roma tibi subito motibus ibit amor *Roma tibi subito motibus ibit, amoR.*

Sed hæc & id genus inepta, plerumq; non constant sententia, aut illa insulsa est. Proprie Sotadicum dicitur, vt Seruius in Centimetro notat, cum recurrit Hexametrum.

Ire cupis si rus, mala vites somnia quæso.
Quæso somnia vites mala rus si cupis ire. Male sane recurrit.

Vel Iambicum. *Micant nitore tecta sublimi aurea*
In Pentametrum. *Aurea sublimi tecta nitore micant.*

Vel cum recurrunt eædem literæ in singulis vocibus, vt
O Tite tute tibi Tate tante tyranne tulisti.

Quorum generum magna, (& deteriora, quo maiora) extant volumina, quibus concinnatis verbis, nihil potest videri inconcinnius. Omnes enim eiusmodi carnificinæ carminũ & ingeniorũ, præter coactos & male contortos numeros, nihil habent sensus, affectus & gratiæ. Possent huc referri Porphyrii illius ad Constantinum Imperatorẽ otiosæ & peregrinæ curæ; Quas vere Diomedes otiosa & curiosa ingenia tradit inuenisse. Rabini item liber artificiosus hierogrammadistichorum de ligno crucis Scripsit & technopægnium G. Leisentritius, vbi præcepta retrogradorum. Versus καρκίνους exponit Villomarus Animad. lib. 3. c. 22.

Qui de Sotadicis plura desiderat, accipiat à Iulio Scaligero lib. 2. Poet. cap. 30. Gyrald. dial. 9. Poet. Terentia. Diomed. Seruio. & aliis. Merul. ad hunc locum. Cœli. Rhod. Quintil. lib. 1. & 9. Villiom. Animad lib. 3. c. 22. aliter, ac modo ex aliorum sententia docuimus, Sotadeos versus interpretatur. *Duo, inquit, versus è regione sibi inuicem respondentes, ij sunt ἀντίστροφοι. Eiusmodi sunt Sotadeus iste.*

Messem area classes mare, cœlum tenet astra.

Et Heroicus iste. Astra tenet cœlum, mare classes, area messem. Duæ enim res, & diuersa Heroicus versus & Sotadeus. Qui igitur Sotadeos ἀντιστρέφοντας vocant, errant. Et tu quoq; (Titi) erras, qui illos sequeris: cum Sotadeus in se non recurrat, sed retro respondeat Heroico. Quo nomine Martialis dixit: Nec retro, &c. hoc est, Nec compono versus, qui procurrunt heroico carmine in laudem alicuius, & recurrunt Sotadeo in vituperium eiusdem. Adde dictis, si placet, quæ Hieron. Columna ad Ennium pag. 291.

De retrogradis erudite Sidonius lib. 9. epist. 14. *Interrogas per pugillatorem, quos recurrentes asseram versus, vt celer explicem sed sub exemplo. si nimirum sunt recurrentes, qui metro stante, neq; literis loco motis, vt ab exordio terminum sic à fine releguntur ad summum, sic est illud antiquum*

Roma tibi subito motibus ibit amor.

Et illud. *Sole medere pede, ede, pere de melos.*

Nec non habentur pro recurrentibus, qui pedum lege seruata, & si non per singulos apices, per singula tamen verba replicantur, vt est vnum distichum meum (qualia reor & quidem legi multa multorum) quod de riuulo lusi, qui repentino procellarum pastus illapsu, publicumq; aggerem confragoso diluuio supergressus, subdita via culta inundauerat, quanquam depositurus insanam mox abundantiam, quippe quam pluuiis appendicibus intumescentem, nil superna vena perennis pondera inflarent. Igitur istic (nam viator adueneram) dum magis ripam, quam vadum quæro, tali iocatus Epigrammate, per turbulenti terga torrentis, his saltem pedibus incessi.

Præcipiti modo quod decurrit tramite flumen,
Tempore consumptum iam cito deficiet.

Hoc, si recurras ita legitur.

Deficiet citò iam consumptum tempore, flumen
Transue decurrit quod modo præcipiti.

Et: *Musa mihi causas memora, quo numine læso.*

En habes versus, quorum syllabatim mirere rationem, cæterum, pompam, quam non habent, non docebunt. Bisciolam lege lib. 13. c. 9.

Politianus intelligit versiculos sic factos, ut in extremus responsationes ex persona ponantur Echus, sententiam explentes, & morientes illius vltima regerendo. Calius de eisdem.

NEC RETRO LEGO.] Quale est reciprocis apud Diomedem.

Nereides freta sic verrentes cærula tranant
Flamine fidentes per mare velivolum.
Velivolum mare per fidentes flamine tranant,
Cærula verrentes sic freta Nereides.

Vbi monet Scioppius, in MSS. legi.

Nereides freta sic verrentes cærula tranant
Flamine confidens vt Notus Icarium.

Quæ scriptura & Modio placet: vt Nereid. s fidunt natatu, sic Notus fidit flamine, & vtrique mare tranant.

NVSQVAM GRÆC. QVOD RECEN. ECHO.] Echica sunt, vt Scaliger lib. 2. Poet. docet. In quibus arte id elaboratum est, vt esset extremæ vocis responsio & repetitio. De hac re vere potest illud Homericum dici:

Ὁπποῖον κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Et Euand. Ἠχὼ μιμολόγον φωνῆς τρύγα ῥήματος ὕστατον.

Ouid. 3. Metam. *Vocalis Nymphe, quæ nec reticere loquenti:*
Nec prior ipsa loqui didicit resonabilis Echo.

Gauradæ de Pane.

Ἀχὼ φίλα μοι συγκαταίνεσόν τι τί; & quæ sequuntur. ita & Anthol. lib. 4. c. 10. Apud Latinos, extant non pauca, apta, inepta. sed omnia prope lasciua. Lege Scal. lib 2. Poet. c. 29. Habes Antonii Thebalde apud Toscanum,

Dic Echo quid vult, &c.

De Echus natura scripsit elegans epigramma Ausonius, cuius initium est.

Vane quid affectas faciem mihi ponere pictor, &c.

Et eiusdem 97. *Commoritur*, &c. De eadem plura extant Græca epigrammata præterea, quæ citaui.

Martialis hoc loco dicit se non scribere more Græcorum carmina, quorum extremæ voces aut geminentur, aut sonum more Echus referant, hoc est, non illicere lectorem Echicis. GRÆCVLA] per contemptum, vt Iuuen. *Græculus esuriens*, &c. GRÆCVLA autem.] Quia Græci auctores huius carminis. Dominus voculas Græcas latinis insertas versibus intelligit, sed non intelligit Martialem. lege Politianum Miscell. cap. 22. RECANTAT] reportat, remittit, reddit vocem. Et sunt valles, turres, porticus, vnde eadem vox redit quinquies aut septies. Vnde porticus Olympiæ heptaphonos. lege Plin. lib. 36. c. 15. & 2. c. 44. de causis Echus Lucretium lib. 4.

NEC DICTAT MIHI LVCVLENTVS ATTIS MOLLEM DEBILITATE GALLIAMBON.] Molle in debilitate Galliambon, habet alia scriptura, sed melius Mollem. LVCVLENTVS ATTIS] Carmen vetusti poetæ Romani Galliambicum significat, quod Attis inscribebatur. Persius Sat. 1.

Sed numeris decor est & iunctura abdita crudis,
Claudere sic versum didicit Berecynthius Attys.

Apud Catullum legimus Cæcilium quendam inchoasse illud genus carminis. Nec Attis inquit Martialis, dictat mihi Galliambicum; non scribo genus carminis molle & elumbe, vt est Attis scriptus. GALLIAMBVM] non heroo aut forti pede, sed debilitate fractum, vt Attidi, qui euiratus erat, conueniret. Est autem Galliambicus versus, vt docet Scaliger 2. Poet. facetissimus ac venustatis plenissimus versus senarius. In prima sede recipit Anapestum, quem mutat in Spondæum aliquando. Præterea etiam Creticum Proceleusmaticum. In secunda Iambum: pro quo tamen etiam anapæstus ponitur interdum. & meliore iure tribrachus. Eadem vero licentia spondæus qua & Anapæstus. quare dactylus quoq; se ingessit. In tertiam sedem haud alius fere subit, quam iambus. Quartæ & quintæ dactylus debetur, sed ita vt à quinta nunquam dimoueatur, de quarta cedat, quod mirum est etiam Iambo. Sextus & vltimus semper habet Anapæstum. Vocatur Galliambus à Iambo pede, & Gallis sacerdotibus Cybeles castratis, Seruius. Etsi possint & aliæ reddi causæ. Exemplum huius generis est apud Catullum de Aty. *Super alta vectus Atys celeritate maria*
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit.

Non puto tamen hoc carmen Catulli insinuari à Poeta nostro. Sed Galiambi pedes versusque optime exponit Muretus commentar. in Catullum, vbi adiunctum habes Galiambum ipsius Mureti in Bacchum. Præcepta sumit ex Terentiano Mauro, & Diomede. ATTIS] Attes vel Atys in recto etiam dici reperio. Attin etiam Attinos, vt Attys Attyos. Ioseph. Scaliger ad Catulli Attin. Lydus fuit, * qui sacrorum ritus, quibus coleretur Rhea, primus prodidit, & quos Phryges, Lydi, Samo-

** Phrygium alij nominant.*

Samothraces in sacris adhibebant ab Atte acceptos. Sed Lucian. & Suid. semper Attis, Catullus & Persius Atys. Macrob. in accusandi casu Attinem dicit. Qui plura de hoc desiderat, legat Pausan. in Achaicis. Diodor. Arnob. lib. 4. aduersus gentes. Strabon. lib. 12. Suid Lucian. Ouid. 4 Fast. D. August. lib. 7. de ciu. Dei. Euseb. 3. de Præparat. Euangel. Fulgentium, Gyrald. copiosiss. Syntag. 4. Nat. lib. 2. Mytholog. Ouid. Metamorph.

NON SVM CLASSICE, TAM MALVS POETA.] Vt indigeam his artificiis ad conciliandum & illiciendum lectorem, ingenio capitur sapiens lector, non huiusmodi curiosis & laboriosis nugis. QVID SI PER GRACILES VIAS PETAVRI INVITVM IVBEAS SVBIRE LADAM.] Velut dedignaretur Ladas cursor transmittere petaurum, etsi posset, ita ego, quamuis possim, Echica, Galliambica, aut Sodatica scribere nolo; nulla enim gloria in re tam vili inest, & ingens tamen labor. GRACILES VIAS.] rotam intelligo. PETAVRI.] *Petaurum*, inquit Mercurialis lib. 3. de arte Gymnast. cap. 8. *Facile perspicies machinam quandam ligneam fuisse, qua homines rotis quibusdam in aerem iactabantur, vt præter nominis id indicantis vim testatum est tum Lucilius, cum dixit: sicuti Machanici cum alte exiluere petauro.* Et Iuuen. Sat. 14.

An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quiq; solent rectum descendere funem,
Et Martial. lib. 10. *Quam rota transmisso toties * impacta petauro?* * *Intacta.*

Melius & verius Scaliger, quem infra subscribo, post Turnebum. Πέταυρον seu πέταυρον tabella est parieti affixa, ad quam se gallinæ volatu recipiunt, vt pernoctent. Mechanici vero seu petauristæ, quia saltu ad re tam illam se subiiciunt, propterea petauristæ dicti. tanto periculo se traiiciebant, vt Aristophanes Petauristam iubeat dicere χαῖρε φέγγος ἡλίου. vale iubar solis.

Petauro similem fuisse putat Mercurialis iactationem illam, quæ hodie apud puellas puerosue efficitur assere finibus quatuor ad laquearia suspenso, & ibi sedentibus pueris puellisue veluti per aerem iactatis. Quod genus oscellarum nomine veteribus significatum putat. Ælius Stilo Petauristas dici proprie Græce affirmat, quod ij πρὸς ἀέρα vel πρὸς ἀνέμους πέτωνται, siue quod ad aërem, siue ad auras volent. Formam oscellæ vel pet uri expressam habes apud Mercurialem. Idem Ludus Ægyptiis Thracibus aliisque populis vsitatus. Turnebus *Petaurus*, inquit, *tignum vel tigillum est, quod à petauristis per rotam transmittebatur et impactum: impacta ta nen rota dicitur, cui impactum idem. quanquam & petauro quoq; rota impingebatur, itaq; transmittebatur per eum: atq; id verius est. transmissione autem multa & frequenti rota laxior reddita erat: tigno autem illo & rota vtebantur, per hanc machinam saltantes & gestus dantes: sed & tignum aliquando altius suspendebant, & inde saltus ad stuporem spectantium varios dabant.* Lib. 4. c. 8. Ita, vt vides, aliter intelligit Petaurum Turnebus, aliter Mercurialis. Idem tamen Turnebus lib. 29. c. 19. *Petauristam legimus dictum, qui saltibus vel schemis leuioribus moueretur.* Vbi plane Turnebum errare in voce. schœnis, puto; Græce σχοῖνος funem significat, & petauristæ funibus de laqueari suspensis agitabantur. & quamuis recte corrigat non esse legendum scenis, nec tamen schemis credo, sed schœnis scribendum; schema schemæ ornatum vestemq; significat, nec videtur huc facere, vti nec schema schematis. Aliter videtur de Petauro loqui Manilius lib. 5.

Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem
Corpora, quæ valido saliunt excussa petauro,
Alternosq; cient motus, elatus & ille
Nunc iacet, atq; huius casu suspenditur ille.

Ad quos versus Scaliger docte. *Rota in sublimi posita à duobus versabatur. alter supernè alter inferne nitebatur. Ita fiebat, vt alternis deiecti nunc penderent, nunc et ecti sederent. Per eandem rotam etiam corpora concento saltu subiecta traiiciebant.* Martialis.

LADAM.] De Lada cursore Euro prope velociore lib. 10. plane agemus ad illum versum.

Habeas licet alterum pedem Ladæ.

TVRPE EST DIFFICILES HABERE NVGAS.] Ineptus labor est morosius laboriosiusq; tractare nugas easq; ipsas inuoluere ænigmatis, vt Cinna, cuius opus displicuit Catullo, vt doctissimus exponit Scaliger ad illum versum:

Parua mei mihi sunt cordi monumenta laboris,
At populus tumido gaudeat Antimacho.

STVLTVS LABOR EST INEPTIARVM.] Libelli, quibus multorum ioca, & sales complectebantur, olim INEPTIÆ inscribebantur. Sueton. de Caio Melisso Grammatico. Atq; vt ipse tradit, sexagesimum ætatis annum agens libellos INEPTIARVM, qui nunc iocorum inscribuntur, componere instituit, absoluitq; centum & quinquaginta. Eiusmodi scripsit & Tiro Ciceronis, à quibus ipse Tullius, vt est apud Macrobium, *scurra consularis* & appellatus.

CIRCVLIS] turbæ, plebi, vulgo semidocto & semipagano lectori. SCRIBAT CARINA PALÆMON.] Ille inuitet & eblandiatur lectorem tam vario genere carminum, Sotadico, inquam, Echico, Galliambico, mihi nihil opus his artibus. Palæmon Grammaticorum insolentissimus iactator, testis Suetonius de claris Grammaticis. *Q. Rhemmius Palæmon (vel vt alii Palamo) Vincentinus Mulieris verna, postea manu missus docuit Romæ, ac principē locum inter Grammaticos tenuit, quanquam infamis omnibus* Hic poeta intelligit.

πατηγορίας λῆμος παλαίμονος.

omnibus vitiis,palamq́; Tiber.& Claudio dicentibus nemini minus institutionem puerorum committendam,sed capiebat homines cum memoria rerum,tum facilitate sermonis,nec non etiam poemata faciebat ex tempore, scripsit & variis & vulgaribus metris. Arrogantia fuit tanta,vt M. Varronem porcum appellaret:secum & natas & morituras literas iactaret,nomen suum in Bucolicis non temere positum,sed præsagiente Virgilio,fore quandoq; omniū poetarū,poematum iudicem Palæmonē. cætera apud Sueton. Virgilii Ecl.3.Palæmon inscribitur.versus est.

Audiat hæc tantum vel qui venit,ecce,Palæmon.

Iuuenal.Sat.6. *odi* — *Hanc ego,quæ repetit voluitq́; Palæmonis artem.*

Idem Palæmon vt tradit Plinius lib.14.c.4.rus emit 600000. nummûm,hoc est, mille quingentis coronatis seu Philippæis. Alii alium censent,quam recte non video. De hoc multa Melchior Guilandinus de papyro Fanniana.

ME IVVAT RARIS AVRI.] Idem Persius Sat.1.

Quis leget hæc? min' tu istud ais nemo Hercule,nemo,
Vel duo vel nemo,turpe & miserabile,quare?

Et respondet,

——nugæ,non si quid turbida Roma
Eleuet,accedas,examenue improbum in illa
Castiges trutina,nec te quæsiueris extra.

Idem monet Horatius Sat.1.serm.

——nec,te vt miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus,an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
——stultus honorem
Sæpe dat indignis,& famæ seruit ineptus.

In Mamercum.

LXXXVIII. LXI.

Nil recitas,& vis, Mamerce,poeta videri:
Quicquid vis,esto,dummodo nil recites.

Mamercum infœlicem ait,malumque poetam.

NIL RECITAS.] Priscorum hoc erat temporum,vt poetæ recens elucubrata poemeta publice solenni quodam ritu recitarent. Sic enim Quintilianus, vt existimatur in Dialogo de Orator. *Hi enim Basso* (versus intellige) *domi nascuntur, pulchri quidem & iucundi, quorum tamen hic exitus est,vt cum toto anno omnes dies,magna noctium parte vnum librum extudit & elucubrauit, rogare vltro & ambire cogatur, vt sint,qui audire dignentur: & ne id quidem gratis; nam etiam domum mutuatur,& auditorium extruit,& subsellia conducit,& libellos dispergit,& vt beatissimus recitationem eius euentus prosequatur; omnis illa laus intra vnum aut alterum diem,velut in herba vel flore præcepta, ad nullam solidam & certam peruenit frugem, nec aut amicitiam inde refert,aut clientelam,aut mansurum in animo cuiusquam beneficium,sed clamorem vagum,& voces inanes,& gaudium volucre.* Hoc Quintilianus. Et hoc est grande & immane sophos apud Martial. Idem Iuuenal.lib.3.Sat.7. *——at si dulcedine famæ*

Succensus recites,Maculenus commodat ædes.
Ac large——&c.

QVIDQVID VIS,ESTO.] Nihil eris,etiamsi omnia iactes,si nullum dederis specimen artis tuæ. Vel alio sensu. Tam ingratus es, cum aliquid recitas,vt malim te omnia iactare,quam recitantem audire,necas enim & enecas me tua recitatione,de quibus recitatoribus Horatius in poët.

Indoctum doctumq́; fugat recitator acerbus:
Quem vero arripuit,tenet,occiditq́; legendo,
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Martialis infra lib.7.50. *Ille legat,bibe tu,nobis licet ille sonabit,*
Et cum,iam satis est, dixeris,ille leget.

Et Catullus ex oratione Sextii plena veneni & pestilentiæ lecta se tussim & morbum traxisse queritur in carmine ad fundum suum. Iuuenal. Sat.3. causam inter alias hanc egrediendæ vrbis ponit,quod cogatur Augusto mense recitantes poetas audire. Sed prior sensus placet. Nisi fortè negat Mamercum quicquam vnquam scripsisse.

Ad Quinctilianum.

XC. LXII.

Quinctiliane vagæ moderator summe iuuentæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Viuere

Viuere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam: properat viuere nemo satis.
Differat hoc- Patrios optat qui vincere censꝰ,
Atriaq; immodicis arctat imaginibus.
Me focus, & nigros non indignantia fumos
Tecta iuuant, & fons viuus, & herba rudis.
Sit mihi verna satur, sit non doctißima coniunx:
Sit nox cum somno, sit sine lite dies.

Studium vitæ & votum exponit Quintiliano suismet ingenii monumentis commendato. Sed de patria Quintiliani non secus inter scriptores certatur, quam olim de Homero Græcia contendebat. Romanum alii, Calagurritanum seu Hispanum alii prædicant. Ego pro Hispanis propugno, mecumq; Magnus Ausonius in commemoratione Professorum de T. Victore Mineruio.

Primus Burdigala columen dicere Mineruí,
Alter Rhetorica Quintiliane toga.

Et postea
Adserat vsq; licet Fabium Calagurris alumnum
Non sit Burdigala dum cathedra inferior.

Accedit & doctissimus sanctissimusque testis Hieronymus, seu potius ante Hieronymum Eusebius in Chronico. Olymp. 211. *M. Fabius Quintilianus Romam à Galba perducitur.* Et ibid. Olymp. 217. anno Domitiani VIII. *Quintilianus ex Hispania Calagurritanus primus Romæ publicam scholam aperuit, & salarium e fisco accepit.* Ipse Hieronymus aduersus Vigilantium. *Iste Campo Calagurritanus, & in peruersum propter nomen viculi mutus Quintilianus miscet aquam vino.* Cassiod. in Chron. *Siluano & Prisco Coss. Quintilianus in Hispania primus Romæ scholam publicam aperuit, & salarium è fisco accepit.* Volateranus li. 19. Antrop. c. 1. *M. Fabiũ Quintilianum ortum in Hispania constat è ciuitate Calagurritana, vt Eusebio placet. Hieronymus vero ex ea ciuitate fuisse scribit ex qua etiam tempore Theodosii Cæsaris Aur. Prudentium Clementem Christianum poetam floruisse testatur Ipse denique Quintilianus Hispanos prouinciales suos vocat, &c.* Angelus Politanus Præf. in Quintil. *M. Fab. Quintilianus ex Hispania oppido Calagurria maxime propter obsessum in eo Sertorium insigni Nerone imperante à Galba, qui & ipse deinde imperator fuit, Romam adolescens admodum perductus &c.* In sententiam properant historiographi rerum Hispanarum. Nec te moueat, quod Martialis lib. 6 ep. 62. Quintiliani non meminerit. ea tempestate libros Instit. 31. Quintilianus nondum vulgarat, quos postea demum, quam docere desierat, composuit, vt ipse testis est proœm. lib. 1. Poeta vero epigrammati proscripsit, *Scriptores vnde.* Doctor erat tum Fabius, nondum scriptor, nisi vnius forte & alterius declamationis. Alterum est quod rationis speciem habere videtur, cum ipse Fabius lib. 5. scribit à se adolescente cultum esse Domitium Afrum senem. & lib. 10. ait, sibi visum Domitium Afrum & Iulium Africanum. Afrum vero Eusebius sub Nerone refert crapula interiisse, sed Eusebius annum non assignat, & errare in anno potuit, vt in Plinio Secundo iuniore, quem cum auunculo confundit, errasse ostenditur. Quanquam idem sæpius, vt mendosus vel falsus castigatur. Aut (si locus diuinationi) potuit Fabius etiam fuisse Romæ priuatim, rediisseq; in patriam, ex qua publice à Galba postea Romam est deductus. Opinionem meam Fabii pater, cuius Romæ eloquentia constitit, confirmat. De auo nihil dico. nec disputo, auine, an patris, an nepotis, an nullius horum (quod vero propius credimus) declamationes sint, quas P. Pithæus in lucem cum Calpurnio emisit. Alii ciuem Romanum non factum sed natum aiunt, quod pater & auus Romæ habitarint; quod Auus, non nepos Calagurritanus fuerit, quod Eusebius mendosus. Mouet me tamen & veterum, & doctissimorum, & sanctissimorum virorum auctoritas, vt iudicium sustineam, ampliusque pronunciem, donec liqueat.

VAGÆ IVVENTÆ MODERATOR.] Ludimoderator, 20. annis Rhetor. docuit. Dicendi elegantia summam laudem est indeptus, nec iniuria, quis enim Reipublic. prosit amplius, quam qui Rempub. futuram in iuuentute ad omnem vitæ & morum honestatem, ingeniiq; cultura informat? Præclare Cic de Diuin. non diuinat, sed diuine respondet: *Nullum,* inquit, *munus Reipub. afferre maius, meliusq; possumus, quam si doceamus atq; erudiamus iuuentutem, iis præsertim moribus atq; temporibus, quibus ita prolapsa est vt omnium opibus refrænanda atq; coercenda sit.* Et vere ille: *Si adolescentes male morati euadunt, id primo ætatis formatoribus imputandum est.* Vagam vocat poeta iuuentutem; est enim silentii, quietis, attentionis impatiens. Extat dictum Aristotelis de magistris, & Philippi epistola ad Aristotelem. Canes, campos, ludos, iocos, ineptias, & alia omnia potius, quam modestiam, & litterarum meditationem amat. Horat. de Art. Poet.

De Quintiliano inuen. Sat. 7.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi,

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

Idem Terent. affirmat. ITA EST.

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Vt animum ad aliquod studium iungant: aut equos   *Aut canes——*

Quodq; idem in Phormione in delitos dicit senes, multo fortè rectius in adolescentes conuenit.

Quid vos (malum) me sic ludificamini
Inepti vestrâ puerili sententia?
Nolo, volo, volo, nolo: rursum cedo, cape;
Quod dictum, indictum est, quod modo erat ratum, irritum est.

SVMME] quia magister nepotum Domitiani inquit Musambertius. Sed poëta non adderet vagæ iuuentæ. Ego generatim dictum puto. summum accipio, quia parem tum non habuit.

GLORIA ROM. QVIN. TOGÆ.] Ita locutus est Ouidius. *Pelignæ gentis gloria dicor ego.* Romanæ togæ. Gens togata Virgilio dicitur: *Romanos rerum Dominos, gentemque togatam.* Quare mutari togam indigne tulit Augustus, versumq; hunc pronuntiauit apud Suetonium. *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* Addit Romana, quia etiam Gallia Cisalpina togata, vt alibi poeta. Cæterum non ideo Romanus est (vt aliqui nec quidquam contendunt) quia gloria Romanæ togæ, sed quia eloquentissimus Rhetor, & optimus dicendi artifex Romæ diu vixit, docuit, & principum nepotes instituit, Et quia ciuitatem, honores, publicum primus salarium accepit. Quid hic disputet contra me Ramiresius, à Musambertio disce.

VIVERE SIC PROP. PAVP.] Ignosce mihi sequenti disciplinam Epicuream. vita properat, propere etiam viuendum, vt ne è effugiat. Hic locus millies redit apud Martialem, & alios, & nos alibi vbertim. DIFFERAT HOC] non viuat, non indulgeat genio suo is, qui patrem suum, seu paterna bona conatur opibus superare, qui ditior patre vult euadere.

Volo. Mass.   ATRIAQ IMMOD.] In prima ædium parte maiorum imagines Romana nobilitas ponebat. Dicebantur autem ij nobiles, qui maiorum suorum habebant imagines, id est, quorum maiores magistratus curules gesserant. Noui autem erant, qui tantum sua, non maiorum habuerunt signa, quorum scilicet maiores nullos magistratus curules, ipsi autem primi gessissent. Valerius. De his loquuntur poetę. Hor. ad Pisonē. *Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis*

Atria, quid pleni numeroso consule fasti
Profuerint; si vita labat——

Iuuenal. 8.   *Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo*
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus
Maiorum, & stantes in curribus Æmilianos?

De his atriis lege Vitruuium l.6.c.4. Locum alii, vbi imagines stabant, vocant tablinum; tablinum autem, vt ait Philander, pro pinnacotheca posuit. Nam in tablino, quod Græcis γραμματοφυλάκιον, codices, & monumenta rerum in magistratu gestarum asseruabantur, in pinnacothecis autem veræ pictæ tabulæ & statuæ, vt ex Plin. lib.35.c.2. & 12. coniicere licet. At non signa, vt idem ait, externorum artificum, nec æra aut marmora apud Maiores, sed expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines, quę comitarentur gentilitia funera: semperq; defuncto aliquo totus erat familiæ eius, qui vnquam fuerat, populus. stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas, vt hodie fieri solet. Lege Alex. Neap. l.5. Gen. & Tiraq. ibid. Senecæ locum l.3 c.28. huc facientem dissimulare non possum. *Qui, inquit, imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant noti magis, quam nobiles sunt.* Et idem libro ad Polybium. *Vide omnes has imagines, quæ impleuere Cæsareum atrium, &c.* Humerorum tenus effigies erant corporum expressæ, non corporis totius, sed melioris partis, capitis inquam, & vultus. Vnde Ciceroni in Bruto, Plin. l.35. Iuuen. Sat. 8. vultus & ora dicuntur. Lipsium ad lib.1. El. c.29. Sed latissime de stemmatis Tiraq. lib. de nobilitate, quem lector opportune leget. ME FOCVS ET NIG.] me volentem & contentum modico, terrestris cœna in fuliginosa casa, cum aqua & olere pascit. VIVA AQVA] naturalis, non factus liquor, fons viuus, flumen viuum, saxum viuum, cespes viuus dicitur, cum in suo loco est naturali, in quo res quodammodo viuunt. Horatius eiusmodi sunt fere, quæ lib.1. ad Frontonem de voto suæ vitæ scribit. SIT MIHI VERNA SATVR] Verna est seruus domi nostræ natus ex ancilla, aut seruo. Dictus quod vere natus potissimum, vel vere summo, vt Festus. Verna non raro etiam libertum significat. Inscriptio. *antequam Fortunatus Augusti libertus verna.* DOCT. CONIVNX.] Iuuenali Sat. 6. vxorem non laudat nimis eruditam, nimisq; facundam.

Illa (inquit) tamen grauior, quæ cum discumbere cœpit.
Laudat Vergilium, periture ignoscit Elisæ,
Committit vates, & comparat inde Maronem,
Cedunt Grammatici, vincuntur Rhetores, omnis
Turba iacet, nec causidicus, nec præco loquuntur.
Altera nec mulier——   & mox:
Non habeat matrona——

Dicendi

Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat Enthymema, nec historicos sciat omnes.
Sed quædam ex libris & non intelligat: odi
Hanc ego ———

SIT NOX CVM SOMNO] Ita lib.1. ad Licinianum: *Non rumpat altum pallidus somnum reus, sed mane totum dormies.* lib.10.ep.47. etiam somnum inter ea numerat, quæ faciunt beatiorem vitam, sed tamen, qui faciat breues tenebras. SIT SINE LITE DIES] Lib.10. loco dicto. *Lis nunquam, toga rara, mens quieta,* &c. Lis autem frequentius inter coniuges, Mart. lib.8.ep.35.

Cùm sitis similes paresq; vita,
Vxor pessima, pessimus maritus
Miror non bene conuenire vobis.

Iuuenal. Sat.6. *Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus.*

Possunt referri etiam ad contentiones forenses. vt lib.5.cap.21.

Nec lites tetricas, forumq; triste
Nossemus.

Ad Cæsarem Domitianum.

LXIII.

XCI.

Rerum certa salus, terrarum gloria, Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse Deos:
Si festinatis toties tibi lecta libellis
Detinuere oculos carmina nostra tuos:
Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar vt esse trium.
Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

Petit à Domitiano ius trium liberorum. RERVM CERTA SALVS] Saluo etiam Cæsare omnia salua; Seneca Consol. ad Polyb. *Fas tibi non est saluo Cæsare de fortuna queri, hoc incolumi, salui tibi sunt tui:* & quæ sequuntur. SOSPITE QVO MA. CRED. ES. DEOS] sic solutus est lib.5. *Sospite quo gratum credimus esse Iouem.* & lib.7. ep.59. *Quem saluo duce credimus tonantem.* Hoc dicit. Te sospite, sospites & magnos credimus Deos. Nam Domitianus suis magnificis ædibus suspiciendos, ac templis illos magnos fecit. Ex ædium enim magnificentia Dominus, & incola cognoscitur. Vel te sospite credimus esse magnos Deos, qui alioquin nisi tu Capitolium dedisses, & instaurasses, vel omnino interiissent, vel certè non magni habiti essent. Cùm enim Dij impiorum simulacra, & saxa essent, illis perditis perdebant quodammodo deos suos; Quod Cicero Oratione prima in Verrem dicit: *Sese* (Siculos intelligit) *iam ne Deos quidem in suis vrbibus, ad quos confugerent, habere: quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset.* Lactantium lib.2.cap.4. lege. Vel te sospite magnos credimus esse Deos, vt quorum prudentia orbi certa declaratur, cùm te seruant incolumem, quo pereunte orbis periret, tu enim certa salus rerum. Magnos, alij gratos, propitios, beneuolos, vt qui à Domitiano auctos honores, ædes & beneficia acceperint, & accipiant. Itaque te saluo semper nouis honoribus mactentur. Ram. legit manos, qui meritò vapulat à Musamb. lib.1. ep.13. Ex tua ergo sospitate credimus, & magnos Deos, & rerum humanarum curam suscipere, vt supra lib.1. de Regulo. *Stantia non poterant tecta probare Deos.*

Quis curam neget esse te Deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

Plura vide ad lib.3. ep.1.

SI FESTINATIS TOTIES] Quæ vsitata poëtarum malorum excusatio. Si carmina festinata, properata, ac prope ex tempore fusa toties legisti. Vel, si festinatis libellis, celeriter legendo decursis, eosdem iterum ac tertio reuoluisti. hoc est, vt συντόμως dicam. si tibi placuerunt epigrammata mea toties à te lecta, quod signum est placuisse, nam quæ displicent, vix semel lecta excutiuntur. QVOD FORTVNA VETAT] Præmij loco peto ius trium liberorum. nam, vt essem reipsa, natura negauit, & si sum maritus, tamen ἄπαις, & orbus sum. Ius trium liberorum (quod Iuuenal. *Ius parentum*, & Cornelius Tacitus, *priuilegia parentum.* Tertullianus *authoritatem liberorum appellat*) habebat is, qui trigeminam aut copiosiorem prolem ex matrimonio legitimo suscepisset. aut qui à Cæsare eodem iure donatus esset, etiamsi nullam haberet, aut habiturus videretur. Ius autem patrum, seu parentum, ac maritorum, & sponsorum, qui ternos aut plures habebant filios, in præmiis cernebatur, quæ duplicia, honoris & vtilitatis. In spectaculis enim honestior, & separatus locus assignabatur.

batur. Præcesserunt in petitione magistratus, & in fascibus ipsis. In sorte prouinciarum, easque diutius obtinebant proletarij. In honoribus petendis gratia fiebat annorum propter liberos, vt faciliùs quam alij accederent. Qui plures habet liberos, a cura, tutela, cæterisque muneribus personalibus immunis est. Damnatorum liberi plures assem accipiebant. Cùm populo viritim aliquid diuidebatur, patres triplicem accipiebant portionem, pro tribus liberis alendis, quando cœlebs tantum simplicem. Hoc ius primo natum ex trigeminis Horatiis, qui populo Rom. imperium pepetere. Propagatum lege Papia & Iulia. Durauit ad Seueri Imperatoris æuum, qui imminuit aliquam multam partem. Postera omnino ferè dilapsa, cùm Constantinus Magnus pœnas cœlibatus tolleret. τὴν παρθενίαν, καὶ ἀπαιδίαν διὰ τὸν θεὸν ἀσκοῦντας. Dabatur primùm à Regibus, deinde senatu, postremò imperatoribus, patribus & parentibus, qui trinam aut vberiorem habebant prolem, deinde militibus, qui militiæ caussa operam dare liberis non poterant. Præterea quibus non voluntas, sed natura liberos ex matrimonio negasset nec tamen omnibus, sed quid ostius & precibus à principe impetrassent. Ex quo genere fuit Martialis, & Plinius ac alij. Postremò fœminis etiam & matronis. Auctores huius doctrinæ inuenies Dionys. Halicarnass. Appianum, A. Gellium, Dionem, Suetonium, Tertullianum, Iuuenalem, Plinium, Vlpianum, Paulum, Sozomenum, Tacitum Liuium. Ex recentioribus Alexand. Neapol. Tiraquel. Cuiacium, Franciscum Duarenum lib. disp. cap. 40. & præter alios accuratissimum Lipsium, ad tertium Taciti Annalem. vbi pleraque habes ex priscis testimonia. Addam perspicuitatis caussa pauca ex Brissonio. Liberorum ius, commodum significat, quod susceptis ex iusto matrimonio liberis, patres, matresue consequuntur, lib.1. & Rubr. C. de iure liberor. & apud Vlp. Tit.17. Regul. Paul. lib.4. Sentent. Tit.9. & D. August. lib.3. contra Iulianum. Isidor. lib.5. Origin. cap.24. Ius liberorum est coniugum sine Liberis, inuicem pro loco pignorum, hereditatis alterna conscriptio. Huiusmodi autem ius liberorum, & ad Legis Iuliæ Papiæ Popeæ præmia, solidumque ex Testamento capiendum; & ad legitimam, quæ matribus ex Sc. Tertylliano deferebatur, hæreditatem, proficiebat. Itaque circa hoc ius duplex est inspectio. Inprimis autem sciendum, virum atq; vxorem inter se nudo matrimonij nomine, decimam duntaxat capere potuisse. At sublatis Liberis, vno, pluribusue, plus capere poterant, quemadmodum Vlpian. Tit.17. Regular. exponit. Sed nec ex cuiusquam testamento Cœlibes & Orbi capere poterant, vt patet ex l.1. C. de infirman. pœn. celib. Proinde qui vel cœlibem vitam agebant, vel parum felix matrimonium experti erant, ac denique qui liberos nullos sustulerant, vt iudicia amicorum pleno omnium reti possent, ius Liberorum à principe impetrabant, vt eorum bonitas illis indulgeret, quod fortunæ malignitas denegauerat. Vlpian. Tit.17. Regular. Vir & vxor inter se solidum capere possunt, si ius Liberorum à princip. impetrauerint. Atque hoc ius Liberorum Iuuenalis Sat.3. Iura parentis vocat. Martialis eodem loquendi genere, Iura paterna, Epigr.93. lib.3. item Epig.15. lib.8. quo loco eleganter deridet eum qui cum vxorem duxisset, à Cæsare importunè ius hoc quo de agimus flagitaret quod ipsemet sibi, absque principali beneficio, quærere parareque liberis operam dando, poterat.

Cæterum non ius modò Liberorum, verùm etiam nominatim ius trium Liberorum, quod plenius erat, latiusque patebat à principibus peti solebat: cuius fit mentio in lib.5. de legit. hered. in Cod. Th. Atque ita ius trium Liberorum, & sibi Plinium, & Suetonio Tranquillo, à Traiano impetrasse, ex eius epist.2. & epist.95. lib.10. liquet. Indultum etiam id sibi à Domitiano prædicat Martialis ep.91. & 92. lib.2. Ad eos autem locos quos de iure trium Liberorum accuratè congessit Francisc. Duarenus, cap.40. lib. Disput. auctarij loco adiicio Statij lib.4. Syluar. ad Iul. Menecrat. versus,

> *Ergo, quòd Ausoniæ pater augustissimus Vrbis,*
> *Ius tibi tergeminæ dederat letabile prolis*
> *Omen erat: venit toties Lucina: piumq;*
> *Intrauit repetita larem.*

Agell. lib.4. cap.17. Memini ego Romæ quæsitum, negotio non rei tunc paruæ postulante, an 8. Mense infans ex vtero viuus editus, & statim mortuus, ius trium Liberorum impleuisset. Matres autem, hoc trium Liberorum iure, ad Legitimam filiorum intestatorum mortuorum hæreditatem, ex Sc. Tertylian. admittebantur, quemadmodum Paulus lib.4. Sentent. Tit.9. Iustinianus Instit. de Sc. Tertyl. scribunt. Vt verò ius hoc Liberorum consecutæ viderentur, ter peperisse eas sufficiebat, dummodo viuos & pleni temporis peperissent, vt idem Paul. ibid. tradit. Et hoc ita in ingenuis matribus seruabatur. Latinam verò liberam, si ius Quiritium consecuta esset, quater peperisse necesse erat, vt ius Liberorum consequi posset. Enimuerò non superstites tantùm, sed & amissi filij, matribus proderant. Quin etiam, absque vllo partu, matres quæ neque Liberos habebant, neque vnquam habuerant, ius hoc trium Liberorum beneficio principis adipiscebantur, quorum omnium auctorem laudo Paulum eo quem supra citaui loco.

QVOD FORTVNA VETAT FIERI] Fortuna, an natura? natura censeo, sed ipsa in fortuna putabatur. Vt enim fortunæ credebatur nasci ex nobilibus, ex opulentis, clarisque maioribus, aut obscuris, tenuibus, seruis, nobilem aut formosum. Ita omnino fœcundúmue sterilemue esse eidem assignabatur fortunæ. Ἄπαις ergo Martiali naturâ fuit; nam vxorem habuisse constat lib.12. ad Mar-

ad Marcellam vxorem, ep. 31. Et hoc lib. sequens. PERMITTE VIDERI] Da ius trium liberorum, perinde ac si haberem tres liberos. Sic exponit, cùm subiungit. NATORVM GENITOR CREDAR VT ESSE TRIVM] Impetrauit hoc poëta à Tito & Domitiano. epig. sequente, & lib. 3. 93. HÆC SI DISPLICVI] Dilemmate vrget Imperatorem, seu placui, seu displicui, impetrare debeo, quod peto, si displicui, vt sit mihi solatij, ne ad finem abeam, si placui, vt sit laborum præmium. Sed respondere pot. iat Imperator. Imo nihil iuris impetrabis. Nam si displicuisti, præmio dignus non es, si placuisti, satis habes solatij. Etenim vt tute scribis: *Principibus placuisse viris non infima laus est.* Et præmia poëtarum sunt hederæ, laudes, acclamationes, &c.

In certami-nib. dabantur quandoque etiã victis dona, quæ solatia appellabantur. Virgil. 5. AEn. Ensem atq; insignem galeam solatia victo. Sic Dio παραμυθία, Liuia Drusi matri. extincto Druso ius trium liberorum datũ. Dio l. 55 Hœraldus.

Ad Vxorem.

LXIV. XCII.

Natorum mihi ius trium roganti
Musarum pretium dedit mearum,
Solus qui poterat, VALEBIS VXOR.
Non debet domino perire munus.

Placuisse carmina principi dicit, eoque præmium accepisse ius trium liberorum. SOLVS QVI POTERAT] Nam solus Cæsar dabat hoc ius trium liberorum. Plin. lib. 2. epistolarum. *Nuper ab optimo principe* (Traiano) *trium liberorum ei* (Voconio nempe) *ius impetraui: quod quanquam parcè, & cum delectu daret, mihi tamen, tanquam eligeret, indulsit.* Martialis ab vtroque Cæsare illud extorsit, vt ipse de se.

Præmia laudato tribuit mihi Cæsar vterque,
Natorumq; dedit iura paterna trium.

Et Plinius pro seipso, lib. 10. epist. *Exprimere Domine verbis non possum, quantum mihi gaudium attulerit, quod me dignum putasti iure trium liberorum.* Ex quo intelliges pro singulari munere claros tantùm viros id honoris, & præmij consecutos esse. --- VALEBIS VXOR. NON DEBET DOMINO PER. MVN.] Nihil mihi tecum negotij vxor, non procreabo liberos, quos alam, periret enim munus Principis si liberos alendos susciperem; quia quod nunc gratis est datum, paterna lege deberetur, nec munus esset amplius. Repudiabo igitur te; repudij enim formulas, *valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.* Plautus Amphitr. Quæ tamen fraus esset. Et sanè fraudem infuisse huic mori testatur. Tacitus lib. 15. Annali plerosque orbos fictis adoptionibus adsciuisse filios, vt ius trium liberorum haberent; adepti verò ius manu emittebant, quos adoptarunt. Quam fraudem etiam olim in Repub. adhibebant, vt Scipionis verba testantur. *In alia,* inquit, *tribu patrem, in alia filium suffragium ferre.*

Ad Regulum.

LXV. XCIII.

Primus vbi est, inquis, cùm sit liber iste secundus?
Quid faciam, si plus ille pudoris habet?
Tu tamen hunc fieri, si mauis, Regule, primum;
Vnum de titulo tollere iota potes.

Ex hoc versu conijcis primum librum, itemque spectaculorum secretim additos esse. Ob Titum, credo, in quem pleraque (pleraque, inquam, non omnia) conueniunt. Miscuit quædam vel potius addidit postea nomen Domitiani, & sæpè non addidit, sed Cæsarem tantùm scripsit, vt scire Lector non posset, vtrum intellexerit, Titum an Domitianum, ac Titum quidem nunquam posuit expresso nomine, quod libros in morte editos, vel certè correctos putem, & ob eam caussam sequentibus non adiunctum priorem. Et fortè is pudor est, quem insinuat, quod quæ scripserat in Titum, postea videretur tribuere Domitiano, qui sibi omnia patris & fratris opera arrogabat. Alij etiam ad Traianum referunt.

Domitius exponit hoc verbi aliter. Plus, inquit, pudoris habet, quia, non venit in lucem, & erubuit in lucem. Atqui profectò venerat, sed serius. Ad verecundiam carminum referri non potest; ea enim caussa non premebat, sed promouebat. Alij illud, plus pudoris habet, interpretantur, plus turpitudinis, cuius pudebat poëtam, eaque gratia non audebat hunc ad Regulum poëta; Ramiresius etiam Lucretiæ mitteret.

TV TAMEN HVNC FIERI] Cur non coniunxerim primum cum secundo, audisti. Si tu tamen putas hunc secundum primum esse faciendum, dele alterum iota, nam duo II. alterum librum significant. I. primum. III. tertium.

Non dubito, quia sint & in hoc non pauca libello
Barbara, non hominis culpa, sed ista loci est.

Et lib.3. El.1.
Siqua videbuntur casu non dicta latinè,
In qua scribebat, barbara terra fuit.

VERNA LIBER] domi, id est, in vrbe, in qua velut domi habito. De Vernis lib.1. dictum.

Ad librum suum.

II.

Cuius vis fieri, libelle, munus?
Festina tibi vindicem pararare,
Ne nigram citò raptus in culinam,
Cordyllas madida tegas papyro,
Vel turis piperisq; sis cucullus.
Faustini fugis in sinum? sapisti.
Cedro nunc licet ambules perunctus,
Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris vmbilicis,
Et te purpura delicata velet,
Et cocco rubeat superbus index;
Illo vindice nec Probum timeto.

CVIVS VIS FIERI, LIBELLE, MVNVS?] Dedicat Faustino librum hunc tertium. CVIVS]

Ita cœpit Catullus.
Cui dono lepidum nouum libellum?

Et Ausonius.
At nos illepidum, rudem libellum
Credemus gremio cui fouendum?

FESTINA TIBI VINDICEM PARARE] Vindex vt lib.1. docuimus, est nomen iuris 12. tab. ASSIDVO VINDEX ASSIDVVS ESTO. PROLETARIO CIVI, QVIVIS VOLET, VINDEX ESTO. Cic. Top. A. Gell. lib.16. c.10. Vindices ciuitatum dicuntur in l.1. C. Theod. *Si quacunque*, &c. iidem qui defensores. Ita ferè hoc loco accipitur pro patrono, defensore & assertore. Etsi prior significatio legis non abludat. NE NIGRAM CITO RAPTVS IN CVLINAM] Quære, inquit, tibi patronum, ne fias toga Cordyllis, vt lib.13. ep.1. loquitur; hoc est, ne abiectus cocis seruias, ad tegendas Cordyllas, pisces, aut cucullus piperis fias. Cordyllæ, vt Plinius lib.9. c.15. & lib.23. c.11. sunt partus thunnorum, Græcis πηλαμύδες, pelamydes, quas Plinius limosas, Gaza limorias à limo vertunt, & annuæ fiunt thinni. Athenæus de pelamidibus lib.3. c.19. Cordyllas appellat, vel corylas, vel corydales, si tamen eæ sunt, quas Aristoteles terra marique viuere docet, & soli expositas interire. Lege quæ diximus lib.13. ep.1. NIGRAM] fuliginosam. VEL TVRIS PIPERISQVE] Persius Sat.1.

Vindex, defensor, patronus, assertor.

Cordyllæ pisciculi & partus thunnorum.

Pelamides.

Limosa.

Limorica.

Linquere nec scombros metuentia carmina, nec tus.

Horat. ep.1. lib.2.
Deferat in vicum vendentem tus & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

Martialis.
Et laxas scombris sæpè dabis tunicas,

Catullus.
Nec scombris tunicas dabis molestas.

Athenæus de Anaxandride, ὅτι γὰρ νικῶν, λαμβάνων ἔδωκεν εἰς τὸ λιβανωτὸν κατατεμῶν. Scal. ad Catull. Cucullus à vestis forma dictus est, qualem in palliis Hispanicis, vel bardocucullis videmus. Nobis ein Scharnützel / cum chartæ inuoluitur, sic vt conum inuersum exprimat. Pharmacopolis res vsitata, cum aromata inuoluunt aut vendunt. Carmina infœlicia hunc sortiebantur finem, vt ad culinam, & cucullos damnarentur. FAVSTINI FVGIS IN SINVM] Potentis & docti amici patrocinium expetis, illi vis dicari & sacrari? Ad hunc Faustinum plura extant lib.1. ep.26.

Cucullus, Scharnützel.

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus.

Et aliis locis. CEDRO NVNC LICET AMBVLES PERVNCTVS] Nunc inuento tali Mœcenate Faustino, potes imbui cedro, nihil iuris habebunt scombri, nihil tineæ in te. Cedrus hic synecdochicωs materia pro forma ponitur. Oleo expresso de Cedro, siue cedrino oleo libri tingebantur, ne tineis esca, & ludibrium essent. Cedrus autem nobilissima arbor est, eaque duplex maior & minor: maiorem descriptam habes apud Dioscoridem lib.1. cap.89. Minorem verò apud Galenum,

Oleum cedrinum, seu cedria.

Vis cedriæ. Theophrastum, Plinium, Dioscoridem & alios. Vires cedriæ, seu olei inde expressi ibidem describuntur, mortua corpora conseruant, viua putrefaciunt, vermes tineasque necant. Arbor ipsa cariem & vetustatem nescit. Deorum simulachra, inde olim facta. Virgil. 7. Æneid. *Quin etiam antiqui, &c.*

Cedrinas tabulas olim secabant, in quibus carmina reseruabant veteres, vt perennarent. hoc oleo inunctos Numæ Pompilij libros, cùm reperti essent post annum quingentesimum trigesimum quintum, quàm conditi erant (vt refert Plinius lib. 13. cap. 5. & lib. 16. cap. 39.) Cassius Hemina de libris chartaceis Numæ cedratis, hisce verbis scribit. *Et libros cedratos fuisse: propterea arbitror tineas non tetigisse.* Plinius lib. 13. cap. 13. De vnguinis cedrini viribus Herodotus lib. 2. Cedrus vocatur τῶν νεκρῶν ζωή. De more librorum cedro illinendorum Horatius.

——speramus carmina fingi
Posse linenda cedro.

Ouid. lib. 1. Trist. Eleg. 1.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Persius. *——an erit, qui velle recuset*
Os populi meruisse, & cedro d gna locutus.

Ausonius ad libellum.

Huius in arbitrio est, seu te iuuenescere cedro,
Seu iubeat duris vermibus esse cibum.

Succus autem ille cedrinus erat flauus, vt docet Ouid. 3. Trist. Eleg. 1.

Quòd neq; sum cedro flauus.

Inde natum vetus verbum; digna cedro, id est, immortalitate. ET FRONTIS GEMINO DECENS HONORE] Frontes librorum pumice poliebantur, vt leues planæq; fierent. Ouid. 1. Trist. 1.

Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes,
Hirsutus sparsis vt videare comis.

Et lib. 3. Eleg. 1. *Quòd neq; sum cedro flauus, nec pumice leuis.*

Catullus. *Arida modò pumice expolitum.*

Ep. 22. *Noui vmbilici lora rubra membrana*
Directa plumbo & pumice omnia aquata.

Frontes autem librorum, non oræ librorum quæ sunt tres, frontes autem duæ sunt latæ, & planæ, hoc est, ipsæ tabulæ pellibus obductæ & pumice tritæ, sic & Muretus exponit ad primum epigramma Catulli. Sed fortè hic idem insinuat, quod Ouidius, cùm dicit.

Candida nec nigra cornua fronte geris.

Obserua tamen in libris antiquis continuam fuisse chartam, aut membranam, quæ inuoluebatur instar teretis bacilli, primamque partem dici frontem & extremam, quæ & vmbilicis ornabatur, vt sequitur.

PICTIS LVXVRIERIS VMBILICIS] Vmbilicus est bacillus extremæ paginæ adglutinatus, circum quem charta vel membrana voluebatur, cuius extremæ partes ornabantur, auro, argento, vel gemmis, de quibus copiosè lib. 1. ep. 67. ad illa verba: *Nec vmbilicis cultus.*

ET TE PVRPVRA] Ouid. 1. Trist. El. 1.

Nec te purpureo velent vaccinia fucco.

Et Martialis lib. 5. cap. 6.

Quæ Cedro decorata purpuraque.

Et: *Vltro purpureum petet libellum.*

Et lib. 8. ep. 72. *Nondum murice cultus asperoq;*
Morsu pumicis aridi expolitus.

Dubito de purpureo panno, fueritne verè purpura, an succo purpureo tinctæ pelles. Catullus lora rubra vocat, quibus, inquiunt interpretes, velabant libros. Sed quomodo loris velabant? ligabant & claudebant mallem dicerent. Lora enim vincula librorum intelligo. Sed pronuncio extimam faciem seu frontem fuisse purpureo colore, vel crocco tinctam; nam Tibullus de membrana loquitur, eaque vel purpurea, vel lutea, seu crocea.

Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum.

ET COCCO RVBEAT] Ouidius.

* minium. *Nec titulus * minio, nec cedro charta notetur.*

Κόκκος græcè granum est rubrum colorem continens, vt & minium erat rubrum. De cocco suprà diximus. ILLO VINDICE NEC PROBVM TIMETO] Faustino patrono te vindicante ab aliorum calumniis, ne Probum quidem Grammaticum, & Criticum iudicium timeto. Probus Berytius, vt Suetonius lib. de Grammaticis refert. *diu centuriatum petiit, donec tadio ad studia se contulit, & emendationi librorum potissimam operam dedit: nunquam sic publicè docuit, vt Magistri personam sustineret.* hic pro acerrimo castigatore ponitur. Cætera lege apud Tranquillum, & Casaubonum ad eundem. Ramiresius cum probro mutat Probum in probrum: Mus. ad hunc locum.

Ad

Ad librum suum.

III. IV.

Romam vade, liber. si, veneris vnde, requiret;
Æmiliæ dices de regione viæ.
Si quibus in terris, qua simus in vrbe, rogabit:
Corneli referas me licet esse foro.
*Cur absim, * quæret breuiter, tu multa fatere.*
Non poterat vanæ tædia ferre togæ.
Si, quando veniet, dicet: responde, poëta
Exierat, veniet, cum citharœdus erit.

** al. quæret, breuiter tu multa. al. absim quæret breuiter. al. Cur absim quæret, breuiter tu, multa, fatere, ita vt multa ad tædia seq. versus referatur.*

ROMAM VADE, LIBER] Quò & cur abierit Roma, quando rediturus sit, docet. REQVIRET] Lector aliquis, aut ipsa Roma. ÆMILIÆ DICES DE REGIONE VIÆ] Viâ Æmiliâ Bononiam & Immolam, seu ad forum Cornelij itur. Æmilia eadem est, quæ Lombardiacis Padum. Hanc viam Marlianus lib. 7. cap. 13. ita nobis sternit. Æmilia, inquit, *via à Lepido Flaminij collega strata, vt quorundam est opinio, ab Æmilia regione Bononiam vsque: cuius vestigia multis in locis cernuntur.* Fuerunt autem Æmiliæ duæ, altera, quæ Flaminiam excipiebat; altera quam strauit Scaurus per Pisas & Lunam, & Sabatis vsque. De prima hic non agitur. Lepidus is fuit, vt Panuinius docet ex Strabone. M. Æmilij, M. filius Pontifex Maximus, iterum Consul, Censor, & princeps senatus sexies lectus. SI, QVIBVS IN TERRIS, QVA SIMVS IN VRBE, ROGABIT] Degimus in foro Cornelij à Sylla dicto, id est, Immolæ Galliæ togatæ vrbe, vt Ptolomæus, & suprà noster Poëta,

Via Æmiliana descriptio.

Gallia Romana nomine dicta toga.

Mutauit nomen posteris temporibus, vt Blondus his verbis tradit: *Intus ad Vatreni dextram in via Flaminia est Immolæ forum Cornelij priscis appellatum, ad quod erat Æmiliæ viæ initium. Ea ciuitas à Narsetis militibus, sicut in historiis diximus diruta, & breui post à Clephi immanissimo Longobardorum rege sub nouo hoc Immolæ nomine, vt Rauennatibus fidem Pop. Romano seruantibus opponeretur, ædificata est*: S. Cassiani purpurata sanguine. CVR ABSIM, QVÆRET BREVITER, TV MVLTA FATERE] Multa quæ non audeo pro loqui. proloqui tamen. otia vrbis, & mores togatorum ferre non poteram. sic lib. 1. beatos prædicat, qui procul ab vrbe in suis prædiis, & villis rusticari possunt, epig. 50. & 56. Iuuenal. Sat. 2.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt.

Et Sat. 3.

Quamuis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quòd sedem figere Cumis, &c.

Et mox:

——quando artibus, inquit, honestis
Nullus in vrbe locus, nulla emolumenta laborum.

Et:

——cedamus patria, &c.
Si malus est, nequeo laudare, &c.

Hoc totum carmen planè expressum ex hac tertia Satyra videtur. de varia interpunctione huius carminis, Cur absim, lege Mus. in Ram. SI, QVANDO VENIET, DICET; RESPONDE,] Indignè fero quorundam huius loci castigationem, qui ferulæ rursus submittendi, & castigandi essent pro tali castigatione. (respon de, poëta) vitium in isto carmini putant, ex lege Grammaticorum, qui Grammaticam non sciunt. Emendant igitur, TV RESPONDETO] Non vides animam, & vitam sequenti carmini euitari? non intelligis deesse, quod respondeat cytharœdo, vt ostendat se alium exiisse, alium rediturum? Qualis exiit? poëta. Qualis redibit? cytharœdus. Causam mox apponam. Nunc versum defendamus. RESPONDE POETA] Hæc omnino seruanda lectio. sic & Manilius tertio ordine respondere priscorum more dixit lib. 5. Astron. Monet idem Ioseph. Scalig. ad illum locum. POETA EXIERAT] vidit enim poëtis nullum in vrbe locum, vt Iuuenalis Sat. 3. confirmat. VENIET, CVM CYTHARŒDVS ERIT] Nunc enim in vrbe dominantur cytharœdi, omniaque possunt: spernitur hic vates bonus, & citharœdus amatur. Iuuenalis Sat. 3.

Castiganda quorundam castigatio.

Quæ nunc diuitibus gens acceptissima nostris,
Et quos præcipuè fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obstabit. Nec possum ferre, Quirites,
Græcam vrbem, quamuis quota portio fæcis Achææ?
Iampridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas

Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit.

Ergo, inquit Poëta, vbi citharam tendere didicero, redibo in vrbem, tum spero me numero aliquo fore. Et Nero ipse citharœdum egit. Et Vespasianus, vt Suetonius cap.19. refert, quadragena sestertia, quibus minimum, dedit. Terpnus & Diodorus erant in hoc numero, noster de eisdem citharœdis infrà lib.5. ep.57.

Ad eundem.

IV.

Vis commendari sine me cursurus in vrbem,
Parue liber, multis? an satis vnus erit?
Vnus erit, mihi crede, satis, cui non eris hospes,
Julius assiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc adeas, primiq; in limine tecti,
(Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille lares)
Est illi coniunx, quæ te manibusq; sinuq;
Excipiet, vel si pulueruleutus eas.
Hos tu seu pariter, siue hanc, illúmue priorem
Videris, hoc dices, Marcus auere iubet.
Hoc satis est. alios commendat epistola. peccat,
Qui commendandum se putat ipse * suis.

* sibi.

VIS COMMENDARI] commendat Iulio librum suum, prosopopœia ad librum. cui vis commendari, multis, an vni? propemodum expressit Ouidij versum.

Parue, nec inuideo, sine me liber, ibis in vrbem.

VNVS ERIT, MIHI CREDE, SATIS] Vnus tibi præ cunctis erit Iulius, quem semper in ore fero, & ipse me, qui te familiariter nouit, cui non es hospes & ignotu.. IVLIVS] de quo lib.1. ep.16.

Bis iam pænè tibi consul trigesimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.

PROTINVS HVNC ADEAS] Iulius Cerealis ad Vipsanas lauros habitabat, vt lib. de laureto diximus. *At mea Vipsanas spectant cœnacula lauros.*

Daphnis idem est, quod laurus: græca vox. Martialis priorem domus Dominum Daphnidem appellatum ait, quod ex occasione laureti illius, factum putat Domitius. Et hic Ramiresius & Musambertius iniqui in me: Alter dicit me sequi Domitium, quod exertè vanum & falsum: Alter nescit quid in me reprehendat, cum ego ex Lipsio idem docuerim de atrio. Sed vt res lectori pateat, quam breuius attigi, accipe verba Musambertij: *Recta, inquit, adi Iulium Cerealem, cumq; saluta in primis limine tecti, hoc est, in ipso atrio, vt si diceret. Nil opus tibi captare secretum, in atrio ipso, qua prima pars ædium, & limini proxima est, inter salutatorum & clientium officia eum adire poteris. Nulla enim mora interposita recipiet te & leget. Ne autem sis nescius vbi habeat, domum incolit eam, quæ Daphnidis olim fuit, &c. Daphnidis forte illius, cuius balneum reg.4. apud Sextum Rufum & P.Victorem in vrbis topographia.* At ego apud P.Victorem 4. reg. vrbis etiam Balineum Daphnidis reperio. Sunt qui Daphnidem Virgilianum Ecl.4 interpretentur, sed faciant id nulla auctoritate vel testimonio adiuti. Præsertim cum alij Iulium Cæsarem, alij Quintilium poëtam, alij fratrem Virgilij Eclogarium, alij denique Quintil. Varum qui periit cum tribus legionibus in Germ. intelligant. [QVOS TENVIT DAPHNIS, NVNC TENET ILLE LARES] sic me docet in notis Lipsius distinguendum, vbi causam docet idem 1. Elect.cap.17. de matronis in atrio opus facientibus.

VEL SI PVLVERVLENTVS EAS] Iulij vxor te statim ac viderit, arripiet, legetque, etiam puluere nondum absterso de via. MANIBVSQVE SINVQVE] gratissimum fore librum ostendit, chara enim sinu excipimus, gestamus, condimus. HOS TV SEV PARITER] In quemcunq; prius incideris seu virum, seu vxorem, saluta. AVERE] formula in congressu exprimitur. Aue enim seu Haue dicebant salutantes. Exempla nimis multa suppeditabit ex variis scriptoribus Brissonius lib 8. p.743. HOC SATIS EST, ALIOS COMMENDAT EPISTOLA] Venusta gnome epigrammatis. Vt nemo seipsum sibi, ita nèc amico vero, qui alter ipse est, commendat. Accurius tamen si legas pro suis sibi, vti in casca scheda se legisse testatur Parthius l.6.ep.9. qui similem ex Plinio minore locum adducit: Commendas mihi Iulium Nasonem candidatum; Nasonem mihi? quid si meipsum? Fero tamen & ignosco, eundem enim commendassem tibi, si te Romæ morante ipse abfuissem.

Ad

Ad Marcellinum.

V. VI.

Lux tibi post idus numeratur tertia Maias,
Marcelline tuis bis celebranda sacris.
Imputat ætherios ortus hæc prima parenti:
Libat florentes hæc tibi prima genas.
Magna licet dederit iucundæ munera vitæ,
Plus nunquam patri præstitit illa dies.*

* *vlla.*

Assentatur Egnatio Marcellino ob patris natalem, & resectam barbam. LVX TIBI] 16. Calendas Iunij Marcellinus patris sui natalem, & primæ lanuginis suæ depositæ celebritatem festa ceremonia sacrisq; solennibus agitabat. BIS CELEBRANDA] propter natalem patris, & barbæ primitias. IMPVTAT ÆTHERIOS ORTVS] Hæc lux imputat, signat natalem cœlestem patris tui. ÆTHERIOS] quia in clarum æthera, hoc est, diem & lumen prodiit. Vel ÆTHERIOS] cum sidere felici editus est, & hæc prima sacrorum causa. Imputat autem tanquam beneficium datum, quo vsu loquitur poeta sæpius infrà, itemque Seneca Plinius, Tacitus, alij. LIBAT FLORENTES] altera est, quòd hoc die primam barbæ lanuginem resecuisti, cuius memoria erat sempiterna apud Romanos. Ouid. 4. Trist. eleg. 10.

Carmina cùm primùm populo iuuenilia legi,
Barba resecta mihi bisue semelue fuit. Iuuenal. Sat. 5.

Principes eo die magnificentissimos ludos celebrabant. Dio in Nerone: *Post hæc celebrauit festa alterius generis, quæ dicuntur iuuenalia: ea propter barbam eius, quæ tum primùm rasa fuerat, facta sunt: cuius pilos in sphæram auream coniectos Ioui Capitolino consecrauit.* Et Suet. in Nerone cap. 12. *Gymnico quod in septis edebat, inter buthysia* (sacrificij solennis ἀπὸ τοῦ βοῦς βοὸς καὶ θύω) *apparatum, barbam primam posuit, conditamq; in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio consecrauit.* De crinibus eodem modo Diis votis agemus lib. 9. ep. 17. Hæc de barba tantùm primigenia. Lege Alexand. Neapol. lib. 5. cap. 18. Lipsium ad Tac. pag. 374. & seq. multò exactius disserentem. MAGNA LICET DEDERIT] Quod dies natalis patri dederit vitam munus est ingens, sed maius, quod eadem illi filium virum: Viri enim appellabantur à barba resecta. Martialis lib. 1. ep. 88.

Iuuenilia dies barbæ primùm resectæ.

——tonsum fac citò, serò virum.

PLVS NVNQVAM] Ad vtrumque potest referri, natalem & barbam. prius tantùm patri vitæ dulcem memoriam, nunc etiam filium virum dedit. Placet Gerardi Gontij lectio *vlla* nulla dies præstitit plus boni Marcellino quam hæc.

De Sportula.

VI. VII.

Centum miselli iam valete quadrantes,
Ante ambulonis congiarium lassi,
Quos diuidebat balneator elixus.
Quid cogitatis ô fames amicorum?
Regis superbi Sportulæ recesserunt.
Nihil stropharum est: iam salarium dandum est.

Lautiores potentioresque clientibus suis salutatoribus dabant cœnam rectam, eam Nero ad sportulas redegerat. Domitianus Neronis edicto antiquato reuocauit cœnas rectas. Sportula erat calathus vimineus, quo ad rem pecuniariam vtebantur, vt docet Vlpianus. Hinc sportulæ dictæ pro rebus, quæ ferebantur sportulis, & primum quidem opsonia dabantur, deinde centum quadrantes, loco sportulæ. Postremò cœnæ rectæ, quas vocat hic iustum salarium. Ob hoc decretum plaudit Martialis & exclamat.

Adulatur Domitianum.

De sportulis & sportularum origine lib. 2. dictum plenius.

Centum miselli iam valete quadrantes.

Centum quadrantes decem nummis æstimabantur, id est, quinque baziis, qui cum pretio iustæ cœnæ, seu conuiuij non erant comparandi, æuo Martialis centum quadrantes tantùm denos senos cruciferos efficiebant. VALETE] quia salarium iam datur, id est, cœna recta. ANTE AMBVLO-

BVLONIS CONGIARIVM LASSI] Clientis togati, & officiosi dominumq; comitantis pretium & merces. Martialis lib.14.

Si matutino facilè est tibi rumpere somnos
Attrita veniet sportula sæpe toga.

QVOS DIVIDEBAT BALNEATOR] Qui cum potentioribus lauabant clientes, etiam sportulam accipiebant, non secus anteambulones. Martial.

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum,
Inter delitias quid facit ista fames?

BALNEATOR ELIXVS] quasi coctus aquarum & vaporum calore, sudore perfusus. Balneator, hic ipsum, qui vtitur balneis, significat, quique pr... eum dabat clientibus simul lauantibus: non qui balneas apparabat, cui tantum dabatur à singulis vnus quadrans mercedis loco. Qui plura ad hunc versum desiderat, adeat 30. libr. Turnebi, cap.8. QVID COGITATIS Ô FAMES] Qui vobis placet hoc edictum, patroni? qui estis fames amicorum seu clientium, eosque sportulis vestris necatis, vsque adeò parci, sordidi, amarique estis. REGIS SVPERBI SPORTVLÆ RECESSERVNT] Duplex latet intellectus. Regis superbi: vel patroni; quos, clientes, Dominos regesque appellitabant. Martialis.

Cùm te non nossem, regem Dominumq; vocabam.

Neroniana sportula 100. quadrantes.

Vel Neronis; qui reuocatis sportulis cœnas rectas sustulit. Et Neronem alibi poëta vocat regem.

Inuidiosa feri radiabant atria regis.

Eundem & superbum metonymicῶs.

Abstulerat miseris tecta superbus ager. Hic poëtæ verior sensus.

NIHIL STROPHARVM EST: IAM SALARIVM DANDVM] sportulas quandoq; imminuebat parciorum auaritia & tenacitas, nec opsonia data centum æquabant quadrantes. Quod & Iuuenalis v. detur insinuare, cùm dicit:

———sportula prima.
Limine parua sedet turbæ rapienda togatæ.

Alij strophas putant dictas, cum vocati clientes ad cœnam rectam pro cœna acceperunt sportulam post cœnam, quam velut otiosi ministri cogebantur spectare, & sportulam ieiuni expectare, quæ explicatio minimè displicet, præsertim cum Mutamb. & Ram. conueniant. Stropha est fraus à στρέφω verto, tergiuersatio, mutatio eius quod promissum est. Seneca ep.26. Non timidè itaque componor ad illum diem, quo remotis strophis & fucis de me pronunciaturus sum vtrum loquar fortia, an sentiam.

Et hæ erant strophæ, quibus clientes circumueniebant, & fame enecabant. Stropha græca vox est, ἀπὸ τοῦ στρέφειν, & fraudem fallaciamq; signat. Vtuntur hac voce Martial. lib.11. ep 8. Phædrus in fab. Plinius ep.18. lib.1. SALARIVM] à sale dicitur, Plinius lib.31. cap.7. Cornutus in Persium, salarium interpretatur victum vnius diei, sic videtur accipiendum hoc loco pro cœna recta, is enim victus; si verum est Romanos non prandisse, quod asserit Martialis, negat Philander ad Vitr. De prandiis antiquorum alibi fusius. Significat etiam annuas mercedes, stipendiaque, quæ ob liberalem artem, vel medicinam præstantur. Item tribunorum militarium, & ducum salaria, etiam annonæ ipsorum, proinde ἀλάσιον, græci σιτηρέσιον dicunt. Vopiscus in Aureliano. *Nam illi Romam venienti salaria sui ordinis sunt decreta.* Et posteà: *Panes militares numero sedecim, panes militares Castrenses quadraginta, vini mensalis sextarios quadraginta, &c.* Rectè Scriuerius: *Sportula dabatur* ex libidine potentum, salarium ex pacto pro mercede.

Salarium quid, & vnde dictum.

In Cinnam.

VII.

Versiculos in me narratur scribere Cinna:
Non scribit, cuius carmina nemo legit.

Versiculum hunc quis Dauus non intelligat? Sic, ex communi sensu, sed non poëtæ, Persius Sat.1.

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

NEMO LEGIT] pessimum poëtam notat, cuius carmina perinde negligantur, ac si scripta nunquam fuissent.

In

In Philomusum.

VIII. X.

Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina
Menstrua, perque omnes præstitit illa dies.
Luxuriam premeret cùm crastina semper egestas,
Et vitiis essent danda diurna tuis:
Idem te moriens hæredem ex asse reliquit,
Exhæredauit te, Philomuse, pater.

Innobilem decoctorem, & nepotem est hoc epigramma. Philomusus fictitium est. Pater, cùm filium intelligeret ligurire omnia, & gulonem esse, assignauit illi dimensum menstruum, duo millia H S. hoc est, quinquaginta Philippæos, aut 66. florenos, & victoriatum, quem vocamus batium. Frustra hic Ramirecius vagatur de sestertio neutrius g. cum & ratio grammatica loquendi formam neget, & res ipsa loquatur. Neque enim dicimus duo millia sestertia vel bina millia sestertia, sed duo vel bina millia sestertiûm. bis mille sestertios, vel bis mille sestertia. Nec de re dubitandum, quis vnquam imperator filio sexcenta millia Philippæorum in annuum contulit sumtum, nisi ductaret exercitum? quis ergo hoc priuatus faciat? Et Martialis alibi ipse vicena millia sestertium opponit vicenis sestertiis in neutro, sed de sestertiis supra copiose dictum. PERQVE OMNES PRÆSTITIT ILLA DIES] Distribuit duo millia sestertiûm in triginta partes, deditque in singulos dies vnum Philippæum. & 12. victoriatos, seu duos florenos, & duos victoriatos. LVXVRIAM PREMERET CVM CRASTINA SEMPER EGESTAS, ET VITIIS] caussa inquit huius paternæ curæ fuit luxus & helluatio tua, quæ coëgit patrem dare tibi diætam, siue diarium, siue diurnam diætam. Græci dicunt τὴν καθ' ἑκάστην ἡμέραν τροφήν. Proinde errant qui tantum diætam medicam intelligunt. Sed de diæta supra ep. lib. 2. ep. 59. alioqui absumpsisses vno alteroue die totum menstruum dimensum, vt Euangelicus ille noster Nepos, & porcorum conuiua. Non sufficiebat tamen his tibi sumptus, altero semper die nihil erat in loculis. Sic Horat. Sat. 3. ser. 1. de Tigellio.

——*decies centena dedisses*
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis.

Obserua rectè emendari essent, pro esset, danda diurna essent. diurna, diaria sunt, nisi malis, diæta diurna. Seneca etiam vsurpauit diurna pro diariis. Musamb.

IDEM TE MORIENS HÆREDEM EX ASSE RELIQVIT EXHÆREDAVIT TE] Quis hoc negat esse argutissimum & elegantissimum epigramma? Pater, inquit, te hæredem omnium suorum bonorum instituit, & tamen te exhæredauit, τἀναντία videntur. Pater cùm sciret te conturbatorem esse, & altero tertioue die per luxuriam omnia effuturum, perinde fecit, cùm te hæredem scripsit, atque si nihil reliquisset, & exhæredasset te, quia nihil poteras seruare. In similem huic Asotum extat nobile epigramma Luciani, Anthol. 1. cuius initium est.

Τὸν πατρῷον πλοῦτον.

Et illud Hesiodi αἰνιγματῶδες, πλέον ἥμισυ παντὸς, dimidium plus toto. Quanquam parœmiographi alio versum trahant, tamen rectè in nepotes conueniet illud πλέον παντὸς, vti a rerum ἡμῶν in frugales, quibus dimidia pars bonorum sufficit, cum Apiciis nec tota, & duplo maior hæreditas non sufficiat. Elegantissima est seu historia, seu apologus, apud nostrum Pontanum vol. 3. progymnasmatum, patris perdito filio prouidentis à morte; qui magnam vim auri in tholo fornicis suspendit, præcepitque filio, vt si se suspendere vellet ob æs alienum & egestatem, illo in loco, vnde demissus erat annulus, se suspenderet, &c. tu lege cætera.

EXHÆREDAVIT] Omnino nihil reliquit, quamuis ex asse scripserit hæredem, sed assem pater non habebat, & quod habebat, tibi reliquit, hoc est nihil, vel, vt dixi, quod tibi reliquit quicquid id fuit, statim decoxisti, vt proinde fuerit tibi aliquid relinquere, ac nihil relinquere.

In fa-

In Fabullum.

IX. IX.

Vnguentum fateor, bonum dedisti
Conuiuis here: sed nihil scidisti.
Res salsa est benè olere, & esurire.
Qui non cœnat & vngitur, Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

A cœna Fabulli vnctum quidem, sed incœnatum se abiisse dicit. VNGVENTVM, FATEOR, BONVM DEDISTI] Videtur occasionem huius epigrammatis ex Catulli Fabullo sumpsisse. Fabullum inuitauit Catullus, sed imperauit, vt cœnam secum ferret, vnguentum se daturum.

Nam vnguentum dabo, quod meæ puellæ
Donárunt Veneres Cupidinesq;,
Quod tu cùm olfacies, Deos rogabis,
Totum vt te faciant Fabulle nasum.

Hic mihi obserua priscum vngendi modum ante cœnam, post balineum. Nec apud latinos, sed græcos etiam vt ex 1. Odyss. & 6. disces Xenophonte, Athenæo, Anacreonte, Plutarcho, Polybio, & Latinis Cicerone Plauto, Apuleio, Suetonio, Lampridio, Persio, Horatio, Iuuenale, Cornelio Celso, Martiale, Plinio vtroque, aliisque cum veteribus, tum recentibus: inter quos diligentius rem persequitur Fuluius Vrsinus in Appendice ad Ciaconij triclinium. ipsa denique sacra Euangeliorum Historia. Scripsit hac de re plenè, & bene Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagog. cap. 8.

BONVM] De auctore vnguentorum, genere, caussa, veritate, bonitate, modo; lege Athenæum lib. 15. cap. 14. & aliquot sequentibus. Valde liquidum fuisse constat, cùm cibis, aquæ, vinoq; miscuerint, non solùm corpus inungerent, sed guttur etiam proluerent, imo biberent. Auctores Plutarchus, Athenæus, Plinius, Wilhelmus Stukius lib. 3. cap. 15. lib. 13. cap. 3. Nec tamen succos herbarum, cuiusmodi apud nos eliquatæ rosæ, baccarum iuniperi, & similium, fuisse crediderim nomine vnguenti appellatos. Quanquam nescio quis vertat patria lingua vnguentum aquam. Matth. 26. &c. Plerisque crediderim vnguentis aliquid olei mixtum: quod eo vnguenta seruarentur, vt Plinius lib. 3. cap. 2. docet. Et Virgilius.

Stacte tamen optima censetur, si nihil omnino misceatur, vt Athenaus, Plutarchus, Plinius sentiunt.

Nec casia liquidi corrumpitur vsus olini.

CONVIVIS HERE] here Ἐχθὲς idem, quod heri, ἐχθὲς græcè, Iuuenalis Sat. 3.

Res hodie minor est, here quàm fuit, atq; eadem cras.

Et Mart. lib. 1. epig. 44. *Et positum est nobis nil here præter aquam.*

De hoc dictum supra & Quintil.

Et sæpè infrà. NIL SCIDISTI] nihil distribuisti cibi in conuiuas. Modiperator seu conuiuator, Dictatorue conuiuij distribuebat in priuatorum mensis. creodæta in mensis principum, vt hodie, quem & structorem nominabant, & carptorem, creodætam. lege Petronij conuiuium apud Trimalcionem. Carpe carpe. Iuuen. Sat. 9. Ouid. 3. Am. RES SALSA EST] Quo pacto salsa? cum nihil comedas. Insulsa intellige, inepta, ridicula, faceta, viuos numerare inter mortuos, quasi tu mortuos inuitasses, non viuos ad conuiuium, quod à conuiuendo dicitur. QVI NON CŒNAT, ET VNGITVR] Mortui enim vngebantur, Plinius lib. 13. cap. 1. Honosque is (nempe vngendi) & ad defunctos pertinere cœpit. Homerus Iliad. ω.

Nihil carpsisti.

Καὶ τότε δ' ἐπεὶ οὖν λοῦσαν ἰδὲ χρῖσαν λίπ' ἐλαίῳ

Et Virg. 6. Æneid. *——— & ahena vndantia flammis*
Expediunt corpusq; lauant frigentis, & vngunt.

Ennius ipse, vt est apud Seruium, hoc factitatum docet.

Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit.

Vide Merulam ad ista verba Ennij (lauit, & vnxit.)

Ægyptij condiebant cadauera mirrha, aloë, cedro, melle, sale, cera, bitumine & resina, odoribus & vngentis delibuta. Ex succo enim Cedri exanimum corpus seruari, sicut viuentia corrumpi haud dubiè perspectum est. Eundem fuisse morem Iudæorum ex D. Marci cap. 16. discis. *Et cùm transisset sabbatum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Idem docet Lucas cap. 23. *Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta.*

Nec vngebantur tantum mortui, sed epulæ etiam sepultis apponebantur quas viuis gustare nefas. Martialis ergo se ad conuiuium mortuorum velut ipse mortuus etiam se ait inuitatum. Porrò de Silicernio siue dapibus mortuis appositis erudite Kirchmannus lib. 4. de funere Rom. cap. 5. Ex quo pauca hic collocabo. Quam mire vox Silicernij ingenia etiam acutissima exercuerit, indicio sunt quinque eius etyma, quæ ex diuersis auctoribus collecta superiori capite proposuimus.

Ex

Et quanquam illa in speciem sibi pugnare videantur, si quis tamen pensiculate hæc meditatus fuerit, totum negotium sine labore componet, me fortean non inepte præeunte. Ita enim existimo, Priuatas hasce Epulas siue Silicernia fuisse iterum duplicia. Mortuorum nempe & Viuorum. Silicernia Mortuorum erant, quæ DIS Manibus offerebantur, quæ cernere silentio tantum, vt Donatus ἐπικηδείῳ, non etiam degustare fas erat parentantes: ab hac causa ne funestarentur, quod fieri existimabant, si quis quid eorum, quæ Diuis Manibus libabantur, furtim inuolare seu tuburcinari quidpiam in animum induxisset suum. Erant enim veteres in illa opinione, vt putarint animas defunctorum ab inferis excitatas iis vesci & delectari, vt videre est apud Homer. Odyss. χ. Diserte Lucianus, ἐπικομίζουσι, inquit, οὐκ οἶδα ὦ Πορθμεῦ, τί ταῦτα πρὸς τοὺς ἐν Ἅδου. πεπιστεύκασι δὲ εἶναι τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν, δειπνεῖν μὲν, ὡς οἷόν τε περιπετομένας τὴν κνῖσαν καὶ καπνὸν, πίνειν δὲ ἀπὸ τοῦ βόθρου τὸ μελίκρατον. Hoc est, Equidem ignoro, ô Porthmeu, quid hæc ad eos, qui apud inferos agunt, pertineant. Verum illis persuasum est, vmbras ab inferis reduces cœnare quidem; vtcunq; liceat, circum nidorem volitando: bibere autem è foueis mulsum. Tangit etiam Augustinus & reprehendit Sermone XV. De Sanctis: Miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increuerit, vt super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. Epulæ enim & refectiones caro tantum requirit: Spiritus autem & anima iis non indigent: parare aliquis suis caris dicit quod ipse deuorat, quod præstat ventri, imputat pietati. Atque hæc causa, cur piaculi loco habitum gustare ea, quæ DIS Manibus essent oblata. Ex quo titu lucem fœnetor obscuro Pythagoræ Symbolo: τὰ πεσόντα μὴ ἀναιρεῖσθαι, quæ deciderint, ne tollas, vel potius vt alii efferunt μηδὲ γεύεσθαι ἅττ' ἂν ἐκ τῆς τραπέζης καταπίπτῃ, hoc est, ne gustes, quæcunq; de mensa deciderint. Nam quidquid inter edendum sub mensam cadebat, id amicis defunctis sacrum putabatur. vt discimus ex Athenæo lib. X. Τοῖς δὲ τετελευτηκόσι τῶν φίλων ἀπένεμον τὰ πίπτοντα τῆς τροφῆς ἀπὸ τῆς τραπέζης. Hoc est. Amicis mortuis cibos dant, qui de mensa deciderant. Et inde opinor ortum, vt Silicernia hæc antiquitus super tumulum relinquerentur siue etiam comburerentur vel in culina: Festus: Culina vocatur, in quo epulæ in funere comburebantur. Vel in ipso rogo. Vnde Virgilius lib. 7. Æneid.

——Congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres oliuo.

Quo pertinet illud Tertulliani de Resurrect. carnis. At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime comburit, quos postmodum gulosissime nutrit iisdem ignibus & promerens & offendens. Ex hoc igitur fonte videtur manasse genus loquendi Cœnam è rogo rapere, vel simile aliquid, quo vtebantur olim, aut summum mendicitatem alicui imprecaturi, aut exprobraturi diram habendi cupiditatem, siue quod extrema mendicimonia necessitate coacta solerent Silicernia in in busticetis vorare: siue quod insigniter rapaces oporteret esse eos, qui à feralibus istis epulis & DIS Manibus sacris non possent sibi temperare rapatiores nimirum ipsis miluis, quam licet rapacissimam & famelicam semper alitem: nihil tamen esculenti rapere vnquam ex funerum ferculis tradit Plin. lib. 10. cap. 10. Hinc Catullus:

Vxorne Meni, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam
Cum deuolutum ex igne prosequens panem
A semiraso tonderetur vstore.

Tibullus:

Ipsa fame stipulante furens, escasq; sepulcris
Quærat, & à sæuis ossa relicta lupis.

Huc refert Turnebus Terentii illud Eunucho:

Ex flamma te petere cibum posse arbitror.

Si qui lucri causa omnia nefanda subire non verebantur, Bustirapi audiebant, vt notat Ianus Guilielmus in verisimilibus. Plautus in Pseudolog:

——Iam ego ■ differam dictis meis
Impudice. Ba. Ita est. PS. Scelesse. Ba. Dicis vera. PS. Verbero.
Ba. Quippe? PS. Bustirape. Ba. Certe, &c.

In Næuiam.

X. XIII.

Dum non vis leporem, dum non vis carpere mullum,
Et plus, quam patri, Næuia, parcis apro:
Accusas, rumpisq; coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit, nunquam sic ego crudus ero.

Erat Poeta inuitatus ad Næuiam, dapsilis cœna apposita erat, sed vt omnia seruarentur, nemoque de melioribus gustaret, Næuia dixit omnia esse cruda. Poeta se hoc pacto ieiunum fore dicit, & nunquam crudum, si de cibis nihil attingat. Ludit in voce, crudus, quæ ad cibum & stomachum refertur. ET PLVS QVAM PATRI N. PARCIS APRO.] An recte ream parricidii dicit Næuiam? quod plus apro quam patri parcat. An simpliciter per comparationem? ACCVSAS, RVMPIS: COCVM] sic rumpere leporem, equum, aliàs dixit. hoc loco expone, rumpis; cædis, pulsas, mactas. NVNQVAM SIC EGO CRVDVS ERO] si nihil esitauero, nunquam ero crudus. Cruditas enim ex epularum copia, vel nimio cibo oritur. Catullus ad Furiam, *pulcreq; concoquis*, id est, facile digeris, quod edidisti, de esuritore.

De Tuccio seu Tuscio.

XIV. XI.

Romam petebat esuritor Tuccius
Profectus ex Hispania.
Occurrit illi sportularum fabula,
A ponte rediit Muluio.

Tuccium ridet & sportulam. Tuccius ventris causa longinquum iter susceperat, Romæq; iam proximus ad pontem vsq; Muluium accesserat, in quo cum audiret sportulæ famem & tenuitatem, rediit ab ipso ponte in Hispaniam. Hæc nostra commentatio. Nihil enim apud quenquam de hoc epigrammate legere memini. Occurrit animo fabulam dici, quod in ponte Muluio multi mendici (nam pontes hæc natio obsidebat) cessitarint, quia à sportula ad pontem transierint, maluerintq; mendicare, quam tot vrbanis officiis diurnis nocturnis distenti propter C. quadrantes, plures posse à viatoribus per diem & otium extorqueri. Has vero narrationes audisse Tuccium, qui sportulam affectabat, illicoq; deterritum repedasse in patriam. Quam hic fabulam alibi pompam appellat, vt Suetonius Pompam scenam appellauit Calig. c. 15. Pro me stat Musamb. contra Ram. ESVRITOR.] sic Catullus Aurelium vocat patrem

——esuritionum.
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis.

PROFECTVS EX HISPANIA] cogente fame & paupertate. Horatius. 1. Epistolarum 1.

Impiger extremos Mercator currit ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

SPORTVLARVM FABVLA.] Exposita illi est ratio sportulæ, sed poeta poetico ritu loquitur cum dicit, *occurrit*: quàm indigna clientes à suis patronis paterentur, dum officia togata obirent, quamque misere mactarentur dum in atriis vestibulisue domini congressum vel egressum præstolarentur. quæ omnia Tuccius, cum sportulæ causa ex vltima Hispania Romam venerat, non considerarat, dum illi in Ponte Miluio occurrit, qui hæc omnia exponeret, quibus Tuccius auditis illico relegit iter in Hispaniam, nec omnino vrbem est ingressus, cum iam esset ad pontem Miluium. Vnde poeta duo efficit. Nam & stuporem Tuccii tantum iter frustra suscipientis, nec prius rei causam dispicientis, ostendit, & in felicium clientium sortem infelicem insinuat. EX PONTE REDIIT MVLVIO] officiorum molestia præmii desperatio. Deterritus aspectu sportulæ, abiit, vnde venerat, non ingressus vrbem. Pons Muluius seu Miluius multis rebus nobilis est. Coniuratio Catilinæ ibi est penitus detecta, captis Allobrogum legatis. Cic. in Catilinam. Ad eundem pontem Tyrannum impium Maxentium Imperator religiosissimus Constantinus Magnus victrici crucis signo per aërem ingenti miraculo comparente victoriæ nuncio vicit, & de ponte deiecit. Abest ab vrbe vltra mille passus, in via Flaminia situs, a Marco Scauro censore extructus, quem nunc Mollium vocant Marlianus lib. 7. cap. 3.

In Cerdonem.

XVI. XII.

Das gladiatores, sutorum regule, Cerdo,
Quodq; tibi tribuit subula, sica rapit.
Ebrius es: nec enim faceres id sobrius vnquam,
Vt velles corio ludere, Cerdo, tuo.

Lusisti:

Lusisti: satis est: sed te, mihi crede, memento
Nunc in pellicula, Cerdo, tenere tua.

Cerdonem monet, vt ne vltra crepidam, nec sicam vibret, sed subulam figat, seq; intra pelliculam teneat. indigna porro visa res Martiali, Cerdonem dare munus gladiatorium, vti & Iuuenali Sat. 3. Cerdo & Sutor hoc differunt, quod Sutor faciat, Cerdo reficiat. Hinc Suetonio vocatur Veteramentarius ein Schuchflicker. Sunt, qui ἀπὸ τοῦ κερδαίνειν, ἢ ἀπὸ τοῦ κέρδους deducunt, quod lucrum valet Latinis, ita Cerdo item esset lucroni. SVTORVM REGVLE.] Antiphrasticῶs, sicut Codrus Alpha penulatorum. Ex genere Sutorum abiectissime. DAS GLADIATORES] munus gladiatorium; quod olim principes tantum ciuitatis, & magistratus, & lautiores nobilioresq; edidere. Vnde constat Cerdonem hunc ditissimum fuisse. Ratio enim census habita. Apud Tacitum S. C. extat, quo cautum, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res esset, id est, decem millium Philippicorum, spectata etiam persona, neq; enim id fuit permissum libertini generis hominibus, saltem in vrbe, vt declarat Suet. Claud c. 28. Et Harpocratem (libertinum) cui lecticâ per vrbem vehendi, spectaculaq; publice edendi ius tribuit. Multo minus igitur vilissimis sordidissimisque opificibus, laniis inquam, cerdonibus, tonsoribus, &c. ea potestas concessa. Sed Bononiæ cerdo munus hoc dederat, vt infra scribit Martialis. QVODQ; TIBI TRIBVIT SVBVLA] Metonymia instrumentum pro ipso opificio. Quod opificio tibi auri paras, hoc effundis editionibus ludorum: auro enim conducendi erant gladiatores. SVBVLA.] Græcis βέμβηξ quod corium perforet. Dicitur etiam ὀπεὺς & ὀπήτιον. Germanis ein Al. SICA] à secando dicta est, inquit Isidorus. Est enim gladius breuis, quo maxime vtuntur, qui apud Italos latrocinia (exules, Banditæ) exercent, à quo & sicarii dicti sunt. Tranquillus autem dicit; *Cum cuiusdam gladiatoris in ludum emissi gladius curuatus fuisset ex acie recta: procurrit vnus ad eum corrigendum, tumq; à pugnante responsum est; sic pugnabo: inde sicæ nomen datum est.* Herodianus ξίφος ὑπαγκάλιον, quasi gladium sub sinu vocat. Ciceroni occultus pugiunculus dicitur. ein Stilcet/heimlicher Dolch/mörderische Wöhr. Clemens Alexandrinus ἅρπην vocat, quæ Thracum est. Ioseph. lib. 20. καὶ οἱ Σικάριοι καλούμενοι (λῃσταὶ δ' εἰσὶν οὗτοι) τότε μάλιστα ἐπλήθυνον χρώμενοι ξιφιδίοις παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκαις ἐπικαμπέσι δὲ, καὶ παραπλησίοις ταῖς ὑπὸ Ῥωμαίων σίκαις καλουμέναις, ἀφ' ὧν, καὶ τὴν προσηγορίαν οἱ λῃστεύοντες ἔλαβον. Glossæ autem definiunt sicam θρᾳκικὸν ξίφος ἐπικαμπὲς, erat instar falcis, Iuuenalis.

——pugnantem falce supina.

Thrax enim sicâ contra Mirmillonem pugnabat.

Isidorus videtur errare, qui à secando deducit; primam enim producunt poetæ. Plura de sica Lipsius. El. 2. c. 9. EBRIVS ES: NEC ENIM FACERES.] Insanus es, Cerdo, nam sanus nunquam luderes tuo corio, sed alieno & publico. Triplex est insania: iræ, ebrietatis, & naturæ. Ita, à philosopho vocatur breuis insania; ebrietas, diurna, natura, diutina aut æterna. EBRIVS ES] Ebrietas enim, vt canit Horatius, *in prælia trudit inermem.* Et Ouid. *——tunc pauper cornua sumit.* CORIO TVO] scindere ferro tuum corium, tuam pellem & cutem in arena, ostendit etiam ipsum Cerdonem editorem simul & gladiatorem fuisse. Aut rectius forte dicamus, Cerdonem in arenam non descendisse, corium q; Cerdonis interpretemur diurnum nocturnumq; laborem, quo sibi tantas opes parauerat, quas vno postea thylaco in ludum & arenam effudit. LVSISTI: SATIS EST:] Redi tandem ad mentem, abstine ab arena, in pellicula tua te tene. adagion est; vt illud, Sutor non vltra crepidam. nil ad te arena, ad subulam redi & pelles tuas, extraque illas nec pedem efferas. Indignatur ergo poeta homines vilissimos esse tam potentes, vt iam edant publice munera. sic infra ep. 58.

Sutor Cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus,
Fullo dedit Mutina, nunc vbi caupo dabit?

Et Iuuen. Sat. 3.

Quondam hi Cornicines & municipalis arenæ
Perpetui comites, notaq; per oppida buccæ
Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter ——

IN PELLICVLA] Prouerbium à Cumano asino natum, sibi leonis exuuium aptante, se seq; ad tempus pro leone gerente, quæ res asino magno malo fuit, cum agnitus, & magno omnium risu aliena pelle exutus fustibus ad necem vsque cæderetur. Quo apologo admonemur, ne sortis nostræ obliti, maiora viribus conemur, sed intra pelliculam & fortunam nostram nos teneamus.

De hoc Cerdone infra. An idem dicit Pers. Sat. 5. tollat sua munera Cerdo.

In Maximum.

XIII. XVIII.

Perfrixisse tuas questa est præfatio fauces.
Cum te excusaris, Maxime, quid recitas?

Magna cura fouebant recitaturi vocem, vt de Nerone legimus. Vide Plinium. Maximus irrauserat, causamq; frigori assignabat. Poeta stultam excusationem irridet, nec opus excusatione, nec recusatione fuisse dicit; cum potuerit, ac debuerit non recitasse sua carmina. Sic à Catone reprehensus est Albinus Romanus, qui se excusabat, quod Græce homo Romanus scriberet: *Maluisti*, inquit, *culpam excusare, quam culpa carere.* Paroemia in hunc conuenit; loqui nescit, tacere non potest. Per præfationes vero monebant auditores quæ ex re iudicabant, & beneuolentiam colligebant, & tenuitatem ingenii, negotia, vitia, alia excusabant.

De Vipera in ore Vrsæ.

XIX. XIV.

Proxima centenis ostenditur vrsa columnis,
Exornant fictæ qua Platanona feræ.
Huius dum patulos alludens tentat hiatus
Pulcher Hylas, teneram mersit in ora manum.
Vipera sed cæco scelerata latebat in ore,
Viuebatq; anima deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto,
*Dum perit, ô facinus, * ausa quod vrsa * fuit.*

* v. falsa.
* Faust.

PROXIMA CENTENIS OSTENDITVR VRSA.] Domitius Vipsanam porticum interpretatur, alii Pompeianam. Scaliger ad annum CIↃ. CIↃ. CCLXI. Eusebii Hecatostylon intelligit, vbi hunc Martialis versum adducit: Manifesto inquit, intelligitur stadium, quod erat prope theatrum Pompeii regione nona; & temporibus Martialis sub Domitiano constructum fuit. Quis igitur ignorat platanonas, daphnonas & arbores in stadiis & xystis seri? Zosimus lib. II. στάδιον ἐστί τι περὶ τὴν πόλιν τὸ ἀφορισθὲν τῶν ἀγώνων τῷ τὸ ἐπὶ πλησίον μάχην ἀμιλλᾶν περιέχεσθαι ὕλαις ἀμφιρεφές. Vnus locus Vitruuii suffecerit ex lib. V. cap. XI. Hæc autem porticus Xystos apud Græcos vocitatur, quod Athletæ per hiberna tempora in tectis stadiis exercentur. Facienda autem Xysta sic videntur, vt sint inter duas porticus siluæ aut platanones, & in his perficiantur inter arbores ambulationes, &c. In ipsis peristyliis non solum siluæ, sed & platanones; vt apud Martialem. Inter feras hiante ore vrsa visebatur, in cuius rictu latebat vipera non ficta, sed viua: puer ludibundus inserebat manum, vrsæque insultabat; hunc icit latens intus pestis vipera & occidit. PLATANONA.] Locum Platanis consitum vocat Platanona. Plinius Iun. epist. 3. *Quid agit Comum tuæ meæq; deliciæ? quid Platanon opacissimus?* Platanus autem arbor amica potantibus & disputantibus. De potatoribus testatur Horatius libro 2. od. II.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes, &c. Potamus vncti?

Virgilius 4. Georg. *Iamq; ministrantem platanum potantibus vmbram.*

Differentibus seruit, apud Platonem, Socrati, & Phædro: apud Ciceronem 1. de Orat. Crasso, Scæuolæ, Antonio, Cottæ, Sulpitio. Dicta Platanus est ἀπὸ τοῦ πλάτους; quia patula est diffusa, vt ait Cicero, ramis. Eadem Horatio cælebs appellatur, mero nutriebatur, vt Martialis de Platano Cordubensi;

Creuit & infuso latior vmbra mero

Huic accedunt Plinius lib. 12. cap. 1. Ælianus lib. 2. cap. 14. mira refert de Platano Xerxis regis Persarum. FICTÆ FERÆ.] Non pictæ, fingunt statuarii, pingunt pictores. Cicero lib. 5. epistol. ad Luceium de Agesilao: *Neque minus enim est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse.* Et ibidem: *Neque enim Alexander ille gratiæ causa ab Apelle potissimum pingi & à Lysippo fingi volebat, &c.* Propertius dicit Attalicis aulæis etiam exornatam fuisse, sed, vt dixi, de Pompeia loquitur. HVIVS DVM PATVLOS ALLVDENS TENTAT HIATVS PVLCHER HYLAS;] Puer explorat oris & faucium altitudinem, manuq; inserta, age, inquit, morde fera, si potes. HYLAS.] Species pro genere. Hylam Pherecydes lib. 3. Thiodamantis asserit filium, quem Hercules occiso Thiadamante rapuit amauitque. Anticlides lib. 2. rerum Del. Hylam Herculis filium fuisse scribit. Sed Hyllum alii Herculis filium, Hylam delicias illius fuisse tradunt.

tradunt. Nauigauit in Colchidem cum Argonautis, vt testatur Valerius Flaccus. Amissus per aquationem in fontem seu lacum incidit Bithyniæ, Hylas dictum, & periit, vt Solinus tradit: cui sacra postea sunt instituta. Facit eiusdem mentionem Virgil. Eclog. 6. Et Statius Theb. 5. Mortem aliter Flaccus describit. Iuuenalis.

Et multum quæsitum Hylas——

Ouidius lib. 2. de Arte. Propertius & alii. Ab hoc Hyla elegantes pueri Hylæ dicuntur. VIPERA SED CÆCO.] In hiatu oris atro serpens latebat. CÆCO] tenebroso, vt videri, quid abderetur non posset. Ita cæca nox; cæcum antrum; VIVEATQVE ANIMA DETERIORE.] Aliena anima viuebat vrsa marmorea & deteriore, nempe pestifera & exitiali, cum aliâs vrsa nil habeat veneni. Eleganter dicit viuebat, pro habebat in se bestiam viuentem, metonymia. NON SENSIT PVER ESSE DOLOS] Non aduertit latere exitium, nisi ictus dente viperæ, quo ictu periit. O FACINVS, AVSA QVOD VRSA FVIT] Exclamatione à rei indignitate & admiratione ducta, cum tamen casus esset, concludit. Quam vera est vrsa, quæ mortua immo saxea etiam interficit, tribuit vrsæ, quod vipera peccauerat. Falsa quod vrsa facit. præ altera hanc scripturam probarim, quod marmorea vrsa recte vocetur falsa, neque enim vera est. Eleganter autem & acute, quasi Poeta optasset verum fuisse, quod vel puero pepercisset propter elegantiam, vel puer vrsam cauisset. Nec te moueat insolentia verbi, facinus facit, Ita Catullus dixit, nescis quod facinus facias. Ab hoc non alienum est, quod Petrarcha narrat. *Audiui, inquit, somniasse quendam morderi se lethaliter à marmoreo leone, ex his qui in templorum vestibulu cerni solent. Die autem postero, cum templi fores casu præteriret, leone spectato, non sine risu somnium suum inter comites narrauit, & manu in apertum os illius protinus iniecta dixit, en nocturnus hostis meus. Scorpio itaque, qui in imis faucibus Leonis delitescebat, eum lethaliter vulnerauit.* Sed huic prorsus geminum narrat de serpente in ficto leone latente, & Basilium Cæsarem Macedonem cum digitum Constantinopoli inseruisset mordente, Georgius Hamartolus in Basilio. qui Græce scriptus in Bibl. Monacensi est. & Aug. Quam infeliciter porro versum vltimum interpretetur Ram. cognosces à Musambert.

De Canio.

XV. XX.

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus?
Vtrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quæ Neroni falsus adstruit scriptor?
An emulatur improbi iocos Phædri?
Lasciuus elegis, an seuerus herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis,
An otiosus in schola Poëtarum
Lepore tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit, porticum terit templi,
An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ sole rursus Europæ,
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatue liber acribus curis?
Titine thermis, an lauatur Agrippæ,
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atq́; Lucani?
An Pollionis dulce currit ad Quartum?
An æstuantes iam profectus ad Baias

*Piger Lucrino * nauiculatur in stagno?*
Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

* nauiclatur al. naucula-tur.

DIC MVSA, QVID AGAT CANIVS] De hoc Canio diximus lib. 1. epig. 70. & lib. 2. eodem 62. Hic quid Valerius Ruffino scribat de Canio ex libro epistolarum D. Hieronymi accipe. *Canius à Gadibus Herculis, poeta facundia lenis, & iucunda reprehensus est à Liuio Pœno, graui historiographo, quod multarum gauderet amoribus. In Inscriptionibus veterum hæc de illo habentur.* HEVS VIATOR, SI VLLA TIBI PIETAS INEST, VERTE HVC ORA. HIC SVNT CINERES C. CANII POETÆ, QVI AD QVARTAM VSQVE OLYMPIADEM IN VRBE OMNIBVS CARVS VIXIT: DEINDE IN HISPANIAM REVERSVS, NEMINEM LÆSIT. TANDEM CVM AD VETERES CVPERET SODALES IN LATIVM REMEARE, PERPETVOQVE CVM POPVLO QVIRITIBVS VIVERE, DVRA NIMIVM FATA PRÆRIPVERE, ET IN ITINERE OCCVBVIT: L. ALBINVS CITERIORIS HISPANIÆ PROCONSVL HOC MARMORE TEXIT. Ex quibus intelligis, qui Poeta, quis homo fuerit. De hoc eodem Gyraldus histor. poet. dial. 4. ex Valerii epistola. *Fuit hic facundia lenis & iucunda.* Addit, *quem facile risu delectatum legimus.* Laudat Martialis illius Theophylam ab eruditione, quam Sapphoni comparat, cum dicit.

Hæc est illa tibi promissa Theophila Cani,
Cuius Cecropia pectora voce madent.

Et versus ex in extremis. *Castior hæc, & non doctior illa fuit.*

Hoc epigrammate studium Canii vnicum dicit esse ridere: Et hoc enumeratione rerum & negotiorum, quæ gerere poterat, & non gerebat. CHARTIS TRADIT VICTVRIS LEGENDA.] Versu credo (nam poeta erat) conscripsit, vt Plinius libera oratione, sed nec Canii, nec Plinii de his temporibus pagina vlla viuit, ita vt non victuris, sed morituris chartis tradiderit mortuos mortuus Canius. Claudius Imperator, qui Neronem præcessit, notissimus Tacito, Dioni, Tranquillo, & omnibus. AN QVÆ NERONI.] An laudat, inquit Domitius, ea quæ nonnulli scriptores adulantes Neroni laudarunt. In verbis poetæ est dilogia. An quæ falsus auctor astruit Neroni velut auctori, vel Neroni, vt à Nerone gesta factaque, narrata aliis viuo Nerone, per adulationem, vel aliis, mortuo, per odium: Illa nunc componit Canius? & ex fide atque historiæ veritate quæ antea magnam partem ficta erant, vel ab ipso Nerone d. Claudio, vel de Nerone ab aliis. Falsum auctorem nonnulli Neruam putant ex lib. 9. ep. 27. & 8. ep. 69.

Carmina qui docti nota Neronis habet

AN ÆMVLATVR.] De duobus Phædris illustribus lego Alterum Plato facit loquentem in libro, quem ab ipso Phædro inscripsit, & in quo de amoribus non pauca disputantur. Alterum Ciceronis laudant scripta lib. 13. ad Atticum epist. 38. *Libros mihi de quibus ad te antea scripsi, velim mittas, & maxime* φαίδρου, περὶ θεῶν. siue vt alii legunt, φαίδρου περὶ ὀργῶν τῆς Ἑλλάδος. vel περὶ ὀργῶν τῆς Ἑλλάδος. Et de eodem lib. 1. de finibus. *Hic nisi mihi Phædrum mentitum aut Zenonem putas, quorum vtrumque audiui, cum mihi nihil sane præter sedulitatem probarent.* Amabat eum Atticus, vt mox sequitur. Quo sane in loco non agit de Platonis Phædro, sed Epicureo Philosopho. Quod l. 15. Epistolarum ad famil. epist. 18. scribit, videtur referendum ad Platonis Phædrum, cum dicit: *Longior etiam si Phædrum aliquem habuisset. Nam ἄνευ δὲ [illegible] sine periculo vix possumus: Ridere igitur, inquies, possumus? Non me hercule facillime.*

Turneb. l. 22 Quid igitur, de quo Phædro hic agitur à poeta? sane nec de Domitii Platoniano, nec recentiorum quorundam Ciceroniano Phædro locum hunc accipio, sed Martialem de Phædro Augusti Liberto cum acutissimo nostro V. lsero locutum sentio, quem Phædrum P. Pithæus primus edidit. Contradus Rittershusius, Scioppius aliique notis illustrarunt. Scripsit fabularum Æsopiarũ libros quinque. Vnde iocos appellat, quid enim aliud, quam ioci? Improborũ reor dici, propter Sybarin. Poeta quærit, an Canius iocos seu amores Phædri æmuletur: an scribat aliquid ad imitationem Phædri Augustæi. Scriuerius negat Phædrum à Pithæo editum esse eudem cum Augusti Phædro, sed aliquem sequioris sæculi. Martialis ergo de Augusti Phædro locutus est, qui hodie non extat. Et qui legitur, alius est ex opinione Scriuerii. Ego amplio, donec Scriuerius quod promisit, ostendat. LASCIVVS ELEGIS.] Elegia primum reperta ad querimonias exponendas. Horatius Art. poeta.

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Tristis ergo primùm, postea læta, & maxime lasciua hoc genere carminis scribebant. Notus Tibullus, Propertius, Gallus, Ouidius, qui metos cecinerunt amores. Quamquam Scaliger libro 3. poet. ab amantium commiserationibus dictam putet, vox est tragica ἐλελεῦ: Idem libro primo, capite quinquagesimo, à funeribus cœpisse elegiam dicit: & postea ad amores, in quibus altera funera, translatam docet. Didymus elegiam ait esse θρῆνον ἀδόμενον πρὸς αὐλόν. Lugubrem seu flebilem cantum ad tibiam. AN SEVERVS HEROIS.] An heroo pede canit heroum facta. Horat.

Res

Res gestæ regumq; ducumq; & tristia bella
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus.

Heroici carminis argumentum seuerum, grande, & illustre. AN IN COTHVRNIS.] An scribit tragœdias: nam Cothurnus proprius tragœdiæ, Horat. Art. poet. de Æschylo.

Et docuit magnumq; loqui nit q; cothurno.

Ouid. 2. Trist. *Et dedimus tragicos scriptum regale cothurnos.*

Et improuerbium abiit Sophocleus Cothurnus.

Erat Cothurnus genus calceamenti pedi vtrique aptum, etsi videatur dubitare Scaliger propter versum Virgil. in 1. Æneid.

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoq; alte suras vincire cothurno.

Si altus fuit, quomodo venabatur? quomodo currebat? Altum tamen fuisse non dubito ex Iuuenale.

——breuiorq; videtur
Virgine pygmæa nullis adiuta Cothurnis.

Delrius in proleg. ad Senecam; *Communia*, inquit, *tragicis omnibus syrma seu cyclas oblonga & humum verrens; Item Cothurnus, seu vt Thomas Magister, Pollux & Ammonius vocant, ἐμβάτης vel ἐμβάδια; calceamenti altioris genus, quod, vt loquitur Tertullianus libro de spect. tragœdos extollebat: crediderim simile illi, quo Hispanienses fœminæ vtuntur, vulgo copbines dicunt.* Altum fuisse etiam Plinius docet ep. 7. lib. 9. Altera imposita saxis more Baiano lacum prospicit, altera æque more Baiano lacum tangit. Itaq; illam tragœdiam, hanc appellare comœdiam solet; illam quod quasi cothurnis, hanc quod quasi socculis sustinetur. De Salibus fuse Heraldus. Ad Virgilii Cothurnum respondeo, Veneris ibi calceos κατὰ χρηστικῶς fuisse cothurnos dictos, cum species pro genere ponitur, nec tragicis cothurnis similes extitisse. recte ergo meo iudicio Musam. distinguit cothurnos tragicos, vrbanos, & venatorios, quos non altitudine, sed forma fuisse similes docet, modo testes adderet.

HORRIDVS] tristis, nam tragœdia mœsta & horrida, si materiam spectes. AN OTIOSVS IN SCHOLA POETARVM LEPORE TINCTOS.] An recitat carmina Musæo lepore, & Attica venustate elegantiaq; conscripta. Aliud est schola poetarum, in qua Grammatici poetas explanant, de qua Iuuen. Sat. 7. Aliud auditorium poetarum, de quo Iuuen. Sat. 1. & noster hic atque aliis haud paucis ep. SALES] iocos, epigrammata, aut hoc genus scripta. SCHOLA POETARVM.] Ne tu hic intellige fuisse Grammaticum & poetas enarrasse. Alia est schola Poetarum, alia Grammaticorum. Grammatici explicabant poetas: poetæ ipsi sua recitabant carmina, vt supra docui. De Saleio Basso ex Quintiliani dialogo. OTIOSVS] ab aliis negotiis vacuus. nam quomodo otiosus, si recitabat? PORTICVM TERIT.] In porticu Isidis obambulat lib. 2. epig. 14.

Hinc quoq; deceptus Memphitica templa frequentat.

AN SPATIA CARPIT.] Iuxta septa porticus erat Argonautarum ornata ab Agrippa, in qua depicta erat historia Argonautarum lib. 2. epig. 14.

——tum septa petuntur,
Si quid Phylirides præstet, & Æsonides.

Ad quem locum locum plura ibidem diximus. AN DELICATÆ SOLE RVRSVS EVROPÆ INTER TEPENTES.] De porticu Europæ in Campo Martio vberrim libr. 2. epigr. iam bis adducto differuimus, cum illum versum exponeremus; *Currit ad Europes* Et illum; *Lotus ad Europes tepida buxeta recurrit* Hic rogat, an Canius rursus, vt solebat, spacia faciat inter buxeta sole tepentia, pomeridiano tempore, iam fracto sole, an vero ibidem sedeat solutus omni cura & meridietur. TITI NE THERMIS.] Titi Imperatoris, qui deliciæ mundi, quem sine dubitatione versu clariore sæpe celebrasset, si per Domitianum licuisset. De thermis Titianis intelligendus versus lib. spect.

Hic vbi miramur velocia munera thermas.

In tertia regione vrbis P. V AGRIPPÆ] thermis. De his thermis & Agrippa hunc in modum Plinius M. *Agrippa rusticitati, quam deliciis propior, vnicumq; felicitatis exemplum multa & egregia in vrbe perfecit opera Augusto eius socero imperante.* Idem. *Thermas de suo nomine excitauit; ubi lithostroto & encausto pinxit: arcm & pauimenta ex vitro posuit.* Et rursus: *Lithostrota & pauimenta captauere iam à Sylla paruulis certe crustis, &c.* quæ sequuntur. Locus vbi erant, nunc Cambella dicitur, cum à Pompeij theatro ad septentrionem pergis prope Pantheona 9. regione vrbis P. V. De his lege Marlianum lib. 6. c. 6. AN IMPVDICI BALNEO TIGELLINI.] Bipedum nequissimus fuit hic Tigellinus Neronis corruptor: de quo sentit illa Iuuenalis Sat.

Cum leno accipiat mœchi bona, si capiendi
Ius nullum vxori, doctus spectare lacunar,
Doctus & ad calycem vigilanti stertere naso,
Cum fas esse putat curam sperare cohortis,
Qui bona donauit præsepibus, & caret omni

Maiorum censu, dum peruolat axe citato
Flaminiam——

Sed apertius de hoc Tacitus lib. 1. hist. *Sophronius*, inquit, *Tigellinus obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica senecta, præfecturam Vigilum & prætorij* (en vt Iuuenal. *Cum fas esse putat curam sperare cohortis*) *& alia præmia virtutum, quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde auaritiam, & virilia scelera exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone quædam ignaro ausus, ac postremo eiusdem desertor ac proditor.* Vin' audire dignam vita mortem? *Accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuncio, inter stuprum concubinarum & oscula, & deformes moras, sectis nouacula faucibus, infamem vitam fœdauit etiam exitu sero & inhonesto.* Lege de eiusdem moribus 14. Annal. Taciti pluribus locis, maxime cum de Octauia per ancillas quæreretur. Eundem laudat Dionis Epitome, Scholiastes Iuuenalis vetus, Egesippus lib. 4. cap. 20. AN RVRE TVLLI FRVITVR.] De his duobus fratribus germane se amantibus extat lib. 1. epigr. 37. vbi plura sunt allata. Et lib. 9. epigr. 52. vbi docet Lucanum natu maiorem prius defunctum. AN POLLIONIS DVLCE CVRRIT AD QVARTVM.] Ita suburbana prædia aut prætoria nominabant; ad Tertium, Quartum, Quintum, Sextum: intellige lapidem milliarem. Ad quartum ergo, qui quatuor millibus, abest ab vrbe, passuum. Lipsius alicubi. In scriptura nihil emendo. recte habet quartum, non quadrum. sic alibi.

De milliario lapide vbertim lib. 1. 13. Signat vicinus quartus ab vrbe lapis.

Ad lapidem torquatus habet prætoria quartum.

Ad quem locum plura de his prætoriis & villis. AN ÆSTVANTES IAM PROFECTVS AD BAIAS.] Martialis lib. 1. epig. 63.

Dum modo Lucrino, modo se permittis Auerno,
Et dum Baianis sæpe fouetur aquis.

Baias & Lucrinum præter Philandrum, quem alibi adduximus, describit Dio lib. 48. *Sita est autem in Campania inter Misenum & Puteolos. Ibique Cumæ, & locus in Lunæ formam curuatus, qui totus paruis montibus, & vndis circumdatur, & habet tres sinus maris: Tyrrhenum, alterum Lucrinum, tertium Auernum. Agrippa, de quo paullo ante diximus, in ea maris parte, iuxta ipsam continentem, illud interuallum, quod Lucrinum vel trino, à mari diuidebat, perfodit, tanto spatio, vt naues intrare possent, effecitq; portum earundem stationi aptissimum.* Ibidem describit Baias. *In Baiano sinu ad radices montis Campaniæ sunt aquæ calidæ, à quibus ad Sudationis locum gradibus 43. ascenditur.* Fuerunt in eo sinu plurimæ thermæ, etiam Ciceronianæ, vt Plinius lib. 31. tradit. Baiæ apud omnes poetas celebrantur. PIGER NAVICVLATVR] placet nauculatur, est enim poeta valde religiosus in legibus poetis obseruandis. VIS SCIRE, QVID AGAT? RIDET.] Collige iam, quæ enumerauit toto carmine, an scribit, an recitat, an sedet, an ambulat, an ianat, an rusticatur, an peregrinatur, an nauigat? Nihil horum. Quid ergo? aliquid grandius expectares, sed respondet ἀπροσδοκήτως, Ridet. Quicquid agat, ridet. ridet scribẽdo, recitando nauigando, &c. * ridet. Tam vero lepidus erat, vt nihil iucundius fuerit, quam Canium audisse fabulantem, quem lib. 3. epig. 63. confert cum Sirenibus imo præfert; cum ait; se non mirari desertas ab Vlysse sirenes, sed miraturum fuisse, si Canium fabulantem relicturus erat.

** Videtur ad Catulli Egnatium respexisse, semper renidentem.*

** De Domino & famulo.*

* In crudelem Dominum.

XXI. XVI.

Proscriptum famulus seruauit fronte notatus;
Non fuit hæc Domini vita sed inuidia.

Crudelis ille Dominus fuit Antius Restio, vt Val. Maximus lib. 6. cap. 8. Appianus lib. 4. Macrob. lib. 1. Saturnaliorum cap. 11. prodiderunt: *Qui proscriptus* A. V. D. CCX. *à Triumuiris, cum omnes Domesticos circa rapinam & prædam occupatos videret, quam maxime poterat dissimulata fuga, se penatibus suis intempesta nocte subduxit. Cuius furtiuum egressum, seruus ab eo vinculorum pœna coercitus, inexpiabiliq; literarum nota per summam oris contumeliam inustus, curiosis speculatus oculis, ac vestigia secutus lateri voluntarius comes adrepsit. Deinde cum sentiret cupidos sanguinis milites superuenire, amoto Domino rogum extruxit, eiq; egentem à se comprehensum & occisum senem iniecit. Interrogantibus postea militibus, vbi nam esset Antius, manum rogo intentans, ibi eum crudelitatis piaculis vri respondit. Fidem meruit præsens spectaculum, & præterita heri culpa notæ serui, Antiusq; seruatus.* Qui plura eiusmodi exempla seruorum desiderat, legat Valer. Max. & Appianum. Senecam lib. 3. de benef. cap. 23. 24. 25. 26. omnia sane digna tantorum virorum stilo & testimonio. PROSCRIPTVS.] Quorum ea erat conditio, vt bonis ereptis à quouis deprehensi possent occidi, innumeriq; eo casu occisi sunt à Triumuiris seruatis aliquibus miraculo prope, vt scribit Appianus. FAMVLVS] serui nomen nusquam reperio. SERVAVIT] primum quidem vxor seruauit, cum iniecta culcitra inuoluit, eoq; modo mercenariis impositum ad mare præmisit, indeq; in Siciliam fuga abiit: Deinde seruus: vti iam expositum est. FRONTE NOTATVS.] Appianus ob nequitiam inustum affirmat. Prius quippe, inquit, *sub restione enutritus, & in multis clementer habitus, ob nequitiam*

quitiam tandem notis barbaricis (Threiciis nempe) *inustus fuerat*. De more autẽ notandorũ diximus lib. 1. & erudite tractat Lipsius in Electis, vti ibi scripsimus ad illa verba Martialis, *splenia tolle, leges*. Literæ, aut plura verba quæ crimen causamq; notæ continerent; inurebantur: qualia fuêre. CAVE FVREM. Lipsius lib. 2. cap. 15. NON FVIT HÆC DOMINI VITA.] Vltus est, inquit, dominum, quia reddidit illum omnibus inuisum. se vero gratum: si occidisset, caruisset dominus inuidia, seruus fide. Ita vita à seruo male accepto data, potius Domino inuidia fuit, quam vita.

B. Augustin. ad epist. ad Galatas. Claudianus l. 2 Eutr. aliy de his notis & notatis seruis.

De Apicio.

XVII. XXII.

*Dederas, Apici, * bis tricenties ventri,*
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus, ne famem & sitim ferres,
Summa venenum potione duxisti.
Nihil est, Apici, tibi gulosius factum.

** Ter.*

Exemplum helluonis priuati singulare & inauditum. Sors bonorum & pecuniæ Apitianæ erat septingenties centena millia sestertium: hoc est, decies centena septingenta quinquaginta millia Philippæorum, siue duo milliones florenorum, & trecenta millia triginta tres. Ex hac summa decoxit sexcenties centena millia sestertium: hoc est, duos milliones florenorum, siue sesquimillionem Philippæorum: * supererant centies centena millia sestertium, siue trecenta triginta tria millia florenorum supra trecentos triginta tres. Quis autem hic Apicius? Dion, Seneca, Plinius docebunt. accipe breuiarium. Millies centena millia (hoc est, sesquitertium millionem Phillippæorum, siue tres milliones, & trecenta millia, trecentos triginta tres florenos) sestertiûm congessit in culinam, vt Seneca diserte affirmat; sexcenties vt Dion & Martialis: & rationibus subductis, cum centies superessent, vitam veneno finiit, vt minime male illum Plinius lib. 10. cap. 48. *altissimum omnium nepotum gurgitem appellet*. Vixit temporibus Tiberii Cæsaris: non est is, cuius extant de re culinaria l. 10. nec is, qui Traiano Imperatori in itinere occurrit, vt Athenæus scribit. Nostro huic Apicio nomen ex Marco Gabio, vel Sabio Apicio. Cuius libri extant, Cælius Apicius audit. Scribit & Suidas de duobus Apiciis, & alterum vocat Marcum Apicium, à quo ait nomen in Asotos & gulæ proceres propagatum, vt Apiciani dicerentur. De his Apiciis curiose Cæl. Rhodiginus lib. 9. c. 11. Seneca epist. 95. Et lib. de beata vita cap. 11. Egregius locus apud Lipsium.

1750000.

** masle vorare gurges.*

* BIS TRICENTIES] millies Seneca ad Heluiam. *Apicius nostra memoria vixit, qui in ea vrbe, ex qua aliquando philosophi velut corruptores iuuentutis iussi sunt exire, scientiam popinæ professus disciplina sua seculum infecit; cuius exitum nosse operæpretium est. Cum sestertium millies in culinam congessisset, &c.* Suidas nullum exprimit numerum certum, nec Dion nisi illum, qui supererat. SED ADHVC SVPERERAT] sed luxui adhuc centies centena millia * supererant, quæ impenderes, exhaustis iam & decoctis sexcenties centenis millibus sestertium. Hoc consensu omnes: Dion lib. 57. Seneca ad Heluiam c. 10. *Cum sestertium millies in culinam congessisset, cum tot congiaria principum & ingens Capitolij vectigal singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus rationes suas tunc primum coactus inspexit. Superfuturum sibi sestertium centies computauit, & velut vltima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat eius, cui sestertium centies egestas fuit?* LVXV] pro luxui: Virgilius ita locutus est, *parce metu Cytherea*, & alicubi Martialis. Vel ad luxum: laxum alii legunt, id est non compressum ἀσκεθρόν, non minus centies sed amplius potius. HOC TV GRAVATVS] hoc centies sestertio, velut nihil superesset, hac egestate grauatus, inopia pressus, putasti tibi fame, & siti moriendum. ideoq; venenum hausisti. SVMMA POTIONE] extremo poculo, extremo haustu, vt summa dies, id est, suprema, extrema. DVXISTI] ducere. Horatius ducere succos, ducere pocula. lib. 1. car. od. 17.

** Ter ex Seneca scriptura.*

** Ducenta quinquaginta millia Philippæorum.*

Hic innocentis pocula Lesbij
Duces sub vmbra ——

Et idem ducere Liberum lib. 4. od. 12.

Sed pressum Calibus ducere Liberum.
—— lucidas inire sedes, ducere nectaris
Succos. ——

Et od. 3. lib. 3.

Sic & Plautus Amphitryone.

—— eam ego, vt matre fuerat natum,
vini eduxi meri.

Et Cic. dixit obducere venenum. Tusc. 1. de Theramene. sic trahere, siccare calices. Scriuerius persuasit legendum *perduxti*, pro *duxisti*, quod perducere sit potentius quam ducere. Videtur enim *ducere* simpliciter, alere quod *bibere*: *perducere* omnino quod *exhaurire*. VENENVM DVXISTI]

Seneca

Seneca ad Heluiam, c. 11. *Sestertium centies aliquis extimuit, & quod alij voto petunt veneno fugit. Illi vero tam praua mentis homini vltima potio saluberrima fuit. Tunc venena edebat, bibebat, cum immensis epulis non delectaretur tantum, sed gloriaretur, cum vitia sua ostentaret, &c.* NIHIL EST, APICI, TIBI GVLOSIVS FACTVM.] Argute sane. Nunquam tam caro cœnasti, aut bibisti. Poeta perinde loquitur, ac si Apitius venenum centies centenis millibus sestertium emisset, quo periret. Hoc enim petiit, ne periret. Vel; Nihil sumptuosius fuit hoc poculo. quis tanti emat mortem?

Alim tempestam auarũ, Hic tamen non de tempestate, sed inuitatore agitur.

In Inuitatorem.

XXIII. XVIII.

Omnia cum retro pueris opsonia tradas
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

Ludit Martialis in verbo à pedibus. Cum tradas seruis à pedibus cibos, cur non ipsam mensam ponis à pedibus? hoc est, à tergo accumbentium pro seruis scilicet & vernis: quid hic vacui sedemus? Nec puto hic poetam velle mensam inuerti & pedes. Modiperator iste conuiuis sine modo administrabat conuiuium. Pueris enim ad pedes porrigebat omnia, de mensa, nihilque relinquebat conuiuis: Martialis ergo apponendam pedibus mensam fuisse, non manibus, inquit, cum cibaria omnia mittat ad pedes. PVERIS] aut filios, aut vernas intelligit aut seruos. De pueris ad fulcra lecticæ solitis sedere scribit Tacitus Annal. 13. *Mos*, inquit, *habebatur principum liberos cum ceteris, idem ætatis nobilibus sedentes vesci in conspectu propinquorum, propria & parciore mensa.* Suetonius item in Claudio: *Adhibebat omni cœna & liberos suos cum pueris puellisq; nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.* Ciaconius de Triclinio: *pueri etiam nobiles sedentes, non accumbentes, quod delitiosum habebatur, cœnabant.* De seruis videtur affirmare Martialis lib. hoc.

At ipse retro flexus ad pedum turbam.

Et lib. 7: in Sanctram: *Nec esculenta sufficit gula præda,*
Musso lagenam replet ad pedes vino.

Hæc tamen non conueniunt. Et, Ad pedes non dicuntur serui sedentes, sed ministrantes: stabant enim ministri triclinitares ad pedes. Seneca lib. 3. de Benef. *Seruus, qui cœnanti ad pedes steterat.* Seruus à pedibus non dicitur cursor, quem hodie Lackey vocant; sed qui domino cœnanti, & accubanti, ad pedes seu à pedibus stat & seruit. Sic ad pedes domini discumbentis stetit illa flebilis Magdalena, quæ velut serua & Ministra pedes, quod item more fiebat, vnxit; vt S. Lucas c. 7. narrat.

Lege Fuluii appendicem ad Ciaconium. Egregie locum hunc illustrat Causabonus ad Theophyl. cap. περὶ ἀναισχυντίας, cuius libet verba adscribere, *Moris fuit veteribus, cum ad conuiuium irent, seruum aliquem secum adducere, qui hero prandenti pone astaret, vel ad pedes, eiq; præsto esset, si quid ille imperare vellet. Latini hos seruos vocant à pedibus, vel ad pedes. Solebant autem illis apophoreta à dominis tradi. Athenæus initio quarti* καὶ ἕκαστος λαβὼν σὺν αὐτῷ πίνακι, τοῖς κατόπιν διεδίδου παισίν. *mendose enim ibi hodie* πᾶσιν *legunt, & interpretantur. sic ibidem mox:* ἐπιδόντα μὲν ἡ ταῦτα τοῖς δούλοις. *Lucianus* περὶ διψάδων, *de Philosopho, qui è conuiuio domũ redierat,* ἀριθμῷ περίλαβε τὰ κρέα ὅσα τῷ παιδὶ κατόπιν ἑστῶτι παραδεδώκει. *Aliâs aũt volente & auctore domino conuiuij hæc auferebantur: vt in Cleopatræ conuiuio, quod Plutarchus & Athenæus describunt: & in eo Carani, apud Athenæum quarti initio: & omnino in omnibus splendidioribus epulis. alioqui non tam vidente, quam vel conniuente, vel inscio: quod recte hic Theophrastus inter hominis impudentis notas numerat.* Lucilius lib. 11. epig. Græcorum titulo in glutones.

Καὶ τρώγεις ὅσα πέντε λύκοι Γάϊε, καὶ τὰ περισσὰ
Οὐ τὰ σὰ, τὰ γ' ἡμῶν, πάντα δίδως ὄπισω.

Martialis: *Omnia cum retro pueris obsonia tradas,*
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

Lucianus quoq; in Lapithis siue morosophorum conuiuio Ὁρᾷς ὅσα τῷ παιδὶ κατόπιν ἑστῶτι ὀρέγει, λανθάνειν οἰόμενος τοὺς ἄλλους, οὐ μεμνημένος τοῦ μετ' αὐτόν. *loquitur de guloso quodam, qui delibans ex iis, quæ mensæ erant apposita gratissima quæq; clam aliis, vt sibi quidem videbatur, puero stanti à tergo omnia porrigebat. At is, quem Theophrastus hic describit, cautior est atq; ingeniosior: palam enim puero suo tradit, quæ vult auferri, simulans se non ea sini dare, vt domum ad se ille ferat: sed vt iis ipse vescatur: in quo minor erat inuidia.*

Ad Faustinum.

XXV. XIX.

Si temperari balneum cupis feruens,
Faustine, quod vix Iulianus intraret:
Rogo, lauet vti * *Rhetorem Sabineum.*
Neronianas is refrigerat thermas.

* *Sabinaeũ.*

In Sabineum frigidissimum Rhetorem est hic iocus, quem insinuat adeo in dicendo & docendo frigidum, vt aquas etiam feruentes prope possit gelare. Aliud commentatur Domitius, sed ἀπὸ τῆς ποιητικῆς, ventum enim horribilem & pestilentem flabat Sabineus, animamque frigidam è pseudothyro mittebat. IVLIANVS] si adeo temperare vis, vt etiam ferre possit Iulianus. Iulianus autem hic calentes aquas non intrabat, sed admodum tepentes. NERONIANAS] quæ erant egregie calidæ, & inter optimas numerabantur, de quibus supra iam sæpius diximus. Cæterum oratio habet paroemiæ similitudinem ἰαλέμου ψυχρότερος. De cantione, oratione, argumento, ioco, aut eiusmodi re quapiam admodum frigida Adagiographus. Cæterum in Rhetores ineptos, obliuiosos, indisertos, & prope mutos, plures sunt ioci apud Martialem lib. 5. in Apollonium. epig. 22. & 55. lib. 6. 35. & 19. Et in Epigrammatis Græcis lib. 2. de Sexto quodam Rufo arbitror, & lib. 4. Palladæ in Gessium. Et apud Ausonium epig. 44. 45. 46. 47. 48. 50. 51. in Rufum & Rufi statuam. Lucilii item in Meneclem lib. 2. εἰς ῥήτορας.

In Candidum.

XX. XXVI.

Prædia solus habes, & solus, Candide, nummos:
Aurea solus habes, myrrhina solus habes:
Maßica solus habes, & Opimi cæcuba solus:
Et cor solus habes, solus & ingenium.
Omnia solus habes: hoc me puto velle negare:
Vxorem, sed habes, Candide, cum populo.

PRÆDIA SOLVS, &c.] Candidum amicum tantum adulteram vxorem habere, alioqui nihil commune amicis, ait. Et est in eundem fictum Candidum lib. 2. epig. 43.

Candide κοινὰ φίλων, &c.

Solus habes rus & æs, nihil communicas cum amicis. AVREA SOLVS HABES, MYRRHINA] Aurea & myrrhina vasa poculaque. De myrrhinis libro 14. ex variis scriptoribus, quæ sint docebimus.

MASSICA] Vina, proxima Falerno. lib. 13. de his vberius. OPIMI CÆCVBA] Opimianum Cæcubum, vinum Opimio Consule conditum, & per ducentos, & amplius annos seruatum. Cæcubum à Cæcubo agro Campaniæ; genus Falerni. lib. 13. ET COR SOLVS HABES] solus tibi sapere videris; cordatus sapiens homo,

Egregie cordatus homo—— Ennius.

SOLVS ET INGENIVM] solus ingeniosus & doctus tibi videris. Disce elegantem repetitionem vocis (solus) qua & auaritiam hominis videtur monstrare: auari enim ad se rapiunt omnia soli.

OMNIA] à partibus ad totum. HOC ME PVTO VELLE NEGARE] quod sequitur de vxore, vel quod proxime antecedit. OMNIA] demus, te prædia, opes cor, ingenium solum habere, non tamen habes omnia solus, quia vxorem habes communem, id est, adulteram.

In Gallum.

XXI. XXVII.

Nunquam me reuocas, venias cum sæpe vocatus:
Ignosco, nullum si modo, Galle, vocas:
Inuitas alios: vitium est vtriusq;, quod? inquis.
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.

Gallum Martialis sæpe vocatum ad cœnam dicit, se autem nunquam reuocatum à Gallo. Indignatur & se stultum, qui hoc fecerit; & Gallum impudentem, qui non fecerit; affirmat. Martialis ergo fœnerabat cœnas, non dabat, amicitias vtilitate non bonitate probabat, quod contra sapientum est decreta. lege Senecam de Benef. COR.] pro Sapientia, res vulgaris. tricor Ennius.

Diceret Autolycus reminiscor si cor haberet.

In

In Neſtorem.

XXVIII. XXII.

Auriculam Mario grauiter miraris olere.
Tu facis hoc; garris, Neſtor, in auriculam.

Neſtorem hunc fictitium ait obtrectatorem, aut animam olentem, oſq; impurum habere. TV FACIS HOC;] vt oleat illi auricula, quia garris in auriculam, & inficis aures eius conuitiis tuis, aut hircum olente, animâ tuâ corrumpis aures eius & graueolentiam adfers. Quid ſit in aurem garrire lib.1.ep.90. diximus.

In Zoilum.

XXIX. XXIII

Has, cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus annulos priores.

--uu--uu
--u-u-u

Zoilum fuiſſe quondam ſeruum & ergaſtularium, poſtea ad equeſtrem ordinem euectum dicit. Genus carminis eſt Sotadicum nec tamen antiſtrophum. Terentiano & Grammaticis appellatur Ionicum à maiore tetrametrum Brachycatalecticum, quale eſt illud apud Hephæſtionem.

Ἥρων ποτὶ φασιν διὰ τ περιπλέκειν.

Terentianus Maurus Sotadeum ſcripſit de litteris, cuius hoc initium:

Elementa rudes quæ pueros docent magiſtri
Vocalia quædam memorant, conſona quædam, &c.

De Sotadæo ſeu Sotadico & ipſo Sotade copioſe dictum lib.2 ep.86. ad illum verſum:

Nec retro lego Sotaden cynædum.

Nuſquam alibi noſter poeta, quod meminerim, vſurpat hoc genus, ſed heroicum tantum, vel diſticha, vel dimetra Iambica, cum dimetro iuncta, vel choliambica ſeu ſcazonta, vel phaleucia. Ita vniuerſim continet formas carminum diuerſas ſeptem tantum. HAS CVM GEMINA COMPEDE] Fingit Zoilum libertate donatum Saturno ſacraſſe ritu veteri compedes & Catenas. Serui compedibus vincti erant in ergaſtulo miſerabili conditione, & duûm generum vel nequam ſerui, vel innoxii viles, captiui, barbari, corpore tantum boni, & quibus cerebrum omne in manu, id eſt, labore & opera mercenaria & ſeruili, quos emebant vulgo in hunc finem laborum. Lipſius lib. 2. Elect. c.15. Hinc à compedibus dicuntur annulati. GEMINA] quia ligatum illis vtrumq; crus. CATENAS] Catenæ orbes habebant ferreos inſtar annulorum, vt hodie nexi & ſeminoxii. qui in compedibus faciunt opus. Schellenbuben / ergaſtulani proprie. ANNVLOS PRIORES] ferreos, id eſt, compedes; nunc enim argenteos, immò aureos geſtat (equeſtrem enim dignitatem adeptus) cum antea ferret in ergaſtulo ferreos. ſic alibi ludit.

Annulus iſte tuis fuerat modo cruribus aptus.

Plura Lipſius ibidem. Apuleius 9. Mileſ. *frontes literati, pedes anulati, capillum raſi*, &c. De anulo equeſtri ſuo loco. Originem anuli cum ſigillis & iconibus centum quadraginta octo oſtendit nuper Abrahamus Gorlæus cum eleganti carmine. Hugonis Grotii, in quo verus anuli vſus docetur. quod lib. 14. leges ad lemma. ANVLVS. SATVRNE TIBI DEDICAT] Quare Saturno? Quia Saturnus olim in compedibus: Cauſam Verrius Flaccus teſtatur ſe ignorare. Verum Apollodori lectio ſuggerit Macrobio, Macrobii mihi. Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & ſolui ad diem ſibi feſtum. id eſt, menſe Decembri. Saturnus ergo vinctorũ Deus, cui ſoluti vinculis, merito ſoluunt vota, votiq; potentes anulos, ſeu compedes velut anathemata ſuſpenduut ad libertatis Dei beneficio partæ memoriam ſempiternam. Hinc & Saturnalia Saturno ſacra, quibus ſerui dominantur, heri ſeruitia obeunt. De his & Papinius in Siluis. Horatius non Saturno tantum, ſed Laribus catenas quoq; fuiſſe conſecratas ait Sat.5. lib.1. niſi. *κοινῶς* Lares pro quouis Deo, & Saturno etiam vſurpet. Vt autem ſerui ſeruitutis exoneratæ monumentum Diis ſacrabant; ſic Gladiatores rude donati arma, naufragi tabulam Neptuno: pueri bullas Diis penatibus: puellæ puppas Veneri, &c. Lambinus ad 5. Sat. lib.1. quod ibidem teſtimoniis ſtabilitur. Idem ſupra docuimus de barba reſecta.

Ad Gargilianum.

Nomen Gargiliani fictitium hic, quamuis verum apud Lampridium, & apud ſcriptores memoratur.

XXX. XXIV.

Sportula nulla datur, gratis conuiua recumbis.
Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?

Cum

* * *

Cùm ratione, licet dicas, te viuere summâ:
Quod viuis, nulla cum ratione facis.

* Vnde tibi togula est, & fusca pensio cellæ? Vnde datur quadrans vnde? vir es Chiones?

Gargilianum ad restem vult adigere, quem ait non habere vllam rationem viuendi, quamuis summa cum ratione viuat. SPORTVLA NVLLA DATVR] Quia sublatis sportulis Domitianus cœnas rectas reuocauit, vt suprà epig. 7.

Centum misellis iam valete quadrantes.

GRATIS CONVIVA RECVMBIS] Ad iustam cœnam adhiberis officij caussa sine pretio, sed post cœnam nulla est læna, nec domus, &c. QVID ROMÆ, GARGILIANE, FACIS?] Cùm tu præter cibum nihil pecuniæ accipias, & nullam artem calleas, qua rem compares, quid facis Romæ? vnde viuis? vnde vestem? vnde lectum comparas? vnde tectum soluis? hoc est enim, pretium cellæ fuscæ. Iuuenalis 3.

Quanti nunc tenebras vnum conducis in annum?

Cellæ gurgustiola hominum viliorum: Casaub. ad Cal. cap. 57. vbi plura. PENSIO] τὸ ἐνοίκιον, precium annuæ habitationis, obuentio. Casaub. ad cap. 38. Iul. Cæs. Heraldus ad hunc locum vterque copiosè. Martialis infrà sæpius. VIR CHIONES] Chione lupa prostibulum quæstum à corpore quærens. QVADRANS] pro lauatione; hoc enim pretium erat. quod Heraldus testibus nimis multis confirmat.

CVM RATIONE LICET] frugalissimè inquies viuo. Frugalius, inquit Martialis, viueres, si moriereris. Iocus est in ambiguo (ratione) prius enim frugalitatem & moderationem, posterius mentem, caussam, iudicium intelligentiamque significat. NVLLA CVM RATIONE] Sine vlla ratione & caussa viuis, quia non habes, vnde viuas: præstaret te mori.

Ad Ruffinum.

XXV. XXXI.

Sunt tibi, confiteor, diffusi iugera campi,
Vrbaniq; tenent prædia multa Lares:
Et seruit dominæ numerosus debitor arcæ,
Sustentatq; tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli, Ruffine, minores.
Plus habuit Didymus: plus Philomelus habet.

Ad modestiam hortatur Ruffinum malis artibus auctum. Fateor tibi multos fundos, & prædia, & iugera coli. VRBANI LARES TENENT PRÆDIA] Habes & vrbana prædia non pauca, quæ tantum occupant soli vt possint multis ædibus sufficere. Infelix Ramiresi simulac alterius vnum aliquod peccatum deprehendis, tu simul multa peccas. En quid hoc in loco Musambertius ad illa sua: *Lares vrbani, id est, domus quam in vrbe possides, tenent multa prædia, id est, occupant multa ædificia, &c.* Pro superi: Orbilium videre videor cum ferula tibi imminentem, & sic tecum iurgantem. Sic tu magister vis doceri pueros, vt dicant, Domus quam possides occupant multa ædificia? Etenim siue domum velis ab ædificiis occupari, ineptis tu homo: siue domum occupare ædificia, bis ineptis, semel lingua iterum mente. Nam quæ, malùm, stribligo est domus; quam possides, occupant? Valerius autem voluit, Vrbani tui lares, siue Dij tui penates in vrbe, tenent multa prædia, id est, multum soli, siue soli quantum satis esset multis domibus, vt in veteribus glossis: Prædia vrbana sunt, quæ habent ædificia, & sunt in vrbe. Profert Brissonius V. C. Etenim solum & superficies iunctim prædium dicitur plerumque, sed propriè, prædium est solum ipsum, idque si ruri, rusticum, si in vrbe, Vrbanum. Iunctim vero etiam ruri vrbanum esse potest, & in vrbe rusticum. ET SERVIT DOMINÆ NVMEROSVS DEBITOR ARCÆ] Et multos fœneratus es, multis credidisti multum æris. DOMINÆ ARCÆ] Pecuniæ, quæ domina est cui seruiunt omnia. Nam clausum possidet arca Iouem, & vt Aristophanes in Pluto. πάντα γὰρ τῷ πλουτεῖν ἐσθ' ὑπήκοα — AVREA MENSA] Totas mensas non lego aureas fuisse, sed coronas tantum mensarum. Poëta partem pro toto sumpsit. Ciaconius de Triclinio. *His mensis (citreis elephanto, seu eburneis pedibus nixis) coronæ argenteæ, aureæ interdum & gemmis distinctæ addebantur.* Scæuola in l. qui vxori. ff. de auro & argento legat. cum dixisset; *peruentamus ad gemmas inclusas argento auroq;* subiungit: *sed & in coronis mensarum gemmæ coronæ cedant, & hæ mensis.* Vel poëta retulit ad vasa mensæ aurea, citreas tamen mensas auro pretiosiores habitas ostendit Martialis lib. 14.

Argenteas legerat Lampridius Heliogabalo.

Accipe felices Atlantica munera siluas,
Aurea qui dederit dona, minora dedit.

Musambertius tamen totas coniicit aureas etiam fuisse vel inauratas.

Super quo versu ibi plura. FASTIDIRE TAMEN NOLI, RVFFINE, MINORES] Etsi tam potens es Ruffine, omniaque tua auro radient, noli tollere supercilium, amicosque olim tuos tenuiores abiicere & præ te contemnere. non reddidit te aurum vel Didymo, vel Citharœdo Philomelo nobiliorem, quorum vterque opibus superauit. PLVS HABVIT DIDYMVS] Infamis ille Didymus, de quo lib.12. Mart. PLVS PHILOMELVS] fictum credo nomen Cantoris aut Citharœdi, aut lanistæ.

De piscibus sculptis.

XXXV. XXVI.

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces aspicis: adde aquam, natabunt.

Phidias Atheniensis pictor & fictor vixit Olymp.83. A. V. C. CCC. Plinius lib.34.cap.8. Fecit Iouem Olympium, quem nemo æmulatur, Mineruam, Amazonem, & alia scriptorum monumentis celebrata opera. Idem auctor Toreutices fuit, quam Polycletus excoluit; sancitumque est, vt nemo seruus toreuticem disceret, tantus ei honos habitus. Plinius lib.35. cap.10. Toreuma est opus cælatum, cuiusmodi sunt calices, crateres, signa hominum aut ferarum, aut florum exeuntia extantiaque Iuuen. Sat.1. ——*& stantem extra pocula caprum.* torno fiunt, vt quidam sentiunt. Ciaconius de Triclinio p.20. vbi plura. ARTIS PHIDIACÆ] Non à Phidia factum toreuma, sed ab inuentore Phidia toreutice dicitur Phidiaca. TOREVMA CLARVM] Egregium opus, cui insculpti spectabantur pisces, adeò ad vnguem expressi, vt louem lapidem iutes naturales, non fictitios esse. Hinc addit poëta. ADDE AQVAM, NATABVNT] Adeò naturam æmulantur, vt à veris secernere non possis. Ita M. Varro scribit, sibi cognitum Romæ Posinum nomine, à quo factas Romæ vuas, item pisces, quos aspectu non fuerit secernere à veris. Plinius lib.35. cap.12. Est Iuliani epigramma in phialam pisces mouentes ostendentem lib.4. Anthol. cap.32.

An Bypæ apud Senecam?

Οὕτω βάκχον ἔδεκτο Θέτις; νῦν μῦθος Ὅμηρε
Οὐδὲ μάταιον ὄρεν πίστιν ἐπιπεμῖης.
Sic Thetis accepit Bacchum; tua fabulam feram,
Sed veram tandem cepit, Homere, fidem.

Infrà de simili argumento plura. 41. de lacerta cælata.

In Fabianum.

XXXVI. XXVII.

Quod nouus, & nuper factus tibi præstat amicus:
Hoc præstare iubes me, Fabiane, tibi;
Horridus vt primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum:
Lassus vt in thermas decima, vel serius, hora
Te sequar, Agrippæ, cùm lauer ipse Titi.
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Vt sim tiro tuæ semper amicitiæ?
Hoc merui, Fabiane, toga, tritaque, meaque,
Vt nondum credas me meruisse rudem?

Exprobrat amico diuturnam amicitiam non amicam nec munem, putant hoc carmen scriptum anno Martialis 53. sed incerta omnia. QVOD NOVVS] Veteres amici magis colendi, de hoc lib.1. diximus. Tu perinde abuteris me tamicitia, ac si nuperus essem, & propè seruus. HORRIDVS VT] speciatim exponit, quod communiter dixerat (præstare iubes) quod frequentissimum est poëtæ, vt primum genus, deinde partes, vel contra ponat.

PRIMO

PRIMO MANE] primo diluculo dixit Cicer. Columella multo mane, obscuro mane, postero mane. Et Persius clarum mane, non idem quod primo mane. Veteres manum clarum dicebant. Nonius & Seruius manum, id est, bonum. HORRIDVS] impexus, illotus, incomptus, semisopitus, quia non est tantum otij à cubitu, vt me pectam, aut honestè componam, sic properare cogor. SALVTEM] dicam solenne verbum patrono, AVE, de quo supra lib. 1.

PER MEDIVMQVE TRAHAR] Cùm anteambulonis officio fungar, mediaq; & cœnosa via te præcedam. De sella, qua ferebantur ciues nobiliores aut ditiores Lipsius Elect. vbertim.

LASSVS ET IN THERMAS] Lassus currendo, teque tota die impransus, & ieiunus comitando.

DECIMA] Duabus horis tardius. Erat enim octaua assignata lauationi, æstate; quam cœna sequebatur hora nona. Hyeme lauabant nona, decima cœnabant. Decima autem hora respondet hodie apud Italos vigesimæ secundæ. apud nos æstate, decima, est octaua, aut potius septima. hyeme tertia, vel secunda pomeridiana. Nam decima hora erat priscis illa, quæ horis duabus antecedebat noctem; vndecima, vna. Duodecima vltima diei. De hac re lib. 4. epig. 8. disseruimus. Thermas M. Agrippæ, & Titi Imperatis supra lib. 2. epig. 19. explicauimus.

TE SEQVAR] cogar lauare tecum in Agrippinis, cùm in Titi ipse soleam lauare, æquè bonis, aut etiam melioribus. hora insuper commoda, nempe octaua, cum tu decima demum aut vndecima laues in Agrippæ; hoc enim iure, non ineptè queritur Martialis, se toto die trahi gratis per cænum & lutum, & hora demum decima lauare cum Fabiano, cum ipse possit octaua in Titi lauacro suis commodis vti. Multa rursùm hic Ramiresi errata. Iustior est, inquit, multo Fabiani conquestio. Volebat Martialis non Fabiani dicere, caussam enim subiicit. Præterea non queritur (vt somniat à me dictum Ramiresius) Martialis quod cogatur in Agrippæ balneo cum Fabiano, sed quod tempore incommodo. Insuper verum non est quod per fastum amici potentis lauare simul non liceret, cum Agrippinæ thermæ essent publicæ & gratuitæ. & imperatores etiam cum plebeis lauarent.

HOC PER TRIGINTA MERVI] Tu pro his officiis triginta annis tibi præstitis, quibus attriui togam, non tuam, sed meam; nondum me rude donas? & gratis sportulam præbes? Iuuenal. Sat.

——perierunt tempora longi
Seruitij: nusquam minor est iactura clientis;
Quod porrò officium, ne nobis blandiar, aut quod
Pauperis hic meritum, si curet nocte togatum
Currere——

TRIGINTA DECEMBRES] 30. annos. TRITAQVE MEAQVE] mea, inquit, cùm alioqui patroni clientibus togas mittere soluerint. MERVISSE RVDEM] à gladiatoribus sumpta metaphora. Rudem enim, vt scribit Lipsius Sat. 2. cap. 13. Indulgebant gladiatoribus veteranis, quasi, magisterij signum: aut etiam nouis in nouo aliquo & strenuo facto, idque populo impetrante. Quintil. *Quidam, vt patrem sepeliret, se auctorauit, sed die muneris productus sub titulo causa rudem postulante populo accepit.* Quam gladiator stans ad crepidinem Circi sub circulo amphitheatri à populo petere, & impetrare solebat. Dabat illam Lanista, vel editor populi arbitrio, & postulatione. Eius effectus liberatio ab arena. Rudis, quid sit, docet idem Lipsius lib. 1. Sat. cap. 15. Ea duplex tironum gladius ligneus. Lanistæ ferula seu scipio. Rudem Ramiresius accipit de rude gladiatoria & toga. gladiatoriam iuxta mecum; rudem togam ipse apponit. Rudis gladiatoria certa est. toga incerta, immò nulla, nusquam enim reperitur rudis absolutè pro toga. & rudem mereri, rude donari semper alio sensu tritum. lib. autem 2. ep. 44. idem dicit, quod hoc loco, nisi, quod addat ex alio ep. rudem lacernam, sed non absolutè, vt dixi. si quid tamen dicit, ratione præcedentis, versus intelligi potest, vt rudem ad togam nominatam referat.

In irascentes amicos.

XXVIII. XXXVII.

Irasci tantùm felices nostis amici.
Non bellè facitis: sed iuuat hoc facere.

Duplex intellectus, prior in auaros, & potentes amicos, qui irascuntur clientibus, ne cogantur aliquid largiri: quo sensu dixit lib. 12. epig. 13.

Genus, Aucte, lucri diuites habent iram:
Odisse, quàm donare, vilius constat.

Et hæc germana mens poetæ. Posterior, vt felices, boni, sinceri verique intelligantur. de quibus illud Terentianum dicitur; Amantium ira amoris redintegratio est. Quod apud Græcos hoc versu exprimitur.

Ὀργὴ φιλούντων μικρὸν ἰσχύει χρόνον.
Pusillo amantum durat ira tempore.
Discordia fit carior concordia.

Ira iuuat irasci, vt amicitia gratior arctiorque fiat. NON BELLÈ FACITIS] est contra naturam amicitiæ & amoris. Amicitia est idem velle & nolle. nemo autem irascitur, cùm ab altero fit, quod alter cupit, & alter est in alterius arbitrio. Vel, NON BELLÈ FACITIS] vos beati & diuites amici; neq; hæc vera est amicitia.

SED IVVAT HOC FACERE] fingitis vos irasci, ne cogamini aliquid largiri, aut reipsa irascimini, vt rem negetis. IVVAT HOC FACERE] ad tertium sensum. quia redit postea maiore affectu, & arctior firmiorque fieri solet.

Ad Sextum.

XXXVIII. XXXIX.

Quæ te caussa trahit, vel quæ fiducia Romam,
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
Caussas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atq; erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Atestinus causas, & Ciuis: vtrumq;
Noras: sed neutri pensio tota fuit.
Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis:
Audieris, dices esse Maronis opus:
Insanis: omnes gelidis quicunq; lacernis
*Sunt * tibi, Nasones, Virgiliosq; vides.*
Atria magna colam? vix tres, aut quatuor ista
Res aluit: pallet cætera turba fame.
Quid faciam? suade. nam certum est viuere Romæ.
Si bonus es, casu viuere, Sexte, potes.

* ibi.

QVÆ TE CAVSA TRAHIT] Nihil Romæ amplius Romanum. nullo precio sunt ingenia & artes. lege Sat.3. Iuuenalis.

CAVSSAS, INQVIS, AGAM] Ero Caussidicus, immò orator oratorum principe melior. Nam vt Philosophi nomen Aristoteles; poëtæ Homerus aut Virgilius: Medici Hippocrates; Pictoris Apelles: ita eloquentiæ, & oratoris M. Tullius antonomasticῶs meruit. de quo verè Catullus.

Disertissime Romuli Nepotum,
Quot sunt quotq; fuere Marce Tulli,
Quotq; post, alii erunt in annis;
Gratias tibi maximas Catullus
Agit pessimus omnium poeta:
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

IN TRIPLICI FORO] Miror hic Merulam elinguem aut edentulum. Certatim ab omnibus corripitur hic Domitius, & iure meâ sententiâ, quia tria fora confuderit, & è triplici vnum fecerit; vel potius ex vno triplex. Triplex forum, in quo causæ agebantur erat hoc. Vetus seu Romanum, quod idem Latino. In Romano rostra, ex quibus illa vox Ciceronis in omnes oras & orbis partes, ac sæculorum posteritatem propagata est. Alterum Caij Iulij Cæsaris. Tertium Augusti. Testes laudo primum Marlianum lib.3. cap.24. & aliis locis. *Forum*, inquit, *Romanum, Cæsaris, & Augusti inuicem prope fuisse innuit Papinianus in Syl. cùm dicat.*

Nec saltem tua dicta concinentem,
Quæ trino iuuenis foro tonabas.

Vbi Marlianus singulis sua spatia locaque separatim definit. Hæc lib.2. epig.4. Martialis insinuat;

——fora litibus omnia feruent.

Alterum, quem prius nominari oportuit, Alexandrum Neapol. lib.2. cap.12. posteaquam copiose,

piosè, & de triplici foro, & singulorum loco disputauit, ita concludit. Ex quibus sine controuersia liquet, triplex, de quo quærimus, forum; de Romano, de Cæsaris, & Augusti foro, in quibus lites agitari, & iudicia reddi consueuerant, non de aliis intelligi oportere. Idem autem esse Romanum, Latium, seu Latinum & vetus, eodem lib. docet Alexander principio capitis 12. Tertium Cœlium Rhodiginum lib. 28. c. 10. Quem tu consules. Sed hæc omnia confirmantur priscorum auctoritate. Nam de foro Latino, seu Latio. Ouid. 4. fast. Statius Pap. 1. Silua de equo Domitiano.

Stat Latium complexa forum———

Et Martialis lib. 9. epigram. 4.

Addita quid Latio Flaccia templa foro?

Idem vocat Romanum, Plinius lib. 4. cap. 5. & alibi. Virg. 8. Æneid. Propertius lib. 4. El. 2. Et noster lib. 1. ep. Suet. in Augusto & alibi. De Cæsaris foro Plin. lib. 16. 44. De foro Augusti nimis multi possunt adduci. Lege Tiraquellum, ad cap. 12. lib. 1. Omnium accuratissimè de his foris Romanis admirandus Lipsius in suis Admirandis. Sextus ergo se fore principem Causidicorum, si in forum descendere velit, magnamque vim diuitiarum comparaturum. Sed respondet Poëta.

EGIT ATESTINVS CAVSAS ET CIVIS] Exempla mendicorum Caussidicorum duo. Atestini & Ciuis; quorum vterq; non habuit, vnde solueret annuam conducti laris pensionem totam, [illegible]. Idem accidet tibi Sexte, etsi Caussidicus sis non postremissimus. Nam hodie in vrbe nisi Sardonychati Caussidici, nullum habent locum. Iuuenal. Sat. 7.

———*purpura vendit*
Caussidicum, vendunt Amethystina, conuenit illis
Et strepitu & facie maioris viuere census.
Sed finem impensæ non seruat prodiga Roma!
Vt redeant veteres, Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit hoc primum, qui litigat, an tibi serui
Octo, decem Comites post te: an sit sella togati
Ante pedes. ideo conductâ Paullus agebat
Sardonyche; atq; ideo pluris quàm Cossus agebat,
Quam Basilus. Rara in tenui facundia panno.

ATESTINVS] ab Ateste vrbe Venetorum ditioni subiecta. Ptol. Martialis lib. 10. ep. 93. ad Clementem.

Si prior Euganeas Clemens Heliconis in oras
Pictaq; pampineis videris arua iugis.
Perfer Atestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina———

CIVIS] κύριον hoc loco. sequitur enim. VTRVNQVE NORAS] Caussidicus tenuis, nisi fictum vtrumque putes, ego verum vtriusque veri nomen arbitror. Domitius dissimulat. NEVTRI PENSIO TOTA FVIT] Neuter habuit, vnde solueret annuum ex ædibus censum. Vt supra epigram. 30.

Vnde tibi togula est, & fuscæ pensio sellæ?

SI NIHIL HINC VENIET] si in foro nulla spes opum, conferemus nos ad poëticen, pares Virgilio simus & Ouidio. INSANIS: OMNES GELIDIS QVICVNQVE LACERNIS] Minor spes poëtis. Quos enim Virgilios & Nasones vides, incedunt omnes frigidis & attritis lacerisque lacernis: id est; Optimi quique poëtæ sunt tenuissimi, pauperrimique, vt prope iam cogantur desinere poëticam. Ordo verborum est; insanis, qui hoc putas. Quicunque sunt tibi (intellige, visi) gelidis lacernis, omnes vides Nasones & Virgilios. Non desunt optimi poëtæ. Desunt Mœcenates & Augusti. Iuuenalis accedit testis, Sat. 7.

———*cùm iam celebres notiq; poëtæ*
Balneolum Gabiis Romæ conducere furnos
Tentarent: nec fœdum alij, nec turpe putarent
Præcones fieri, &c.

Poëtæ balneary, pistores, præcones facti.

Et infra de Statio.

———*sed cùm fregit subsellia versu,*
Esurit———

Iustus Zinzerlingus legit: *Sunt ibi* non *tibi*: Romæ inquam nam librum tertium Martialis non scripsit Romæ, Sed in Æmilia, seu Gallia togata, scriptumque Romam misit.

ATRIA MAGNA COLAM] Dialogismus est in hoc epigrammate; Sextum enim facit loquentem, cui respondet Poëta. ATRIA MAGNA COLAM] si poëtica nihil promeruero, aulam ingrediar principis, meque insinuabo in eius amicitiam. Frustra, inquit Martialis, nullus aditus. Vix tres aut quatuor adulatores, & delatores aula pascit. PALLET] Etiam aulici non gratiosi principi, tenues sunt, & fame prope pereunt. QVID FACIAM? SVADE] Dubius ergo Sextus. quærit, quan-

quando igitur nulla honesta ars Romæ est in pretio; & mihi tamen deliberatum Romæ viuere: qui Romæ viuam? consule in medium. SI BONVS ES, CASV] Si vir bonus es, fortean te venti pascent Romæ. Nam bonis præmium certum, aut stipendium nullum. si casu viuere potes, si quod fors fortunaq; offert, expectas, & præterea nihil, veni. Planè geminus est huic epig. locus in Petronio. de Crotona seu Roma. *O mi*, inquit, *hospites, si negotiatores estis, mutate propositum, aliudq, vitæ præsidium quærite. Sin autem vrbaniores nota homines sustinetis mentiri, rectâ ad lucrum curritis. In hac enim vrbe non litterarum studia celebrantur, non eloquentia locum habet, non frugalitas, sanctiq, mores laudibus ad frugem perueniunt*, &c. Potes & Musamb. hic consul. te contra Ram. Gontius legit pro *casu Gabiis*, sed absque teste, nisi quod Gabios Iuuenalis Satyra 3. eiusdem argumenti nominet.

In Thelesinum.

XL. XXX.

Mutua quòd nobis ter * *quinquaginta dedisti*
Ex opibus tantis, quas grauis arca premit:
Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus,
* *Tu magnus, quòd das? imò ego, quòd recipis.*

* al. ter quinquagena.

* Tun. al. Tum.

Ad Thelesinum Poëtam est septima Iuuenalis Satyra, an hic idem sit, necne, animi pendeo: inclinat tamen esse eundem. sed propè inclinantem retrahit, videri Thelesinum illum non diuitem fuisse, qualem hic Poëta prædicat. An potius compositum nomen est? Insinuat donandum fuisse mutuum, non repetendum aut recipiendum. TER QVINQVAGINTA] sesquicentum sestertia; siue centum quinquaginta millia sestertium. Philippæorum tria millia septingentos quinquaginta. Iuuenal. Sat. 6. eodem modo est locutus.

Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam.

Bis quingenta, id est, millena sestertia. seu millies mille sestertios, seu, quod idem est, decies centena millia HS. Hic tamen in Martiale putant legendum ter quinquagena. quæ tamen est eadem summa. Manilius lib. 2. dixit; *Ter quinquagenas.* Quanta sit postrema huius, & similium vocum triginta, quadraginta, quinquaginta, &c. Grammatici ferè certant, quamuis omnium sententiæ eò decurrant, vltimam tendi. Ideoque contendunt hic legendum esse quinquagena. Claius & Guillonius præcisè affirmant longam, nonnulli hærent. Micyllus in tutiorem partem inclinat. Mihi videtur vsitatius produci, nonnunquam tamen corripi. Prius ita verùm est, vt falsum nemo credat, posterius exempla scriptorum docent. Primum Manilij lib. 2.

Ter triginta quadrum partes per sidera reddunt.

Quo loco nihil potest esse clarius, nec vitium inest scripturæ, quod obseruasset Scaliger, procul abest, tricena. Alterum ex Martiale peto, qui præter hunc locum lib. 12. Ep.

* *Sexaginta teras cùm limina mane Senator.*

* propius sexagena.

Sic habent omnia, quæ vidi exemplaria, vt Grammatici tantùm ipsi videantur emendare lectionem, non emendatam legere. Tertium est Rhemnij de ponderibus & mensuris, sole clarius.

Sexaginta minas, seu vis sex millia drachmas.

Addo hoc παρέργως etiam (frustra) reperiri apud Iuuenalem, correptum. Et (responde) apud Martialem & Manilium contra Grammaticos, destinat apud Iuuenalem secunda longa, nisi mendosus est versus, corripitur apud eundem prima in voce *hamis* *Dispositis prædiues hamis*—— Sed hamis ibi non deducitur ab hamo quo capiuntur pisces, sed ab hama hamæ vase aquatio quo ad extinguenda incendia vtebantur. sed hæc poëtarum libertati permittamus &c. ESSE TIBI MAGNVS AMICVS] Pusillus es. non magnus, quia mutuum das & nihil donas. magni animi est donare. QVÒD DAS IMO EGO, QVÒD RECIPIS] à paupere diues. Indicas enim me diuitem, nam à paupere recipere diuitem non magni est animi. Cuperet sibi donatum hoc nomen Martialis.

Sat. 14.

De

De Lacerta cælata.

XXXI. XLI.

Inserta Phialæ Mentoris manu ducta
Lacerta viuit, & timetur argentum.

Vt ante pisces, ita lacertam nunc fabre factam celebrat, aut potius vtriusque artificem. INSERTA] cælata & ducta, facta Mentoris manu. PHIALÆ] Maior est Phiala communi poculo dicta à Græco φιάλη, quasi πιάλη κατ' ἀντιστοιχίαν, vt sit ἡ τὸ πιεῖν ἅλις παρέχουσα, quòd satis potanti faciat. μείζων γὰρ ἡ ποτήριον. Athenæus dixit etiam φιάλιον χρυσοῦν. De hac Plinius lib. 33. Et Baysius de vasculis. Apollodorus, qui eam carere pede dicit. Homerus ambiguam facit, hoc est, cuius operculum eandem formam cum pede habet, Germani appellant, Schalen / hoc est, planum & repandum poculum. MENTORIS] Laudatissimi Cælatoris, à quo insignia vasa docteque facta mentorea appellantur. vt tabulæ pictæ elegantiores Apellææ. Propertius. Et Martialis.

——*Mentorea, pocula facta, manu.*

mentoreos labores. De Mentore Plinius lib. 33. cap. 12. *Maximè tamen*, inquit, *laudatur Mentor: quatuor paria omninò ab eo facta sunt, ac iam nullum extare dicitur.* Et cap. 11. *L. verò Crassus orator duos scyphos Mentoris artificis manu calatos habuit centum * sestertiis.* Et lib. 7. cap. 39. *Mentoris Capitolinus Iuppiter, & Diana Ephesia, quibus fuêre consecrata artis eius vasa.* De hoc Iuuenalis Sat 8. & passim alij. De alio Mentore Vlyssis socio, Homerus 2. Odyss. An de cælatore etiam Mentore Ælianus lib. 7. cap. 40. loquatur, dubito.

*binis millibus & quingentis Philippais.

LACERTA VIVIT ET TIMETVR ARGENTVM] De ipsa Lacerta alibi. VIVIT] viuam ad vnguem imitata; sic spirare, & viuere dicuntur vultus picti & imagines, vt supra lib. 1. de Issa Catella Publij, & de piscibus. hoc lib. de Bucula Mironis, Zeuxidis vua, Parrhasij velo, equo Apellis, ita viuis aut descriptis, vt partim homines fuerint decepti, partim feræ. Leges apud Plinium libro 35. epigram. Græca. Ausonium & alios.

TIMETVR] quia venena spargit vera, & hæc veram imitatur.

In Lentinum.

XXXII. XLIII.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam subitò coruus, qui modò cygnus eras?
Non omnes fallis. scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo;

Canos Lentini vetuli vnguento & colore pictos prodit, & proditum iri dicit à Proserpina. MENTIRIS IVVENEM] Cùm Canus sis, optas videri iuuenis, & canos inficis coloribus. Sic dicimur mentiri habitum, vultum, mentiri fœminam, virum, &c. Ridiculum est, quod Nicias lib. 2. Ep. Græc. de quodam capillos tingente hunc in modum scribit.

Τὴν κεφαλὴν βάπτων τις, ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτάς,
Καὶ δασὺς ὢν λίαν, ὠὸν ἅπας γέγονεν.
Τοῦτο βαφεὺς ἰδών, τὸ μηκέτι κουρέα τέμνειν
Μήτε κόμην λευκήν, μήτε μελαινομένην.

Caput nempe densum, & canum sæpius infecerat, totumque depilauerat, vt nihil haberet tonsor, quod tonderet, nec album nec nigrum. cum caput totum instar oui glabrum esset. Lege Cœlium Rhod. in parœmia, totus ouum factus. TAM SVBITO CORVVS] Coruo nigrior, olore candidior. adag. Quid vult hæc tua tam subita metamorphosis? Plura lege lib. 4. ep. 56. Et lib. 6. ep. 57. in Phœbum, & 74. eiusdem lib. NON OMNES FALLIS] Etsi hominibus imponas, non impones Diis. SCIT TE PROSERPINA] Nôrunt Parcæ & vitæ præses Proserpina te vicinum inferis. Hor. lib. 1. car. Od. 28.

Vbi multa ex Græcis & Latinis de more tingendorum capillorum.

Nullum sæua caput Proserpina fugit.

Monet hos personatos grauissimè Clementis pædag. lib. 3. Tincti hi οὐ πρόσωπον, ἀλλὰ προσωπεῖον ἔχουσι, Lucilius vt ille. Poëta noster allusit in Proserpina ad fabulam, qua credebat antiquitas illam morituris secare crinem. Virgil. 10. Æneid. *Nondum illi flauum P. V. crinem, Abstulerat.* lege Muretum lib. 4. Var. cap. 16. PERSONAM CAPITI DETRAHET] Persona dicitur ficta imago vultus, quibus passim hodie in Bacchanalibus vtuntur, & olim histriones in theatris vtebantur. Absterget colores & pigmenta tua vt canus appareas, cùm te mox rapiet ad inferos. De persona lib. 2. in ipsa epistola.

In Ligurinum.

XLIV. XXXIII.

Occurrit tibi nemo quòd libenter.
Quòd, quacunq; venis, fuga est, & ingens
Circa te, Ligurine, solitudo:
Quid sit, scire cupis: nimis poëta es.
Hoc valdè vitium periculosum est.
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta sole,
Non sic scorpius improbus timetur.
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, & legis sedenti:

* * *

In thermas fugio: sonas ad aurem.
*Piscinam peto: non * licet natare.*
Ad cœnam propero: tenes euntem.
*Ad cœnam venio: fugas * sedentem.*
Lassus dormio: suscitas iacentem.
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir iustus, probus, innocens timeris.

Petronius. Per fidem saltem nobis parce, qui te nunquam lapidauimus, &c. Et supra Rogo, inquam, quid tibi vis cum isto morbo? Minus quàm duabus horis mecum moraris, & sæpius poeticè, quàm humanè locutus es.

** finis:*

** edentem.*

In importunum suorum Carminum lectorem est hoc epigramma; & exponit illud græcum, τὸ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν. NIMIS POETA ES] Omnibus vbique, importunè, importunè legis tua carmina, omnesque putas delectari tua poësi. nec seruas illud μηδὲν ἄγαν. Qui abutitur officio suo dicitur nimis esse rex, nimis sodalis, poeta, mater nimis regale fulmen Parthius lib. XXIV. p. 1189. c. 10. NON TIGRIS] De tigride equitem raptorem insequente alibi dictum. * NON DIPSAS] Dipsas genus serpentis pestiferum & fatale, à siti nomen habet ex græco, quod ictos assiduo æstu iactet, & siti inexplebili affligat. Cubitalis est. In Asia & Africa reperitur potissimum. De quo Dioscorides lib. 6. c. 50. *Quos vero dipsas percussit, solutus ac non constrictus tumor premit sitisq; vsque adeò pertinax, vt satiari non possit, ac sine vlla intercapedine cruciet, etsi potum pleno ore affatim trahant. ideo in eandem relabantur: quare prester aut Causus appellatur.* De eadem scribit Gal. lib. 11. Simpl. & lib. de theriaca. *A dipsade commorsi causo febri malè conficiuntur, & multa siti, & æstu vehementi vexati, interdum & dirupti diem obeunt.* De ead. Ælian. lib. 9. de hist. animal. MEDIO PERVSTA SOLE] cùm apricantur ad meridianum solem: amant enim calorem, & locis in calidis tantùm visuntur. Comparat ergò poemata Ligurini venenis scorpij, & Dipsadis. Vt Catullus ad Licinium Caluum.

Vide Petronium & Martialem infra, sine indicem in Recitatoris.

** lib. spect. ep. 18. Solinus cap. 40.*

Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia, Casios, Aquinos,
Fussenum, omnia colligam venena.

NON SIC SCORPIVS] Scorpionum Matthiolus genera ex Auicenna, Plinio, Alberto, Æliano & aliis, nouem esse docet. Quibusdam in locis, ictis nec mortem, nec dolorem inferunt, quod, tamen D. Vigilio præsidi tutelam incolæ acceptum ferunt, & in Pharo (Aristoteles lib. 8. animal.) non lædunt. Virginibus vbique lethales. Cynamolui (populus Æthiopum) à scorpionibus funditus deleti, vt scribit Plinius, reuiuiscunt admoto veratro albo mortui Scorpij. Elegantissimè Scorpium in Scorpiaco describit Tertullianus, quem, libet, breuem & illustrem huc transcribere. *Magnum de modico malum Scorpium terra suppurat, tot venena, quot ingenia, tot pernicies, quot & species, tot dolores, quot & colores Nicander scribit & pingit, & tamen vnus omnium violentiæ gestus de cauda nocere; quæ cauda erit quodcunque de postumo corporis propagatur, & verberat. Proinde Scorpij series illa nodorum venenata intrinsecus venula subtilis, arcuato impetu insurgens hamatile spiculum in summo tormenti ratione restringens. Vnde & bellicam machinam retracta tela vegetantem de Scorpio nominant. Id spiculum & fistula est patula tenuitate in vulnus, & virus, qua figit, effundit. Familiare periculi tempus æstus Austro & Africo sauitia velificat,* &c. Sed quate tantoperè, Ligurine timeris?

NAM TANTOS, ROGO, QVIS FERAT LABORES? ET STANTI LEGIS] Hoc est, legis semper & vbique. PISCINAM PETO] Tam latas longasque habebant Romæ, vt nare possent. Erant aliæ publicæ, vt me docet Cicero ad Q. Frat. epist. 7. lib. 3. *Magna vis*, inquit, *aquæ ad piscinam publicam*. Erillæ ad Baias, (siue c. ntum cellas) vbi piscinam Philander ait admirabilem, fuisse dictam centum camerellas. Aliæ priuatæ, quas passim in vrbe, & villis ciues habebant. Plinius Iun. lib. 5. epist. 3. *sed ante piscina, quæ fenestris seruit ac subiacet, strepitu visuq; iucunda. Nam ex edito desiliens aqua suscipit a marmore albescit.* Et mox; *Si natare latiùs aut tepidiùs velis, in area piscina est.* In quo loco, quæ sequuntur, docent piscinas calidas, & frigidas, & tepidas fuisse. Piscina autem publica fuit in duodecima regione vrbis. Pub. Vict. Duodecima regio dicitur publica. Itaque malè Domitius, qui piscinas tantùm domi fuisse docet, vbi frigida lauabant. Erant & pecorum piscinæ, de quibus Varro.

AD CŒNAM PROPERO, TENES EVNTEM. AD CŒNAM SEDEO FVGAS SEDENTEM] Ramiretius legit; Ad cœnam venio, fugas edentem. Musambertius seruat sedentem, & interpretatur tempus ante accubationem, vt illo ep. 61.

Sternantur lecti, Cæciliane sede.

Mihi videbatur idem Ad cœnam propero; &, Ad cœnam venio. Sed venio, accipit pro sum seu adsum, vt Virgil. & alij hanc vocem acceperunt. Alioqui non displicet emendatio Ramiresij & aliorum. Ad cœnam venio, fugas edentem. Sed quod monet hic, veteres accubuisse, non sedisse, tam notum est, & à me iam ante hoc ipso libro supra ad 23. ep. doctum) vt propè hodiè nati pueri id sciant. Sederunt tamen pueri nobiles ad pedes dominorum. sederunt lurcones in popinis, legisses aut meminisses, quæ ad illud 23. ep. scripsi, vbi & de Magdalena ad pedes Domini accubantis stante dictum.

VIR IVSTVS, PROBVS] Cætera cùm bonus es, es tamen in hoc intolerabilis, & impudentissimus, stultissimusque: ita, vt te ferre, quamuis bonum, nemo possit. In eundem, quod iam sequitur, & infra 49. de Aucto ad Vrbicum libro 7. epigram. 50. Iure de hoc Horatianum dicas:

Indoctum doctumq; fugat recitator acerbus,
Quem verò arripuit; tenet, occiditq; legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

De eodem.

XXXIV. XLV.

Fugerit an mensas Phœbus, cœnamq; Thyestæ,
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta est, dapibusq; instructa superbis:
Sed nihil omninò te recitante placet.
Nolo, mihi ponas rhombum, mullúmue bilibrem:
Nec volo boletos, ostrea nolo: tace.

An fabula sit Phœbum fugisse Thyestis cœnam, non disputo, inquit Martialis, hoc aio, nos fugere tuam. Thyestes & Atreus Pelopis filij infanda designauere. Thyestes incestu se polluit oppressa fratris vxore, Atreus parricidio, cæsis Thyestæ filiis patrique in cœna appositis, quod spectaculum auersatum solem ipsum aiunt fugisse. Scripserunt hanc fabulam Græci, Latinique, Euripides, Nicomachus, Agathon Atheniensis, Theagnides, Cleophon, Corinus, Philiscus Æginensis, Apollodorus, Thulensis, Apud Latinos Ennius, Pacuuius, Accius, Maternus, Varius & alij, Senecæ Tragœdia Thyestes inscripta viuit, viuetque, dum homines, credo viuent. Argumentum totum, qui nosse cupit, adeat nostrum Delrium, qui doctè cœnam hanc infaustam, & infandam emendauit & exposuit.

NIHIL OMNINO RECITANTE PLACET] Causam, cur fugiat Ligurini cœnam, adfert, quod venenis illam carminum imbuat, & conuiuas iis legendis enecet. NOLO, MIHI PONAS RHOMBVM, &c. TACE] Delicatos quidem pisces rhombum & mullum, ostrea præterea, & fungo. boletos iis apponis, sed nihil horum volo. quid ergo? tacere te volo, nil recitare. Malo non cœnare, quàm recitantem auscultare. De Rhombo, Mullo, Boletis. ostreis, libro 13. doceberis.

Ad

Ad Candidum.

XLVI. XXXV.

Exigis à nobis operam sine fine togatam:
Non eo, libertum, sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem: multò plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequor: ille feret.
In turbam incideris, cunctos vmbone repellet:
Inualidum est nobis, ingenuumq́; latus.
Quidlibet in caußis narraueris, ipse tacebo:
At tibi tergeminum mugiet ille sophos.
Lis erit; ingenti faciet conuitia voce:
Esse pudor vetuit fortia verba mihi.
Ergo nihil nobis, inquis, præstabis amicus?
Quicquid Libertus, Candide, non poterit.

Plura iam ad hunc Candidum supra legisti epigrammata. hic eleganter excusat comitatum, & officium non per se, sed Libertum præstitum. Petis, vt tibi officium anteambulonis togatum præstem.

NON EO, LIBERTVM] Ipse comitari nequeo, sed mitto eum, qui plura me præstabit officia. NON EST, INQVIS, IDEM] Tu mihi honorem conciliares, quo caret seruus. MVLTO PLVS ESSE PROBABO] libertus seruilia præstat, quæ ego recuso. VIX EGO LECTICAM SVBSEQVOR] plus est ferre, quàm sequi tantùm.

IN TVRBAM INCIDERIS] Ille in turba tibi viam expediet, corpore & brachio velut vmbone repulsans plebem: ego à turba opprimar, quia mihi nullæ vires, laneum latus. Vmbo hic impropriè pro cubito ponitur, cùm alioqui clypeus sit. Suetonius de Acilio Cæsaris milite. *Transiliuit in nauem vmbone obuios agens. vbi pro clypei orbe accipitur.*

IPSE TACEBO] Nunquam acclamabo tibi oranti, & apta inepta proloquenti. AT TIBI TERGEMINVM] Ille te clamoribus, & προσphonematis ad cœlum laudibus efferet, ille te mactabit laudibus per adulationem.

LIS ERIT] Litigabis cum aliquo; ille libertus meus tuo nomine lacerabit aduersarium conuitiis. Mihi natura tribuit pudorem eum, vt facere conuitium nulli possim. Viden libertum plura me præstaturum?

Facere conuitium est ὑβρίζειν, καταβοᾶν, conuitia facere dixit antea Ouidius & Seneca.

ERGO NIHIL NOBIS] Ergo omne mihi negas officium? QVICQVID LIBERTVS, CANDIDE, NON POTERIT] Modestè docet Candidum, qualia sint officia à poëta exigenda, non seruilia, cuiusmodi sunt anteambulonum, & lecticariorum: sed liberalia, quæ nec seruus, nec libertus meus reddere possunt. famam, æternitatem nominis, & immortalitatem carmine firmandam. Quę infinitis partibus alia superant, nec vllo pretio videntur æstimanda.

De Basso.

XLVII. XXXVI.

Capena grandi porta, quà pluit gutta,
Phrygiæq́; matris Almo quà lauat ferrum,
Horatiorum quà viret sacer campus,
Et quà pusilli feruet Herculis fanum,
Faustine, plena Bassus ibat in rheda,
Omnes beati copias trahens ruris.
Illic videres frutice nobili caules,
Et vtrunq́; porrum, seßilesq́; lactucas,

Pigroq́;

Pigroq; ventri non inutiles betas.
Illic coronam pinguibus grauem turdis,
Leporemq; læsum Gallicanis dente,
Nondumq; victa lacteum faba porcum,
Nec feriatus ibat ante carrucam.
Sed tuta feno cursor oua portabat.
Romam petebat Bassus? imò rus ibat.

Bassianus sine rure cauillatur. CAPENA PORTA] in prima regione Vrbis, vt P. V. tradit. Eadem dicta Appia ab Appio Censore, qui viam Appiam muniuit. Eandem dicunt triumphalem & Fontalem. Hodie S. Sebastiani, teste Marliano lib. 1. cap. 8. Dicitur Capena, vel à populis Capenatibus Latinis, vt placet Fuluio, sed non Marliano, ad quos ducebat, vel à flumine Capenate, vt Silius.

Quis sacer humectat fluuialia rura Capenas.

Vel ob oppido Capena, iuxta Albam, ab Italo rege condito, vt Solino videtur; aliter tamen Seruio, & Asconio. Seruius ad illud Virgilij

——*Lucosq; Capenos.*

Vnde, inquit, *porta Capena, quæ iuxta Camenas est, nomen accepit.* Erat enim, vt docet Asconius, extra hanc portam ædes Camænarum, propterea Camæna à nonnullis olim est appellata. QVA PLVIT GRANDI GVTTA] propter aquam super eam portam in vrbem ductam, vel quod loco sit depressiore. Iuuenalis eandem vocat madidam Capenam. Cicer. lib. 3. ad Q. Frat. epist. 7. *Romæ, inquit, & maximè Appia ad Martis mira proluuies horti, tabernæ plurimæ, magna vis aquæ, vsque ad piscinam publicam;* Vel propter fontes, & delubrum fontis, iuxta portam Capenam. Varro lib. 5. de lingua Latina. *Fontinalia à fonte, quòd is dies feriæ eius, ab eo autem, tum in fontes coronas iaciunt, & puteos coronant.* Festus. *Fontinalia fontis sacra, inde porta Fontinalis.* Scaliger coniect. in Varronem idem testatur, fontemque & delubrum iuxta portam Capenam fuisse docet. Ad quam fuit Martis templum à Sylla restitutum, centumque columnis impositum, nec procul inde lapis Manalis, quem Romani sicco cœlo saloque in vrbem deferebant, vt idem (quod aiunt) statim aqua emanaret, Marlianus lib. 7. cap. 18. *Iuxta Martis fuit Manalis lapis, quo per siccitatem in vrbem relato, pluuia statim manabat; hinc Manalem dixerunt. S. Pompeius auctor est.*

Adde & Frontinum de aquæductibus.

PHRYGIÆQVE MARTIS ALMO] *Almo fluuius*, vt docet Marlianus libro 4. cap. 24. *per viam Appiam, Auentinaq; radices in Tyberim fluens, longè ab vrbe; decem millia passuum; In agro maritimo oritur, Appiq; riuum hodie nominant, in quo Mater Deûm Calendis Aprilibus singulis annis à Gallis sacerdotibus abluebatur.*

Est locus ante Vrbem, quà primùm nascitur ingens
Appia, quaq; Italo genitus Almone Cybelle
Ponit, & Ideos iam non reminiscitur amnes.

Ouidius 4. Fast.

Est locus, in Tyberim quà lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.

LAVAT FERRVM] Instrumentum sacrorum. Cultros, quibus hostias mactabant. mactasse autem testatur Ouidius 4. Fast.

Ante coronauit puppem, & sine labe iuuencam
Mactauit operum, coniugiiq; rudem.

LAVIT] Ouidius.

Non tantum cultri, sed ipsa quoq; Dea lauabatur.

Illic purpurea canus cum veste Sacerdos
Almonis dominam, sacraq; lauit aquis.

Quo in loco poëta totam complectitur historiam, vt ex Phrygia Deorum mater Romam fuerit aducta. Ammianum Marcell. vide sis lib. 23. Callimachum, εἰς λουτρὰ Παλλάδος, & eius Scholiasten. Theocr. 15. Idyll. B. Augustinum lib. de Ciu. c. 4. Cæterum historiam Phrygiæ Matris habes apud Liuium & alios HORATIORVM QVA VIRET SACER CAMPVS] Extra Capenam portam Horatiorum fuêre sepulchra, campusque, vbi pugnauerunt. Liuius lib. 1. *Albani priores ingenti exercitu in agrum Romanum impetum fecere castra ab vrbe haud plus quinq; millia passuum locant. Et nunc sepulcra extant, quo quisq; loco cecidit: duo Romana vno loco propius Albam, tria Albana Romam versus, sed distantia locis, vt pugnatum est.* SACER] quia sepulti ibi Horatij, vel sacer, execratus quod propinquus sanguis ibi fuerit profusus, viret ergo, quia non secatur illic fenum. Et infra de sorore Horatij ante Capenam occurrente. Idem Dionysius, & alij. ET QVA PVSILLI] In via Appia templum erat Herculis, de quo Martialis libro nono epigram. 65. & 66. & 104. Pusilli dicit ad assentationem Domitiani, qui se maiorem Herculem nominabat. FERVET] est ad regiam viam, qua frequentissimus

viator feruet ergo & calet & celebratur teritur à populo. aut in loco aperto positum, cœlo ardente; prior placet quam Seruerius laudat & multis ex Iuuenale Antonio, Virgilio testimoniis confirmat. BASSVS IBAT RHEDA] Rhedam Græci δίφρον, ἀπήνην, Latini Rhedam & carrucam nominant. Rheda ire, equo ire, curru ire, Latini dicunt. De rheda aurea, argentea, & luxu veterum in Carrucis, Bayfius de vasculis. BEATI TRAHENS COPIAS RVRIS] beatum rus, fertile, opimum, diues, omnis generis ruri nascentes fructus secum deuehens, cuiusmodi fuerint, ipse subiicit. FRVTICE NOBILI CAVLES] De Caulibus & generibus caulium. Plinius lib. 19. cap. 8. Hic brassicæ genus est, cuius laudes Cato cecinit. Plinius *Cymas*, inquit, *à prima sectione præstat proximo vere. Hic est quidam ipsorum caulium delicatior, tenerior que, cauliculus.* Domitius Pompeianum caulem hic à Martiale signari putat, eo quod, vt Plinius ibid. procerior; cuius teneritas in dote. Columella lib. 11. NOBILI FRVTICE] stirpe, caudice, stolone. Lege plura de cauliculis lib. 13. ET VTRVNQVE PORRVM] De his speciatim dictum lib. 13. suo lemmate. intelligit sectiuum & capitatum. SESSILESQVE LACTVCAS] Lactucas omnes celebrant rerum rusticarum scriptores. Plinius lib. 19. cap. 8. tria genera lactucarum, de quibus hic verbo dicam, commemorat. Vnum lati caulis. alterum rotundi, tertium sessile, seu Laconicum, quod belicon & Capitatum appellant. grosser Salat. His alia, atque alia genera subiungit. nos lib. 13. plura. & Athenæus lib. 2. c. 23. plurima autem Plinius loco dicto, vnde suas habet historias Domitius. PIGROQVE VENTRI NON INVTILES BETAS] pigro ventri, stricto, duro prosunt, solicitant, & cient, & lubricant. De beta lib. 13. suo lemmate. CORONAM PINGVIBVS GRAVEM TVRDIS] prædicat & alibi, & lib. 13. coronam turdorum cùm dicit:

Texta rosis fortasse tibi vel diuite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Turdum autem præfert omnibus auibus.

Inter aues turdus, si quis me iudice certet, &c.

Corona viminea turdis inde in orbem pendentibus, hoc loco. plura lib. 13. LEPOREM LÆSVM GALLICI CANIS DENTE] Leporem captum Gallicis canibus, cæteris, vt Plinius est auctor, velocioribus, lupinoque satu editis. NONDVMQVE VICTA] visa. Scho:ti nota, retineo tamen, victa, quòd tener porcellus duram fabam frangere, & vincere nondum possit. LACTEVM FABA PORCVM] porcellum lactentem, tenerum, lacte pastum, nondum fabis terendis aptum. Martial. lib. 14. epig. 41.

Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum
Ponat.

De apparatu vario porcelli Celius Apitius de re cul. lib. 8. cap. 7. NEC FERIATVS IBAT] Nec otiosus aut vacuus onere anteambulo Rhedæ incedebat & antecedebat, sed oua feno septa, ne collisa eliderentur, ferebat. ROMAM PETEBAT BASSVS? IMO RVS IBAT] secumque domum vehebat; sic enim infra. ep. 57.

Cum interrogatione scribo Rom. pet. Bassus?

At tu (Basse) sub vrbe possides famem mundam
Et turre ab alta, &c.
Rus hoc vocari debet, an domus longè?

Quis negaret rure Bassum Romam redire, cùm opes tantas rure nascentes veheret? Sed miser ex vrbe rus in rus ferebat, quia sicut amœnus, ita sterilis erat Bassi fundus, & villa, ac prædium. Ita Bassus cortem habuit in palatio, palatium in corte.

De Ollo.

XLVIII. XXXVII.

Pauperis extruxit cellam, sed vendidit Ollus
Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet.

Ædificare beatorum ac diuitum est. Ollus primum diues, vt illi apud Ciceronem Syllani, ædificauit diætas & cœnacula donec cogeretur vendere prædia, & redigeretur ad paupertatem. Hæc sententia germanissima est poëtæ. Carmen ita se habet. Ludit in vocibus *pauperis cellam*, quas in hexametro accipit pro diæta diuitum qui inter cœnationes splendidissimas etiam tenuem illam ponebant, in qua cœnabant quasi pauperum ritu sobriè & modicè, vt in ipso luxu quandam adhiberent varietatem, vt ad delicias & lautitias paratiores redirent. Hanc tenuem cellam appellabant *pauperis cellam*. Intelligis iam opinor Martialis iocum & ictum. Ollus inter prædia & villas & vrbanas domos ac magnificas diætas condidit etiam pauperis cellam more diuitum; sed cum non esset ferendis tantis substructionum sumtibus, redactus est ad veram paupertatem, vt verè iam in pauperis cella & semper cogatur habitare. Quod de diuitibus & diætis & pauperis cella dixi, me docuit pluribus locis Seneca Epist. 18. qua monet sapientem, vtile esse certis dieb. abstinere, & pauperes adsimulare; est enim quædam præexercitatio ad inopiam veram, si venit,

nit, vt ferri possit. *Hoc*, inquit, *secuti sunt, qui omnibus mensibus paupertatem imitati, prope ad inopiam accesserunt, ne vnquam expauescerent, quod sæpe didicissent.* *Non est nunc quod existimes me ducere te ad modicas cœnas, & pauperum cellas, & quicquid aliud est, per quod luxuria diuitiarum tædio ludit. Grabatus ille verus sit, & sagum, & panis durus ac sordidus. Hoc triduo vel quatriduo fer, interdum pluribus diebus vt non lusus sit, sed experimentum. Apparet igitur*, inquit Lipsius ad hunc locum, *tunc quoque cœnaculis aut diætis abstinuisse, & in seruili aliqua & angusta cella cœnasse.*

Horatius tangere videtur quamuis de vere pauperibus loquatur.

Mundæq; sub lare pauperum
Cœnæ, sine aulæis & ostro
Sollicitam explicuere frontem.

Idem docet epistola 100. *Desit sane varietas marmorum, & concisura aquarum, & pauperis cella, & quicquid aliud luxuria non contenta decore simplici, miscet: quod dici solet, domus recta.* Vbi rursum Lipsius: Bene habet, neq; aliud est, quam diuites istos habuisse distinctam etiam cœnationem, aut cubiculum quod *pauperis cellam* dicerent: vbi certis diebus velut tenuem & pauperem victum imitarentur.

Iterum Seneca ad Heluiam *Sumunt quosdam dies, cum iam illos diuitiarum tædium cepit, quibus humi cœnent, & remoto auro, argentoq; fictilibus vtantur.* Hæc ego Lipsii auctoritatem secutus. Nunc Scriuerius & mihi & Lipsio obnunciat aliterque pauperis cellam cum Senecæ tum Martialis exponit, & mea sententia verius: cellas enim pauperum potentiores ædificabant non in quibus ipsi subinde degerent & miserè viuerent, sed quibus amicos infeliciores & tenuiores exciperent, si qui peregrè aduenirent. Proceres inquit Scriuerius & ditiores extruebant cellas non solum famulis, quas ideo fortasse vocauerit Cato *cellas familiæ*, sed etiam amicis minorum gentium, quas vocabant *pauperum cellas*. Vt Seneca epist. cap. *Cum circumspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes. Desit sane varietas marmorum, & concisura aquarum cubiculis influentium, & pauperis cella, & quidquid aliud luxuria non contenta decore simplici.* Idem ep. XVIII. *Non est nunc, quod existimes me ducere te ad modicas cœnas & pauperum cellas, & quidquid aliud est, per quod luxuria diuitiarum tædio ludit.* Vbi manifesto per *pauperum cellas*, tuguriola intelligit, in quæ fastidiosi illi diuites miseros tribules amicos recipiebant, ne intra ædes suas admitterent. Sed postremo loco tam importune quam ridicule iniecta est mentio *cœnarum modicarum*, quæ magnum Lipsium in scholiis ad illum Philosophum mira vaticinari adegerunt: & quæ deinceps Raderum decepére. Non tanti profecto erant quæ Commentariis suis insereret, illustrando huic Epigrammati. Sequentia hæc, *Grabatus ille verus sit & sagum*, & verba Epistolæ centesimæ satis probant cubiculorum & grabati, non cœnarum rem agi. Quare super hoc loco publicum oraculum Scaligerum nostrum consului. Is respondit mihi (de quo Lipsium monui) legendum, *me ducere te ad monas cœnas.* ad μονὰς κοινὰς. ad cellas communes, in quas aduectores amici pauperes recipiebantur. In vetustis exemplaribus manu exaratis *me ducere te admoueas*, siue *admoneas, cœnas*. In quâ scripturâ vna tantum literula abundat. ingeniosam, & veram lectionem (quis audeat negare?) doctiores mecum exosculabuntur: non autem *Timoneas cœnas* Turnebi. Aduersar. libr. XXIV. cap. XXXIII. cum cœnarum nulla hic participatio sit. aut alius locus emendationi. Quæ igitur *paupe. cellæ* vocabantur eædem & Græce μοναὶ κοιναί. Ideo lib. VIII. Epigr. XIV. conqueritur Martialis ventosam cellam à crudeli Domino sibi datam.

At mihi cella datur non tota clausa fenestrâ,
In qua nec Boreas ipse manere velit.

Vbi & *manere* χορωδόγως dictum. *Cella* enim est μονή. Et cellæ monachorum μοναὶ iam antiquitus dictæ Vlpianus I. C. has pauperum cellas *medica hospitiola* appellat. ff. lib. IX. tit. III. De his qui deiecerint vel effuderint, leg. V. §. 1. & 2. *Si quis gratuitas habitiones dederit libertis & clientibus suis, vel vxoris; ipsum eorum nomine teneri Trebatius ait: Idem erit dicendum. Et si quis amicis suis modica hospitiola distribuat.* Ex lib. XXII. ad Edictum Ruffinus Presbyter Aquileiensis in vitis Patrum, de S. Ioanne: *Adscensus ad eum difficilis, aditus monasterij obstructus & clausus*, &c. *mulierum illuc nulla, nec ad conspectum quidem eius accesit: sed & viris raro, & certis quibusdam temporibus.* Cellam *sanè* Hospitalem *intrinsecus fieri permisit, in qua aduentantes è longinquis regionibus paululum requiescerent.* Verum hæc hactenus. Plura erant, sed modus esto. Vitruuium studiosi ipsi legent. Nunc quid Martialis velit, obscurum non est: Ollum, cum esset diues, ex more reliquorum diuitum construxisse cellam pauperis; sed bonis abligurritis, & prędio diuendito, vnam sibi cellam reliquam fecisse, quę nunc verius pauperis cella quam olim dici possit. Nisi morem illum construendi pauperum cellas intelligamus, obsolescit omnis venustas huius Epigrammatis. Nec constabit de vero sensu lib. IX. Epig. LXXIII.

Prænestina tenes decepti rura patroni,
In quibus, indignor, si tibi cella fuit.

De Cellis familiæ (de quibus obiter supra (Cato de Re Rusticâ cap. XIV. *Villam ædificandam si locabis nouam ab solo, faber hæc faciat oportet*, &c. *equile, cellas familiæ*, &c. De iisdem Varro de R. R. lib. 1. cap. XIII. *Familia vbi versetur prouidendum, si sese opere, vel frigore, aut calore, vbi commodissime possint sese quieti recipere. Villici proxime ianuam cellam esse oportet*, &c. Viri docti latrinas exponunt, καὶ τῶν ἀφεδρῶνας.

ἀφεδρῶνας. Non recte. Ex potius sunt *sellæ familiaricæ* Varroni, quæ & *sellæ* simpliciter dicuntur apud Marcellum, Empiricum. Varro cap. eod. *Secundum villam duo oportet habere sterquilinia, &c.* *Quidam & sellas familiaricas ponunt.*

De cellis seruorum atriensium ac ianitorum, quæ erant adstructæ magnarum ædium aut insularum vestibulis, deque cellis meretriciis, erudite (quomodo ille aliter?) scripsit clarissimus & totius antiquitatis peritissimus Isaacus Casaubonus Animaduers. in Suetonium lib. IV. extremo in vitam Caligulæ: In quam etiam cap. XL. I. vt & ad Tiberium, cap. XL. III. legendus in Commentario Lauinus Torrentius.

In Inuitatorem.

XLIX. XXXVIII.

Veietana mihi misces, tu Maßica potas:
Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

Scipsum inuitabat hic Inuitator, qui optima vina & Falerno proxima potauit: & conuiuis fæcem Veientanam propinauit. Hoc dolet poeta. De vino Veientano lib. 2. epigramma. 53. pessimæ notæ.

Veietana tuam si domat vua sitim. i. si potes vile potare.

OLFACERE MALO POC.] an erant pocula myrrhina? vinum myrrha amarius? quorum gratus odor, ingratus gustus. Ram. aduersa Critica legi: pocula ponis; & olfacere heic, nescio quod hic more suo sterquiliniū sagax vertagus olfaciat. legendus Musambert. Cæterum Gruterus & Scriuerius legunt, pro *tibi, vbi.* Ego malim *tu Maßica potas* quod aliis non displicet nec Scriuerio.

In Ligurinum.

XLIX. XXXIX.

Hæc tibi, non alia est ad cœnam causa vocandi,
Versiculos recites vt Ligurine tuos.
Deposui soleas. affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumq́; liber.
Alter perlegitur, dum fercula prima morantur.
Tertius est, nec adhuc mensa secunda venit.
Et quartum recitas, & quintum deniq; librum,
Putidus est, toties si mihi ponis aprum.
Quod si non scombris scelerata poëmata dones:
Cœnabis solus iam, Ligurine, domi.

Redit inuisus recitator suorum carminum, qui ne cœnis quidem suis efficere potuit vt audiretur. DEPOSVI SOLEAS.] Ne vestem stragulam, lectosque inquinarent, soleas & calceos deposuerunt. Seneca declamator controuersia 25. de Manlio prætore, qui in conuiuio hominem noxium securi ferire iussit; *Prætor*, inquit, *ad occidendum hominem soleas poposcit.* Idem docent marmora Romana. Plautus. Trucul.

——iam rediit animus, deme soleas, cedo vinum.

Terentius, *Cedo*, inquit, *soleas mihi properate, auferte mensam.* Ergo deposuerat. Horat. lib. 2. Sat. 8.

Et soleas poscit——

Martialis in Cottam.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus.
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

Et lib. 14. Id seruorum erat officium.

Defuerit si forte puer soleasq; libebit
Sumere, pro puero proderis ipse tibi.

Dicuntur autem soleæ, Gellio auctore, quibus plantarum calces tantum infimè teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis iunctæ sunt, Vnde Græcis ὑποδήματα videntur dicta. Nonnunquam voce Græca crepidulas & crepidas, quas ipsi κρηπῖδας vocant: cuius sutores crepidarios [illegible] dixerunt

dixerunt, Festus autem soleam vocat, quæ pedis solo subiicitur. Hinc soleatii Plauto solearum confectores: & soleati soleis induti. Inde nostra vox, Solen / id est, planta pedis, cuius solea tegumentum fuit. Sunt qui dicant à solo, quod calcant, soleas dici, vt à calce calceus. AFFERTVR PROTINVS INGENS, /INTER LACTVCAS OXYGARVMQVE LIBER.] Vix accubui, cum iste pestilentem & magnum, & quo maiorem hoc deteriorem affert librum. OXYGARVM] sic legendum, non origanum. Est oxygarum, garum ex aceto confectum. Apicius lib. 1. cap. 6. *Oxygarum (quod sonat Garum siue liquamen acetosum) digestibile habet piperis semunciam*, &c. Athen. lib. 9. ὀρῶ ἢ ἢ μετ' ὄξους ἀναμισγόμενον γάρον. Conspicio & mixtum aceto garum, vbi oxygarum describit. Glossæ veter. ὀξύγαρον acetarium.

DVM FERCVLA PRIMA MORANTVR, TERTIVS EST.] Fercula prima, primam mensam omnesque missus primæ mensæ intelligit, aut fercula prima, primum apposita, lactucam, oxygarum, oua. Tertius liber ante secundam mensam, si saltem cum secunda mensa secundus liber legeretur, res esset tolerabilis. ET QVARTVM RECITAS, &c. PVTIDVS EST, TOTIES.] Occidit crambe repetita Magistrum. Componit lectionem perpetuam cum cibo eodem, vel sæpius apposito, vel recocto. CŒNABIS SOLVS] supra monui ex Persio, & Horatio Romanos proceres consuesse clientes, aut alios inuitare ad cœnas, quibus legerent sua carmina, laudemque & applausum captarent: quorum Martialis non scripta, sed cœnas vocat disertas. Sed Ligurinus Conuiuam occidebat suis, & multis, & malis carminibus, vt Catullus vexatus est, cuius carmen supra laudauimus.

Ad Tongilianum.

XL. LI.

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
Abstulit hanc nimium casus in vrbe frequens.
Collatum est decies. rogo, non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

Incendio domum amiserat Tongilianus, quam ducentis millibus sestertium coëmerat: compensatum est damnum maiori commodo; accipit enim ex symbolis ciuium, decies sestertium: rogat poeta argute, an ipse domum suam incenderit, vt plus ex incendio lucri faceret. DVCENTIS] ducentis sestertiis, seu ducentis millibus, sestertium: Philippæis quinis millibus, hoc est, senis millibus sexcentis sex florenis. NIMIVM FREQVENS CASVS] Incendium. Iuuen. Sat. 3.

Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, vt non
Deterius credas horrere incendia lapsus
Tectorum assiduos, an mille pericula sæua
Vrbis, &c.

COLLATVM EST DECIES] decies centena millia sestertium: viginti quinque Philippæorum, seu scutatorum, seu aureorum Gallicorum quinquies amplius quàm prius habuerat. An à propinquis, vel ciuibus, vel principe?

ROGO NON POTES IPSE VIDERI INCENDISSE, TVAM, TONGILIANE, DOMVM?] Quid hac interrogatione & conclusione salsius? Iuuenalis eandem in quodam Asturio notat artem. Sat. 3.

Si magna Asturi cecidit domus: horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor.
Tunc gemimus casus vrbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc? & iam occurrit, qui marmora donet
Conferat impensas, hic nuda & candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti
Phæcasianorum vetera ornamenta deorum,
Hic libros dabit, & forulos, mediamq; Mineruam,
Hic modium argenti: meliora & plura reponit
Persicus orborum lautissimus, & merito iam
Suspectus tanquam ipse suas incenderit ædes.

In Gelliam.

XLI. LIV.

Quod quacunq; venis, Cosmum migrare putamus,
Et fluere excusso cinnama fusa vitro,

Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis.
Sic puto posse meum, sic bene olere canem.

Eleganter Lucianus dixit amor b. à Coma totà Asiam spirare.

Cosmus vnguentarius erat, vt supra intellexisti. Gelliam tot delibutam ait pigmentis & vnguentis, vt quocunque incederet videretur Cosmus cum Pharmacopolio venire, tantus erat in omnem viam odor sparsus. ET FLVE. CIN.] Vnde odor ex fracto vitro differatur, aeremq; vicinum imbuat. Cinnama] Cinnamomum & cinnamum idem asserunt nonnulli. Cinnamomum nota res: coquitur inde odorata aqua, liquatur idem, & vnguentis aspergitur, vt Dioscorides lib. 1. cap. 13. Martialis lib. 4. docet. lege Matthiolum de his ad Dioscorid. VITRO] quia eliquata aromata vitro, vt hodie, s. ruantur. EXCVSSO] casu, vel ferentis lapsu, vel vehentis succussatione. Plinius de oleo Cinnami lib. 15 cap. 7. NOLO PEREGRINIS.] Nolo artes exoticas adhibeas, quibus captes viros, sed naturali oris venustate & virtutis odore. SIC BENE OLERE CANEM] perfusum odoribus & pigmentatum, vt tute perfusa es & delibuta, quæ alioqui canem aut hircum propter impuritatem tuam oleres.

Non bene olet, qui bene semper olet.

De Cisterna Rauennate.

LV. XLII.

Sit Cisterna mihi, quam vinea, malo Rauennæ:
Cum possim multo vendere pluris aquam.

CISTERNA] Cisterna, vt scribit Festus, dicitur à cis, & terra: quia fit cis terram; hoc est, infra terram non habet perpetuam vndam, nec viuam aquam: sed locus est ad aquas cœlestes colligendas aptus imbribusque concipitur. l. 1. §. hoc interdictum. ff. de fontibus. Earum faciendarum rationem tradit Plinius lib. 36. cap 23. RAVENNÆ] Sabinorum oppidum, vt Plinius est auctor lib. 3. cap. 15. in regione octaua Italiæ, ab Ancona centum duo millia passuum. *Rauenna*, inquit Strabo, lib. 5. *Vrbium in palude b. v. sitarum maxima est, tota ligneis constans ædificiis, aquis perflua, quare pontibus & lembis via expediuntur, non exiguam maris portionem affluxu æstus recipit. Locus est adeo salubris vt ibi gladiatores ali, atq; exerceri iusserint Principes Romani.* Causam subscribit. Sed cum vrbs in aqua nataret, quomodo carebat aqua, aut velut Tantalus in aquis sitiebat, & in flumine quærebat flumen? Partim marina, partim cœnosa & vliginosa erat. Vliginosam fuisse ostendit versus Martialis lib. 3. epig. 92.

Defiti Rauennatium Sidonius car. 9. Vnde sape tibi sitim Rauenna. Et Epist. 8. lib. 1. de Rauenna, sitiunt viui natant sepulti. Plura Sauaronius ibid.

Meliusq; ranæ garriant Rauennates.

Malo, inquit Poeta, cisternam aquæ, quam vineam. ditior inde fiam. Vini copia larga, aquæ bonæ penuria, hinc carior.

De Caupone Rauennate.

LVI. XLIII.

Callidus imposuit nuper mihi copo Rauennæ:
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Non absurde absurdum præcedens lucet facem sequenti. Rauennæ, cum aqua carior esset vino, vinum aqua dilutum carius erat vino mero: hinc se deceptum ait à Caupone, qui vendidit illi merum pro mixto, eodem pretio. Hodie multi cupiunt ita decipi, sed nemo est qui decipiat.

De villa Faustini ad Bassum.

LVII. XLIV.

Baiana nostri villa, Basse, Faustini
Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduaq; Platano, tonsiliq; buxeto
Ingrata lati spatia detinet Campi:

Sed

Sed rure vero barbaroq; lætatur.
Hîc farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa fragrat testa senibus Autumnis.
Hîc post Nouembres, imminente iam bruma,
Seras putator horridus refert vuas,
Truces, in alta valle mugiunt tauri,
Vitulusq; inermi fronte prurit in pugnam.
Vagatur omnis turba sordidæ cortis,
Argutus anser, gemmeiq; pauones,
Nomenq; debet quæ rubentibus pennis,
Et picta perdix, Numidicæq; guttatæ,
Et impiorum Phasiana Colchorum.
Sonantq; turres plausibus Columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur,
*Auidi sequuntur villicæ * sinum porci,*
Matremq; plenam mollis agnus exspectat,
Cingunt serenum lactei focum vernæ,
Et larga festos lucet ad Lares silua.
Non segnis albo pallet otio Caupo:
Nec perdit oleum lubricus pelæstrita.
Sed tendit auidis rete subdolum turdis.
Tremulaue captum linea trahit piscem,
Aut impeditam caßibus refert damam.
*Exercet hilares facilis * hortus * vmbellas,*
Et pædagogo non iubente lasciui
Parêre gaudent villico capillati,
Et delicatus opere fruitur Eunuchus:
Nec venit inanis rusticus salutator.
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamq; lactis Saßinate de silua.
Somniculosos ille porrigit glires,
Hic vagientem matris hispidæ fœtum,
Alius coactos non amare capones.
*Et * dona matrum * vimineo ferunt texto*
Grandes proborum virgines colonorum,
Facto vocatur lætus opere vicinus,
Nec auara seruat crastinas dapes mensa,
Vescuntur omnes, ebrioq; non nouit

* Suum

* Hortum
* Vmbonê
urbanos
umbones
ancillas.

* Oua.
* Vimine offerunt texto
al. afferunt.

Satur minister inuidere conuiua.
At tu sub vrbe possides famem mundam,
Et turre ab alta prospicis meras laurus,
Furemq́; Priapo non timente securus,
Et Vinitorem farre pascis vrbano,
Pictamq́; portas otiosus ad villam
Olus, oua, pullos, poma, caseum, mustum.
Rus hoc vocari debet, an domus longè?

Laudat à copia rerum rus Faustini, vituperat ab inopia Bassi villam. BAIANA VILLA.] In Campaniæ sinu Baiano amœnissimo sita. NON * OTIOSIS ORDINATA MYRTETIS] Vt tua Basse. MYRTETIS.] Locus consitus myrtis. Myrtus arbor odorifera, duplex satiua & siluestris. Vtraq; in candidam & nigram diuiditur; sterilis est, baccas tamen vtiles in medicinas alit. Lege Dioscorid. l.1.c.128. Et ibid. Matriolum & Cornarium & Plinium. OTIOSIS] locum tantum occupantibus & vmbram otiosis hominibus præbentibus. VIDVAQ. PLATANO] sterili. sed amœna. de hac supra, infraq; dicemus. Lege epistolam Plinii Iunioris lib.5.ep.6. TONSILIQ. BVXETO] Buxetum vt myrtetum, buxis frequens locus. Buxum notam cœlo nostro arborem descr bit Plinius, & ad Dioscor. Matthiolus. TONSILI] Romani tondebant buxum, vt foliis variè tonsis, varias animalium formas referrent. Buxum densam esse in monte Cytero Virgilius & Solinus testantur. Tonsile buxetum, & tonsæ oleæ, quæ in orbem & comam tonsæ & putatæ sunt. Tonsa viridaria primus Cn. Matius equestri ordine Augusti amicus, & Plin. lib.12.c.2. testatur, inuenit. Quam varie tondeatur Buxus etiam apud nostros proceres, hodie in Fuggerorum, & principum hortis spectabis. INGRATA LATI SPATIA.] Ingrata, soli exposita, nisi buxus defendat & opacet. SED RVRE VERO.] Opimo, fœcundo ab omni rerum copia instructo. BARBARO] rustico. Barbaris & rusticis quæstus ex rure est amœnissimus. elegantiam, ordinem, munditiem negligunt. PREMITVR ANGVLO CERES] stipatur, congeritur, cumulatur aceruus Cereris & frumenti. SACRA] quia farre pio litabatur, vel, sacra, q ipsa Ceres Dea. * SENIBVS AVTVMNIS] vel adultis, quibus vuæ leguntur, vinumq; testis conditur, vel; SENIBVS] annosis, multis annis seruatum vinum, vetus vinum testis seruatum fragrat. POST NOVEMBRES IMMINENTE IAM BRVMA.] lib.1.epig.50.

Plin. lib.16. cap.16.

** maturis. Autumnus hic pro autumnitate ponitur, vt ὀπώρα pro ὀπωρινοῖς καρποῖς.*

At cum December canus & bruma impotens
Aquilone rauco mugiet.

Horatius.

Aut cum tonantis annus hibernus Iouis
Imbres niuesq́; comparat.

SERAS PVTATOR HORRIDVS REFERT VVAS.] De vuis duracinis lib.13. quæsitum est. SERAS] tarde maturescentes dixit. PVTATOR.] Vinitor. IN ALTA VALLE MVGIVNT] Horat. libro Epodon. Od.2.

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges,

INERMI FRONTE] sine cornibus ἀκέρως. PRVRIT] sonanter, incitatur. OMNIS TVRBA SORDIDÆ CORTIS] aues, gallinæ, anseres, pauones, gemmantibus caudis, de quibus lib.13. sed accurate quid sit cortes, lib.7. epig.30. explicatur. ARGVTVS ANSER] strepit, gratitat, & clangit alis. NOMENQVE DEBET QVÆ RVBENTIBVS PENNIS] Phœnicopterum τὸ φοινικοῦς exprimit, quo libro 13.

Dat mihi penna rubens nomen sed lingua gulosis
Nostra sapit, quid si garrula lingua foret?

Plura ibid. Germanice Rotvogel / Rotfinck. ET PICTA PERDIX] picta à pennis masculosis; Germanice ein Räbhun, Plura lib.13 suo lemmate. NVMIDICÆQVE GVTTATÆ.] Gallinæ Affricanæ lib.13.

Ansere Romano quamuis satur Hannibal esset:
Ipse suas nunquam barbarus edit aues.

Copiosius de his ibid. GVTTATÆ] maculosæ, distinctæ guttis, guttas habentes. Horatius.

Non Afra auis descendat in ventrem meum.

Intelligo maculas guttis affines, vitiose apud Domitium guttæ legitur; neque ratio carminis constat. ET IMPIOR. PHAS COLCHOR.] Nota hæc Germanis auis elegantissima, quam descripsimus lib.13. dicitur à Phaside Colchorum flumine. IMPIORVM.] Impiati ab impia Medea, cuius maleficia, veneficia, & parricidia omnes cothurni Græcorum & Latinorum nobilitant. Vel propter aureum vellus, cuius causa tot viri fortes in Colchide perierunt. Medeam tamen vt & Didonē

non-

nonnulli innocentes tradunt Pausanias Medeæ liberos à Corynthiis mactatos, tradit in Corinthiacis. Stabæus serm. 27. & 29. Ælianus Var. 5. Bisciola 6. c. 19. Nos aliquando.

Nescio reginis cur tam sit iniquus Apollo
Sancta fuit Colchis, sancta & Elisa fuit.

PLAVSIBVS COLVMBARVM.] Peristeriones, columbaria in turribus. suprema tectorum amant aues. Ouid.

Aspicis, vt veniant ad candida tecta Columbæ,
Aspiciat nullas sordida turris aues.

PLAVSIBVS] alarum sonitu, alioquin & columbæ gemunt. GEMIT HINC PALVMBVS] Ouid. Philomel.

Et castus turtur atq; columba gemunt.
Plausitat arborea clamans de fronde palumbes.

Proprias auium & animalium voces disce ab ouidii, aut cuius illa est, Philomela. Polluce lib. 5. Nonni Dionys. 2. Varronis Originibus. Spartiani Geta, Bullengeri lib. de Venatione. cap. 20. De turture & palumbo lege quæ lib. 13. dicta. CEREVS] obesus, pinguis. Mercurialis cereum interpretatur hoc loco non pinguem, sed plumis cereis seu flauentibus vestitum. plura Musambert. contra Ram. vtraq; explicatio commoda. AVIDI SEQVVN. VILL. SINVM PORCI MATREMQ. PLENAM] Porci auidi cibi grunnientes rusticam sinu pastum ferentem sectantur, ad suilia. legunt alii sonum, nec male, agnoscunt enim porci, villicæ ad pastum vocantis suculas, vocem, & sequuntur, suffragatur Plinius: compertum agnitam vocem Suarii furto abactis, mersoq; nauigio, inclinatione lateris vnius remeasse. MATREM PLENAM] oues lacte plenas, eoq; tardius, quam agni, progredientes, sine eleganter, & proprie diuitias ruris depingit. CINGVNT SERENVM.] Horat.

Positosq; vernas, ditis examen domus
Circum renidentes Lares.

LACTEI VERNÆ] Candidi, delicati seruuli. ET LARGA FESTOS] lib. 1. epig. 50.

Vicina in ipsum silua descendat focum
Infante cinctum sordido.

Lib. 12. epig. 18. *Surgentem focum excipit superba*
Vicini strue cultilis ilicetis.

Focus semper luculentus, semper copia lignorum, & silua coniicitur in focum. focus perennis. FESTOS LARES] solennes, sanctos. Horatius.

Satrum vetustis extruat lignis focum.

Lares ad focum colebantur veteribus, ibi illi. locus. Val. Max. lib. 2. cap. 4. lib. 5. c. 1. SEGNIS COPO.] Vt sæpe in vrbe, cum nemo hospitium aut tabernam frequentat. ALBO OTIO] non placet hic exponere curis albo: Nam qui segnis, aut otiosus, si curis oppressus albescit, aut pallet? ALBO] pallido, nunquam otiosos videbis colore florentes, vti nec animi curis anxios, sed corporis exercitatione viuos vigentesq;: nec puto hic albo pro toga, & cultu accipi, vt illud; albus in officiis. quod item male intelligit Domitius. NEC SEGNIS.] Ergo expone, non albet nec pallet hic otiosus caupo, sed habet quod agat, dum administrat vineas, & vinum dispensat heri sui. vt omnes operæ ruri sunt occupatæ. PERDIT OLEVM LVBRICVS PALÆSTR.] In villis & ruri palæstritæ non luctantur, neq; rebus vacant vrbanis, sed aucupantur, piscantur, venantur. Quid sit palæstra, vnde deducatur, quæ sint eius partes. Quando & à quibus instituta, leges apud Mercul. Gymnast. li. 4. c. 8. Petrum Fabrum Agon. lib. 2. c. 5. Palæstram Plutarchus lib. 2. sympos ἀπὸ τοῦ πηλοῦ καὶ κηρώματος. hoc est, à pelo seu luto, & ceromate palæstram dictam existimat. alii vt idem Plutarchus ibid. docent ἀπὸ τῆς πάλης, quasi antiquissima res sit lucta, deductam putant. Sosicles πάλην ἀπὸ τοῦ παλαίειν. Plinius à παλεσαι, à connexis digitis. Sed contra Pollux melius à παλαίειν πάλην ducit, siue à πάλλειν, καὶ παλλεσθαι, vel à πάλας ... Est igitur palæstra locus in gymnasio palæ seu luctæ destinatus; nec aliud quam exercitatio quædam in gymnasio peculiari palæstra siue porticu tecta, quæ Xystus vocabatur, fieri solita, in qua luctatores bini, nudiq; oleo delibuti, & puluere aspersi sese brachiis complicantes, inuicemq; concertantes, alter alterum deiicere humi contendebant: ad quod peragendum embolæ, parembolæ, parătheses, & systases necessario requirebantur, illudq; præ cæteris quærebatur, vt pedes primo comprehenderentur: ad quod Plautus allusit de vino in Pseudolo.

Captat pedes primum, luctator dolosus est.

Quæ alia fecerint, lege apud Mercur. à Theseo, vt Faber ostendit, inuenta est. Ipsa palæstra Martis filia habebatur. Lege Alex. Neap. Expressas luctæ & luctatorum imagines habes apud Mercur. laudes palæstritarum in Anthologia. PERDIT OLE.] Adagionem alludit oleum & operam perdere. Non perdit in villa oleum, quia nullo vtitur. AVDIS TVRDIS SVBDOL. ARTE.] Horat.

Aut amite leui rara tendit retia
Turdis edacibus dolos.

LINEA TRAHIT PISCEM.] Ouid. 3. Met. *——linoq; solebat & hamis*
Decipere & calamo salientem ducere piscem.

Sic alibi Martial. lib. 1. epigram. 56.

Et piscem tremula salientem ducere seta.

IMPEDITAM CASSIBVS DAMAM.] Horat. de apro.

Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas,

Mart. lib. 1. *Cui licet exigui nemoris ruris*q*, beati*
Ante focum plenas explicuisse plagas.

Et epig. 50. *Ibi illigatas mollibus damas plagis*
Mactabis & vernas apros.

EXERCET HILARES FACILIS HORTVS VMBELLAS.] Si exponam vmbellas, quod faciant vmbras, hærebit illud, exercet.

Leguntalii *Exercet hilares facilis ortus vmbellas.*

Sed quo sensu? alii ex antiquis codicibus.

Facilis ortu, plane vitiose legitur.

Exercet hilares facilis arcus vmbrarum.

Alii *Exercet hilares facilis hortus vrbanos.*

Alii *Exercet hilares facilis hortus ancillas.*

Alii *Exercet hilares facilis hortus vmbones.*

Ex omni hac varietate scripturæ arridet maxime τὸ ancillas, nisi quod longius à ductu literarum vmbellas à vocis principio recedat. longius hoc, vrbanos, & præterea, quod commune sit, vrbanus; & poeta seorsim singulis sua destinet officia. Musambertius ergo si non metam ipsam tangit, saltem non procul, opinor, abstrat. Etenim præ cæteris inquit, operibus quæ ruri facilia sunt hortorum, itaque his idoneæ ancillæ. Nimirum ostendit Valerius per enumerationem omnibus qui de familia Faustini, esse quo in villa eius occupentur, caupoui, palæstritæ, ancillis, pueris pædagogianis, eunucho. Caupo vinum vendit, palæstrita aues captat, piscatur, venatur, ancillæ hortum colunt, pueri pædagogiani vltro & iniussu pædagogi operis aliquid leuiculi faciunt à villico præscripti. Gonius rescribit hormus. est in Palat. Gruteri hormis. Hormus est portus statio & appulsus. diceret poeta: exercet nauigatione iuxta portum vrbanos facilis hormas, non inepta forte interpretatione. Sed hormus apud Lucianum περὶ ὀρχήσεως est saltationis genus, quod sane mirifice huc facit, exercet enim iuuentutem saltatio cum voluptate. Luciani verba sunt. Ὅμοια δὲ καὶ οἱ τὸν ὅρμον καλούμενον ὀρχούμενοι ποιοῦσιν. ὁ δὲ ὅρμος, ὄρχησίς ἐστι κοινὴ ἐφήβων τε καὶ παρθένων, παρ' ἕνα χορευόντων, καὶ ὡς ἀληθῶς ὅρμῳ ἐοικότων. καὶ ἡγεῖται μὲν ὁ ἔφηβος τὰ νεανικὰ ὀρχούμενος, καὶ ὅσοις ὕστερον ἐν πολέμῳ χρήσεται. ἡ παρθένος δὲ ἕπεται κοσμίως τὸ θῆλυ χορεύειν διδάσκουσα, ὡς εἶναι τὸν ὅρμον ἐκ σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας πεπλεγμένον. Non disparia faciunt quibus Hormum saltare curæ est. Hormus autem genus saltationis est adolescentibus virginibusque commune, alternatim ad choream dispositis, vt plane hormum, hoc est, segmentum referant. Solet autem adolescens chorum ducere, ore iuuenili saltans, quo postea, in adoriendis hostibus vsurus sit. Sequebatur hunc puella modestia quadam conspicua, quæ fœmineum saltum decenter admodum peragebat: vt hormum ex temperantia & fortitudine compositum recte dicere possimus. Hæc ergo, si lector admittis vocem *hormus*, explanatio mihi nunc quidem minime displicet.

CAPILLATI] pueri, heriles filii, aut vernulæ etiam. PARERE] in promittendo capillo, quem adultiores alebant, inquit, Iunius, sed plane contra venio, ipse Martia. lib. 12. 18.

Dispensat pueris rogatq, *longos*
Lauus ponere villicus capillos.

Expono igitur. gaudent parere viilico capillati, non promittendo sed resecando, ponendoq;. Quid enim ponere, certe deponere, tondere. Et qui antea erant vrbano more capillati, quid rogabat, vt essent capillati? villicus similes esse sui volebat pueros: ipse erat læuis tonsusque, læues & tonsos volebat pueros. Insolens enim erat rusticis, & ingratus promissus capillus. An ad alia hic imperia villici refertur parere? Ad fruges colligendas, pisces capiendos, venationem instituendam: vt sequitur de eunuchis, *opere fruitur*, &c. Hoc alterum certe præ primo arripio, & probant alii præter Ramiresium, qui suo more ad stabulum Cinædorum & haram contra mentem etiam poetæ diuertit. Douza & Iunius trahunt parere in promittendo capillo. ET HOC NON IVBENTE] permittente, conniuente. ET DELICATVS] nec ipse mollis & tener spado, quales habebant in familiis potentiores, vt Domitianus edicto vetuerit, ne pueri castrarentur, vt alibi dictum. OPERE FRVITVR] sudat, laborat in villa, qui in vrbe fuit otiosus. NEC VENIT INANIS RVSTICVS SALVTA. FERT ILLE.] Vt in vrbe salutabantur à clientibus, ita ruri à rusticis sed rustici dona ferebant ruri nata, mella, lac, caseum, glires, hœdos, capones, oua. CERIS CVM SVIS CANA MELLA] fauos, opes rusticas, CANA MELLA] flaua. METAMQVE LACTIS] caseum ad formam metæ, vt supra diximus, factum. SASSINATE DE SILVA.] Saßinate seu Sarsinatæ potius, vt Strabo lib. 50. scribit, (D. Hieronymus, Festusq; testes accedunt) est oppidum Vmbriæ Plauti patria, lactis diues, si Martiali cum Silio credis. Venit in mentem dubitare, verum non sit eadem D. Francisci, è Spoletana valle Aßisium Vmbriæ oppidum, patria. Quod enim hic lego Sarsina, alii legunt Saßina. Item Lectoris permitto iudicio.

dituo. De Saffinate insinuat illud lib. 7. epig. 30.

Quicquid Villicus Vmber aut colonus.

SOMNICVLOSOS GLIRES.] De gliribus lib. 13. certo lemmate dictum. VAGIENTEM MATRIS HISPIDAE FOETVM] hædillum capellæ matris partum vagientem, propter matrem auulsam, metaphora à rebus humanis lib. 7. epig 30.

Et fœtum querula rudem Capellæ.

COACTOS NON AMARE] quia castrati vsum Veneris amittunt. Latinis etiam capus nec apud alium fortasse antiquiorem caponem reperias nec prima longa. DONA MATRVM] oua Martialis lib. 7. epig. 30.

Rauca cortis aues & oua matrum.

VIMINEO FERVNT TEXTO] Calathis, corbe, canistro, sportula. PROBORVM] Castæ castorum parentum vt gnes. Nam ab illa vita. vt Cic. pro Roscio, *In vrbe luxuries creatur, &c. Vita autem hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniæ, diligentiæ, iustitiæ magistra est.* Et: *quæ vita maxime disiuncta à cupiditate, & cum officio est coniuncta.* FACTVM VOCATVR LAETVS.] Peracto labore, grata quies. VOCATVR] ad conuiuium. LAETVS] non inuidè, vt in vrbe. De vicino multa supra dicta. NEC AVARA SERVAT.] Vt sæpe in vrbe fieri queritur Poeta Iuuenalis cum Plinio. VESCVNTVR OMNES,] Domini ac serui, conuiuæ & conuiuatores. In vrbe secus fit: nam sæpe esuriens minister mensæ, inuidet saturo & poto conuiuæ, quem videt epulis distendi, se fame contrahi, atque hinc inuidia. POSSIDES FAMEM MVNDAM] Vertit orationem iam ad Bassi hortum quem irridet ab omnium rerum inopia, vt alterum à copia laudarat. SVB VRBE] in tua suburbana villa, de qua supra epig. 47. FAMEM MVNDAM.] puram famem quia nihil tibi nec sordium, nec aliarum rerum adfert. PROSPIC. MER. AS LAVRVS] steriles & ἀκάρπους otiosas & viduas, vt supra de myrto & platano. PRIAPO.] Custode hortorum & villarum non timente furem, quia nihil est, quod fur inde auferat, & Priapus non habet, quod custodiat, nisi seipsum. Extat hac de re Luciani lib. 4. cap. 12 epig. NIL TIMENTE] [illegible]mus, sed sibi tantum vt apud Græcos queritur.

Εἰς τὸ κενόν με πιθεῖν κενόμην χώραν ὧδε πρέπειν
Εὐτυχίδης, ξηρῶν κλιματίδων φύλακα
Καὶ περιβέβλημαι κρημνὸν βαθύν. ὃ δ' ἂν ἐπέλθῃ
Οὐδὲν ἔχει κλέψαι, πλὴν ἐμὲ τὸν φύλακα.

Nimium multa prostant Priapæa erubescenda. sæpe de eodem Martial. Virgilii appendix. epig. Græca. ET VINITOREM FARRE.] Ex agro tuo & villa, vnde pascas non habes. tam optimum tibi rus. Ipsum villicum ex villa non potes alere. PICTAMQVE] pictam villam appellat inanem, sterilem, infructuosam, quales sunt in tabulis expressæ. OTIOSVS] curis vacuus. OLVS, OVA, &c. quæ sunt dona rusticis. RVS HOC VOC. DEBET, AN DOMVS LONGE?] salsè. Ex vrbe nempe coactus omnia cibaria secum efferre, ita vt quoties rus iret, domum secum quodammodo ferret, perinde ac extra vrbem habitaret. Et supra.

Domum longe, ab vrbe procul dissita. ἢ ἀπο πα ἐγ ἐιτία. vt restituit Heraldus. Longe. vel longinqua via. al. domus longa.

Romam petebat Bassus: imo rus ibat.

Et Romam secum duxit, id est supellectilem. Ex vrbe rus secum in rus tulit.

De sutore & fullone.

XLV. LIX.

Sutor Cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus.
Fullo dedit Mutinæ. nunc vbi caupo dabit?

Indignatur poeta nunc Cerdones & Fullones passim edere munera gladiatoria, vilissimos homines. sic Iuuenal. Sat. *Quondam hi Cornicines,* Et Martialis supra epig 16.

Das gladiatores sutorum regule Cerdo.

Habita census ratio est in editoribus. Est apud Tacitum Senatusconsultum, quo cauetur, ne quis gladiatorum munus edat. cui minus quadringentorum millium res sit. Et lib. 4. annal. spectata etiam persona, neque id fuit libertini generis hominibus permissum saltem in vrbe, vt Suetonius in Claudio docet, & ad Sueto. Casaubonus; nec vilibus hominibus. Vnde hæc poetarum indignatio. SVTOR CERDO] Iam exposuimus, quis Cerdo, quis Sutor κυρίως. Hic coniungit genus & formam. Et quod ad augendam valet indignitatem, non quiuis Sutor dat, inquit, munera, sed Sutor Cerdo, hoc est, Sutorum postremissimus. Sutorum regule dixerat antea. Plura ibidem. Sunt qui dicant, Cerdonem dici, qui ex quacunque arte lucrum petat. quod si verum est Cerdo Sutor dicitur, qui ex sutrina seu suterna. Cerdo tonsor, ex tonstrina; Cerdo pistor, ex pistrino, Cerdo textor ex texterna lucrum facit. CVLTA BONONIA.] Bononia & Mutina ciuitates Italiæ clariores & nobiliores, quam vt scribentis face indignant. Culta moribus, literis, tectis, frequentia hominum, opibus, opificiis. MVNVS] Ludum gladiatorium. Vnde munerarii. editores munerum. millies apud scriptores hic vsus huius vocis. FVLLO] γναφεύς. Knapp. Occupatissimus quondam fullo Romanis erat crebertimaque apud scriptores fullonum mentio. de quibus, Plinius lib. 35 cap. 15. & 17.

Erant

Erant fullones, qui maculas scilicet ac sordes è toga eluebant; & addito sulphure ac creta iterum candefaciebant. Titinnius apud Nonium.

—— terra hæc est, non aqua
Vbi tu solitus argutarier pedibus,
Cretam dum compescis vestimentaq́ lauas.

Cerdo Bononiensis, Fullo Mutinensis dederunt in suis vrbibus munera, restat, vt etiam Caupo det, æquè vilis, ac Fullo & Cerdo.

In Ponticum.

LX. XLVI.

*non iam venalis MS.

*fugitur.

*Cum vocer ad cœnam, * non tam venalis, vt ante,*
Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?
Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:
** Sumitur inciso mytilus ore mihi.*
Sunt tibi boleti: fungos ego sumo suillos.
Res tibi cum rhombo est: at mihi cum sparulo.
Aureus immodicis turtur de clunibus implet:
Ponitur in cauea mortua pica mihi.
Cur sine te cœno, cum tecum Pontice cœnem?
Sportula quod non est, prosit, edamus idem.

Queritur etiam in recta cœna non recte cœnari, fraudemque adhiberi, aliaque patrono, alia clienti apponi. Ne poëticum hoc epigramma, sed historicum crede. sic enim sordidi quidam factitarunt. negas? crede Secundo lib. 2. epist. 6 *nam sibi,* inquit, *& paucis, optima; cæteris vilia & minuta ponebat, &c.* Lege totam epistolam. Idem Iuuenal. Sat. 5. Et noster lib. 2. 43. NON TAM VENALIS, VT ANTE] sublatis sportulis iam vocor, vt amicus, non vt conductus sportula, vt ante ambulo serui seruus. Qui legunt non iam, respiciunt antithesin non iam, vt ante. alii ὀξυμωρίαν, ego vtramq; & antithesin & ὀξυμωρίαν, neq; enim pugnant. VENALIS] sportula emptus ad officium stipatoris & lateronis. VT ANTE] cum sportula nondum esset sublata à Domitiano. NON EADEM, QVÆ TIBI CŒNA.] Sportula abrogata est, vt pari lege cœnaret cliens cum patrono: mea non est eadem tuæ, quia mihi non idem, quod tibi apponitur; violas ergo legem. OSTREA TV SVMIS] ἀπὸ μερῶν ostendit non idem esse vtrumque: Ostrea tu comedis, ego mytilum sugo. De ostreis lib. 13. leges. Nobis dicuntur Meerschnecken/Ostreen. SVMITVR MYTILVS] nec mutilus male. sæpe (υ) in u, transit; nec mitilus plane reiicio, quod Græce etiam μίτυλος legatur: Latine mitulus & mytilus & mutulus, nobis Muschel dicitur, biualuis est, & hinc recte sugitur & quasi ouum sorbetur. Horat.

Plinio in-nuere.

Interim Plinium adi li. 9. c. 4. Macro l. 2. c. 11. Non displicet altera lectio sugitur, quæ Heraldo & aliis placet. Dalechampii & Causaboni editio habet μύτλον, μύτυλον, mutulum, mytilum, mytilum.

Mytilus & viles pellent obstantia conchæ.

Apud Athen. lib. 3. c. 6. si locus est integer, scribitur non μύλλος, sed μύτλος. τὴν τελλίναν. inquit, λέγομένην ἴσως δηλοῖ ἣν ῥωμαῖοι μύτλον ὀνομάζουσι, *fortean,* inquit, *Tellinam, quæ nominatur significat quam Romani mutlum appellant.* Sed locum hunc Athenæi cum Lambino suspicor esse mendosum, & legendum μύτιλον seu μίτυλον, vt habent scriptæ chartæ. Lambin. apud Martial. legit mutulus, ex quo coniicio Græce potius scriptũ fuisse μύτυλος vel μύτιλος, verso y. in priore, in u latinum, quod sæpe fieri nemo nescit, vt τύμβος latine tumba, τρυτάνη trutina, βύρσα bursa, βυκάνη buccina, & sexcenta alia. Domitiũ reprehendit Merula, quod polypi genus dicit mytilũ, nos etiam reprehendimus eos, qui musculos & mytilos confundunt. Musculos Græci μῦας appellant, de quib. Arist. l. 4. de hist. animal. Athen. loco dicto, qui mytilos à musculis his verbis distinguit, τῶν μιτύλων λεπτότεροι μέν εἰσιν οἱ βασιλικοὶ διαχωρητικοί τε καὶ κοῦφοι. οἱ δὲ ποτάμιοι γλυκύτεροι. οἱ δὲ μύες μέσως εἰσὶ τρόφιμοι. διαχωρητικοί, οὐρητικοί, &c. Mitulorũ, inquit, tenuiores sunt regii quidẽ & aluũ mouent & leues sunt; tũ præterea valde alunt, fluuiales autẽ sunt dulciores: at musculi mediocriter alũt, mediocriterq; aluũ & vrinam mouent. Non iidẽ ergo musculi & mytili. adi Lambinũ. INCISO ORE] acies testæ sumenti seu sugenti os lædit, os incidit. SVNT TIBI BOLETI.] Etsi de boletis multa sint nobis l. 13. memorata, hic tamẽ aliquid adscribendũ Fungorũ genus est boletus. Fungi duplices, salutares alii, alii exitiales. Salutariũ, q manduntur, alii boleti, alii suilli seu porcini, alii Amanitæ feruntur. Et de boleto Galenus. Inter fungos boleti, si belle in aqua elixi fuerint, prope accedunt ac cibos insipidos, sed adparant vulgo & varie condiunt, vt alia omnia. Omnium fungorum ij minime sunt noxij. De fungorũ apparatu Apitius li. 7. c. 13. Matthiolus li. 4. Diosc. c. 28. multa cognitu non indigna leges, præsertim de lapidibus defossis, & in cellas vinarias translatis, aqua tepida aspersis intra quatriduum fungos

non

non ingratos procreantibus. Athenæus quoque & Plinius, vt lib. 13. exposuimus, narrat. Boletos fuisse in deliciis etiam Cæsaribus, & maxime Claudio, & noster Suetonius memorat cum aliis. RES TIBI CVM RHOMBO EST.] De rhombo iam supra. & lib. 53. lege. Spatulus genus passeris vilioris piscis. Rhombum alii vocant passerem Germanis Plateiß. sed ex nobilioribus. Spatulus ex eodem genere, sed infimæ notæ. AVREVS TVRTVR.] Aureus turtur. pinguis turtur, quem aliàs à colore adipis cereum appellat. malim etiam hic *cereus* pro *aureus*. CLVNIBVS] optima pars auis, pars extrema supra pedes. IN CAVEA MORTVA PICA.] Pica Græce *κίσσα* vel *κίττα*, Alster/ nota auis Germanis, raro gustatur nisi forte pulli tenuiores; mihi, inquit poeta, mortua pica in cauea, apponitur in mensa. De loquacitate picarum loquemur alio loco ad illum Martial. lib. 14.

Pica loquax Dominum certa te voce saluto:
Si me non videas, esse negabis auem.

CVR SINE TE CŒNO, TECVM CŒNEM] à contrario & *ἀδυνάτῳ*, vt illud.

Nec possum tecum viuere, nec sine te.

Tecum sine te cœno, quia in eadem mensa non idem tam suauiter cœnitauimus. est *ὀξύμωρον*, quasi dicas lepidam seu acutam stultitiam, sapientem insipientiam. SPORTVLA QVOD NON EST.] Sportula sublata est, vt detur cœna recta; legem dum seruas, violas. Quia cum tecum iussit cœnare Domitianus, idem iussit vtrique apponi: quod tu negligis. PROSIT] prosit hæc lex nobis, non obsit. malim ego sportulam, quam tuam cœnam non tuam: non enim hæc recta, sed iniqua est. Multa sunt huius argumenti epigrammata. supra lib. 2. ep. 43. ad Candidum & alia.

In Cinnam.

XLVII. LX.

Esse nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna,
Si nil, Cinna, petis, nil tibi, Cinna, nego.

Argute, nihil nego, si nihil petis. Petebat Cinna sæpiuscule, vt scribit vel fingit poeta, nunc hoc, nunc illud, omniaque extenuabat petita, cum negarentur; rem, inquit, nihili mihi negas? Respondet poeta. Si nihil est, quod petis, nihil ego tibi nego. hoc erat omnia negare.

In Quinctum.

XLVIII. LXI.

Centenis quod emis pueros & sæpe ducentis:
Quod sub rege Numa condita vina bibis:
*Quod constat decies sibi non * speciosa supellex:*
Libra quod argenti millia quinque rapit:
Aurea quod fundi pretio carruca paratur:
*Quod pluris * nulli est, quam domus empta tibi.*
Hæc animo magno credis te, Quincte, parare?
Falleris, hæc animus, Quincte, pusillus emit.

* *spatiosa.*

* *nulla, mulla, al.*

In persona Quinti, liberalitate, non luxu argui magnum animum docet. Quinctus autem ex sumptu facto magnus videri volebat. CENTENIS] millibus, hoc est, bis mille quingentis Philippæis. DVCENTIS] geminato pretio. SVB REGE NVMA] vina vetustissima hyperbolicῶs. Numa secundus Romanorum Rex. Liuius lib. 1. protrita res. QVOD CONSTAT DECIES] decies centenis millibus sestertium, Philippæis nostris viginti quinque millibus. NON SPATIOSA] sic lego cum Lipsio. Intelligit enim cælatum argentum perite, & à magno artifice habuisse, adeo vt vna libra æstimaretur quinque millibus sestertiûm, Philippæis nostris centum viginti quinque. Atqui non nisi decem Philippæi iusta, argenti pueri æstimatio fuisset. Verba sic intellige. Libra quod argenti cœlati, fabre facti vnica constet quinque millibus sestertiûm, id est, centum viginti quinque Philippæis. AVREA QVOD FVNDI PRETIO CARRVCA PARATVR.] Aurea carruca, aurea rheda. Supra enim ipse Martialis idem esse docuit. Vsurpat Iulius Cæsar hanc vocem lib. 1 de bello Gallico Plinius lib. 33. cap. 11. Lampridius in Alexandro. Vopiscus Aurel. Marcellinus lib. 14. Hesychius Græce *ἅρμα, ὄχημα, καρῦχα, δίφρος*. FVNDI] agri. quanti ager, tanti carruca aurea Eadem ratione pretium à Chrysogono numeratum pro authepsa, comparat Cicero cum fundo oratione pro S. Roscio Amerino. *In quibus est authepsa illa quam tanto pretio nuper mercatus est, vt qui prætereuntes pretium*

Parum spatij occupabat libra argenti elaborata tantique empta. Non speciosa retinet Lenius Terentius, dicique non speciosam aut supellectilem vulgarem & quotidianam.

pretiū enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. QVOD PLVRIS MVLA EST.] Triplex occurrit scriptura in voce mula; nulli, nulla, mula. Antuerpiensis habet nulli; Aldina, nulla; Domitiana, mula: quā probo. Cum n. dixisset de carruca fundi pretio parata, recte iungitur mula carrucæ, & pretio domus, vt illa fundi, ita & agrum & domum permutarit carruca & mula. Neronem imitatus & Neronis vxorem, quorum hic argento cælatas carrucas mille in comitatu Poppæa mulas aureis soleis indutas adhibebat, Plinius Suetonius, alii. HÆC ANIMO MAGNO.] In tanta sumptuum ambitione te magnanimum credis? non est hic magnus, sed pusillus animus, quia rem tantam in res tam pusillas confers, in mulas & carrucas. magnus animus est, qui magna & liberalia cogitat, qui pecuniis amicos comparat.

In Cotilum.

LXII. XLIX.

Cotile, bellus homo es: dicunt hoc, Cotile, multi.
Audio: sed quid sit, dic mihi, bellus homo?
Bellus homo est, flexo qui digerit ordine crines.
Balsa qui semper, cinnama semper olet:

* * *

Qui legit hinc illinc missas scribitq; tabellas:
Pallia vicini qui refugit cubiti:

* * *

Quid narras? hoc est, hoc est, homo, Cotile, bellus.
*Res * pertricosa est, Cotile, bellus homo.*

* *[illegible]tricosa al.* *De Cotilo quodam ardelione Theognis v. 295. Gellius lib. 1. c. 15. de Garrulis & huius farinæ hominibus.*

Cotilum fœminam vel certe effœminatum capit. BELLVS.] Quid bellus supra lib. 1. epig. 10. in Cottam exposuimus, quamuis ibi alia notione vocem vsurparit, hic mollem signat. FLEXO QVI DIGERIT ORDINE CRINES] qui tortos calamistris crines componit, vt puellæ, & qui vnguentatus & delibutus olet vnguenta, fragrat cinnama. Audi Sodes, quomodo laudet hos bellos Clementis pædagogus lib. 3. c. 3. *Qui enim corporis culti minime sunt puri, ij nequaquam sunt sani: ad mollitiem autem declinantes plane effœminantur illiberali quidem tonsu ac meretricio se tondentes, & quæ ibi mitiſa [illegible] tur* Idem lib. 2. c. 8. fuse de vnguentis. de quibus alibi nos plenius. QVI LEGIT HINC ILLINC MISSAS.] Amatorias literas, quales in Plauto sunt. PALLIA VICINI.] In cœnis, ne plicatum ordinem turbet, quarum causa Hortensius nescio quem in ius vocauit supra lib. 2. c. 41. de Spanio & Prisco. QVID NARRAS? HOC EST] Iamne intelligis, quid sit bellus homo? non formosus, non elegans, sed nugator, fœmina, is nempe, quem hoc carmine descripsi, [illegible] pertricosa res est bellus homo, nugæ, tricæ, gerræ sunt, bellus homo. Petricosa habet communis, Lipsius & turnebus emendant. Alii aliter exponunt, nobis liceat tacere

* * *

Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat,
Qui mouet in varios bracchia vulsa modos,
Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet, atq; aliqua semper in aure sonat.

Al. Inter fœmineas qui nocte dieque cathedras.

* * *

Qui scit, quam quis amet, qui per conuiuia currit:
Hirpini veteres, qui bene nouit auos.

In magistrorum gratiam libuit omissos in purgato Martiali versus apponere, quod iucundam antiquitatis notam ostendunt. Nec de duobus distichis contentio est, nec ignotum, quæ sint cantica * Ægyptia & Gaditana ex Seneca & Martiali nobis alibi explicata. Quis ille sit Hirpinus, quius Hirpinis aui quæras. Respondet † Lipsius ad Valentem Acidalium centuria singulari hisce verbis. *Quis iste, inquis, Hirpinus? non è familia aliqua Romana, ne erres. (etsi ea quoq; fuit) sed equum hic intelligit in Circo nobilem, & multarum palmarum. Nam ea etiam insania, vt stemma & proauos equorum talium quærerent factionarij, atq; inter se celebrarent.* Statius in Siluis..

* *Lege sis de Canticis Heraldum qui multa collegit.*
† *Epistol. 26.*

—— Romulei qualis per iugera Circi
Cum pulcher visu, Titulo generosus auitis.
Exspectatur equus: cuius de stemmate longo

Felix emeritos habet amissura parentes:

Ecce. vides titulos auitos, & stemmata spectata in his equis? De Hirpino etiam, propriè Iuuenalis: Coritha posteritas & Hirpini. sed clarißimè lapis vetus, quem Romæ olim vidi & exscripsi, iste:

Aquilo. N. aquilonis. vicit. CXXX.	*Hic in medio vir est*	*Hirpinus. N. Aquilonis. vicit. CXIIII.*
Secund. Tulit	*(conditor: factionis*	*secundas tulit*
LXXXVIII.	*Russata) qui dextra*	*LVI.*
Tert.	*baculum, sinistra*	*Tert.*
Tul.	*pabulum tenet: &*	*Tul.*
XXX.	*vtrim secum duo aßi-*	*XXXVI.*
VII.	*lientes equi.*	

Habes ipsum hic Hirpinum atq; adeò eius auum Aquilonem. Nam illud N. in lapide Nepotem notat. Vides & palmas vtriusque & plures etiam in auo. Equorum aliorum Circensium nomina haud pauca leges apud Onuphrium Panuinium lib. 1. cap. 13. de ludis Circensibus. cap. verò 11. hic positam ex Lipsio inscriptionem inuenies, vbi Hirquinum Hircinum appellat.

Ad Caßianum.

L. LXIII.

Sirenas hilarem nauigantium pœnam,
Blandasq; mortes, gaudiumq; crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Vlysses dicitur reliquisse.
Non miror: illud, Caßiane, mirarer,
Si fabulantem Canium reliquisset.

Canium Gaditanam Sirenem omnibus præfert Sirenibus. SIRENAS] κατὰ μὲν τοὺς Ἀχελώου καὶ Στερόπης τῆς Παρθάονος αἱ σειρῆνες, κατ' ἐνίους δὲ Ἀχελώου, καὶ Τερψιχόρης μιᾶς τῶν μουσῶν. ἑλόμεναι δὲ παρθενίαν ἐμισήθησαν ὑπὸ Ἀφροδίτης καὶ ἔσχον πτερά, ἀπέπτησαν εἰς τὸ Τυρρηνικὸν κλίμα, καὶ νῆσον κατέσχον Ἀνθεμοῦσαν ὀνομαζομένην. ὀνόματα δὲ αὐτῶν Ἀγλαοφήμη, Θελξιέπεια, Πεισινόη, καὶ Λίγεια. (scio alios, plures, alios pauciores dicere, plerosque tres) scholia Homeri, quæ sic interpr. tor. Sirenas multi censent Acheloi & Steropes Parthaonis; nonnulli Acheloi & Terpsychores Musæ filias, inuisas ob virginitatem Veneri, quæ alis, quas habebant sublatæ, in Tyrrheni maris insulam Anthemusam auolauêre. Audiunt Aglaopheme, Telxiepia, Pisinoë & Ligia. Homerus duas ponit tantùm, cùm dualem vsurpet. De Cantu Sirenum Homer. Odyss. M. Orpheus in Argonaut. Apollonius lib. 4. Argonaut. Strabo lib. 1. & 6. Virgilius lib. 5. Ouidius 3. de arte. Nicander ad lib. 5. mutatorum. Clearchus Crobylus. Pausanias in Bœoticis. Ouid 5. & 13. Met. Plato in Phædro & lib. de Rep. Macrob. 2. ad som. Scip. Plinius lib. 10. cap. 49. Cic. 5. Tusc. Plut. Sympos. q. 14. &c. Mythologiam egregiè Eustathius ad Homerum exponit, & Natalis Comes lib. 7. c. 13. Vox deriuatur, vt est in lexico Rhetorico, παρὰ τὸ σειριᾶν. ὅ ἐστιν ἀστράπτειν, ἄστρα γὰρ σείρια καλοῦνται. Alius tamen σειριάζειν ἀντὶ τοῦ στίλβειν καὶ ἀστράπτειν πνευστικῶς, καὶ σειριᾶν φλεγμαίνειν, καίεσθαι. HILAREM NAVIGANTIVM PŒNAM] Lesches in parua Iliad.

Σειρήνων μετέπειτ' ἐσαφίξεαι ἁλμυρὸν ὕδωρ	*Sirenum post aduenies ad salsa profunda*
Σειρήνων, γλυκερῇσιν ἀοιδαῖς δηλήσαντο	*Sirenum dulces cantus, quorum exitiis illis*
Τῶ πλείστους ναύτας, ὧν πύθεται ὀστέα λευκά.	*Dira lues nautis, quorum terra oßibus albet.*

Hilarem pœnam, quia per voluptatem illiciuntur in fraudem. sic quod sequitur; Claudianus.

Dulce malum pelago Siren volucresq; puella
——dulcia monstra,
Blanda pericla maris, terror quoq; gratus in vndis.

Et idem:
Nec dolor vllus erat, mortem dabat ipsa voluptas.

Tu lege vacuus plura ibidem. BLANDAS MORTES] Sopiri enim suauitate cantus deuoluuntur in mare. GAVDIVM CRVDELE] eleganter à rebus contrariis, sic amor dictus dulcis amarities. QVAS NEMO DESEREBAT] Homer.

——αἵ ῥά τε πάντας
Ἀνθρώπους θέλγουσιν ὅτις σφεας εἰσαφίκηται

Et infra:
Οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηΐ μελαίνῃ
Πρὶν ἡμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι.

Idem Orpheus & Apollinius cantant, qui multos quidem periisse, sed Argonautas, Orpheo canente, & Sirenum vocibus cithara retusis, euasisse scribit. 4. Argon. FALLAX VLYSSES] duplicem Horatius canit. Homero πολύμητις ὀδυσσεύς, a'iis versutus, pellax, πολύτροπος. ipse alligatus malo, auribus sociorum cera obturatis, vt præceperat Circe. Homer. Odyss. M. & nescio quis poeta.

 Sangui-

Sanguine Sisyphio generatus magnus Vlysses
Hac tutos sola præstitit arte suos,
Nam cera sociorum callidus aures,
Atq; suas vinclis præbuit ipse manus,
Transiluit scopulos & inhospita littora classis,
Illæ præcipites desiluêre freto.

Sirenes. Victæ enim ab Vlysse seipsas in mare præcipites egerunt. vnde scopuli Sirenum extiterunt, versæ ipsæ in scopulos. Alciatus Emblem. 115. *Absq; alis volucres*, &c. SI FABVLANTEM CANIVM RELIQVISSET] tam suauiter & nequiter garriuit Canius, vt vel ipsum Vlyssem tenere potuerit, quem non potuere Sirenes. De hoc Canio, quis fuerit, supra dictum.

In M. Antonium.

LXV. LI.

Par scelus admisit Phariis Antonius armis:
*Abscidit * vultus ensis vterq; sacros.*
Illud, laurigeros ageres cùm læta triumphos:
Hoc tibi, Roma, caput, cùm loquereris, erat.
Antoni tamen est peior, quàm caussa Photini:
Hic facinus domino præstitit, ille sibi.

Ausus Pompeium lusho damnare Photinus Lucanus.
** Abscidit heu.*

Laus Pompeij & Ciceronis, scelus Antonij & Photini. PAR SCELVS ADMISIT] Mortem Ciceronis narrant Liuius, cuius tantùm extat de ea fragmentum. Florus in Epitome. Plutarchus in Cic. Dio in Augusto. Valerius Maximus lib. 5. c 3. Appianus lib. 4. ciuil. Velleius. pater Seneca declamator in Suasoriis pro Cicerone. Orosius, Eusebius, Augustinus. Iidem ferè Pompei fata exequuntur. PAR SCELVS] Antonius triumuir occidendo Ciceronem par scelus admisit Ægyptio sceleri, quo interemptus est Pompeius Magnus à Photino lib. 5. *Antoni Phario nil concessure Photino.* ABSCIDIT VVLTVS SACROS] alij legendum putant. ABSCIDIT HEV VVLTVS SACROS] Huic simile est illud de puero. *Abscidit heu tenerum lubrica testa caput.*

Bonetam vide in suas. Vtraq; lectio habet defensionem. Itaque nihil muto. SACROS] ob ætatis, magistratus, rerum gestarum, gloriç, maiestatem, dignitatem, aliaq; mille nomina. ILLVD LAVRIGEROS] Illud Pompeij caput tibi Roma erat, cùm triumphares, nullus enim ante Pompeium tam lætos retulit triumphos, qui de tribus orbis partibus triumphauit, vt Cicero pro lege Manilia, vbi copiosè Pompeij laudes & lauros inspicies. Ergò Pompeius præerat Romæ triumphanti (Plinius lib. 7. c. 26. de Pompeio. *Neque enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronârunt*) Cicero loquenti. sic enim sequitur.

Hoc tibi Roma caput cùm loquereris, erat.

Ciceronem enim nullus dicendi vi superauit; quanquam Catonem Ciceroni, & Lucanum Virgilio Adrianus antepofuerit: Vnus, inquam, Adrianus, contra orbis terræ & omnium sæculorum iudicium & consensum. ANTONI TAMEN EST PEIOR] Malus tamen est scelus, inquit, Antonij, qui Ciceronem interfecit, & crudeliter interfecto illusit, nemine cogente. Photinus in gratiam & salutem domini sui, non sua caussa Pompeium interfecit. Obserua historicos quidem omnes eadem, quà mortem ipsam, non eadem tamen, quà modum & percussorem narrare. Plutarchus au Herennio centurione præsente & adiuuante Popilio Tribuno, quem parricidij quondam reum defenderat, occisum refert. Valerius Maximus ab ipso Popilio interfectum ostendit his verbis. *Hic Popilius postea, nec re, nec verbo à Cicerone læsus, vltro M. Antonium rogauit, vt ad illum proscriptum prosequendum & iugulandum mitteretur, impetratiq; detestabilis ministerij partibus, gaudio exultans Caietam cucurrit, & virum, omitto quod amplissima dignitatis, certè salutis eius auctorem, studio etiam præstantis officij priuatim sibi venerandum iugulum præbere iussit, ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, & pacis verissimam dextram per summum & securum otium amputauit, &c.* Idem de Popilio scribentem Audi Appianum. *Lenas verò*, inquit, *qui propriam caussam Ciceronis patrocinio tutatus pœnam effugerat, caput è lectica primus extulit, simulq; præcidit tribus feriens secansq; vulneribus ob imperitiam. Abscidit & dextram, qua orationes illas luculentissimas in Antonium veluti tyrannum exarauit, &c.* Cùm his sentiunt Florus epitome 120. qui affirmat fuisse Popilium legionarium militem, cùm Plutarchus aiat tribunum. Xiphilinus in Augusto tantùm de capite Ciceronis iam resecto loquitur. *Sed capiti*, inquit, *Ciceronis allato contumeliosissimè maledixit Antonius, iussitq; in rostris, quo magis inter cætera emineret, collocari edito loco, & vnde in concione auditus fuerat in ipsum dicere, ibi cum amputata dextera capite conspiceretur. Idem caput antequam inde exportaretur, Fuluia sumit in manus, consectatur conuitiis, spuit in faciem, supra genua collocat, ex eoq; ore aperto linguam extrahit. deinde pungit acu, qua ad ornamenta capitis sui vtebatur; ad extremum illudit in maledicè & contumeliosè.* Nobile est apud Velleium Ciceronis elogium. *Nihil*, inquit, *tam indignum illo tempore fuit, quàm quod aut Cæsar aliquem proscribere coactus est, aut ab illo proscriptus est, abscissaq; scelere Antonij vox publica est, cùm eius sa-*

eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos & publicam ciuitatis & priuatam ciuium salutem defenderat. Nihil tamen egisti M. Antoni,&c. Lege tu reliquam conquestionem. Extant in appendice Virgiliana tumuli Ciceronis à variis scripti, humiles tamen, nec digni, qui adscribantur, præter vnum alterumue, nec ipsum totum: Euphorbus suum optumè concludit, cùm inquit:

Nil agis, Antoni, scripta diserta manent.
Vulnere nempe vno Ciceronem conficis: at te
Tullius æternis vulneribus lacerat.

Et Pompeianus:
Sed vita breuitas pensatur laude perenni
Quod mors eripuit, gloria restituit.

Nobilissimum Ciceronis elogium extat apud Plinium lib.7.cap.30. quod alibi posuimus. Et ipsius Martialis lib.5. epig.70. Antoni Phario, &c. Verè enim Poeta.

Incipiunt omnes pro Cicerone loqui. Legantur suasoriæ Senecæ.

HIC DOMINO PRÆSTITIT] Photinus vel Phothinus, sed prior plures habet patronos. Hic Photinus, (Plutarchus in Pompeio & Appianus lib.2. ciuil. testes) Eunuchus fuit, cùm Pompeius nauem Pelusium (vbi Ptolomæus tredecennis erat) appulisset, Photinus regni procurator, consilium coegit eorum, qui summam obtinebant auctoritatem, plurimum autem poterant, quos Photinus volebat. Consultarunt Photinus, Theodotus Chius mercenarius Rhetor, & Ægyptius Achylles: decernunt mortem Pompeio, ne iratum haberent Cæsarem. Achyllas exequitur decretum ascito in societatem Septimio, qui ordinem duxerat sub Pompeio, Saluiumq; alterum centurionem, præterea tres vel quatuor administros sceleris. Septimius primus à tergo surgentem in nauicula traiecit, deinde Saluius, mox Achyllas enses strinxerunt. Pompeius ambabus manibus faciem toga texit, nihil effatus, sed altum ingemiscens cecidit, postridie natalis sui, cui nato dici poterat, etas morieris. cætera vide apud Plutarchum. De Septimio idem Appianus, sed Sempronium non Septimium vocat, sicut Theodotum, Theodorum; Samium, non Chium præceptorem Regis. Acceperat olim oraculo, (Dio in Iulio) vt vitaret Cassium, Cassios inde suspectos habuit; sed montem vicinum, iuxta quem trucidatus est, Cassium vocari postea intellectum est. Achyllam percussorem Pompeij etiam Florus affirmat, & Rhetorem idem vocat Theodorum, à Theodoro Cæsari postea caput oblatum est cum annulo. De Achylla etiam Orosius lib.6. qui & Cæsari postea necem meditabatur. De eadem morte Pompeij Velleius Paterc. lib.2. qui fatum eius his verbis claudit. * *Pridie natalem ipsius vitæ fuit exitus*, in tantum, in illo viro à se discordante fortuna, vt cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Percussores omnes postea interfecti. Theodotum M. Brutus in crucem sustulit. Elogia Pompeij suo loco ponam infra lib.5. epig.75.

* an postridie.

De pigris nautis.

LII. LXVII.

*Cessatis pueri, nihilq; * nostis:*
** Veterno, resinaq; pigriores:*
Quorum per vada tarda nauigantes,
*Lentos * figitis ad celeuma remos.*
Jam prono Phaëthonte sudat Æthon,
Exarsitq; dies, & hora lassos
Interiungit equos meridiana.
At vos tam placidas vagi per vndas
Tutâ luditis otium carinâ.
Non nautas puto vos, sed Argonautas.

* postis * ostis * nihilq; obestis: hoc nostrio quam benè.
* Veientonia resinaq;.
* Aternoq; Sapiq;.
* tingitis
Pueros nautarum etiam Horatius li. 1. Sat.5. appellauit.
Tum pueri nautis, pueri conuitia nautæ ingerere. Theocritus Id. 13. παῖδας eosdem vocat nautas.

Ludit in ambigua voce. Argonautæ. Cæterum aut mendo corruptum hoc carmen, aut ego mente, qui non intelligo, quid est *nostis*, aut *nostis veterno & resina* contra leges Prisciani. Legit ergo Lipsius *mostis*, quæ scriptura placuit etiam Scriuerio, itaque edidit. quæ si non iusta, iustæ tamen est proxima. Isacius Pontanus ad Macrobium putat legendum.

Cessatis pueri, nihilq; postis, pro potestis. Conuenienter, inquit, præmissum & subsequis vocibus. Cessatis, *sistis, luditis*. Ad significatum quod attinet, eodem modo locutus est Plautus.

Non his, vt possit, edit: sed posse cupit, vt edat. Et Martialis ipse.

Possum nil ego sobrius: bibenti
Occurrunt mihi quindecim poëtæ.

Ram. & Musamb. & Gruterus seruant primam & vsitatam scripturam: nihil nostis, sed diuersa

mente & intellectu. Ramiresius cum Grutero artis inscitiam interpretantur, nihil nostis, nescitis artem nauigandi. Sed reuera hoc non ex poëtæ sensu, qui non artem, sed artificum cessationem toto epigrammate spectat, quo ludit illorum ignauiam, vnde concludit. Non nautas puto vos, sed argonautas. artem quidem tenetis, sed cessatis. Melius ergo & verius Musamb. nihil nostis, nihil potestis; hanc enim vim habet verbum noui, & nostis, quod multis docet & Græcis & Latinis auctorum exemplis, genusque dicendi Atticum ostendit. Huius ergo sententiæ velis remis accedimus, quamquam *mostis* minimè damnamus. Sed hæremus adhuc impliciti resina, & veterno sopiti.

Ita apud Athenæum legitur quispiam manum nunquam infra ventrem demisisse, nunquam cibum ori admouisse, sed præmansum à nutrice accepisse. Græcè [illegible].

Turnebus cum Lipsio: *Veientone asinâque pigriores.* Vt sententia sit. Quid cessatis, quid agitis nautæ, aut quid mouet s? nihil mostis, mouistis aut promouistis hactenus Veientone illo veternoso, & lentâ asinâ pigriores. Veiento fuit adeo piger, vt salutantes non resalutaret, ob molestiam oris aperiendi, imò non respiceret, nisi ferre aliquid diceres amoris loco; Interpres tamen Iuuenalis hæc ad arrogantiam Veientonis refert Sat. 3.

Vt te respiciat clauso Veiento labello.

Idem Sat. 6. *——signum idem*

Accepta rude cœpisset Veiento.

Id est, donatus rude otio se dare cœpisset. ASINAQVE] asinæ tarditatem & lentorem, nisi valde tardum & lentum ingenium nemo non ignorat. VETERNO] primam corripit. RESINA] In hac voce prima & secunda syllaba tenditur, nec vnquam breuis, nec communis est: quanquam nonnulli Grammatici sequius doceant, corrupto hoc Martialis & Iuuenalis nixi loco, apud Iuuenal. lege, *nec resinata iuuentus.* Martial. infrà.

Quid facient vngues? nam certè non potes illos

Resina, Veneto nec resecare luto.

Et lib. 12. epig. 32. *Nec plena turpi matris olla resina* Scazon est.

Et lib. 3. epig. 77. *Resinata bibis vina Falerna fugis.*

Samonicus de capillo tingendo:

Resina ex facili cerâ visco que coacta.

De veterno res clara testimonio Virgilij & aliorum poëtarum. Quid ergo statuemus, & à quibus hic stabimus? Gruterus nouam lectionem ex antiquis codicibus profert, rescribitque Vaterno Rasinaque pigriores, & ait duorum esse riuulorum nomina. Sed cum hoc sit diuinare, redeamus ad primam & antehac vsurpatam lectionem, veternum inquam & resinam, donec luceat nobis aliquis melior Apollo facem. Veterno igitur & resina pigriores, vt non tam progredi & nauigare, quàm hærere, aut lentè serpere videamini. Hæc quidem via expedita est nos explicandi ex hoc veterno & resina, sed Priscianus cum sua legione clamat, nos iura Grammatica violare, veternum primam rapere, resinam primam & secundam tendere, nos contra facere. Et hunc nodum soluit hactenus nemo, quem ostendi etiam primo commentario, nec iam habeo quod dicam. Cum exploratum sit à Martiale toto opere phaleucium sanctissimè custodiri, & primo loco spondæum poni, Iambum & choreum penitus excludi. Hoc absque sit, plenis velis in veternum & resinam propere rem, nec vsquam toto epigrammate hæream. Itaq; comperendino versum, quoad aliud vadimonium obeat. Hæc dum scribo incido in notas nostri Gontij qui legit. *Aternóque Sapique pigriores, Martialis, inquit, in Galliacum animi caussa lembum in Rauenna paludibus a scendisset, tandem fessus, post meridiem reprehendit remiges, quod ad oppidum non redeant, sed in aqua nugentur. Lego Cessatis pu. re mihiq; ob. siu Aternoq; Sapiq; pigriores. Paludes Rauennæ implebant illo tempore multi amnes, ex quibus nominat Plinius Aternum Sapim & alios.* quorsum, seu quo fine, inquit, *pueri nauigantes per vada tarda, nulla vi fluentis aquæ adiuti, dum promouere se à remorum impulsione sit ne esse, tanquam otiosi & ludentes, tingitis in aqua remos, leniter motos, nec impulsos brachiorum vi, sed vt tantum eos vngere in aqua velle videamini ad numeros celeumatis expectantes cantus.* sed retineo, *quorum,* Aterni inquam & Sapis amnium Plin. lib. 3 c. 15. Scriuerius pro *Veterno Vaterno. Aterno* rescribit *Vaterno* rursumq; suam ipse emendationem damnat & rem in medio relinquit, & sanè parum refert cum poëta nautas cum duobus stagnantibus & pigris fluuiolis componat, quicumq; illi sint certè ignobiles & pene ignoti sunt. Idem pro *Resina* poni per coniecturam Tesinam vel Rasinam vel Ratinam. Sed fluctuat in fluctibus, nec mirum, quis enim certa constituat aut diuinet? QVORVM PER VADA TARDA NAVIGANTES] Quorum, Veterni nempe & Resinæ tanquam fluminum pigrorum & lentè fluentium. Alioqui tricæ, quorsum enim refertur τὸ quorum? ad versumne præcedentem? sensus erit quorum Veientonis & asinæ ad celeuma; si ad sequentem, nota sit interrogationis oportet, aut sine sensu, eritque post, τὸ quorum, commate incidendum, vt sic intelligatur carmen. Pueri, quid cessatis inertiores asinis? Ad quorum celeuma per vada tarda seu stagna, naumachiamque nauigantes remos tingitis aut figitis, ad populi ne circumsedentis, an Veientonis & asinæ? Ramiresius vertit quorum in quorsum, [illegible].

Quorsum per vada tarda nauigantes

Lentos figitis ad celeuma remos?

PER VADA TARDA] per stagnantem & lentam aquam, & pultem paludis, vt Sidonius loquitur figitis remos vt in cœno & pulte propter spissitudinem paludis. LENTOS] tardos. FIGITIS] tingitis

tingitis aliàs placet recepta figitis, quasi fixos tenetis, non mouetis, vt respiciat ad verbum, nihil mollis, nec alteram scripturam reiicio. AD CELEVMA] græcum verbum κέλευμα, κελεύω iubeo: dicitur & κέλευσμα. Est celeuma hortatio seu clamor nauticus, cùm portu procul viso finem nauigationis festis gratulationibus conclamant. Est & hortamentum, quo remiges à celeustis vel incitantur, vel cohibentur à remorum labore; fiebatque vel ipsa voce, vel harmonia, Budæus. Celeustæ autem hortatores, qui remigibus & epibatis præsunt, non ipsi remiges, vt malè Plutarchi interpres exponit. Iidem Celeustæ vini, olei, carnis, victusque, & potionis curam gerebant. Cæl. Rhodiginus lib. 16. cap 23. Ingens clamor erat, vt ex l. 4. 64. discis.

Quem nec rumpere nauticum celeuma.

REMOS] palmulas Catullus appellat 4. epig. de Phaselo, palmas epithal. Epithal. Thet. & Pel.

quas imbuit Amphitrite.

IAM PRONO PHAETONTE] iam cœlo vesperascente. ÆTHON] solis equus, de quo antè dictum. EXARSITQVE DIES] meridies, qua hora æstus grauissimus. Meursius in Crit. c. 2. Arnob. exponit illud exarsit, ardere desiit ad illa Arnobij. Nunquid ipse siderum sol princeps, cuius omnia luce vestiuntur, atq; animantur calore, exarsit, intepuit. Sed Martialis explicat seipsum quando subiicit *hora lassos interiungit equos meridiana*. Exarsit ergo hic de meridie dicitur. Quod autem Martialis dixit prono phaëtonte sic accipe. Quamprimum sol meridianæ lineæ punctum attigit, non altius ascendit, sed descendit ad vesperam. ET HORA LASSOS] hora meridiana & sudantes, & anhelantes equos seiungit, abiungit quietis caussa, suprà de hoc verbo disputauimus. AT VOS] pueri. VAGI PERPLACIDAS VNDAS] tutæ carinæ otium luditis, vos abutimini otio, neque nauigatis, sed luditis, velut portum naui iam ingressa & secura.

Scriuerius: *Tota luditis otium carina,*

Vel: *Tuta luditis otium carina.*

Omnes scripturæ non incommodum admittunt sensum. In postremo ipsos nautas vocat tutæ carinæ otium. SED ARGONAVTAS] non estis nautæ, sed argonautæ, id est, inertes, pigri, ignaui nautæ, ἀργὸς græcè, piger, desidiosus, Argonautæ pigri nautæ; cùm tamen Argonautæ fuerint strenuissimi heroës Iason, Theseus, Hercules, & alij supra triginta. de quibus Apollonius, & Valerius Flaccus, & Orpheus in Argonaut. Iocus è græca voce quæsitus satis frigidus.

Ad Paulinum.

LIII. LXXVIII.

Minxisti currente semel, Pauline, carina.
Meiere vis iterum, iam Palinurus eris.

Ludit in voce Paulini & Palinuri ob vicinitatem syllabarum, simulque ad casum Palinuri alludit. Palinurus est notus ex Virgilio, classis Troianæ rector & moderator, qui somno oppressus, & è naui excussus fluctibus est haustus, Virg. 5. Martialis tantum vocis significatum græcum accipit & iocatur, οὐρεῖν enim idem valet ac vrinam facere, πάλιν rursum, ergo Palinurus qui iterum meiit. Sed poëta simul respicit lapsum Palinuri, periculumque par instare Paulino, si currente carina, magnoque impetu ruente velit in vndam exonerare vesicam, ne subitâ vi aliqua excutiatur. Alij ad fœda transferunt, quæ huc non pertinent.

In Rufum.

LIV. XCIV.

Esse negas coctum leporem, poscisq́ flagella:
Mauis Rufe cocum scindere, quàm leporem.

Suprà ad Naniam 13. ep. *Dum non vis leporem, dum non vis carpere mullum, &c.* Accusat verum per cocum.

Auarum Rufum & crudelem ostendit. Rufus, cùm vellet leporem in conuiuas partiri, simulauit esse crudum, coquum ergo velut iratus inuasit, & loris conscidit. ludit in voce scindere, quæ ad tergum coci, & leporem coctum refertur. ne cogaris diuidere, & scindere leporem, mauis scindere, & lacerare infelicem cocum, dignior ipse scindi.

In Næuolum.

LV. XCV.

Nunquam dicis AVE, sed reddis Næuole semper
Quod prior & Curius dicere sæpè solet.

Rusticè facis vt Curius.

Cur hoc expectas à me rogo? Nauole dicas.
Nam puto nec melior, Nauole, nec prior es.
Præmia laudato tribuit mihi Cæsar vterque,
Natorumq; dedit iura paterna trium.
Ore legor multo, notumq; per oppida nomen
Non expectato dat mihi fama rogo.
Est & in hoc aliquid, vidit me Roma tribunum:
Et sedeo qua te suscitat Oceanus.
Quot mihi Cæsareo facti sunt munere ciues,
Nec famulos totidem suspicor esse tibi:

* * *

M. Curius Dentatus. Auctor de viris illustrib. Plinius l.18.c.3.l.19. c.5.l.16 c 39. Plut. Valer. Maxim. Cicero. Eutropius, & alij.

Næuoli arrogantiam retundit, quem vna sola turpitudine ait se priorem AVE] solemne verbum. lege lib.1.ep.56. CVRIVS] Notissima Curiorum familia. si tamen hic illos priscos poëta intelligit. CÆSAR VTERQVE] Titus & Domitianus. Hinc libri spect. multa epigr. ad Titum refero. NATORVM IVRA TRIVM] lege ep.91.& 92.lib.2. NON EXP. ROGO] viuo. plura lib.1.ep.1. TRIBVNVM] honorarium nempe, vti & equitem. de quo vita Martialis. OCEANVS] Lectius & Oceanus designatores 14. graduū equitibus designatorum. de quibus lib.5. fusè, ep.8.14.26.&c. CIVES] quibus impetrauit ius ciuitatis Romanæ, vti Plinius minor non paucis à Traiano li.10. epistolarum.

Ad Cerdonem.

XCIX. LVI.

Irasci nostro non debes, Cerdo, libello.
Ars tua, non vita est carmine læsa meo.
Innocuos permitte sales. cur ludere nobis
Non liceat, licuit si iugulare tibi?

Epigrammata, decimum sextum & quinquagesimum octauum erant de Cerdonibus munera edentibus. illa excusat, & excusando ludos, magis accusat & illudit. Noli nobis irasci. Cerdo, non carpsimus mores, sed vile artificium, vel potius gladiatoriam artem, licet iocari sine famæ iactura, vt lib. ep.5. dixit. *Innocuos censura potest permittere lusus.*

CVR LVDERE NOBIS NON LICEAT] à maiori conuincit Cerdonem, si tibi licuit iugulare homines, cur nobis non liceat ludere homines? iugulasti autem, cùm gladiatores dedisti, liceat ergo ludere in corium tuum, quod item iugulasti. Videtur poëta simul respicere pelles ferarum iugulatarum, quas trahebat, tractabat, vellebat pro arbitratu Cerdo, & alio interiore sensu homines.

Ad Rufum.

XCVIII. LVII.

Cursor] excipes Glossa. ταχυδρόμος, δρομεύς. Rigaltium vide.

Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora;
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cælum nam fortè ruebat.
Non aliter mitti debuit iste liber.

Extenuat carmina digna liturâ. CVRSOR] tabellarius, vel qui equo, curribus, vel qui in stadio currit, hic intelligo viatorem. De cursoribus & cursu publico eruditè Lipsius epist.59. Centuriæ singularis ad Nicolaum Micaultium. SEXTA] decima octaua apud Italos, duodecima apud nos hodie, sexta enim semper in meridiem nostrum incidit, dimidiatum nempe diem. De qua re lib.4. ad Euphemum 8. MADIDVM] caussa sequitur. IMBRIBVS IMMODICIS] imber erat maximus, vt cœlum ruere videretur. NON ALITER MITTI DEBVIT ISTE LIBER] dignus, qui aqua deleatur, aut qui æquè madeat nequitiis, atque cœlum aquis. suprà lib.1.

Vis puto cum libro, Marce, natare tuo.

Et lib.4.ep.10. *Instructum comitetur pumice librum*
Spongia.

Et ibidem: *Emendare iocos vna litura potest.*

MAT-

MATTHÆI RADERI AD M. VALERII MARTIALIS LIBRVM QVARTVM Commentarius.

De natali Domitiani.

I.

Cæsaris alma dies & luce sacratior illa,
Conscia Dictæum qua tulit Ida Iouem;
Longa precor, Pylioq; veni numerosior æuo,
Semper & hoc vultu, vel meliore nite.
*Hic colat Albano Tritonida cultus in * auro;*
Perq; manus tantas plurima quercus eat.
Hic colat ingenti redeuntia sæcula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.
Magna quidem superi petimus, sed debita terris.
*Pro tanto quæ sunt improba vota * Deo?*

* *aruo legunt hodie nonnulli.*

* *Domitianum vocat Deum.*

NATALEM Domitiani celebrat editi, A. V. C. DCCC. 9. Calend. Nouemb. patre consule designato Claudio Imperatore. Suetonius in Domitian. cap. 1. Vrbis autem annus ex Suetonio & Orosio colligitur. Domitianus enim regnauit annos quindecim, imperiũ ergo suscepit anno ætatis trigesimo, cùm Suetonio annum quadragesimum quintum non excesserit. ALMA DIES] natalis 9. Cal. vt Suetonius; non octauo, vt vult Domitius. *Natus ad Malum Punicum sexta vrbis Regione, domo, quam postea in templum gentis Flauiæ conuertit.* Suet. P. Victor. Val. Flaccus l. 1. Martial. lib. 9. LVCE SACRATIOR ILLA] duplex interpretatio, vel vt natalem Domitiani præferat Iouis natali, dixit sacratior, vel vt natalem eo dicat sacratiorem, quòd eadem die natus sit Iupiter Idæus, quod tamen infirmum: prior intellectus germanus. CONSCIA DICTÆVM QVA TVLIT IDA IOVEM] qua die Ida Cretæ mons natum excepit Iouem. Quo loco natus sit Iupiter, ingens olim inter populos contentio fuit, vt Pausanias in Messeniacis scribit. Natum in Creta, Lucianus tradit in sacrificiis, imo & educatum, & sepultum. Et Virgil. 4. Georg. Educatum certè in Creta tradunt ferè omnes. Natal. Com. lib. 2. cap. 1. Dicte est mons Cretæ. IDA] mons Cretæ Dionys. de situ vrbis.

Κρήτη πιμίειρα Διὸς μεγάλοιο τιθήνη
Πολλή τε λιπαρή τε καὶ εὔβοτος, ἧς ὕπερ Ἴδη,
Ἴδη καλλικόμοισιν ὑπὸ δρυσὶ τηλεθόωσα.

Creta Iouis magni nutrix veneranda feraxq;
Et frugum & pecoris, nemorosa huic imminet Ida,
Ida frequens piceis & quercubus optima mater.

Idem Virg. lib. 3. Æn. *Creta Iouis magni, &c.*

a quo Idæus Iupiter. sed Ida mons alius est Phrygiæ. Virg. 2. Æneid.

Iamq; iugis summæ surgebat Lucifer Idæ.

Hic Martialis de Crtensi loquitur. SEMPER ET HOC VVLTV, VEL] millies redi, & semper æquè fausta, aut etiam faustior præsente. PYLIO] Nestoreo, qui tria sæcula vixit, quod vt intelligendum sit, alibi nobis dictum. HIC] Cæsar Domitianus agitat sacra Mineruę in aruo (sic enim leg. ndum monet Lipsius) Albano; arce Cæsaris suburbana, in quam sæpè secessit. De Alba & Albano copiosè lib.5.ep.1. TRITONIDA] Palladem, Mineruam, quam superstitiosè coluit. Tritonis vel Tritonia dicitur à fluuio Tritone, ad quem edita fertur, vel paludem Tritonidem, vel quia tertio die Lunæ nata fuerit, vt sensit Callisthenes: alij Tritoniam, quòd Trito caput significet Ponticis gentibus, cuius cranium in tres partes diuidatur. alij lunam ita dixêre, quod tertia die à coniunctione solis appareat, etsi non raro citius, & eodem die prodeat nonnunquam. alij à triplici animi facultate, ratiocinandi, irascendi, cupiendi. alij ver, æstatem, hyemem intelligunt. IN AVRO] qui mecum hanc scripturam malunt retinere, aurum referunt ad coronam Cæsaris auream, qua insignitus certaminibus poëtarum & oratorum, & ludis scenicis præsidebat. Sæpè celebres quinquatria, qu bus corones poëtas in Albano tuo ipse redimitus auro. Vicit in his Statius tet.

——ter me vidisti Albana ferentem

Dona comes, sanctoq; indutum Cæsaris auro.

Suet. cap.4. *Celebrabat & in Albano quotannis quinquatria Mineruæ. Cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti Magisterio fungerentur, redderentq; eximias venationes, & scenicos ludos, superq; oratorum ac poetarum certamina.* Ad quem locum plura Torrentius Læuinus. PERQVE MANVS TANTAS] Cæsareas. Cæsar ipse victores ornauit querna corona, de qua copiosissimè diximus lib.8.epig.82.& lib.4.epig.54.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus.

HIC] Cæsar. COLAT INGENTI RED. SÆC. LVSTRO] ludos sæculares centesimo quoque anno reuocatos laudat. Domitianus (vt refert Suetonius cap.4.) *sæculares fecit, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proximè, sed olim augustus ediderat, &c.* A. V. C. DCCC. XLI. decimo quarto consulatu suo Domitianus hos exhibuit, vt nummus ostendit, cum hac inscriptione LVD. SÆC. F. COS. XIV. Qui porrò fuerint ludi sæculares, quæ origo, quoties celebrati, docent Censorinus de die natali, c.5. Horatius car. sæculari. Festus Pomp. lib. 17. Pomponius Lætus Rom. historiæ. B. Augustinus lib.3. cap.18.de ciuit. Lud. Viues ibid. alij. Et quia lustrum, & sæcularis annus concurrebant, poëta vocat ingens lustrum, quanquam quintus quoque annus per se Magnus sit appellatus. Censorinum consule. De quinquennali certamine Suetonius cap.4. *Instituit & quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex Musicum, Equestre, Gymnicum & aliquanto plurium, quàm nunc est, coronatorum, seu coronarum,* vt Torrentius legit. Et quæ ibidem sequuntur. Factum hoc anno V. C. DCCC. IX. Domitiano XII. & Ser. Cornelio Dolabella Coss. Sæpè de his Statius lib.3. Syluarum ad Claudiam vxorem.

——cum cum Capitolia nostra

Inficiata lyra, sæuum ingratumq; dolebas

Mecum victa Iouem——

Et ibidem: *Et Capitolinis quinquennia proxima lustris,*

Et lib.4. Epul. Dom. *Sæpe coronatis iteres quinquennia lustris.*

ET QVÆ ROMVLEVS] Terentus locus in campo Martio, vbi Diti sacra fiebant. lege epigr. lib. 10.43.& lib.1.70. De hac voce Terentus (non Tarentus) multa Rutgersius lib. IV. Var. c.10. vbi apud Val. Max. lib.2 c.4. docet legendum esse Terentum non Tarentum. SACRA] describit hæc Censorinus de die Natali cap 5. Val. Max. lib.2.c.4. nam ante ludos sæculares sacra fiebant.

MAGNA QVIDEM] Magna à magnis pro magnis sunt petenda. Maximus est Cæsar, maxima à maximis Diis exigenda. DEBITA] quia ipse multum vobis credidit, tot nascentia templa, tot renata, &c. IMPROBA VOTA] postulata iniqua, preces iniustas, intellige nullas. Etiamsi maiora pro Cæsare peteremus, id iure faceremus cum ipse Deus sit, ò miserum Deum, & miseriores qui tales Deos colunt.

De Horatio.

II.

Spectabat modò solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cùm plebs & minor ordo, maximusque,
Sancto cum duce candidus sederet
Toto nix cecidit repente cœlo.
Albis spectat Horatius lacernis.

Inter imbres & tempestates Domitianus edidit naumachias & spectacula, (Tranquillus auctor) quibus è more adesset populus Romanus candidatus. Solus Horatius quidam pullatus in specta-

Seruarium, aruo.

Ramiresius hoc loco eruditè refellit Mustambertium.

Cap.3. Mutanus inte-

ſpectaculo ſedebat, qui tamen & ipſe velut diuinitus eſt coactus mutare non veſtem, ſed colorem, niuibus enim decuſſis è cœlo cadentibus ita eſt oblitus, vt albeſcet. Hinc & ipſe albatus. MVNVS] naumachiam. accipitur munus pro omni genere ſpectaculorum, ſæpiuſcule autem pro ludo gladiatorio: cuius editor, & munerarius dicitur. Lipſius in Satur. CVM PLEBS ET MINOR ORDO] populi Romani diſcrimen erat triplex, omniſq; ciuitas in plebem, ordinem equeſtrem, & ſenatum tribuebatur. Populus omnes tres ordines complectebatur, Liuius lib. 1. *Facturus ne operæ pretium ſim, ſi à primordio vrbis res populi Romani perſcripſerim, &c.* & reliqui ſcriptores. plebs infimum gradum, medium equites, primum ſenatus obtinebat. Omnibus poſtea Cæſar imperabat. Hinc poëta ſubiicit. SANCTO CVM DVCE] Cum Domitiano Cæſare. Sanctum vocat, quia ſummus magiſtratus, vel quia ſeipſum Deum vocari & credi volebat, vel quod æquum Principem, iuriſq; obſeruantem Θεοσέβειαν insinuat. TOTO NIX CECIDIT] Quaſi Diis ipſis Horatius diſplicuerit atratus, eoq; niuem demiſerint, vt vnus omnibus eſſet color veſtium, omneſq; principem ſuum Domitianum imitarentur, qui albatus ſedebat.

rim ipſe pænulam cum aliis id non permitteret. Vide ſequens epigramma. Candidati ſeu togati ſpectabant Suetonius, Lampridius, Commodo, alij.

De Niuibus.

III. — *III.*

Aſpice quàm denſum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæſaris, inq; ſinus.
Indulget tamen ille Ioui, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas,
Sidus Hiperborei ſolitus laſſare Bootæ,
Et madidis Helicen diſsimulare comis.
*Qui ſiccis laſciuit aquis, & ab æthere * ludit,*
Suſpicor has pueri Cæſaris eſſe niues.

** Quis ludit*

Poëta affirmat à filio Cæſaris Domitiani, mortuo & conſecrato, niues demiſſas fuiſſe ludi cauſâ. Inter publica hac ſpectacula accidit, vt inter imbres & niues Cæſar ſpectaret, totuſq; populus cogeretur nudis capitibus aſſidere. Audi Dionem. *In quo*, inquit, (nauali nempe prælio) *non ſolum omnes ferè, qui pugnauerunt, mortui ſunt, ſed etiam multi ex ſpectatoribus; propterea quòd maximo imbri, & vehementi tempeſtate repente commota neminem permiſit abire ex ſpectaculo: & quanquam ipſe pænulam mutauit, tamen cæteros nihil mutare paſſus eſt. Qua ex re non pauci in graues morbos inciderunt, & mortui ſunt, &c.* Idem Suet. cap. 4. Inter maximos imbres proſpectauit. Imbres autem aſperante vento in niues coguntur, quod meus philoſophus ignorauit. qui fortè per hyemem nullos credit imbres cadere. Cicero: *hiems erat ſumma, imber maximus.*

ASPICE QVAM DENSVM] Elegans eſt periphraſis niuium. vocat vellus, quia nix cadens ſimilis lanæ; tacitarum, quia nullum crepitum ſtrepitumúe, vt grando, vel imber excitat. Arnobius lib. 2 cum plumeas cruſtulas, & niues plumeas. Græci ἐριῶδες ὕδωρ, quaſi laneam aquam appellitant. Euſtachius ad Dionyſ. τὴν χιόνα ἐριῶδες ὕδωρ ἀστεῖως οἱ παλαιοί φασι. pluria Meurſius ad Arnob. Ita ergo tacitas aquas & ſiccas, & pigro frigore concretas appellat niues. Ita Seneca Medea Act. 4. *His gelida pigri frigoris glacies ineſt.* Et: *Euocaui ſiccis nubibus aquas.* DEFLVAT IN VVLTVS CÆSARIS, INQVE SINVS] nota res. INDVLGET TAMEN ILLE IOVI] ſub puro tamen Ioue perſtat, nec diſcedit. fert Iouem ningentem. NEC VERTICE MOTO] perinde ac ſi ſudum eſſet, adeò contempſit niues. CONCRETAS PIGRO FRIGORE] iiſdem verbis deſcriberes glaciem, vt ille de Thracio puero.

Frigore concretas pondere rupit aquas.

Nix autem fit, cùm tenuis aqua è nubibus effuſa paulatim decidendo concreſcit, non procul à terra, ſed longè procul à nubibus, à quibus effuſa eſt, ita vt propter magnum interuallum guttæ rotunditatem ſuam conſeruare non potuerint, ſed diſtractæ iam ac conuulſæ, ad locum, vbi frigore concreuerant, peruenerint. Lucret.

——neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat——

Iouian. Pont. lib. met. c. 8.

Aſt vbi defluxit calor omnis, & omnia circum
Horreſcunt hyeme, & ſol in loca iniqua negabunt,
Concreſcunt gelido nubes è frigore, & vna
Cinguntur motaq; loco, atque è pondere preſſæ
Deſcendunt paſsim tracta, caſimq; rotata,
Ac niuibus iuga ſumma tegunt, & ad ima feruntur
Albentes, quoniam albeſcit concretus aquarum
Humor, & admoto quamprimum ardore liqueſcit.

Vide

Vide Aristotelem χιὼν ἢ γίνεται ἐξ νιφῶν πεπυκνωμένων ἀποθεομένων πρὸ τῆς εἰς ὕδωρ μεταβολῆς διαχεομένων. Et Plinium lib.2.c.60. SOLITVS LASSARE] Cæsar solitus puer adhuc in Germania contra Cattos depugnare, Suet.c.2. & postea contra Sarmatas ac Dacos, iam adsueuerat frigoribus, omnique cœli inclementiæ, patientia sua, etiam fatigare frigidum, & hyperboreum Booten, siue Arcturum, Arctophylacem, bubulcum, &c. idem enim sidus. de quo plura alibi. ET MADIDIS HELICEN] Probus Grammaticus vrsam maiorem vocat Helicen. Et Manilius lib.1.

Maioremq; Helice maior decircinat arcum,
Angusto Cynosura breuis torquetur in orbe.

Cui Germania. Dacia, Sarmatia est subiecta Boreas ventus à Septentrione ortus. Helice vrsa maior. Cynosura minor. Helicæ fabula.

Sunt tamen, qui alteram pro altera ponant. Helice nutrix Iouis ferebatur, obque curam eam recepta in cœlum. Lege Mytholog. MADIDIS COMIS] solutis niuibus tincta coma; nam nudo capite spectabant omnes; dissimulauit, tulit perinde, ac siccus, pluuias, seu niues, Helicen dissimulauit frigidum signum, & niuosum, quod Cæsar, quasi tum sæuiens, tamen contempsit. QVI SICCIS LASCIVIT AQVIS] siccas aquas vocat ἰνὰν πῶς, nulla aqua sicca, quà quidem aqua, sed niuem appellat siccam, id est, concretam. LASCIVIT] Ille, qui niuem demittit, videtur secum, vt cum Numine familiari, familiariter iocari & ludere, quis ille? SVSPICOR HAS PVERI] Cæsaris filius is est, ex Domitia Augusta iam extinctus, & Diuorum albo adscriptus, ille cum Patre suo Deo. Domitiano, videtur iocari, & pater videtur agnoscere Filij ludos. Extat huius filij nummus, in quo puer globo cœlesti stellis cinctus insidet cum hac inscriptione. D. CÆSAR. IMP. DOMITIANI. F. In altera facie mater Domitia Augusta Imper. Dom. plura Torentius. Statius Domitianum, vt Deum futurum alloquitur. *Ibis in amplexus notus fraterq; paterq;.*

De his eisdem credo niuibus, est epigramma præcedens.

In Bassam.

[illegible] IV.

Huiusmodi comparationes sunt li.6. ep.93. de Thaide olente lupo.
** Scriuerius Laßi Bardiacus quod euocati.*

Quod siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Piscinæ vetus aura quod marinæ,
* * *
Laßi bardiacus quod euocati,
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod ieiunia sabbatariorum,
Mæstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna Ledæ,
Quod ceromata fæce de Sabina,
Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Mallem, quàm quod oles, olere Bassam.

Bassam hircum olentem describit inductione, & contentione rerum grauissimum odorem expirantium, vt sunt exhaustæ paludes, aquæ sulphureæ, piscinæ veteres, senes sordidi, lanæ sæpius infectæ, ieiuni Iudæi, rei mœsti, lichnus fumans, Ceroma Sabinum, vulpis vrina, viperæ, quibus omnibus grauius olere dicit Bassam: caussam relinquit Lectori parum honestam cogitandam. QVOD SICCÆ] palus exhausta spirat fœtorem ob cœnum & putrem terram, graueque cœlum est, vbi vliginosa terra. Vitruuius lib.1. *Quibus autem insidiantes sunt paludes, & non habent exitus profluentes, neque per flumina, neq; per fossas, vti Pontinæ, stando putrescunt, & humores graues, & pestilentes in his locis emittunt.* Plura ibid. Iam verò cùm huiusmodi sole ardentiore exsiccantur, bestiæ palustres moriuntur, ac grauissimus inde spiritus & pestilens exhalat. Salapini ob paludes quotannis grauiter laborant. NEBVLÆ QVOD ALBVLARVM] De Albula iam suprà memorauimus, hic adde, quæ scribit Philander ad lib.8. Vitruuij cap.3. Tyberim prius dictum esse Albulam. Auctores sunt Varro de ling. lat. 4. Virg. Æneid.8. Sextus Pompeius, & alij, salubres sunt ad varios morbos curandos, vt Strabo lib.5. & Plinius lib.31. cap.2. Meminit & Suetonius in Augusto. Noster Martialis lib.1. vocat aquas sulphureas.

Itur ad Herculei gelidas quà Tiberis arces,
Canaq; sulphureis Albula fumat aquis.

Hic crudas ob frigus, credo, quod Albulam in agro Tyburtino salutarem facit, vel sulphur. Præter sulphur autem & alumen, videtur abradere aliquid de candido saxo, quod præterfluit.

Capitolia

Coniecta enim in eas aquas semina, candido tectorio velut sacchara obducuntur, quibus non puerorum tantùm proteruitati, sed viris etiam, inquit Philander, imposuimus, existimabant enim esse condita saccharo. Distant ab vrbe plus minus decimum tertium lapidem, à Tybure tertium circiter. PISCINÆ VETVS] Quod redolet vetus fœtensque piscina, non fontana, vel fluuialis, sed marina, quæ multò grauiorem auram reddit. Fuere & in balneis piscinæ, quod rectè animaduertit Musambertius ex ipso Martiale lib.11. ep.22. lib.12. ep.32. & S. Augustino de princ. Dial. c.6. quamquam ex hoc loco conuinci non possit agi de balnearum piscinis.

LASSI BARDIACVS] Vix habeo, quo componam tam varias seu scripturas, seu mendas in hoc mendoso versiculo: singulæ voces aliter apud alios leguntur: primam putat emendandam Iunius, & Lazi (id est, Scythæ) legendum. Alteram Turnebus lib.3. cap.4. & lib.25. c.24. & Merula ad hunc locum, quorum prior Bardaicos, alter Bardaicos contendit restituendum. Iunius, Bardiacus; Lexicographus Bardiacum interpretatur vestem, quæ cucullo careat; Iunius cucullatam. *Bardiacum*, inquit, *intelligo hirsutam, & pinguem lacernam olidumúe cucullum barbari militis.* Euocatus enim miles est, vt tradit, præter alios, Lipsius, in face historica, ex Dione, Donato, Liuio, Seruio, Dionysio, Sallustio, Cæsare, Tacito & aliis. Fuerunt, euocati, Veterani gnari prudentesque militiæ, qui expletis stipendiis, spontè in gratiam consulis, aut ducum militiam sumebant. Et quia sæpè literis aut nunciis nominatim euocabantur, inde habuere nomen. Duæ quasi fuêre euocatorum notæ, vt voluntarij sint & veteres, hoc est, emeriti. Reducamus igitur calculos, & versum hoc modo exponamus. Quod Lassi seu Lazi, barbari Scythæ, euocati, id est, vel senis, vel sudantis, & fatigati militis, veterani & squalentis Bardiacus, seu cucullus olidus redolet, hoc tu, Bassa, oles. Scio hæc aliter exponi à Domitio. Euocatos enim ait fuisse iuuenes ex equestri ordine delectos ad custodiam cubiculi Imperatoris, loco militum, qui bardiaco, id est, sago ex villis caprorum hircum redolentibus facto vtebantur, cùm excubarent. In hac interpretatione auctoris testimonium requiro. Scriuerius *Lassi Bardiaci os quod euocati*: Hæc inquit genuina Martialis lectio; quam ei ex editionibus exoletis restituere non dubitauimus. nec audimus facilè reclamantes & dissentientes Equidem Aldum miror, cum anno MDL edidisset *Bardiaci-os*, post in iteratâ editione eum fecisset *bardiacus*: quod placere etiam video Domitio Calderino, & aliis. Colinæus Gryphius, Vasconsanus, Boulierius, & quidam alij cum nobis faciunt. Glossæ Latino-Græcæ: Bardei, Ἰλλυρικοὶ δοῦλοι, οἱ καὶ ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας κατὰ Κίνναν καὶ Μάριον στρατευσάμενοι. καὶ ἐκ τούτου τυραννῆσαι κατὰ τῶν δεσποτῶν τούτους. Σερτώριος δόλῳ περικυκλώσας ἀναιρεῖ. Plutarchus in Mario. Ἀφεὶς τὸ πλάσμα καὶ τὴν φυγαδικὴν ἐκείνην δικαιολογίαν, κατὰ δορυφόροις ἔχων λογάδας ἐκ τῶν προσπεφοιτηκότων δούλων. οὓς Βαρδιαίους (melius Βαρδαίους) προσηγόρευεν. Οὗτοι πολλοὺς μὲν ἀπὸ φωνῆς, πολλοὺς δὲ ἀπὸ νεύματος ἀνῄρουν, προστάσσοντος αὐτοῦ. id est. *Abiectâ simulatione & exilij causatione, vrbem intrauit, circumseptus delectis seruis, qui se contulerant ad eum, quos Bardiæos appellabat. Multos hi ad vocem eius, multos ad nutum imperantis obtruncabant.* Ad quem locum viri docti fatentur, se ignorare quæ ratio sit nominis *Bardiæi*. Poterant illos si extitisset, vel solæ doctissimæ istæ Glossæ docere, & rem totam patefacere. Bardiæi Illyrici siue Dalmatiæ populi: Straboni & Appiano corruptè Ἀρδιαῖοι; Ptolemæo Οὐάρδαιοι: Plinio *Vardæi*, quos Italiæ quondam populatores vocat. lib. III. cap. XXII. Epistolarum Ciceroniarum ad Familiares lib. V. in Epistola. ad Ciceronem P. Vatinius Imp. *Dicitur* (inquit) *mihi tum seruus anagnostes fugitiuus cum Vardæis: de quo tu mihi nihil mandasti. Ego tamen terrâ mariq; vt conquireretur, præmandaui: & profectò tibi illum reperiam, nisi in Dalmatia, auffugerit; & tamen aliquando eruam.* EVOCATI] legit Domitius aduocati, & bardiacum vocat aduocatum emeritum.

Bardaicus manuale Heraldus pro bardocucullo, Bardaicum cucullum appellat, Capitolinus in Pertinace. Bardaicos interpretatur idem Iudices è prouinciis euocatos. Ego tribules & euocatos milites intelligo. Alius bardiacus est calceus militis clauatus Origo vocis Græca est à βαρδίως, βραδίως *Homero* βάρδιστοι *tardi pigri. Iliad.* ψ. *Bardus Nonio & Festo tardus, hebes.*

QVOD BIS MVRICE] sæpius imbutæ vestes, & recens infectæ olent nauteam. Hic (τὸ murice) videtur pro quouis colore positum. Propriè murex ex concha marina, quam nos Stachelschneck appellitamus: Color inde expressus dicitur Dunckelscharlach / quasi fuscam diceres purpuram. De murice lib.13. plura. VELLVS] lana. QVOD IEIVNIA SABBATARIORVM] Quod Iudæi sabbata obseruantes & mediâ se macerantes, quorum grauis anima. Sed cur grauior Iudæorum? solenne hoc genti fœtere, & dudum à scriptoribus FOETENTES IVDÆI appellati. Marcellin. lib.22. *Cùm Marcus Imperator Palæstinam pertransiret, Ægyptum petens* FOETENTIVM IVDÆORVM, *& tumultuantium sæpè tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse. O Marcomanni, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inueni.* Fortunatus lib.5. carm. *Abluitur Iudæus odor Baptismate diuo.* Plura noster Gretserus lib.1. de S. Cruce. c.98. edit.2. Caussam aliam Franciscus Philelphus in epistolis adfert cur Iudæi fœteant.

SABBATARIORVM] Atqui Iudæi sabbato non ieiunabant: Verè: sed Iudæi omnes dies sabbata vocabant, à principe nempe sabbato, quo feriabantur. à quo primam sabbati, alteram sabbati, tertiam sabbati, &c. nominabant. Ita vt quicunque per hebdomadem ieiunaret, aliquo die sabbati ieiunare diceretur. Ieiunia verò religiosissimè colebant, quod ex Suetonio constat in Augusto c.76. Præsertim Samaritani, quos Dositheos nuncupabant, sabbatum ita obseruabant, vt quo quisque habitu in tempus primum incidisset, eo permaneret ad vesperam, siue staret, siue sederet, &c. vt alia absurda omittam, quæ ex hac superstitione sequuntur. lege Baronium Cardinalem, tom.1. p.6. editione 4. Romæ, &c. & pag.190. eod. tomo. Iudæorum sabbata vexat & Petronius in Fragmentis,

mentis, & Iuuenalis sæpicule. Cæterùm ieiunia graueolentiam creant, vt etiam parœmia ostendit νηστείας ὄζει, ieiunium olet. Cœlius Rhod. lib.24. c.24. de hoc versu in hæc verba: *Scribit doctissimus poëta Bassam peius oluisse, quam ieiunia sabbatariorum. Id cur non attentarunt interpretes? ne (sicuti visum fortè est) arcem facere ex cloaca, aut lapidem è sepulcro venerari pro Deo existimarentur. Mihi loci huius eruditio non obuia videtur, nec excutata, sed intercutanea, & grauis, quàm circulus pullatus nescit, &c. Græcum adagium est νηστείας ὄζει de eo, cuius fœteat anima. Obseruatum est ora hominum, qui nil dum esitarint, grauius olere: ventre siquidem inani, minusq; agitato, aër factus calidior spiritum, excrementaq; pituitosa immobilitate sua putrefacere potest. Calidiorem autem effici, argumento est, quòd vel sitim parere ieiunium potest. At vbi ederimus, ciborum odore hebescit prior graueolentia, aut inter illos extinguitur.* Petronius de eadem anima ieiunia. *Nunquid spiritus ieiunio macer*, vel acer, vt alij legunt, id est, grauis, aut marcet, putetque. Cæcilius Plotio apud Gellium, — *qua mihi*,

Vbi domum adueni ac sedi, extemplo suauium
Datat ieiuna anima. Nil peccat suauio;
Vt deuomas, volt, quot foris potaueris.

MŒSTORVM QVOD ANHELITVS REORVM] Cur anima reorum fœtet? Curę & sollicitudo, & anxietas auocant à ventriculo calorem, quo stomachus destitutus officium non potest facere: hinc color & sanguis è vultu abeunt: hinc iuuenis vna nocte, quæ illi vitæ suprema denunciata erat, florentem comam in canos mutatam audiui. de quo illud παρῳδικῶς dici poterat.

O nox quàm longa es, quæ facis vna senem,

MORIENS LVCERNA LEDÆ] quod fumans extincti lichni apud Ledam lucerna olet; Ledæ plerique habent libri non tedæ. Leda, id est, lupa, prostibulum. SPVRCÆ TÆDÆ] immundæ, sordidæ, vnctæ. ellychnij extincti, Dacht. Narrat Plinius lib.7. c.7. tam grauem lucernæ extinctæ odorem, vt eius haustu matres abortum faciant. Porrò communem seruo scripturam Ledæ non tædæ, quod ipse poëta lib.3. in Zoilum confirmat. *Curtaq; Leda sobrius bibat testa.* fuit enim Leda olentissima læ[?]a, vnde & scaphium eius & lucerna, & omne instrumentum quod contactu suo inquinabat, olebat. QVOD CEROMATA] Ceroma quid sit alibi exposuimus, hic innuo. vnguentum erat crassum, & pingue ex oleo & luto, oleum porrò si Sabinum esset, enecabat propè odoris grauitate. QVOD VVLPIS FVGA] Physiologi narrant vulpem, vrgentium canum impetum fugientem, lotium virulentum fundere, quo sterilescant attacta. VIPERÆ CVBILE] Qui serpentibus alendis quæstum faciunt, viperas prægnantes capsulis includunt, in quibus fœtum edunt, non tamen occisa matre, vt falsò Plinius lib.10. c.62. ex Aristotele non probè intellecto affirmat. an has capsas Martialis vocat cubilia, an verò ipsas terræ cauernas, in quibus latent, & pariunt? ita reor ἐν ὀχείαις γὰρ (vt Theophrastus ait) pleraque animalia μάλιστα ὄζει.

Multa super olentibus hic habes, Heraldus.

MALLES, QVAM QVOD] Inductionis, & συγκρίσεως conclusio, qua docet à minore teterrimam spirare animam Bassam, occultaque flagitia significat, vt suprà de Postumo, Scauro, Natali, &c. Emendatius opinor legeres *Mallem quam* quod oles, olere Bassa. Vt omnia priora exempla fœtorum ad se referat, & dicat tam male olere Bassam vt malit poëta omnia superius enumerata olere. *Mallem* ergo legendum pro *Malles* & *Bassa* pro Bassam.

Ad Fabianum.

V. V.

Vir bonus & pauper, linguaq; & pectore verus
Quid tibi vis, vrbem quid, Fabiane, petis?
Qui nec leno potes, nec commissator haberi,
Nec pauidos tristi voce citare reos.
Vendere nec varios circa Palatia fumos:
Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.
Vnde miser viues, homo fidus, certus amicus:
Hoc nihil est. nunquam sic Philomelus eris.

Nihil in vrbe sincerum ait; nec sincero locum. An Fabiani declamatoris & Philosophi nomen ex prologo Senecæ lib.2. decl. acceperit incertum est. Martialis sæpe quæsiuit apta versibus vocabula: vt Sosibianus, Pontilianus, Sextilianus, Massilianus, Cæcilianus & hoc genus alia. Carmen hoc videtur extra scriptum, aut à poëta quasi extra scriptum sit, fictum. LINGVAQVE ET PECTORE VERVS] Iuuenal. Sat.3.

Quid Romæ faciam? mentiri nescio—
Cedamus patria, &c.

Arbiter

Arbiter idem in Satyrico de Crotona, seu Roma potius in Crotona. *Si autem vrbanioris notæ homines sustinetis semper mentiri, rectà ad lucrum curritis. In hac enim vrbe non literarum studia celebrantur, non eloquentia locum habet, non frugalitas. sanctiq; mores laudibus ad fructum perueniunt, sed quoscunq; homines in hac vrbe videritis, scitote in duas partes esse diuisos. Nam aut captantur, aut captant, &c.* Et mox: *Videbitis oppidum, tanquam in pestilentia campos, in quibus nihil aliud est, nisi cadauera, quæ lacerantur, aut corui, qui lacerant.* Hæc Arbiter de Crotona, seu Roma. Linguam & pectus consentire oportet in bono viro. nam de improbis Homer. 1. Iliad. *Ὅς ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ βάζει,*

Et Plautus. *Lingua istud dici magis percipimus quam factis.*

Et: *In melle sunt linguæ sitæ atq; orationes*

Lacteq;, corda in felle sunt sita atq; acerbo aceto.

Simile in dissimili materia est huic illud Martial. lib. 3. ad Sextum.

Quæ te causa trahit, vel quæ fiducia Romam?

QVI NEC LENO] qui nec impurus leno, prostituere seruos, seruasq; ad quæstum potes, nec helluari & potare. NEC COMMISS.] Commissationes, seu commessationes sunt cibi potusq; post cœnam hausti ex luxu. Commissator nocturnus gulo. sumitur tamen vox commissari subinde largius pro epulatore & compotore. Apud veteres, vt homines passim honesti & modesti tantum semel de die cibum sumebant, ita gulæ proceres, & popinones epulas quotidianas quadrifariam distribuebant in ientacula, prandia, cœnas, commissationes, de quibus plenius Rhod. lib. 28. c. 2. nos alibi. NEC PAVIDOS TRISTI.] Nec præconis, vel delatoris officium obire. VOCE CITARE REOS] quod est officium præconis.

VENDERE NEC VANOS.] Vendere fumos est in adagione, & dicitur de iis, qui principum beneuolentiam simulato commendationis officio, per occasionem familiaritatis pretio vendunt, quorum passim in aulis multi, magnæ sane pestes aularum, & rerum pub. Notum est ex Lampridio Thurini Voconii supplicium, quo ab Alexandro Seuero, Imperatorum optimo pessimus adulator est affectus, cum fumo necaretur, qui fumos vendiderat. Plura apud Adagiographum. Præterea res inanes, mendacia, gerras, logos, nugas tractare aut narrare, est fumos vendere. Vide Spartianum. PLAVDERE NEC CANO] ita legendum non Canio. Tranquillus irridens Galbæ auaritiam, huic Cano donatos quinque denarios narrat, vt mirer, quid Domitio fuerit in mentem, affirmanti Canum non parua pecunia donatum à Galba. Magna sane vis pecuniæ quinque denarii, cum denarius non amplius quinq; sestertiis valeret, id est, decem cruciferis, immo tantum octo ante bellum secundum Punicum, postea nouem & tres quadrantes. Verba Suetonii sunt. *Cano autem choraulæ mire placenti denarios quinq; donasse. prolatos manu sua è peculiaribus loculis suis.* Sed Plutarchus quinq; aureos Cano tibicini ad cœnam canenti datos refert, quæ tamen ipsa summa non est Imperatore digna, nec magna sane pecunia, (etiamsi aureus Romanus pluris æstimaretur, quam hodie solet) de suo, non de publico largitus, vt affirmauit. Xiphilinus autem generatim ait, adeo parcum fuisse, vt non drachmas, sed obolos nonnullis largiretur. De hoc Cano Philostratus lib. 5. c. 7. *Degebat tunc temporis Rhodi Canus, tibicen omnium, vt ferebatur, ætatis suæ tibicinum præstantissimus. quocum disputat ibidem Apollonius de Musica.* De eodem noster poeta lib. 10. ep. 3.

Et concupiscat esse Canus ascaules?

PLAVDERE NEC GLAPHYRO] Citharœdo. Iuuen. Sat. 6.

Accipis vxorem, de qua Citharœdus Echion

Aut Glaphyrus fiat pater Ambrosiusq; Choraules.

De plausu, quo citharœdi excipiebantur, si placuissent, fuse Heraldus ex Suetonio, Plutarcho, Luciano, aliis.

VNDE MISER VIVES.] His artibus honestis, quibus in vrbe locus nullus, hic non viues; nisi casu viuere potes, vt dixi supra de Sexto.

Si bonus es, casu viuere, Sexte, potes.

HOMO FIDVS.] Poeta dixerat Fabiano: vnde miser Romæ viues? Resp. Fabianus homo fidus sum & certus amicus amabor ab omnibus, & iuuabor. Resp. poeta.

HOC NIHIL EST.] Hæc artes, id est, esse fidum & certum amicum, verum & lingua, & pectore, non adulatorem, &c. nullæ sunt Romæ: nullum operæpretium comparant. sic nunquam Philomelus eris, ex paupere diues. Philomelus enim, cum Citharœdus tenuis primum, postea pecuniosissimus fuit. De hoc, poeta superius.

Plus habuit Dydimus, plus Philomelus habet.

In * Massilianum.

VI. VI.

* Malisianum.

Credi virgine castior pudica,
Et frontis teneræ cupis videri,

Cum sis improbior Malisiane,
Quam qui compositos metro Tibulli,
In Stellæ recitat domo libellos.

Masilianus fictum nomen, quo veros & improbos mores carpit Romanorum, qui simulabant Curios, &c. non reor Domitianum hic tactum vt volunt nonnulli. Vere enim illud Horatianum, ad carmen hoc, & huic gemina verti potest.

——mutato nomine de te
Fabula narratur.

FRONTIS TENERÆ] non perfrictæ, non effrontis, integræ, qualis est infantium, puerorum, & inculpatæ ætatis. QVAM QVI COMPOS.] Nec de Martiale, nec de Stellæ puero Argino suadeor hæc dici. De Martiale non, quia non elegiographus. de puero Argino minus, carperet enim Stellã nominatim, qui tales haberet ministros, cum Stellam amet poeta. Non friget hæc ratio, sed mens Ramirezio, qui putat offensum potius Arginum futurum fuisse, quam Stellam, cum infra laudasset Arginum à forma. Quin potius vtrumq; Ramir. si, & Dominum & seruum; tanto ergo minus hic Arginus intelligendus, quod volebam efficere. Tua vero ratio lepida. formosus fuit Arginus ergo non improbus. ô nouum dialectici acumen! facilius & probabilius contrarium inde conclusisses, quando

Cum forma lis est magna pudicitia.

Nec idem est recitare aut legere impura, & esse ipsum impurum. quamuis aliqua ratione sint cognata De quo ergo? An de Sabello, quem carpit lib.12. ep.43. Vel Musæo Latino, quem tangit noster eodem lib. epig.97.

Musæi pathicissimos libellos.

Vide Heraldum lib.12. epist.97.

Vel Voconio Victore. Cuius Plinius, Martialis, Apuleius, Hadrianus Imperat. meminerunt. An aliquis ignotus notatur. METRO TIBVLLI] elegiaco carmine. Ios. Scal. append. Virgil. intelligit purum iambum, quo Tibullus quædam Priapeia scripsit, quæ hodieque leguntur. Sic enim ille ad illa verba: Quid hoc noui? *In veteribus excusis Tibulli nomine editur hoc potissimum poematium. Itemq; in veteri membrana Tibulliana, quæ est penes te Iacobe Cuiaci, vir eruditissime, totumq; ex puris iambis constat, & sane multum spirat illam venustatem, quæ hodie percipitur in elegiis illius suauissimi poetæ. Quod ne cui mirum videatur Tibullum Priapeia conscripsisse, iam puto satis confirmari superiore epigrammate; sed & clarius* Martialis:

Quam qui compositos metro Tibulli
In Stella recitat domo libellos.

Ad Euphemum.

VIII. VII.

Prima salutantes atq; altera continet hora.
Exercet raucos tertia caussidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta, quies lassis, septima, finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris,
Imperat extructos frangere nona thoros.
Hora libellorum decima est Eupheme, meorum.
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentiq; tenet pocula parca manu.
Tunc admitte iocos: gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Iouem.

Hoc epigramma me hortatur, vt de ratione temporis & horarũ ac diei prisca nostraq; disseram, quando res hæc & liberalem doctrinam continet, & veterum inde consuetudines docentur, & plurimorum scriptorum plurimi loci intelliguntur. Nec omnino carmen hoc sine cognitione horarum priscarum, cum nostris comparatarum, exponi potest. Qui tu scias, quæ sit prima, quæ postrema, cum Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, aliæque plurimæ gentes diem à media nocte inchoent, finiantque ad medium diem. Babylonii ab ortu solis ad alterum ortum naturalem diem comple-

complexi sint. Contra Athenienses olim, & hodie Italia, Bohemiaque ab occasu ad occasum diem naturalem definiant, ita vt prima hora sit prima nox, vigesima quarta postrema lux & dies. Astronomis vero meridies sit initium & finis vnius diei, viginti quatuor horis circumscripti. Disce duplices apud scriptores, & Mathematicos horas, antiquas seu inæquales, æquales siue Æquinoctiales. Inæqualis hora est pars duodecima noctis, vel diei solaris, seu artificiosi. Æqualis autem vigesima quarta pars diei naturalis (quem Censorinus lib. de Natal. ciuilem vocat; diem naturalem eum, qui à solis ortu ad occasum definitur, contra aliorum consuetudinem scriptorum.) Ita dies artificialis continet tantum 12. horas, vti & nox artificialis: dies vero naturalis diem continet & noctē, hoc est 24. horas. Porro antiquæ horæ, seu inæquales, quibus antiqui sunt plurimum vsi, non eo dicuntur inæquales, quod vna hora eiusdem diei sit altera longior, vel breuior; (nam hac ratione sunt omnes horæ diei artificialis inter se æquales, nec prior posteriore contractior aut productior; quælibet enim dies ac nox in partes duodenas æquales tribuitur) sed vel comparatione nocturnarum horarum cum diurnis. Dies enim artificialis æstiuus continet plus temporis, quam nox æstiua artificialis, & tamen dies æstiuus duodenas continet horas, & iterum nox duodenas, sed nox horas duodecim breuissimas, dies in solstitio æstiuo longissimas horas. ita horæ nocturnæ, & diurnæ artificiales inter se sunt inæquales, nisi cum sol transit in arietem, sub vernum æquinoctium, aut in libram ad æquinoctium autumnale, quo solo tempore horarum nocturnarum, diurnarumque spatia concurrunt, nec sese excedunt: alias aut nox habet longiores horas, vt hyeme, aut dies, vt æstate, perinde, vt si lineam senûm pedum in partes duodenas seces, & lineam item quaternûm pedum in totidem, hoc est, duodenas partes æquales partiaris, partes lineę senûm pedum æquales, longiores erunt partibus lineæ quaternûm pedum. Vel inæquales dicuntur, ratione horarum æquinoctialium, cum quibus nunquam conueniunt, nisi in æquinoctio. Quæ ratio nata est ex duodenis Zodiaci, seu signiferi, vt Latini vocant, signis, quam tu rationem fusius à Mathematicis disces. Ad hanc antiquarum horarum normam, hoc carmen est scriptum. Hæc enim & Ciceronis temporibus ratio temporis seruabatur, vt dies artificialis in 12. horas tribueretur: vt prima diei esset, cum illucesceret, 12. seu vltima, cum sol occumberet. Nec Romani tantum, sed Iudæi quoque, imo etiam omnis ferme antiquitas horis hisce inæqualibus, seu antiquis vtebatur. Hinc cognosces semper horam sextam fuisse illam, quæ hodie nobis est 12. Italis 16. & 9. quæ nobis est tertia, præsertim in æquinoctio. Christumque hora sexta. id est, duodecima in crucem actum; nona, id est, tertia pomeridiana expirasse. Hinc intelligis, quod Christus affirmat esse 12. horas in die. Ergo vt colligam rationes omnes: principium diei dabat primam, finis postremam, ita vt dies semper haberet 12. partes æquales, & hyeme, & æstate. hieme breuissimas, longissimas æstate. æquales tantum in æquinoctiis. Atque hæc partim ex Fuluii Vrsini appendice ad Ciaconium, Plinio, Cicer. Macrob. lib. 1. Christophori Clauii Gnomonice lib. 1. partim, Gellio, Plutarcho, Censorino, Pediano. Priores tamen, vt Plutarchus, Gellius, Varro, Macrobius tradunt, primam à sexta noctis, vti nos hodie incipiebant. Redeamus nunc ad Martialem.

PRIMA SALVTANTES.] Quid fiebat prima & secunda hora diei? clientes salutabant Patronos, dicebant, Aue, de quo iam copiosè supra.

Iuuenal. Sat. 1.
Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum
Sportula, deinde forum, iurisq; peritus apollo
Atq; triumphales——

Sed Iuuenalis antemeridianas tantum horas posuit. Quæ nostro tempore respondet primæ antiquæ? non respondeo vnam eandemque, sed pro diei longitudine breuitateque variam. Summa æstate, seu solstitio tertia matutina, respondet illorum primæ. In æquinoctio, sexta nostra. In solstitio hiberno septima vel octaua nostra, primæ inæquali. Et quod inde sequitur, sic sequentes horæ sequentibus, vt sexta illorum tamen semper duodecimæ nostræ responderet. Præmium salutationis erat vel sportula, vel cœna recta. De Spurinna Plinius Iun. epist. 1. lib. 3. *Mane*, id est, hora prima *lectulo continetur, secunda calceos poscit*, &c.

EXERCET RAVCOS.] In æquinoctio tertia antiquorum Germanis est hora nona antemeridiana, Italis hodie decima quarta. Qua hora tria fora fremebant Oratorum vocibus, causæque publicæ in foro triplici agitabantur. Tertia ad quartam, quintam, sextam, septimam etiam aliquando iudicia tendebantur.

IN QVINTAM VARIOS.] Omnis generis siue ambulationes, vt de Spurinna Plinius, siue studia, vt idem Plinius docet, siue alias occupationes intelligas. Et ij quidem in sextam aut septimam sæpe tendebantur, vt sequens versus docet.

SEXTA QVIES LASSIS.] Interiunxisse aliquantulum intelligo circa sextam, quæ est 12. & postea resumpto labori finem hora septima imposuisse. De sex laboriosis horis illud est apud Græcos epigramma lib. 1. c. vlt. ἀδέσποτον.

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆθι λέγουσι βροτοῖς.

Fuerunt igitur antemeridianæ horæ melioris diei pars, vt Virgilius loquitur, qua Romani

seriis

feriis rebus vacabant. SVFFICIT IN NONAM.] Palæstricæ exercebantur ab octaua ad nonam. De Palæstris lege præter alios Seruium ad Vergilium. Petri Fabri Agonistica, Mercurialem de re gymnastica. Eadem hora lauabant, etsi hyeme nona. Plinius lib.3.ep.st.1. *æstate octaua, hyeme nona balnei.* De hora balnei fuse hic Ramiresius.

IMPERAT EXTRVCTOS.] Tempus cœnę, hora nona, vt vides. nam frangere toros est accumbere, seque in toro versare, metonymicôs signum pro re ipsa. Atq; hoc epigrammate intelligis priscos ætate Martialis tantum semel in die cibum sumpsisse; nulla enim hic mentio prandii, cum tamen totius diei rationem, & studia digerat. Verum autem semel tantum, & qui & quamdiu cibitarint, exponit Mercurialis, Stuckius Fuluius, Vrsinus. Catanæus ad lib 3.epist.1. Plinii Iunioris.

HORA LIBELL.] Lectitasse inter pocula iam hilariores conuiuas, & hinc, & ex superioribus libris didicisti. Et ex Catullo, Persio, Horatio, Petronio meministi. Maxime vero cum ludicra, & breuia conueniebant, cuiusmodi sunt epigrammata.

TEMPERAT AMBR.] Structor aut pocillator mensæ Domitianæ Euphemus erat, eoq; poterat Cæsari porrigere librum poetæ. De ambrosia & nectare copiose Bisciola lib.5.c.20.

TEMPE. DAPES.] veluti modiperator infers, quomodo & quoties tibi visum. An ad officium carptoris, seu structoris refers?

Nectar Dei potio: nectar bibit Cæsar, quia & ipse Deus.

ET BONVS ÆTHE. LAXATVR.] Cum Cæsar poculis indulget, & se hilarius inuitat.

INGENTI.] Diuina Cæsarea, potente manu. PARCA.] modica palpat. TVNC ADMITTE IOCOS.] Hæc hora est legendorum epigrammatum, quæ iocos, & sales continent quibus locus nullus est matutinis, & feriis horis, idem lib.10.ad Plinium, & aliis locis. TIMET IRE.] hæc placet lectio. LICENTI] quia parum frontis habet. Distinctionem & partitionem diei attingit Iuuen. Sat.1. Sed non exacte distinguit, vti nec Quinctil.lib.12 c.vlt.

Ad Faustinum.

X. VIII.

Dum nouus est, neq; adhuc rasa mihi fronte libellus,
Pagina dum tangi non bene sicca timet:
I puer & caro perfer leue munus amico,
Qui meruit nugas primus habere meas.
*Curre, sed * instructum comitetur pumice librum;*
Spongia, muneribus conuenit illa meis.
Non possunt nostros multæ, Faustine, lituræ
Emendare iocos: vna litura potest.

** instructus.*

Recens compositum opus Faustino mittit familiari, quod velut inelaboratum, non stilo emendandum, sed spongia delendum totum ait, si corrigendum sit. NEC ADHVC RASA MIHI FRONTE] nondum pumice æquatus, læuisque redditus. De libris pumice complanandis iam sæpe dictum * supra. NVGAS.] nolo de nugis sæpius nugarier. Vide tamen quod alibi non memini dictum, de nugis non nugatoria quæ Ios. Scaliger ad Varronem lib.6.p.143. vbi & de Neniis. CVRRE, SED INSTRVCTVM.] Spongia opus huic loco, Iuniana sunt.

** lib.1.67. & 118 lib.2.1. & alibi.*

Curre, sed instructum comitetur pumice librum
Spongia —

Instructum pumice videtur non inemendate legi posse dixerat enim, nec adhuc rasa (nempe pumice) fronte; Indigebat ergo & spongia, & pumice, hoc ad poliendas frontes, illa ad castiganda carmina. Communis scriptura habet, instructus, sequente interpunctione nouoque sensu. Curre ad Faustinum puer instructus, vt comitetur librum spongia optimi generis, cuiusmodi sunt spongiæ Africanæ, quibus indigent mea munera, mea carmina illepida, male ornata, inemendata. Hanc scripturam probat Musambertius, imo & Ramiresius. laudat enim veterem, non Iunianam. Scribentibus & pingentibus semper ad manum erat spongia deletilis, quod Ausonius quoque docuit. *Poeticæ scabies, quoniam facile contagium est, vtinam quoque ad te prurigo commigret, & suæ tuæ emendationis adiecto impingas spongiam.* Idem Theoni. *Aut cuncta pariter versibus oblinat, Fuluam lacticulor spongia sepiam.* Obserua & Caligulæ factum apud Tranquillum, cap.20. *Eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia, linguaue delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.* *Legendum adagium spongiæ medebitur.*

NON POSSVNT NOSTROS] si deleris simul omnia, emendabis meum libellum; aliter emendari mea non possunt, cum mala sint omnia. Augustus, vt Suetonius cap 85. refert, quærenti, quid ageret Aiax (Aiacem autem tragœdiam cœperat Augustus) respondit illum in spongiam incu-

incubuisse, id est, deletum. In membranis enim & codicillis, ac pugillaribus inscribebant, quæ primum condebant carmina, spongia facile emendanda. Suet. Nerone c.52. *Venere in manus meas pugillares libellíq; cum quibusdam notissimis versibus, ipsius chirographo scriptis, vt facile appareret non translatos, aut dictante aliquo exceptos sed plane quasi à cogitante, atq; generante exaratos, ita multa deleta & inducta, & superscripta inerant.* Item Horatius, Plinius, Persius, alii testantur. Teren. Var. versus etiam testes accedant.

Sed ô Petrulle ne meum taxis libellum,
Si te pepugit huic modi scenatilis;
Sin displicebit, tam tibi latum mare,
Tantum parato spongiam deletilem.

In Antonium Saturninum.

IX. XI.

Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes,
Et Saturninum te pudet esse miser:
Impia Parrhasia mouisti bella, sub vrsa,
Qualia qui Phariæ coniugis arma tulit.
Exciderat ne adeo fatum tibi nominis huius,
Obruit Actiaci quod grauis ira freti?
An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus, & Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis:
Qui tibi collatus, perfide, Cæsar erat.

Hac de re Suetonius in Domitiano. *Bellum ciuile motum à Lucio Antonio, superioris Germaniæ præside, confecit absens mira felicitate, cum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset, &c. Captus igitur & interfectus est Antonius, eiusq; rei nuntium anteuertit aquila, quæ statuam Domitiani Romæ complexa, pennis clangores lætissimos edidit.* Accinit huic Xiphilinus, qui narrat Antonium à Lucio Maximo victum captumque. Sed Aurelius Victor Antonium à Norbano Appio, quem & Poëta noster l.9. laudat, victum tradit. Crediderim tamen Norbanũ bello interfuisse, non præfuisse, quod mecum sentire videtur Ampliss. D. Marcus Welserus. II. Vir lib. 6. rerum Augustanarum, qui suspicatur hunc Norbanum (postea prætorio præfectum) Rhetiæ præsidem fuisse. DVM NIMIVM VANO TVMEFACTVS.] Causam poeta suscepti ab Antonio belli, contra Domitianum ait fuisse, solum nomen Antonii, quo se M. Antonio triumuiro similem fore sperabat: Sed Victoris Epitome de causa huius belli sic loquitur. *Hu eius* (Domitiani) *sæuitiis ac maxime iniuria verborum, qua se scortum vocari dolebat, accensus Antonius curans Germaniam superiorem, imperium corripuit, quo per Norbanum Appium bello strato, Domitianus longe deterior more ferarum grassabatur.* Sic apud Cic. Lentulus, quia Cornelius vocabatur ex fatis Sibyllinis, Aruspicumq; responsis, se tertium Cornelium esse putabat, cui Romæ deberetur imperium, Cinnam ante se & Syllam fuisse. ET SATVRNINVM TE PVDET] pudet esse præsidem tantum Germaniæ, non ipsum Imperatorem orbis, humilior enim Saturninus Tribunus pleb. fuerat, quam Antonius. Coniungit duo nomina Antonii, & ab vtroque reprehendit. Saturninum enim voluisse Antonium esse, Antonium noluisse Saturninum; cum tamen idem fuerit Antonius Saturninus. Saturninus autem Tribunus plebis tantum fuerat, Antonius autem triumuir, totumque orbem cum Augusto & Lepido diuiserat. De seditionibus Saturnini omnes prope Romani scriptores. Inciderunt in 6. Marii consulatum, Anno vrbis cond. DCXLV. Saturninus Metellum Censorem in exilium egit; Nonium competitorem Trib. occidit. Memmium, ne consul fieret, interfecit, interfectus & ipse postremo cum Glaucia prætore, scelerum socio; Cic. pro Sextio, & prima in Catil. 8. Philip. pro Rabirio. Valerius lib.9.c.7. Appianus lib.1. Plutarchus in Mario, Florus lib.3.c.16. Liuius. lib.69. alii. Orosius lib.5.c.17. IMPIA PARRHASIA] Germania, Sarmatia, Scythia aliæque vicinæ gentes, sub Arcto sitæ. Augustæ polus asses quadragenos octonos aliquantoque amplius tollitur. PARRHASIA SVB VRSA.] In septentrionali plaga. Fabula de Parrhasi est apud Ouid. Meta. libr. 2. Eadem fuit Castillo Lycaonis filia dicta Parrhasis, à Parrhasia vrbe Arcadiæ, quæ à Parrhasio Lycaonis filio nomen habet, versa est à Ioue in Vrsam maiorem, quæ Parrhasis appellatur, & Parrhasium sidus. Vnde Parrhasia sub Vrsa. QVALIA QVI PHARIÆ.] Periphrasis Antonii triumuiri, qui cum Cleopatra Regina Ægypti ad Actium ab Augusto victus est. PHARIÆ] à Pharo. συνέκδοχικῶς. Cleopatra ab Antonio stetit. Extremo autem bello ad Pharum, cum vterque actio in Ægyptum fugisset, victus est Antonius cum Cleopatra. Oros. lib.6.c.19.

Denominā ominib. faustis, infaustis, erudite Heraldus ex Suetonio, Cicerone, Plinio, Festo monuit. Infaustis enim vitabant vbiq; bona seu fausta quærebant publice priuatim. XIII.

EXCIDERATNE ADEO TIBI FATVM.] An ignoras, quam res male cesserit Antonio ad Actium classe victo? cum simul & nomen & imperium, & mox vitam amitteret. Actium est Epiri promontorium: pugna facta est 4. Non. sept. quo die vniuersum imperium Romanum ad Cæsarem recidit, cœptumque inde Augusti imperium. De causis huius belli Dio, & Epitoma CXXII. Sueton. in August. Tacitus lib. 1. Appianus, Paterculus lib. 2. Plutarchus, alii. GRAVIS IRA FRETI.] Metonymia. iratum mare. fretum, quia iratum ferebat Cæsarem. AVT TIBI PROMISIT RHENVS.] Mallem pro Rheno posuisset Danubium, ad quem prælium est factum, vt ostendit Suetonius de Danubio subito soluto. Sed quia Rhenus est in Germania, flumen pro flumine posuit. ARCTOIS AQVIS.] Fluminibus Germaniæ. ILLE ETIAM NOSTRIS ANTONIVS.] Antonius potentior te, & tecum collatus Cæsar, tu vix miles, tamen Romanis armis oppressus est, & tu speras victoriam?

De nuptiis Pudentis & Claudiæ.

X.

Fontaine de gente Cæsia.

Claudia, Rufe, meo nubit peregrina Pudenti:
Macte esto tædis ô Hymenæe tuis.
Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
Massica Theseis tam bene vina fauis.
Nec melius teneris iunguntur vitibus vlmi,
Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.
Candida perpetuo reside Concordia lecto,
Tamq; pari semper sit Venus æqua iugo.
Diligat ipsa senem quondam: sed & illa marito,
Tunc quoque, cum fuerit, non videatur anus.

Felix Pudenti & Claudiæ connubium precatur. Plura sunt ad hunc Aulum Pudentem epigrammata lib. hoc 29. lib. 7. 10. lib. 1. 32. de Encolpo, vbi & versus emendandus. *Grata pudens* lege *Pudens*, vt Martialis lib. 5. 49. de eodem Encolpo

Permisit fleuitq; Pudens——

Lib. 6. 58. lib. 13. epig. 96. In Vmbria Montana Sassinæ aut Histonii Municipio natus Sabino Cælio familiaris eiusque municeps, centurio, & forte tandem Primipilus. Certe Primipilatus honorem vouet illi Martialis. Gulielmus Cambdenus Britannicus fabulosis antiquitatibus persuasus inductusque putat esse pudentem & Claudiam, quorum B. Paulus in posteriori ad Timotheum epistola nomina ponit. *Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.* sed, tota, quod aiunt, via: Pudens ille sanctus & laticlauius è senatorio ordine Pudentianæ & Praxedis SS. Virginum parens Priscillæ F. primus S. Petri & Christianorum Romæ hospes: consule Vsuardum, Adonem, Menol. Græcorum, Cæsaris Baronii Annal Eccles. Tom. 1. & 2. & Martyrolog. Noster vero Pudens parum sane pudenter sancteq; Encolpum amauit. lege lib. 1. epig. 32. lib. 5. 49. &c. MACTE ESTO TÆDIS] Auctus, cumulatus esto nouis honoribus nuptialibus. Operæ est vim huius (macte) & originem exponere. Seruius ad illum Virg. 4. Æneid.

Macte noua virtute puer, sic itur ad astra.

Sermo à sacris tractus.

——mactant lectas de more bidentes.

Mactant ait, verbum sacrorum est καὶ εὐφημισμὸν dictum, quasi magis auctum, vnde & magmentum dicebant, quasi maius augmentum. Quoties enim tus aut vinum super victimam fundebatur, dicebant, mactus est taurus vino vel thure, hoc est, cumulata est hostia & magis aucta. Inde ad eos, qui virtute vel honoribus aucti sunt, transfertur. Cic. de repub. *ferunt laudibus, mactant honoribus.* Actius, Phyloct. *macte his animis macte virtute patrum.* Lucill. Sat.

Macte inquam virtute, simulq; his versibus esto

Cum virtute vero iunxerunt frequentissime veteres macte, Cic. Tusc. 1. Ad Att. lib. 12. Plin. Iun. Panegy. *Macte hac grauitatis gloria Cæsar.* Cato in re rust. *macte hoc illace dape pollucenda esto.* sed vox hæc aliquando ἀπλῶς exprimitur. Liuius lib. 2. *iuberem*, inquit, *macte virtute esse*, Plinius Secundus. *macte vtroq; in Remp. merito.* aliquando recto casu pronunciatur. Pompeius & Cato; *mactus hoc facto esto.* Curtius lib. 4. *macti virtute estote.* Plinius auunc. *macti ingenio & cæli interpretes.* Nonius leg. verbo Adolere. sanguinolentis autem ex acie redeuntibus dici solitum, macte virtute esto, Seneca epist. 67. Liuio frequens in ore oratio, lib. 4. 7. 10. 22. 23. Reperitur etiam generandi casui iunctum. Mart. lib. 12. epig. 6.

Macte animi——

Silius lib 12. *——Macte ô virtutis auita.*

Adi Brissonium lib. 4. Formul. Vereor ne mactem lectorem testimoniorum multitudine, præsertim Ramiresium, qui Seruium, Virgilium, Cicer. Liuium, Plinium, Curtium, alios ait lexica scripsisse. Non possum tamen facere, quin Ios. Scalligeri locum super hoc voce subscribam: Mactum veteres Romani vocant auctum: herbam adultam Cato vocauit Mactam, nempe quod ita aucta esset. Macta hostia cum frugibus, & mola aucta erat. Sic macta ara, quod verbenis aucta, & cumulata. Mactare hostiam postea, pro cædere hostiam dicebant κατ' εὐφημισμὸν, ne scilicet cædem nominarent. Quare mactare, pro cædere? quia nunquam cædebatur, nisi frugibus macta esset: à præcedentibus consequentia, vt vulgo Rhetores, & dialectici Scholastici loquuntur. vt veteres Chrisippæi, ἀπὸ τῶν προηγουμένων τὰ ἐπιφερόμενα. Nunquam mactabant hostiam, quin dicerent. Macta esto hac mola salsa. Sic cum Deo alicui vinum libabant. Macte hoc vino esto. Sed cur vocandi casu Macte. In hoc quoque est τεχνικὸν Grammaticorum. Nam mactus esto, dicendum erat, sed vtriusque linguæ auctores ita loqui solent. Theocritus: Ὄλβιε κῶρε γένοιο, dicendum erat, ὄλβιος. Tibullus. Huc venias hodierne, hodiernus. Persius. *Stemmata quod Thusco ramum millesime ducis.* Millesimus. Ausonius creber est in hoc genere loquendi. Quare & Macte esto, pro mactus. Propterea non mirum, si in Atticismo ἡ κλητικὴ confunditur cum ὀνομαστικῇ: cum contra videamus vocandi casum cum nominatiuo commutari: Sic igitur, Macte est virtute. TAM BENE.] Quam feliciter miscentur cinnama nardo tam feliciter iungitur Pudenti Claudia. MASSICA THESEIS.] Ex melle Attico & Falerno seu Massico mulsum conficiebatur, vt vberrim lib. 13. ex Plinio docuimus ad illud Mart. distichum.

Scal. Ad Franciscum Vertunianum.

Aromata, Nardus, cinnamũ. Dioscor. & Plin. vide lib 13. c. 1. & 2. Optima vnguenta imo regalia ex amomo, cinnamomo, nardispica temperabantur.

Attica nectareum turbatis mella Falernum:
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Heraldus non mulsum inde fieri, sed Falernum seu quodcunque asperius & firmius melle temperari duntaxat, docet ex Virgilii 4. Georg. Horatii Sat. 2. & 4. lib. 2. putatque, falli, qui secus existimant, sed vereor, ne fallatur ipse, quanquam de nomine controuersia videatur. nam mulsi plura genera, vt Plinius docet. lege iis, quæ lib. 13. annotauimus. THESEIS] Atticis. Theseus enim Atheniensium Rex erat; tam dulce erit vestrum connubium, quam mulsum. NEC MELIVS TENERIS] De vlmi & vitis amicitia Plinius libro 16. capite 18. Inter has atque frugiferas materie vitiumque amicitia, accipitur vlmus, sed quantopere amat vitis vlmum, tantopere odit Brassicam, vt myrtus & olea iunguntur, ita olea & quercus se non ferunt inuicem. NEC PLVS LOTOS AQVAS.] Lotus arbor & planta est, vt Mattheolus ad Dioscoridem, Strabo, Eustathius, alii docent pyri magnitudine, aut paulo minor, baccas magnitudine fabæ profert dulces & stomacho salubres, vt non immerito Homerus libro 9. Odyss. socios Vlyssis gustata loto, noluisse redire in patriam scribat. Copia loti in Pharide insula, quæ & Lotophagia. & incolæ Lotophagi. Et Africa sub Opsellii exercitus defectus cibariis aliquot dies se loto sustentarunt. Scribunt de loto Theophrastus libro 4. de plantarum historia. Plinius libro 16. capite 30. & libro 13. capite 17. Dioscorid. loco dicto Galenus libro 7. Simpl. med. præter multos recentiores. , Sed Eustathius Odyss. 9. λωτὸς κατὰ τὸ δένδρον ἐστὶν ἐοικὸς τῷ μεσπίλῃ, καὶ οἶνος αὐτοῦ ἐκθλίβεται κατὰ τὸν τῶν φοινίκων. οἱ δὲ φασὶν ὅτι λωτὸς πόα ῥίζα, &c. Lotos, inquit Eustathius, fructus est arboris, Mespilo similis, ex quo vinum velut ex palma exprimitur. Alii dicunt lotum herbam & radicem esse, qua vescentes qui terras aqua destitutas habitant, potionis alterius non egeant, nec desiderent. Plura ibidem ex Herodoto Eustathius. Scholia Homeri λωτὸν interpretantur τροφὴν ἐξ ἀνθέων. Et Homerus dixerat οἵτ' ἄνθινον εἶδαρ ἔδουσι, Strabo libro 3. & 17. de arbore & herba loto, eadem quæ Eustathius. Diuersa est arbor ab herba, & gemini populi Lotophagi Arbor Latinis Celtis vocatur: In Pharide Insula frequens, sed tamen etiam in continente De fructus dulcedine conueniunt omnes. Nata inde est parœmia; Lotum gustauit. Lege Spondanum & Adagiographum. de iis, qui gustata voluptate non possunt reuocari ad officium, & patriæ ob diuturnam peregrinationem obliuiscuntur. MYRTVS] myrti montes non amant, odere frigora. In maritimis præcipue atque amœnis stagnorum & lacuum ripis à natura nullo studio eduntur, & lætam agunt vitam. Vniuersa fere, vt Mattheolus scribit, Tyrrheni maris littora myrto virescunt & redolent. De myrto plura Dioscorides, Cato, Plinius, Galenus, Columella, Seruius.

Plin lib. 13. cap. 17.

Littora myrtetis gratissima——

Myrti genera sunt tria. Candidum, nigrum, coniugale, vel potius duo tantum priora, ita vt coniugale sit epithetum duorum, quod sit myrtus idonea ad connubia. Nuptiis enim præest Venus, & myrtus sacra Veneri. vnde Venus myrtea, & myrtea ara.

CANDIDA PERPETVO] æternus amor, æterna concordia sit huic coniugio, quo nunquam vllum fuit æqualius, Quando autem pares iunguntur, vt sapientum est præceptum, firmi, stabilisq; amoris certa spes est.

DILIGAT

DILIGAT IPSA SENEM QVONDAM.] Altera felicitas coniugii, vt coniunx vterque propaget æuum in multos annos, & tamen formam non amittat. Tertiam & principem felicitatem prætermisit spem posteritatis, sobolem & fœcunditatem, cuius causa Hymenæi instituuntur.

Ad Silium.

XIV. XI.

Sili Castalidum decus sororum,
Qui periiuria barbari furoris,
Ingenti premis ore, perfidosq;
Fastus Hannibalis, leuesq; Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis:
Paullum seposita seueritate,
Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis,
*Et ludit * rota nequiore talo,*
Nostris otia commoda camœnis.
Nec torua lege fronte, sed remissa
Lasciuis madidos iocis libellos.
*Sic forsan tener ausus * est Catullus*
Magno mittere passerem Maroni.

* *Popa. placet rota.*

* *Est legit Musamb. sermo tamen veterem & retundam lectionem cum sua interpretatione.*

Sua carmina cupit legi à Silio. Hic ille Silius est Italicus, non melior poeta, quam orator & accusator, consul, & pro consul Asiæ gemina stirpe mascula florens, etsi filium natu minorem amisit, cuius infra scribit epitaphium noster poeta; fœlix & beatus ad supremum diem, quem infeliciter clausit, quando inedia se propter valetudinis impatientiam confecit. Scribebat carmina maiore cura, quam ingenio. Natalem Virgilii studiosius colebat, quam suum: cuius monumentum vt templum adire solebat, vt poetæ illius numine afflaretur. Vixit annos quinq; supra septuaginta. Silio Consule Nero periit, ipse Traiani temporibus. Carmine bellum Punicum secundum, quo potuit ingenio, expressit. Fuit natione non Hispanus, sed Pelignus; Confinium patriam habuit, metropolim Pelignorum, quam ciuitatem Samnites Italicam nominarunt, vnde & ipse poeta Italicus; non ab Italia, sed oppido suo Italicus cognominatus est. Extant plura ad hunc poetæ nostri Epigrammata. Tu lege Secundi epistolam septimam, lib. 3. & Catanæum ibidem, & Martialem nostrum lib. 7. cuius initium.

Perpetuo nunquam moritura volumina Sili.

Et lib. 11. *Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis.*

Habuit enim in agro Neapolitano prædium Virgilii, & Ciceronis villam Academicam dictam possedit. Et lib. 9. de eius filio minore Seuero. CASTALIDVM.] Castalia virgo Apollinem fugitans in Parnassi fontem à se Castalium dictum incidit: vnde Musæ Castalides. Fuit Castalia Acheloi filia.

Παρνασὸς νιφόεντος θεοῖς διὰ ποσσὶ περήσας
Ἵκετο Κασταλίης Ἀχελωΐδος ἄμβροτον ὕδωρ.

QVI PERIVRIA BARBARI.] Qui canis & exagitas perfidiam Annibalis ingente ore seu carmine heroo pede. PERIVRIA.] Perfidi enim Pœni & fœdifragi. Cicero. 1. de off. *Pœni fœdifragi, crudelis anibal.* PERFID. FAST. ANNIB.] Scipionem Africanum Victorem Annibalis & Carthaginis ita describis, vt iterum vinci Annibal Pœniq. videantur. PERFIDOSQ. FASTVS] Silius:

Ingenio motuq; auidus fideiq; sinister,
Is fuit exuperans astu: sed deuius æqui.
Armato nullus Diuûm pudor, improba virtus.

Ita Liuius l. 21. eiusdem laudat fidem. *Has*, inquit, *tantas virtutes, ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plusquam Pœnica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deûm metus, nullum iusiurandum, nulla religio* LEVESQ. PŒN.] infidos, incertos fide, Ter enim, vt Silius canit, & alii accinunt, fœdera cum Romanis inita ruperunt.

——ter Marte sinistro
Iuratumq; Ioui fœdus conuentaq; patrum
Fidorum fregere Duces: atq; impius ensis
Ter placidam suasit temerando rumpere pacem.

Nota

Nota est fides ex ipsa perfidia quæ parœmia celebratur. *Pœnica fides*, vti & Græca fides. Valer. Max. lib. 9. c. 7. Carthaginenses *fontem* appellat *perfidiæ*. Et d. Annibale ibid. *posuit in dubio, maiorne, an peior haberi debeat qui contra ipsam fidem acrius, quam Italiam pugnauit.* Vide Plutarchum. AFRICANIS] Scipioni maiori possimum, & postea Numantino, qui Carthaginem & Numantiam euertit. PAVLLVM SEPOSITA SEVERITATE.] Primum laudando eblanditur Silium, nunc beneuolum rogat, vt Saturnalibus legat sua carmina, deposito studio acriore & maiore carminis perpetui & Heroici. BLANDA ALEA] notus ludus, cætera interdictus Romanis, præter Saturnalia, quæ mense Decembri agitabantur, vt alibi docemus. VAGVS] solutus opere, serui enim imperabant, conuiuabantur, & dominos gerebant. INCERTIS FRITILLIS.] De talis, tesseris. fritillis seu turriculis, vnde effundebantur tali, seu tesseræ lib 14. copiose dissèremus. Fritillos seu orcas nos Trachter aut Brettsp/talorum ludum Bickelin Spiel/ talos Beckelin vocamus, vt Frischlinus est auctor. Græce πυργίσκος. De fritillo multa hic Ramires. in c pauca contra eundem Musamb. ET LVDIT ROTA.] Ipsum fritillum intelligo rotam dici, quia rotundus fritillus velut turricula, vel quia rotatim tali excutiebantur, trochleatim enim & capreolatim intus effecti versabant talos effundendos. NEQVIORE TALO] de talis Iunius Animadu. lib. 2. sed ex quarto libro animad. forte intelligi potest, cur talus nequior dicatur, quæue vis insit naturalis talo. Imo ex cap. 4. lib. 2. Vbi tradit talis lusum pro fœminis, &c. Interim si vacat Calagninum inspice de ludo talorum tesseratum latrunculorum, &c. ex quo nostra li. 14 depromsimus, vti & ex Delrio in Senecam. NOSTRIS OTIA COMM. CAMŒNIS.] Saturnalibus lege meas nugas & iocos, lepores liberaliores. TORVA] censorio supercilio, tristi fronte, Catonis vultu. MADIDOS] tinctos salibus. SIC FORSAN TENER AVSVS EST.] Non reuera, quod miserit, sed μιμητικῶς vel ἀλληγορικῶς, sic forte grandioribus poetis suos hendecasyllabos leues & teneros tener misit Catullus; vt ego tibi Epico herooque scriptori iocos meos carminum, velut passerem. Forsan, dicit ne affirmate dixisse argueretur, quod non aduertere aliqui. De passere Catulli alibi dictum. Se cum Catullo Silium cum Virgilio componit. Plura Musamb. contra Ram. qui hanc adfert sententiam. Si vixisset Catullus cum Marone forte misisset illi suum passerem, vt ego tibi epigrammata.

Ad Cæcilianum.

XII. XV.

*Mille tibi nummos hesterna * nocte roganti,* * Luce.
In sex aut septem, Cæciliane, dies,
Non habeo, dixi: sed tu caussatus amici
Aduentum, lancem, paucaq; vasa rogas.
Stultus es, an stultum me credis, amice? negaui
Mille tibi nummos, millia quinq; dabo?

Stolidum irridet Cæcilianum quinq; millia petentem, cui mille sint negati. NOCTE] seruo hanc scripturam cum Gontio. Hospites ad vesperam vel etiam noctem venire solent, & docet hoc Christus apud Lucam. Cæcilianus tempore visus venit noctu vt necessitatem ostenderet, & facilius falleret. Tota res est ficta. Martialis vix ipse mille nummos habuit. MILLE NVMMOS] vicenos quinos Philippæos. LANCEM PAVCAQ. VASA ROGAS.] A minori. Qui pauciora negat, plura nunquam dabit: lances autem & vasa mihi pluris emuntur, quam mille nummis, ergo minus dabo, quia tu nunquam redderes. Lanx patinæ genus, lege Bayfium de vasculis. CAVSSATVS] caussam petitionis adfers amicum venisse. Ita locutus Curtius l. 6. Ille non vacasse sermoni suo regem caussatus discessit. Et: Illa caussata sine custode regnum reliquisse petere perseuerabat ne irritam spei abire pateretur. Ita locutus Virgilius & alii. Habet & alia significata quæ huc non pertinent. MILLIA QVINQVE.] Centum viginti quinque Philippæos.

De puero stillicidio iugulato.

XIII. XVI.

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet aßiduo lubricus imbre lapis,
*In iugulum pueri, qui roscida * templa subibat,* * Tecta.
Decidit hiberno prægrauis vnda gelu.

Cumq;

Cumq; peregisset miseri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non sæua sibi voluit fortuna licere?
Aut vbi mors non est, si iugulatis aquæ?

Elegans carmen & historicorũ de puero stiria è tecto in caput subeuntis decidente occiso. VIPSANIS PORTA COLVMNIS.] Portum centum columnarum Vipsani Consulis intelligit, de qua sæpe dictum supra lib.1.109.& lib.2.9.lib.3.19. LVBRICVS IMBRE LAPIS] lapis stratus, pauimentum, area. Clare narrat ipse, nec enarratoris indiget. PRÆGRAVIS VNDA GELV] stiriam vocant Eißzapff. TABVIT] stiria soluta est calore vulneris. PEREGISSET] cum occidisset miserum puellum. CRVDELIA.] Metonymia. tribuitur crudelitas rei sensu carenti. QVID NON SÆVA SIBI] Conquestio in fortunam & fragilem vitæ humanæ conditionem. Venustissimum est Epigramma C. Cæsaris Germanici de eodem argumento, sed aliter tamen occiso glacie.

Thrax puer adstricto glacie cum luderet in Hebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumq; ima partes rapido traherentur ab amne,
*Abscidit * tenerum lubrica testa caput.*
Orba quod inuentum mater dum conderet vrna;
Hoc peperi flammis, cætera, dixit, aquis.

* *Abscidit heu.*

Quod quidem è Græco non tamen verbatim est expressum. lib.1. ἀνθολογ. cap. εἰς δυσπραγίαν.

Ἕβρου Θρηϊκίου κρυμῷ πεπεδημένον ὕδωρ
Νήπιος ἐκβαίνων, οὐκ ἔφυγεν θάνατον.
Ἐς ποταμὸν δ' ἤδη λαγαρούμενον ἴχνος ὀλισθὼν,
Κρυμοῦ σὺν ἁπαλὰς αὐχένας ἀμφεκάρη.
Καὶ τὸ μὲν ἐξεσύρη λοιπὸν δέμας· ἡ δὲ μένουσα
Ὄψις ἀναγκαίην εἶχε τάφου πρόφασιν.
Δύσμορος ἧς ὠδῖνα διώλετο πῦρ τε καὶ ὕδωρ·
Ἀμφοτέρων δὲ δοκῶν οὐδενός ἐστιν ὅλος.

Sed lib.3. antholog. extat Flacci epigramma propius ad Cæsaris accedens.

Ἕβρου χειμερίοις ἀταλὸς κρυμοῖσι πεδηθεὶς
Κοῦρος ὀλισθηροῖς ποσσὶν ἔθραυσε πάγον.
Τοῦ περισυρομένοιο περιρραγὲς αὐχέν' ἔκοψε
Θηγαλέον ποταμοῦ Βιστονίοιο τεῦχος.
Καὶ τὸ μὲν ἡρπάσθη δίναις μέρος· ἡ δὲ τεκοῦσα
Λειφθὲν ὕπερθε τάφῳ μοῦνον ἔθηκε κάρη.
Μυρομένη δ' ἡ τάλαινα, τέκος, τέκος, εἶπε, τὸ μέν σου
Πυρκαιὴ, τὸ δὲ σοῦ πικρὸν ἔθαψεν ὕδωρ,

Eiusdem argumenti est illud Angeli Politiani, qui Germane vertit
——παῖς Ἕβρῳ ἐπιθρώσκε, &c.

Et saltatriculæ illius, quæ diuinum illud caput scelerum præmium poposcerat, idem fatum fuit, nisi quod etiam resecta ceruix per glaciem saltitârit, omnibusque in memoriam præteritum facinus præsens supplicium reuocârit, vt Nicephorus Calixtus lib.1. Eccles. hist. cap.20. scriptum reliquit. SI IVGVLATIS AQVÆ.] Ita Fabius senator haustu lactis periit, vno pilo strangulatus. Anacreon acino vuæ passæ. Plinius lib.7.cap.7.

De Endromide.

XIX. XIV.

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
(Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet,
Sordida, sed gelido non aspernanda Decembri,)
Dona peregrinam mittimus endromida:
Seu lentum ceroma teris, tepidumue trigona,
Siue harpasta manu puluerulenta rapis:
Plumea seu laxi partiris pondera follis:
Siue leuem cursu vincere quaris Atham.

Ne madidos intret penetrabile frigus in artus:
Neue grauis subita te premat Iris aqua.
Ridebis ventos, hoc munere tectus & imbres.
Non sic in Tyria Sindone tutus eris.

Endromis, vt scribit Baysius lib. de re vestiaria, dicta videtur, quod eo genere vestis ἐν δρόμῳ, id est, in cursu & palæstra vterentur, quam pinguem, hirsutam, & villi longioris fuisse constat ex hoc Martial. Epigram Renanus & Pamelius ad illa Tertulliani verba de Pallio. *Ita & Endromidis solocem aliqua multitia synthesi extruxit.* sed aliter Ioan. Mercerus sentit. *Endromis*, inquit, *genus amiculi vel straguli potius, quo pugiles & athletæ post certamen vtebantur, vt & frigus arcerent, & sudorem exciperent. Vestis erat crassa hirsuta, villi longioris, & ex ceromate, quo pugiles vngebantur, atq; sudore quo diffluebant, pinguis & sordida. Huic nomen non quod cursui apta esset (condonabunt mihi hanc censuram B. Rhenani manes) nam quid currenti magis incommodum? sed quod ἐν δρόμῳ, in palæstra vsui, non modo post cursum, sed post quodlibet certamen. Lana, qua constabat, Solocis nomen (quod & hic vsurpatum à Tertulliano) quoniam pinguis & crassa esset. Solox veteri glossario, τὸ παχὺ crassum, pingue, sordidū: & solox lana apud Titinnium pura opposita.* Quæ omnia confirmat Mercerus hoc Martialis epigrammate, quod hic exponimus. Endromadis mentio est lib. 14.

Pauperis est munus, sed non est pauperis vsus,
Hanc tibi pro togula mittimus endromida.

Vtebantur enim ea potentiores in Gymnasiis, etiam fœminæ. Iuuen. Sat. 6.

Endromidas Tyrias & fœmineum ceroma.

Et 3. *Accipit Endromidem ——*

Pollux lib. 7. c. 32. ἐνδρομίδας dicit esse calceamentorum quoddam genus, quo cursores vtebantur, imo Dianæ proprium. Sed apud Martialem certum est genus vestis, quo non pedes, sed totum corpus tegitur: sequitur enim *Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres.*
Non sic in Tyria Sindone tutus eris.

Ab endromide Sidonius dixit Endromidatus. De eadem Genial. lib. 5. c. 18. Alex. Neap. *Sicut*, inquit, *Endromis longiori villo pinguis & crassa in frigoribus à diuitibus vsurpata.* De eadem Tiraq. lib. 3. legum Connub. voce Endromis. HANC TIBI SEQVAN.] Sequana flumen Galliæ. Cæsar lib. 1. bel. Gall. Raymundus Marlianus de Galliæ locis, &c. Lusit in hunc fluuium eleganter Sanazarius.

Iure tuum poteris ducere pontificem, &c.

A Sequana Sequani populi Galliæ dicuntur: à Sequanis Sequanicus, hoc est, Gallicanus Burgundicus. Mittimus tibi Gallicanam & crassam seu pinguem, villosam endromidem. TEXTRICIS ALVMNAM] textam à Gallica fœmina. QVÆ LACEDÆM. BARB. NOM. HABET, SORD. SED GELIDO NON ASPERN. DECEMBRI.] Parenthesi laudenda sunt hæc verba, vt sequentia cum primis congruant. BARBARA] Gallicana nam Galli barbari tunc habebantur. LACEDÆM.] Græcum & non barbarum nomen. Lacedæmones enim Græci, vox autem ἐνδρομὶς Græca est, vt diximus. Et inuentio Endromidis, vti & palæstræ, Græcis debetur. SORDIDA] inelegans, vncta, crassa, pinguis. DECEMBRI] hyeme commoda. DONA PEREGR.] coniunge primo versui. Hanc endromidem peregrinam, nempe Gallicanam tibi dona mittimus, vt sæpe Græci loquuntur. Isocrates ad Dæmon. ἀπέσταλκά σοι, τόνδε τὸν λόγον δῶρον, τεκμήριον μὲν, &c. misi tibi orationem hanc, munus &c. SEV LENT. CEROMA TERIS] seu lucta certas seu pila. Certabant vncti ceromate palæstritę, vt supra docuimus. Ceroma vnguentum ex oleo cera & puluere. LENTVM] molle aut viscosum. TERIS] luctando atteris affrictum corpori. TRIGONA.] Vt locum hunc intelligas de genere pilarum & ludo σφαιρικῷ aliquid dicendum. Pilæ genera quatuor erant apud Græcos & Latinos. Immo quinq;, vt mox ostendam. Græci ludum ipsum sphæristicen, & locum sphæristerium, & pilam sphæram nominabant: Latini ludum pilæ. De Græcorum ludo taceo, quod meum non sit loqui, nisi quæ ad poetam explicandum valent. Qui tamen earum rerum cognitione desiderat adeat Galenum, Oribasium, Paulum, Antyllum, Athenæum, Clementem Alexandrinum, Pollucem, Mercurialem, Petrum Fabrū. Ludit hoc loco Ramiresius, & Raderum ex Mercuriali & Fabro quos laudaui hic omnia radere dicit, sed vereor ne hodie inter nos nomen commutemus, & Ramiresius vertatur in Raderum, & Raderus in Ramiresium, Nam proxime superiori carmine & multis aliis pleraq; Ramiresius rasit ex Radero, vti iure suo nunc Raderus tondeat Ramiresium, nec enim immerito Musambertius hypomnemata Ramiresii vocat euerriculum Raderi & alienarum lucubrationum. Tiraquellum ad Gen. Alex. Lucianum, Eustathium, alios. Apud Romanos quatuor fuerunt genera pilæ, quibus ludebant, vt Mercurialis lib. 2. cap. 5. docet; Follis, trigonalis paganica, & harpastum, quæ omnia communi nomine Italicæ sphæræ exprimit Cælius Aurelianus Medicus. Follis erat pila magna ex aluta confecta, vento tantum & anima inflata, quæ si maior esset, brachiis impellebatur, quæ sæpè (κατ' ἀντονομασίαν crediderim) pila sine alterius adiectione vocis appellabatur. Nonius. *Purgatum scito, quoniam videbat Roma in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere.* Et Propert. lib. 3.

Cum pila velotes fallit per brachia iactus.

Hora-

Horatius velocem pilam vocauit follem. Sat. 2. lib. 2. Sat.

—— seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem
Seu te discus agit——

Huius expressam imaginem habes apud Mercurialem. Et res nota etiam in Germania hodie, præsertim in aulis principum. Minor follis pugnis eiiciebatur, atq; pugillaris follis vocabatur, vt apud Plautum in Rudente. *Extemplo hercle ego te follem pugillatorium faciam.*

Mercurialis eandem pilam putat folliculum fuisse, cuius est apud Suetonium in Augusto mentio. Alterum genus erat Trigonalis pila, quę parua erat, non triquatrâ figurâ, sed à loco trigono, vel numero, figura, situ ludentium: stabant enim tres eo ordine, vt trigonum seu triangulum redderent; vt ex nummis M. Aurelii Antonini apud Bizantios percussis apparet, quorum figuram in libris posuit suis Mercurialis Eadem, vti & follis, nonnunquam ἁπλῶς pila nominatur. Martial. li. 7. epig. 31. *Non pila, non follis, non te paganica, &c.*

An hæc sparsina pila, de qua Petronius Arb. Sat & Artemidorus li. 4

Vbi enumerat Martialis quatuor genera pilarum, & trigonem non exprimit, nisi communi nomine pilæ. Sed quis est huius trigonis vsus, quæ isthæc sphæromachia? stabant in trigono tres sphæromachi, hoc est, spatio & figura trigonem exprimente, manu ad ludum vtraq; para a, vt modo pilam pulsam exciperent, modo exceptam pellerent, cauerentque ne pila excideret, terramue contingeret: quæ quidem summa laus erat huius ludi. De hoc ludo sæpius Martial. lib. 7.

Sic palmam tibi de trigone nudo
Vncta det fauor arbiter corona.
Nec laudet polybi magis sinistras:

Et lib. 12. *Captabit tepidum dextra lauaq; trigonem.*

Et lib. 14. *Si me nobilibus scis expulsare sinistris,*
Sum tua, si nescis, rustice, redde pilam.

4. Genus.

Modo ergo mittebant, modo excipiebant; modo sinistra, modo dextra, pro câsu venientis pilæ vtebantur. Restat, vt exponamus, cur tepidum vocet trigona, hic enim & li. 12. vocat tepidum trigona. An tepidum, vt Mercurialis coniectat, quod ludentes in calorem & teporem soluat. An quod locus exercitationis balneis tepidis seu tepidario proximus; statim enim bal neas petebant à pila. An (quod forte vero propius) pila ludentium & sudantium manu tepefacta? quo sensu etiam Propertius limen ex assiduo tritu & vsu tepidum appellat, trigon ergo non est pi la quasi tres habeat angulos, sed quod in trogono starent lusores, alii trigonem à loco trigonali & sphæristerio dictum putant. Tertiũ est genus pilæ quam paganicam vocant: quod vel paganis hominibus, vel pagis vrbanis in vsu. Nam vrbs olim, vt Dionys. l. 4. refert in quatuor diuisa tribus, quæ pagi, & incolæ pagani appellabantur. A villis ergo vel pagis vrbicis dicta paganica pila est maior erat trigonali, minor folle; pluma farciebatur, mollior pila, durior folle. Martial. 14.

Hac, quæ difficilis turget paganica plumâ,
Folle minus laxa est, & minus arcta, pilâ.

Lugebatur etiam in Gymnasiis paganicâ. Martial. 7.

Non pila, non follis, non te paganica thermis Præparat, &c.

Postremum est à Græco, Harpastum dictum; pila parua est corio facta, vt Mercurialis suspicatur. adeo vsitatum priscis, vt nemo prope, eam velut orbi notam descripserit. mediam nonnulli inter magnam & paruam; sed Mercurialis minimam fuisse sentit. Erat, quam ludentes alter alteri eripiebat. ἁρπάζω enim rapio sonat. Vocabatur ludus ipse harpasti φαινίνδα, vt Athenæus tradit, & solo puluerulento ludebant harpasto, vt noster poeta docet hoc ipso epigrammate, quod nunc exponimus. Et lib. 7. *Non harpasta vagus puluerulenta rapit.*

Et lib. 14. Valentiorum & virorum fuit hic ludus, & Ouid. docet 3. de arte. Et noster l. 7. ep. 66.

Harpasto quoq; subligata ludit.

De pila ligneâ hic locus non est. Hæc συλλήβδην ex Mercuriale necessario retulimus, quod frequens mentio, & apud nostrum, & alios scriptores horum ludorum. Adde ex Clemente Alexan. lib. 3. pæd. pilam hanc σφαῖραν μικράν appellari: & ex Petro Fabro Agon. 1. c. 6. harpasti ludum φαινίνδα apud Pollucem l. 9. dici ἀπὸ τοῦ φαινίδου τοῦ πρώτου εὑρέτου, ἢ ἀπὸ τοῦ φενακίζειν, vel φαινίνδα, ἀπὸ τοῦ ἀφιέναι τῶν σφαιριζόντων, quod procul à lusoribus iaceretur. Irridet hanc notationem Casaub. ad lib. 1. Athen. cap. 12. *Falsa, inquit, & absurda est vocis pheninda notatio, ita enim scriptum,* ἐκαλεῖτο δὲ ἐφετίνδα ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων. *Quid hoc putidius, &c.* Lego ἐκαλεῖτο δὲ ἐφετίνδα ἀπὸ τῆς ἀφέσεως, vel ἐφέσεως τῶν σφαιριζόντων. Eustathius. Ἐφετίνδα λέγεται παρὰ τοῖς παλαιοῖς, ὅταν ἄλλον προδείξαντες τὴν σφαῖραν ἄλλῳ ἀφῶσιν. Athenæus Phænestio inuentionem tribuit harpasti. Ludum harpasti graphice describit Antiphanis versus.

——σφαῖραν λαβὼν
Τῷ μὲν διδοὺς ἔχαιρε, τὸν δ' ἔφυγ' ἅμα
Τοῦ δ' ἐξέκρουσε, τὸν δ' ἀνέστησεν πάλιν
Κλαγκτῇσι φωναῖς——

Quo

Quo ostenditur in hoc ludo extrusionibus seu impulsionibus mutuis, dum præripere lusores pilam tentabant, locum præcipuum fuisse. Puluerulenta autem vocat, quòd solum vel arena sparsum, vel assiduo vsu tritum esset puluerulentum. PLVMEA SEV LAXI PARTIRIS] De folle iam diximus esse pilam vento plenam, eamq; maiorem & minorem, sed de plumeo folle nihil scribunt auctores. neque follis erat paganica, quæ sola farciebantur pluma. Nam quod affirmat Domitius, testimonio caret. Mercurialis plumea interpretatur leuia, nam plumea pondera non sunt grauia, nec follem vocat plumeum, sed follis pondus plumeum, in qua sententia maneo, dum certiorem inuenio. LAXI] magni, lati, vel minus duri, vt de paganica. *Folle minus laxa est*, hoc est dura, *& minus arcta pilâ.* Hoc genus ludi pueri senesque adhibebant; vt Martialis.

Folle docet iuuenes ludere, folle senes.

His quatuor pilarum formis addo quintam vitream, cuius inuentor Vrsus Togatus, vt ex priscis monumentis Antiquitatis scientissimus M. Velserus II. vir Augustanus ostendit, cuius hæc in MONVMENTIS Augustanis verba. *Corollarij vicem sermoni, qui à ternis cœpit, non negabo, versus aliquot concinnos, festiuos, scitos totos, inscriptos marmori, ante annum vnum aut alterum Romæ ad D. Petri effosso, qui in primis lucem inferent balneari exercitationi à paucis scriptorum memorata, à nullo lectorum ante hoc intellecta: Indicium Ab. Ortelio debeo.*

VRSVS TOGATVS, vitreâ qui primus pilâ
Lusi decenter cum meis lusoribus,
Laudante populo maximis clamoribus,
Thermis Traiani, Thermis Agrippæ & Titi
Multum & Neronis, si tamen mihi creditis.
Ego sum, ouantes conuenite pilicrepi
Statuamq; amici floribus, violis, rosis,
Folioq; multo, atque vnguento marcido
Onerate amantes, & mecum profundite
Nigrum Falernum aut Setinum aut Cæcubum
Viuo ac volenti de apotheca dominica,
Visumq; canite voce concordi senem
Hilarem, iocosum, pilicrepum scholasticum,
Qui vicit omnes antecessores suos,
Sensu, decore, atq; arte subtilissima.
Nunc vera versu verba dicamus senes.
Sum victus ipse fateor à ter consule
Vero patrono, nec semel sed sæpius,
Cuius nunc libenter dicor exodiarius.

Hæc marmor antiquum. Sed versus non omnes constant, vt sæpe alias in huiusmodi monumentis inscriptionum.

VINCERE QVÆRIS ATHAM] Atham puerum nouennem petaminarium Plinius lib. 7. c. 20. & Alexander Neap. lib. 2. c. 21. memorant, sed ἀνώνυμον, vt nomen poëta finxisse videatur. A meridie ad vesperam septuaginta quinque passuum millia incredibili celeritate confecit, quæ milliaria sunt minimum quindecim nostratia. De Lada infrà dicemus. De Alexandri Magni Philonide Himerodromo, Lasthene Thebano, Polymestore Milesio item puero, Anistio seu Canistio Lacedæmonio, & aliis pedum pernicitate admirandis lege Alexand. Neap. & Tiraquellum ad locum dictum.

NE MADIDOS INTRET] En vsum endromidis, defendit frigora & pluuias à corpore. TE PREMAT IRIS] Iris nuncia pluuiarum. Metonymia.

RIDEBIS VENTOS] Diuites enim in frigoribus endromide tectos fuisse scribit Alexander.

TYRIA SINDONE] Sindon, vt ex Polluce docet Bayfius, est amictus ex lino Ægyptiaco, quod nunc dicto ssum appellatur, dicta, vt opinor, quia primum in Sidone vrbe huiusmodi amictus fieri cœpit: ob id Tyria à Martiale dicta; erant enim vicinæ vrbes Tyrus & Sidon, Sindon ergo inter linea vestimenta adscribitur à Polluce. Apud Matthæum, Marcum & Lucam conuenit Christum sindone munda, id est, linteo inuolutum. D. Ioannes Othoniis obuinctum scribit, sed per Othonia lintea intellexit, nam alias apud Pollucē Othonia ex lana potius, quàm lino fiebant. TVTVS] Ita lego, legendumq; doceo, non cultus, vides n. hic agi de vestibus optimè corpus à cœli iniuriis munientibus.

De Cærelia & Gellia.

XV. XX.

Dicit se vetulam, cùm sit Cærelia puppa.
Puppam se dicit Gellia, cùm sit anus.
Ferre nec hanc poßis, poßis, Coline, nec illam
Altera ridicula est, altera putidula.

(pupa) blandientis vox, ut puppus, pupulus, pupillus.

Intemperiem muliebrem carpit. Gellia anus adolescentula videri volebat; Cærelia puella, anus. Gellia anus sibi placebat, vt pulchra. Cærelia puella volebat videri matura vt anus, vt vetula; concludit poëta Cæreliam esse putidam, Gelliam ridiculam. Illam, quòd sibi videretur grauis, cum esset pupa: hæc, quòd, cùm esset anus, vellet tamen dici puella, quod ridiculum est. FERRE NEC HANC POSSIS, NEC ILLAM] Quia vtraque inepta & stulta, quas meritò sapientes auersentur, cùm anus Gellia velit videri adolescentula, & Cærelia planè puella, iam anus aut grauis matrona.

De Selio.

XXI. XVI.

Nullos esse deos, inane cœlum
Affirmat Selius, probatq́, quòd se
Factum, dum negat hæc, videt beatum.

Atheum Selium Prothagoræ immo Diagoræ Melij, vt Theodori Cyrenaici impiorum impium sectatorem hoc tristicho mactat. NVLLOS ESSE DEOS] Protagoras, vt Cic. 1. de nat. deor. scribit, dubitabat, an essent Dij. Diagoras autem & Theodorus Cyren. omninò nullos esse asserebant. quodque illi de Diis affirmabant, hoc simul de Deo, cui nos cultum, honores, preces adhibemus, affirmatum volebant. Quæ sententia ab ipsa natura, naturæque operibus, omniumque gentium æterno consensu, confessioneque & ratione repulsa est. *Nulla enim gens tam fera, nemo omnium tam immanis est, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio*; docet Cicero, in Tusculanis suis & lib. de legibus, & 2. de nat. deor. & de Aruspicum responsis, alijsq; locis. Apud Christianam gentem, vt pium est plures Deos negare; ita sanctum & diuinum, vnum eundemque trinum confiteri scelus dubitare, quid dicam negare? PROBATQVE, QVOD SE] Caussam affert æquè impiam, quæ tamen speciem videtur habere veritatis, si Dij essent, bonos felicitate auctarent, & malos infortuniis mactarent; sed contra fit, nam sceleratissimus quisq; & ἄθεος est felicissimus. Aut si Dij sunt, iniusti sunt, vt qui beent sceleratos, probos perdant. Negas improbos esse feliciores probis? exemplo sit hic ipse Selius, qui cum sit ἄθεος, & non solùm contemnat Deos, sed eosdem penitus tollat, ac neget, tamen omnium propè mortalium est felicissimus & beatissimus. Legendi auctores de prouidentia Dei, copiosè disputantes, cur iustos infelicitet; sceleratos subinde in præsens sospitet Deus. Saluianus, Viperanus, Chrysostomus, Augustinus, Seneca libro quare bonis viris mala accidant, cùm sit prouidentia, ad quem librum multa egregiè Muretus. Huc Varronis pertinet distichum.

Cicer. lege 3. de natura Deorum de Harpalo & Dionysio tyranno. Lactantius de Iustitia.

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato nullo,
Pompeius paruo: credimus esse Deos?

Ad Thaliam.

XXIII. XVII.

Dum tu lenta nimis, diuq́ quæris,
Quis primus tibi, quisúe sit secundus:
Graium quisúe epigramma comparabit:
Palmam Callimachus, Thalia, de se
Facundo dedit ipse Brutiano.
Qui si Cecropio satur lepore.
Romanæ sale luserit Mineruæ:
Illi me facias, precor, secundum.

Lustricum Brutianum virum, quà ingenio, quà probitate, rerum gestarum gloria clarum laudat ab elegantia carminis, eique primas in elegiâ græcâ tribuit. Facit huius mentionem Plinius Secundus li. 6. epist. 22. dum eius contra Atticinum defensionem & accusationem describit: *Cui, inquit, Cæsar Traianus iustissimum integritatis testimonium reddidit: quem quidem constantiæ gloria secuta est, &c.*

DVM TV] Thaliam alloquitur. sed cur Thaliam? quia conuiuiorum Dea, lætitiæ & hilaritatis modiperatrix, vt Plutarchus in Sympos. de ea loquitur. [Greek text illegible] Thaliazin est apud Græcos conuenire non ad lautè epulandum, non vt poculorum & crapulæ fiat liberior concertatio. Poëta verò noster, cùm suis epigrammatis maximè locum dicat esse in conuiuiis, rectè præsidem conuiuiorum Thaliam appellat. Porrò de Thalia, qui plura desiderat, Linocerij mythologiam Musarum voluat. LENTA NIMIS DIVQVE QVÆRIS] ὄντως: Dum tu, Thalia circumspicis & inuestigas aliquem epigrammatarium nobilem, cui primas dare aut secundas possis; interim Brutianus epigrammatum, & elegiæ græcæ, etiam ipso elegiæ principe Callimacho concedente palmam rapit. Qui si contulerit

lerit se ad sales latinos, & epigrammata latina luserit, etiam in illis feret lauream: cui me, precor, ô Thalia, facias in epigrammate secundum.

QVIS PRIMVS, QVIS SECVNDVS] in epigrammate potissimùm. sic enim sequens versus exponit. *Graium quisue epigramma comparabis.* Graium lego cum Scriuerio. PALMAM CALLIMACHVS] Thalia, ad primum & vltimum versum pertinet, DVM TV, &, ILLI ME FACIAS. PALMAM] primas. à gladiatoribus, quibus palma signum victoriæ dabatur. CALLIMACHVS] nobilissimus vates Ægypti regibus familiaris, patria Cyrenæus. plurima omnis generis volumina scripsit, quæ vetustas omnia ferè proscripsit. Syllabum recenset Gyrald. historiæ poetarum dial. 3. Eius imitator fuit Propertius, qui se Romanum Callimachum appellauit. Ouid. in Ibin eiusdem expressit carmen in Apollonium discipulum. De hoc & huius αἰτίοις plura infrà, præter hymnos extant eius epigrammata supra triginta.

QVI SI CECROPIO] Qui Brutianus; vbi se à Græcis poëmatis ad Latina contulerit, primus erit inter latinos, cui proximus vt sim, opto. CECROPIO LEPORE] non tam ad elegias græcas, quàm epigrammata videntur hæc referenda.

Ad Fabianum.

XIIX. XXIV.

Omnes quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas,
Extulit, vxori fiat amica meæ.

De Lycoride suprà ex Virgilio, quæ fuerit, exposuimus. amasse scias postibulum. poëta insinuat confectas & interfectas veneno Lycoridis amicas, vt sola frui posset amatoribus, ne æmulam haberet. Musamb. fato assignat, non veneno. sed vita Lycoridis non videtur aliena maioribus ausis. Optat deinde, vt etiam vxori suæ fiat amica, quod quidem ridiculè & salsè; hoc enim erat optare mortem vxori. EXTVLIT] efferre proprium est verbum vsurpatū de iis, qui efferuntur ad rogum. *effertur, imus, &c.*
ergo amicas extulit, intellige mortuas & veneno sublatas. Ita surculum petiuit Diogenes arboris, ex qua viderat pendentem fœminam.

De littoribus Altini.

XIX. XXV.

Æmula Baianis, Altini littora villis,
Et Phaëtontæi conscia silua rogi.
Quæq; Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit, ad Euganeos sola puella lacus.
Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo,
Hic vbi septenas Cyllarus haurit aquas.
Vos eritis nostræ portus, requiesq; senectæ,
Si iuris fuerint otia nostra sui.

Altino vicinum situm laudat comparatione Baiarum à fontibus, siluis, lacubus, seseq; extremum vitæ actum ibi transacturum dicit, si tamen sui iuris futurus sit. ALTINI] Altinum est oppidum Venetiæ, eodem situ, quo est Rauenna, inter paludes, vt Strabo docet, vbi periit stupore neruorum affectus L. Verus Imperator. oppidum postea incensum & euersum ab Attila, nobile lanis, vt canit in 14. Martialis.

Velleribus primis Appulia, Parma secundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ouis.

Plinius de eodem lib. 3. cap. 18. & 16. Pomponius lib. 2. Strabo lib. 5. De Baiano sinu Campaniæ, & aquis, & sæpius, & satis dictum. ET PHAETONTÆI] Phaëthon, vt 2. met. Ouidius canit, è curru solis excussus decidit in Eridanum Græcis dictum, Padum Latinis: iuxta quem Heliades infelicis aurigæ sorores in populos versæ plorant electrum; & hoc est quod Martialis ait siluam Pado vicinam esse consciam Phaëthontæi rogi: ad Phaëtontis enim lucum à Naiadibus extructum lachrymarunt & in arbores abierunt. Vide Plinium lib. 3. cap. 16.

QVÆQVÆ ANTENOREO DRIADVM] Et conscia nympha Phaëtontæi rogi, quæ Driadum pulcherrima nupsit Fauno Patauino, in memore Patauino colenti. ANTENOREO] Antenor Troianus capta Troia euasit Græcos, & in Italia Patauium condidit. Virg. 1. Æn.

Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui, &c.

Hic tamen ille vrbem Patani, sedesq; locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaq; fixit
Troia: nunc placide compostus pace quiescit.

DRIADVM] Nymphæ aliæ sunt marinæ, aliæ fluuiales, aliæ siluestres: Marinæ dicuntur Nereides, quæ amnes incolunt, Naiades; quæ lacus, Lemniades. siluestres aliæ montibus præsunt quas Oreades & Orestiades nominant; aliæ saltibus & floribus, quas Napeas; aliæ siluis & nemoribus, quas Dryades; aliæ singulis arboribus, quas Hamadryades. Dryades credebantur, quæ cum arboribus nascerentur & perirent. Septem fuisse perhibentur, quarum nomina sunt apud Claudianum in laudibus Stiliconis. Lege cap. 11. & 12. & lib. 5. Mytholog. Natal. FAVNO] qui saltibus & agris Patauinis præest. Fauni Dei Agricolarum à Fauno rege Italorum putantur procreati. Plura Mytholog. Natal. lib. 5. c. 9. EVGANEOS LACVS] Venetos lacus. Euganeorum regionem Cassiodorus Taruisanum appellat: Et apud Plinium Taruisani montes, quamuis vulgò legatur Taurisanis. Domitius XXIII. lacus olim numeratos ait. NVPSIT] ἐνυπτηκῦς. ET TV LEDÆO] Aquileia fori Iulij primaria vrbs, de qua Strabo, Ptolomæus, Plinius, alij. TIMAVO] Tantus est fons, vt aliis lacus, aliis fluuius, aliis mare vocetur. Virgilius, Liuius, Seruius, Varro. Polybius apud Strabonem ait ab incolis fontem maris appellari: Est in foro Iulio Venetę ditionis. Ortelius. LEDÆO] Quia Castor Ledæ filius cum Argonautis ad Timauum venit. Plinius lib. 3. 18. *Argo nauis flumine in Adriaticum descendit, non procul Tergeste, nec iam constat, quo fluuio. Humeris transuectam alpes diligentiores tradunt. subiisse autem Istro, deinde Sao (mallem Sauo) deinde Nauporto, cui nomen ex ea caussa est, inter Aemonam alpesq; exorienti.* Hæc Plinius. CYLLARVS HAVRIT AQVAS] Cyllarus equus Castoris, etsi non comitatus Castorem, tamen suo more poëta loquitur, quia Castor ibi erat Castorem equo significat μετωνυμικῶς. SEPTENAS] Septem ostia Timaui. VOS ERITIS NOSTRÆ] Sed mortuus est in Hispania, non Italia, vt in vita poëtæ exposuimus.

Cyllarus equus postea caelestis.

Ad Postumum.

XXVI. XX.

Quòd te manè domi toto non vidimus anno,
Vis dicam, quantum, Postume, perdiderim?
*Tricenos, * puto, bis, vicenos ter, * puto, nummos;*
Ignosces, togulam, Postume, pluris emo.

** puta.*

Postumus fictum nomen, quo aliâs alium, hic auarum notat amicum; quià Martiale volebat propè gratis coli & salutari. Poëta ergo ab eius colendi studio destiterat integro anno, nec magnam se æris iacturam fecisse dicit, maiorem facturus, si salutasset, toto enim anno togam attriuisset, quam centum viginti nummis emere non poterat. QVOD TE MANE DOMI] Non quòd Postumus abfuerit, sed Martialis domum Postumi salutandi caussa non venerit. TRICENOS PVTO BIS, VICENOS TER] bis tricenos, & ter vicenos, si colligas, erunt centeni viceni nummi, hoc est, quatuor floreni siue tres Philippæi; nummus enim & sestertius eiusdem pretij sunt. TRICENOS PVTO BIS] Quæras an toto anno pro quotidiana salutatione & officio non plus acceperint clientes, quam 120. sestertios. hoc est 240. cruciferos? Ex hoc sanè loco disco, centum quadrantes, siue decem sestertios, qui sportulam vnam efficiebant, tantum quot mensibus, pro quotidianis officiis datos, ita enim annuos bis sexaginta numerabis sestertios, si in singulos menses tribueris 20. cruciferos. tota enim sors erit non maior quatuor florenis, seu tribus Philippicis. Hoc nemo auctorum annotarat. Ramirez in Platonianis numeris eruditus colligit ex bis triginta, & ter viginti, tantum sexaginta, cum, vt vides, numos conficiant centum viginti, nempe bis sexaginta. IGNOSCES] non salutanti. TOGVLAM PLVRIS EMO] non emo togam tribus Philippæis.

Duodecim sportulas.

Ad Augustum.

XXVII. XXI.

Sæpe meos laudare soles, Auguste, libellos.
*Inuidus ecce negat: * non minus ergo soles.*
Quid, quòd honorato non sola voce dedisti,
Non alius poterat quæ dare dona mihi?
Ecce iterum nigros corrodit liuidus vngues.
Da Cæsar, tanto tu magis, vt doleat.

** num minus ergo soles? ita libri VV. & Mus. probat. sed vulgaris melior.*

Augusti

Augusti liberalitatem & beneuolentiam erga se laudat, vt liberaliorem experiatur. Est autem vrbanissimus hic mendicandi modus. NON MINVS ERGO] malim *num minus ergo soles?* alioqui *ergo*, ponitur in alieno significatu. QVID QVÒD HONORATO] Adde, quòd mihi voce tua augusta laudato, adiecisti etiam munera honorum eiusmodi, quæ nemo præter Cæsarem impertiri potest. Nam & ius trium liberorum & equestria ornamenta, & tribunitiam dignitatem contulisti, vt in vita Martialis, ex ipso Martiale ostendimus. Lege lib.3.epig.94. De iure porro trium liberorum actum lib.2.91.& 92. ECCE ITERVM NIGROS] fingit id dolere Zoilis, vt occasio sit plura petendi. CORRODIT LIVIDVS VNGVES] signa anxij & sollicitianimi. DA CÆSAR, &c. VT DOLEAT] Vide quàm lepidè & artificiosè Cæsarem aggrediatur. Vt non tam petere, cùm maximè petit, videatur, quàm vlcisci inuidum. Da Cæsar tanto magis, vt tanto plus doleat, si plurima dederis, plurimum dolebit, & demum rumpetur. Sed hanc inuidiam Cæsar præstare cogebatur.

Domitiani.

Ad Pudentem.

XXII. XXIX.

Obstat Chare Pudens nostris sua turba libellis:
Lectoremq́; frequens lassat, & implet opus.
Rara iuuant. primis sic maior gratia pomis:
Hibernæ pretium sic meruere rosæ.
Sæpius in libro memorator Persius vno,
Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.
*Tu quoque de nostris releges * quæcunque libellis,*
Esse puta solum: sic tibi pluris ero.

* quemcunque.

Excusat multitudinem epigrammatum. Onerat enim discentem turba librorum, non instruit auctore Seneca de Tranquill. vitæ. RARA IVVANT] respicit παροιμίαν rarum charum. Et rectè Pindarus. aquam sanè optimam, sed nihil ea vilius propter copiam, τὸ γὰρ σπάνιον τίμιον, τὸ δὲ ὕδωρ ἄριστον. *Facit namq́; fastidium copia*, inquit Liuius, *& frigidius amamus semper ea quibus vbi lubeat, potiri fas sit.* PRIMIS SIC MAIOR GRATIA POMIS] Vt primi fructus dulciores & chariores, ita gratiores lib.10.93. *Vt rosa delectat, metitur quæ pollice primo.* HIBERNÆ PRETIVM SIC] De rosis ex Ægypto Romam per hyemem allatis diximus alibi, & plura de hibernis rosis lib.13. ad illud distichum.

Dat festinatas, Cæsar, tibi bruma coronas:
Quondam veris erant, nunc tua facta rosa est.

Et in vrbe tota hyeme recentes rosas educatas ait lib.6.80.

SÆPIVS IN LIBRO MEMORATVR] Gratior est paruus liber Satyrarum Persij, quàm ingens volumen Marsi, quod Amazonis dicitur. PERSIVS] duo fuere Persij in literario senatu principes. De priore extat testimonium Ciceronis 2. de Orat. quod vicem habet parœmiæ: cùm enim docta cum indoctioribus componimus; nihil ad Persium dicere solemus, quod è Lucilij Satyrographi verbis hisce sumptum. *Persium non curo legere, Lælium Decimum volo.* Adagiographum consule. nos hic ad alterum Persium properamus, notum ex Satyris suis, obscuris quondam, hodie verò probè intellectis. Huius librum vnicum Satyrarum eumque paruum, sed pol præstantem contendit cum Amazonide Marsi, quem obiicit velut longum & leuem. Amazon autem, vt Calderinus & Gyraldus sentiunt, prima fuit de pugna Herculis cum Amazonibus. Marsus alioqui epigrammatarius fuit nobilis. quem ipsemet Martialis est æmulatus, vt proinde putent aliqui poëtam hic de alio Marso epico poëtâ locutum, quibus haud repugnarim. Gyraldus histor. poët. De Persij verò poëmate scribit Fabius, tantum illud laudis meruisse, vt de eo passim illud vulgaretur, quod postea disticho hoc complexus est Martialis. TV QVOQVE DE NOSTRIS] vt ergo ne fastidias nostros libros, puta tantùm illa extare, quæ tu quocunque libro leges, ita fiet, vt & molestiam fugias, & me pluris facias. Scribo tamen, quemcunque, ex mente poëtæ.

De Amazonibus Diod. Siculus. Q. Curtium, aly.

Tu quoque de nostris releges quemcunque libellis,
Esse puta solum——

Vt sensus sit. Quemcunque librum de meis in manus sumpseris, puta solum esse, & velut vnicum illum lege, sic & absque fastidio euolues, & acumen capies, & me magnifacies. Gontius legit, Quodcunque, & audit epigramma, seu quodcunque libri vel libelli.

Ad Piscatorem.

XXIII. XXX.

Baiano procul à lacu monemus
Piscator fuge, ne nocens recedas.

Sacris piscibus hæ natantur vndæ,
Quæ nôrunt dominum, manumq́; lambunt
Illam, qua nihil est in orbe maius.
Quid quòd nomen habent, & ad Magistri
Vocem quisque sui, venit citatus?
Hoc quondam Libys impius profundo,
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus, repentè cæcus
Captum non potuit videre piscem.
Et nunc sacrilegos perosus hamos,
Baianos sedet ad lacus rogator.
At tu dum potes, innocens recede,
Iactis simplicibus cibis in vndas,
Et pisces venerare dedicatos.

Miracula piscium Baianorum celebrat. NOCENS] sacrilegus, impius, damnatus. SACRIS PISCIBVS] Domitiano Deo dedicatis. Sacri pisces Oppiano & Athenæo sunt Delphines, & Pompili, Anthiæ, Callionymi (cuius felle Tobias illitus lucem aspexit, vt Fr. Vallesius de sacra philos. cap.42. coniectat) Plinius lib.9. cap.47. planos pisces dici sacros nautis tradit, Ælianus lib.12. Animal. cap.2. Hierapolitanos pisces omnes sacros appellat. Caussam iidem scriptores variam subscribunt, maximè Athenæus lib.7. de Pompilo. plura Eustathius, Lucianus de dea Syria. Athenæus lib.8. Plinius lib.32. c.2. Alter Plinius epist.21. lib.8. Suetonius in Iulio c.81. QVI NORVNT DOMINVM] Domitianum. MANVMQVE LAMBVNT] μινδὲν ἄπτων. sic enim & Ælianus lib.8. de animalibus c.4. *Pisces quoque cicures, & mansueti euadunt, & cùm appellantur, intelligunt, & è manu largientium cibos capiunt, vt Anguilla sacra in Arethusa. Muræna Crassi Romani omnium prædicatione celebrata, sic inauribus & gemmis distincto monili, velut puella, ornabatur, & appellantis vocem Crassi agnoscebat, ad eumq; adnatabat, cumque ei cibi quippiam porrigeret, prompta capiebat, quam ille mortuam affecit honore sepulturæ.* Plura ibidem Ælianus. De Crocodilis mansuetis cap.5. lib.8. Planè huc facit, quod narrat Petrus Martyr Mediolanensis dec 3. lib.8. de rebus Oceanicis. *Vallis Atici dicitur, cui regulus præest Caramatexius nomine, piscatu delectatus. in cuius retia*, inquit Petrus, *piscis catulus incidit, de genere piscium immanium, qui dicuntur Manati ab incolis. Minimè notum arbitror genus id monstri per nostra maria. Est namq; testudinea forma quadrupes: squamis tamen non conchis munitus, corio durissimo, ita vt nec sagittam vereatur, mille verrucis armatus, tergo autem plano, & capite penitus bouino. Aquatilis est, & terrenus piscis, mitis, iners, vti elephas, vtq; delphin, hominibus sociabilis, sensu mirabilis. Infantulum piscem domi regulus aluit dies aliquot pane patrio, ex yucca & panico puta confecto, radicibus etiam aliis, quibus homines vescuntur. Adhuc paruulum proiecit piscem in lacum sub ædibus proximum, tanquam ad viuaria, qui latus & ipse suscipit aquas, nec illas euomit. Liber in aquis piscis annis vagatus est viginti quinque adoleuit in immensum, &c. Pisciꝰ nomen est impositum Matum, quod significat generosum aut nobilem. Quando ergo ex reguli familiaribus ei notis præcipuè in lacunæ ripa Matum Matum, id est, generose generose, clamabat, humani beneficij memor, caput eleuans, ad vocantem pergebat. pascebatur hominum manu. Si verò quispiam transfretandi cupidus, signa dabat, prostratu suo traiecturos inuitabat. Decem aliquando monstrum conscendisse vno receptu, transportatosq; omnes fuisse incolumes psallendo & cantando compertum est.* Hæc hisque plura Petrus. Ite nunc Plinij, Gellij, Æliani, & de Delphinibus Iasensibus, Baianis, Tænariis, & Corinthiacis porrò gloriamini. ILLAM] orbis gubernatricem. QVID QVOD NOMEN HABENT] Pisces nec membra auditus, nec foramina habere docet Aristoteles lib.4. animalium. & Plinius lib.10. c.70. eos tamen audire testatur vterque, primus id exemplo confirmat. *Et in piscinis*, inquit, *Cæsaris genera piscium ad nomen venire spectatur, quosdam etiam singulos. Itaque produntur etiam audire clarissimè mugil, lupus, salpa, chromis, & ideo in vado viuere.* Idem de olfactu docet ibid. cum aliis. ET AD MAGISTRI VOCEM] Adde loco Plinij & Æliani ipsum Martialem lib.10. ep.30.

Natat ad magistrum delicata Muræna
Nomenculator mugilem citat notum
Et adesse iussi prodeunt senes mulli.

HOC QVONDAM LIBY.] Exemplo confirmat sacros esse pisces. LIBYS] Afer. Pœnus aliquis. Ita Athenæus lib.7. narrat Epopæum quendam piscatorem à ceto haustum, quod ausus fuisset captum Pompilum deuorare. ROGATOR] mendicus. SIMPLICIBVS CIBIS] non hamatis.

DEDI-

DEDICATOS] Domitiano Deo. Multa super sacris & dedicatis piscibus Heraldus. Gruterus docet legendum, delicatos: sed dedicati melius respondent sacris. Confirmat nostram scripturam & sententiam Scriuerius ex Martiale ipso & Athenæo & Varrone.

De ape electro inclusa.

XXIV. XXXII.

Et latet & lucet Phaëthontide condita gutta,
Vt videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum.
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

ET LATET, ET LVCET APIS] Hoc epigramma Thomas Morus nostri quondam sæculi columen, videtur in animo habuisse, cum ad Gutbertum Tonstallum in hæc verba scripsit. Succinum, inquit, quod ad me misisti pretiosum muscarum sepulchrum: nam & materia ea est, quę colore & luce nullam gemmam non prouocet, & forma multò præstantior, quę cordis figura quasi symbolum quoddam amoris in me tui repræsentat: quem neq; auolaturum vnquam, & semper incorruptum fore: ex eo intelligi velle te interpretor, quod muscam animal neq; minus volatile quàm est Veneris filius, neq. magis durabile sic tamen inclusam, atq; implicitam succini visco video, vt non possit effugere: sic aromaticis conditam succis, vt non possit interire. PHAETHONTIDE] Electra soror Phaëthontis in arborem versa, quæ electrum lachrymat. supra* copiosiùs. Et Ouid. 2. Metamor. NECTARE] melle, quod colore geminum flauo electro. LABORVM] Lege Virgilij Georgica de apum studio. Digna fuit apis tam nobili tumulo ob assiduos labores. CREDIBILE EST] Metonymia non vult apis, vt homo. Tale epigramma est infrà de Vipera ep. 59. Et lib. ep. 15. de formica succino inclusa. Thomas Morus &c. ex Analectis huc transfer p. 1071.

* c. 25.

Ad Sosibianum.

XXV. XXXIII.

Plena laboratis habeas cùm scrinia libris,
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent hæredes, inquis, mea carmina; quando?
Tempus erat, iam te, Sosibiane, legi.

Non hortatur Sosibianum, vt edat libros, sed vt moriatur. EDENT HÆREDES] Ita Plinius ad Octauium, vel Octauius ad Plinium; Dices, vt soles, Amici mei viderint. Opto equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laboriosos, vt tantum curæ intentionisque suscipere & possint & velint. Sed dispice ne sit parum prouidum sperare ex aliis, quod tibi ipse non præstes. TEMPVS ERAT] aliud dicit, aliud intelligit. Dicit viuentes pasci fama laudis mortuos non sentire, serum igitur esse nomen à rogo. Sed mortuum vult Sosibianum, tempus erat, inquit, iam te legi. Legi autem non potes, nisi mortuus, quia ante mortem non vis edi tua. Morere igitur statim, vt possis legi.

argum.

Ad Attalum.

XXVI. XXXIV.

Sordida cùm tibi sit, verum tamen, Attale, dicit.
Quisquis te niueam dicit habere togam.

Attrita erat, eoque sordida, calore tamen albo, vt erant omnes, nisi, vt Horatij suprà, niue tecta fuerit, quod non arbitror. Niueam potius crediderim dici vel tenuem, & ventosam, quæ non defendat niues & frigus, sed potius faciat. Vel decutem & defloccatam, ac detritam, vt dixi, vt illa Parthenionna lib. 6. *Quam possis niueam dicere iure tuo.* Ita pro gelida, niuea seu niuosa accipe. Iocus est in ambiguo Niueam.

De pugna damarum.

XXVII. XXXV.

Frontibus aduersis molles concurrere damas
Vidimus, & fati sorte iacere pari.

Spectauere canes prædam, stupuitq; superbus
Venator, cultro nil superesse suo.
Unde leues animi tanto caluère furore?
Sic pugnant tauri, sic cecidere viri.

Exhibuit damas inter se præliantes in theatro Domitianus. hic miratur poeta velut Domitiani numine factum, vt imbelles alias & fugaces animantes in mortem vt tauri, gladiatores, concurrerent. FRONTIBVS ADVERSIS] qui mos cornutarum ferarum. MOLLES CONCVRRERE DAMAS] imbelles infrà, timidas. Plinius lib.8.c.53. DAMÆ] semiferum genus caprarum siluestrium. De Damis vide Oppianum de ven. lib.2. p.155. Ælianus lib.7.c.19. Animal. inter timidas feras numerat hinnulos, capreas, damas, lepores &c. pygargos. FATI SORTE PARI] tam validè fortiterq; concurrentes, vt ambæ conciderint stupentibus venatoribus, canibus, spectatoribus. SPECTAVERE CANES) constitêre canes, cùm viderent damas in mutuam necem sponte ruere: venatore opus non erat, qui agitaret, aut ferro conficeret damas. CVLTRO] Venatorio. Venatores enim duplici telo aduersus grandiores feras vtebantur, venabulo, quo sustinebant feram, altero minore interficiebant. Mart. lib.14. Venabula.

Excipient apros, expectabuntq; leones,
Intrabunt vrsos, sit modò firma manus.

Et idem ibidem culter venatorius.

Si deiecta geres longo venabula rostro,
Hic breuis in grandem comin[illegible] ibit aprum.

Huius facit mentionem Suet. in Aug. cap 13 de lixa. quem deprehensum ait cultro venatorio cinctum. NIL SVPERESSE SVO] nam seipsas interfecerant, mutuoque concursu confugerant. VNDE LEVES] conclusio ab admiratione, & comparatione maiorum quibus æquat minora, facitque fortè ad Numen Domitiani factum hoc velut referri, vt libro spectaculorum in fragmentis.

Cæsaris ante pedes supplex similisq; roganti
Constitit, & prædam non tetigere canes.

LEVES ANIMI] timidi, molles tanta fuêre concitati rabie, vt in mutuas mortes concurrerent. SIC PVGNANT TAVRI] cùm committuntur, numine Domitiani impulsi. sic gladiatores in arena, in mutua vulnera, cædemque totis viribus incumbunt, & pariter sæpè cadunt.

Ad Olum.

XXXVI. XXVIII.

Cana est barba tibi: nigra est coma: tingere barbam
Non potes, hæc caussa est: sed potes Ole comam.

Olus iuuenis videri volebat, & canam comam infecit nigro calore, sed barba quæ tingi non poterat senem ostendebat aut si barba tincta fuit haustibus tamen & poculis irrigata abluit fucum. Medea celebratur ab inuentione capillorum fucandorum, cuius postea, velut discipula, imitatrix fuit Cleopatra. Postremò ad viros etiam transiit. Hinc ridet Lucilius anum capillos tingentem, & iurat nunquam futurum, vt ex Hecuba fiat Helena. Ridetur item & exploditur [illegible] ab Archidamo Rege Lacedæmoniorum, fuco canos tegere conatus. Antipater Philippi Macedonis amicus ex iudicum albo erasus est, quòd capillos pariter & barbam fucaret, quòd dicerent in crinibus infidum, nihilo fideliorem in rebus gerendis fore. Philippi Magni maior filius conspicatus senem fucare comam, ne comam, inquit, tingas, sed si potes genua. nempe senio iam labentia; sic noster suprà in Lentinum.

Mentiris iuuenem tinctis, Lentine, capillis
Tam subitò coruus, qui modò cygnus eras.

Et lib.6. ep.57. & ep.74. Ab Aristophane Lysicrates carpitur. à Propertio Cynthia. Plura de his capillorum pigmentis. & figmentis scribit Iunius de coma, cap.6. Casaubonus ad Theophrasti charact. cap. περὶ ὀψιμαθίας. Quod autem Poeta noster dicat. TINGERE BARBAM NON POTES] mirum videri possit, cùm legamus quosdam & barbam infecisse quamuis non Romanos. Sed neque Romæ moris fuisse, nec artificium tam commodè tegi potuisse, vt falleret spectatores, immò & raso fuisse mento, nec barbam aluisse illo passim æuo, eoque minùs infici potuisse. Hanc vltimam caussam laudat Musambertius. Nec videtur inepta, sed aptiorem adhuc quæro pertinde enim etiam nigram, si rasa fuisset tingere non poterat. Mirum quod Arrianus de Indis barbas fucare solitis. Barbas inquit, variis quoq; coloribus fucare Nearchus scribit: vt aliis quam maximè alba appareat aliis fusca, aliis rubea aliis purpurea, aliis viridis. Parthius lib.36.c.3. docet quo pacto barba possit nigra reddi. Quatuor inquit integros dies ouum coruinum oleo mixtum labris sustinendum erit, vt pilis canis abrasis subnascantur nigri alij, atq; os homini in vmbra perlinendum, ibiq; permanendum donec pigmentum exsiccasset.

Ad

Ad Afrum.

XXXVII. XXIX.

Centum Coracinus, & ducenta Mancinus,
Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus.
Decies Sabinus, alterumq́ Serranus.
Ex insulis, fundisq́ tricies soldum,
Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi.
Totis diebus, Afer, hoc mihi narras:
Et teneo melius ista, quàm meum nomen.
Numeres, oportet, aliquid, vt pati possim:
Quotidianam refice nauseam nummis.
Audire gratis, *Afer*, ista non possum.

Lege ep. 44. lib. 2. ad Sextum.

Auarum vel ostentatorem vt vult Ramir. imò vt ego vtrumque; nihil enim dedit, describit Afrum. CENTVM CORACINVS] Coracinus, Mancinus, Sabinus, Serranus, nomina sunt Debitorum Afri, quos ideo numerat, vt ostendat multa quidem sibi deberi, sed nihil propè possidere, eoque nihil posse donare Martiali, à quo timebat, ne posceretur pecuniam, vel dono vel mutuo. Sed & contraria potest esse sententia, & inanis stultaque opum commemoratio & ostentatio, quam reddit odiosiorem auaritia, dum nihil amicis largitur, immò ad inuidiam eorum sua bona enumerat. CENTVM, DVCENTA, TRECENTA] Adiunge singulis, millia sestertiûm. DECIES] centena millia sestertiûm; hoc est, viginti quinque millia Philippæorum. EX INSVLIS FVNDISQVE TRICIES SOLDVM] tricies centena millia sestertiûm integrè id est, septuaginta quinque millia Philippæorum. EX INSVLIS] Insulas hic intelligo non primaria notione, sed secundaria. Insulæ enim dictæ quasi in solo sitæ, quæ vndequaque mari ambiuntur. Inde domus in ciuitate, quæ solæ stant, & seiunctæ ab aliis. Sic enim Festus & alij definiunt. Insulæ sunt dictæ, propriè, domus, quæ non iunguntur parietibus cum vicinis, circuituque publico, aut priuato cinguntur. hoc intellectu accipe insulas P. Victoris, Sexti, Rufi, Onuphrij, & aliorum in descriptione vrbis. Quanquam sub imperatoribus (vt Heraldus obseruauit) quæuis ædes locatitiæ insulæ appellarentur. Glossę Insula [Greek illegible]. Iam Insularius [Greek illegible], pensionum flagitator, & collector Domuum insularum, locatores. Has ab Afro locatas credo, nobilioribus ciuibus, vti & villas, & agros, ex quibus tricies centena millia sestertium plena integraque (hoc enim est solidum, id est, solidè integrè) accepit. sic enim lib. 1. ad Galenum auarum dixit.

Non plenum modò vicies habebas.

Alias solidus apud Romanos erat aureus, & aureus solidus valebat centum sestertios, vel viginti quinque denarios, seu drachmas, ita vt denarius hoc loco ponatur pro quatuor sestertiis. Lege Hostum lib. 5. cap. 6. de solido aureo. Sed de hoc solido hic non locus. Nam solidus pro aureo ante tempora Alexandri Seueri, Latinis auctoribus non fuit in vsu. solidum soluere dixit Cicer. pro Rab. id est, integrum. *Argentarius ab argentario solidum petit.* Quinctil. id est, integrum. EX PECORE REDEVNT] Ex vectigali pecuario Parmensi quotannis accipio sexcenta millia sestertium, hoc est, quindecim millia Philippæorum. NVMERES OPORTET] soluas, des aliquid, vt molestiam compenses, quam patior, cùm hæc centies cogor audire, vt in posterum patientius audiam. nam quis hæc toties gratis audiat?

An erat Publicanus, Afer, pecuarius, & Decumanus. Vt nihil das mutuum, dona sis aliquid ad redimendam audiendi molestiam.

Ad Charinum.

XXX. XXXIX.

Argenti genus omne comparasti,
Et solus veteres Myronis artes,
*Solus * Praxitelis manus, Scopæque,*
Solus Phidiaci toreuma cæli,
Solus Mentoreos habes labores.
Nec desunt tibi vera Glaniana,
Nec quæ Callaico linuntur auro,

* Praxitelis πραξιτέλης.

Nec

Nec mensis anaglypta de paternis.
Argentum tamen inter omne, miror
Quare non habeas, Charine, purum.

Charini os verberat hoc epigrammate. GENVS OMNE] cœlatum & elaboratum genus est. mox subiicit formas, cùm dicit Myronis, Praxitelis. Nomina sua suis operibus memoriæ caussa inscribebant nobiles artifices, quod præter Senecam c.1. de Tranq. Vitæ & Consol. ad Albinam, ostendit Cicero Tuscul. Q. l.1. de Phidia, qui cum vellet nomen suum Mineruæ, quam Atheniensibus ex ebore, & auro faciebat, inscribere, idque locatores prohiberent, seipsum, hoc est, similem sui speciem inclusit in Clypeo Mineruæ. Idem Val. Maximus narrat. *Phidias Clypeo Mineruæ effigiem suam inclusit, quâ conuulsâ, tota operis colligatio solueretur.* MYRONIS] Myro Eleutheris natus, floruit Olymp. 87. Ageladis discipulus, quem opera multa facientem BVCVLA, maximè celebrauit, in quam lib. 4. Anthol. supra triginta extant epigrammata, pleraque versa ab Ausonio, Alciato, Henrico, Stephano, Vrsino, Velio, aliis. De Myronis operibus, Plinius lib. 4. c. 8. PRAXITELIS] Praxitelus emendat Scriuerius è Græco πραξιτελης secundo. Praxiteles Olympiade centesima quarta vixit, Venere marmorea Gnidia, & ænea nobilitatus: cuius opera recenset Plinius lib. 34. cap. 8. De Venere Praxitelis, Lucianus de amorib. Athenæus lib. 13. Val. Max. Anthol. li. 4. cap. εἰς ἀγάλμ. θεῶν, καὶ θεαινῶν. SCOPÆQVE] Scopa, vt Pausanias narrat in Arcadibus, Parius fuit, & Marmorarius insignis. De quo M. Tull. *Scopæ laus cum Praxitele, & Phidia certauit.* Anthol. lib 4. cap. eod. εἰς θεῶν ἀγάλ. Plin. lib. 34. cap. 8. alij. PHIDIACI TOREVMA COELI] Phidias Princeps statuariorum Atheniensis, vixit Olympiade octogesima tertia, ad annum Vrbis conditæ trecentesimum circiter, vt Plinius lib. 34. c. 8. scriptum reliquit; illius opera pluria scriptorum monumentis commendantur, sed Olympum propè conscendit Iupiter Olympius ex ebore & auro, vt Plinius testatur, non Minerua, vt Budæus ex Plinio conatur ostendere. sed alij ebur, & aurum ad Mineruam referunt, vt Plato, qui in Hippia docet, quæ membra ærea, quæ eburnea fuerint. Thucydides auri pondus lib. 2. proponit. De hac re Aristophanes in Pace & Scholiastes eiusdem. Lucianus eius Lemniam anteponit omnibus, de qua Pausanias in Atticis. Ouid. 4. de Ponto Plinius, Strabo, Anthol. lib. 4. TOREVMA] est opus cœlatum, cuiusmodi sunt pateræ, crateres, &c. torno fiunt, vt quidam tradunt. redi ad lib. 3. epigr. 35.

Artis Phidiacæ toreuma clarum.

COELI] Cælum aurificum & argentariarum stilus, scalprum, & calamus, quo cœlant imagines, feras, &c. Statius Sil. 4.

Hic tibi, quæ docto multùm vigilata Myroni
Æra laboriferi viuant, quæ marmora cælo
Praxitelis——

SOLVS MENTOREOS HABES LABORES] Diximus copiosè de hoc lib. 3. epigr. 41. NON DESVNT TIBI * VERA GLANIANA] Graniana habet Domitius, qui à Granio auctore seu sculptore dicta putat, vt alia Clodiana. Furniana apud Plinium lib. 33. c. 10. sic ista Graniana, sed cùm plerique legant Glaniana; Glanias autem seu Glanius sit fluuius Latij, Liris appellatus seu Linternus, fieri potest, vt Glaniana à loco dicantur, & fluuio. Quid si legendum Gratiana, vt est apud Plinium cap. dicto? Sed placet Musambertius, Glaniana, Graniana, Furniana ab officinis & tabernis Glanij, & Furnij dici. Possis tamen cum Scriuerio è Plinio legere Grantiana vel Gratiana ab auctoribus & cælatoribus ita appellata. NEC QVÆ CALLAICO] Vasa Callaica sunt Phialæ celatæ auro addito, de quib. infrà Martial. l. 14. *Quamuis Callaico rubeant generosa metallo,*

Glorior arte magis. nam meus iste labor.

* V. * Vasa.

Callaicum aurum dicitur Hispanum aurum, nam Callaici, siue Gallaici Hispani, Gallis finitimi, qui & Callæci. Sipontinus ad ep. 64. Domitium à Merula reprehensum prætereo. Etsi nec Merula satis disertè. Sed non abs re Sipontinus. cui suffragatorem addo Ouid. Fast.

Tum sibi Callaico Brutus cognomen ab hoste
Fecit, & Hispanam sanguine tinxit humum.

Callaicum ergo metallum Hispanicum. NEC MENSIS ANAGLYPTA] Anaglypta sic describit Plinius lib. 33. cap. 11. *Nunc anaglypta in asperitatemq; excisa circa linearum picturas quærimus.* Sunt igitur & hæc pocula cælata. ἀναγλύφω enim græcè cœlo, sculpo valet: ἀνάγλυφα ποτήρια sculpta cælata pocula, sicut & ἀνάγλυπτα. ARGENTVM TAMEN INTER OMNE] In promptu causa est. Charinus impurus erat, & quidquid tangebat, impurabat, quod & alia epigrammata produnt. lib. 1. lib. 6. &c.

In Postumum.

XL. XXXI.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Pratu-

Prætulimus tantis solum te, Postume, regnis :
Pauper eras, & eques, sed mihi consul eras.
Tecum ter denas numeraui, Postume, brumas :
Communis nobis lectus, & vnus erat.
Jam donare potes, iam perdere, plenus honorum,
Largus opum : expecto, Postume, quid facias.
Nil facis : & serum est alium mihi quærere regem,
Hoc fortuna, placet? *Postumus imposuit.*

Amicus vetus, postquam factus est beatus, veteris amici est oblitus; hoc queritur Poëta sub ficto nomine Postumi. ATRIA PISONVM] Pisonum clarissima fuit semper familia Romæ, & doctorum virorum cultrix. Originem duxit à Numa Pompilio secundo Rege Rom. quod nummus ostendit, in cuius antica parte Numæ nomen est expressum, in postica Cn. Pisonis pro quæstore, & nomen & caput. Hinc Pisones dicuntur ab Horatio art. Poët. quam eisdem inscripsit, Pompilij sanguis. Sensus distichi est, patebat mihi domus illustrium Pisonum, ad amicitiam, & patrocinium conciliandum, patebat & Senecarum, sed hos tibi cunctos vni posthabui. Piso coniurarat in Neronem conscio Seneca. hinc interfecti ambo. CVM STEMMATE TOTO] Ceris & imaginibus nobilitato: expressimus lib. 2. ep. 90. ad Quintilianum, vbi de atriis & stemmatis leges, quæ sunt ad hunc locum opportuna. ET DOCTI SENECÆ TER NVMERANDA DOMVS] ob tres fratres, vt rectè Delrius exponit, Senecam, Nouatum, & Melam seu Mellam: non (vt Domitius & Iuunius volunt) tres illi Senecæ fuerunt Rhetor, filius Rhetoris, & Nepos Lucanus ex Mela; sed tres filij Senecæ Rhetoris cuius fuit obscurior fama, filij tres clarissimi, Seneca philosophus, & tragicus Neronis formator, Gallio seu Nouatus, & Mela. Lege quæ ad librum primum epig. ad Licinianum. Vnde scriptores, enarrauimus. Gyraldus etiam nobiscum facit. Meursius lib. de luxu Romanorum cap. 12. Versum hunc non refert ad tres diuersos Senecas, vt Delrius, & Lipsius, sed ad domum ex tribus continuatam, ita vt tres domos vna contineret, coniungebant enim ea tempestate binas, & ternas, vt magnificentius habitarent. Tam enim laxè ædificabant, vt vrbium ritu ædes ponerent, quarum maximus auctor ipse fuit Nero, qui Romam ferè totam in domum suam redegit: *Roma domus fiet: Veios migrate Quirites.* Non displicet hæc interpretatio, agit enim Martialis in hoc carmine de diuitibus, & pauperibus, vt ex proximè subiecto, carmine cognoscis. *Prætulimus tantis solum te Posthume regnis.* Censeo tamen à poëta simul, & ad trigeminos Senecas allusum & trigeminas vnius ædes vnas respectum, omnes enim erant copiosi, & potentes. PRÆTVLIMVS TANTIS SOLVM TE] Pauperem te, & non Patricium, vt Pisones, sed equitem, anteposui & nobilioribus, & ditioribus, neque tamen secus colui, atque consulem aut consularem: amor enim aduersus te mihi loco honorum & opum fuit. TECVM TER DENAS] Enumerat argumenta veri amoris sui erga Postumum, primum erat, quòd potentioribus & nobilioribus tenuiorem, & inferiorem anteposuerit. Alterum quòd ab ineunte ætate, Postumum coluerit triginta ipsos annos. Ter denæ brumæ triginta sunt anni. COMMVNIS NOBIS LECTVS] Serius triclinarem non cubicularem lectum intelligit. Tertium à contubernio & conuictu. IAM DONARE POTES] Iam experiar, an eadem tu me fide, & fœdere colueris, ac amaris, quo te ego an verò tantum simulâris amicitiam. Iam tibi copia est dandi & donandi, ac perdendi aliquid amici causa. Notauit in Parerg. lib. 1. c. 2. Scipio Gentilis donare, ac perdere æquiparari in Iur. Romano, quod ex Vlpiano, Horatio, & Martialis epig. 44. lib. 5. docet. Extra fortunam est quidquid donatur amicis. Poterat melius lib. 4. ostendere, vbi disertè donare, & perdere coniunguntur. NIL FACIS] Nil das, & ego iam amicos, aliosque reges seu patronos non inuenio; nouus enim amicus, nouus nummus. HOC FORTVNA PLACET] Conclusio ab indignitate. Cur me fortuna, beasti Postumum, quem tam insolentem, & ingratum futurum nôras? sibi mandragoram & Lethen, obliterauit memoriam omnem omnium officiorum & amicitiæ, imposuit mihi & tibi, beasse non debueras, aut beatum rursus perdere. Geminum huic est lib. 1. ad Scæuolam, ep. 104. & lib. 2. ad Candidum.

De ead. re est Ouidij eleg. 3. 4. de Ponto ad dissimulantem amicitiam.

Das tibi diuitias : ex quid sunt illa duorum :
Das partem, multum est. Candide das aliquid?
Mecum ergo miser es. quod si Deus ore sereno
Annuerit, felix, Candide, solus eris.

Et lib. 2. epigramm. 43.

Ex opibus tantis veteri fidoque sodali
Das nihil, & dicis, Candide, κοινὰ φίλων.

IMPO-

Procopius lib.2.de bello Gothico prope incredibilia narrat de huius montis admiranda tempestate; tantos enim & tam altos cinerum globos elatos, vt vento Constantinopolim vsque nubes illa deferretur. Sed vniuersum hoc incendium, eiusque exordium, incrementa, mugitus, sonitus, fremitusque accuratissime descripsit, Secundus ad Tacitum lib.6. epistol.16. & 20. vbi & auunculi mortem, & suum periculum, & totum loci excidium depingit. De eodem Vitruuius li.2.c.6. Et Philander, Torrentius, ad Suet. Titum. Tertullianus Apolog. cap.8. * Minucius Fœlix in Octauio, Pacianus de Pœnitentia, Lactantius de ira Dei, cap 23. Et nuper in Herculis Prodico, Pighius, Catanæus, Cælius Rhod.lib.15.c.15. copiose præter eos, quos supra adduximus. Plinius vero lib.2.c.106. omnes orbis terrarum montes flammas vomentes enumerat, inter quos tamen hic non est. Primum reor tum erupisse, cum ille extremum diem attulit. NEC SVPERI VELLENT.] Etiam superi dolent super hac clade, qui noluissent se tantum posse, quantum in rerum natura possunt.

* Forte 48.

Ad Phœbum.

XXXIV. XLV.

Hæc tibi pro nato plena dat lætus acerra
Phœbe, Palatinus munera Parthenius,
Vt qui prima nouo signat quinquennia lustro,
Impleat innumeras Burrus Olympiadas.
*Fac rata vota patris, sic te tua diligat * vxor,*
Gaudeat & certa virginitate soror.
Perpetuo sic flore mices: sic deniq; non sint
Tam longæ Bromio, quam tibi Phœbe, comæ.

* Arbor.

Burri quinquennis Parthenii filii natalem celebrat. HÆC MVNERA DAT TIBI] hoc tus adolet tibi, Phœbe, tuus Parthenius, de plena acerra, liberali manu pro salute filii sui. ACERRA] ara fuit, vt Festus docet quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Alii arculam turariam, in qua tus reponebant, acerram aiunt dictam. Glossarium vetus acerra turaria λιβανωτρίς. Et hoc intellectu hic vsurpatur, sic tamen vt acerra ponatur synecdochicῶς, pars pro toto, acerra pro toto sacrificio. PHŒBE] quare Phœbo? quia nec semper iuuenis, & imberbis Phœbus, & perpetuo flore micans, vt ait noster Poeta, vt illi merito iuuentus commendetur? MVNERA] sacrificia, libamina. PALATINVS PARTENIVS.] Domitiano à cubiculo, qui Parthenio ius gladii ferendi dedit, à quo tamen cum Maximo, & Sigerio liberto, & Stephano Domitillæ procuratore, vt in Domit. Xiph. narrat per insidias confectus & interfectus est. Suet. & Zonaras. PALATINVS] dicitur, quia in palatio seruiebat Cæsari. SIGNAT QVINQVENNIA] Vt Burrus filius Parthenii quinquennis, qui iam alterum lustrum incipit, hoc est, sextum annum, viuat infinitos annos. OLYMPIADAS.] Olympias non est spatium quinque annorum, vt lustrum, sed quatuor, ita vt quinto anno, quadriennio exacto celebrarentur Olympici ludi. De Olympiadibus alibi copiosius disseremus. FAC RATA VOTA PATRIS] Phœbe damna votis Parthenium, vt superstes sit filius; sic te tua Daphnis Penei filia in laurum versa, Phœbe, diligat, quam tu vxorem cupiebas, vt est apud Ouid. primo Mutat.

——At quoniam coniunx mea non potes esse
Arbor eris certe dixit mea——

GAVDEAT ET CERTA VIRGINITATE SOROR.] Diana venatrix æterna Virgo soror Apollinis Latonæ proles. De virginitate illius scribit Callimachus in hymnis, Ouid. in Met. Lege Natal. Myth. lib.3.c.18. PERPET. SIC FLORE MICES.] Iuuenili vultu comatus tamen & crinitus fingebatur, suaq; Cæsarie gloriebatur. Ouid.

Nondum laurus erat longoq; decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

Et idem:

Vtq; meum intonsis caput est iuuenile capillis.

Præfuit capillitio, cui & primitiæ capillorum sacrabantur, vt alibi didicisti. Iunius plura, de coma. BROMIO.] Nam & Bacchus gloriabatur æterno flore iuuentæ. Ouid. 4. Mutat.

——tibi enim inconsumpta iuuentus,
Tu puer æternus, tu formosissimus alto
Conspiceris cælo, tibi, cum sine cornibus astas,
Virgineum caput est——

En virgineum, inquit, caput ergo imberbe, ceruix tamen crinita. certare igitur ista duo numina crinium decore videbantur. Hinc Poeta Phœbum optat in certamine Victorem.

De Parthenio Pomponius lib.41. de hered. institu. Marcell. li.15. Tertull. Apol. Aurelius Victor Nerua Orosius lib.7. à quo vocatur Spado, non quod esset eunuch. sed à militib. abscissis genitalibus interfectus. Adde Philostratum in Vita Apollonij. Sidonium epist.7.lib.5.

De Sabello.

XLVI. XXXI.

Saturnalia diuitem Sabellum
Fecerunt. merito tumet Sabellus:
Nec quemquam putat esse, prædicatq;
Inter caußidicos beatiorem.
Hos fastus, animosq; dat Sabello
Farris semodius, fabaq; fressa,
Et turris, piperisq; tres selibræ,
Et lucanica ventre cum falisco,
Et nigri Syra defruti lagena,
Et ficus Lybica gelata testa,
Cum bulbis, cochleisq; caseoque.
Piceno quoque venit à cliente
Parca cistula non capax oliuæ,
Et crassa figuli polita cœlo
Septenaria Synthesis Sagunti,
Hispanæ luteum rota toreuma,
Et lato variata mappa clauo.
Saturnalia fructuosiora
Annis non habuit decem Sabellus.

Sabelli Caussidici inopes ridet opes. Simulque Caussidicorum plorumq; miseram sortem in persona Sabelli Caussidici ostendit, quod & Iuuenalis Satyr. 7. Plin. epist. 2. ad Maximum, Apul. li. 11. Miles Plautus Pæn. act. 3. scen. 1. & altera, Ouid. 1. El. 15. Noster lib. 5. epigr. 85. lib. 6. epigr. 52. Sed non omnes linguam gratis collocabant. Aliter enim ipse Martial. lib. 1 epig. 44. lib. 2. epig. 30. lib. 8. epig. 16. Plutarchus de Cic. Iust ad Traian. Cic. lib. 2. de Orat. li. 1. ad Atticum epist. vlt. alii. SATVRN. DIV. SABEL. FECE.] nam xenia mittebantur amicis Saturnalibus, vt l 13. exposuimus. TVMET] ob munera, & xenia quæ iactat FARRIS SEMODIVS] Far xenii loco mittebatur. Mart. lib. 13.

Imbue plebeias clusinis pultibus ollas,
Et satur in vacuis dulcia musta bibas.

Vbi de farre copiosi fuimus Faba fracta ita parabatur, vt scribit Platina Crem. lib. 7. *Tamdiu in aqua sines donec &c.* SEMODIVS] pars dimidia modii. Modius mensura erat aridorum, vt semodius, sextarius. hemina, acetabulum, cyathus, ligula liquidorum & aridorum. Modius libras 26. & vncias 8. capiebat; semodius ergo libras tredecim, sextarios octo, vncias 4. Lege Phil. de mensuris & ponderibus. FABÆQ. FRESSÆ] molitæ, fractæ, Columella, Plinius; fiendere enim est frangere. ET THVRIS PIPERISQ.] De thure & pipere in xeniis ep. 4. & 5. cognosces. De pipere scribit etiam Athenæus lib. 2. c. 28. & Dioscorides præter Plinium & alios. SELIBRÆ] selibra est semilibra, tres selibræ sunt sesquiliora, id est, vna cum dimidia. amant vero hoc genus loquendi cum Græci, tum Latini. Pollux, φίλοι ἢ τοῖς ἀρχαίοις, καὶ τὸ ἐν ἥμισυ τάλαντον τρία ἡμιτάλαντα λέγειν. *Solent veteres talentum & semis per tria dimidia efferre.* Quod Casaubonus ad Theophrasti characteres ex Hippocrate, Platone, Xenophonte, Athenæo, Dioscoride, aliis confirmat. Apud Latinos Impp. in Cod. Theod. *Sex similiqua* pro tribus siliquis. Augustus in testam. *Ex parte dimidia & sextante* pro besse. Monet idem docte, huic loquendi generi simile esse, plane tamen significatione diuersum. si dicas τρίτον ἡμιωβόλιον, id est, duos obolos semis, & sestertius nummus seu sestertius pes. id est. duo asses & semis, duo pedes semis. vbi & Volfium Demosthenis interpretem hæc perperam intelligentem docet litteras. c. περὶ ἀποτροίας. ET LVCANICA.] De Lucanica Mart. 13. epig. 35.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niueis grata corona datur.

Vbi plura de Lucanicis farciminibus. FALISCO] etiam Papinius coniungit Lucanicas cum

faliscis

faliſcis ad Plotium; Non *Lucanica*, inquit, *non graues faliſci.* Faliſci Faliſcorum Tuſciæ oppidum eſt, Hirpas Solinus vocat. Haleſci dicebantur olim Ouid.

Venerat Atride fatis agitatus Haleſus,
A quo ſe dictam terra Faliſca putat.

Venter ergo Faliſcus porcinus, ſuillus in Faliſcis primum in cibum paratus: Quo pacto fiant, quæ inteſtinis ingerantur, leges apud Cælium Apicium lib. 2. de re cul. c. 6. Platinam Cremon. lib. 6. tit. Lucanicæ. Athenæus lib. 9. Lucanicas Iſicia ex Vlpiano nominat, vti & Arnobius & Macrobius lib. 2. c. 8. ex Alexandro Aphrodiſio Problem. 22. lib. 1. qui ἴσικον appellitat. Caſaubonum ad lib. 9. Athen. lege. Lampridius in Heliog. Iſicia ex piſce primum inuenta Heliogabalo tribuit, itaq; nominat. ET NIGRI SYRA] Defrutum vinum eſt muſto ad dimidias decocto. Athenæo ἕψημα τῦ ἐγχύματα γλυκὺς, vel γλυκείας. Aliud genus defruti eſt muſto ad tertias decocto, & vocatur ſapa, Græce σιραῖον, prius hic intelligit Martialis, nam quod Domitius ait ſapam exprimi, cum dicit Poeta, Syra, id abs re eſt. Nam & σίραιον dicitur primamq; tendit. Plin. lib. 14. c. 21. *Ipſa quoq; defruta, ac ſapas, cum ſit cælum ſine luna, hoc eſt in ſideris coitu, neq; alio die coqui iubent, &c.* Idem c. 14. *Nam ſiræum, quod alij hepſema, noſtri ſapam appellant, ingenij, non naturæ opus eſt, muſto ad partem tertiam menſura decocto, quod vbi factum ad dimidiam eſt, defrutum vocamus.* De defruto ſic Papinius lib. 4. Sil. ad Plotium:

Dulci defruta vel lutoſa Cano.

SYRA] Lagena vitrea. nam vitrum in Syria inuentum, vt Plinius lib. 31. c. 26. planiſſime docet, quidquid contra Domitius. Syrus enim & Syra non ſignificat ſapam, ſed ſiræum. ET FICVS LIBYCA GELATA.] Ficus aliæ ſunt æſtiuæ, aliæ hybernæ. De hibernis hic loquimur. Cato Africanas primus appellauit, cauſamq; belli Punici tertii ex pomo Africano, ſeu fico in ſenato Romano, pro pridie Carthagine dempta præbuit. Saguntinas vocat hibernas. De Mæſianis ita ſcribit Plin. lib. 15. c. 18. *Sunt & hiberna quibuſdam Prouinciis ficus Maſia, ſed artis, non natura. Paruarum genus arborum, poſt autumnum fimo conteguut, deprehenſaſq; in his hyeme groſſos: qua mitiore cælo refoſſa cum arbore ſimul atq; in lucem remiſſa, nouos ſoles alioſq;, quam quibus vixere, auide tanquam iterum nata accipiunt, & cum venientium flore matureſcunt, alieno præcoces anno in tractu, vel gelidiſſimo.* Ex quibus intelligis omnia, quæ hic à Plinio de Mæſia dicuntur, à Domitio ad Africanas referri. ſed idem forte hibernis Africanis factitatum. Quod & apud nos fieri amat. GELATA TESTA] corio frigidiore & duriuſculo. Quid hic Ramireſius nugetur de vna ficu, cognoſces apud Muſamb. adde bellum eiuſdem Rameſii mendaciolum, cum recentem ficum, à me dictam gelatam ficum ſomniat, cum diſerte de hibernis agi doceam. Teſtam non corium ſeu cutem ficuum ſed figlinum vas interpretatur Scriuerius, quo ficus condebantur & ſeruabantur caricæ inquam, coctana, Damaſcena lib. III. ep. LVIII.

Et multa fragrat teſta ſenibus autumnis

Ep. LXXXVIII. huius lib. *Teſta rubet nec qua coctana parua gerit*
Ep. XVIII. lib. V. *Et acuta ſenibus teſta cum Damaſcenis*
Lib. VII. ep. LII. vbi etiam teſta fico Libycæ attribuitur.

Et Libyca fici pondere teſta grauis

Hæc optime Scriuerius in cuius ſententiam lubens volenſque concedo. CVM BVLBIS] bulborum duplex genus, vomitorium, & eſculentum, antiquis, vt Matthiolus ad Dioſcorid. lib. 2. cap. 166. ſcribit, notiſſimum, hodie prorſus incognitum. Græcis βολβὸς ἐδώδιμος, de quo multa Plinius, Dioſcorides, alii herbarii. Mart. lib. 13.

Cum ſit anus coniunx, & ſint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quam ſatur eſſe potes.

Bulbus ſalax herba. Petronius Satyrico. *Mox cibis validioribus paſtus, id eſt, bulbis, cochlearumq; ſine iure ternicibus.* Vim bulborum Alexis, & Xenarchus apud Athenæum produnt. lib. 2. quo loco multa ex multis de bulbis. Caſaubonus c. 5. lib. 1. Athen. COCHLEISQ.] de Cochleis & caſeis, nihil eſt, quod dicam, cum de caſeis lib. 13. vbertim diſſertatum ſit; Cochleas etiam infantes norunt. qui tamen varia earum genera, eſum, cupedias, luxum in iis Romanorum noſſe percupit, Dioſcoridem legat c. 9. lib. 2. Matthiolum, Plin. lib. 9. c. 65. Galenum lib. 11. ſimpl. med. Athenæus lib. 2. fuſe de his, & fuſius Caſaubonus 21. c. qui genera & prouerbia ſeu dicta inde, narrat.

PICENO QVOQVE VENIT A CLIENTE.] De oliuis ex agro Piceno, quæ lib. 13. diximus repeties ad hunc verſum Mart.

Hæc, quæ Picenis venit ſubducta trapetis,
Inchoat, atq; eadem finit oliua dapes.

Hic extenuat munus. Ciſtellam enim tam anguſtam fuiſſe iocabundus dicit, vt vix paucarum oliuarum capax fuerit. ET CRASSO FIGVLI.] De vaſis Saguntinis Plinius lib. 35. c. 12. *Retinet hanc* (vaſorum) *nobilitatem, & Aretium in Italia, & calicum tantum Surrentum, Aſta, Polentia, in Hiſpania Saguntum, in Aſia Pergamum.* Genus ergo poculi ſyntheſis hoc loco (aliàs veſtis genus, vt alibi dictum eſt) & poculi figlini, ex argilla facti, non admodum præſtantis aut cari; quod lib. 14. Martialis docet epiſt. 186. *Quæ non ſollicitus teneat ſeruetq; miniſter,*
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Et hic crasso cœlo polita synthesis, rudi Minerua, materia vili. SEPTEN. SYNTHESIS] ineptæ sane Lugdunenses notæ ex Domitio aliud dicente, synthesis vas capiens septem quincunces, Domitius cum Septenarium exponit capacem septuncis, & recte: si enim septem quincunces vnicum poculum cepisset, maius fuisset, quam frugalitas Romanorum tolerasset. Septunx autem est calix septem Cyathorum capax; duodecim autem cyathi sextarium implent. Sextarius est media mensura, aut paulo amplius; nisi septem pocula Saguntina malis cum Turnebo intelligere, quod non displicet, vt ad synthesin vestem alludat. HISPANÆ LVTEVM ROTÆ TOREVMA] synthesis, quæ fuit figuli Hispani, seu Saguntini torno facta. ET LATO VARIATA.] Mappæ ad limbum purpureis clauis variari solebant. Bayfius; mappæ hic dicuntur linteola mensaria, seu mantilia, quibus inter cœnam manus abstergebant, erant aurea nonnunquam, vel coccoclauata, vel aureata, Lampridiū in Alexandro, Vopiscum Tacito, Capitolinum Gallien. Fuluium Vrsinum Append. ad Petri Ciaconii triclinium, &c vide De tunicis laticlauiis dicemus lib 6. & iam supra aliquid attigimus. SATVRN. FRVCTVO.] Epiphonema cum irrisione cum hæc omnia, quæ enumerauit, munera fuerint leuissima, & Sabellus nunquam maiora, deteriora semper acceperit, vides quam fuerit beatus & copiosus.

De Phaëthonte.

XLVII. XXXVI.

Encaustus Phaëthon tabula depictus in hac est.
Quid tibi vis, dipyron qui Phaëthonta facis?

Encausto pingendi duo fuere genera antiquitus, cera & in ebore, cestro, hoc est, viriculo, donec classes pingi cœpere; hoc tertium accessit resolutis igni ceris penicillo vtendi, quæ pictura in nauibus nec sole, nec sale ventisque corrumpebatur. Ceris autem pingere, & picturam inurere fertur primus tentasse Aristides. Deinde Praxiteles, qui artem perpoliuit. Alii referunt inuentionem ad Polygnatum Nicanorem & Archesilaum Parios. Lysippus Æginæ picturæ suæ inscripsit ἐνέκαυσεν. Pamphilus Apellis præceptor artem encaustices docuisse primus traditur Plinius lib. 35. cap. 11. ENCAVSTVS PHAËTHON] pictus & inustus encausto. DIPYRON QVI PHAETHONTA FACIS?] Alludit fabulam & casum Phaëthontis, cum fulmine ictus & flammatus in Eridanum, seu Padum est præceps actus. & nunc iterum quasi eundem casum subiit, cum encausto pictus est inustus, eoque merito Dipyros, id est, bis vstus dici potest; sæuum ergo videri posse pictorem, qui iam vstulatum vrat denuo miserum Phaëthontem. iocus est, vt ille de Troia:

Carmina Iliaci libros consumpsit asellus.
Hoc fatum Troiæ est, aut equus aut asinus.

Ad Flaccum.

XLIX. XXXVII.

Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce:
Qui tantum lusus illa, iocosque putas:
Ille magis ludit, qui scribit prandia sæui
Tereos, aut cœnam, crude Thyesta, tuam.
Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas,
Pascentem Siculas aut Polyphemon oues.
A nostris procul est omnis vesica libellis:
Musa nec insano Syrmate nostra tumet.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant.
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt.

Epigrammata non nugas agunt, sed res veras tractant. ILLE MAGIS LVDIT] Illi, inquit magis ludunt & iocantur, qui tragœdias scribunt, & fabulas. De Tereo & nos alibi diximus, & tute leges apud Ouid. 6. Met. Strab. lib. 9. Virgil. in Sileno, Homer lib. Odyss. 7. Sophoclem Elect. Pausaniam in Atticis Mytholog CRVDE THYESTA.] De Atreo & Thyesta lib. 3. ep. 45. narrauimus. AVT PVERO

PVERO LIQVIDAS] Fabula Tyrunculis etiam Musarum protrita, quam Ouid. 8. Met. elegantissime describit. Natalis comes Mytho. lib. 7. c. 6. Vberius etiam, quam erat necesse, est prosecutus. Ego verbum non amplius addo. PASCENTEM SICVLAS.] Et hæc fabula nullo indiget Oedipo, cui enim monstrum illud horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum, ignotum? Homerus Odyss. Virgil. Æneid. Ouid. Met. Lucianus, Mythologi, Theocritus, Hesiodus, sexcenti alii, Pausanias, Tzetzes. A NOSTRIS PROCVL EST.] A nostris epigrammatis abest omnis tumor & vanitas. VESICA] translate hîc pro tumido genere scripti; vt vesica plena venti, & animæ turget, ita carmen vel Heroicum, vel tragicum cothurnatum assurgit & tumet, quod Horat. de Æschylo.

Ouidius crudum Atreū appellauit, id est, crudelem. Polyphemū dicit.

Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.

SYRMA] Vestis tragica à σύρω traho. Ciclas est oblonga, & humum verrens. hîc metaphoricè. insano syrmate, tragico stilo, & Sophoclæo cothurno. Sed humilis est nostra Musa, genus dicendi subtile, & argutum sequitur. ILLA TAMEN LAVDANT OMNES.] Facit loquentem Flaccum, & obiicientem celebrari maxime tragicos & epicos, & esse in summa Romanorum Græcorumque existimatione. CONFITEOR: LAVDANT ILLA.] Ostendit, quo genere scripti lector magis capiatur. illône longo, perpetuo, & regio, an hoc breui, arguto, venusto, subtili, & vsu ipso docet placere magis epigrammata, quam vel epos, vel scriptum in tergo, & nondum finitum Orestem.

Ad Cæcilianum.

XXXVIII. LI.

Cum tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti late, vectus es hexaphoro.
Postquam bis decies tribuit Dea * *cæca, sinumq;*
Ruperunt nummi: factus es, ecce, pedes.
Quid tibi pro meritis, & tantis laudibus optem?
Dij tradant sellam, Cæciliane, tibi.

* *Fortuna.*

Pauper splendide, diues sordide viuebat Cæcilianus: hoc dolet Poeta, qui detestatur auaritiam hominis, & priorem imprecatur paupertatem. SEX MILLIA] sestertiûm, hoc est, centum quinquaginta Philippæi. VECTVS ES HEXAPHORO] sellam, quam sex lecticarii subibant humeris, quod est beatiorum hominum. Iuuenal.

—— sexta ceruice feratur.

POSTQVAM BIS DECIES] quinquaginta millia Philippæorum. DEA CÆCA.] Fortuna. Fortunæ imaginem ad vnguem expressam habes apud Alciatum emblemate 98. & explicatam ibidem à Claudio Minoe. PEDES] copiosus, & diues pedibus incedis, cum antea pauper gestatere. QVID TIBI PRO MERITIS.] Ab imprecatione concludit. Qui beatus beatitate, & fortuna abuteris, imo vti nescis, dignus es, qui redeas ad egestatis infelicitatem, qua te vt superi mactent opto. Videtur illi precare opes; nam opulenti hexaphoro, & octophoro gestabantur, cum contrarium voueat, imo morbos; nam morbidi gestabantur. Cælius Aurel. lib. 1. Tard. c. 5. pass.

In Ædilum.

XXXIX. LII.

De hoc eod. sed Hedylo dicto est ep. lib. 9. 58. Scribendum etiam hic Hedyle.

Gestari iunctis nisi desinis, Ædile, capris:
Qui modo ficus eras, iam caprificus, eris.

Iocatur in Ædilum seu potius Hedylum, quo nomine est apud Athenæum poeta epigrammatarius. ex verbis capris, ficus, caprificus, vt supra ex ἀργὸς & nautæ dixit Argonautæ alio sensu, quam alioqui Argonautæ intelliguntur. Ædilus fici morbo laborabat, interimq; gestabatur ab edoctis, & cicuratis fortasse capris; ominatur inde poeta futurum, vt qui antea fuerit ficus, mox caprificus fiat, ratione tantum syllabarum & vocum, non veræ significationis habita. Ex capris enim & ficus fit caprificus, vt ex argos & nautæ argonautæ. Nec de capris sub iugum ductis incredibile est, cum supra lib. 1. 105. tigres, pardos, ceruos, vrsos, apros, bisontes, &c. iugum subiisse legerimus. Et vero non dissimilia in historicis reperimus. Lampridium in Alagabalo, seu Heliogabalo audiamus. *Canes quaternos ingentes iunxit ad currum, & sic est vectatus intra domum regiam, idq; priuatus in agris suis fecit. Processit in publicum & quatuor ceruis iunctis ingentibus. Iunxit sibi & leones, Matrem magnam se appellans: iunxit & tigres, Liberum sese vocans, &c.* taceo quæ sequuntur. nec fabulas poetarum persequor, olores Veneris, dracones Cereris, pauones Iunonis. Sunt, qui hic capras intelligant, quales Heliogabalus iunxit, indignas scholis nostris, & scholiis. Fieri potest Sellæ pedes seu Atlantes & Telamones in formam Faunorum aut caprarum fuisse effictos, quales hodie etiam spectamus.

Lib. 3. 66.

De caprifico arbore siluestri dictum li. 10. epig. 2.

Ad Cosmum.

XL.

*Hunc, quem sæpe vides * inter penetralia * nostræ*
Pallados, & templi limina, Cosme, noui
Cum baculo peraq; senem: cui cana, putrisq;
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit:
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,
Cuiq; datis latrat obuia turba cibis.
Esse putas Cynicum deceptus imagine falsa?
Non est hic Cynicus, Cosme: quid ergo? canis.

* intra al. * Vestra.

Mordet canem, hoc est, Cynicum Philosophum, eleganſque deſcriptio eſt philoſophi Cynici à cultu eorum. INTER PENETRALIA] in porticibus & propylæis templorum. NOSTER.] Etsi alii ſcribunt Veſtræ, malim tamen hic noſtræ Pallados, niſi aliter interpungas & legas.

—Veſta
Pallados & templi, &c.

Nempe inter limina Veſtæ & limina noui templi Pallados, quod maximè placet. Exemplaria tamen omnia quæ vidi retinent noſtræ. PALLADIS.] Templum Mineruæ Flauianæ à Domitiano conditum intelligit. Reg. 6. ad malum Punicum P. V. 6. Regione & Sextus Rufus de quo lib. 9. 4. & totum epigramma lib. 9. ſecundum. Cynici dicebant ſe Herculi ſimiles, quod vt ille clauam, ſic ipſi baculum ferrent, imo quod totum exprimerent Herculem. Antipater lib. 1. Anthol.

Αἰάζει πήρηπ καὶ ἡεράκλειον ἄεισον
Βεβδυπνιωπί ζει Διογένους ῥοπαλον.

Luget pera & Herculea claua & sordidati Diogenis ſcipio, &c.

Lucianus ἐν Βίων πράσει ἀγρ᾽ ζηλοῖς ἢ τινα; Διογ. τ ἡεραλέα. Imitaris quempiam? Herculem. Laertius in Diogen. τ αὐτὸν χαρακτῆρα & βίυ λέγων διεξάγειν ὅνπερ ἡ ἡεακλῆς, cum diceret eandem vitæ rationem ſequi, quam ſecutus eſſet Hercules. Auſonii epig. 22. & 23. quære. De baculo Cynico eſt illud Lucilii.

Αλλὰ τρίβων πώγωνα ἡ, ἐκ τελόδη ξύλον ἄρεις.

1. Anthol. c. εἰς φιλοσόφυς vbi pleraq; in Cynicos ſcripta.

Hinc vocati ſunt βακτροπροσαῖται, hoc eſt, cum baculo mendicantes. De eo baculo lib. 4. εἰς φιλοσόφυς. Primus enim è Cynica diſciplina pallium duplicatum ferebat Diogenes, vt Laertius in Diogene Cynico refert, quamuis idem Antiſthenem Cynicæ auctorem pallium duplicatum, baculum, peram geſtaſſe teſtetur; teſtatur & hoc Suidas & Ammonius. Pera, ſcipio, & hydria tota ſupellex erat. Auſonius epig. 52.

Pera, polenta, tribon, baculus, ſcyphus, arta ſupellex,
Iſta fuit Cynici, ſed putat hanc nimiam, &c.

Ex illo Græco 3. Anthol. expreſſum.

Βάκτρον καὶ πήρη ἡ διπλοῦν ὕφος σφῦρο, &c.

Talis fuiſſe videtur, qui ab Herodiano deſcribitur in Commodo. πρὶν τι λέγεσθαι ἢ πράττεσθαι ἀπὸ τ σκηνῆς ἀνὴρ φιλοσόφυ φέρων σχῆμα (βάκτρον γὰρ ἦν αὐτῷ μετὰ χεῖρας ἡμιγύμνω τε αὐτῷ ἐκκρεμὴς πήρα) εἰσδραμών, &c. *Priuſquam quicquam diceretur ageretúrq; in ſcenas repentè quidam philoſophi habitu, (manu enim baculum geſtabat, eiq; ſeminudo pera dependebat) curriculo prodiit, &c.* PERA.] Eſt pera ſacculi viatorii genus à collo ad lumbos pendens, quo obſonia feruntur. Cynicorum propria. Mart. lib. 14.

Ne mendica feras barbati prandia nudi,
Dormiat & tetrico cum cane pera rogat.

1. 56.

De eadem pera Cynica Antipater, vt ſupra Αἰάζει πήρηπ, luget & pera. Et lib. 4. πήρη ἡ χλαῖνα &c. Athenæus de coma τ κυνικῶν τρόπον ἔχει κομῶν ἡ ῥυπᾶν ἡ ἀνυποδητεῖν.

Cynico more viuebat, qua comam, qua ſordes, qua nudos pedes. Idem ad ſaſum quendam. *Habeſne, cuius naturam accuſes, quod virum te, non fœminam fecerit?* SORDIDA BARBA.] barbati Philoſophi erant & maxime Cynici. Heraldus lib. 2. Aduerſ. cap. 16. Philoſophos docet barbam & comam abraſiſſe, quod vt verum ſit, ad hunc locum Martialis large exponit. Diogenes rogatus, cur barbam aleret, reſpondit, vt ſe virum eſſe ſubinde recordaretur. Plura ſuper hac re Athen. lib. 13. dip. 5. & Iunius de coma. Contra quoque eſt illud ex Græco 2. Anth. Palladæ.

Hanc Philoſophorũ barbam exagitat Lucian.

Εἰ τὸ τρέφειν πώγωνα δοκεῖς σοφίαν περιποιεῖν,
Καὶ τράγος εὐπώγων εὐσυλ@ ἐςὶ Πλάτων.
Si promiſſa facit ſapientem barba, quid obſtat
Barbatum poſſit quin caper eſſe Plato?

Et illud Herodis Attici apud Gellium lib. 9. c. 2. *Video, ait, barbam, & pallium video: Philosophum non video.* Et Lucillius.

Ἀλλ' ἀπὸ τρίφειν πώγωνα, &c.
Τὴν ἀρετὴν εἶναι φησὶν ὁ πωγωνοφόρος.

Et Ammianus: Οἴει τὸ πώγωνα φρενῶν ποιητικὸν εἶναι
Καὶ διὰ τοῦτο τρέφεις φίλτατε μυοσόβην
Κεῖρον ἐμοὶ πειθόμενος ταχέως· ἀπὸ τοῦ πώγωνος
Φθειρῶν ποιητὶς, οὐχὶ φρενῶν γέγονεν.

Diogenem barba comante fuisse scribit Sidonius Apollinaris. Dimissam porro comam personato Philosopho non indecentem, Cynico pœne necessariam scribunt Lucianus in Cynico: Athen. lib. 4. Brodæus lib. 2. Anthol. Lege Lucilii epigram. lib. 2. c. εἰς φιλοσόφους. CEREA QVEM NVDI] quem Philosophum attrita vestis seu abolla, quæ illi vxoris loco est, tegit, fœdo etiam humore vestis inquinata. VXOR] cum qua & in qua dormit, quã conmingit, &c. A diuturnitate temporis quo illi addita & iniecta manserat vxorem lectuli abollam dixit inquit Barthius lib. 5. c. 16. NVDI GRABATI] lecti nudi inuestis, & pauperis. ABOLLA] pallium, sed iam diu quæro, quid proprie sit abolla, quæue forma eius vestis. Duplicem reperio abollam, sordidiorem vnam, quæ militaris erat; alteram Philosophorum Senatorum, addo & regum. De militari Nonius Marcellus ex Varrone, & ex Nonio Baysius lib. de re vest. Et Britannicus Iuuenalis interpres, vbi de maiore abolla agit illam militari opponit. Non præteriit hanc militarem Alexand. Neap. lib. 5. c. 18. *Tametsi, inquit, hanc militarem, nonnulli Senatorium amictum abollam putant.* Senatoriam insinuat Iuuen. Sat. 4.

——*rapta properabat abolla*
Pegasus, attonitæ positus modo Villicus Vrbi.

Fuit etiam Pegasus Iurisconsultus laudatissimus, idemque præfectus vrbi à Vespasiano. Leg. Tiraquell ad Alexand. ab Alex. De Philosophica loquitur & hic Poeta noster, & Iuuenal. Sat. 3. de quodam Stoico. ——*atq; aud. facinus maioris abollæ.*

Stoicus occidit Baream delator amicum Discipulumq; senex.

Quem locum Britannicus exponit abollam maiorem philosophicam, maioris nempe auctoritatis, quam militaris. Regiæ abollæ mentio est apud Sueton. c. 35. de Ptolemæo, quem Caligula occidit. *Ptolemæum, inquit, & accersitum è regno, & exceptum honorifice, non alia de causa percussit, quam quod edente se munus ingressum spectacula conuertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animaduertit.* Hac abolla Entellum putat amictum fuisse Seruius 5. Æneid.

Hæc fatus duplicem ex humeris reiecit amictum. duplicem amictum, id est, abollam, inquit Seruius, sicut chlamys. Martialis lib. 48.

Nescit, cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
Dum mutat cultus, induiturq; togam.

Ab Antipatro Anthol. li. 2. διπλάσιον dici abollam existimo, id est, pallium duplicatum, Laërtius de Diogene τρίβωνα διπλώσας πρῶτος, *tunicam primus duplicans.* Horatio lib. 1. epist. 17. dicitur *duplex pannus*, nam de pallio Diogenis loquitur. *Contra quem duplici panno patientia velat.* duplicem autem pannum interpretantur diploida. Sed inspice vestitum de abolla Cynicum: sic enim ferebant pallium. Humerus dexter extra amictum erat, & sinus pallii dextrę subiecti, sub sinistrum brachium reiciebatur; Arriani Epictetus ἢ τοῖς ἀπαντῶσι λοιδορεῖσθαι ἀκαίρως ἢ καλὸν τὸν ὦμον δεικνύειν, id est, *aut occurrentes importune conuiciari, aut pulchrum ostendere humerum.* Et idem ἀνείληφε τρίβωνα γυμνὸν δεικνύει τὸν ὦμον. Et lib. 2. Anth.

Καὶ στόλον, μάλλον, πωγώνων ὦμον ἔχει
Ἐκ τούτων ἡμῖν ἀδόλημεν σοφία.

Talis fuisse videtur, quem describit Herodianus in Commodo, &c. vide supra. GRABATI] Grabatus vilior lectus ad meridiandum; mentio eius apud Catullum, & sæpe infra apud Martial. CVI DAT LATRATOS.] Qui latrando emendicat stipem. Nam cum canes vocentur Cynici, eanũ autem sit latrare: rectè dixit latratos cibos latrando extortos. ESSE PVTAS CYNICVM.] Tale est illud.

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dicit:
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

Prorsus huic est geminum illud Lucilii lib. 2. Anthol.

Πᾶς ὅς ἀνὴρ πίθηκος καὶ ἀγράμματος ἐστιν ἀληθῶς. &c.

CANIS.] Hinc Lucilius εἶναι μὲν, &c. Cynicorum princeps fuisse fertur à Lucretio Antisthenes; Cynici autem dicti à portico κυνόσαργες: vel ob sordidam & impudentem vitam: vel quod obuios allatrarent instar canum. vel morbus canes imitarentur, omniaq; publice facerent: de quibus plura Laërtius in Antisthen. è Diogen. Lucianus in Cynico βίων πράσει, Arriani Epictetus. Athenæus lib. 13. CANIS] rogatus Diogenes, cur canis appellaretur, τοὺς μὲν, ἔφη, διδόντας σαίνω, τοὺς δὲ μὴ διδόντας ὑλακτῶ τοὺς δὲ πονηροὺς δάκνω. Plura Laërt. & Anthol. lib. 2. & 4. Ausonius Græca quædam de eodem transtulit.

Ausonius car. 22.

Ad Colinum.

LIV. XLI.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas:
Si sapis, vtaris totis, Coline, diebus,
Extremumq; tibi semper adesse putes.
Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: obseruant, quem statuêre diem.
Diuitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior & nitido sis Meliore licet;
Nil, adicit penso Lachesis, fusosque sororum
Explicat, & semper de tribus vna secat.

Epicurea [Greek] ad viuendum, potandum, helluandum. O CVI TARPEIAS] Coline, qui in certamine quinquennali adeptus es coronam quernam, viue. TARP. QVERC.] Capitolinas coronas. Domitianus enim, vt Sueto. c. 4. refert instituit Ioui Capitolino quinquennale ludicrum diuersum à Mineruæ Albanis quinquatriis triplici certamine musico, equestri, gymnico, &c. Victori Epopœiæ querna dabatur, citharœdis item: ex quorum numero Colinus hic fuisse videtur. MERI. COMAS.] Victrices, metonymia. PRIMA FRON.] nobilissima, quasi primaria: vel quod Ioui sacra, vel quod ab Imperatore data, vel vtraq; de causa. SI SAPIS, VTAR.] Quæ causa nos dehortatur à delicijs, illa profanissimos idololatras ad omnem vitæ licentiã incitabat. Nos breuissimos vitæ terminos proponimus, vt hoc contentius labori virtutum insudetur, præsentia contemnantur; illi, vt hoc studiosius in omne voluptatum genus incumberent. Nec est, quod mirer: illi post decursum vitæ præsentis spacium meliorem vitæ spem ignorabant: nos eadem spes ad quascunq; fortunæ indignitates & ludibria perpetienda confirmat. LANIF. NVLLI.] De tribus Parcis scribunt Mythologi, & nos alicubi DIVIT. CRISPO.] De Crispo Neronis vitrico bis cõsule & oratore scribunt Seneca lib. 1. extremo de Ben. & principio lib. 4. quæ. naturalium Plin. lib. 16. c. 44. Tacitus lib. 12. Annal. ibid. copiosissime Lipsius, Suetonius in Nerone c. 6. Crispi dictum refert de Caio principe: *nec meliorem seruum, nec deteriorem dominum fuisse quenquam Caio.* Ditissimum fuisse constat ex eod. Suetonio, qui Neronem opibus Vitrici ditatum affirmat. Bis mille enim sestertia, seu, vt Lipsius veterem Iuuenalis Scholiasten emendat, bis millies HS. possedit: hoc est quinq; milliones Philippæorum. Totam huius Passieni vitam habes apud Iuuenalis interpretem, & Lipsium ad 12. Annal. Taciti. De Vibio Crispo habes apud Suet. in Domit. c. 3. Quintil. lib. 5. *Vibius Crispus compositus & iucundus, delectationi natus, priuatis tamen causis, quam publicis melior.* Idem de Passieno Oratore lib. 6. c. 2. Torrentius Iuuenalis versum refert ad Vibium contra Lipsium. Vibius est, qui rogatus, quis esset cum Domitiano, respondit; Ne musca quidem. Tacitus lib. 2. & 4. delatorem vocat. Videtur loqui Poeta de superiore, & nobiliore, & ditiore. THRASEA CONST.] De Thrasea lib. 1. ep. 9. *Quod magni Thrasea, &c.*

LAVTIOR ET NITIDO SIS MELIORE LICET.] Hic est ille Melior, ad quem est Statii Papinij epistola Siluæ secundæ, & epitaphium *Glaucia* alumni melioris, & *Arbor*, & *Psittacus*. NITIDO] Lauto, splendide conuiuante. ita Statius vocat eundem Silua. 2. Sat.

Quæ pet supremas nitidi Melioris opacet.

LACHESIS.] De Parcis & nos supra non parce, & fusissime Mythologi.

FVSOSQ. SORORVM EXPLICAT ET SEMPER DE TRIBVS VNA SECAT] Ita Scriuerius legit hos versus, & vere, nam optime conueniunt *fusos secat.*

Ad Lucium.

LV. LXII.

Luci, gloria temporum tuorum
*Qui Graium * veterem, Tagumq; nostrum*
Arpis cedere non sinis disertis,
Argiuas generatus inter vrbes:
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ

* al. Gariū. al Grauium.

Ledæas Lacedæmonis palæstras:
Nos Celtis genitos, & ex Iberis,
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu:
Sæuo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit Chalibasq; Noricosq;,
Et ferro Plateam suo sonantem:
Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit,
*Tutelamq; chorosq; * Rixamarum,*
Et conuiuia festa Carduarum
*Et textis * Peteron rosis rubentem*
*Atque antiqua patrum theatra * Rigas,*
*Et certos iaculo leui * Silaos,*
*Turgentisq; lacus, * Petusiaq;,*
*Et parua vada pura * Vetonissa,*
*Et sanctum * Baradonis ilicetum,*
Per quæ vel piger ambulat viator,
Et quod fortibus excolit iuuencis,
*Curua Manlius arua * Matinessa.*
Hæc tam rustica, delicate lector,
Rides nomina? rideas licebit:
*Hæc tam rustica malo, quam * Britannos.*

* al. Risamarum.
* al. Poteron.
* V.C. Ripas.
* V.C. Suenos & A. Manutij al. Suellos.
* MS. Perusiaq;.
* al. Tonenissa. al. Vatinessa. MS Tenonissa.
* al Duratonis Aldi ed. A.C. 1501.
* MS. Natinessa.
* Britannum. Φιλοῦντας basiantes Romanos, sed nō placet.

Laudat Lucium poetam Hispanum & patriam suam, à metallis, fluminib⁹, aliisq; regionis dotibus. LVCI.] De hoc ita prodit Gyraldus dial 4. hist. Poet. *Post hunc, (intellige Clodium) erat Lucius poeta Hispanus, qui Horatium Flaccum imitatus est Domitiano Cæsare, quæ ætas magnam poetarum copiam effudit.* QVI GAVRVM VETEREM.] Domitius legit Graium veterem, & mutato postea nomine Grauium, vt est apud Plinium lib. 4. c. 20. De quo Silius.

Et quos nunc Grauium, mutato nomine Graium Ænea visêre domus.

Et idem Silius: *Quiq; super Grauios lucentes voluat arenas.*

Graius ergo seu Grauius fluuius Hispaniæ. Veterem dixit, quia veteribus Graius, posteris Grauius dictus est. Nec ergo Hispaniæ fluuium vllum Gaurum reperio, vt mirer à Iunio Gaurum fuisse scriptum: plura super hoc Scriuerius. De Tago taceo suis dudum ripis auri beato, omniumq; monumentis celebrato. ARPIS CED. NON SINIS] sensus est. Luci decus Hispaniæ, qui contendis laude carminis cum Horatiana barbito, celebremus vt Græci suas Thebas, Mycenas, Lacedęmonas, Rhodum; ita nos Celtiberiam nostramq; patriam. ARPIS] Arpi Arporum Ciuitas Apuliæ. Horatius autem Appulus fuit Venusinus. Cedere Arpis est cedere Horatio. Scribit de eadem Plin. lib. 3. c. 11. vbi plura de hac vrbe, Ptolemæus & Strabo, aliique plures. Nihil hic de Cicerone Arpinate, & Mario, Plautoq; cogita. Aliud oppidum Arpinum, aliud Arpi. ARGI. GEN.] Natus in Græcia siue Græcus quicunq; poeta laudet Græcas vrbes, Pindarus, Homerus, Sophocles, Euripides qui Rhodon, Thebas, Mycenas, Spartam celebrarunt. Quatuor ergo versus hos; Argiuas. cum tribus sequentibus, claude commate seu colo: vt sit intellectus iste: Luci decus Hispaniæ, qui certas Horatio carminis elegantia; celebrent Græci Vates suas Græcas vrbes; nos Hispani nostræ patriæ oppida laudemus. Ita clarus & expeditus est sensus, vt recte monuit hoc loco Ramiresius; est enim sua cuiq; laus impertienda. vbi commode & modeste docet.

THEB. CARM. CAN. AVT MYC. AVT CLAR. RHOD. AVT LIB. LED. LACED. PALÆSTRAS:] His versibus plane ad Oden Horatii allusum credo lib primi septimam.

Laudabunt alij claram Rhodon aut Mitylenem,
Aut Ephesum, bimarisue Corinthi Mœnia,

Mœnia, vel Baccho Thebas, &c.

——diteſque Mycenas.

Ledæas, id eſt Lacedæmonias.

LEDÆAS PALÆSTRAS.] Caſtoris, & Pollucis Ledæ filiorum. LIBIDINOSÆ.] Libidinoſæ, quia parum honeſtæ luctæ puellarum inter viros. Propertius rem exponit lib. 3. eleg.

Multa tuæ, Sparte, miramur iura palæſtræ.

Ad quem locum vide interpretes. Petrum Fabrum Agoniſt. Nicolaũ Cruqudum, Theodoretum de Curationibus Græcanicarum affectionum. Alii putant Veneri peculiarem & ſacram fuiſſe Lacedæmonem, alii alias cauſas cogitant.

NOS CELTIS GENITOS.] Celtæ, Galli ſunt: Iberi, Hiſpani, oram habent vicinam. Hinc primum ortæ pugnæ: deinde Societas ex vtraque gente vnam fecit: Vnde Celtiberi Gallohiſpani. Diodorus Siculus teſtis. *Celtiberos, inquit, quondam Celtaſq; pro Argis bello certantes, pace demum conſtituta communicataq; inuicem patria mutata connubia* * *permiſiſſe, à qua rerum communione nomen ſortiti ſunt.* Celticus autem fluuius eſt, Celtica ciuitas; ſi vera Plinius. De Celtiberis Lucanus.

*permiſcuiſſe.

Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.

Et Silius: *Venere & Celtæ ſociari nomen Iberis.*

NOS CELTIS GENITOS.] Nos Celtiberi Hiſpani nobilitemus carmine ignobilia nomina patriæ noſtræ. GRATO VERSV.] Hanc gratiam referamus patriæ noſtræ. lib. 12.

Sunt hæc nomina craſſiora terræ,

SÆVO BIBILIN OPTIMAM METALLO] ferro. lib. 12. epig. 18.

Auro Bibilis & ſuperba ferro

Et lib. 1. * *Equis & armis nobilem.*

* Aquis.

QVÆ VINCIT CHALYBASQ.] Chalybes deſcribit Mela lib. 1. c. 21. Plinius, Strabo, Solinus, alii. Chalybes ad Pontum fere Euxinum pertinent. NORICOSQ.] Ptolemæus hoc Æno flumine, & Danubii parte, quæ eſt ab Æno ad montem Cetium, definit. Deinde etiam Boii dicti Norici, cum exactis Romanis partem Vindeliciæ, quæ inter Licum, & Ænum iacet, occuparunt & immigrarunt. Diacon li. 3. Longob. *Noricum ſiquidem prouincia, quam Boioariorum populus habitat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Sueuiam, à meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubij fluenta.* Martialis Ptolemæi, non Diaconi Noricum intellexit, cuius æuo adhuc Vindelicia in Romanorum ditione erat. De Noricis curatius M. Velſerus Antiq. Aug. ET FER. PLAT.] Huius oppidi Martialis mentionem facit li. 12. epig. 18.

Hic pigri colimus labore dulci

Boterdum Plateamq;——

FERRO SVO SONANTEM] ob ferrarias officinas ibi creberrimas. paulo aliter Ioſ. Scaliger ad Catull. Sonantem, &c. i. Plateam æriſonam, id qua ſcilicet ferrum, aut æs foderetur. vt Catullus Cranona oppidum Theſſaliæ vocauit æriſonam. Eſt & vrbs Græciæ Platæa. proxima à poſtrema diphthongo ſcribitur. de qua Strabo Demoſthenes in Olynthiacis, alii. Eſt & pagus in Sycyonia. QVAM FLVCTV TENVI] lib. 1. breui. ARMORVM SALO TEMPERATOR] Poſitus Plateæ deſcribitur, quam Salone fluuio, & torrenti ſimili ait cingi. ARMORVM TEMPERATOR] lib. 1. epig. 50. gelari ferrum Salone dixit. vbi plura legas. TVTELAMQ.] Tutela nomen oppidi in Hiſpania vetuſtiſſimi, quod ab ipſo Tubale gentis conditore Noeti nepote excitatum eſt. Prius Tubella, poſtea Tudela ſeu Tutela dictum, vt in Regum Hiſpaniæ rebus geſtis Franciſcus Tarafa narrat. Ioannes Gerundenſis Epiſcopus in Paralipom. Hiſp. lib. 1. Tutel am hodie, quondam Titultiam ait appellatam Lucius Marineus Siculus libro 5. Tutelam apud Iberem amnem terræ fertilitate diuitem ponit. CHOROSQ. * RIXAMARVM.] Rixamæ. corruptam vocem ſuſpicor, aut certe vetuſtate deletã, aut mutatam, quod apud Hiſpanos Scriptores nullam de eo litteram reperiamus. Vnde Domitius populos Celtiberiæ dicat, neſcio. diuinat opinor. Nam cum de Hiſpaniæ & Celtiberiæ locis aiat ſe ſcribere poeta, promptum eſt dicere choros Rixamarum eſſe populos Celtiberiæ. quamuis malim oppidi aut fori populum, quam populos; poeta enim ciuitatum nomina enumerat. populos enumerant Scriptores, inter quos nullos vidi Rixamas vel Riſamas. CHOROS] pars pro toto. ET CONVIVIA FESTA CARDVARVM] lautiores Carduarum ciues. ET TEXTIS PETERON] alii Poteron. ET CERTOS IACVLO LEVI † SVELLOS.] Suellum vel Suelum oppidum Hiſpaniæ, hodie Molena dicitur. Ioan. Gerundenſis lib. 1. de ritibus Hiſpaniæ. PATRVM THEATRA * RIPAS.] Iuxta ripas priſci ſpectacula edebant, & aurigationes Caſſiodorus lib. 3. epig. 51. *Circenſes quaſi Circuenſes, propterea quod apud antiquitatem rudem, quæ necdum ſpectaculum in ornatum deduxerat fabricatum, inter enſes & flumina locis virentib. agerentur.* Lege Bullengerum, D. † Chryſoſtomũ, alios. nos ſupra diximus. TVRGENTISQ. LACVS] Turgens, Peluſia, Vetoniſſa ſeu Vatineſſa, ſeu Toueniſſa nomina ſunt ignobilium oppidorum Hiſpaniæ. SANCTVM * BARADONIS ILICETVM] Sanctum ilicetum, inuiolatum ferro; locus ſacer. Baradonem ſeu Buratonem montem, aut ſiluam interpretantur, ſed abſque teſte. Ilicetum à frequenti ilice, vt ſalicetum. † PER QVÆ VEL PIGER] loca tam amœna iam enumerata, quamuis feſſus aut iners, tamen ob amœnitatem cum voluptate perambulat. ET QVÆ FORTIBVS] quia ſolum durius proſcindit Manlius, agrum Matineſſanum. Matineſſa oppidũ curuum ob poſitum loci. DELICATE LECTOR RIDES] faſtidioſus, naſutus. RIDES NOMINA?] hinc intelligis

† Sillaos alij. Aldus Suenos.
* Rigas alij legunt, ſed pie et Ripas
† Oratione de Circo. Pamelium ad Tert. de ſpect.
* Buratoxu al. Duratronis Aldus. malim † per quod.
* Riſamarũ.

telligis à Poeta consilio ignobiliora fluuiorum oppidorumque nomina congesta. HÆC TAM RVSTICA MALO.] Conclusio à comparatione vel oppidorum vel prouinciarum æque, vel etiam barbariorum, legunt alii Britannos, vt sit contentio inter prouincias Hispaniarum, & Britannorum, sic enim Musamb. Nimirum rustica quidem Hispaniæ vrbibus nomina, sed potiores illæ vrbes & nomina tamen Britannis toto penitus orbe diuisis, neq; cum Hispaniæ prouinciæ elegantia, splendore, dignitate comparandis, vt si diceret Poeta Hispaniam Itali: quidem cultu vitæ ciuilis & ornamentis inferiorem se fateri; at prouinciarum quidem nulli cedere, maxime autem Britannis, qui quales tunc fuerint Ramiresi, operæ precium tibi scire, & leges apud Dionem in Seuero, quales sæculo illo fuerint: at Augusti iam sæculo Celtiberia togata apud Geographum lib. 3. Hanc te comparationem extricare latius erat, quam Bituntum in Apulia inuenire, & dicere oppidum illud nominis sui rusticitate omnia Hispaniæ oppida superare. Alii Bituntum, vt audisti, Apuliæ oppidum. Sed Bituntum nihil habet Barbari in voce nec horridum. An in moribus ignoro. Præterea poeta exiguam ab Italis & Latinis gratiam iniisset, si oppida Hispaniæ barbara voluisset oppidis Italiæ præferre, quia tamen delicatum lectorem appellat Romanum aut Italum non absurde Ramiresius videtur sentire etiam in Italia repetiri barbara oppida quæ possint r.dere vt Bituntum. Calderini & aliorum enarratio plane reiicienda. Bituntos etiam Scriuerius legit.

Ad Gargilianum.

XLIII. LVI.

Munera quod senibus, viduisq; ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane vocem?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius vno,
Qui potes insidias, dona vocare, tuas.
Sic auidus fallax indulget piscibus hamus:
Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare, docebo,
Si nescis: dona, Gargiliane, mihi.

Gargiliani notat auaritiam, qui orbis, & rogo proximis munera velut hamum obiiciebat, quibus piscabatur hæreditates. SENIBVS VIDVISQ.] Nam viduæ copiosiores & orbæ spem hæreditatis ostendebant: senes autem, vt mox ad frigentes abituri Ammianus Marcell. lib. 14. *Vilia omnia existimant præter orbos & cælibes, nec credi potest, qua obsequiorum diuersitate colantur homines.* Plutarch. περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας. ἀτέκνους οἱ πλούσιοι δειπνίζουσι, οἱ ἡγεμόνες θεραπεύουσιν, οἱ ῥήτορες μόνοις προῖκα συνηγοροῦσιν. Diuites orbos cenis excipiunt, duces colunt. Rhetores his solis gratis patrocinantur. SORDIDIVS NIHIL EST.] Non est hæc liberalitas, sed auaritia sordidissima specie liberalitatis velata. Sic dona, nouæque merces, & nugæ feruntur principibus, vt ab iis mercatores ditiores recedant. Eleganter & vere Isocrates ad Nicoclem; Οἱ μὲν τὰ εἰωθότες ὦ Νικόκλεις ὑμῖν τοῖς βασιλεῦσιν ἐσθῆτας ἄγειν ἢ χαλκὸν ἢ χρυσὸν εἰργασμένον ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων χρημάτων, ὧν αὐτοὶ μὲν ἐνδεεῖς εἰσιν. ὑμεῖς δὲ πλουτεῖτε, λίαν ἔδοξαν εἶναι μοι καταφανῶς οὐ δόσιν, ἀλλ' ἐμπορίαν ποιούμενοι. καὶ πολὺ τεχνικώτερον αὐτὰ πωλοῦντες ὁμολογούντων καπηλεύειν. INSIDIAS] quia captas prædam maiorem, vt piscator hamo pisces, auceps aues. de quibus Oppianus, & alii Plautus ita capi amatores docet esca & hamo in Truculento.

Quasi in piscinam rete qui iaculum parat,
Quando abiit rete pessum, tum adducit sinum,
Sin iecit rete, pisces ne effugiant, cauet,
Modo hic, modo illic irretitos impedit
Pisces, vsq; adeo, donicum eduxit foras;
Itidem est amator, &c. ille hamum vorat &c.

INSIDIAS] qui testamentis orborum & senum insidiantur, quales apud Senecam Arruntius & Aterius, apud Plinium Regulus. *qui captandorum testamentorum artem professi sunt, qui familiarissimum quemq; ex quo propter amicitiam spei plurimum est, mori cupiunt* Hæc Seneca. Erant enim Romæ (vt recte Brisson. lib. 3. de verb. sig. notauit) qui senes orbos ac locupletes obsequio demereri studebant, vt ex eorum testamentis aliquid ferrent, quique etiam palam consignatis tabulis eos hæredes faciebant, quoad eandem liberalitatem iam iam morituros prouocarent. cuiusmodi captatoria officia ridet passim Lucianus in dial. mort. Adde Luciano Arbitrum Sat. Mart. lib. 6. *Scis te captari, &c.*

Locus hic sæpius recurrit. lib. 5. epig. 18. *Odi dolosas, &c.* lib. 5. epig. 60.

QVID SIT LARGIRI.] Vis videri & esse liberalis, dona iis, qui reddere non possunt, ex quorum numero ego sum. Hoc quoque præceptum reliquit nobis auctor vitæ, vti inuitemus eos qui compensare nequeunt.

Ad Faustinum.

LVII. XLIV.

Dum nos blanda tenent lasciui stagna Lucrini,
Et quæ puniceis fontibus antra calent:
Tu colis Argiui regnum, Faustine, coloni,
Quo te bis decimus ducit ab vrbe lapis.
Horrida sed feruent Nemeæi pectora monstri.
Nec satis est Baias igne calere suo.
*Ergo sacri fontes, & littora * sacra valete,*
Nympharum pariter, Nereidumq; domus.
Herculeos colles gelida vos vincite bruma,
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

* *Grata.*

Hyeme Baiis, æstate Tibure degendum. Nam Tibur frigidum semper, Baiæ semper æstuosæ. LASCIVI LVCRINI] ob delicias illius lacus, & loci amœnitatem, & hominum ibi lasciuientium frequentiam. FONTIBVS ANTRA CALENT.] Baiæ nempe, quæ ad radices montis Campaniæ sitæ, aquas habent calidas. PVMICEIS] tophis. Vitruuius lib. 2. cap. 6. *Si ergo in his locis aquarum feruentes inueniuntur fontes, & in montibus excauatis vapores, ipsaq; loca ab antiquis memorantur peruagantes in agris habuisse ardores; videtur esse certum, ab ignis vehementia ex topho terraq;, (quemadmodum in fornacibus & à calce,)* ita ex his ereptum esse liquorem. Idem supra, vbi expresse de Baiano sinu agit. Pumex autem lapis est spongiosus, Tuphstein. ANTRA] cellæ excauatæ. TV COLIS ARGIVI REGNVM] Tu Faustine degis Tibure, quod condidit Catillus. de quo Statius Sil. 1. in Tiburtino Manlii.

Vide Sen. epist. ad Lucil.

Dictum sæpe iam supra & infra.

Hic tua Tiburtes Faunos Chelys: & iuuat ipsum
Alciden, dictumq; lyra maiore Catillum.

Hor. lib. 1. Car. od. 6. *Tibur Argeo positum Colono.*

Dictum est Tibur à Tiburto Argiuo Conditore, qui & Catillus. Solinus. *Tibur, sicut Cato facit testimonium, à Catillo Arcade præfecto classis Euandri, sicut Sextius, ab Argiua iuuentute. Catillus enim Amphiarai filius, post prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei aui iussu cum omni fætu vel sacro missus tres liberos in Italia procreauit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido Siciliæ veteribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris natu maximi vrbem vocarunt.* Virgil. 7. Æneid. QVO TE BIS DECIMVS.] Tu prædium habes in agro Tiburtino, qui ab vrbe viginti millia passuum abest; lapis enim, qui milliaris dictus est, mille passuum spacium signat. FERVENT NEMEÆI PECTORA MONSTRI.] Sed ingens feruet æstus in Augusto, cum sol ingressus Leonem, ardores auget. Recte, pectora: nam Leo in pectore fulgentissimam & primæ notæ stellam gerit, quam cor Leonis appellant Mathematici. NEMEÆI] in Nemea silua interfectus est ab Hercule, & relatus post inter astra, vt alibi vbertim diximus. NEC SATIS EST BAIAS IGNE CALERE SVO] aquis feruentibus & calidis vaporibus. Geminantur ergo & è terra erumpentes, & è cœlo immissi calores. SACRI FONTES ET LITTORA SACRA] Baiana. sacra, quia omnes fontes priscis superstitionibus sacri. ipsemet adiungit causam, cur sacri, cum ait: NYMPHARVM PARITER] quia fontes Nymphis sacri. NEREIDVM] quia mare sacrum Nereidibus. Nereides Deæ marinæ. Alii tamen retinent *littora grata* vtraq; scriptura non est inepta. HERCVLEOS COLLES.] Tibur Herculi sacrum lib. 1. epig. 13.

De lapide milliario dictum fuse l. 1. ep. 13. ad Regulum.

Testimonia plurima Heraldus ex variis adscribit.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,

Vbi causa redditur, cur Herculei dicantur. Sensus. Placeat mihi vester situs hiberno tempore, quia calidus est, (calidus enim tractus ille Baianus.) At nunc, cum æstas feruet maxime, Tibur gratius est, vtpote frigidum, quod Statius glaciale dixit:

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci.

Et mox:

Illum nec calido latrauit Syrius æstu,
Nec grauis aspexit Nemees frondentis alumnus.

In Gallam.

LVIII. XLV.

In tenebris luges amissum, Galla, maritum.
Num plorare pudet te, puto, Galla, virum.

Hic communem ſcripturam verſus retinui & explanaui. Num plorare pudet te puto Galla virum? Hoc ſenſu an exiſtimo, num credo quod pudeat te plorare virum? non puto, ſed aliquid deterius: te gaudere ademptum tibi virum, vt iam ſine cuſtode liberius poſſis tuo nutu pro tua libidine viuere. Hic ſenſus non modo non abhorret à verbis poëtæ, ſed tam commodus eſt, atq; Ramireſij qui legit: *Nam plorare pudet te puto Galla virum*, quod adeo eſſet infamis viuente viro, vt eam pudere poſſet, ſi fleret maritum ademptum. Sed vide Rameſi quàm cæcus ritu Polymneſtoris exoculati aut Siculi Cyclopis in obuios parietes impingas. culpaſti communem ſcripturam, quaſi nullum ſenſum contineret, & id ipſum ante peccaſti ipſe, quod poſtea in altero culpaſti, regredere ad lib.2.ep.8. vbi rurſum à vulgata ſcriptura recedis, & nouam pro tuo cerebro cudis, cum ſcribis ad illum verſum:

Tunc ego te credam cordis habere nihil

Aut ego, inquis, nihil cordis habeo, aut hic verſus non eſt à Martiale ſic ſcriptus, & emendas

Numne ego te credam cordis habere nihil? lib.2. ep.8.

planiſſimè: Eſt ne aliud: num puto vel putem; & aliud: num credo vel credam? ſed quod ſequitur, inquies offendit: Num puto pudet te: Nec hoc eſt cur offendare, cum ſupra ſæpius ita Martialis ſit locutus: lib.1.ep.6. puto, vis. epig.28. puto dixeramus. & 18. ſimillimam huic locutionem affert, puto te occidit, pro puto nos dixiſſe, occiſum eſſe, puto te pudet, pro, num puto te pudere? proinde merito hæc tibi non ego, ſed Muſambertius reſcribit: *Enimuero iam nequeo contineri, Tu homo, videris iuratus ad euertenda Valerij ſenſa & iocos acceßiſſe. Quippe ex linea antica pugnat interpretatio tua cum mente Valerij, &c.* Idem Muſambertius hoc loco emendat. *Non plorare pudet te puto Galla virum.* Nam aut ſic capi poteſt: Puto Galla non pudet te, quaſi turpe ſit plorare virum, ſed puto te non plorare, eoque plorare in tenebris & ſeceſſu. Aut, Galla puto non plorare te virum: quod quia turpe eſt, ploras in tenebris. Si enim plorares, tenebras non ſectarere. Lector ex his tribus interpretamentis, quod volet ſeligat; ſuum cuique pulchrum. Malim tamen Non, vel Nam, quam Num, quod ſententia emineat clarius. Alij cum graui ſuſpicione ſceleris aut parricidij legunt ſine interrogatione

Nam plorare pudet te puto Galla virum.

Turpe enim putas occiſum deflere: Sed hæc videtur longius petita interpretatio. (Nam) V. C. ſine nota interrogationis.

De Vipera electro incluſa.

XLIV. LIX.

Flentibus Heliadum ramis dum vipera ſerpit,
*Fluxit in obſtantem ſuccina * gemma feram.* *gutta.
Quæ dum miratur pingui ſe rore teneri,
Concreto riguit vincta repentè gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, ſepulchro,
Vipera ſi tumulo nobiliore iacet.

Vt lib.3. epig.35. & 41. & quarto hoc, epig.32. piſces & lacertam ſculptam; apemque ſuccino & formicam lib.6. epig.15. laudauit, ita hic viperam electro clauſam: narratque perinde ac ſi non artificio, ſed caſu id eueniſſet; adeo naturam ars expreſſerat. FLENTIBVS HELIADVM RAMIS] Periphraſis populi. Heliades ſorores Phaëthontis Solis filiæ, ἥλιος græcè ſol. Nota Phaëthontis ex Græcis & Latinis fabula, ſed non perinde notum, vnde poëtæ originem huius commenti traxerint. Docet enim Tertullianus lib. Apol. cap.47. pleraſq; philoſophorum ſententias, & poëtarum fabulas ex diuinis litteris primitus acceptas nouiſque cogitationum aſſutamentis corruptas. *Vnde hæc (oro vos, inquit) philoſophis, aut poëtis tam conſimilia? non niſi de noſtris ſacramentis, &c.* Ita planè Græci, cùm legerent hiſtoriam lib.4. Reg. cap.2. de Helia curru igneo, & equis igneis in cœlum tranſuecto, ex nominis Heliæ, græcè ἡλίου (quod in ſecundo caſu ambiguum eſt) vicinitate & occaſione condiderunt fabulam Solis, Phaëthontis, & Heliadum. Quod ego ne ſomniare videar, ad teſtimonium B. Chryſoſtomum, & qui ex illo tranſcripſit, Bedam in lib. Reg. q.28. cito. *Vt autem*, inquit Beda, *eidem currus & equos tribuant, de miraculo ſumptum eſt Heliæ Prophetæ, qui curru igneo, & equis igneis eſt raptus ad cœlum, Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus æſtimat. Quod enim Græcis ἥλιος, dicitur ſol, (ſicut etiam Sedulius, cum de Helia aſcenſu caneret, oſtendit dicens.*

(Quàm vel fulminei prælucens ſemita cœli
Conuenit Heliæ, meritò qui & nomine fulgens
Hac ope dignus erat: nam ſi ſermonis Achiui
Vna per accentum mutatur littera, ſol eſt.)

Audientes Graci ab Israëlitis, quos diuinas habere litteras fama prodebat, prædicari, quòd Helias curru igneo, & equis sit igneis ad cœlestia translatus, vel certè hoc ipsum inter alia depictum in pariete videntes, crediderunt, vicinia decepti nominis, SOLIS, hic transitum per cœlos esse designatum, & miraculum diuinum factum, in argumentum erroris humana stultitia commentum. Quos imitati ipsi Iudai, fategerunt, ne in aliquo gentilium stultissimi minus stulti apparerent. Hæc ἐν παρόδῳ. Lege sis nostrum Gretserum lib.1. de Cruce cap.50. edit.2. adhæc nem. de Helladibus & Phaëthontibus suprà epig. 32. de ape. flebant fatum fratris sui, quæ lachrymæ versæ in electrum. RAMIS] populi arboris. serpit per ramos populi: ramis auferendi casu, vt serpit terrâ, serpit ramis. FLVXIT IN OBSTANTEM] μιμητικῶς, non historικῶς. adeò affabrè facta vipera, vt implicata casu videretur visco succini, sic lib.6. epig.15. dixit.

Dum Phaëthontea formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.

SVCCINA] succinum electrum. Vnde appositum, succinus, succina, &c. pro succinea; sicut eburneus eburnus, aheneus ahenus, &c. placet Scriueriana lectio *succina gutta* pro *succina gemma* quam confirmat MSS. & epig. XV. lib. VI. & verbis S. Ambrosij l. II. Hexaem. QVÆ DVM] Vipera cùm se expedire statim viscoso humore succini non posset, densato iam liquore & rigore constricto, vincta & obruta hæsit in electro. PINGVI RORE] humore denso. MIRATVR] metonymia hominis tantùm est mirari. CONCRETO RIGVIT VINCTA] placet vincta: compedes viperæ, gummi & viscus electri erant. NEC TIBI REGALI] Elegans planè & electro inscribendum Epiphonema, quo concludit epigramma, insolentia regum Mausolea haud nobiliora esse tumbis ferarum. Cæterùm Cleopatra factis suis notior est, quàm vt calami descriptione indigeat. De morte Reginæ scribit Tranquillus 17. *Cleopatræ, quam seruatum triumpho magnopere cupiebat, etiam Psyllos admouit, qui venenum ac virus exsugerent quòd perisse morsu aspidis putabatur. Ambobus communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici iussit.* Et Plutarchus in Antonio. *Condi iussum corpus Cleopatræ apud Antonium splendidè & regaliter,* scribit. De aspide variè disputat, vt & Dio in Augusto, qui acu crinali veneno imbuta punctam ait. Cleopatræ ornamenta Augustus Romæ Veneris templo dedicauit. NOBILIORE] Cuius Regis tumulus aut totum Mausoleum electro ædificatum est? De Mausoleo, vnde reliqua regia sepulchra dicta, dictum lib. A.c.1.

Extat viua effigies hodie inter alias priscorum iconas nuper expressas.

De Curiatio.

LX. XLVII.

*Ardea solstitio, * Pæstanáque rura petantur,*
Quiq; Cleonæo sidere feruet ager;
Cùm Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere; cum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

** Castranáq; legit non male Scriuerius ex emendato codice & Castranum agrum in Piceni prouincia collocat.*

Exemplo Curiatij in Tiburtino loco salutari morte extincti docet, æquè per omne cœlum seu salubre, seu pestilens grassari mortem, adeoque fata nullo excludi loco posse. ARDEA] dicta ab ardore, vel ardea aui, oppidum Latij Turni patria; Maphæus in supplemento Virgilij; conditum à Danae, vt Solinus, & alij auctores. Fabula de Ardea extat apud Ouid.14. met. scribit eadem Lactant. Virg.7. Plinius lib.3. cap.5. Marlianus cap.14. lib.6. Solinus cap.8. Liuius lib.1. *Dum Tarquinius obsidet Ardeam, exactus est regno.* Locus fuit parum salubris, vt Strabo lib.5. docet. *Quæ palustria sunt & morbosa, vt Ardeatinus ager.* SOLSTITIO] Sole principium Cancri obtinente, solstitium æstiuum agitur dictum, quòd stare sol videatur, nec vlterius ascendat, sed eousque progressus regrediatur, idque bis per annum, cùm euasit in summum cœlum, vt æstate 8. Cal. Iulij. & ad imum descendit, vt solstitio hyberno 8. Calend. Ianuarij. Virg.1. Georg. Manilius, alij. PÆSTANAQVE RVRA] Pæstum oppidum Lucaniæ maritimæ, Græcis Posidonia dictum, auctore Plinio. Pæstanus autem sinus in Brutii Plinio ponitur, Græcis Posidonites. QVIQVE CLEONÆO] Enumerat terras caloribus immodicis feruentes. Ardeam, Pæstum, Baias. Cleonæ vrb. Græciæ est, inter Corinthum & Argos sita, de qua Seneca. Ouidius, alij. Circa Cleonam ad Nemæam Siluam Hercules leonem interfecit; qui inde Cleonæus est appellatus: sidus autem Cleonæum est leo, qui terram Augusto mense caloribus accendit, & solis ardores geminat. Stat. Sil.4. lib.4. Malim hic Baianum sinum intelligere. Baias enim duplici calore feruere suprà epig.57. dixit aquis, & pectore leonis, vbi planè hoc exprimitur. CVM TIBVRTINAS] cùm Curiatius Tibure loco saluberrimo & perfrigido perierit, ibimus nunc per æstatem ad calidissimas regiones, quando par vbique fati necessitas. Curiatius damnat cœlum Tiburtinum, quia ibi periit. LAVDATAS AQVAS] Aquam Martiam intelligi puto, quæ se, vt Plinius lib.13. cap.3. ostendit, in Tiburtinam aperit, & per nouem millia passuum, Romam olim deducta est. Etsi de aliis aquis ex pumice artificiosè manantibus

Solstitium simpliciter positum æstiuum significat. τροπὴ θερινή. Bruma χειμερινή. Heraldus plura.

Manil. lib.5.

Lib. l.13.

nantibus legam apud Vitruuium. NVLLO FATA LOCO POSSIS EXCLVDERE] Gnome. Vbiq; mors, quocunque sub cœlo seu pestilenti, seu salutari. Sardinia graui cœlo erat, in quam exulatum abiere plurimi martyrum. Pestilentem historicè appellat. IN MEDIO TIBVRE SARDINIA EST] παροιμιακῶς hoc. Non secus mors Tibure, ac in Sardinia regnat, etsi Tibur salutare, Sardinia grauis sit. Claudianus de bello Gildonico in fine, Symmachus epistol.39. lib.9. Seneca Consol. ad Heluiam, alij. Sardinia insula mediterranei maris. Stephano, Ptolomæo, Lycophroni σαρδὼ Græcè. Sandaliotis dicta à forma soleæ, Ichnusa à vestigio, &c. Plinius hanc describit lib.3. cap.7. Silius Claudianus Martianus Capella lib.6. Tacitus lib.2. Annal. narrat sub Tiberio fuisse factum senatusconsultum, vt quatuor millia Iudæorum & Ægyptiorum in insulam Sardiniam veherentur: qui si interiissent ob grauitatem cœli, vile damnum fore.

In Mancinum.

XLVIII. LXI.

Donasse amicum tibi ducenta, Mancine,
Nuper superbo lætus ore iactasti,
Quartus dies est, in schola poëtarum
Dum fabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillæ,
Sardonychas auro; lineisq; ter cinctum,
Duasq; similes fluctibus maris gemmas
Dedisse Bassam Cæliamq; iurasti
Herè de theatro Pollione cantante.
Cùm subitò abires, dum fugis, loquebaris,
Hæreditatis tibi trecenta venisse:
Et mane centum, & post meridiem centum.
Quid tibi sodales fecimus mali tantum?
Miserere iam crudelis, & sile tandem.
Aut si tacere lingua non potest ista,
Aliquando narra, quod velimus * audire.

** quod salubrè Mancino, nimis recedit hac scriptura à ductu literarum. De his scholis poetarum lib.10. plenißimè & nonnihil supra de Catoll.3.10. An otiosum schola poetarum Lepore tinctos Attico sales narras.*

Enicabat Mancinus sodales suos vanissimis & mendacissimis narrationibus, cùm assiduè sibi nouam opimitatem felicitatemque hæreditatis aut muneris euenisse dictitaret. Poëta rogat, vti vel taceat, vel donum suum aliquod tandem expromat, sic enim sodales audire cupere. DVCENTA] millia sestertiûm, quinquies mille Philippæos. QVARTVS DIES EST] iam quartum diem audimus huiusmodi tua munera tibi data, dum in schola Poëtarum expectamus, donec Poëta promissum aliquod recitet poëma. LACERNAS] Lacerna togæ superinducbatur pallio similis aut penulæ. Nos alibi fusè de hac ex Tiraquello, Baysio, aliis. MILLIBVS DECEM] HS. ducentis viginti quinque Philippæis. MVNVS POMPILLÆ] à Pompilla donatas lacernas dixisti. SARDONYCHAS AVRO] corruptus erat cum Sardonyche hic versus. nos verum restituimus. verè enim legendum: *Sardonycha verum*, sic lib.9. epig.60.

Sardonychas veros mensa quæsiuit in omni.

Sunt enim falsi, & difficultas est secernendi, quippe cùm, vt Plinius lib.37. cap.12. docet, inuentum sit, ex veris gemmis in alterius generis falsas deducere. *Sardonyches è Cerauniis glutinantur gemmis, ita vt deprehendi ars non possit, aliunde nigro, aliunde candido, aliunde * nimio sumptu, omnibus in suo genere probatissimis.* LINEISQVE TER CINCTVM] Miror Domitium legere perunctum, vel ter vnctum, cùm ratio versus non admittat eam scripturam, & Scazon per se claudicans iam velut Homericus ille Vulcanus ἀμφιγυήεις vtrinq; claudicet. Sed quæ sunt illæ lineæ, quibus cinctus est? an quas Plinius insinuauit nigra, candida, miniata? nam quæ de lychno scribit Domitius sine lychno in tenebris commentus est: SIMILES FLVCTIBVS MARIS GEMMAS] Smaragdos ait esse Domitius. Ego in his fluctibus adhuc fluctuo? * *Callais ait Plinius, Saphirum imitatur, candidior, & littoroso maris similis.* malim Cyaneum, quem Græci vocant, nos ceruleum, de quo Plinius li.37. Franciscus Ruei de gemmis lib.2. aut Beryllum, de quo Franciscus lib.1. Est autem Beryllus vna ex virentibus lucidisque gemmis. probatissimæ sunt, quæ limpidi maris virorem proximè referunt. Quid si Caristum poterat, de quo Statius lib.1. Sil.

** minio.*

** Calais*

Non huc admissa Thasos, aut vndosa Caristos.

Et lib. 2. in Surrentino Pollij.

——— & gaudens fluctus spectare Caristos.

Et 1. in Epithal. Stellæ. *——— & concolor alto*

Vena mari ———

BASSAM CÆLLAMQVE] ficta nomina certaque pro incertis. HEREDE THEATRO] Hoc dicit. Heri, cùm ex theatro subitò discederes, imò fugeres canente Cythara Pollione, nobili Cytharœdo (de quo Iuuenalis scribit) dicebas tibi nouam hæreditatem trecentorum millium sestertiûm, hoc est, septies mille, quingentos Philippæos obuenisse; mane vesperique ducenta, hoc est, quinquies mille Philippæos. Poëta Mancini vecordiam & mendacia auget. QVID TIBI SODALES FECIMVS] Ita Catullus ad Licinium.

Nam quid feci ego, quidue sum locutus,
Cur me tot male perderes poëtis?

Quid fecimus, vti nos tuis insolentissimis & vanissimis fœlicitatum iactationibus occideres? MISERERE IAM CRVDELIS] quia nos enecas dictis. AVT SI TACERE, &c. NARRA, QVOD VELIMVS, &c.] narra te omnibus bonis spoliatum, aut iacturam fecisse, hoc nobis erit iucundissimum audire, hoc cupimus, hoc optamus te periisse. aut dona aliquid, vt possimus hoc audire, nam gratis quis audiat? vt suprà epig. 37. de Coracino dixit.

De Lycori.

LXII. XLIX.

Tibur in Herculeum migrauit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Ridet deformitatem Lycoridis fœminæ lupæ. Tibur, vt suprà dictum, frigidior est locus, eoque candidior hominum ibi forma: Ebur verò, Plinio & Silio testibus candidissimum ibi seruabatur. Lycoris nigra Romæ negligebatur ob deformitatem, vt candidior redderetur, Tibur migrauit. hoc ridet, occulteque insinuat, Æthiopem lauari non posse. lib. 7. epig. 12.

Dum Tiburtinis albescere collibus audit
Antiqui dentis, fusca Lycoris, ebur:
Venit in Herculeos colles. quid Tiburis alta
Aura valet? paruo tempore nigra redit.

De Cærelia.

LXIII. L.

Dum petit è Baulis mater Cærelia Baias,
Occidit insani crimine mersa freti.
Gloria quanta perit vobis? hæc monstra Neroni,
Nec quondam iussa præstiteratis, aquæ.

Naufragium Cæreliæ describit. De Baulis ita Tacitus annal. lib. 14. *duxitq́, Baulos. Id villæ nomen est, quæ promontorium Misenum inter, & Baianum lacum flexo mari alluitur.* olim Boaulia, deinde corrupta voce Bauli dicta, vt Symmachus eius postea Dominus villæ scribit. (Epist. 1 ad patrem.)

Huc Deus Alcides stabulanda armenta coëgit
Eruta Geryonis de lare tergemini.
Inde recens at as corrupta Boaulia Baulos
Nuncupat occulto nominis indicio.
Ab Diuo ad proceres domino fortuna cucurrit,
Fama locis obscuros ne pateretur heros.
Hanc celebrauit opum felix Hortensius aulam,
Contra Arpinatem qui stetit eloquio.

Fuerunt ergo Bauli primùm Herculis, deinde Procerum Romanorum, quos inter Hortensius. tum Imperatorum, & Antoniæ Drusi. CRIMINE MERSA FRETI] fortean melius. Occidit insani mersa furore freti, sed non sine exemplo poëta dixit, crimine. Propertius de aquis Baianis, in queis mersus Marcellus.

At nunc inuisæ magno cum crimine Baiæ.

Et lib. 2. *Iupiter affectæ tandem miserere puellæ,*
Tam formosa tuum mortua crimen erit.

Et Mar-

Et Martialis lib. 9.

Cappad. saxis Antistius occidis oris
Rusticus; ô tristi crimine terra nocens.

Tempestate periit. HÆC MONSTRA NERONI] Historica Synæresis. olim ad Baulos Nero matrem soluto repentè machinoso nauigio iusserat mergi, quæ tamen enauit. ita illam iussæ aquæ non oppresserunt; hanc iniussæ hauserunt. GLORIA QVANTA PERIT?] Magnam laudem vobis comparatam (cum Agrippinam iussæ, non mersistis) in Cærelia innocente submersa perdidistis, quam etiam iniussæ hausistis. MONSTRA] Casum, naufragium, mortem. Dio. sed mare has tragœdias in se perferre non potuit, neque cælare diutius fraudem nefarij sceleris.

De Hortis Martialis.

LI. LXIV.

Iulî iugera pauca Martialis
Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Ianiculi iugo recumbunt:
Lati collibus imminent recessus:
Et planus modico tumore vertex
Cælo perfruitur sereniore:
Et curuas nebula tegente valles
Solus luce nitet peculiari:
*Puris leniter admouentur * astris*
Celsæ culmina delicata villæ.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoq; Tusculosq; colles
Et quodcunq; iacet sub vrbe frigus,
Fidenas veteres, breuesq; Rubras,
Et quod virgineo cruore gaudet
Annæ pomiferum nemus Perannæ.
Illic Flaminiæ, Salariæqúe
Gestator patet, Essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor valet helciariorum.
Cùm sit tam propè Muluius, sacrumqúe
Lapsæ per Tiberim volent carinæ,
Hoc rus (seu potius domus vocanda est)
Commendat dominus, tuam putabis;
Tam non inuida, tamq; liberalis,
Tam comi patet hospitalittae.
Credas Alcinoi pios Penates,
Aut facti modò diuitis Molorchi.
Vos nunc omnia parua qui putatis,

Iuli. al. Tulli.

* Austris alij maluunt, sereno tamen astris.

Centeno gelidum ligone Tibur
Vel Præneste domate, pendulamque
Vni dedite Setiam colono;
Dum, me iudice, præferantur istis
Tulli iugera pauca Martialis.

† Tulli] Omnino legendum existimo Iuli & sit fortassis, de quo Tacit. lib. 17. Statianum in castris agebat Iulius Martialis tribunus. Et: Vulnerato Iulio Martiale tribuno. De hoc vide plura lib. spect. ep. primo de Pyramidum dimensione.

† Iulij Martialis, non suum laudat hortum. Et ad hunc Martialem alia sunt epigrammata sequentibus libris. primum sexti.

Sextus mittitur hic tibi libellus,
Inprimis mihi chare Martialis:

Et illud lib. 10.

Vitam quæ faciunt beatiorem.
Iucundissime Martialis hæc sunt.

Septimi ep. 16. ad bibliothecam Martialis. Falluntur ergo, qui putant hic ipsius poëtæ Martialis hortum describi. Nunquam enim poëta hæc de se *Commendet dominus, tuam putabis*, & quæ sequuntur. IVGERVM] Lucas Pætus ex Varrone, Plinio, Columella, &c. Iugeri solum & area quadratos pedes continet 28. M. octingentos, quod inde patet, si ducentos quadraginta, & centum viginti pedes in se reducas. Iugerum est ducenos pedes & quadragenos longum, centum viginti latum. Vulgò iugerum, quod iuncti boues vno die arare possunt. Ein jauch Acker. LONGO IANICVLI] Ianiculus seu Ianiculum, vt Halicarnasseus lib. 9. docet, viginti stadia porrectus ab vrbe ad pontem Miluium vsque. Aliter scribit Marlianus lib. 7. cap. 9. qui Ianiculum sex stadiis porrigi in meridiem dicit. Sed Baronius Cardinalis Annal. Eccles. vol. 1. pag. 669. 4. editionis Ianiculum ait veteribus complexum omnes colles illos, qui modicarum vallium interiectu sibi coniuncti ab eo termino, qui est proximus Auentino atque Vaticano continuantur, & super porta Mutia porriguntur, ac prope pontem Miluium terminantur. Et hoc est quod Martialis ait. LONGO IANICVLI IVGO RECVMBVNT] horti nempe Iulij Martialis. HORTIS HESPERIDVM BEATIORA] De hortis Hesperidum alibi dictum. Lege Natal. com. lib. 7. cap. 7. de Hesperidibus. LATI COLLIBVS EMINENT] Lati colles Ianiculi latos habent campos, nec sunt acuti, sed propè plani, vt sequitur. ET PLANVS MODICO TVMORE VERTEX COELO PERFRVITVR SERENIORE] Cùm valles circa Ianiculum obscurarum nebularum caligine inuoluuntur, vertex tamen serenus est, & solus frui tur sole, vallibus nocte nebularum tectis. PVRIS LENITER ADMOVENTVR ASTRIS CELSA CVLMINA, &c.] In vertice Iulius Martiali villam, æstiuamque domum altiorem & magnificentiorem instruxerat. Quò altior enim est fabrica, hoc propius admouetur astris: Austris existimant legendum nonnulli: sed Austrum verberant, cùm poëta dixerit cœlo perfruitur sereniore. Serenius cœlum non est Austrium, quod plerunque nebulosum & nubilum, Plinio teste lib. 2. & lib. 18. aliisque. Claudianus de pestilenti Sardinia, --*exclusis regnant Aquilonibus Austri.* Noxium etiam corporibus Austrum docet Vitruuius lib. 1. cap. 6. *Quemadmodum*, inquit, *in insula Lesbo oppidum Mytilene magnificenter est ædificatum & eleganter, sed positum non prudenter. In qua ciuitate Auster cùm flat, homines ægrotant, cùm Corus, tussiunt, cùm septentrio, restituuntur in salubritatem.* Testantur idem philosophi ad Aristotelis Meteora commentantes. Quanquam Auster in Africa serenat, qui obnubit cœlum in Europa, vbi Aquilo & Auster iurati hostes. Planè locum describi puto eum, qui nunc vocatur mons aureus, vel ab arenis flauis, vt Onuphrius Panuinius scribit; vel honoris caussa, vt coniectat Baronius Cardinalis; ibi enim S. Petrum in crucem actum suspicatur. SEPTEM MONTES] Sunt hi. Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Cælius, Esquilinus, Viminalis, Auentinus. Quibus postea accesserunt Collis hortulorum, Ianiculum, & Vaticanus. Panuinius de vrbis Romæ situ. Marlianus, alij. A septem montibus vrbs, septem montium appellatur Roma, & Varro diem septimontium nominatum prodit. Poëtæ sæpius Romam in septem montibus ἑπτάλοφον nominant. Propertius.

Septem vrbs alta iugis, quæ toti præsidet orbi.

Statius septem geminam vocat. Virgilius septem arces.

Septemq; vna sibi muro circundedit arces.

DOMINOS] quia Roma Domina & caput mundi. ALBANOS] Mons Albanus, auctore Strabone, distat centum & decem stadia, hoc est, quinq; milliari nostratia, seu viginti millia passuum. Dicitur mons Albanus ab Alba longa, ibi quondam extructa. Algidum haud procul inde abest. Albæ Colonia distat ab vrbe centum stadiis. Dionysius. TVSCVLOSQVE COLLES] Tusculum vrbs Latij, inde Tusculanum Cic. prædium, & Tusculanus mons apud Strabonem lib. 5. *Ibi Tusculum habet collem, terræ bonitate, & aquarum copia præclarum, qui multis partibus sensim attollitur & eregionem*, &c. p. 262. Strab. ET QVODCVNQVE IACET] Et omnes, inquit, suburbani agri, villæ conualles, prædia. FIDENAS VETERES] Fidenæ enim antiquiores Roma, triginta aut quadraginta stadiis ab vrbe remotæ. BREVESQVE RVBRAS] Rubræ oppidum Latij. quarto Auctorem. in tabulis Peu-

Strabo lib. 5. & Dionys.

tingerianâ quam M. Velserus eruit, Rubrarum fit mentio, via Flaminia non procul ab vrbe. Vitruuius Rubra saxa videtur appellare. BREVES] oppidum paruum, an breues, quia breue iter eo ab vrbe? non reor. ET QVOD VIRGINEO] nemus Dianæ Aricinæ intelligit, cùm dicit, *quod virgineo cruore gaudet*. Nam vt Strabo notauit lib.5. fuerunt in illo luco Dianæ Tauricæ similia sacra, hominesque mactabantur in sacrificio. Locum, sacrificium, lucumque totum describit Strabo. Sunt qui exponant Virgineum cruorem à Virgine Diana in venatione & cęde ferarum fusum: aut vt Domitius sentit, ob pueros ibi ad aram, vt Lacedæmone Thoantio more, ad sanguinem vsq; cæsos; vel intelligendus victimarum sanguis, quarum Deæ immolatarum sanguinem virgineum vocat, quòd Virgini fundatur, vel, vt sentit Musambertius, quod Anna Peranna, dum se ex alta fenestra, vt historici, non humili, vt Ouidius fabulæ caussa tradit, præcipitem dedit, sanguinem fuderit, semper autem fides historica poëticis commentis præferenda. Sunt qui virgineum cruorem interpretantur Hippolyti cæde & laceratione tinctum: Vt colligitur ex Virgilio libro septimo, & ibi Seruio cuius verba hæc sunt: *Hippolytum, ait, castus vbiq; inductus est, & qui semper solus habitauerit.* Horatius Ode 7. lib. 4. pudicum vocat. *Infernis neq; enim tenebris Diana pudicum Liberat Hippolytum.* quippe haud prorsus, sed per Æsculapium, vt Virgilius annotat. Apud Ouidium Metamorph. 15. 529. Hippolytus de se ploat: *Vnum erat omnia vulnus.* Phœdra in Senecæ Hippolyto seipsam accusat vocatq; Hippolytum castum. *Mentita finxi; falsa punisti frater. Iuuenisq; castus crimine incesto iacet Pudicus, insons.* Ramirelij explanationem hic nihil moror. ANNÆ PERENNÆ] Hanc Ouidius ait fuisse sororem Didonis, quæ apud Æneam in Italia exularit, & in amnem Numicum, vt Lauiniæ insidias vitaret, se præcipitem egerit, & pro Dea postea culta sit. Idem tamen Annam Perennam, anum fuisse Bouillis quandam quæ populo in montem per seditionem digresso victum tulerit, in cuius memoriam hæc celebritas est instituta. Alij lunam fuisse Annam dictam, quòd annus ex mensibus fiat. Alij Atlantidem: fabulam totam complectitur Ouid. 3. Fast. celebatur idibus Martij, vt annare, & perennare commodè liceret. Mac ob. 1. Satur. Tiraquellus lib. 3. ad Alex. GESTATOR PATET] Angellaro pro lecticario? Lecticarij enim ferebant, & gestabant heros, quamuis & curru gestarentur. An ex villa Iulij despectus erat in viam, vt viderentur quidem esseda, & currus, sed non audirentur tamen, vt mox sequitur de celeumate, & clamore Helciariorum. Hanc veram sententiam iudico. In villa Iulij Martialis cernitur quidem cursus, qui gestat vehentes, sed non auditur, nec interpellat somnum dulce dormientis. Essedum genus vehiculi Gallici, Britannici, & aliarum nationum, Germanis, Rollwagen. FLAMINIÆ] viæ, quæ à porta Flumentana initium habuit, & nomen à C. Flaminio iterum Consule, qui ad lacum Trasimenum, cum quindecim millibus ab Annibale cæsus est. Sunt qui dicant à filio Flaminij stratam: sed Panuinius censet, à patre cœptam, à filio perfectam. Ab vrbe per Tusciam & Vmbriam, Ariminum vsque pertinebat. Et hac via tota Roma spectari poterat, vt lib. 10. Martialis.

Totaq; Flaminia Roma videnda via.

SALARIÆQVE] Tacitus initium viæ Salariæ ponit à porta Collina, vt transuersis itineribus per agrum Sabinum via Salaria vrbem introirent. Dicta est Salaria à sale Sex. Pomp. *Salaria via Romæ est appellata, quia per eam Sabini sal à mari deferebant.* Idem Strabo ex Fabio testatur, cùm Romanos victos Sabinis opibus plurimum auctos scribit. Accedit ad hanc viam Plinius lib. 31. cap. 7. Plura apud Panuinium, Marlianum, alios. QVEM NEC RVMPERE, &c. NEC CLAMOR, &c.] Auget loci & villæ commodissimum situm, quod, etsi vicinus sit pons Miluius, Tiberis, nautæ, Helciariorum nauium copia; tamen clamor ad montem & Ianiculum fractus, non turbet somnum in prætorio Ianiculi cubantis, vixque ad ipsam villam accedat. CELEVMA] *Celeustes est*, inquit Budæus in Pandectis, *qui remiges hortatur, quasi nauigationis moderator, qui à Plauto latinè hortator appellatur, quod ea hortamenta faciat, quæ verbo Græco Celeusmata dicuntur etiam à Latinis. Hoc verò celeusma, quod & celeuma dicitur, in nauibus classiariis assa voce interdum, interdum tibia canebatur, ita vt remiges pro modulorum, & harmoniæ ratione, vel concitarent, vel inhiberent remos.* Sidonius ep. 12. lib. 8. *Hic tuas laudes modificat celeumate, simul inter transtra remiges, gubernatores inter aplustria canent.* Idem ep. 10. Paullinus de Nicetiæ reditu.

Nauita læti solitum celeusma
Concinent versis modulis in hymnos.

B. Hieronymus ad Heliod. *Lesantium more nautarum epilogi celeuma cantandum est.* Pedianus auctor est, canis remigibus celeuma per symphoniacos seruos solitum olim esse, & per assam vocem, hoc est ore prolatam, & (vt in Argonautis) interdum per citharam. Cicero in Diuinat. *Ab hac muliere præfectus Antonij quidam symphoniacos seruos abducebat per iniuriam, quibus se in classe vti velle dicebat.* Canebant etiam iidem classicum pugnantibus, vt Pedianus exponit. HELCIARIORVM] helciarij sunt, qui onera moliuntur helciis, id est, funibus, vel qui naues deducunt, subducuntue, aut remulco trahunt; à græco ἕλκω vel ἑλκύω, qui se mutuo ad officium hortabantur, vt vno connixu conspirantes, admouerent vniuersis viribus possent, quod singulis nequirent. TAM PROPE MILVIVS] à Ianiculo. Pons Miluius, seu Muluius in via Flaminia situs vltra primum lapidem ab vrbe. Marlianus

al. peranna.

Hunc locum Sidonius videtur expressisse lib. 2. epist. 10. Curuorum hinc chorus helciariorum.

nus cap.3.lib.7. AM. Scauro Syllanis temporibus est extructus. SACRVMQVE TIBERIN] sacrum, quia pro D. [illegible] colebatur, Virg.8.

Huic Deus ipse loci fluuio Tiberinus amano, &c.

Et mox: *Tuq; ô Tibri tuo genitor cum flumine sancto.*

Cui ibid. sacrificat Æneas. HOC RVS SEV POTIVS] Correctio. Rus quidem est, sed tam hospitale ob Domini liberalitatem, vt meritò domus appellari possit. COMMENDAT DOMINVS] Iulius Martialis possessor. gratum alioqui, gratius ob humanitatem hospitis. TVAM PVTABIS] Ita patet amicis, vt ipsemet exponit. TAM NON INVIDA] aliis. TAMQVE LIBERALIS, &c.] nullo bonorum excluso. ALCINOI PIOS PENATES] De hortis Alcinoi Vlyssem excipientis ex Homeri lib.6. Odyss. & Ouidio diximus. AVT FACTI MODO DIVITIS MOLORCHI] Huius Molorchi mentio est apud Verg.3. Georg. & Seruium, frequentior apud Statium. Pastor fuit in Nemea Silua, qui Herculem ad leonem Nemæum venientem hospitio, quamuis tenuis, excepit. Statius Sil. lib.3. in Hercule.

Non te (Herculem alloquitur) *Lerna nocens nec pauperis arua Molorchi,*
Nec formidatus Nemees ager, antraq; poscunt.

Quid ergo Martialis modò factum ait diuitem? Domitianus Herculi fanum excitauit omni cultu & luxu regio instructum, in quo erat sacellum Molorchi diues ob donaria plurima Cæsaris illuc congesta. Hinc ait; *modò diuitis Molorchi*, locupletati nempe à Domitiano, cùm esset pauper. VOS NVNC, OMNIA PARVA QVI PVTATIS] Præfert in Epiphonemate hortos Martialis, quamuis exiguos immensis iugeribus Tiburtinis, Prænestinis, Setinis. VOS] lautiores, qui centum iugera aratis. CENTENO LIGONE] centum seruis iunctis. met[o]nymia. Serui enim ergastularij opus faciebant in agris diuitum. Seneca de Beneficiis. *O miserum, si quem delectat sui patrimonij liber [illegible], & spatia terrarum colenda per vinctos.* Florus hos cathenatos cultores appellat. Huc Ouidij versus [illegible] rendus.

Spes etiam dura solatur compede vinctos
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Pœnæ caussa relegabantur in agros ibique vincti opus faciebant, quorum tanta fuit copia, vt agros & Prouincias implerent. Locum hunc egregiè tractat Lipsius, Elect. lib.2. cap 15. De Tibure paullò antè largè dictum. PRÆNESTE] Vrbs Latij, describitur graphicè Straboni lib.5. Abest Roma stadiis ducentis, olim Polystephanus dicebatur, diues agri. PENDVLAMQVE SETIAM] Setia ciuitas in extrema Latij parte, supra forum Appij, ab vrbe triginta millia passuum, vel amplius abest. Vnde Setinum vinum, de quo lib.13. disseruimus ad illum versum.

Pendula Pontinos quæ spectat Setia campos.

Plinius ciuitatem ait Campaniæ. PENDVLAMQVE] vocat ob situm. edita enim erat, vt procul spectantibus velutè rupe pendere videretur. Sed curait, VNI COLONO DEDENDAM ESSE SETIAM?] An locandum vni colono Setinum agrum dixit, qui eum colat cum familia, vnde Domino pendat censum? An: (quod opinor) possideat illa omnia vnus, mihi præ omnibus vnus placet hortus Iulij Martialis. DVM, ME IVDICE] nobiles sunt fundi Tiburtini, Prænestini, Setini; his tamen præfero hortos Martialis.

De Philæni.

LXV. LII.

Oculo Philænis semper altero plorat.
Quo fiat istud, quæritis, modo? lusca est,

Si vtrumque saluum haberet, vtroque ploraret. Videtur mores notare voluisse, & naturæ vitium ἀπροσδοκήτως, tangit, cuius generis plura sunt apud hunc poëtam, & Ciceronem lib.2. de Orat. *Sapiens, si timeat, quid faciet? tremet*, &c. Pauper si esuriat, quid aget? comedet: si tamen sit, quod edat. LVSCA EST] Lusciositas est humoris copia, propterea & natu minoribus contingere consueuit, quorum est humectius cerebrum, sed luscus est, defioculus, cocles, vnoculus ἑτερόφθαλμος. Sed aliud est esse luscum, aliud lusciosum. Luscus est altero oculo, vt dixi, captus, lusciosus, cui hebes oculorum acies: Blintzler.

Ad Linum.

LXVI. LIII.

Egisti vitam semper, Line, municipalem;
*Qua nihil omnino * dulcius esse potest.*
*Idibus & raris togula est * excussa Kalendis:*
Duxit & æstates synthesis vna decem.

* villius placet Scriuerio. al. durius, al. dulcius.
* tibi /tempora. sed idem sensus.

Saltus

Saltus aprum, campus leporem tibi misit inemptum:
Silua grauis turdos exagitata dedit.
Raptus flumineo venit de gurgite piscis;
Vina rubens fudit non peregrina cadus.
Nec tener Argolica missus de gente minister,
Sed stetit inculti rustica turba foci.
Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris:
Nec mersa est pelago, nec fluit vlla ratis.
* *Supposita est blando nunquam tibi tessera talo:*
Alea sed parcæ sola fuere nuces.
Dic, vbi sit decies, mater quod auara reliquit?
Nusquam est: fecisti rem, Line, difficilem.

* *Opposita est, non certasti cum lusoribus magno precio.*

Linum ex copiis ad inopiam redactum irridet. MVNICIPALEM] municeps est, qui partem muneris capit, cum populo Romano, non tamen eodem omnino iure est cum ciue Romano, MVNICIPIVM] oppidum est certa lege ciuitate donatum: municipalis qui vitam municipum agit. Legatur Gellius lib. 16. Festus, Sigonius, Manutius & Panuinius de Imperio Romano, vbi municipia ordine recenset. MVNICIPALEM] Rusticanam intellige, agrestem, sobriam & frugalem, opponitur enim vrbanæ, lautæ, delicatæ. Cic. pro Sexto Roscio Amerino. *Patresfamilias, qui liberos habent, præsertim homines illius ordinis, ex municipiis rusticanis, &c.* Et de ipso filio Sexti Roscij municipis nobilissimi. *Ignosci oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, cum ruri assiduus semper vixerit.* Sic autem Martialis disserit. Line, cùm tu ditissimus, sobriè & frugaliter vixeris, quo pacto ad egestatem, & mendicitatem extremam peruenisti? Ram. legit durius, durè sanè. DVLCIVS] non repugnat menti, si legas (vilius) hoc est, abiectius, humilius; hoc enim maior erit admiratio te nihilominus ex opulento pauperem factum. Sed retinemus (dulcius) cum quo facit M. Tullius; *Vitam hanc rusticam, quam tu probro, & crimini putas esse oportere, & honestissimam & suauissimam esse arbitrantur.* Et mox: *cùm præsertim nihil esset, quod aut patri gratius, aut sibi iucundius, reuera honestius facere posset.* IDIBVS ET RARIS TOGVLA] Calendis. & ibid. sacrificia publica fiebant, populusque togatus conueniebat, siue is vrbanus, siue agrestis. Sed non est necesse dicere, Linum in vrbem venisse. Nam in municipiis dies festos suos agitabant, quibus togas candidiores sumebant. Calendæ Iunoni, Idus Ioui sacræ erant. Ouid. 1. Fast.

Vendicat Ausonias Iunonis cura Calendas,
Idibus alba Ioui grandior agna cadit.

Macrobius lib. 1. cap. 15. *Vt autem Idus omnes Ioui, ita Calendas Iunoni tributas, & Varronis, & Pontificalis confirmat auctoritas,* &c. vbi multa de his Calendis. RARIS] quia rarò in vrbem ventitabat Linus, nec omnibus Calendis. TOGVLA] non lauta, nec laxa, qualem beatiores gestabant, sed exigua & angusta, quam non turba tantùm, sed viri graues ac rigidi amabant. de qua Horat.

Exiguæq; togæ simulet textore Catonem.

EXCVSSA] explicata. nunquam ferè depromuntur ex arcis capsisque collectæ vestes, quin explicando simul excutiantur. Est metonymia. signum pro signato ponitur, hoc est, sumpta, induta. DVXIT AB ÆSTATES] Decem annis vnam tantùm attriuisti vestem cœnatoriam; hæc enim, vt alias docuimus, synthesis est, quam cœnaturi induebant. SALTVS APRVM, CAMPVS LEPOREM] *saltus est, vbi siluæ, & pastiones sunt,* inquit Caius Ælius. Saltus ergo tibi suppeditarunt apros, vepreta camporum lepores. INEMPTVM] sed venatione quæsitum: dicitur id, quod ruri tuo nascitur. Horat. Od. 2. Epod. de laude vitæ rusticæ.

Dapes inemptas apparet.

Et Virgil. 4. Georg.

——*dapibus mensas onerabat inemptis.*

SILVA GRAVES TVRDOS] Silua aucupio fatigata præbet aues. Species pro genere. GRAVES] pingues. DE GVRGITE PISCIS] piscaris, venaris, vindemias colligis in tuis prædiis, nihil emis. RVBENS] non tam ad vini, quàm cadi colorem refertur; rubris enim testis vina seruabant, vt alias monuimus, figlinis nempe & igne coctis, indeque rubris. NEC TENER ARGOLICA] nec tibi administer mensæ è Græcia, more lautiorum Romanorum multo auro comparatus est, sed rustica proles à pedibus stetit. NEC NOCVIT TECTIS IGNIS] nullum vel terra vel mari, vel domi,

Linus decoctor & conturbator.

veltu-

vel foris fortunæ casum grauiorem es passus. SIRIVS] Canicula, quia terram, agros vrit, segetem exurit, quam egregiè describit lib.5. Manilius, Virg. Georgicis, alij. Vocatur canicula & canis, & μείζων κύων. Arato, προκύων minor. Quæ hoc loco Ramiresius de caumate nugatur, merito M. samb. irridet. FLVIT] versatur in mari, quæ tua sit. SVPPOSITA EST NVNQVAM] nunquam lucri causa mutasti talum tessera, nam talis ludebatur potissimùm animi causa, ab omni ætate præsertim Saturnalibus: tessera verò lucri gratia; talus blandus, quia gratior, & omni ætati conuenientior, etiam pueris. tess. ra rixas ciebat, vt sæpius ad manus veniretur. De lucro tesseræ videtur Martialis loqui lib.14.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Maior, quàm talis alea sæpè mihi.

ALEA SED PARCÆ] Victoriæ præmium erant nuces, cùm luderes, nec commodum, si vinceres, nec incommodum, si vincereris. NVCES] puerorum, & eorum qui tantùm fallendi temporis causa ludunt, præmia. DIC, VBI SIT DECIES] cùm tam parcè, & frugaliter vixeris, vbi est patrimonium tuum à matre legatum, hoc est, viginti quinque millia Philippæorum? NVSQVAM EST: FECISTI REM LINE DIFFICILEM] Decoxisti. rem familiarem fecisti difficilem, quod nos patria linguà dicimus, du hast vbel gehaust. Sed primus poëtæ sensus videtur ad labores vitæ municipalis grauies, & difficiles tolerandus, cùm postremò, ob verbi dilogiam paupertatem Lini maximè notatam velit. An tertium hic mysterium latet? quod est in Germa... vbel hausen/ & ad flagitium etiam pertinet? ita certè nonnulli quod pecuniam in flagitiosos & impuros impurissimus ipse, vt alibi notatur, effuderit.

In Prætorem.

LXVII. LIV.

Prætorem pauper centum sestertia Gaurus
Orabat * *carâ notus amicitiâ.*
Dicebatq; suis hæc tantùm deesse trecentis,
Vt posset domino plaudere iustus eques.
Prætor ait: scis me Scorpo Thallóq; daturum:
Atq; vtinam centum millia sola darem.
Ah pudet ingratæ, pudet ah malè diuitis arcæ:
Quod non das equiti, vis dare, prætor, equo?

* cana.

Αχαριστίαν Prætoris cuiusdam adversus veterem amicum damnat, quòd maluerit feræ quàm homini prodesse. CENTVM SESTERTIA] centum millia sestertiûm. Vnum sestertium neutro genere mille valet sestertiis, hoc est, bis mille quingentis Philippæis. CANA] vetere, à pueris instituta, hoc ingratior Prætor, qui tali negauit. TRECENTIS] sestertiis, siue trecentis millibus sestertiûm; quadringenta enim sestertia, vt superius est à nobis scriptum, siue quadringenta millia sestertiûm, census erat equester, hoc est, decem millia Philippæorum. VT POSSET DOMINO PLAVDERE] Vt equestribus ornamentis, & dignitate affectus principem prodeuntem cum equestri ordine comitaretur. Dominus enim pro Imperatore, & hoc loco pro Domitiano ponitur. PRÆTOR AIT, SCIS ME SCORPO] Excusat prætor negatam amico pecuniam. danda illa Scorpo & Thallo, & maior danda, tibi igitur neganda. Scorpus agitator celebratissimus iuuenis vigesimo septimo anno extinctus est, vt Martialis lib.10. docet.

Inuida quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas credidit esse senem.

Agitatoribus Scorpo & Thallo dabatur pecunia ad ἱπποτροφίαν seu alendos equos. In eodem lib. eodem epig.50. miror Domitium affirmare huic à caligula præter amplissima munera consulatum esse destinatum; cùm tempore Caligulæ neque natus quidem Scorpus fuerit. Caligula sanè Eutychum, seu Cythicum, seu Scyticum, seu Cycicum, vt Torrentius habet ad Suetonium, donis coluit, & consulatu ornare decreuit. Cui in Apophoretis sestertium vicies contulerat, de Scorpo nulla mentio. THALLOQVE] sic legendum monet vetus inscriptio Romæ in ædibus Cecchinorum de Diocle agitatore. CENTVM. VICTORIAS. CONSECVTVS. EST. VICTOR. C. III. SINGVLARVM. VICIT. LXXXIII. ADHVC. AVGENS. GLORIAM. TITVLI. SVI. PRÆCESSI THALLVM. FACTIONIS. SVÆ. QVI. PRIMVS. IN. FACTIONE.

In ea-

In eadem inscriptione, & Scorpus nominatur FACTIONIS. PRASINAC. VICTOR. ET. FLAVIVS. SCORPVS. VICTOR.

Lipsius Epistolicarum quæstionum lib.1. epist.5.

AH PVDET INGRATÆ] Epiphonema à rei indignitate, negas homini, & amico vetustissimo, das equo, & plura das centum sestertiis. MALE DIVITIS] abutebatur enim opibus prætor. EQVO] statuam equestrem Scorpo excitatam dicit. Lege quæ lib.5. ep.26. de Chærestrato ex Bulengero scripsimus, ad illum versum.

Quàm non sensuro dare quadringenta caballo.

Nihil hic obscurum aut difficile.

Ad Sextum.

LV. LXVIII.

Inuitas centum quadrantibus, & benè cœnas:
Vt cœnem inuitor, Sexte, an vt inuideam?

Sportulæ pretio inuitârat poëtam Sextus, & Sextus lautè cœnabat, atque in eadem mensa sordidè Poëta. Hoc Martiali dolet, cui infelici spectanda erat inuidenda alterius felicitas. De huius generis inuitatoribus dictum lib.3. ep.59. in Ponticum. CENTVM QVADRANTES] decem nummis sestertiis. 5. Batzen. quinque victoriatis seu quinariis.

Ad Pamphilum.

LVI. LXIX.

Tu Setina bibis semper, vel Maßica ponis,
Pamphile: sed rumor tam bona vina negat.
Diceris hac factus cælebs quater esse lagena.
Nec puto, nec credo, Pamphile, nec sitio.

Non agit hic de ætate vini, vt quidã putant, sed de veneno. Natura Setinum optimum est, lege lib.13. Pontre vinũ etiam Petronius in Trimalcionis conuiuio dixit.

À Pamphilo quatuor vxores veneno interfectas dicit, eoque se non sitire ipsius, quamuis optimam lagenam. RVMOR NEGAT] esse tam bona vina, quàm prædicas, sed infecta Pharmaco. SETINA] paullò antè de Setia diximus, & de Setino vino lib.13 vti & Massico copiosè. CÆLEBS] Viduus, propinata vxori medicata veneni potione. quatuor vxores occidisti. NEC PVTO, NEC CREDO, NEC SITIO] non disputo, an rumor vera narret, ego tamen experimento non discam, ne peream. grassabatur hoc vitium Romæ passim lege ep.lib.8.43. De Fabio & Christilla. Iuuen.Sat.6. Et nostrum pluribus locis.

De * Ammiano.

De Amiano. infrà

LXX.

*Nihil Ammiano præter aridam * restem*
Moriens reliquit vltimis pater ceris.
*Fieri * putet potuisse quis, Maronille*
Vt Ammianus mortuum patrem nollet?

* Anniano. * vestem. * putaret posse.

Filij cum sperant se ex asse fore hæredes, sæpe optant suorum mortem. Ammianus seu Annianus optabat rediuiuum, imo nunquam mortuum patrem, quamuis exhæres, quin ideo quia exhæredatus, viuo enim patre & ipse habebat vnde viueret. Domitius prope restem induit, dum aridam vestem excutit, & modò tritam, modò aridam legit. vestisque nomine, vel rudem gladiatoriam, vel cathedram intelligendam vanè auguratur. Ego cum ingeniosissimo Lipsio lib.1. Elect. cap.18. restem repono, quod & ingenium poëtæ, & res ipsa iubet. Sensus est. A patre, perdito filio Ammiano restem seu laqueum testamento, quo se suspenderent, relictum. Ita enim nepos ille Ammianus viui patris bona afflixerat, vt & se, & fortè patrem ad extremam inopiam compulerit. Pater ergo moriturus de filio desperans, illi restem pro testamento imprecatus est, vti simile testamentum in veteri legitur inscriptione.

ATIMETO. LIB. CVIVS. DOLO. FILIAM. AMISI.
RESTEM. ET. CLAVOM. VNDE. SIBI. COLLVM. ALLIGET.

VLTI-

Legatur Alex. ab Alex. 2.c.cap. lib 1. quo accuratè super hac re disputat, & Tiraquellus ad eundem. Horatij item interpretes. Brissonij form.lib.7. pag.595. Casaub. ad Iulium Suet. Hotomannus ad 3. Cic. Verrinā, Torrentius.

VLTIMIS CERIS] Vltimas ceras generatim pro vltimâ & extremâ voluntate testatoris possis accipere, id est, pro ipso testamento, non primo sed postremo, & postremùm emendato. Propriè vero pro extrema seu ima cera. idem enim est (etsi negent imperitiores) ima, & extrema, hoc est, pro altero capite seu vltima & extrema tabula testamenti, qua secundi hæredes nominabantur, legataq; & alia onera primis hæredibus imponebantur. vt Suet. Iulio cap.83. discis. *Sed nouissimo testamento tres instituit hæredes sororum nepotes (Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante reliquo: in ima cera) Octauium etiam in familiam nomenq; adoptauit, pluresq; percussorum in tutoribus filij, si quis sibi nasceretur, nominauit. D. Brutum etiam in secundis hæredibus.* Quod vt intelligas, disce testamentum pluribus tabulis constitisse. Suet. Nerone cap.17. *Cautum vt in testamentis primæ duæ ceræ testatorum modo nomine inscripto, vacuæ signaturis ostenderentur.* Cic Verr.3. *Deinde in codicis extrema cera nomen infimum in flagitiosâ liturâ fecit,* Ad quem locum Asconius extrema cera, vltima tabula, vltima parte tabulæ. Horatius lib.2.Sat.5.

Sic tamen vt limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu solus multisne cohæres.

Primam ceram, Acron & Porphyrion primam tabulam testamenti interpretantur. In qua primo versu nomen testatoris sit expressum, in altero versu nomen hæredis. sed inde non videtur effici, quod vult Torrentius, duas fuisse tabulas primas, quibus nihil nisi nomen testatoris & hæredis inscriberetur. Cum in prima cera seu tabula potuerit primo versu nomen testatoris poni, altero eiusdem primæ tabulæ nomen hæredis. clarius apud Suet. in Nerone est testimonium de duabus primis ceris, quas rectè duas primas tabulas exponit. Hoc obseruandum esset iis, qui putarent vnam duntaxat tabulam testamenti fuisse diuisam in tres partes, primam, mediam, imam. Atque imam dici infimam seu extremam partem tabulæ, vt videtur Asconius cum dicit *vltima tabula, vltima parte tabulæ*, vt dicimus extrema epistola, extremo libro, id est, extrema parte libri. Sed planè sentio cum Torrentio de pluribus tabulis testamenti, quod ex Cic. & Suetonio ostendit. Taceo imas ceras, id est, stilo magis impresso, vt deleri commodè non possit, quod ad parœmiam pertinet, de qua D. Hieronymus imis ceris eradere. Ammianum igitur Martialis quasi in imam ceram testamenti à patre velut legatarium aut secundum hæredem reiectum, restem pro asse inuenisse, qua se suspenderet. Fierique potuit vt pater diues, alios hæredes, excluso filio nominarit. MORTVVM NOLLET] Viuum patrem Ammianus cupiebat mortuum; mortuum optat viuum. Illud quia coercebatur à patre luxus filij, quod Ammianus ægre patiebatur. Hoc quia patre mortuo exhæredatus cogebatur etiam nolens esurire, cum antea semper haberet, vnde etiam beatius lautiusq; viueret. lege epig.10. lib 3. Hoc epigramma fit huius lib.70. MARONILLE] Ita lege, vel Maronilla. nam Maronillæ ferri non potest. NOLLET] mortuum, occisum nonnulli volunt, cuius pœnituerit Ammianum seu Ammianum vt alij legunt.

Ad Quintum.

LXXII. LVII.

Exigis, vt donem nostros tibi, Quinte, libellos.
Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.
Æs dabo pro nugis, & emam tua carmina sanus?
Non, inquis, faciam tam fatuè: nec ego.

Fatuum hic doceam, quod cuiuis alteri clarum? De Tryphone nobili bibliopola habes in præfatione Quintiliani, huic Triphoni inscriptâ.

De Vestino.

LXXIII. LVIII.

Cùm grauis extremas Vestinus duceret horas,
Et iam per stygias esset iturus aquas;
Vltima voluentes orabat pensa sorores,
*Vt traherent parua stamina * pulla mora.*
Iam sibi defunctus caris dum viuit amicis,
Mouerunt tetricas tam pia vota Deas.

* nigra.

Tam

Tam largas partitus opes, à luce recessit:
Seque mori post hac credidit ille senem.

Atticus hic Vestinus est filius ipsius, vt sensit Lipsius, consularis viri, (de quo Claudius Cæsar orat. pro Gallis,) & in ipso consulatu iussu Neronis præter omnem culpam est interfectus, vt scribit in Nerone Suetonius & 15. annal. Tacitus, qui prolixe genus mortis exponit. Vestini ergo filii liberalitatem in amicos laudat Poeta. GRAVIS] ad morbum refero, quo grauiter affectus. SORORES] Parcas stamina, iam * fatalia rumpere tentantes. SENEM] Ingeniose & scite. sic lib. 10. de Scorpo.

Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Virtus enim & præclare facta, non anni, propagant mortalium ætatem, imo immortalitatem, cui sententiæ diuinæ accinunt historiæ.

Lege Lipsii ad Tacitum lib. Annal. 15.

** Hoc enim est, pulla, vt contra candida, niuea, alba vitam longiorem pollicentur.*

De Damis.

LIX. LXXIV.

Adspicis, imbelles tentent quam fortia damæ
Prælia? tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem paruis concurrere frontibus audent.
Vis, Cæsar, damis parcere? mitte canes.

IMBELLES] ἀντίθετον. imbelles damæ fortia prælia. TAM TIMIDIS] ita Ælian. lib. 7. cap. 10. ἄτολμα ἢ νεβροὶ, ϗ πτῶκες ϗ ζόρκες, ϗ πύγαργοι, ϗ οἱ λαγωοί, &c. timidi existimantur hinnuli, capreæ, damæ & pygargi, & lepores, Virg. Eclog. 8.

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

IN MORTEM PARVIS CONCVRRERE] exponit illud fortia prælia, quia in mortem concurrunt. VIS CÆSAR DAMIS PARCERE.] Elegans & arguta à contrario conclusio. quid enim cerui, lepores, damæ magis fugiunt ac horrent, quam canes? Iam tamen is status, & ea conditio damarum furentium, & pugnantium est, vt nisi canum latratu, & immissu inter se dirimantur, sint casuræ omnes. alioqui valeret eadem ratio in contrariis. Vis occidere Cæsar damas? immitte canes. sed nunc seruaret, quia diremta pugna fugerent. Lege epig. lib. 1. 49 de leporibus.

De damis supra sæpius. d.

De Nigrina.

LX. LXXV.

O felix animo, felix, Nigrina, marito,
Atque inter Latias gloria prima nurus.
*Te patrios miscere iuuat cum coniuge * sensus.*
Gaudentem socio participique viro.
Arserit Euadne flammis iniecta mariti,
Nec minor Alcestim fama sub astra ferat.
*Tu melius * certe meruisti pignore vitæ,*
Ut tibi non esset morte probandus amor.

** Census maritalis adi leg. Iuliam seu Papiam.*

** Ram. certa Mus. certo pignore communicati patrimonij.*

Tu lubens volensque cum marito tuas opes omnes vna dote communicasti, eaq; re declarasti, quantopere amares virum. GAVDENTEM] sterilem oportet fuisse Nigrinam: alioqui non licuisset opes cum marito communicare, si liberos procreasset, adi legem Papiam & Iuliam. Ant. August. l. Pap. *Ius autem liberorum impetrare solebant hi, qui, licet vxores haberent, cum tamen liberos non haberent, coniugibus succedere non poterant, nisi decima deducta ex lege Papia. Quamobrem extat post Theodosianas constitutiones Nouella Valentiniani de testamentis, in qua relatum Leonium & Iucundam vxorem tanta vicissim caritate certasse vt fusis simul precibus ius liberor. poscerent: & propter incertum sortis humanæ superstitem coniugem precarentur hæredem. Cuius legis interpres illud ita accepit, vt in coniugio positi filios non habeant, seu maritus vxorem, seu vxor maritum voluerit, relinquant hæredem;* Quod ius, *inquit*, liberorum dicitur de quo supra. ARSERIT EVADNE.] Tres fuerunt Euadnæ; Neptuni, & Pitanes ab Eurota progenitæ filia, de qua

Laus Nigrinæ ab amore coniugali.

qua Pindarus Olymp Od. 6. Πρὸς Πιτάναν δὲ παρ' Εὐρώτα πόρον δεῖ σάμερόν γ' ἐλθεῖν ἐν ὥρᾳ, ἅ τοι Ποσειδάωνι μιχθεῖσα Κρονίῳ λέγεται παῖδ' ἰόπλοκον Εὐάδναν τεκέμεν. Ad Pitanam autem iuxta Eurotæ meatum oportet hodie venire tempestiue, quæ Neptuno mixta Saturni filio dicitur filiam violaceis capillis Euadnen peperisse. Lege Benedictum Arotium ad hunc locum Pindari. Altera Peliæ regis filia, quam Iason Orneu Cephali regis Phoceorum filio nuptum tradidit, vt refert Theodorus Siculus. Tertia Iphide nata, qua Capanei in Thebarum oppugnatione * occisi coniunx erat. Et hanc memorat Poeta noster & Ouid. de Arte.3.

* Statius lib.10.

Accipe me, Capaneu, cineres miscebimus, inquit
Iphias, in medios desiluitq; rogos.

Quæ, vt intelligis ex versu, se in rogum ob mariti desiderium coniecit. De eadem Papianus libro 12.

Turbine quo sese charis instrauerit audax
Ignibus Euadne, fulmenq; in pectore magno
Quæsierit.

NEC MINVS ALCESTIM.] Alcestis Peliæ filia. Cum oraculo editum esset viro Admeto moriendum, nisi alterius sanguine piaretur, sese (cæteris lethum formidantibus) pro viro morti obiecit: cui ob hoc insigne facinus vitam redditam in Symposio Plato narrat, & canit Papinius.

Stchelyn Odrysiam pigro transmisit Auerno
Causa minor, si Thessalicis Admetus in oris
Sistat vna terram Phylaceida rettulit vmbram.

Extat illustris tragœdia Euripidis, quæ Alcestis inscribitur. Admeti vero Pheretis filii mentio est apud Hom lib.2.

Τῶν ἦρχ' Ἀδμήτοιο φίλος παῖς ἕνδεκα νηῶν.

Valerius vero Maximus lib. 4. cap.6. sic Admetum alloquitur. *O te Thessaliæ Rex Admete, crudelis, & diri facti crimine sub magno Iudice damnatum, qui coniugis tuæ fata pro tuis permutari passus es, eaque, ne tu extingueretur, voluntario obitu consumpta, lucem intueri potuisti. Et certe prius parentum indulgentiam tentaueras fœmineo animo impar.* Et Ouid.3.de Arte.

Fata Pheretiadæ coniunx Pegasea redemit,
Proq; viri est vxor funere lata sui.

Et idem:

Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset,
Admeti coniunx, quam sequereris, erat.

TV MELIVS CERTE MERVISTI] Illis vt crederetur, morte testandus erat amor, tu in virum pignore, opum communicatione talis, & tam liberalis extitisti, vt tibi viuenti, tam debeatur hæc fides, quam illis, qui eandem morte redemerunt. Seruo τὸ, pignore, pignus autem vocat opes, & censum paternum, siue hæreditatem, quam totam cum viro communem habere voluit. certo commodius, etsi nec certe iucunde.

Aliequi pignora pro liberis accipiuntur non raro.

In Auarum amicum.

LXXVI. LXI.

Millia misisti mihi sex, bis sena petenti:
Vt bis sena feram, bis duodena petam.

Ridicule docet, quo pacto ab amico dimidium postulati dare solito, totum impetrare possis. Duodecim millia sestertiûm, siue trecentos Philippæos petiui, dedit mihi tantum sex; vt duodecim impetrem, petam viginti quatuor, vt viginti quatuor extorqueam, quadraginta octo petam.

In Zoilum inuidum.

LXII. LXXVII.

Nunquam diuitias Deos rogaui,
Contentus modicis, meoq; lætus.
Paupertas, veniam dabis, recede.
Causa est tam subiti nouiq; voti?
Pendentem volo, Zoilum, videre.

Inuide-

Inuidebant Poetæ non pauci, vt & hoc, & aliis epigrammatis docet. Poeta petit, non vt ne inuideant sed causam, vt magis inuideant, sibique laqueo gulam frangant. PAVPERTAS] quam aliâs amaui semper, nunc tua bona pace tibi renuncio. NOVIQVE VOTI] vt cupiam nunc opes, qui semper amaui inopiam? PENDENTEM ZOILVM] hæc causa est diuitiarum petitarum, vt Zoilus præ inuidia & liuore se suspendat. De Zoilo superius prolixe dissertatum, qui suspendio periit. De inuidia & inuidis lege Alciati emblema, de fœmina viperas vorante, de hydra apud Pierium, de liuore sibi fauces stringente apud Silium, de pallore & macie apud Ouid. Metam.

Inter quos Statium. Vide car. ad Iuliũ, Rumpitur inuidia qu dam. &c. Zoili historiam apud Vitruuium inuenies, vt supra monui. Et Claudiũ Minoem.

In Varum.

LXIII. LXXVIII.

Ad cœnam nuper Varus me fortè vocauit;
Ornatus diues, paruula cœna fuit.
Auro, non dapibus oneratur mensa: ministri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego: non oculos, sed ventrem pascere veni,
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.

Clarum est hoc epigramma, nec sol indiget sole. De huiusmodi conuiuatoribus multa sunt epigrammata Martialis, lib. 1. in Mancinum, ep. 44. lib. 3. ep. 59. in Ponticum. lib. 4. ad Sixtum. ep. 68. Deest hoc in Domitio. Sunt qui abiudicent hoc carmen Martiali.

In Afrum.

LXIV. LXXIX.

Condita cum tibi sit iam sexagesima messis,
Et facies multo splendeat alba pilo;
Discurris tota vagus vrbe, nec vlla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus AVE;
Et sine te nullo fas est prodire tribuno,
Nec caret officio Consul vterq; tuo,
Et sacro decies repetis pallatia cliuo,
** Sigeriosq; * modos, Partheniosq; sonas.*
Hæc faciant sane iuuenes; deformius, Afer,
Omnino nihil est ardelione sene.

** Sigerosq;. * meros, al. modo, pro tantam.*

Afrum ardelionem, hoc est, ambitiose, & importune officiosum depingit, vt lib. 2. ep. 7. * Ardelionem alio genere depinxerat. SEXAGESIMA MESSIS] cum sis iam ἑξηκοντούτης, hoc est, annos natus sexaginta, & canis obsitus. DISCVRRIS TOTA VAGVS VRBE] officia iuuenum stolidus senex ambis, curris, discurris, salutas, colis, adoras, &c. CATHEDRA] nullus locus publicus, nec priuatus, hominum lautiorum, seu virorum, seu fœminarum est, quo tu non aduoles; & solenne AVE quotidie dicas, cum iam pridem debueris vale dicere. cathedra hoc loco potissimum fœminam sonat & gynecæum, locumq; vbi domi resident ad colum. De more salutandi nobiles, & diuites iam supra lib. 1. ep. 56. ad Frontonem diximus. plura Musamb. ET SINE TE NVLLI] omnibus Comes, & anteambulo ades, vt ex magistratu, & aula nemo in publicum prodeat, cui tu latero non incedas. TRIBVNVS] palatinus. ex Cæsaris familia, qui militibus præest. & custodiæ corporis. ET SACRO DECIES] sacer cliuus, via sacra, qua ad palatium Cæsaris itur. SIGERIOSQVE seruandam putamus veterem lectionem, quamuis Domitius extrito Sigerio, qui tamen est apud Xiphilinum, & Zonaram, reponat Saturium, qui nominatur à Tranquillo. Fuerunt hi duo Sigerius & Parthenius Domitiano à cubiculo, & Parthenii ante meminimus; & sæpius infra meminit Poeta. Sed qui sunt illi Sigerii & Parthenii modi? Ramiresi. legit *meros*, id est, nihil aliud tibi in ore, quam Sigerius & Parthenius. Musambertii doctrina propius accedit ad veterem scripturam, cum legit *modo*, sed eodem intellectu, vt iactare se de amicitia aulicorum, immo omnibus adulari & seruire non desinas Afer. HOC FACIANT SANE IVVENES.] Hæc officia salutandi, comitandi, adulandi, quam sunt

** Vbi de Ardelionum natione plura ex Phædro Augusti. L. De Cathedris lib. 1. ep. 77.*

decora iuuenibus, tam indecora & aliena senibus. ARDELIO] est, qui omnia, & nihil agit, vbiq; & nusquam est. Plura lib. 2. ep. 7.

Ad Mathonem.

LXXX. LXV.

Matho Caussidicus. Iuuenalis & Martialis.

Hospes eras nostri semper, Matho, Tiburtini;
Hoc emis: imposui; rus tibi vendo tuum.

Quis hic fuerit, infra leges. IMPOSVI] decepi, nam quod ante prædium tuum fuerat, tibi vendidi. tam frequens enim Matho in illo fuerat, priusquam emeret, ac si ipse Dominus villæ, qua pro sua abutebatur. De Tibure & Tiburtino, paulò ante plura retulimus.

In Mathonem.

LXVI.

Hoc quoque spurium quibusdam videtur.

Declamas in febre, Mathon: hanc esse phrenesim
Si nescis, non es sanus, amice Mathon.
Declamas æger, declamas Hemitritæus:
Si sudare aliter non potes, est ratio.
*Magna tamen res est, * errans cum viscera febris*
Exurit: res est magna, tacere Mathon.

* *Erras.*

De Caussidicis Mathonianis pulcher locus apud Petroniũ primis paginis, vbi mirifice exagitatur declamatorum, atq; tota Rhetorum ratio.

Mathonem stultum affirmat. nam stulti tacere nesciunt. Fuit hic Matho Caussidicus, vt Iuuen. Sat. 1. his docet versibus.

——nam quis iniquæ
Tam patiens vrbis, tam ferreus, vt teneat se
Caussidici noua cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso.

De eodem hoc Mathone noster Poeta lib. 10. & 11. HANC ESSE PHRENESIN] Phrenesis valetudo mentis est ex febre nata insania, sed certa patiens febrim, quæ Celso phrenesis dicitur, ex inflammatione cerebri existit. Si tu, Mathon, nescis te insanum esse, cum febriens declamas, planè insanis. SANVS] ad mentem, non es sanus insanis. DECLAMAS ÆGER] febri. nisi hîc quamlibet ualetudinem notet. HEMITRITÆVS] qui semitertiana cum quotidiana coniuncta vexantur, de qua alibi fusius. Lege Q. Sereni Samonici carmen de Hemitritæo depellendò, quem sup. lib. 2. ep. 40. laudauimus, de eadem Celsus lib. 3. cap. 8. toto. SI SVDARE] nam Hemitritæi horrore potissimum concutiuntur. EST RATIO] si eliciendi sudoris gratia declamas, est, vnde tibi ignoscamus declamanti. MAGNA TAMEN RES EST] hæc Matho fingitur dicere. Magna res est in febre declamare. ERRANS CVM VISCERA FEBRIS EXVRIT.] Hæc verba, ad illa Mathonis pertinere possunt, vt sit causa magnæ rei in acri febre declamare posse: quæ tamen verba possunt spectare sequentem, & extremam clausulam. ERRANS] cur dicatur errans febris, hemitritæum videtur docere Celsus cum dicit: *At vbi id genus tertianæ est, quod hemitritæon Medici appellant, magna cura opus est, ne id fallat. Habet enim plerumq; frequentiores accessiones, decessionesq;, vt aliud morbi genus videri possit, porrigaturq; febris inter horas vigintiquatuor & triginta sex, vt quod idem est, non idem esse videatur.* Cum ergo tam incertas habeat accessiones & decessiones vt non idem genus morbi esse videatur, merito errans dici potest. Sed posset etiam legi ERRAS. & totum carmen hoc modo interpungi.

Magna tamen res est. erras, cum viscera febris
Exurit, res est magna tacere Mathon.

Sic ERRAS referetur ad poetam redarguentem. Non est magna res inquit Martialis, declamare in febri, erras Matho, magna res est tum posse tacere.

RES EST MAGNA, TACERE, MATHON] vt sensus sit, non clamare, non ingemiscere, non queritari, sed tacere in summis febrium doloribus, hoc est difficile, hæc magna res est, sed, videtur sententia posita de taciturnitate, vt dicat magnam esse rem tacere tempore posse. non esse autem tempus loquendi, & declamandi, cum valetudine tentatur corpus. qua ratione summa loquendi libido Mathonis apparet, qui nec sanus, nec insanus possit tacere: stulti autem nunquam nôrunt tacere, unde Matho es matto. Notum est Zenonis apophthegma, qui iussit regi Ptolemæo renunciari. ab eius legatis visum senem, qui in conuiuio tacere nôrit.

Ad

Ad Rufum.

LXVII. LXXXIII.

Hos quoq; commenda Venuleio, Rufe, libellos.
Imputet & nobis otia parua, roga.
Immemor & paullùm curarum, operumq; suorum
Non tetrica nugas exigat aure meas.
Sed nec post primum legat hæc summumue trientem,
Sed sua cum medius prælia Bacchus amat.
Si nimis est legisse duos, tibi charta plicetur
Altera: diuisum sic breue fiet opus.

Duos epigrammatum libellos mittit ad Rufum, à quo vult commendari Venuleio inter maiora pocula. TETRICA AVRE] censoria aut seuera, cum epigrammata sint ludicra. Exigat, legat, audiatue non tristis censor. Perpendat, est enim ab architectis petita metaphora, qui ad perpendiculum exigunt lineam rectam in opere faciundo. PRIMVM SVMMVMVE TRIENTEM] legat meas nugas, cu nugatur, nec in principio mensæ, nec fine. Triens quatuor continet scyphos, vt supra docuimus. SED SVA CVM MEDIVS] cum indulget Baccho, siccat pocula, trahit maiores calices. TIBI CHARTA PLICETVR ALTERA.] Non est, cur non fatigatus eodem tempore vtrumq; librum perlegas, nisi ipse velit Venuleius. diuide operam, & iucundior erit, & breuior. An vt non nemo sentit duos libellos vocat hic duo epigrammata? ego hoc nondum sentio, primum & secundum iam Rufus acceperat, mittit hic tertium & quartum epigrammaton libellum..

Venuleius sub Alexan. Iurisconsultus fuit, qui tamen hic esse non potest.
Ad Rufum plura sunt, & plures sunt Rufi. li. 10. ad Plin. lib. 4. ad Euphemum plura de tempore legendorũ suorum epigrammatũ.

In Næuolum.

LXVIII. LXXXIV.

Securo nihil est te, Næuole, peius, eodem
Solicito nihil est, Næuole, te melius.
Securus nullos re salutas, despicis omnes.
Nec quisquam liber, nec tibi gratus homo est.
Solicitus donas, dominum, regemq; salutas,
Inuitas. esto, Næuole, solicitus.

Precatur Næuolo sempiternas curas, vt semper sit modestus. Quo enim beatior & felicior agebat, hoc arrogantior, & insolentior omnes præ se contemnebat. Quo magis curis & casibus premebatur, hoc modestior & summissior omnibus amabatur. Verba sunt in promptu, claraq; per se omnia. Regis & Domini notionem, vsumque lib. 5. exponemus. Et lib. 1. iam exposita, plura sunt ad hunc Næuolum.

In Ponticum.

LXIX. LXXXVI.

Nos bibimus vitro, tu myrrha, Pontice. quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

Ponticus vinum generosius potabat, conuiuis vilius propinabat, quod vt ne obseruaretur, ipse poculis myrrhinis (de quibus alibi) ob materiam opacis vtebatur, aliis vitra porrigebat. Hoc artificium, & fraudem Pontici aperit Poeta. Idem Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων lib. 14. titulo, myrrhina, copiose. Hinc intelligis errare eos, qui myrrhina pellucida fuisse scribunt, cum id vitium myrrhinorum fuerit.

Ad librum suum.

LXX. LXXXVII.

Si vis auribus Atticis probari,

 Exhor-

Exhortor moneoq; te, libelle,
Vt docto placeas Apollinari.
Nil exactius, eruditiusq; est,
Sed nec candidius, benigniusq;:
Si te Pectore, si tenebit ore,
Nec ronchos metues maligniorum,
Nec scombris tunicas dabis molestas.
Si damnauerit: ad Salariorum
Curras scrinia protinus, licebit,
Inuersa pueris arande charta.

Eandem sententiam habet lib. 7. ep. 25. ad eundem Apollinarem, ad quem & plura sunt epigrammata AVRIBVS ATTICIS] politis, delicatis, eruditis, limatis, teretibus. RONCHOS] iudicia, censuras, dentes, plura lib. 1. ad epig. 4. Obserua dedicandi libelli formulam. SCOMBRIS] pisciculis, qui chartis inuoluebantur. TVNICAS] tegmen. sic alibi.

Ne nigram cito raptus ad culinam
Cordyllas madida tegas papyro,
Vel thuris, piperisue sis cucullus.

SALARIORVM] pueri salsamenta vendentes lib. 1. ep. 42.

Quod viles pueri Salariorum.

De quibus ibi fuse dictum. PVERIS ARANDE] plicande, exponit Domitius, sed quomodo arandus, si plicandus? à tergo scribendus. Lego Tiraquellum ad Alex. cap. 30. lib. 2 de charta opistographa. de qua supra d. quibus adde, quæ Sauaro multa ad epist. 9. lib. 2. Sidonii annotauit.

De Bassa.

LXXXVIII. LXXI.

Infantem secum semper tua Bassa, Fabulle,
Collocat, & lusus deliciasque vocat.
Et, quod mireris magis, infantaria non est.
Ergo quod in causa est? pedere Bassa solet.

Facete pedentem notat Bassam, quæ vt dissimularet suum vitium, gestabat infantem, cui culpam, cum pederet, impingebat. INFANTARIA] noua vox, quam non expono, vt quidam, puerperam, sed quæ amet infantes, & infantes amanter gestaret. INFANTARIA NON EST] quæ non delectatur consuetudine infantium. Qui hoc carmen ex lib. noni ep 7. exponunt, sordes & lutum quærunt, vbi nullum est. Nec enim quia aliud impurum, necesse est hoc esse, cum plane diuersa hic & ibi sint argumenta.

In Dissimulatorem.

LXXXIX. LXXII.

Nulla remisisti paruo pro munere dona,
Et iam Saturni quinque fuere dies.
*Ergo nec argenti sex scrupula * Septitiana*
Missa, nec à querulo mappa cliente fuit.
Antipolitani nec quæ de sanguine thynni
Testa rubet, nec quæ coctana parua gerit.
Nec rugosarum vimen breue Picenarum;
Dicere te posses, vt meminisse mei.

* Al. Septitiana.

Decipies

Decipies alios verbis, vultuq; benigno:
Nam mihi iam notus dissimulator eris.

Saturnalibus munera commeabant, vt Cal. Ian. strenæ. Martialis amico cuidam donarat libellum epigrammatum, pro quo nil receperat. Hoc vssit Poetam: vnde hanc bilem in eundem euomuit. PARVO] suum librum modestiæ causa paruum vocat munus. SATVRNI QVINQ. FVERE DIES] Martialis lib. 7. ep. 52.

Omnia misisti mihi Saturnalibus, Vmber
Munera, contulerant quæ tibi quinq; dies.

Ante Cæsarem vnus tantum sacer erat Saturno dies, qui in Opalia; hoc est, in 14. Cal. Ian. incidebat. Cæsar e fastis correctis Decembri duos adiecit dies inter Opalia & Saturnalia, ita vt Saturnalium primus esset 16. Cal. Ian. Idem Cæsar Saturnalia triduo celebrari iussit. Quartum diem adiectum suspicatur Lipsius ab ipso Augusto. Quintum Caligula. Atq; hi fuêre legitimi dies Saturnaliorum. Quod aliquando tres vel septem nominentur & a Martiale, & a prioribus Poetis, & auctoribus ante & post Ciceronem, putat Lipsius lætitiæ, non festi fuisse dies, cæteros nec propriè Saturnales, nec sacra, nec ferias agitatas, quinq; diebus ante Caligulam. Testes dabit tibi Lipsius lib. 1. Sat. [illegible] & c. vnde hunc riuulum hausimus. Sensus ergo carminis est; Et iam Saturnalia præteriêre. ERGO NEC ARGENTI SEX * SCRVPVLA † SEPTITIANÆ.] Scriptulum vel scrupulum, vel scripulum reperio. dicuntur Græce γραμμάτια, id est, litteræ, eo quod Græci viginti quatuor per litteras numerent in alphabeto, & vncia totidem contineat scrupula. hoc loco accipio scripulum pro pondere argenti, non pro nummo; Septitiani autē libra erat malæ notæ, & imperfecti argenti. libra argenti æstimabatur HS. 400. Vnde argent. vncia HS. XXXIII. & quadrante valebat. Nā vncia est duodecima libræ pars. Scrupulum vero, seu scripulum vigesima quarta pars est vnciæ. Ergo scrupulum tribus cruciferis valebit, & quadrante. sed quadrantem rotundandi numeri causa negligamus. Sex scrupula octodecim cruciferis æstimabuntur. Si HS. vnus duodecim vt Manutius semper accipit. Budæus vero decē tantū, non decem quadrantibus erit. Si decem tantū quadrantibus æstimes, VI. scrupula paulo plus quindecim cruciferis valebunt. libra argenti scrupula numerat 288. Poeta hic sena scrupula pro exiguo munere, aut paucis nummis videtur accipere. Vide l. 5. ep. 20. l. 8. 71. De Septitiana libra. Septitiani argenti sex scrupula interpretātur nonnulli calicem argenteū à Septitio auifice factum sex scrupula ponderantem, sed nihil probant. NEC QVERVLI MAPPA CLIENTE.] Quam varia rerum genera missitata fuerint, & à pauperibus, suis patronis; & à patronis vicissim clientibus, describit Martial. lib. 13. & 14. etsi nec ibi omnes munerum formas complectatur. QVERVLO.] qui semper apud patronum de inopia queritur, & opem rogat. MAPPA] nota res. lib. 7.

Hic comes accessit spongia, mappa, calix.

ANTIPOL. NEC QVÆ DE SANGVINE THYNNI TESTA RVBET.] Hunc versum explicatum dedimus lib. 13. ad 103. epigramma.

Antipolitani fateor, sum filia thynni;
Essem si Scombri, non tibi missa forem.

Ex cuius inscriptione intelligis muriam à Poeta περιφραστικῶς describi, quæ muria (hoc est genus salsi liquaminis ex thynni piscis sanguine confectum) Antipoli Asiæ vrbe optima fiebat, nobilior tamen erat muria Scombri, seu garum. Vocatur autem filia, quia ex sanguine thynni fit, vt homo ex sanguine hominis. Antipolim alii hic vrbem Galliæ Narbonensis putant, de qua ex Plinio & Gellio lib. 13. ep. 103. dictum. NEC QVÆ COCTANA PARVA GERIT] nec testa est mihi cum coctanis vlla missa, de his lib. 13.

*Coctana, quæ torta venerunt condita * menta;*
Si matura forent Coctana ficus erat.

Coctana sunt genus fici minoris, in Syria natum, quæ tamen ficus non dicuntur ob paruitatem. Plura lib. 13 vbi proprius est locus. Et lib. 7.

Paruaq; cum canis venerunt coctana prunis.

NEC RVGOSARVM VIMEN BREVE PICENARVM.] Cistellam oliuarum intellige; nam Picenæ laudatissimæ. de quibus in distichis.

Hæc, quæ Picenis venit subducta Trapetis,
Inchoat, atq; eadem finit oliua dapes.

Et lib. 7. *Semodiusq; fabæ cum vimine Picenarum.*

DICERE TE POSSES.] Videtur formula quædam fuisse dicti, in mittendis muneribus, vt amici amicus memor esset, Nam & Catullus vocat linteum à Fabullo sibi missum μνημόσυνον sui sodalis, id est, memoriæ signum, & amoris argumentum. DECIPIES ALIOS VERBIS.] Aulicam frontem describit cuius tota charitas & amor est in verborum honore, & cærimoniarum elegantia, sed mihi semel dedisti verba, inquit, dabis nunquam amplius. Nam

* scriptula. † Septitiani. Auri scrupulum teste Plinio vicenis HS. æstimabatur id est, 40. cruciferis. Argenti scrupulum est tertia pars drachmæ.

* Meta lego, non menta.

Qui semel est captus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vnca cibis æra subesse putat.

Porro de ingratis & dissimulatoribus Seneca lib. 3. de Benef. c. 1.

De Rusticatione.

XC. LXXIII.

Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus.
Luce deos oro, famulos post arua reuiso,
Partibus atq; meis, iustos indico labores,
Inde lego, Phœbumq; cio, Musamq; lacesso,
Hinc oleo corpusq; frico, mollíq; palæstra,
** Pondero, poto, cano, ludo, lauo, cœno, quiesco,*
Dum paruus lychnus modicum consumat oliui,
Hæc dat nocturnis nox lucubrata camœnis.

* *lege Prandeo. Lauro, id est, λουτρ... ut alia quædam.*

Lemma Epigrammatis habes in versu. quæ ruris studia, & studiorum horæ ab ortu lucis. Hoc penitus abiudicat Martiali Scriuerius, nec tot talle immeritò. LVCE DEOS ORO] En vt sacrilegi illi cultores primum operati sint Diis; quid deceat nos gentem sanctam, Deoq; vni deditam, debitamque? more, inquam, hæc faciebant Lampridius in Alexandro. *Primum vsus viuendi eidem hic fuit: primum si facultas esset, matutinis horis in larario suo rem diuinam faciebat.* Persius Sat. 2.

Hoc sanctè vt poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terq; & noctem flumine purgas.

Ouid. 1. Amor. Eleg. 8. & 3. & 6. Omnium enim rerum a Ioue principium erat sumendum, vt prisci censuere.

Ζεὺς ἀρχὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα πέλονται.

περὶ τῆς μυστηρίων ... &c.

Quem versum ait Plutarchus omnibus rebus acclamari solitum, monebantq; à Dei inuocatione, & cultu exordiendum. Sic enim, lib. 4. de leg. Plato. ὁ μὲν δὴ θεὸς ὥσπερ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων. Idem plane Orpheus canit.

Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
Ζεὺς βασιλεὺς, Ζεὺς ἀρχὴ πάντων ἠδὲ τελευτή.

Et Pythag. Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς νόμῳ ὡς διάκειται,
Τίμα.

FAMVLOS, POST, ARVA REVISO] primum Deos precor, dein operas, & agrum lustro. PARTIBVS ATQVE MEIS] laborem operum partibus iustis æquo per seruos, vt inquit Virgilius. an vis de ipso Martiale, qui manum ipse operi admôrit? non reor. INDE LEGO, PHŒBVMQ. CIO.] Hinc lego, & pango carmina. HINC OLEO CORPVSQ. FRICO] post exactam operam antemeridianam exercebant se palæstra circa octauam & ludebant, deinde lauabant, oleoque se vngebant ante cœnam, vt epig. 8. huius lib expositum, ad Euphemum, * PONDERO, POTO, CANO] Quid sibi velit τὸ pondero, non video, nisi forte retulit ad ludum: prandeo magis arridet cum sequatur, poto. sed non prandebant, inquis, vt supra docuisti. Ordinarie, inquam; nam & senes & pueri, & ægri & sæpe etiam sani, prandiis operam dabant. Plinius secundus, de auunculo suo. *reuersus domum, quod reliquum erat temporis, studiis post cibum sæpe, quem interdiu leuem & facilem veterum more sumebat, &c.* vbi aperte de prandio loquitur. possis hic prandium pro ientaculo sumere. DVM PARVVS LYCHNVS] Synecdoche pro Ellychnio. HÆC DAT NOCTVRNIS] Carmina pango noctu, dum viuit lychnus, dein quiesco. Ordo verborum. hæc carmina dat lucubrata nox nocturnis Camœnis. Vel; hæc lucubrata carmina dat meis nocturnis Musis nox. Legantur epistolæ Plinii 36. lib. 9. & 40. quæ sunt eiusdem cum epigrammate argumenti.

* *Prandeo.*

Ad Librum.

XCI. LXXIV.

Ohe iam satis est, ohe libelle:
Iam peruenimus vsq; ad vmbilicos,
Tu procedere adhuc, & ire quæris:

Nec

Nec ſumma potes in ſcheda teneri.
Sic tanquam tibi res peracta non ſit,
Quæ prima quoq; pagina peracta eſt.
Iam lector queriturq; deficitq;:
*Iam librarius * hoc & ipſe dicit.*
Obe iam ſatis eſt, obe libelle.

* Obe.

Hoc carmen loco motum nullam habet venuſtatem. hic eſt pereleganter poſitum: & illud, obe, ſine dubitatione hic ſatietatem notat, vt illud ad Perſicum.

—— & dicas cute perditus, obe.

Et Iuuen. de Horatio. *—— ſatur eſt, cum dicit Horatius. obe.*

Eſt ergo vox, vt Donatus Germanicus, & alii docent ex Horatio, Martiale, Perſio, Plauto, quę ſatietatem & faſtidium ſignificat, etſi non negent etiam bacchantis eſſe clamorem. VSQVE AD VMBILICOS.] Iam portum videmus, vt Diogenes ludebat, abſolutum dedimus librum: hoc enim eſt peruenire ad vmbilicos. Hoc intellectu Horatius vſurpat vmbilicos, ode 14. Epod.

Candide Mæcenas occidis ſæpe rogando.
Deus, Deus nam me vetat
Inceptos olim, promiſſum carmen, Iambos
Ad vmbilicum adducere.

Pro librorum ornamentis alibi vſus eſt poeta noſter, & alii vmbilicis, hic translate, pro fine ponuntur. ſupra de his multa ex Pierio. TV PROCEDERE, &c. NEC SVMMA POTES IN SCHEDA TENERI.] Tu nec in fine libri finem facis. ſchedam Merula ex Quintiliano & Plinio interpretatur folium chartæ. Domitius tabulam rudem papyro ſuperinducta factam. proprie autem fuiſſe ſchedas putat Merula, ſtatumina corii, quibus latitudo chartæ augebatur. Euſtathius & Ælianus affirmant eſſe tabellam ſeu pagellam phyliraceam ſiue tiliaceam, qua pro charta olim vtebantur. Inuenio, qui accipiant pro membrana ſeu tabella deletili cuiuſmodi ſunt pugillares chartæ. Hic pro extrema libri pagina accipitur; ſumma enim extrema eſt, ſicut ſummus dies extremus dies. vel pro orâ & margine libri. QVÆ PRIMA QVOQVE PAGINA.] Lectorem primâ paginâ iam ſatias epigrammatum tuorum ceperat, tu nec in extremâ modum tenes. ſic ludit epig. 6. lib. 2.

Vide p. 254. Alex. ſchedam. plura Melchior Guilandinus de papyro, quo nullus exactior.

I nunc, edere me iube libellos,
Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐσχατοκόλλιον Seuere,
Et longas trahis oſcitationes.
I nunc, edere me iube libellos.

IAM LECTOR QVERITVR.] Iam lector, & ſcriptor librarius feſſi portum ſpectant, quos occidis, ſi longius progrediare. LIBRARIVS] Librarii erant, qui tantum libris tranſcribendis vacabant, vt eiuſdem exempli plures libri haberentur, venderentur, &c. Teſtimonia ſunt apud Cicero. Horat. & innumeros alios: In quorum locum noſtri typographi, qui formis æneis ſeu plumbeis ſeu argenteis, libros vno die tot excudunt, quod mille librarii vix poterant aſſequi ſcribendo multis menſibus. multa ſuper hac voce Ramireſius.

MAT-

MATTHÆI RADERI

AD

M. VALERII MARTIALIS LIBRVM QVINTVM Commentarius.

Ad Cæsarem.

I.

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus vteris Albæ
Cæsar, & hinc Triuiam prospicis, inde Thetyn.
*Seu tua veridicæ * discunt responsa sorores,*
Plana suburbani qua cubat vnda freti:
Seu placet Æneæ nutrix, seu filia solis,
Siue salutiferis candidus Anxur aquis.
Mittimus ô rerum fœlix tutela, salusq;,
*Sospite quo gratum * credimus esse Iouem*
*Tu * tamen * accipies, ego te legisse putabo,*
*Et tumidus * Galla credulitate fruar.*

* V. discent.
* quærimus.
* aspiciat.
* tantum accipias.
* falsa.

Argumentū. Alba duplex. Alba longa. Alba Marsorum.

MITTIT librum ad Domitianum, rogatque, vti gratum accipiat, seu lecturus, seu neglecturus. HOC TIBI] Seu degis in monte Albano, Cæsar, seu alibi, hoc tibi, quidquid est libri mitto. ALBÆ.] Ab Alba longa, quæ duodecimo milliario, si verus Eutropius, ab vrbe aberat, Mons Albanus est appellatus. Duas enim Albas in Italia celebres tradunt veteres. Albam Ascanio conditam, de qua Virgilius, Plinius, Appianus, Liuius in via Appia. Alteram Marsorum, ad Fucinum lacum via Valeria circa Anienis fontes. Illam vero priorem inter montem Albanum & lacum Halicarnasseus ponit. Has duas vrbes cognomines recentiores multi quod Abrahamus Ortelius nobilis æui nostri Geographus notauit, non separarunt. Fuêre tamen plane diuersæ. Illa prior euersa Romanis, Albaniq; Romam translati Liuius lib. 1. Altera Albensium (sic enim Plinius Albam Albanorum, & Albam Albensium distinguit) describitur Straboni lib. 5. fuitq; Romanis propter munitionem, custodiæ seu carceris loco. Hic poeta Albanum montem intelligit, in quo frequens Cæsar, vt mox ex Dione infra ostendam. Hinc dixit, *collibus Albæ*, montem Albanum designans, non ciuitatem Marsorum. Apertius adhuc monstrat Albanum, cum addit, *Palladia Albæ colles*, quia Domitianus ibi Panathenæa, seu quinquatria ad honorem Palladis instituit. Dio. Θεὸν μὲν γὰρ τὴν Ἀθηνᾶν ἐς τὰ μάλιστα ἤγαλλε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ Παναθήναια μεγάλως ἑώρταζε, καὶ ἐν αὐτοῖς ἀγῶνας καὶ ποιητῶν, καὶ λογογράφων μονομάχων τε κατ' ἔτος ὡς ἐν τῷ Ἀλβανῷ ἐποίει. τοῦτο γὰρ τὸ χωρίον τὸ Ἀλβανὸν ἀφ' οὗπερ οὕτως ὠνομάσθη ὥσπέρ τινα ἀκρόπολιν ἐξείλετο. Mineruam præcipue ex omnibus Diis coluit, atque ob eam causam quinquatria magnifice celebrauit: in quibus certamina poetarum, oratorum, gladiatorumque quotannis fere exhibebat in Albano. Nam cum locum sub Albano monte, ex quo ita cognominatus est, tanquam arcem aliquam elegerat. Idem Sueton. in Dom. cap. 4. *Celebrabat & in Albano quotannis quinquatria Mineruæ. Cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentq́, eximias venationes, & scenicos ludos, sicq́, oratorum ac poetarum certamina.* Hæc Suet. Idem testatur Quintilianus,

lianus, & Philostratus lib. 2. *Nouerat quendam (Apollonius) fuisse in custodiam datum, quod publicis precibus non addidisset Domitianum Palladis filium. Palladis enim filium se credi, dici q; voluit. cui lepide Apollinius; At enim, inquit, arbitrabare fortasse Palladem non peperisse, cum habita sit virgo. Ignorabas autem, vt opinor, Deam ipsam quandoq; Atheniensibus peperisse, quo insinuabat Domitianum Romanis Draconem fuisse.* De quinquatriis, lege Alexand. Neap. lib. 2. c. 22. Ouid. 3. Fast. Tiraquellum ad idem caput. Domitianus ergo cum se Palladis filium credi vellet, instituit quinquatria in monte Albano ad honorem Palladis. Curantem Palladis filium? Pallas Dea virgo credebatur. Domitianus se virginis filium iactabat, quod monitu, vt putatur, Iosephi crederet ex vatum oraculis virginis filium æternum omnium gentium principatum obtenturum. Hinc summa lege iussit inquiri in stirpem Iessæam (vt & pater Vespasianus) quod ex Dauidis posteritate is imperator æternus diceretur procreandus. Lege illustrissimi doctissimique Baronii A. C. 89. Domitiani nonum, edit. 4. Martialis blandiendo Palladiam Albam vocat, quod sciret gratissimum Domitiano COLLIBVS] Albanum montem intelligit; de quo sic lib. 5. Strabo. *His locis vicinus est mons Albanus, longe sublimior luco Dianæ, & eius superciliis, quanquam & excelsa ea sint, & satis recta, is quoq; lacum habet, longe maiorem eo, qui est ad Dianæ.* ET HINC TRIVIAM PROSPICIS, INDE THETYN.] Thetyn vocat mare, quod ad viam Appiam ab Albano videri poterat à dextris. Triuiam Dianam seu nemus Dianæ, de quo ibidem Strabo lib. 5. *Dianæ autem, quod vocant nemus, in sinistra viæ parte est qua ad Ariciam ascenditur. Fanum cui Artemisio nomen in luco est: ante eum lacus mari æmulus, circumcirca supercilio montano continente atq; arduo, templum, ac lacum in cauo includente, ac profundo loco.* THETYN] vel vtrumque lacum, vel ipsum mare, quod ex monte Albano videri potest, intelligit SEV TVA VERIDICÆ DISCVNT RESPONSA SORORES.] Siue es Antii. Quo Strabo lib. 4. dicit, consuesse imperatores ad animi remissionem sæpius sedere, vbi Deæ Fortunæ templum erat, ipsumque Fortunæ simulachrum sub imagine geminarum sororum colebatur. de quibus Suetonius in Claudio c. 57. *Monuerunt & sortes Antiatinæ, vt caueret à Cassio.* Macrobius lib. 1. c. 23. *Sed quo Deus propellit vehentes, vt vidimus apud Antium promouere simulacra Fortunarum ad danda responsa.* Alexand. Neapol. lib. 1. cap. 13. *Nam Ferentano in oppido, & in Algido, atq; Antij, Equestris Fortunæ templum, & alterum Prænestæ satis venustum, & multa religione inclytum visebatur, vbi sub imagine duarum sororum colebatur, ex qua consulentibus certa edi oracula putabant.* Tacitus Annal. lib. 3. *Repertum est ædem esse apud Antium, quæ sic (equestris fortuna) nuncuparetur.* Vbi Tacitus fallitur nullam eius nominis fuisse Romæ. Vide Lipsium ad eum locum De eadem Fortuna Horatius libro 1. od. 35. Acron & Porphyrius ad eandem oden. Statius lib. 1. Siluarum.

Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

De gemina Fortuna etiam Marcellinus lib. 27. *Hunc* (Probum Prætorii præfectum) *gemina quædam (vt poetæ fingunt) Fortuna prapetibus pennis vehens nunc beneficium ostendebat.* VERIDICÆ] quia certa oracula dare ferebantur. Alexand. Neapol lib. 1 cap. 13. Sed quare geminæ? an quia alia bona, & prospera, alia infausta & mala? Cui Fortunæ in Exquiliis templum locatum erat, TVA DISCVNT RESPONSA] Adulatur Domitiano, qui se Deum vocabat. Martialis etiam maiorum illum gentium Deum facit, quasi fortuna Dea non reddat oracula Domitiano, sed Domitianus illi, quæ velut à maiore Deo discit, vt inferiores dii à maioribus afflabantur, Virgilius, *Nam cætera Iuno me vetat.* OCEANA SVBVRBANI, QVA CVBAT VNDA FRETI.] Expolitio est, & quasi prioris versus noua expositio. Vbi sunt veridicæ sorores? vbi mare vrbem alluit. Alluit autem Antium, ita vt vocetur Importuosum. Sic enim lib. 5. Strabo. *Eam* (Ostiam) *sequitur Antium, vrbs importuosa, saxis insita distans ab Ostia 260. stadia.* Hodie vrbs ea principum otio & vacationi ciuilium occupationum dicata est. Itaque magnifica sunt ibi ædificia permulta excipiendis (cum eo commigrant) principibus. Suburbani, dixit, quasi mare occupet suburbium, cum aliud non sit, seu quod sub vrbem succedat. Antium Ptolomæo Latinorum portus est in Italia. Procopius diei itinere, ait, distare ab vrbe. SEV PLACET ÆNEÆ NVTRIX.] Hoc ex more reliquorum poetarum cum Deos pluribus locis cultos laudant, legatur carmen sæculare Horatii. Seu sis Caietæ. Dicta est ab Æneæ nutrice ibi mortua. Virgilius 7. Æneidos.

Tu quoq; littoribus nostris Æneia nutrix
Æternam moriens famam, Caieta dedisti,
Et nunc seruat honos sedem tuus, ossaq; nomen.

Seruius tamen ex Philologiis docet in hoc loco casu incensam classem esse Troianam, vnde Caieta dicta, ἀπὸ τοῦ καίειν Strabo lib. 5. à cauitate vult dictam à Laconibus Caiattam; omnia quippe caua sic appellant Lacones. Etsi non negat, ab Æneæ nutrice sic olim fuisse appellatam. SEV FILIA SOLIS.] Seu places, vt sis Circeis, quod oppidum à Circe filia solis, & Perseidis, vel Perses, vt Homerus. Circei Circeorum dictum est Strabo lib. 5. vocat Circeum, Mela domum Circes Promontorium est Latinorum. Eius descriptionem leges apud Theophrastum lib. 5. cap. 9. de plantis. Fabulam Circes habes apud Hyginum, Fulgentium, Homerum, Virgilium, Ouidium lib. 14. Apollonium. Natal. libro 6. cap. 6. SOLIS] aliter Diodorus, qui facit eam filiam Æthei, & Hecates. Orpheus, Asteropes, & Hyperionis. SIVE SALVTIFERIS CANDIDVS ANXVR AQVIS.] Anxur oppidum Latii, Terracina hodie, Tarracina Latinis, τραχινή, seu τραχίνη vocabatur. Strabo lib.

Domitianus se Palladis filium nominabat.

Quare Domitianus se Palladis filium dixerit.

Vt mare quasi suburbium sit Antiatinum.

Caieta.

Circei.

Anxur. Tarracina.

lib.5. [illegible Greek] Et Plin.lib. 3.c.5. *Dein flumen Vfens,supra quod oppidum Tarracina lingua Volscorum Anxur dictum*; vt Ennius: *Volsculu' perdidit Anxur*. Liuius lib.4. *Anxur fuit quæ nunc Tarracinæ sunt, vrbs prona in paludes quinquagesimo ab vrbe lapide.* Appianus lib 3.ciuil. SALVTIFERIS.] Nam paludem illa duo flumina conficiunt.non parua aquarum salubritate. CANDIDVS ANXVR] Liuius neutro genere expressit lib.4. *Ab illis queq; exercitibus captum Anxur dictans esse.* Ibidem: *Ad populandum Anxur sine vlla populatione accessit.* Horatius Sat.5.lib.1.

Impositum late saxis candentibus Anxur.

Lib.6.epig.42. superbus. Dicitur Anxur, quod Iuppiter imberbis ibi colebatur:quasi ἄνευ ξυροῦ,sine nouacula,quia barbam non rasisset. Volscorum metropolis,vt Cato in originibus docet. Vide,an forte Feroniam intelligat,id est,fontem,de quo Seruius. CANDIDVS] *à candore saxorum dicitur candidus Anxur*,inquit, Domitius, & probat versu Horatii iam citato, Sed Porphyrion ad illum Horatii versum docet,non à candore saxorum,sed à calce,quæ candida, & optima sit,ex lapidibus inde petitis. MITTIMVS Ô FOELIX RERVM TVTELA, SALVSQ.] Hoc refertur ad primum distichum huius epigrammatis,vnde intelligis sępe sententiam apud poetas in secundo tertio,vel quarto demum disticho absolui, & nihil esse necesse singulis distichis, singulas absolui sententias. vt in 1.epig. lib.1. BARBARA PYRAMIDVM,&c. & mille aliis]Hoc libri mittimus ô Cæsar,qui es fœlix rerum tutela & salus. O custos,& præses orbis, quo saluo omnes salui sumus. SOSPITE QVO GRATVM CREDIMVS ESSE IOVEM.] Quia bello Vitelliano Domitianus puer cum Sabino patruo,& parte exercitus præmissa in Capitolium fugit,quod à Vitellianis mox occupatum,& incensum est.Xiphil.in Vitellio. Suetonius in Domitiano c.2. Tacitus hist. 3. *Domitianus tamen irrumpentibus aduersariis.& ardente templo apud ædituum clam pernoctauit,ac mane Isiaci celatus habitu, interq; sacrificulos variæ superstitionis, cum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite vno contulisset. ita latuit,vt scrutantibus,qui vestigia secuti erant, deprehendi non potuerit.* Tacitus apud Cornelium primum paternum clientem iuxta velabrum delituisse scribit. Ad hanc igitur historiam Martialis per assentationem alludit,quasi tum Domitianus Iouem defenderit,vt lib.10 epig.104.dicit.

Prima suo gessit pro Ioue bella puer.

Hinc Iouem beneficii memorem, & gratum esse credimus, qui se defensum à Domitiano agnoscat,& qui Domitiano sospiti ipse etiam sospes & saluus sit. quique in acceptis salutem referat Domitiano. Forte referatur aptius ad restitutum capitolium à Domitiano, cum iterum arsisset,vt scribit Tranquillus c.5.eoque nomine Iouem gratum & memorem esse,vel quod Ioui custodi Domitianus templum ingens deiecto æditui contubernio excitauit,seque in Dei sinu consecrauit. Itaque seruatus à Ioue Domitianus Ioui ædem posuit,vt & ipse Iuppiter incensus à Domitiano fuit seruatus atque alter alterius custos,& seruator. Sic infra: *Quem saluo duce credimus Tonantem.* GRATVM] exponunt alii etiam propitium,beneuolum mortalibus. TV TANTVM ACCIPIES, EGO TE LEGISSE PVTABO.] Mallem,tu tantum accipias. Mihi sufficiet librum à te meum acceptum esse, seu legas,seu non legas. acceptum etiam lectum putabo. ET TVMIDVS GALLA CREDVL. FRVAR] Superbus gloriabor librum à Cæsare lectum esse. GALLA] Galli enim faciles,simplices,atq; hinc creduli.Strabo lib 4. Domitius Galla stolida exponit. Sed contra Cæsar Gallos ab eximia ingenii solertia laudat,quanquam idem lib. 4. ita laudet Gallos à mobilitate. *Infirmitatem Gallorum veritus, quod sunt in consiliis capiendis mobiles,& nouis plerumq; rebus student, nihil his committendum existimauit.* Firmicus lib.1.c.vlt. Florus lib.3.c.10. Quid referatur ad Gallos sacerdotes Cybeles,qui Galli dicebantur à Gallo fluuio Phrygiæ,cuius hausta aqua vertebantur in furorem. sententia esset: Galla,id est, insana,stolida credulitate,sed de gente Gallica accipio dictum, candoremque Gallorum intelligo. Seuerus Sulpitius dial.c.vlt.

Neq; Gallum decet esse tam callidum.

Et Ennodius: *Sed natos Rhodani nix probitatis habet.*

Niuem vocat candorem animorum. Legendus & Heraldus in hunc locum.

Ouidium allusit 3. Am el.13.

Alij Galla exponunt quod liber ex Gallia sit missus. quod mihi nondu persuasum.

Ad Lectores.

II.

Matronæ, puerique, virginesque
Vobis pagina nostra dedicatur.
Tu quem nequitiæ procaciores
Delectant nimium, salesque nudi,*
Lasciuos lege quatuor libellos;
Quintus cum domino liber iocetur*

* *Delectant, nimium salesq.*
* *vocatur.*

Quem

Quem Germanicus ore non rubenti,
Coram Cecropia legat puella.

Verecundum ait hunc libellum, & castum, nempe Cæsari inscriptum, vt superiore carmine vidisti, cuius maiestas, & reuerentia excludat omnem verborum, rerumque licentiam, quod & lib. 8. docet epigrammate ad suum librum, quem ita affatur.

Laurigeros domini liber intrature penates,
Disce, verecundo sanctius ore loqui.

QVINTVS CVM DOMINO] Domitiano. GERMANICVS] Ita enim se à Germania deuicta appellari iussit. Sueton. cap. 13. Macrobius 1. Satur. Plinius Panegyr. idem ad inuidiam Domitiani scribit; & sæpius Martialis κολακικῶς. Quin & octobrem mensem Domitianum, Septembrem Germanicum dixit, dicique præcepit, vt plenius alibi exponemus. CECROPIA PVELLA] Cur ad Domitiani coniugem, aut Iuliam Titi filiam hæc verba referant nonnulli, non intelligo. Etsi Domitia vxor Domitiani, Iulia verò, amata fuerit, non fuêre tamen Græcæ. Cecropia puella, significat Græcam puellam. Mineruam Domitiano superstitiosissimè cultam respici putat Domitius, & fortè rectè; nisi virgines illæ Graiæ cultrices Mineruæ, custodes æterni ignis, in Poliadis templo, vbi Palladium fuisse opinio est, à poëta laudentur. Auctor Strabo est lib. 9. τὸ δ᾽ ἄστυ αὐτὸ πέτρα ἐστὶν ἐν πεδίῳ περιοικουμένη κύκλῳ. ἐπὶ δὲ τῇ πέτρᾳ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν, ὅ τε ἀρχαῖος νεὼς ὁ τῆς Πολιάδος, ἐν ᾧ ὁ ἄσβεστος λύχνος, καὶ ὁ παρθενὼν ὃν ἐποίησεν Ἰκτῖνος, ἐν ᾧ τὸ τοῦ Φειδίου ἔργον ἐλεφάντινον ἡ Ἀθηνᾶ. Astu, saxum est in planitie circumquaque domiciliis circumdatum. In eo saxo est templum Mineruæ, & vetusta Poliadis ædes, in qua semper ardens lucerna, & virginum domus, quam Ictinus condidit, in qua Minerua eburnea Phidiæ opus est. Idem Alexander prodidit lib. Gen. dierum 5. cap. 12. *Cliuus* inquit, Vestæ *[illegible] instar sacri, in Poliadis Mineruæ templo, multa religione inclyto, in Attica fuisse legimus, in quo virgines assiduè degere, & Lychnum inextincti luminis, ac Palladium existere, multorum opinio fuit.* Cecropiam ergo puellam, virginem Palladi sacram, quæ ritu vestalium Romanarum viuebat, possis interpretari. Liber, inquit poëta, hic tam sanctus, & purus est, vt possit coram sanctissimis Mineruæ sacerdotibus sine rubore legi. Nisi fortè Philomelam Pandionis filiam intelligat, quæ adeo casta fuit, vt ob virginitatem per vim læsam cum Progne sorore filium stupratori suum coctum Thyesteo exemplo apposuerit. Ouid. 6. Met. An Virgines vniuersè & matronas Græcorum intelligit; quæ domi quoque cautè custodiebantur, ne quid viderent, vel audirent, quod illarum aures offendere posset. Legatur Æmil. Probus in præf. Muretus variarum lib. 7. cap. 2. Cic. 3. Verrina.

Ad Domitianum.

III.

Accola iam nostræ Degis, Germanice, ripæ,
A famulis Istri qui tibi venit aquis,
Lætus & attonitus viso modo præside mundi,
* *Affatus comites dicitur esse suos.*
Sors mea, quàm fratris melior: cui tam prope fas est
Cernere, tam longè quem colit ille Deum.

* Sic fatus, affatus placet.

Legatum Decebali Dacorum regis Diegin (sic illum ex Dione fragmentum Theodosij appellat) fœliciorem prædicat, quàm eum, qui in patria sua dux remanserat. Huic enim Degidi licere Cæsarem præsentem intueri, vultuque diuino frui, quem ille procul sanctè colat, & veneretur, non fruatur. Itaque totum epigramma est plenum adulationis. Ordo verborum est. Cæsar Domitiane, qui à Germania victa Germanicus appellaris, iam Degis Dacus accola ripæ nostræ Danubianæ (nam Danubius ditionem Romanam finiebat & citra Danubium erat Romana & pacata prouincia, vltra fluentans, Barbarica & hostica) qui antea vltra Danubium, hostis erat, iam cis Danubium ad nostras partes transiit, alteramque partem seu ripam Danubij pacatam & Romanam colit & accolit, Romam veniens tuoque aspectu dignatus beatiorem se fratre suo prædicat, quem ad ripam Danubianam Romanorum reliquit, quod ipse coram, frater longè coleret Domitianum, &c. LÆTVS ET ATTONITVS VISO MODO PRÆSIDE MVNDI, AFFATVS COMITES DICITVR ESSE SVOS] Deges legatus, non obses, vt Calderinus. Simul ac in vrbem ad conspectum Cæsaris venit attonito, & stupenti similis in hæc verba erupit. SORS MEA, QVAM FRATRIS MELIOR] quanto sum fœlicior fratre meo. CVI TAM PROPE FAS EST CERNERE] Mihi enim licet coram intueri præsentem Deum Domitianum. TAM LONGE QVEM COLIT IPSE DEVM] Domitianum intelligit Mart. illi verò procul timendus, & venerandus est. Ouid. 2. de Ponto.

Limites imperij Romani constituebant.

Fœlices illi, qui non simulachra, sed ipsos,
Quiq; Deûm coram corpora vera vident.

FRATRIS] Quarto fratrem, nec reperio. Decebalum putem? procliue est, sed testem deside-ro Theodosij fragmentum Diegim fratrem non appellat, sed Decebali legatum. Iuu..t ipsum Theo-dosium aud re, Domitiani trepidationem, pacemque emptam, & falsam victoriæ simulationem e-gregiè describentem. Ex quibus simul colliges, quis hic Degis seu Diegis, cui regium diadema Cæ-sar imposuit. Ὁ δ' αὐτὸς Δομιτιανὸς ἡττηθεὶς ὑπὸ μαρκομάννων, καὶ φυγὼν, ἔπεμψε διὰ ταχέων πρὸς τὸν Δε-κέβαλον τὸν Δακῶν βασιλέα, καὶ ἐς σπονδὰς αὐτὸν ὑπηγάγετο, ἃς πολλάκις αἰτήσαντι αὐτῷ πρότερον οὐκ ἐδεδώ-κει, καὶ ὃς, ἐδέξατο μὲν τὴν σύμβασιν, (δεινῶς γὰρ ἐταλαιπωρεῖτο) οὐ μέντοι καὶ αὐτὸς ἠθέλησεν ἐς λόγους αὐτῷ ἐλ-θεῖν, ἀλλ' ἔπεμψε τὸν Διῆγιν μετὰ τῶν ἀνδρῶν, τά τε ὅπλα καὶ αἰχμαλώτους τινάς, ὡς καὶ μόνους ἐκείνους ἔχων, δώ-σοντα. γενομένου δὲ τούτου ὁ Δομιτιανὸς τῷ Διήγιδι διάδημα ἐπέθηκε, καθάπερ ὡς ἀληθῶς κεκρατηκὼς, καὶ βασι-λέα τινὰ τοῖς Δακοῖς δοῦναι δυνάμενος. καὶ στρατιώταις καὶ τιμὰς, καὶ ἀργύριον ἐχαρίσατο καὶ ἐς τὴν ῥώμην, ὡς νενικηκὼς, ἀπέστειλε τά τε ἄλλα, καὶ πρέσβεις παρὰ τοῦ Δεκεβάλου, ἐπιστολήν τε ὥς γε ἔφασκεν, ἣν ἐλέγετο πεπλα-κέναι, καὶ πολλοῖς τὴν ἑορτὴν τοῖς ἐπινικίοις ἐκόσμησεν, οὐκ ἐξ ὧν εἷλε, (πᾶν γὰρ τοὐναντίον) καὶ προσανάλωσε ταῖς σπονδαῖς, συχνὰ μὲν καὶ αὐτίκα χρήματα, καὶ δημιουργοὺς παντοίας τέχνης, καὶ εἰρηνικῆς, καὶ πολεμικῆς, τῷ Δε-κεβάλῳ δούς. συχνὰ δὲ καὶ ἀεὶ δώσειν ὑποσχόμενος, ἀλλ' ἐκ τῶν βασιλικῶν ἐπίπλων. τούτοις γὰρ ὡς καὶ αἰχμα-λώτοις ἀεί ποτε ἐχρῆτο, ἅτε καὶ τὴν ἀρχὴν αὐτὴν δεδουλωμένος. Domitianus victus (sic Lipsius interpre-tatur) à Marcomannis & fugatus, misit illico ad Decebalum Dacorum regem, eumque ad pacem inuitauit. Quam ille suscepit, nec sic tamen vt ipse ad Domitianum veniret: sed Diegem quen-dam misit, qui arma pauca & viros, quasi captiuos traderet. Eoque facto, Domitianus, vt verè vi-ctor, diadema Diegi imposuit (nempe illi, sed in vicem nomenque absentis Decebali) tanquam & ipse regem Dacis dare posset: & militibus coronas, & dona pecuniaria diuisit. Romam etiam qua-si victor, cùm alia misit, tum & legatos vt à Decebalo, & epistolam ab eodem (quam ipse tamen fe-rebatur confinxisse:) & pompam triumphalem splendidè adornauit. non ex iis sanè quæ ipse ab hostibus cepisset (nam omnia aliter erant. atque adeò multam pecuniam ad pacem hanc emendam & statim effudit, & in posterum etiam daturum se promisit; præterea artifices & operarios omnis genus, vel paci vel bello vtiles Decebalo donauit:) non inquam ex hostium spoliis, sed ex Princi-palibus tributis instruxit.

Ad Paullum. In Myrtalen.

IV.

Fœtere multo Myrtale solet vino.
Sed fallat vt nos, folia deuorat Lauri,
Merumq; cauta fronde, non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paulle, videris contra,
Dicas, licebit; Myrtale bibit Laurum.

Vide inscript. inter quas & Myrtalo, & infrà pon.

Ebriam Myrtalem insectatur; Myrtale nomen muliebre. sic antiqua habent exemplaria, hanc, non hunc, infrà: Et verò Grammatici docent. Vox est ficta. Nam quoties mores nominatim carpit, nomen est suppositium. Quod verum esse testatur infrà ep.15. Nisi cum pridem defunctus est is, qui tangitur, vel hostis, & in communi omnium odio, vt Nero, Neronique affines. Odiosa vulgò nomina adhibet plerumque in flagitiis grauioribus carpendis & peregrina nonnunquam. Et quia nihil Christiano nomine erat odiosius, Christillam, Christinam, Chrestum exagitat. Chrestum autem dixit Christum impius. Nam per inscitiam Christianos Chrestianos appellitabant. Ter-tullianus Apologet. cap.3. *Christianus verò, quantum interpretatio est, de vnctione deducitur. Sed & tum perperam Chrestianus pronunciatur à vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suauitate vel benigni-tate compositum est.* Idem Lactantius lib.4. cap.7. *Ignari rerum nostrarum Christum Chrestum, & Chri-stianos Chrestianos vocabant.* Suetonius, Claud. cap.25. *Iudæos impulsore Chresto assiduè tumultuantes Roma expulit.*

Nugantur, qui Martialem Christianum fuisse augurantur.

SED FALLAT VT NOS, FOLIA DEVORAT LAVRI] quibus olentem vino halitum po-tentiore Lauri vi obrueret, & ebrietatem defenderet. Laurus enim inimica Baccho, arcet ebrieta-tem Athen. lib.4. dipnos. ὅτι δὲ ἔθος ἦν τοῖς πίνουσι φύλλα δάφνης τρώγειν ... Διοκλῆς ... τοῖς κύλιξιν φησὶν οὕτως. φύλλα οὐ δεῖπνον καταλύσεις. Lauri porro folia pro bellariis apud veteres ha-bita, sic docet Callias siue Diocles in Cyclopibus. Lauri folia tu arrodes; Coronam tamen Lau-ream propter odoris grauitatem à mensis remouebant veteres, vt idem est auctor lib.15. Hoc fine crediderim apud veteres in secundis mensis folia Lauri apposita, vt caput petentes spiritus Lauro exhaurirentur, & anima vino, epulisque grauis odore Lauri potentiore premeretur. Immo coro-natos Lauro, anetho, hedera priscos legimus, vt vino caput ne tentaretur. Qua de re Mercurialis 4. Var.

Turpe olere Bacchum & Pisoetiam se Ciceroni excusares.

Var. cap. 6. Struckius lib. 3. c. 11. quo loco varia ebrietatis antidota recenset. CAVTA FRONDE] Lauri foliis, cauta. quia cauet ebrietatem. HANC TV RVBENTEM PROMINENTIBVS VENIS, QVOTIES VENIRE PAVLLE VIDERIS CONTRA] Facies ebrij, & ebriosi depicta, cuius generis multæ sunt in Germania nostra, vbi calicum trahones infiniti adhuc tenent morem suum, quem Tacitus in Germania describit. BIBIT LAVRVM] Lepidè laurum pro vino dixit, quia Myrtale vini potum Lauro dissimulare studebat, alioqui vinum Lauro conditum Dioscoridi οἶνος δάφνινος appellatur. Inscriptio de Myrtale est ex Onuphrio. GENIO SOMN. L. DOMITIVS. L. L. ARGYRVS LANARIVS. DOMITIA L. L. MYRTALE SP. D. D. DEDICA. KAL. IAN.

Hesterno inflatum venas, vt semper Iaccho. Virgil.

Ad Sextum.

V.

Sexte Palatinæ cultor facunde Mineruæ,
Ingenio frueris qui propiore Dei,
Nam tibi nascentes domini cognoscere curas,
Et secreta ducis pectora nosse licet.
Sit locus & nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaq; Catullus erit,
Et Capitolini cœlestia carmina belli
Grande Cothurnati pone Maronis opus.

Epigrammata mittit Sexto, qui Domitiano à secretis erat, & bibliothecæ curam habebat, quæ poni cupit inter alios epigrammatarios. CVLTOR PALATINÆ MINERVÆ] Qui seruis ingenio Cæsaris, & colis Musam Palatinam, hoc est, Cæsaris negotia perscribis. sic enim ipse versu sequenti exponit, cùm addit. Nam tibi nascentes curas Domini cognoscere licet, &c. Nam tu Cæsari es à secretis, & rerum omnium conscius. Hinc est, quod dicit. INGENIO FRVERIS QVI PROPIORE DEI] Versaris enim cum ipso Domitiano, & eius consilia, rationes, negotia, caussas pernoscis, & litteris mandas. ET SECRETA DVCIS] periphrasis secretarij, quem hodie appellant. SIT LOCVS] Epigrammata mea repone in tua bibliotheca, & inter epigrammatarios, Catullum, Marsum, Pedonem adscribe, de quibus plura Gyraldus, & nos alibi. Ouid. 4. de Ponto.

Cùm foret & Marsus, magniq; Rabirius oris,
Iliacusq; Macer, sidereusq; Pedo.

CARMINA CAPITOLINI BELLI] an illa certamina poëtarum in quinquennalibus intelligenda, cùm in laudem Iouis Capitolini à poëtis conderentur poëmata? an bellum Vitellianum, de quo Suetonius & Tacitus. In quo Sabinus Domitiani patruus interemptus est, latitante Domitiano in ædibus æditui? de quo poeta noster lib. 9. epig. 104.

Asseruit possessa malis Palatia regnis;
Prima suo gessit pro Ioue bella puer.

Et Statius lib. 1. Sil. ——— *Tu bella Iouis, tu prælia Rheni.*

Erat igitur illud Cæsaris periculum in bello Vitelliano postea descriptum à poëtis, quorum carmina bellum Capitolinum complexa comparat cum Maronis Æneide, vt sua cum Marso, Pedone & Catullo. Illa addenda Maroni, mea Catullo, &c. Ego quoque bellum Vitellianum expono, carmina Capitolina, quę simul laudes Iouis Capitolini continebant, de quibus lucidè Quintilianus lib. 3. His verbis: *An laudes Capitolini Iouis perpetua sacri certaminis materia, vel dubiæ sunt, vel non oratorio genere tractantur?* Forte ille rectius Tito vel potius ipsi Domitiano Capitolini belli carmina transcribemus, vocat enim cælestia seu diuina quasi à Domitiano facta, vti eundem laudat Quintilianus & quidem à descripto bello quod ipse gesserat. Audiatur Quintilianus. Hos (Scenicos poetas) nominauimus, quia Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit cura terrarum; parumque diis visum est esse eum maximum poëtarum. Quid tamen iis ipsis eius operibus in quæ donatus imperio iuuenis secesserat, sublimius, doctius, omnibus deniq; numeris præstantius? *quis enim caneret bella melius, quam qui sic gerit?* Nos tamen sacra literarum colentes feras cæsar, si non tacitum hoc præterimus, & Virgiliano certè versu testamur: *Inter victrices hederam tibi serpere lauros.* Ad Quinquennalia. In quibus hoc memorabile accidit, vt 6. lustro L. Valerius Pudens, cùm ageret annum 13. omnium sententia vinceret, ni fallor, carmine. Lege Smetij Inscriptiones. Gruterus & Scriuerius edidere: *Ad Capitolini cælestia carmina belli.* Et Sextum Epicum poëtam hic putat Scriuerius composuisse bellum Vitellianum, quod mihi verisimile quoq; quam maximè videtur.

Lib. 10. ca. 1. & proœm. lib. 4.

Ad Musas.

VI.

Si non est graue, nec nimis molestum,
Musæ, Parthenium rogate vestrum.
Sic te serior, & beata quondam
Saluo Cæsare finiat senectus,
*Sic Burrus citò * sentiat parentem;*
Admittas timidam, breuemq; chartam
*Infra limina sanctioris * aulæ.*
Nosti tempora tu Iouis sereni,
Cùm fulget placidus, suoq; vultu,
Quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quod metuas preces iniquas.
Nunquam grandia, nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata: purpuraque
Nigris pagina creuit vmbilicis.
Nec porrexeris ista, sed teneto,
Sic, tanquam nihil offeras, agasque.
Si noui dominum nouem sororum;
Vltro purpureum petet libellum.

* nesciat. V. nescio an benè.

* aui.

Poëta Musas. Musæ Parthenium rogant, vt Parthenius Cæsari libellum porrigat. PARTHENIVM VESTRVM] Parthenium ex Suetonio, & ipso Martiale iam sæpe descripsimus. Cæsari fuit à cubiculis, honore gladij affectus, quo vsus est contra Cæsarem. conscius, immo socius, & auctor necis eiusdem Cæsaris. Multa sunt ad hunc epigrammata, vt passim videbis, & iam superioribus libris vidisti. SIC TE SERIOR] sic diu sospes, & superstes, & fœlix agas cum Cæsare; oratio Musarum. SIC] veteribus solenne in faustis imprecationibus. Legendus Briss. Form. Græcis [illegible] intellectu, οὕτως ὄναιο. INVIDIA FAVENTE FOELIX] quæ grassatur maximè per regum curias, & aulas; sic inuidia superior, vt ipsa cogatur tibi fauere. SIC BVRRVS] filius tuus. lib. 4. epig. 45.

Vt qui prima nouo signat quinquennia lustro,
Impleat innumeras Currus olympiadas.
Fac rata vota patris.

SENTIAT PARENTEM] Intelligat fortunam, laudes, fœlicitatem patris, indolis paternæ det specimen. Ita locutus est poëta lib. 6. epig. 35. de filio Reguli.

Maternosq; sinus viso genitore relinquat,
Et patrias laudes sentiat esse suas.

TIMIDAM, BREVEMQVE CHARTAM] timidam, ob reuerentiam & maiestatem Cæsaris, quem vt Deum, & Iouem adorat. BREVEM] Vnicum, nec multorum epigrammatum libellum. SANCTIORIS AVLÆ] intra conclaue Cæsaris, in quo degit, in intimam aulam. Sanctioris fortè propter Lararium, in quo Minerua, aut quia ipse Domitianus volebat dici haberique Deus. NOSTI TEMPORA] tempus modumque libri offerendi præscribit. Macrobius l. Saturnal. c. 2. Tentanti mihi Postumiane aditus tuos & mollissima consultandi tempora. IOVIS SERENI] Cæsaris [illegible] ta enim frons, serena frons, & Iuppiter propriè serenus, & sereni Reges. De ore Domitiani & vultus venustate alibi sæpius Martialis & Plinius, Paneg. Sueton. cap. 18. QVO NIL SVPPLICIBVS NEGARE SOLET] principio liberalissimus à Suetonio cap. 9. prædicatur, postremo ab eodem cap. [illegible] auarissimus, vti non solum non sua largiretur, sed alia raperet. *Nihil* inquit, *pensi habuit, quin prædaretur omnis modo bona viuorum & mortuorum, &c.* Non sic Titus, qui se diem illum perdidisse dolebat, quo nihil amico præstitisset. Suet. Tit. cap. 8. QVÆ CEDRO DECORATA PVRPVRAQVE, NIGRIS PAGINA CREVIT VMBILICIS] Nunquam mea charta, meusque liber cedro tinctus, purpura tectus, vmbilicorum bullis ornatus magnam vim pecuniæ, aut iugera, prædiáue impudenter petit. Sed quod ipse vltrò donat, accipit. De cedro, purpura, vmbilicis lib. 3. epig. 2. disputauimus, cùm illos versus excuteremus.

Cedro nunc licet ambules perunctus,
Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris vmbilicis,
Et te purpura delicata velet,
Et cocco rubeat superbus index.

Qui versus & huic epigrammati lucem dant, & ibi ad solem exponuntur. DOMINVM NOVEM SORORVM] Studiorum & amantem diuinæ poëseos, cuius studium non tam curabat, quàm simulabat. Suet. cap. 2. *præmia tamen ampla, & coronas in quinquatribus poëtis tribuebat.* Tacitus hist. lib.

De vrbe instaurata.

VII.

Qualiter Assyrios renouant incendia nidos,
Vna decem quoties secula vixit auis:
Taliter exuta est veterem noua Roma senectam,
Et sumpsit vultus præsidis ipsa sui.
*Iam precor oblitus * nostræ, Volcane, querelæ*
*Parce: sumus Martis * turba, sed & Veneris.*

* nota. * turma.

Hoc epigramma ad Volcanum est, sed detractis duobus vltimis distichis, optimè inscribetur de vrbe instaurata. Domitianus enim plurima in vrbe opera fecit, multa instaurauit, de quibus Eutropius lib. 7. & Tranquillus cap. 5. *Plurima & amplissima incendio absumpta opera restituit, in queis & Capitolium, quod rursus arserat.* QVALITER ASSYRIOS NIDOS INCENDIA RENOVANT, QVOTIES VNA AVIS DECEM VIXIT SÆCVLA] Comparat vrbem instauratam cum Phœnice, vt Phœnix, inquit, post mille annos constructo rogo sese concremando renouat. Ita Domitianus vrbem aut incendio, aut senio deformatam restaurauit. ASSYRIOS NIDOS] Phœnicem descripsêrunt carmine Ouid. 15. met. Oppianus Græcus, Claudianus, Lactantius, singulari poëmate duo postremi. Naturam eius ætatem, formam, rogum, παλιγγενεσίαν, alij scripsêre non pauci. Herodotus, Solinus, Plinius, Suidas, S. Aurelius Victor. Philoctetes lib. 3. Ioannes Tzetzes. Var. 5. & 6. Volateranus, Orus, Albertus Magnus, epistola Regis Æthiopiæ ad summum Pontificem. Adagiographus de Phœnice, Nicephorus Calixtus, Scaliger pulchre, & alij, quorum adducit Gesnerus scripta, & testimonia de auib. lib. 3. Quibus adiunges Taciti locum è 6. Annal. *Paullò*, inquit, *Fabio L. Vitellio coss. post longum seculorum ambitum auis Phœnix in Ægyptum venit, præbuitque materiem doctissimis indigenarum & Græcorum multa super eo miraculo disserendi, de quibus congruunt, & plura ambigua, sed dicta non absurda promere libet. Sacrum soli id animal, & ore, & distinctu pinnarum à cæteris auibus diuersum, consentiunt, qui formam eius definiere. De numero annorum varia traduntur. maximè vulgatum quingentorum spatium. Sunt, qui asseuerent mille quadringentos, sexaginta vnum interiici, prioresque alites Sesostride primùm, post Amaside dominantibus, deinde Ptolomæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit, in ciuitatem, cui Heliopolis nomen, aduolauisse, multo cæterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura. Inter Ptolomæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt, vnde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidêre. nihilque vsurpauisse ex his, quæ vetus memoria firmauit. Confecto quippe annorum numero, vbi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eique vim genitalem adfundere: ex qua fœtum oriri, & primam adulto curam sepeliendi patris, neque id temerè, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoque per longum iter, vbi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus: inque solis aram perferre, atque adolere. hæc incerta, & fabulosis aucta.* VNA] vnica enim esse dicitur Ouid. 15. Metam. *Vna est, quæ reparet, seseque reseminet, ales.*

Philostratus lib. 3. *Aiunt autem vnicam tantum hanc auem esse.* Hinc Oppianus, *res mira, sine genitore, solo splendori Phœbæo auem hanc procreari.* Et Lactantius:

Martiali varias lege.

Fœlix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus hæres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sui.

Aliquando tamen duo visi, pater, & pullus. lege Pierium lib. 20. in Phœnice, qui præclara de hieroglyphico illius ibid. ex Tertulliano, & aliis. ASSYRIOS] lege Ouid. 15. Met. Lactantium, Claudianum. INCENDIA RENOVAT] lege Plinium, Solinum, Gesnerum lib. 3. Lactantium; nota res est. DECEM SÆCVLA] Communis ferè omnium sententia est quingentos viuere annos Phœnicem. Tacitus lib. 6. Annal. Ouid. 15. Met.

Hic vbi quinque suæ compleuit secula vitæ.

Plinius ex Manilio viuere 660. annis affirmat. Solinus quadringentos, & quingentos, Chæremon Ægyptius, sex annis & septem millibus. Ioannes Tzetzes, Albertus Magnus trecentis quadraginta. Epistola regis Æthiopiæ trecentis. Solus Lactantius facit cum Martiale, cùm dicit.

Qui postquam vita iam mille peregerit annos.

TALITER EXVTA EST VETEREM NOVA ROMA SENECTAM] Ita renouant aquilæ iuuentam, & detracta pelle serpentes. Sed Romam tantum quidem restituit Domitianus, vt alibi Mart. *Nunc Roma est, ante taberna fuit.* & 2.ep. in Amphit. *reddita Roma sibi est.* Hæc nostris temporibus bellorum procellis agitata sæpe, & vastata est; Nunc tamen ita floret, vt cum prisca conferri possit. lege orationem Bentij primam & secundam & 3.1. eiusdem epigramma, & 11. ET SVMPSIT VVLTVS PRÆSIDIS IPSA SVI] Domitiani pulchrè florentis, & triumphantis, ipsa florens & triumphans. TVRBA] Ita cum Heraldo sentio turbam τὸ πᾶν καὶ ἅπαν valere. seruent alij suas sibi turmas.

* De Phaside.

* De edicto Cæsaris.

VIII.

Edictum Domini, Deique nostri.
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modò Phasis in theatro,
*Phasis purpureis * ruber lacernis:*
Et iactat tumido superbus ore;
Tandem commodiùs licet sedere,
Nunc est reddita dignitas equestris,
Turbâ non premimur, nec inquinamur;
Hæc, & talia dum refert supinus,
Illas purpureas, & arrogantes
* *Iussit surgere Lectius lacernas.*

* rubens.

Edixerat Domitianus, ne cui liceret sedere in 14. gradibus, nisi qui haberet equestrem censum; quam legem ante tulerat Otho, Otho, inquam, non imperator. Sed L. Roscius Otho tribunus plebis Manio Acilio Glabrione, & C. Calphurnio Pisone Coss. A. V. C. 687. vt honestissimo equestri ordini cum voluptate, & iucunditatis fructu dignitatem, splendoremque restitueret, ad equites scilicet plebi, atque decoctoribus, qui quadraginta millia in facultatibus, id est. censum equestrem habere desiissent, in ludorum spectaculis quodam modo præponendos, tulit. Hæc & plura ex optimis auctoribus Faber Sem. lib. 2. cap. 6. vbi & hoc epigramma adducit. Quibus amplissimum addes Plinij testimonium lib. 1. cap. 30. *Te* (Cicerone nempe) *suadente Roscio theatralis auctori legis ignouerunt, notatasq; tribus se discrimine sedis æquo animo tulerint.* Iuuen. Sat. 9. *Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.* Hanc legem reuocatam à Domitiano Phasis libertus laudabat, quòd eques secretus à turba seorsim spectaret, ipseque se pro equite gerebat, quem tamen Lectius (cuius sæpe fit mentio apud Martialem) designator eiecit ex equestribus. Phasidem igitur, vt fictum equitem, irridet hoc epigrammate Mart. EDICTVM DOMINI DEIQVE NOSTRI] de hac appellatione arroganti Cæsaris Xiphilinus in Domitiano. *Factum est imperio eius, vt in epistolis & formulis omnibus Dominus & Deus appellaretur*, imperij anno 6. consul. 14. Volusio Saturnio collega. A. V. C. 89. Notat hanc impiam arrogantiam Eusebius in Chronico. Statius, vt Martialis, illi blanditur lib. 4. Sil. *En hic est Deus, hunc iubet beatis, Pro se Iuppiter imperare terris.* Martialis vbique Deum nominat, a quo plura, quàm Ioue expectabat. Suetonius cap. 13. *Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit. Dominus & Deus noster sic fieri iubet. Vnde institutum, vt ne scripto quidem, ac sermone cuiusquam appellaretur aliter.* Fabius lib. 3. cap. 7. Laudandum in quibusdam, quod geniti mortales, in quibusdam, quod immortalitatem virtute sint consecuti, quod pietas principis nostri (o fœdam adulationem) præsentium quoque temporum decus est. immò dedecus tuum Fabi & principis tui. Deducunt hinc nonnulli crimen impietatis, sed illud potissimum Christianis impactum, etsi non inficior etiam alijs nominibus delatum. Sed primus non fuit, qui sibi id nominis viuus vsurparet, fecit hoc, vt Victor ait, more Caligulæ. EDICTVM] Suet. cap. 8. QVO SVBSELLIA CERTIORA FIVNT] Triplicia erant in Circo, Theatro, & Amphitheatro subsellia prima, & infima, hoc est, proxima caueæ, & spectioni senatus, qui in Orchestra spectabat. Secunda Equestria, in quibus equites. Tertia popularia, in quibus populus, & plebs. lege Amphitheatrum Lipsij c. 14. CERTIORA] quæ à certo ordine occupentur, non promiscuè, vt antea, quod senatus sua, equites sua, & plebi sua. ET PVROS EQVES ORDINES RECEPIT] Hic exponi, de quo potissimum ordine statue-

stauerit Domitianus. Sed tu lege Iuuenal. Sat.3. quos in equestribus, & quam indignos locarit. PVROS ORDINES] non permixto & confusos, cum plebe, vel senatu. DVM LAVDAT MODÒ PHASIS IN THEATRO] Theatrum καταχρηστικῶς sæpe ponitur pro Amphitheatro, præsertim apud Dionem. PVRPVREIS RVBER LACERNIS] Sic infrà de Basso. Induebant autem purpuram, vt viderentur equites. Petrus Faber. Lacerna quasi lacera, quod capitio minor sit, Sexto Pompeio. Quam militum quoque fuisse constat. Propertius lib 4. *Texitur in castris quanta lacerna tuis.* Erant & lacernæ, quibus vterentur Romani, cùm spectaculis operam sedentariam præstarent, & togæ superinduebantur ad arcenda frigora. Martialis lib.14.

Amphitheatrales nos commendamur ad vsus,
Quum tegit algentes nostra lacerna togas.

Iuuen. Sat.9 ---*Pingues aliquando lacernas, munimenta togæ, duri, crassiq; coloris.*

Baysius lib. de re vestiaria. *Lacernis candidis vtebantur in spectaculis, si Martiali,* inquit Baysius, *credimus*; atqui si Martiali credimus etiam nigris, etiam purpureis. res arbitraria videtur fuisse, Ergo lex nulla erat, vt candidâ, quamuis solerent, vterentur. Idem Baysius epomides Iurisconsultorum vocat lacernas, quas induunt, cùm tironibus suis insignia Prolytarum, l. ytrumque largiuntur. Et sacerdotum canonicorum pelles, quas humeris quouis anni tempore gerunt in templo. Cardinalium item purpuram. Sumebatur igitur lacerna, vel ad frigus, vel pluuiam arcendam, ein Regen oder Kappmantel. Vide ibidem Baysium. Ad Phasidis fastum hoc refert hic Martialis, dum dicit ruber lacernis, cùm alioqui solerent candidis vti. ET IACTAT TVMIDO SVPERBVS ORE, TANDEM COMMODIVS LICET SEDERE, NVNC EST REDDITA DIGNITAS EQVESTRIS] Arrogantiam Phasidis ex oratione, loco affectato, & cultu corporis describit. Quasi eques gloriatur, tandem habitam rationem sui, hoc est equitis, à principe, sibique sedem à plebe & fece remotam inter equites, qui recuperarunt suum equestrem honorem, etiam in theatris tributam. TVRBA NON PREMIMVR] qui non πολὺς ἐνοχλοῦν, ipsam facit loquentem loquacitatem in Phaside. NEC INQVINAMVR] sordibus plebis; sordida enim turba vocatur. HÆC, ET TALIA DVM REFERT SVPINVS. ILLAS PVRPVREAS, ET ARROGANTES, IVSSIT SVRGERE LECTIVS LACERNAS] Dum talibus modis iactat, Phasis subselliis equitum occupatis, quasi & ipse eques, aduenit Lectius designator, Phasidemque probè notum eiecit ex equestribus, quem sola lacerna purpurea fecerat equitem. SVPINVS] sedens inter equites subselliis infusus, reiecto in tergum capite. IVSSIT LACERNAS ARROGANTES SVRGERE] metonymicῶs. Iussit indutum lacernis purpureis loco cedere, petereque popularia, & ad plebem transire.

Lib.4 epig.2. Supra Horatius nigris lacernis spectauit. De lacernis tamen, quas epomidibus similes dicit, non persuadet Baysius.

In Symmachum.

IX.

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigêre manus Aquilone gelatæ;
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

Symmachus ætate Martialis medicus, cuius est mentio lib 6.& 7. Apud Martialem, quem ægrum visit cum suis auditoribus. qui plurimi, cùm poetæ arteriam manu explorarent, ex attactu tot frigidarum horridam illi febrem conciliarunt, morbumque non tam curarunt, quàm crearunt. Domitij interpretationem nihil hic moror, nec reprehendo, vt falsam, sed pudendam. LANGVEBAM] Ita Petronius, Ausonius, alij locuti, Heraldus. CENTVM COMITATVS] more gentico; apud nos id fieri non amat. AQVILONE] frigidissimo vento; ad Aquilonem enim nunquam accedit sol, vt ab Austro nunquam recedit. & tota illa regio ad septentrionem frigida. NVNC HABEO] à tuis discipulis excitatam.

Ad Regulum de fama poëtarum.

X.

Esse quid hoc dicam, viuis quòd fama negatur,
Et sua quòd rarus tempora lector amat?
Hi sunt inuidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos semper vt illa nouis.
Sic veterem ingrati Pompei quærimus vmbram,
*Et laudant Catuli * Iulia templa senes.*

* Vide Lipsium & Schottum, commodè & verè ad sensum carminum.

Ennius est lectus saluo tibi Roma Marone:
Et sua riserunt sæcula Mæoniden.
Rara coronato plausère theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corynna suum.
Vos tamen ô nostri ne festinate libelli;
Si post fata venit gloria, non pereo.

Præsent a fastidiri, desiderari remota, & cæteris in rebus. & in poësi docet. Regulus autem hic ille caussidicus est sui temporis propè nobilissimus, & nequissimus, vt lib. 1. ex Plinio Iuniore & Tacito ostendimus. PRÆFERAT ANTIQVOS SEMPER VT ILLA NOVIS] Liuore iudice, qui præsentium animos perturbat, ne possint cernere verum. Elegans est factum Angeli pictoris Romani, qui depictam à se tabulam, & ad veterum penicillum expressam defodit eo loci, vnde sciebat mox erutum iri. Reperta defertur ad ædium Dominum, qui laudare, prædicare, anteponere quamuis præstantibus huius æui, ostendere Angelo, Angelum contemnere. Cùm Angelus: hoc à me factum, inquit, opus est, & infrà in margine scriptum nomen suum ostendit, omnesq; iudices illos de Rhinocerotis naso suspendit. POMPEI VMBRAM] Sic lib. 11. ep. 48. Porticum Pompei vocat vmbram Pompeiam; *Cur nec Pompeia lentus spatiatur in vmbra.* Catullus ad Camerium appellat Magni ambulationem. Sed regredere ad lib. 2. ep. 9. de Selio, vbi accuratius de hac porticu dissertatum. Sensus comminiscit; nos quamuis habeamus nunc ambulationes, & porticus admirandas, tamen laudamus illam Pompeiam, & illam nouis Domitiani præferimus. ET LAVDANT CATVLI IVLIA T. SENES] vt porticum Pompei, ita & Capitolium Catuli præponunt Capitolio Domitiani nostri senes. Tacitus hist. lib. 3. tradit Capitolium votum à Tarquinio Prisco bello Sabino. Seruius Tullius cœpit ædificare, Tarquinius Superbus absoluit, Horatius tamen Puluillus iterum Consul dedicauit. Post quadringentos & quindecim annos. L. & Scipione Coss. conflagrauit. Curam eius instaurandi suscepit Sylla, perfecit & dedicauit Lutatius Catulus; idem Plutarchus in Poplicola affirmat, cuius nomen inter tanta Cæsarum opera vsque ad Vitellium mansit, quanquam erasum scribat Dio, & nomen Iulij Cæsaris inscriptum eius loco, vt vel Dio falsus, vel Tacitus fefellerit. Martialis videtur vtrumque insinuare, & quod Tacitus notauit, & Dio affirmauit, cùm vocat Capitolium Catuli Iulia templa. Venio in eam sententiam verum esse, quòd vterque scripsit, nec tamen (quod Lipsius putat) pugnare inter se. Sed inscriptum quidem Iulij Cæsaris nomen, Catuli tamen nomen, in hominum memoria, & ore hæsisse, vel, vt Gruterus exponit, decretum vt deleretur nomen Catuli, sed non factum. Sic enim Gruterus ad illa verba Martialis CATVLI VILIA TEMPLA] sic scripsi iubente Pal. pr. & tert. & quart. vulgo est; Et laudant Catuli Iulia templa. Sed non satis video quomodo Capitolium vocetur templum Iulium. nam quod est apud Dionem lib. 43. decretum, vt Eraso Catuli nomine substitueretur Cæsaris: decretum quidem; sed non factum, si fides Tacito; qui asseuerat Catuli nomen mansisse vsque ad æuum Vitellij, hoc est, dum rursus incenderetur Capitolium. nec est quod huc trahamus epig. 38. lib. 6. & infanti Iulia tecta placent. nam neque ibi, mea sententia, Iulia tecta sunt Capitolium, vti placet Calderino, sed Basilica Iulia; vbi oratores, vbi iudicia, vti satis innuerat versus præcedens: Iam clamor, centumque viri, &c. Gontius omnino retinet Iulia templa, & Catuli non exponit secundo casu, sed recto multitudinis. Catuli senes, seu nobiles Romani & illustres laudant Iulia templa basilica Cæsaris in foro Romano, præ templis nouis à Domitiano conditis. ENNIVS] cuius fragmenta, & annalium refectam telam reperies apud Merulam, in quem & Hier. Columnæ extant commentarij, quibus nihil vidi eruditius. *Viuo Marone, inquit, neglectus est Maro & lectus Ennius, vti & suo æuo Homerus.* Parrhasium vide l. 32. c. 9. p. 1479. RARA THEATRA PLAVSERE MENANDRO] Raro victoriam tulit ex Comœdia viuus Menander, Menandri vitam fusè, & exactè scriptam leges apud Gyraldum de historia poët. Dial. 7. Qui & de aliis tribus Menandris. RARA] Octies vicisse dicitur, cum quinque suprà centum Comœdias scripserit. Si verus Apollodorus. Extant de hoc Menandro duo non inuenusta in Anthologia epigrammata, quæ poneremus, nisi in promptu essent. NORAT NASONEM SOLA CORINNA SVVM] Corinna Thebana, vel Taraquæa poëtria fuit, & Pindari æmula, quem & quinquies vicit. Legatur historia poëtica Gyraldi copiosè vitam describentis. Ab hac Ouidius suæ Corinnæ nomen indidit. Testimonia breuitatis caussa prætereo, quæ apud Gyraldum ex Pausania, Sidonio, Plutarcho, & aliis leges. Fuere, & aliæ duæ Corinnæ poëtriæ. Quod tamen de Nasone soli Corinnæ noto dicit, ὑπερβολικῶς accipe. Nam ipse Ouidius de se lib. 4. Trist. scribit, per vrbem totam celebrato.

Mouerat ingenium totam cantata per vrbem
Nomine non vero dicta Corinna mihi.

Idem

Idem de Liuore ſibi fauente.

Nam tulerint magnos cum ſecula noſtra poëtas
Non fuit ingenio fama maligna meo.
Cumq; ego præponam multos mihi, non minor illis
Dicor & in toto plurimus orbe legor.

Quod de Ouidio dico, magis etiam in Virgilium conuenit. Porrò Corinnam fuiſſe putant alij filiam Auguſti: Sidonius. *Quendam Cæſarea nimis puella, Falſo nomine ſubditum Corinnæ.* Alij neptem, vel ancillam, quos Gyraldus meritò reiicit in vita Ouidij. VOS TAMEN ô] Vos ô libelli mei, cupitis præſentem laudis fructum capere, optatiſque de veſtro Domino dicier, hic eſt; non peto, quod aliis eſt negatum, beatus ero, ſi mortuus vixero.

Ad Seuerum. De Stella.

XI.

Sardonychas, Smaragdos, adamantas, Jaſpidas vno
** Portat in articulo Stella, Seuere, meus:*
Multas indigitis, plures in carmine gemmas
Inuenies: inde eſt hæc, puto, culta manus.

* Verſus Grut. r. 4. ex MS. & Pal.

Elegantiſſimè laudat Stellæ Muſam, quam inuenuſtè contaminat hic Domitius, cùm viciat verſum, quem poëtica lege metiri nequierat. Sic enim ille, *Sardonychas Smaragdo, adamantas*, &c. abiecta littera. s. à fine, &. o. atque. a. contractis in vnam ſyllabam, primam in voce Smaragdos tendit, & contra vſum Grammaticum. s. in ſyllaba longa tollit. Veteres litteram. s. extriuêre, cùm ſyllaba eſſet breuis, vt, Temnitur Orator bonus, horridus miles amatur. Cuius generis plurima ſunt apud Ennium. De prima autem non meminerat Ouidiani carminis, ——— *ſedebat*

In ſolio Phœbus claris lucente Smaragdis.

Imò ipſius lib. 4. ep. 28. *Scythas Smaragdos*, & Nonni in Dionyſ. βιβλίῳ ε.

——— γλαυκῆς δὲ λίθοιο χλοάζοντα σμαράγδου. &

Λοσυεῖη ἡ σμάραγδος ἀνήγαγεν ἔγκλοον αἴγλην.

Quod autem Martialis mediam corripuerit, id exemplo fecit Græcorum, qui geminas quaſdam mutas, modò ne ſint eædem, breues reddunt. Theocritus. Id. 17.

Θαυχθεὶς ἐπὶ βασιν ἀνάσσει Αἰγυπτίοισι.

Et Hom. Βατραχ. Ἀλλ' ἐπὶ λέκτρον ἰὼν ἄκρον δάκτυλον καταδάκνω.

Cæterùm de gemmis lege Plinium lib. extremo toto, Dioſcoridem, Franciſcum Rueij, & alios. Anulorum varietatem & vſum copioſe ex Hugone Grotio expoſuimus lib. 14. leminate *Anulus*. IN ARTICVLO] digito. IN CARMINE GEMMAS] lumina, & ornamenta carminum vocat gemmas. CVLTA MANVS] Non tam propter gemmas, quas geſtat, quàm elegantiam verſuum; ſic cultum ingenium, cultus poëta, cultus ſtilus dicitur. culta autem manus μετωνυμικῶς. neque enim eſt manus culta, ſed is, cuius eſt manus. Domitius refert hæc ad munera Violantillæ, quam Aſteridem prius vocauit. De ipſo poëta Stella, & eius ſcriptis, qui plura deſiderat, legat Gyraldum de hiſtor. poët. & Statij epithalamium. nos de hoc lib. 1. ep. 8. De anulorum vſu Meurſius de luxu Romanorum nos lib. XIV.

De * eodem.

* Maſclione.

XII.

*Quod nutantia fronte * pertinaci*
Geſtat pondera Maſclion ſuperbus,
*Aut grandis * Linus † omnibus lacertis,*
Septem quòd pueros leuat, vel octo:
Res non difficilis mihi videtur,
Vno cùm digito, vel hoc, vel illo
Portet Stella meus decem puellas.

* perticata Grut.
* Maſdion. al. Maſthlion.
* V nimis.
† Eminens Schott.

Venuſtè iocatur in gemmas Stellæ, quibus credo puellarum vel ora, vel nominum litteræ erant inſcriptæ. Alij, inquit, grauia ceruicibus onera, alij humeris, & bracchiis ſeptem, octóue pueros geſtarunt. hoc nihil eſt. Stella vno digito portat decem puellas. PERTINACI] Perticata cum Grutero legit Scriuerius & verſum ita exponit: Arbitror hunc Maſthliona fuiſſe ex eo hominum ſeu præſtigiatorum genere, quos Græci θαυματοποιοὺς vocant, qui capite reſupinato, & in dorſum retro- ſequus

sequus intortâ ceruice flexo, in areâ frontis miraculo nescio quę facerent, & visendo spectaculo populum exhilararent. Nempè thaumatopæus huiusmodi robustissimos & monstrosis viribus fuisse ex Chrysostomo de Iureiurando didicimus, qui contum in fronte, quasi arborem radicibus humi defixam, immotam gererent; vt puerulos in summa pertica, luctantes inter se, exhiberent. Verba eius sunt. *Πάντες εἶναι θεασάμενοι τῶν ἀνδρῶν, οἳ κοντὸν μετώπῳ βαστάζοντες καθάπερ δένδρον ἐρριζωμένον ἐπὶ τῆς γῆς οὕτως ἀκίνητον διατηροῦσι, παιδία μικρὰ ἐπ᾽ ἄκρου τοῦ ξύλου παλαίοντα ἀλλήλοις παρασκευάζουσι. Τὸ μέτωπον μόνον δεσμοῦ παντὸς ἀσφαλέστερον.* Sanè in huiusmodi prodigiosis spectaculis opus fuit summis viribus & singulari quadam dexteritate, si frons sola, quod ait Chrysostomus, quolibet vinculo tutior erat. Alioqui periculum esset, ne puerul: in pertica ludentes, cum ipsa in terram laberentur: aut spectatores etiam læderent. Apud Turcas hodieq; ludricum hoc in vsu; vbi viriatus aliquis obnixa fronte non tantùm perticam, sed ingentis ponderis trabem & antemnas sustinet: interdum & dentibus onere recepto, stupenda in vulgus patrat. Ita referunt qui viderunt miracula: & tradit in libro Historię Orientalis, si rectè memini, Guilielmus Postellus. MASCHLION LINVS] alij legunt Masdion. Domitius putat alienis nominibus Athenatum, & Fusium æui sui robustissimos describi. Sed cur non suis nominibus afficeret Athanatum, & Fusium, quando robur corporis non in vitium, sed in laudem, & admirationem cadit? Robustorum nomina plura extant apud Valerium Maximum, Plinium, qui lib. 7. c. 20. de Fusio Saluio hæc memorat; *Fusius Saluius duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duo humeris contra scalas ferebat.* Et de Athanato. *Nos quoq; vidimus Athanatum nomine, prodigiosa ostentationis quinquagenario thorace plumbeo indutum, cothurnisque quingentorum pondo calciatum per scenam ingredi.* Hæc Plinius. Sed nihil ad nostrum Samsonem. SVPERBVS] aliquando ad mores & in malam partem accipitur, nonnunquam ad corpus translatè vt hic superbus altus, procerus, vt superba domus, ædificium, turris, Ilium superbum. VNO CVM DIGITO VEL HOC, VEL ILLO, PORTET STELLA MEVS DECEM PVELLAS] Dicam? decem annulos gestasse vno digito à puellis, vel donatos, vel puellarum effigies præferentes? Nec intelligo?, quod nonnulli sentiunt decem puellarum pretium. Quodnam illud pretium? An quod ad annulum contulerunt? An fortè plures in vno annulo gemmæ, ora puellarum gerentes? Sic iudico, sic ipse Martialis priori carmine *Sardonychas smaragdos*; potuit plures gessisse annulos, vt hodie fit in vno digito, vt singuli plures gemmas complecterentur; nam decem anulis oneratum vnum digitum mihi verisimile non est, quamuis lib. 11. ep. 60. scribat à Charino senos anulos singulis digitis gestatos, nec vnquam positos. Immò potuit vnum anulum gestasse, qui decem puellas insculptas haberet. vt Pyrrhi gemma Apollinem, & nouem Musas cum insignibus, quæ non efficta, sed natiua specie visebantur, de qua Mardobæus sic canit.

Rex Pyrrhus digito gessisse refertur Achatem,
Cuius plena nouem signabat pagina Musas,
Et stans in medio cytharam tangebat Apollo.
——— *non artu opus, mirabile dictu.*

Testes plures desideras? accipe Plinium lib. 37. c. [illegible] adi Solinum c. 11. Alex. Neap. c. 19. lib. 1. vbi mira de gemmis leges. Plus hoc est, quam quod Seneca lib. 7. Nat. quæst. c. 31. miratur de gemmis singulis articulis gestatis.

potuit decem.

In Callistratum.

XIII.

Sum, fateor, semperq; fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus, nec malè notus eques;
Sed toto legor orbe frequens: & dicitur, hic est.
Quodq; cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes.
Magnaq; Niliacæ seruit tibi gleba Syenes,
Tondet & innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego, tuq; sumus: sed quod sum, non potes esse;
Tu quod es, è populo quilibet esse potest.

Se diuitibus anteponit, quòd diuites multi, & è populo vel sint, vel esse possint, poëtæ rari numerentur. SED NON OBSCVRVS, NEC MALE NOTVS EQVES] Equestri ordine donatus Martialis? quomodo pauper? cum equestre peculium fuerit decem millium Philippæorum? Si & in

agro

agro Nomentano fundum, & villam, & in Tiburtino rus habuit suburbanum, & æstiuum, & mulis vehebatur non conductis, lib. 8. ep. 61. Et lib. 9. ep. 99.

Rumpitur inuidia quod rus mihi dulce sub vrbe est,
Paruaq; in vrbe domus ——

Nihilominus pauper Martialis, & sine equestri censu, ius tamen habuit sedendi cum equitibus propter tribunatum extraordinarium, nec plebeium illum priscum, nec militarem, sed sub principibus natum. de quo Ouidius 4. Fast. loquitur,

Hanc ego militia sedem, tu pace parasti
Inter bis quinos vsus honore viros.

Errant ergo, inquit Lipsius, lib. de Amphit. c. 14. *qui hoc genus equitum, quod semper tenue, & exsuccum censu, fuisse reliquis pares existimant.* Hi verò tribuni in primis equitum gradibus spectabant NON OBSCVRVS] ob ingenium nobilis, & clarus, NEC MALE NOTVS] Equester enim ordo temporibus Domitiani fœde contaminatus, cùm pessimis artibus ad eum honorem pessimi quique, & infames admitterentur. Quod Iuuenalis Sat. 3. deplorat. *Exeat*, inquit,

Cuius res legi non sufficit, & sedeant hic
Lenonum pueri, quocunq; in fornice nati.
Hic plaudat nitidi praconis filius, inter
Pinni rapi cultos iuuenes, iuuenesq; lanista.
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Libertini, & mancipia, imo lenones, præcones, histriones, modò illis res esset, quatuordecim ordines occuparunt, eiectis iis, qui equestri loco nati propter censuum defectum, & inopiam, tueri dignitatem non poterant. Hoc tamen intellige, non omnes equites habuisse equum, vel censum, vel ius annuli ferendi. lege Fabrum lib. 2. Sem. c. 6. vbi copiosè de hoc genere equitum, & lege Othonis. Alex. Neap. lib. 2. c. 29. De equestri honore gloriatur noster poeta etiam lib. 3. ep. 93.

Est & in hoc aliquid, vidit me Roma tribunum,
Et sedeo, qua te suscitat Oceanus.

Sed titulis speciosum hoc genus equestre, non ære. ET DICITVR, HIC EST] de hoc verbo verba fecimus lib. 1. sic lib. 3. iactabundus canit.

Ore legar multo, notumq; per oppida nomen
Non expectato dat mihi fama rogo.

Et lib. 8. epig. 61. & alibi. QVODQVE CINIS PAVCIS, HOC MIHI VITA DEDIT] Ita Ouidium sibi applaudentem lego lib. 4. Trist. Eleg. 10.

Tu mihi, quod rarum est, viuo sublime dedisti
Nomen, ab exequiis quod dare fama solet.

Et 4. de Ponto Eleg. 6. *Famaq; post cineres maior venit, & mihi nomen,*
Tunc quoq; cùm viuis annumerarer, erat.

Noster verò Poëta sæpius hoc nobis occinit. lib. 1. ep. 1. lib. 9. ep. 99.

Cui lector studiose quod dedisti
Viuenti decus, atq; sentienti,
Rari post cineres habent poeta.

CENTENIS COLVMNIS] magnificentissimas, splendidissimasq; ædes possides. LIBERTINAS OPES] ingentes, immensas. Ditissimos enumerat Libertos, Plinius, Chrysogonum Syllæ, quem Cic. pro Roscio Amerino depingit, Amphionem Q. Catuli, Heronê, L. Luculli, Demetrium Pompei, Hipparcum Antonij, Licinium Augusti: Iuuenalis, Mœnam Horatij, Mœnam & Menecratem, Sexti Pompei. Et lib. 33. cap. 10. sub principatu Claudij, de quo & Iuuenalis, & Martialis Pallantem, Callistum, Claudium. Crispinum exagitat Iuuenalis. His in Claudio Suetonius addit Dosiden Spadonem, felicem trium reginarum maritum, Polybium, qui sæpe inter duos consules ambulabat, de Narcisso, & Pallante dicebatur, Claudium abundaturum, si à duobus libertis in consortium reciperetur. — *Lib. 36. c. 18.*

ARCA FLAGELLAT] lib. 2. ep. 30. eodem dicendi modo est vsus. *Et cuius laxas arca flagellat opes.* vide ex Turnebo multa de hoc genere loquendi. MAGNAQVE NILIACÆ SERVIT TIBI GLEBA SYENES] multa in Ægypto iugera possides, multos fundos, & agros aras. sic indignatur Iuuenalis Crispinum Ægyptium tot ædes, porticus, prædia tenere. Sat. 4.

Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in vmbra,
Iugera quot vicina foro, quas emerit ædes.

Et de eodem Sat. 1.

Cùm pars Niliaca plebis, cùm verna Canopi
Crispinus Tyrias, &c.

De Crispino multa passim Martialis. Suet. alij. Horatius Mœnam Ode 4. Epodon.

Stellam

Sectus flagellis hic triumuiralibus
Praconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi iugera,
Et Appiam mannis terit.
Sedilibusq; magnus in primis eques,
Othone contempto, sedet.

Ex quibus æstima, quantæ fuerint opes Libertinorum, & quàm verè posuerit Martialis libertinas opes, pro immensis, & infinitis. SYENE] Ægypti ciuitas, vbi ille fons, in quo putant nonnulli sepultum illud Virgilianum ænigma. *Dic quibus in terris, &c.* Scribit de hac Plinius Solinus, Strabo, alij. GALLICA PARMA] Parmensis lana, & greges inter Apulos, præponuntur omnibus apud Martialem lib. 14.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis ———

Et lib. 2. ep. 43. *Vel quam seposito de grege Parma dedit.*

Gallica autem vocatur Parma, quia ciuitas est Galliæ Cisalpinæ, clara hodie caseo, & clarissima principe Martio Alexandro Parmensi. HOC EGO, TVQVE SVMVS] Ego pauper, tu diues. SED QVOD SVM, NON POTES ESSE] Vtique Callistratus poterat esse pauper, sed non refert priorem sensum. Martialis pauper erat, & aliud erat, hoc est, poeta nobilis, hoc diues Callistratus esse non poterat. nec enim, qui diues est, eo sapiens, doctus, aut poeta est. TV QVOD ES E POPVLO QVILIBET E. P.] Diues etiam indoctus, & quilibet ex triuio subitò fieri potest, si fortuna faueat, sed fortuna nihil iuris habet in litteras, & artes. E POPVLO] quod Græci εἷς ἐκ τῶν πολλῶν.

De * Manneio.

* Manneio.

XIV.

Sedere primo solitus in gradu semper,
*Tunc cùm liceret occupare, * Manneius;*
Bis excitatus, terq; transtulit castra,
Et inter ipsas pœne tertius sellas,
Post Caiumq;, Luciumq; consedit.
Illinc cucullo prospicit, caput tectus,
Oculoq; ludos spectat indecens vno,
Et hinc miser deiectus in viam transit,
Subselliòq; semifultus extremo,
Et malè receptus altero genu, iactat
Equiti, sedere, Lectioq; se stare.

* Manneius.

Venustum sanè, & elegans epigramma, quod lepore Musæo tinctum dicas. Cuius epigrammatis, vt Lipsius lib. de Amphit. c. 13. exponit, sententia ista. Manneium solitum ante Domitiani edictum sedere inter equites, & quidem in equestrium primo gradu, qui ad Orchestram. Sed agnitum, & pulsum aliquoties à designatore Lectio, transisse tandem ad summam caueam; & spectasse inter plebem, & pullatos, tantum non inter cathedras muliebres. Sed illinc quoque deiectum, spectasse in via semi-stantem. Atque huius sententiæ, etiam illud Taciti est, lib. 16. de militibus, qui à Nerone dispositi per cuneos stabant, ne quod temporis momentum impari clamore, aut silentio segni præteriret. Nam stetisse eos sentio in his vtrisque viis. Sed habet suas tenebras, in quibus pellendis sudat Lipsius cap. 15. lib. de Amphitheatro. SEDERE PRIMO GRADV] inter gradus 14. in Equestribus, primo, proximo Orchestræ. TVM CVM LICEBAT OCCVPARE] ante legem Othonis reuocatam à Domitiano. Otho enim, vt suprà monuimus, primus plebem ab equite, equitem à senatu distinxit in theatris, non in Amphitheatris aut Circo. vt scribit Lipsius lib. de Amphit. cap. 15. Augustus postea, teste Suet. cap. 44. seruari id vbique voluit. factum igitur decreto patrum, vt quoties quid spectandum vsquam publicè ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus, id est, Orchestra. Liuius tamen, & Dionysius affirmant, à Tarquinio Rege loca diuisa patribus, equitibusque, vbi spectacula sibi quisque facerent, immò sessitasse iidem videntur, populo stante. De hac re Faber libris semestrium. Lipsius lib. Amphith. & 10. ad Taciti Annal. Bulengerus c. 35. de Circo. OCCVPARE] Hoc verbo vulgo vtebantur, cùm dicerent subsellia ab anteuerten-

uertentibus esse occupata. metuebant enim, ne excluderentur, si serius venissent in theatrum; ideo de multa nocte occupabant, id est, præripiebant. BIS EXCITATVS TERQ. TRANSTVLIT CASTRA] excitatus theatrale verbum, vti & suscitatus. Designatorum munus (quales Lectius, & Oceanus apud Martialem, & Iuuenalem) erat, occupatores promiscue pellere, & suum cuiq; ordini gradum assignare, quem si alii insedissent, pellebantur. Formula pellendi erat, per lictores, *surge*, quod ex nostro Martiale Bullengerus confirmat, qui hanc tantum vocem ex illis ponit. Cum Martialis dixisset.

Quadringenta tibi non sunt, Chæreſtrate, surge,
Lectius ecce venit, sta, fuge, curre, late.

Excitandi formula surge. sta. fuge, &c.

BIS EXCITATVS] bis, terq; coactus est migrare, cum tamen in equestribus hærere vellet. hoc enim est transferre castra.

ET INTER IPSAS PŒNE TERTIVS SELLAS.] Sic expono hos duos versus, in quibus video sudare principes eruditionis. Manneius bis, ter cum sella sua migrauit ad superiorem semper locum, & humiliorem. Et cum post Caium, & Lucium sellam suam (in ipsis gradibus, vt acute suspicatur Lipsius) inter vtrumque fere, id est, Caium, & Lucium, ipse prope tertius occulte consedisset, etiam inde extractus est in viam, vti staret cum fece populi. De sellis autem illatis etiam à vitiis, & Lipsius, & Bullengerus affirmant. Quæ viæ inter ordines spectantium in ipso theatro, aut amphitheatro fuerint, exponit Lipsius, & Bullengerus, qui triplicem in cuneis viam aduertit, vnam transuersam in podio, quo arena cingebatur, vbi sedebat magistratus, qua per ambitum euntibus iter fuit, alteram circum gradus ipsos, & cuneos, quæ discrimina popularium vocat Tertullianus, vt esset initus ad gradus, & exitus. Tertia veluti per procliuum ascendentibus in popularia, aut in equestria, Orchestramq; descendentibus.

ILLINC CVCVLLO PROSPICIT CAPVT TECTVS, OCVLOQVE LVDOS SPECTAT INDECENS VNO.] Cucullus olim seruorum habitus, postea mutauit, & transiit ad liberos. Faber in semestribus, Bayfius, alii. de forma cuculli alibi dictum. TECTVS] ne videretur, quis esset, & agnitus loco quartum pelleretur. OCVLOQ. VNO] non quod luscus esset, sed caput adeo inuoluit, & obnupsit cucullo, vt altero tantum oculo prospiceret.

ET HINC MISER DEIECTVS IN VIAM TRANSIT, SVBSELLIOQ. SEMIFVLTVS EXTREMO, ET MALE RECEPTVS ALTERO GENV IACTAT, EQVITI SEDERE, LECTIOQ. SE STARE.] De via iam docuimus, Heraldus ad hunc locum. Vocabantur viæ in spectaculis interstitia illa, tum quæ inter ordines erant, tum quibus per procliuum descendebatur. Sic igitur plures vias constituo: Circa balthea scil. quæ theatrum cingebant, & in popularibus per procliuum. Nam Romani illi maiorum gentium loca distincta habebant, & cardinibus obsepta, ne vulgus temere ingrederetur. At populi gradus non ita poterant occludi. Hæc videntur colligi posse ex illo Tertull. lib. de Spectacul. c. 3. Nam apud Spectacula & in via statur. Vias enim vocant cardines baltheorum per ambitum, & discrimina popularium per procliuum. semifultus, semi-sedens, & semi-stans. EXTREMO] subsellio inter equestria proxima viæ. EQVITI SE SEDERE] velut ipse eques. LECTIO] designatori, quem timebat ait, se non equitem stare. Ita infelix Manneius, & quasi monstrosus erat semieques, & semiplebeius, & semihomo. Vtriq; volebat satisfacere, neutri fecit satis. in quo risum captat poeta.

Ad Cæsarem Domitianum.

XV.

Quinctus nostrorum liber est, Auguste, iocorum,
Et queritur læsus carmine nemo meo.
*Gaudet honorato, sed multus * nomine Lector*
Cui victura meo munere fama datur.
Quid tamen hæc prosunt, quamuis venerantia multos?
Non prosunt sane: me tamen ista iuuant.

* V. Carmine.

Quam reconditum est superius, tam planum est hoc, & apertum, quo multis vitam, hoc est, memoriam nominis sempiternam se peperisse, offendisse dicit neminem. Nam vbi laudes carmen habet, vera nomina proscribit, vbi carpit improborum mores, ficta, nisi publice noti sint omnibus, vel principis sententia damnati, vt Antonius Norbanus, Apicius, Nero, & huius farinæ fermentum improbum. ET QVERITVR LÆSVS CARMINE NEMO MEO] ad eundem modum Ouidius de se in Ibin.

Tempus ad hoc lustris mihi iam bis quinq; peractis
Omne fuit Musa carmen inerme mea.

Nullaq; qua possit scripta de millibus extat
Littera Nasonis sanguinolenta legi.
Nec quenquam nostri, nisi me lasere libelli, &c.

LÆSVS CARMINE.] Antiqui multi videbantur lædi sub alieno nomine, quod edicto Augusti interdictum erat: Suetonius Augusto. *Etiam sparsos de se in curia famosos libellos nec expauit, & magna cura redarguit* (vel vt alii, *nec magna cura redarguit.*) *Ac ne requisitis quidem auctoribus, id modo censuit cognoscendum posthac de iis, qui libellos, aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine edant.* Addit Tacitus primum ab Augusto hanc carpendi licentiam repressam, cum ita scribit. *Apud veteres facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis, specie legis eius tractauit, commotus Cassij Seueri libidine, qui viros, feminasq; illustres procacibus dictis diffamauerat.* Sed Augustus quomodo primus? cum Horat lib. 2. Sat. 1. moneat.

Sed tamen vt monitus caueas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum,
Si mala condiderit quis carmina, ius est,
Iudiciumq; esto si quis mala ——

Quæ leges? Augusti? non existimo, sed de quibus Marcus Tullius 4. Tuscul. *Quanquam id quidem etiam XII. Tabula declarant, condi iam solitum esse carmen, quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, leges sanxerunt.* Et 4. de Rep. *Nostra contra XII. cum paruas res capite sanxissent, in his hanc quoq; sanciendam putauerunt, si quis actitauisset, siue carmen condidisset, quod infamiam adferret flagitiumq; alteri. Praclare. Iudiciis enim ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire, nisi ea lege, vt respondere liceat, & iudicio defendere.* Lex ergo de famosis libellis aliqua, sed agebatur in ea de iis, qui nominatim homines in carmine configebant, vt Lucilius Lupum, & alios, qui & primus Satyram scripsit. Catullus Cæsarem, alii alios. Enimuero Augusti edictum spectare eo censeo. quod aperte Suetonius adiungit, vt etiam libellos, qui sub alieno nomine famam tamen certorum læderent, damnaret. Lex autem XII. tabularum generatim præcipere videtur, & sigillatim de expressis nominibus. Quid ergo poeta noster, nonne multorum vitia alienis nominibus perstrinxit? Ita, inquam, sed nomina aliena tam multa, & tam aliena sunt à certis hominum certorum vitiis, vt nemo nisi insanus sibi ea adscriberet. Et si adscripsisset, ipse sibi, non poetæ contumeliam inussisset. Græcis impune peccare quondam in hoc genere licebat, vt nôrunt omnes, qui Musas nôrunt. Non semper tamen: regredere ad epistolam libri primi, vbi plenius super his famosis libellis. Iuris consulti nôrunt prope has leges in tit. ff. 1. Digest. C. de famosis lib. HONORATO NOMINE] vero, & cum elogio, honoris causa, expresso. quod immortalitati consecrauit. id re ipse exponit, cum addit, *Cui victura meo, &c.* QVID TAMEN HÆC PROSVNT, QVAMVIS VENER. MVLTOS?] Mihi nihil, at aliis, quia volant per ora virûm, & commendantur posteritati, nomenq; æternant. Sic infra ep. 26.

Quem chartis, famaq; domus, populisq; loquendum,
Qui stygios non vult totus adire lacus.
Hoc rogo non melius, quam rubro pulpita nimbo, Spargere, &c.

Et: *Hac legis, & laudas? qua tibi fama perit.*

ME TAMEN ISTA IVVANT.] Et meas, & aliorum laudes propagare carmine. Etiam Homerus suis temporibus neglectus est. At magis atq; magis vatis nunc gloria claret. IVVANT] quia delectant magis, cum tota Roma cantentur, vt mox subiicit. Quæ de hoc verbo inter se controuertant Ramir. & Musamb. leges apud eosdem lib. 1. ep. 13. iuuat, modo prodest, modo iucundum est, modo vtrumq; simul significat.

Ad Lectorem.

XVI.

*Seria cum possim, * quod delectantia malim*
Scribere, tu causa es, Lector amice, mihi,
Qui legis, & tota cantas mea carmina Româ.
Sed nescis, quanti stet mihi talis amor.
Nam si falciferi defendere templa tonantis,
Solicitisq; velim vendere verba reis:
*Plurimus * Hispanas mittet mihi nauta metretas,*
Et † fiet vario sordidus ære sinus.

* *quid delectantia.*
* *Hispanas.*
† *Fieret.*

At

At nunc conuiua eſt, commiſſatorq; libellus,
Et tantum gratis pagina noſtra placet.
*Sed non * hac veteres contenti laude fuerunt,*
Cum minimum vati munus Alexis erat.
Belle, inquis, dixti: *ſatis eſt: laudabimur vſq;.*
Diſsimulas? facies me puto, cauſsidicum.

Laudari ſe verbis queritur, & nullo munere beari. SERIA] res illuſtres, graues, & veras non tricas, & Apinas, hoc eſt, nugas, & iocos. QVANTI] quanto labore, tempore, ſumptu; omnibus ſeruio, nemo mihi, viuo aliis, mihi pereo. FALCIFERI TEMPLA.] Ad forum quondam ſita, Macrobius. Saturnus autem reorum, cui vota faciebant, & abſoluti ſoluebant. Martialis lib. 2. ep. 74. An quia & ipſe toto anno in vinculis, vt ſcribit Macrobius lib. 1. Sat. cap. 8. Et Statius de Saturnalibus Decembribus in ſiluis. An quia ad forum fuit, vt ex Macrobio intelligo lib. 1. cap. 8. Senſus eſt; ſi velim patronus, & aduocatus cauſas defendere, ero diues. VENDERE VERBA] Locare linguam mercenariam, cauſas agere. HISPANAS METRETAS.] Vinum Hiſpanum. Metreta idem genus menſuræ, quod cadus. de Attico loquor. Cæterum μετρητὴς dicitur Græcis, & Latinis metretes gen. virili, Et metreta gen. f. Cato cap. 107. *Oleum ſi in metretam nouam indituruſ eris,* &c. *Id ſi feceris, metreta oleum non bibet. Et oleum melius faciet, & ipſa metreta firmior erit*; lege & Columellam lib. 12. c. 51. & c. 22. & c. 40. Iuuenalis Sat. 3.

——at hic tignum capiti incutit, illi metretam.

De qua ingens inter auctores ſacros, & ciuiles diſputatio, quantum metretes capiat. Sunt qui decem congios, ſunt qui duodecim capi contendant. Ego totum hunc locum à Dioſcoridis, & Pauli I. C. ſcriptis expediam. Hoc tamen ante tenendum Metreten, Amphoram, cadum, pro eodem genere menſuræ accipi, deinde capaciorem metreten Syriacum Attico, Atticum Romano. Syriacus capit ſextarios centum viginti, Atticus 72. Ioſephus lib. VIII. Ant. cap. II. Romanus 48. quod Paulus docet. Amphora enim etiam, Feſto teſte, 48. ſextarios capiebat. Iam ergo ſi de Syriaco loquare, metretes capiebat menſuras noſtrates ſexaginta. Si de Attico, dubius eſt locus Diſcoridis lib. 5. c. 82. vbi de numero ι. vel ιβ. non conuenit inter auctores. legi nuper apud Ian. Antonium Sarracenum I. C. qui & notas, & varias lectiones in Dioſcoridem ſcripſit. η. vel ι. vel ιβ. reperiri, neq; conſtare, de quo metrete ibi ſit locutus Dioſcorides, an de Attico, vel Romano. Si de Romano loq. η. ſi de Attico ιβ. ι. vero ſeu denarius inducendus eſt omnino, vt vitioſus. Par eſſe poteſt apud D. Ioannem dubitatio, vbi agit de ſex hydriis, an Syriacos metretas, an Atticos, ad Romanos intellexerit. Syriacos non intellexiſſe, facit ingens copia vini. Romanos crediderim. Nihilominus eſt tantus vini numerus vt vulgus concionatorum fidem meam ſit deſideraturus, ſi pronunciauero. Nam, vt ſingulæ hydriæ tantum continuerint duas metretas, ſenæ, menſuras implebunt ducentas octoginta octo. Quid ſi iam aliquæ hydriæ, vt S. Ioannes aſſirmat, cœperunt tres metretas (Metreta Romana, ſeu amphora vicenas quaternas capit menſuras noſtrates. Iam tu puta ſummã. Ex hydria factum eſt altare lege η. Caniſ. ι & ι. vita S. Wilibald. Lege Maldonatum, Toletum, Lucam Pætum I. C. De menſuris & ponderibus Rom. Quod ſi dicas S. Ioan. Syriacam, aut Græcam metretam intelligere, vini vim, & copiam adhuc maiorem efficies, vt Fannius. aliique teſtantur mediam inter Romanos & Syriacos menſuram Attica metretes continet quem Ioſephus exprimit. AT NVNC CONVIVA EST, COMMISSATORQ. LIBELLVS.] In conuiuiis legendus aptus ſympoſiis, & compotationibus, vel quod tractet de conuiuiis, poculis, iocis, nugis, & argumento hilaritati, & circulis, & menſis congruenti. commmiſſari dicuntur, qui inter prandia, & cœnam, & poſt cœnam helluantur, & potant. Conuiuator etiam Terentius dicitur ab argumento. GRATIS] ἀπὸ ῥημαλικῶς. Ego enim inde non diteſco; *nec ſentit laudes ſacculus iſte meus.* gratis placet, ſine pretio, nemo ſoluit mihi iocos, & hilaritudinem, ita gratis placeo. SED NON HAC VET. CONT. LAVDE FVERVNT] Ampliſſimis enim muneribus culti fuêre poetæ quondam, ita vt ſinguli verſus ſingulis aureis redimerentur, de re alibi dictum. ALEXIS.] Mancipium elegans Virglio donatum à Mœcenate. res peruulgata. lege ſecundam Virgilii eclogam, quæ Alexis. & Corydon inſcribitur, lib. 8. fuſe de hoc puero. BELLE, INQVIS, DIXTI: SATIS EST; LAVDABIMVR VSQVE. DISSIMVLAS? FACIES ME PVTO CAVSSIDICVM.] Laudibus non paſcor, nec inde viuo; ſolue aliquid, ſi placui. ſurdus es; cogor & ego mutare ſtudium, & foro ſeruire. De inani laude poetarum, & pretio famæ, lege Quintiliani, ſeu de Taciti de cauſis corruptæ eloquentiæ dialogum. Et Ouidius *inutile ſtudium* vocat ſæpius in Triſtibus, & Ponto. &

In Gelliam.

XVII.

Dum proauos, atauosque refers, & nomina magna,
Dum tibi noster eques sordida conditio est:
Dum te posse negas nisi lato Gellia clauo
*Nubere: nupsisti Gellia * Cistifero.*

*Vitiose. * Celtibero. v. Cistigero. vnde cistophorum nummi Pompeiano Turnebo. lib. 3. & 16.*

Gellia sæpe agitata à poeta ridetur iterum, quæ ob maiorum imagines, & nobilitatem iactabunda negabat se nisi senatori nupturam, cum postea prope mendico nupserit. NOSTER EQVES.] Dum senatori tantum nubere vis. NISI LATO GELLIA CLAVO] latus clauus insigne fuit amplissimi, hoc est, Senatorii ordinis, quanquam gestarint eundem omnes, qui vel patre senatore, vel equite nati essent, non quidem per omnem ætatem, sed ab anno XVII. quo virilem togam sumebant, ad annum ætatis senatoriæ: quo anno curiam ingredientibus remansit eiusdem tunicæ ius, addito reliquo iure senatorio. Sin autem senatoriam dignitatem non adipiscerentur, aut eandem oblatam recusarent, vt Mæcenas fecit, deponebant latum clauum, & angustum sumebant in reliquam vitam. Sic Ouidius eques dicit se posuisse lib. 4 Trist. Eleg. 10.

Curia restabat, claui mensura coacta est.
Maius erat nostris viribus illud onus.

Idem in Augusto Suetonius. imo gerebant etiam tribuni militum, quorum alii lati clauii, alii angusti claui minoris dignitatis illis lati-clauus. Suet. Aug. Ner. Otth. Dom. Torrentius. Turnebus. De tunica clauata multi scribunt, al ter alii. formam vsquequaque perfecte nemo exprimit, quo pacto clauus ille seu latus, seu angustus fuerit insertus, assutus, vel intextus. Scio quid Festus, Manutius, Plinius, Suetonius, Baysius, Cuiacius, Lipsius, Rosinus lib. 5 c. 33. aliique dicant, sed perfectam inde rei cognitionem haurire non potui. Wouerius qui nuper ad Petronium Arbitrum scripsit, affirmat plane similem latum clauum forma, principum nostrorum epomidibus, seu pellibus, quas humeris iniiciunt, cum in publicum locum ad solennem actionem peragendam procedunt. Quæ sane forma nota nobis omnibus per ipsas principum picturas, quæ passim circumferuntur. Vtuntur similibus & Prolytæ, cum iuridica laurea insigniuntur. Aliter Marcellus Donatus sentit ad Sueto. c. 45. *Verum sicuti latum clauum Senatoriam vestem fuisse pro comperto habemus, ita qualis fuerit, apud aliquem nec antiquum nec modernum scriptorem inuenire potui. Ex hoc loco elicimus, fuisse vestimenti genus succinctorium, & supra hoc vestimentum, toga dictum, iniici poterat, vt dicit VVolphgangus Lazius lib. 2. Com. de Rep. Rom. cap. 3. Lazarus Baysius libello de re vestiaria fatetur, ingenue non satis sibi liquere, quæ vestis diceretur latus-clauus. Latum sane clauum vestem oblongam ad talos vsque declinantem fuisse, ex Quintiliano, loco superius citato, existimandum, cuius formam puto eam esse, quam in statuis antiquis Senatorii ordinis homines repræsentantes videmus. Doctiss. Tiraquell. in Annot. in Alex. ab Aland. lib. 5. cap. 18. interpretatur laticlauum, id est tunicam latis clauis ornatam. Et subdit: Erant autem hi claui ornamenta quædam purpurea clauorum speciem præbentia (Bottoni dicunt Itali) tunicis attexta, seu fortasse assuta, à quibus laticlauus dictus, id est, tunica laticlaui, quod erat insigne maiorum magistratuum. Pet. Gregor. in parte 3. syntag. iuris vniuersi lib. 47. cap. 23 num. 17. ita scribit: Laticlauus erat vestimentum succinctorium, quod clauis (vocant Galli Agraphes, ou crochetes) iungebatur in pectore, quale vestimentum, quod apud Hungaros hodie circa pectus & longitudinem brachiorum clauos aureos vel coccinneos habet. Horum sententiæ adstipulari videtur Festus Pompeius lib. 14. in verbo picta, vbi scribit, Tunicam palmatam a latitudine clauorum esse dictam, quæ nunc à genere picturæ appellatur. Quibus verbis indicat, clauos illos in tunicis acu fuisse depictos. Varro li. 8 de Ling. Lat. Nam si quis tunicam ita consuit, vt altera plagula sit angusta clauis, altera lata, vtraque pars in suo genere caret analogia. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 18. inquit, in laticlauo veste clauos affigi solere quandoque aureos, idque Titum Cæsarem interdixisse, teste Vopisco in illius vita. Io. Baptista Egnatius in scholiis in Aurelianũ Vopisci, interpretatur, auro clauatas vestes id est, quæ clauos aureos habent, nos flores appellamus. Verum illud pro comperto etiam habemus, non solum senatores, sed & principes alios viros laticlauo vsos in honoris signum, quinimo, & mulieres quoque, teste Herodiano, lib. 3. de Plautina scribente: Siquidem latumclauum perpetuo habebat, atque in secundis consularibus numerabatur. Ita cum Lampridius in Commodo scribat, per laticlauii honorẽ Paternum à præfectura remotum; intelligendum, eum honore gestationis laticlauii insignitum; nam præfecti prætorio Equestris ordinis erant, teste Suet. in Tito; nisi interpretemur Paternum Senatorem effectũ. Sic quoque Suet. dicta exponenda in Domitia. c. 10. dum inquit, donatum venia à Domitiano, tribunum laticlauium, hoc est, tribunum laticlauii vestis indumento exornatum, nisi Senatorii ordinis dixerimus. Nam tribunos alios angusticlauios, alios laticlauios fuisse, constat ex Suet. ipso in Othone c. 10. scribente, patrem suum Othoniano bello tribunum angusticlauium fuisse. De clauis quibus vestis laticlauium dicta insigniebatur, Vlp. l. 19. §. 1. D. de aur. & argent. De angusticlauii veste Caius in l. nuper. 43. D. de donat. inter vir. & vxor. & Imp. Alex. in l. si Rufinus, C. de testam milit. sed de re hac nos alibi plura. Illud ipso profecto maiorem difficultatem habet, quod scilicet per fimbriatum ad manus sit intelligendum. Nonnulli exponunt, Cæsarem gestasse laticlauium vestem ad manus fimbriatam, hoc est, opere Phry-*

gio

gio ornatum, vulgo Ricamata dicimus. At nos rectius interpretandum ducimus, fimbriatum, id est, manicarum extremitates casuratim recisas, seu casim dissectas habentem, quemadmodum & Plin. lib. 21. c. 15. Vrtica folia fimbriata dixit, hoc est, per extremitatum orbem concisa. Sicut & alibi auellanarum barbas fimbriatas vocauit. Et Virg. in Georg. 1.

—— Et amaris intuba fibris.

Nam è fibrâ & fimbria deriuata. Vnde fibriatas etiam Plinius lib. 25. c. 5. caparum radices vocauit. Quod & alij radici adscribit Colum. & in eundem sensum Cic. in Pison. scripsit: Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, &c.

Alii aiunt latum clauum esse ornamentum indusii quod ad collum, & infra genua lato clauo, est, h. e. limbo aureo erat fimbriatum & clauatum. Ego quod à principio sensi, necdum liquere puto quæ sit Germana vestis laticlauia. quamuis cum Donato faciat Guido Pancirollus cap. de fibula. tunicam enim purpuream ait fuisse, quali diaconi & subdiaconi in sacrificio vtuntur, cuius latera globulis aureis connectebantur, quos latos clauos dicebant. ideoq; non cingebant, vt alii tunicas, sub tunica habebant indusium laneum, quod subuculam dixere, &c. Ad carminis huius intellectum capiendum sufficit, nosse hoc loco Gelliam tantum senatorium hominem in virum quæsisse, quamuis non senatores eandem ferrent tunicam, liberi nempe senatorum, & equitum, alioquin poeta non dixisset, *Dum tibi noster eques sordida conditio est.* nisi forte loquatur de equite à curia seclu-so CISTIFERO] sacrificulo Cybeles abiectissimo, vilissimo; dicebantur cistiferi à cista, in qua Cybeles nescio quæ arcana sacra, aut sacrilegia ferebant. Turneb. lib. 3. c. 21. Nec Cybeles tantum, sed Bacchi, Isidis, Osiridis symbolum, præterea Eleusiniorum sacrorum Arnob. lib. 5. Clemens Alex. in προτρεπτικῷ, Pamelius fuse ad Tertulliani Apologeticum, & librum contra Valentinianos: *Ieiunaui atq; ebibi Eyceonem è cista sumpsi, & in calathum misi: accepi rursus, in cistulam transtuli, hoc symbolum erat sacrorum Eleusiniorum.* Huius sacra describit Apuleius Met. quem alibi testem laudauimus. Arnobius, Tertullianus, præter Mythographos. Inepte legunt alii Celtibero, qui non vident se violare legem carminis

Ad Quinctianum.

XVIII.

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappæ,
Gracilesque ligulæ, cereiq;, chartaque,
Et acuta senibus testa cum Damascenis,
Præter libellos vernulos nihil misi.
*Fortasse auarus * videar, aut inhumanus.* * *Videor.*
Odi dolosas munerum, & malas artes.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Auidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diuiti nihil donat,
O *Quinctiane* liberalis est pauper,

Excusat non missa Saturnalibus munera, & eo se liberaliorem dicit Martialis, quod pauper nihil donarit diuiti, id est, nihil petiuerit ab illo: sed multum donauit, qui æternum victurum carmen misit, quo amicum fecit immortalem. VOLANT MAPPÆ.] Vltro, citroq; inter amicos amicis missæ per clientes, lib. 4. c. 89. Mappa dicta, quod à manibus pendeat; fiebant ex lino, lintea vocat Catullus manibus tergendis seruiebant.

Missa nec à querulo mappa cliente fuit.

Quinctilianus mappam vocem punicam affirmat: Mappam inquit, vocem vsitatam sibi Pœni vendicant lib. 1. cap. 9.

GRACILESQ. LIG.] ligulam argenteam accipio hoc loco, de qua Mart. lib. 14.

Quamuis me ligulam dicant equitesque, patresque,
Dicor ab indoctis lingula Grammaticis,

Et infra ep. 2. *Saturnalitia ligulam misisse selibra.*

Et gladiolum expono cum Gellio, qui erat in linguæ speciem factus. Columellæ est instrumentum quo spuma à vase purgatur. Plinius pro calamo videtur vsurpare lib. 21. c. 14. cum ait, *inde ligulis hauriunt florem, id est, succum.* plura lib. 14. Et Pharmacopæorum spatula longiusculum instrumentum in linguæ formam à fronte factum Iunio. Charisius *lingula cum non à linguendo dicta est, in argento. In calceis vero ligula à ligando, sed vsus ligulam. fine n. frequentat.* Est & mensura in aridis, & liquidis

quidis Plinio, Columellæ, & aliis. Dicitur & ligula γλωττὶς, & μύστρον, & μυάκιον concha. Sauaronem lege ad lib. 1. Sidonii epist 2. aurium ligulæ, &c. De his donis Saturnalitiis nos lib. 13. & 14. in Xeniis & Apophoretis. Philander & Agricola docent esse quartam partem Cyathi. ita vt quatuor ligulæ vnum Cyathum expleant, Cyathi duodecim sextarium. GRACILES] tenues, subtiles. CEREIQVE, CHARTÆQ.] Cereos in Saturnalibus missos docent varii scriptores. Causas mittendorum cereorum refert Macrobius lib. 1. c. 7. ET ACVTA TESTA] vase testaceo, metæ formam habente, vt in 13. Martialis docet.

Hæc tibi, quæ torta venerunt condita meta.

Sic enim lego cum Beroaldo.

Si maura forent cottana, ficus erat.

Eandem formam describit Papinius in filuis, cum vas hoc acutum vocat turbinem ruentem. *Nunquam turbine conditum ruenti, Prunorum globus atq; Cottanorum.* SENIBVS DAMASCENIS] Prunis Damascenis, de quibus lib. 13. disseruimus. SENIBVS] rugosis, vt exponit ipsemet. *Pruna peregrina carie rugosa senectæ.* Damascus nobilis Syriæ ciuitas, vbi D. Paulus abstersa mentis, & corporis caligine, cœ este veritatis lumen aspexit, quod & ipse per orbem longe, lateque propagauit. LIBELLOS VERNVLAS] metaphoricos. Vernula liber domi scriptus, sicut verna, seruus domi natus ex ancilla. ODI DOLOSAS MVNERVM, ET MAL. ARTES] gnomici versus, probi & elegantes sequuntur. IMITANTVR HAMOS DONA: NAMQ. QVIS NESCIT, AVIDVM VORATA] Vt lib. 4. ep. 56.

Sordidius nihil est, nihil est te spurcius vno,
Qui potes insidias dona vocare tua.
Sic auidu fallax indulget piscibus hamus,
Callida sic stultas decipit esca feras.

Et hoc lib. c 60. *Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti.*
Fictilibus nostris exoneratus eris.

Quos versus pluribus, & aliorum dictis ibidem illustrauimus. vti lib. 4. SCARVM] piscem lib. 13. ep. 84. descripsimus. LIBERALIS EST PAVPER] sane perelegans, & acuta conclusio à contrario. Ille est, inquit, liberalis qui nihil donat. pauper inquam diuiti, quia donando petit & plus petit, quam donum valebat. quæ auaritia, non liberalitas est, vt Isocrates luculenter docet oratione ad Nicoclem. LIBERALIS EST PAVPER] quia non colit diuitias, sed amicum, qui nihil à diuite petit, & tamen amat.

Ad Cæsarem Domitianum.

XIX.

Si qua fides veri, *præferri maxime Cæsar*
Temporibus possent sæcula nulla tuis.
Quando magis dignos licuit spectare triumphos?
Quando Palatini plus meruêre Dei?
*Pulchrior, & * maior quo sub duce Martia Roma?*
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Est tamen hoc vitium, sed non leue, sit licet vnum,
Quod colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri, fidoque sodali,
** Aut quem prosequitur non alienus * eques?*

* Melior.
* At.
* Eques.

Κολακευτικὸν est. mulget laudando Cæsaris marsupium, & quiritando; occulte petit, vt quod amici non præstant, præstet ipse Cæsar. Sic enim infra. *Quatenus hi non sunt, esto tu Cæsar amicus.*

PRÆFERRI TEMPORIBVS POSSVNT TEMPORA NVLLA TVIS.] Causam felicissimorum temporum subscribit duobus distichis. Quibus adde, quæ libro 9. epigram. 72. adfert.

Cur nunc, ô mores: cur nunc, ô tempora dicis?
Quod tibi non placeat, Cæciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri:
Pace frui certa, lætitiaq; licet.

DIGNOS

DIGNOS TRIVMPH.] Imo indignos. Nam de Dacis,& Cattis triumphauit.quamuis scribat Suet.c.6. & Dio,Oppium Salinum consularem,& Cornelium Fuscum, cui belli summa erat commissa,cum magnâ parte exercitus amissa,cæsos. Tamen, inquit Dio,missis ducibus ad bellum gerendum,ac magna parte militum turpiter amissa, vt victor Romam litteras misit. lege Plinium Secundum de eod. Sed videtur hic non tantum militares hos triumphos, sed ludorum,& spectaculorum celebritates, quas Historici non prætereunt, memorare. QVANDO PALATINI PLVS MERVERE DEI?) Quando Iuppiter,Minerua,Iuno, tantum vrbi pepe.ere commodi, quantum Domitianus? Aut quando maioribus culti honoribus,atque nostro æuo? Ipse Iouem ipsum defendit. Capitolium instaurauit,vrbem variis ædificiorum,publicorum operibus auxit, & ornauit. LIBERTAS MAIOR.] Imo quando minor, cum ea, quæ in conuiuiis inter amicos sub veste dicebantur, afferrentur,ad aures principis,nemoque mutire propemodum de repub. auderet. Qui rapuit, mactauit,perdidit nocentes,iuxta ac innocentes,vt illum apud Secundum lib. 1.ep.12. non immerito Cornelius latronem appellarit. INGR A. PAVPER AMIC. COLIT.] abutuntur enim diuites clientum officiis, & obsequiis, quæ nullo munere compensant, quod & alias, & libro 1. in Candidum deplorat.

Ex opibus tantis veteri, fidoq; sodali
Das nihil,& dicis, Candide κοινὰ φίλων.

Et lib.2. ad eundem. In Fabianum item lib. 2. e. 36. NON ALIENVS EQVES [alienus hîc non aduersum valet, vel inimicum animum, sed verum diuitem, nobilem, & digno censu equitem. Est enim eques triplex, stirpe, & censu: equo stipendia faciens: & honore, nomineque, tituloque. Primus equitum ordo ille, qui proximus amplissimo patrum, & senatorum ordini, & hi veri equites. alter miles est, & opponitur pediti. Tertius sub Cæsaribus primum natus, quibus honoris causa sedere in 14. gradibus fas erat, in quo numero administri quidam Palatini, & amici Cæsaris, & noster Martialis erat. de quo extremo, nam priores certi, Lipsius in Amphith. c.14. vt supra monuimus ad illa verba *Non obscurus eques.* de vero equite loquitur lib.14.e. 111.

Ante frequens, sed nunc rarus nos donat amicus,
Felix, cui comes est, non alienus eques.

PROSEQVITVR] beneficiis, donis.

Theod frag. supr. ep.3.recitauimus.

Paneg Traian.

Colere amicum etiam Tacitus lib. 1. Hist. dixit. Hinc apud Senecam cultores c.2. de breu vita H.raldus.

Ad eundem.

XX.

Saturnalitia ligulam misisse selibra,
** Flammatæue togæ * scripula tota decem,*
Luxuria est, tumidique vocant hæc munera reges:
Qui crepet aureolos forsitan vnus erit.
Quatenus hi non sunt, esto tu, Cæsar, amicus,
Nulla ducis virtus dulcior esse potest.
Iamdudum tacito rides Germanice, naso:
Vtile, quod non vis, do tibi consilium.

* Flammarisue.
* Scripula.

Hoc epigramma cum superiore iungendum docet Scriuerius, vnumque ex duobus faciendum, quod fieri potest, si sententiam spectemus. Quando nihil donant proceres Romani, Cęsar, tu dona, quia nulla virtus principis est dulcior, & gratior in populum. SELIBRÆ] Semilibræ siue semissis genus, pondus Romanorũ libra, seu pondo diuiditur in 12. vncias Eius partes sunt vncia duodecima pars, sextans duas continet vncias, quadrans tres, triens quatuor, quincunx, quinque, semis, seu selibra sex vncias; selibram, quasi semilibram intelligas: veteres enim se pro semis vsurparunt; septunx septem vncias. Bes 8. dodrans 9. dextans 10. deunx 11. vncias. Ligulam selibræ vocat, quod sex vnciarum esset, hoc est, sex vncias ponderaret; quid sit ligula, iam supra epigram. 18. ad Quinctianum docuimus. * FLAMMATÆVE] purpureæ. Tyriæ lacernæ, à flammæ ardentis similitudine, cuiusmodi erant Tyriæ. lib.2.e.43.

Misit Agenoride Cadmi tibi terra lacernas;
Non vendes nummis coccina nostra tribus.

Et libro 10. e. 87. *Cadmi municipes ferat lacernas.* Fuit autem Cadmus Agenoris Tyri conditoris filius. ὁ νοῦς. Mittere ligulam semissis, aut lacernam decem scrupulorum est ingens apud Romanos luxuria, tanta auaritia, cum vix possint esse viliora munera. SCRVPVLA DECEM] libra argenti scripulis constat ducentis octoginta octo. Agricola, & Philander in epitome eiusdem, quæ libra iis æstimatur 400. HS. selibra scrip. 144. 200. HS. id est, quinque Philippæis. Vnum scripulum

Per risum & iocum captat munera, vt hodie in aulis principũ Exodiarij quidam. &c.
** Flammaris leges Domitiani.*

lum valet obolis nostratibus non omnino 19. plus tamen, quam 18. oboli autem septem vno cruciato. DECEM.] Decem argenti scripula plus minus triginta semisestertios semistertios, seu XV. HS. efficiunt. Decem auri scrupula ducenos HS. id est, quinq; Philippæos. Poeta dubio procul auri scripula intelligit, nam decem argenti scrupulis, non emeris purpuream lacernam. aut pœnulam. De scrupulis, seu scripulis supra lib. 4. ep. 89. copiose. d. LVXVRIA EST] regium munus putant Romani; adeo sordidi, & parci sunt. REGES TVMIDI] ne mihi hîc reges populorum intellige, sed ciues Romanos, & patronos clientum, qui suos Dominos reges vocabant, vt lib. 1. dictum, doctumq; est, QVI CREPET AVREOLOS] qui donet nummos aureos, vix vllus est. CREPET] crepat enim, cum numeratur, id est, sonat. AVREOLOS.] De aureis vide Lipf. in El. ad Tacit. Hotomanum, Hostum. Hîc genus ponitur. Alii legunt aureolas, nec probo. Aureus Romanus denariis valebat 25. id est, florenis tribus & quinis victoriatis seu baziis. QVATENVS HI NON SVNT.] Quando ergo tam sordidi, & illiberales Romani, esto tu munificus, munificentia, & benignitas maxime decent principes. TACITO RIDES NASO.] Irrides velut stultum, & morionem. quis enim non petat Cæsarem amicum, ad suum commodum? Nasus sedes irrisionis, vt lib. 1. dictum est, & pro prudentia ponitur, li. 1. TACITO] clam tacite rides. VTILE] mihi, nempe, inquit poeta. Et hinc non vis. Imo etiam tibi. Iuuat enim principem amicitia potius, quam armis septum. Isocrates. Et Cic. Tusc. 5. Thomsonus legit: *Vtile quod nobis do tibi consilium.*

Hoc vult, inquit Scriuerius; Cum suasoris sit finis vtilitas, eius cui quisq; suadet, id quod dixit Suadæ Medulla Tullius: Martialis contra, consilium sibi vtile, Domitiano vero, cui suadebat, damnosum dabat. Hunc fucum à Cæsare animaduersum significat poeta, & rideri se ab illo fingit.

Ad Martialem.

XXI.

Si tecum mihi, chare Martialis,
Securis liceat frui diebus,
Si disponere tempus otiosum,
Et veræ pariter vacare vitæ:
Nec nos atria, nec domus potentum,
Nec lites tetricas, forumq; triste
Noscemus, nec imagines superbas,
Sed gestatio, fabulæ, libelli,
*Campus, porticus, vmbra, * Virgo, thermæ,*
Hæc essent loca semper, hi labores.
Nunc viuit sibi neuter heu, bonosq;
Soles effugere, atq; abire sentit,
Qui nobis pereunt, & imputantur.
Quisquam viuere cum sciat, moratur?

* *aquam Virginem intellige.*

Iulium Martialem, An Martianum potius, vt habet V.C. hortatur ad vitam beatam, id est, voluptuariam. Huius generis epigrammata habes loco, Quod sit viuere. DISPONERE] *Dispones otium* dixit Plin. ep. 23. l. 4. Auson. epist 10 Diem disponere Seneca ad Polyb. Consol. c. 25. Plin. Suet. *operum vices disponere.* Tibullus. plura Heraldus. IMAGINES] nobiles, arrogantes, qui stemmatum serie gloriantur, & reliquos præ se contemnunt. GESTATIO] duplicem habet intellectum. Primo sensu notat vectionem, quæ lectica, sella, scamno, vehiculo, naui, solita fieri. Seneca. Celsus, Asclepiades vterq; Plinius, alii. Altero ipsum locum, in quo gestabantur, Quem Paulus I.C. ex arboribus confici tradit l. competit 16. quod vi, aut clam. Vlpianus. *si forte*, inquit, *voluptati fuit prædium, viridaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas, atq; amœnas habens, non debebit deiicere, vt forte hortos faciat olitorios vel aliud, quod ad reditum spectat.* Plin. Iun. epist 17. li. 2. *Gestatio buxo, aut rore marino, vbi deficit buxus, ambitur.* Fuit autem gestatio & valetudinis, & voluptatis causa veteribus, vt Celsus, & & Seneca docent, comparata. VIRGO] aqua virgo Romanis dicta. lege Marlian. lib. 6. c. 15. fuse de hac aqua disputantem, & Plin. lib. 31. c. 3. *Agrippa & Virginem adduxit ab octaui lapidis diuerticulo II. M. Pass. Prænestina via. Iuxta est Herculaneus riuus, quem refugiens Virginis nomen obtinuit*; nos alibi plura celebratissima etiam aliis poetis aqua. BONÔSQ SOLES EFFVGERE] dies ad pancratice viuendum aptos, beatos, felices, Soles, pro diebus dixit Horatius Od. 5. lib. 4.

De imaginibus fuse nos alibi. & hic Herald.

Celsus lib. 2. de re med. ca c. 15. toto.

Idem c. 11 Tiberio adscribunt.

—*populo*

——populo gratior it dies, Et soles melius nitent.

Virgil. Ecl. 9, *——sæpe ego longos*
Cantando puerum memini me ducere soles.

IMPVTANTVR.] Non redditur alius dies pro illo, quem abire inutilem passus es, & quo non vixisti. sed vt alibi Martialis, *omnis scribitur hora tibi*, quomodocunq; diem absumis, datus imputatur, nec alius pro illo redit. MORATVR?) viuere cum sciat, possitq; viuere, & nôrit, quid sit viuere, quamque sit vita beata.

De Apollonio ad Regulum.

XXII.

Quinctum pro Decimo, pro Crasso, Regule, * *Marcum*
Ante salutabat rhetor Apollonius.
Nunc vtrumq; suo resalutat nomine; quantum
Cura laborque potest: *scripsit & edidicit.*

* Macrum lege.

Εἰρωνικὸν est, plenum salis, & leporis. Irridet enim Apollonium Rhetorem ἀμνήμονα, cui tam felix erat memoria, vt duo amicorum nomina retinere non posset, nisi scriberet, & ediscceret, velut orationem. QVINCTVM] alterum pro altero nomen occurrit; salutauit enim Quinctum pro Decimo, & pro Crasso Macrum; vbi simul in contrario ludit, quo magis Apollonii infelix rideat ingenium, quod omnia inuertat, & contraria secumque pugnantia dicat. De ineptis rhetoribus, & Caussid. supra copiose d. QVANTVM CVRA] egregia ironia alludit ad vetus verbum, labor improbus omnia potest. Exemplum est, inquit. Apollonius hic, qui suo labore edidicit nomina.

In Paullum.

XXIII.

Mane domi * *si te merui, voluiq; videre,*
Sint mihi Paulle, tuæ longius Exquiliæ;
Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Iouem.
Alta * *suburbani vincenda est semita cliui,*
Et nunquam sicco sordida saxa gradu.
Vixq; datur longas mulorum * *vincere mandras,*
Quæq; trahi multo marmora fune vides.
Illud adhuc grauius, quod te post mille labores
Paulle, negat lasso ianitor esse domi.
Exitus * *hic operis vani, togulæq; madentis,*
Vix tanti Paullum mane videre fuit.
Semper inhumanos habet officiosus amicos:
Rex nisi dormieris, non potes esse meus.

* alij. nisi te volui meruiq;.

* Suburani.

* Rumpere.

* v. hic.

Cur Paullo non dicat Aue, excusat iter, & absentiam Paulli. Paullus hic Caussidicus nobilis fuit, de quo sæpe Martialis & Iuuen. Sat. 7. nos alibi plura præsertim lib. 7. ep 71. NISI TE MERVI.] alii codices habent. si te. sensus est, tam mihi charus es, vt si te modo merear videre, non recusem longissimum iter. Tu enim in Exquiliis, ego ad pilam Tiburtinam habeo. Sed es tanti, vt si vel longius illæ forent, ad te sim venturus modo domi reperiam. LONGIVS] Ita ferè lib. 1. Epig. 109.

Migrandum est vt mane domi te, Galle, salutem;
Sed tanti es, vel si longius illa foret.

EXQVILIÆ] Quinta Regione vrbis S. Rufus. P. Victor. Panuinius. De Exquiliis habes apud Varronem. dictæ sunt vel ab excubiis, vt Varroni & Ouidio placet.

Adde, quod excubias vbi Rex Romanus agebat,
Qui nunc Exquilias nomina collis habet.

M. Cato

M. Cato idem sentit, dissentientibus aliis, qui ab aucupibus dictas aiunt, quod ibi quisquiliis sparsis aues illuderentur. alii, quod exculta à Rege Tullo essent. Plura apud Onuphrium Panuinium, Blondum, Marlianum lib. 5. cap. 9. Dionysium alios. SED TIBVRTINÆ SVM PROXIMVS ACCOLA PILÆ.] Regione septima ad Pyrum habito ad viam Tiburtinam, via lata lib. 1. epig. vlt. *longum est, si velit ad Pyrum venire.* Inter pilam Tiburtinam, & forum Archemorium. hoc etiam lib. 1. epig. 109. innuit. *At mea Vipsanas spectat cœnacula laurus.* lege Marlianum lib. 5. cap. 26. qui pilam Tiburtinam, quasi Tibur ait nominatam. Pila. id est, columna. ANTIQVVM IOVEM] vetus Capitolium, quod supra Clathram, & Apollinem erat. Vide Laurentii Vacarii Romam, qualis imperante septimo Seuero erat, descriptam. RVSTICA FLORA] Dea, cuius templum erat è regione domus Martialis. RVSTICA] quia floribus præest. quæ fœmina illa Aua Taruntia Rustica? Plura nihil est opus addere. Ouid. Fast. rem exponit lib. 5. fusissime. Plutarchus in Quæst. Rom Macrobius lib. 1. Sat. c. 10. August. lib. 6 c. 7. de Ciuitate. Lactantius lib. 1. c. 2. Chloris dicta prius Græca voce. ALTA SVBVRANI VINCENDA EST SEMITA CLIVI.] Ad montem Exquilinium, quo per suburram ascenditur, suburanum manifeste legendum, non suburbanum. Iuuenalis.

Cedere namq; foro iam non est deterius, quam
Exquilias à feruenti migrare subura.

Sunt tamen, qui dicant suburam appellatam, quòd sub antiqua vrbe esset. sed nihil id repugnat sententiæ nostræ; certum est hoc loco legendum suburanum. Suburra initium habuit à foro Romano, & recta veniendo per forum Neruæ ad cliuum suburanum desinebat. SORDIDA SAXA] perpetuo cœno obruta, cœnosa, luto fœda. * MVLORVM MANDRAS.] *Ouium, boum, mulorum septa, claustraq; mandræ appellantur,* inquit, Perottus. Iuuenalis tamen Sat. 3. pro ipsis mulis rhedas trahentibus accipit, quod ex versibus intelliges.

* murorum.

Inde caput morti: rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis conuicia mandræ
Eripiunt somnum Druso.——

Vbi τὸ stantis expono, morantis, non pergentis mulæ, conuitia autem mulionum sunt in mulas cunctantes, & stantes. Cæterum mandra vox Græca μάνδρα, & stabulum, caulamque, qua nocte pecora clauduntur significat. apud Theocritum reperio pro spelunca, cubili. Idyll. 5. locoque vbi torcularia, & vuæ exprimuntur. Probus docet esse vici ostium, vel flexum, vel arrectum, aut breue, & vile ædificium, quod arctet vici latitudinem. Martiali ponitur eodem sensu, quo Iuuenali. pro longa serie mulorum rhedas trahentium, & onera, nisi longas mandras longa, & ingentia vehicula exponas cum Probo, quod non abnuo, impediebant viatorum iter, cum fere totam viam occuparent: Seneca lib. 3. de ira cap. 6. Quemadmodum per frequentia vrbis loca properanti, in mulas incursitandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi: ita in hoc vitæ actu dissipato & vago multa impedimenta, multæq; querelæ incidunt. QVÆQVE TRAHI MVLTO MARM. FVNE VIDES.] Ad fabricam excitandam attrahi machinis, trochleisq; saxa vides. Vel peritiâ marmora vehiculis imposita ab operis trahi. vti fieri solet, in templis, palatiis, magnisq; operibus erigendis. Pulchre Iuuen. Sat. 3. describit impedimenta viarum.

——nobis properantibus obstat
Vnda prior: magno populus premit agmine lumbos,
Qui sequitur, ferit hic cubito. ferit assere duro
Alter: at hic tignum capiti incutit, ille metretam,
Pinguia crura luto, planta mox vndiq; magna
Calcor, & in digito clauus mihi militis hæret.

Et mox:

Scinduntur tunicæ sartæ, modo longa coruscat
Serraco veniente abies, atq; altera pinum
Plaustra vehunt, nutant alte, populoq; minantur.
Nam si, procubuit qui saxa Ligustica portat
Axis, & euersum fudit super agmina montem
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Inuenit? obtritum vulgi perit omne cadauer.

ILLVD ADHVC GRAVIVS, QVOD TE POST MILLE LABORES, PAVLE, NEGAT IANITOR ESSE DOMI.] Idem questus ad Decianum lib. 2. epigramma. 5. *Sæpe domi non es, cum sis quoque sæpe negaris.* vbi plura. EXITVS HIC OPERIS VANI, TOGVLÆQVE MADENTIS.] Inanis nullo operæ pretio. madentis vel nimbo, vel pluuia, vt Iuuenalis, vel sudore perfusæ ob æstum, & longitudinem itineris. VIX TANTI PAVLVM MANE VIDERE FVIT] tantus est labor adire te, vt etiamsi certum sit te domi tuæ repertum iri, vix tamen suscipiendus sit, quod abs te solus labor ægre compensari possit; quid dicam si accedat molestia frustra peracti itineris, cum aut domi non es, aut esse negaris? SEMPER INHVMANOS HABET OFFICIOSVS AMICOS.] Conclusio gnomica. Quo officiosior cliens, hoc inhumanior patronus. REX NISI DORMIERIS, NON POTES

POTES ESSE MEVS.] Ergo quando ita est, vt te non videam, non subibo molestiam itineris. Si cupis esse meus, seu Dominus, seu patronus, seu amicus, dormi tantisper, donec salutatum te veniam, vt te domi ostendam. Ita lib. 2.

Te tamen vt videam, duo millia non piget ire:
Vt te non videam, quattuor ire piget.

Insinuat Paulum ipsum alios salutatum exire, vt lib. 2, epig. 18. de Maximo.

Mane salutatum venio tu diceris isse
Ante salutatum——

Ad Bassum.

XXIV.

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
Iura theatralis dum siluêre loci.
Quæ postquam placidi censoris cura renasci
Iussit, & Oceanum certior audit eques:
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, & te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ:
*Aut meus ante omnes * Codrus haberet equum.*

* Cordus.

In fictum equitem est hoc, vt supra, infraque alia eiusdem sunt argumenti. HERBARVM COLORES] præter cæcos, vident omnes, quem colorem poeta designet. herbæ enim virides. Erat color hic fœmineus, vt ex Iuuenale docet Lipsius lib. 1. Elect, cap. 13. Græcis χλωρὸς dicitur, Latinis etiam galbus, galbeus, & galbanus; inde galbanos mores id est, molles. fœmineos notat noster poeta. pueri item olim, vt hodie subinde, gerebant virides. Statius lib. 2. Sil. 1. in Glauciam. *Nunc herbas imitante sinu.* Sensus est. Ante legem theatralem promulgatam, seu reuocatam, sedebas, vbi libebat, inter equites, quamuis non eques & virides, hoc est, viles, & abiectas gestabas vestes; non enim arcebaris à 14. gradibus. At postquam Domitianus Imperator legem reuocauit, & Oceanus designator fictos equites iubet surgere, tu purpuram, & coccina gestas, quo videaris eques, nec ab Oceano suscitaris. De cocco, & purpura, iam sæpe dictum est. de lege theatrali. epig. 14. ad Manneium. Et 8. Phasidem. QVADRINGENTORVM NVLLÆ SVNT BASSE LACERNÆ: AVT MEVS ANTE OMNES CODRVS HABERET EQVVM.] Non impones Oceano, Basse, colore vestis mutato, nouit te esse mendicum. Quamuis enim purpuram, & coccum feras, non tamen æstimantur quadringentis millibus HS. seu, decem millibus Philippæorum, id est, non qui habet purpuream lacernam, habet etiam quadringenta millia HS. alioqui Codrus, qui ipsa prope egestas est, esset eques, nam & ille lacernam coccineam facile comparabit, aut emendicabit. Codrum descripsimus lib. 2. epig. 17. ad illud carmen. *Non ipse Codrus penulatorum.*

De censura Domitiani large infra lib. 6. ep. 5. Censor maximus, &c.

De Hermete.

XXV.

Hermes Martia sæculi voluptas,
Hermes omnibus eruditus armis,
Hermes & gladiator, & magister,
Hermes turba sui, tremorque ludi,
Hermes quem timet Ælius, sed vnum,
Hermes cui cadit aduolans, sed vni,
*Hermes vincere, * sed ferire doctus*
Hermes suppositicius sibiipsi
*Hermes diuitiæ * locariorum,*
Hermes cura, laborque ludiarum,

*[Nec lego ex MS. & Iunio aliisque.
* locariorũ. al.

Hermes

Hermes belligerâ superbus hastâ,
Hermes æquoreo minax tridente,
Hermes casside languida timendus,
Hermes gloria Martis vniuersi,
Hermes omnia solus, & ter vnus.

Nomina præconium Hermetis gladiatoris, quem in omni genere armorum principem laudat. Et vere termaximum, vt Hermetem Trismegistum in philosophia, sic Hermetem hunc in arena prædicat. Doctissimus & acutissimus noster II. vir Vellerus, in monumentis Augustanis Herm ti huic nomen ab Hermâ seu palo datum existimat. pag. 141. causam ibidem eruditam adiungit. Voluptas proprie in spectaculis, muneribus, ludis dicitur. Testimonia Bullengerus lib. de Ven. c. 11. ponit. HERMES MARTIA SÆCVLI VOLVPTAS: HERMES OMN. ERVD. ARMIS.] Attende artem laudandi. primum à toto genere vniuerse, deinde speciatim, postremo quasi collecta partium enumeratione, rursum generatim celebrat hunc Achillem. Iteratio vero nominis plurimum valet ad id, quod concludit, *Hermes omnia solus, & ter vnus.* hoc enim particulatim exposuerat Hermes hoc, Hermes illud, Hermes omnia, & vnus omnia Hermes. Hoc ergo genus laudandi frequentat poeta, vt prius generatim, deinde particulatim laudes memoret. vt lib. spect. epig. 3. cum docet ex orbe toto Romæ spectatores fuisse. primo nullam gentem abfuisse dicit, deinde enumerat GLADIATOR ET MAGISTER.] Gladiator non est μαχαιροποιός, vt nonnulli definiunt, hoc est, qui conficit gladios, sed μονομάχος Herod. Cicero libr. 2. ad Atticum, epist. 1. Philipp. 1. & 9. vt Quintilianus docet, qui in arena populo spectante pugnauit. Lipsius libro 1. Satyr. capite 7. Quanquam apud Ciceronem legas, gladiatores pro spectaculo, & munere ipso vsurpari, homines pro re, vt contra rem pro hominibus, cum seruitia, coniugia, dicimus seruos, & coniuges ipsos. MAGISTER.] hunc Cicero. 3. de Oratore lanistam vocat. *Magister*, inquit, *hic Samnitium summa senectute est.* Idem proprio, & Tusco verbo Oratione pro S. Roscio Capitonem lanistam. Lanista enim magister est gladiatorum, qui familiæ gladiatorum præerat. Græce ἀνδροτρόφος, μονομαχοτρόφος, ἐπιστάτης μονομάχων. Et apud Valerium Maximum libro 2. doctores. nam, vt magistri quidam, dictata dabant, vt Tertullianus, & Iuuenalis docent. Germani & ipsi appellant cum epitheto Fechtmeister. florent enim hodie, vti quondam in Germania gladiatores, sed non iis legibus, nec illo cruento priscorum pollice necis, & vitæ arbitro.

fe & Lips. sed alias sen. HERMES, TVRBA SVI, TREMORQ. LVDI.] Quo viso tota familia gladiatorum turbatur, & tremit. Turba hic ταραχὴν valet; vnde turbas dare, vt turbellas. LVDI] gladiatorum, arenæ. Hermete, vnoq; illi inferior. CVI CADIT ADVOLANS] vnde aduolet hic gladiator, quæro, sitne κυρίως, an μετωνυμικῶς. Videtur idem superiori carmini sensus, si proprium, vt Aduolans & Ælius sint duo præstantissimi gladiatores. quando commune est, ita expono. Cui cadit, cui vincitur, & Ælius nobilis gladiator, & quicunq; in arenam ascendit, nec vnus, nec omnes illi pares sunt.

HERMES VINCERE,* NEC FERIRE DOCTVS.] Obscuritas carminis offudit tenebras scriptoribus criticis; vt varie versum hunc aut corrumperent, aut emendarent, aut exponerent. Gemina scriptura communis est, vt legatur vel, *Hermes vincere sed ferire, doctus.* vel, *Hermes vincere, nec ferire doctus.* Tertiam adfert Lipsius libro 1. epistola 5. *Hermes vincere se, & ferire doctus*, hoc est, vt secum ipse pugnet, & sui ipsius victor; aliis inuictus existat. At hoc artis non videtur. ipsum enim ferire, & vulnerare, potest, cum vult, & quomodo vult, & quando vult, nisi hic forte aculeus. Hermes victis omnibus aliis, cogitur secum pugnare, & seipsum sibi sufficere, vt sequitur. quod minime absurdum iudico, & Lipsius hoc insinuat. Qui legunt (sed) possunt exponere τὸ (sed) causam victoriæ. Cur Hermes? quia ferire doctus. sed hic plumbeus pugio, nec ferire doctus. Domitius rem totam dissimulat. Mihi tamen salua cunctorum pace, videtur retinenda lectio hæc. *Hermes vincere, nec ferire doctus.* Quo intellectu inquis? non certe non hoc contrario poetæ. Hermes quidem nouit vincere, sed nescit ferire. appage cum hoc glossario, quod tamen verba videntur dictare, quæ ratio fuit, vt Lipsius putaret versum esse saucium, & cura critica indigere. Ego sic intelligo. Hermes doctus vincere, & doctus non feriendo vincere. Atque ita expono τὸ, nec. Hermes potest vincere sine ictu, quamuis possit ferire, tamen vincere potest, etiamsi non feriat, quod summam habet admirationem, & speciem quandam ἀδυνάτου, cum tamen non sit ἀδύνατον. Poterat inuoluere gladiatorem (ad luctam referas, licet) *nec ferire.* Et doceor nummo Gordiani Imperatoris, qui extat apud Onuphrium Panuinium, cum hac inscript. *Imper. C. Gordianus Pius, Felix, Aug. P. M. Trib. p. 4. Cos. 2. pp. & infra.* Athletæ siue pugiles. Expressi autem sunt aurigatores & pugiles, inter quos duo reuinctis post tergum manibus, inter se tamen pugnantes, quod forte sit, *vincere, nec ferire doctus* (inspice librum 1. Panuinii de lud. Circensibus) aut deiicere, vt cogeretur se victum confiteri, aut exspectare ferrum, aut missionem.

Eadem

Eadem olim laus Athletarum; vt Petrus Faber Agonist. 1. cap. 14. & lib. 3. c. 5. & 6. ex Dione Chrysostomo, Eustathio, Seneca ostendit. Hermes potuit arte Antagonistam occupare, vt ille se vel non commouere, vel non sine exitio posset, ita vt Hermeti ferire fatentem victum, quamuis posset, non esset necesse. Alij quidem propugnant pro *sed ferire doctus: sed*: exponunt, imò, quia Hermes non multum batuebat aut tumultuabatur armis, sed feriebat, ideoque vincebat. Quinctil. lib. 6. c. 3. *Et Pedo de Mirmillone qui retiarium consequebatur, nec feriebat. virum, inquit, capere vult.* Ego perseuero in priori sententia. HERMES SVPPOSITICIVS SIBI IPSI] Gladiatores suppositicij erant, qui fessis, & victis gladiatoribus sufficiebantur, qui cum victore contenderent, quos suppositicios, vel subditicios, Græci ἐφέδρους nominabant; substituebantur autem vnus, alter, etiam tertius, sorte tamen, non casu. Huius rei magistros habes apud Lipsium, Plutarchum, Dionem, Plinium, Statium, & ipsum Martialem. Ergò sententia versus est gemina. Hermes pugnando nunquam fatigatur, nec indiget qui sibi sufficiatur, sed ipse, perinde ac recens se ipsum supponit, & rursum vno, altero, tertioue victo in pugnam quartam, quintam, sextam, prodit. Altera est. Hermes omnibus fessis, & victis solus inuictus, & integer expectat suppositicium, pro antagonista victo, aut fesso. Et cùm nullus sit, ipse sibi suppositicius, & se ferit, & se vincit, quod tamen, credo, non ex animo poëtæ dicitur; prior sententia placet, vt Hermes non egeret, vt alij, suppositiciis; nunquam enim fatigabatur. Talis ferè laus est Carpophori lib. spect. epig. 15. post multas cædes ferarum.

Præmia cùm laudis ferret, adhuc poterat.

HERMES DIVITIÆ LOCARIORVM] Locarij erant homines pauperrimi, qui loca commoda spectaculis in popularibus occupabant, quæ deinde ditioribus locabant certo pretio. Iulius Cæsar, Bulengerus lib. de Circo cap. 35. Hermes, quia gratissimus spectatoribus gladiator, cùm pugnaturus diceretur, magna vis hominum confluebat. pauperes autem in popularibus, occupatis locis, & gradibus, quos tardè venientibus quasi vendebant, cùm cederent, magnum quæstum faciebant. Et hinc Hermes dicitur diuitiæ locariorum, quia illo pugnante multi locarij locum aliis locauerunt. Hic non ignoro locarium, & designatorem à Lipsio pro eodem accipi. sic enim in Amphit. cap. 15. *Nam locarij, meo animo, non aliud hic quàm designatores*; Bulengerus contra: *Lipsius*, inquit, *omnis elegantiæ pater designatores, lictores, locarios eosdem fuisse censet. Pace tanti viri dixerim, hic obdormiuit aliquantulum, aut ego vigilans dormio.* Separat ergo Bulengerus designatores, lictores, locarios, quæ & mea sententia est. Lipsius tamen lictores, & designatores non facit eosdem, quod Bulengerus de illo affirmat, sed locarios tantùm, & designatores. conferantur auctores. Plura de locariis apud eosdem leges; ad locum hunc capiendum, hæc opportuna iudicauimus. Scriuerius adhuc magis illustrat præsentem locum: *Non possum inquit statuere quæ sit differentia inter locarium & designatorem, siquidem vlla est. Hoc scio, in omni genere loca spectaculorum dicta esse, vbi sedebant spectatores.* Suetonius in Claudio cap. XXI. Propria senatoribus constituit loca, promiscuè spectare solitis. Apud Pub. Victorem Regione Vrbis III. Amphitheatrum, quod capit loca LXXVII ∞. Ibidem: Theatrum Marcelli capit lòca XXX ∞. Item regione IX. Theatrum Balbi capit loca XXX ∞ .XCV. Vnde locar, & quod exigebant locarij à sedentibus. Quod postea lucar dictum. Vetus Glossarium Græco-Latinum: θεατρικὰ χρήματα, Lucaria, singulariter Lucar. Idemq; à Charisio Grammatico & aliis Glossis exponitur θεατρικόν. Quibus etiam aliter, Lucar μισθὸς ἀπὸ φόρου. De modo lucaris, & aduersus lasciuiam fautorum multa decreta esse temporibus Tiberianis, refert Tacitus sub finem Annalis 1. In fragmento Vet. S.C. Lud. Sæcular. apud Fulcium Vrsinũ, & Gruterum pag. cccxxviii. 1. legitur, De lucari. ludorum. &, lucario. nomine. imperent. vti. cum. pecuniam. dandam. &c. Apud eundem Gruterum pag. ccccxxxvi. 5. monumentum P. Marij Luperciani Eq. R. exstat; vbi inter alia: Cuius. eximia. liberalitas. post. multas. largitiones. huc. vsq; enituit, vt. lucet. * IIII. Inae. redemptum. a. Repub. sua. vniuersis. ciuibus. suis. in. perpetuum. remitteret. Hæc inscriptio à variis ita excepta, & ex eà cum mendo hæc ab ipso Scaligero. prolata ad Festum Pompeium, lucar. IIII. Inae. redemptum. à. rep. nam valde mihi arridet viri magni & amici coniectura, lucar libitinæ. Hic lucar exactio est, & tributi genus. Sed apud Tacitum, & in S. C. de ludis Sæcularibus, Lucar merces histrionum est. quæ pecunia à lucis captabatur, destinata tota ad ludos; auctoribus Festo, & Plutarcho in Causis Rom. Quis ille modus Lucaris, & quam sæpe mutatum lucar, docet I. Lipsij fælix curiositas ad Cornelium. Et Heros Scaliger Tertulliani de S. Ioanne præcursore Domini egregium locum annotauit. Aduersus Gnosticos: *Ipse clausula legis* (inquit) *Prophetarum, nec propheres sed angelus dictus, contumeliosá cade truncatur in puellæ saltica lucar.* Eleganter. Nam lucar erat merces saltatorum & histrionum. Vide eundem ad Festum, tentantem quoq; hanc vocem Liuio restituere lib. III. Postea itaq; lucar dictum, quod prius locar: æs nimirum ex locis siue sedibus Theatralibus collectum. quę origo mihi verior videtur, quam à lucis. Nam quis Grammaticorum, & præsertim maximi Varronis in Etymis licentiam & lasciuiam nescit? HERMES CVRA, LABORQVE LVDIARVM] ludius, ludio, ludia dicitur, sed hoc extremum tantùm apud Martialem & Iuuenalem reperio. Est ludia vel vxor, vel amica gladiatoris, qualis Hippia apud Iuuenalem Sat. 6. describitur. Hermes, inquit poeta, est amor, cura, & sollicitudo, ludiarum; certatim omnes ludiæ amant, & saluum cupiunt Hermetem gladiatorem quasi Deum suum. Plutarchus in Galba, He-

taldus ad hunc locum. Ludij porrò, vt Dionysius Halicarnasseus docet, erant adolescentes tunicas induti insignes, galeati, & ensiferi, peratique qui omnibus circensibus, & theatralibus pompis in vorsum incedebant, ipsius velut pompæ duces, Saliis similes, ludij ex eo vocati, quòd à Lydis hoc genus ludicri inuentum videretur. Et Appianus in Lybico, vbi triumphi pompam describit. *Imperatorem*, inquit, *lictores præibant purpureis amicti vestibus, tum Cytharœdorum, ac tibicinum, turba ad Hetrusca similitudinem pompæ. Hi succincti, coronaq; aurea redimiti, suo quoque ordine, canentes, psallentesq; prodibant. Hos ludios appellant.* lege plura apud Cælium Rhodiginum lib. 15. cap. 11. & Turnebum lib. 6. c. 26. fuerunt homines parum honesti, histriones, qui in circo, & theatro saltabant. Cic. pro Sextio. Aliud, ludio, & ludius, & ludia. HERMES BELLIGERA SVPERBVS HASTA] Hasta Samnites præludebant. Cicero de Oratore. *Atque eiusmodi illa prælusio esse debet, non vt Samnitium, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur.* Et, idem ait, *cum brachium concalefecerit, tum se solere pugnare, neque attendit eos ipsos* (gladiatores intellige) *vnde hoc simile ducit, illas primas hastas ita iactare leniter, vt & venustati vel maximè seruiant, & in reliquum viribus.* Hos Quintilianus Pilarios, & ventilatores vocat, qui ea, quæ emiserant, ita librabant, vt venire in manus viderentur, quæque tulerentur, decurrere. de qua re nos alibi plura. Et tu quoque plura vide apud Lipsium lib. 2. cap. 19. Hermes in prælusione se mirificè ostentabat, & hastam ita vibrabat, vt plausum inde populi ferret. HERMES ÆQVOREO MINAX TRIDENTE] Quis Hermetem retiarium quoque fuisse hinc ex fuscina non intelligat? Fuit Retiarius (quemadmodum apud Isidorum lego) qui contra alterum pugnantem occultè ferebat rete, quod iaculum (retiaculum emendat Lipsius) vt aduersarium cuspide insistentem operiret, implicitumque viribus superaret, quæ armatura pugnabat Neptuno, tridentis caussa. Hæc Isidorus. Tridentem, pugionem, & retiaculum habuisse Retiarium ex Strabone disco, qui libro decimotertio de retiarij origine ita tradit. *Postea verò ad singulare certamen à Phrynone prouocatus* (Pittacus nempe) *cum piscatoria schema in eum pugnauit; & retiaculo hominem quidem circumuoluit, tridente verò, & pugione impulit, occiditq;.* Et Iuuenalis Sat. 8.

> *——mouet ecce tridentem,*
> *Postquam vibrata pendentia retia dextra*
> *Nequicquam effudit: nudum ad spectacula vultum*
> *Erigit, & tota fugit agnoscendus arena.*

Ornatum, & armaturam Retiarij icone expressam habes apud Lipsium lib. 2. Sat. cap. 8. vbi de toto genere fusè disputat. pugnabat cum secutore, & Myrmillone. pugnanti contra Myrmillonem à Retiario canebatur, non te peto. piscem peto. piscem autem fictum, vt Festus docet, in galea gestabat. HERMES CASSIDE LANGVIDA TIMENDVS] Domitius de Myrmillone intelligit cassidem languidam. caussam, cur dicat languidam, non exponit, gratis ergò. Lipsius magister esto, lib. 2. Sat. cap. 12. qui Andabatam interpretatur. *Martialem*, inquit, *de Andabata interpretor, vbi Hermetem gladiatorem attollit, & varijs armis pugnacem facit, Hermes b. s. h. H. æ. m. t. Hermes casside languida timendus. Puto enim intelligi singulis versibus Samnitem* (hasta) *Retiarium* (tridente) *casside languida Andabatam.* Quid enim aliud sit languida illa cassis, quàm hæc, quæ tenebras & languidam caliginem inducens? Ἀνδαβάται græcè, Andabatæ latinè interiecto litera, d, prisco more. Pugnabant ex equis, galea frontem, oculosque tecti. Vnde natum est verbum, *Andabatarum more pugnare*, id est, cæcorum. D. Hieronymus contra Iouinianum & Rufinum. HERMES GLORIA MARTIS VNIVERSI: HERMES OMNIA SOLVS, ET TER VNVS] Epiphonema ab vltimo ad primum. Idem enim primis duobus versibus dixit, sequentibus probauit, vltimis concludit; verum ergò est Hermetem esse Martiam sæculi voluptatem, omnibus eruditum armis. TER VNVS] qui vnus potest, quod nec tres alij, quia omnia solus. Potuit allusisse ad Hermetem Trismegistum, id est, ter maximum. Quin & apud Latinos magistri à magis ter videntur dicti. Festus, *magistri*, inquit, *dicuntur, quia magis alijs possunt.* Paulus I. C. de verborum significat. *qui magis, quàm cæteri, diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi magistri appellantur. Vnde magistri. Vnde magistratus cognominantur.* Idem tamen à monendo, & monstrando dictos potiùs affirmat.

De Cheræstrato.

XXVI.

> *Quadringenta tibi non sunt, Cheræstrate, surge;*
> *Lectius ecce venit; sta, fuge, curre, late.*
> *Ecquis, iò, reuocat, discedentemq; reducit?*
> *Ecquis, iò, largas pandit amicus opes?*
> *Quem chartis, famæq; damus, populisq; loquendum?*
> *Quis Stygios non vult totus adire lacus?*

Hoc

Hoc rogo non melius, quàm rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?
Quàm non sensuro dare quadringenta caballo,
** Aureus vt Scorpi nasus vbique micet?*
O frustra locuples, ô dissimulator amice:
Hæc legis, & laudas: quæ tibi fama perit?

* *Aureus legit Bulengerus libro de Circo.*

Quod Sat.3. Iuuenalis, hoc queritur poëta isto epigrammate: Equites quamuis equitum tamen vero, priscoque editos, ob egestatem tamen pelli gradu in spectaculis; nec à quoquam iuuari, qua tamen immortale sibi nomen equites, comparare possent, se, cæterisque poëtis ob liberalitatem celebrandi. sed plus equum, quàm equitem, nomen, & famam, & hominem amant. QVADRINGENTA] sestertia, id est, decem millia Philipporum, censum nempe equestrem non habes. SVRGE] formula designatorum Lectij, vel Oceani, cùm equitem ex 14. gradibus, id est, equestri loco elicerent. Hic tamen est vox amici admonentis, vt sponte abeat, ne cum rubore postea, iubente Lectio, cogatur abire. Lectius designator, qui excitabat & eliciebat equites censu carentes ex 14. gradibus. STA] Quæro, num licuerit non equiti, in equestribus tamen stare, sic, vt gradum non occuparet? Videtur licuisse & ex hoc, & superiore 14. de Manneio epigrammate, cùm ita scribit, *Lectio equiti sedere, Lectioq; se stare.* In equestribus dubio procul, quia ex popularib. non fuisset excitatus, sed in via dicis, non ipsis gradib. Ita suadeor intra gradus nec stare quidem licuisse, alioqui non adderet poëta, *fuge, curre, late*, nec Manneius in viam fuisset protractus. LATE] inter populum, ne Lectius deprehensum inter equites latentem protrahat. ECQVIS, IO, REVOCAT, DISCEDENTEMQ; REDVCIT, ECQVIS, IO, LARGAS PANDIT AMICVS OPES? QVEM CHARTIS, FAMEQ; DAMVS, POPVLISQ; LOQVENDVM? QVI STYGIOS NON VVLT TOTVS ADIRE LACVS?] Fingit Chærestratum parere monenti, & abire ex equestribus, ad quem reuocandum hortatur potentes Chærestrati amicos, vt largiantur ei censum equestrem, ex hoc futurum, vti sibi laudem colligerent sempiternam, eos enim à poëtis immortali carmine celebratum iri. IO] Vox hæc varium habet vsum, frequentissimè gestientis est, vt Io triumphe, quod milites clamabant. aliàs irridentis, aliàs dolentis apud Plautum & Tibullum. hoc loco vocantis videtur, perinde enim est, ac si diceres. Heus quis reuocat Chærestratum? quis illi censum numerat? Non ineptè tamen exponas hic esse vocem plausum captantis, vel pollicentis. Quis cum laude, quis cum plausu, & applausu omnium vult hunc Chærestratum seruatum? Quis Stygios non vult totus adire lacus? Quis sibi nominis immortalitatem vult comparare liberalitate, & emere famam nec totus mori, vt ignobiles, & illaudati? QVAM RVBRO NIMBO PVLPITA SPARGERE] CROCO. Fuerunt in amphitheatris tubi occulti, seu fistulæ, quæ in imo & summo amphitheatro dispositæ, ea arte & fine, vt odoratum quendam humorem eiacularentur leuiter, & inspergerent in sedentes, qui humor è croco plerunque vino diluto. Græcè, odoratus hic imber (vt Apuleius, & Antonius Musa apud Senecam appellant) χρόκ@- ὀεχιγνόμδυ@- dicitur, vt habent priscæ glossæ. propriè sparsiones vocabantur. Martialis lib. spect. nimbum nominat.

Et Cilices nimbis hic maduêre suis.

Et lib. 9. *Lubrica Corycio quamuis sint pulpita nimbo.*

Et Ouid. liquidum crocum. Propertius solennes crocos. Lucanus pressuram croci. Nec ex siphunculis sed statuis etiam, liquor hic effusus. Ex theatris, amphitheatris, circisque sparsiones tandem in triclinia quoque translatæ. Auctor Suetonius Neron. cap.31. Plutarchus de Othone narrat idem. Quæ plenius omnia apud Lipsium lib. Amphith. cap.16. Martilius aqua, non vino dilutum ait Crocum. lege, quæ ad epigramma tertium lib. spect. notauimus. PVLPITA] hoc propriè de theatris dictum, in quibus scenæ, & pulpita. Iam poëta hic docet, melius esse pecuniam largiri viro bono, quàm effundere in sumptus inanes, & huiusmodi sparsiones, & statuas equorum, & aurigarum, vt sequitur. QVÀM NON SENSVRO DARE QVADRINGENTA CABALLO] Bulengerus de Circo cap.33. refert statuam equestrem Scorpo ab equestri ordine positam. *Non modò*, inquit, *victoribus brabia, præmia corona, sed & statua, & tituli, ac elogia victoriæ indicia decernebantur.* Locumque hunc ipsum Martialis adducit, in cuius sententiam lubens descendo. illa enim verba aptè ad statuam, *quàm non sensuro caballo*; caballus enim fictus non sentit. Et hic sensus est etiam illius lib. 4. ad prætorem. Quod non das equiti, vis dare, prætor equo. AEREVS VT SCORPI NASVS VBIQVE MICET] Piget nasum hunc non Scorpi, sed Domitij longiorem Rhinocerotis lectori spectandum proponere. Aliter ego cum docto Bulengero, qui commodè, & ingeniosè emendat æreus, cùm vbique mendosè legatur aureus. * æreus nasus, id est, ærea statua Scorpi passim per vrbem erecta fulget; nasus συνεκδοχικῶς noto pueris tropo. Confers, inquit poëta, aurum ad statuam equestrem Scorpi agitatoris, & negligis amicum nobilem. De Scorpo lib. 10. plura & 8. O FRVSTRA LOCVPLES, Ô DISSIMVLATOR AMICE, HÆC LEGIS, ET LAVDAS: QVÆ TIBI FAMA PERIT?]

* *Quid si fortè inaurata statua fuit?*

 Ictus

ictus epigrammatis à peruerso diuitiarum vsu. frustra diues es, quia nescis vti diuitiis (quod est esse pauperem) Hæc intelligis, probas, recteque à poëta moneri dicis. Et tamen non mouens, sed inglorius, atque, vt ita dicam infamis, id est, sine fama nobili moreris, quia nihil facis dignum fama, & nominis immortalitate.

Ad Codrum.

XXVII.

Quòd Alpha dixi, Codre, penulatorum
Te nuper, aliqua cùm iocarer in charta:
Si forte bilem mouit hic tibi versus,
Dicas, licebit, beta me togatorum.

Iocatur cum Codro, quem lib. 1. epig. 57. vocarat alpha penulatorum. Fingit offensum eo versiculo Codrum, eique reponendi conuitij facit potestatem. Si tu ægrè tulisti, vocatum te à me alpha penulatorum, voca me beta togatorum; ita me vltum ieris, amboque pares erimus. Nam sicut te primum mendicorum, ita me tu postremum diuitum appellabis, adeoque pares erimus. Alpha notum est ex prouerbio quid valeat. & beta hoc loco non accipio pro secundo, nihil enim nerui haberet carmen, sed pro vno ex vulgo togatorum, atque adeò postremo; postremi enim diuitum, & primi mendicorum admodum affines sunt, & cognati, sicut extrema æstas, & primus autumnus, adulta hyems, & primum ver.

In fictum equitem.

XXVIII.

Ingenium, studiumq; tibi, moresq; genusq;
Sunt equitis, fateor: cætera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Vt sedeas viso pallidus Oceano.

Iactas apud equites, equestre genus, & mores equestres. studiaq; equestria, & ipsum ingenium equestre. Vt id ita esse faciam, tamen non habes opes equestres. CÆTERA PLEBIS] census non equestrem, quadringenta nempe sestertia. Bis septena subsellia non sunt tibi tanti, vt viso Oceano audeas sedere. Quod si negas, cur ergò viso Oceano designatore, surgis, fugis, lates, vt nec ordo vniuersus equitum in quatuordecim ordinibus sedens sibi tanti sit, vt te possit retinere in equestribus, ob conscientiam paupertatis?

De quatuordecim gradib. equitum fuit nos supra & his Heraldus.

In Mamercum ad Aulum.

XXIX.

Vt benè loquatur, sentiatq; Mamercus
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres * *Curtios licet vincas,*
Quiete Neruas, comitate Rufones,
Probitate * *Marcos, æquitate Mauricos,*
Oratione Regulos, iocis Paullos:
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas:
Ego esse miserum credo cui placet nemo.

Aulus Pudens videtur, de quo sup. lib. 4. 13.
* Curios. male
* Macros M.S.

Occasionem laudandi Romanorum familias æui sui principes, & optimates à persona ficta Mamerci captat. cui nemo satis bonus, quemadmodum lib. 9 epig. 72. Cæciliano videbatur. Alioqui de veris Mamercis & illorum alapis Iuuen. Sat. 8. NVLLIS MORIBVS] nec integerrimis quidem, & emendatissimis Hanc ὑπόθεσιν confirmat enumeratione partium, id est, Curtiorum, Neruarumque, Rufonum, siue Drusonum. Marcorum, seu Macrorum, Mauricorum, Regulorum, Paullorum. PIETATE FRATRES CVRTIOS] Curtios lego, non Curios priscos. è quibus laudatissimus vnus animam pro suis ciuibus proiecit, & in hiatum terræ viuus, florensq; præceps abiit

Curtiorum variorum varia extant monumenta in veteribus Inscript. legitur in his L. Curtius Abascantus cum Curio Gaudente F. Et P. Curtius P. F. Tutus P. Curtius Onesimus. Item C. Curtius Iucundus Reg.1 Cur. P. Curtius Sp. F. Col. Maximus F. Et Curtius Nerua. sed fieri potest nullum esse ex his, quos vult poëta Curtios. Gruterus in Ann. putat Curtios Montanos ex Tacito & aliis ea tempestate illustres laudari. FRATRES] amor, quo filij parentes, ipsique inter se prosequuntur, pietas vocatur. Exemplum ipsius pietatis habes de Castore & Polluce, & apud nostrum poëtam, Pliniumq; Secundum. Tulli & Lucani. apud Lipsium in Tacitum libro 3. hist. Nænij, & ipsum Tacitum Pompeiani, qui ignari frates, & postea seipsos interfecerunt. NERVAS] Non dubito, quin Neruam Domitiano postea suffectum à quiete commendet, quieto enim, & miti admodum ingenio fuit, si vera scribit ex Dione Xiphilinus. omnes enim accusationes iniquas, & calumnias, quarum caussa ingens tumultus, Domitiano imperante concitatus erat, sustulit, Christianos accusari vetuit, accusatos absoluit, exules restituit, inter quos & D. Ioannem. COMITATE RVSONES] apud Domitium Drusones, sed nec Drusonum, nec Rusonum mentionem apud scriptores reperio; vt homines priuatos, & incelebres, domiq; tantum notos fuisse coniiciam. M. Occium Rusonem lego in Smetij inscriptionibus p.44. Inscript.15. Rufoni Plinius epistolam 19. lib.9. inscripsit, vbi legendum fortè Rusoni, aut hic Rufoni. Nec qui sequuntur Marci, nobis certi, & definiti. Extant alia epig. ad Marcum, sed alium credo ab hoc. proinde legunt alij ex MSS. Macros, vt Bibium Macrum intelligat, ad quem sunt Plinij aliquot epistolæ, sed sunt etiam ad Marcum lib.3. ep.5. ÆQVITATE MAVRICOS] Planè Iunium Mauricum laudat, laudatum ab eadem virtute Plinio Iun. lib.4. epist.22. de eodem exule habes lib.3. epist.11. & eiusdem laudes lib.1. epist.5. vbi virum grauem, prudentem, multis experimentis eruditum appellat. Et lib.4. epist.22. nihil illo verius, & constantius affirmat. de eodem Tacitus. legitur & Marcius sæpius Mauricus. obserua rectè mediam tendi in voce Mauricos, sic Caicus, Labicus, reperies apud scriptores. ORATIONE REGVLOS] eloquentia. Regulum caussidicum, aut si mauis, oratorem intelligit, ad quem sunt multa poëtæ epigrammata. Porrò quàm fuerit bonus Orator, ostendit epist.7. Plinius, his verbis. *Ita recta ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat audacia, exemplo est Regulus, imbecillum latus, os confusum, hæsitans lingua, tardissima inuentio, memoria nulla: nihil denique præter ingenium insanum, & tamen eo impudentia, ipsoq; illo furore peruenit, vt à pluribus orator habeatur.* Plura de eodem lib.1. ex Plinio Iun. diximus ibidem, & dicimus infra. IOCIS PAVLLOS] ad Paullum caussidicum lib.7. epig.71. Paullumue dicam illum, de quo epig.87. lib.9. an qui hoc ipso 5. epig.22. An omnes diuersi, an vnus, an nullus ex his, quæro. Nobilem fuisse patronum, in Exquiliis habitasse, ludorum variorum, maximè pilæ & latrunculorum peritissimum Paullum celebrat lib.7. epig.71. Et hoc libro epig.23. de Exquiliis facit mentionem. Vnum enim Paullum reor, ad quem tot sunt epigrammata, & Caussidicum illum. vide Casaub. ad Suet.

De Nerua plura lib.11. & aliis.

RVBIGINOSIS CVNCTA DENTIBVS RODIT] Theoninis, Lycambæis, Momicis. Omnia carpit seu bona, seu mala sint. MALIGNVM TV CREDAS] Vt Zoilus fuit ille Homeromastix, aut quos modò nominaui. EGO ESSE MISERVM CREDO, CVI PLACET] gnome. verè miser, cui nihil placet. cruciatur enim semper, & semper irascitur, amat nullum, odit omnes, omnibus inuisus.

An hos faciunt Marci, vt soli, boni, docti, pij videantur.

Ad Gelliam.

XXX.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis;
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras:*
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

** Si verum dicis, si verū Gellia mandas Lamprid.*

Gelliam deformem irridet. LVX MEA] sic viri vxores, vel amicas blandè compellabant: Frequens est apud poëtas. apud Plautum aliæ sunt, & molliores blanditiæ. EDISTI NVNQVAM, GELLIA, TV LEPOREM] quia semper turpis, & deformis es. Alexander Seuerus Imperator quotidie ad mensam adhibebat leporem, vnde ex ioco Martialis natus alius iocus in Alexandrum Seuerum. audi Lampridium. *Et quoniam*, inquit, *de lepusculis facta est mentio, quod ille leporem quotidie haberet, iocus poëticus emersit, idcircò quòd multi septem diebus pulchros, esse dicunt eos, qui leporem comederint, vt Martialis coci* (quoq; coce) *epigramma significat.*

Quum leporem mittis, semper mihi Gellia mandas,

(Sic enim legit Lampridius)

Septem formosus, Marce, diebus eris.
Si verum dicis, si verum, Gellia, mandas,
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Sed hos versus, inquit Lampridius, in eum, qui deformis esset, composuit, postea verò temporibus Alexandri hæc in eum dixit.

> *Pulchrum quòd vides esse nostrum regem,*
> *Quem Syrum sua detulit propago,*
> *Venatus facit, & lepus comesus,*
> *Ex quo continuum capit leporem.*

Hos versus quum ad eum quidam ex amicis detulisset, respondisse ille dicitur Græcis versibus in hanc sententiam.

> *Pulchrum quòd putas esse vestrum regem*
> *Vulgari miserande de fabella:*
> *Si verum putas esse, non irascor.*
> *Tantum tu comedas velim lepusculos,*
> *Vt fias, animi malis repulsis,*
> *Pulcher, ne inuideas liuore mentis.*

Hæc Lampridius. Versus hi postremi, vt vides syllabis, non legibus suis constant. Sed cur pulchri essent, qui leporem gustassent, Plinius lib. 28. cap. 19. caussam inuenire non potest; subesse tamen putat. *Vulgus, inquit, & gratiam corporis in 7. dies friuolo quidem ioco, cui tamen aliqua debeat subesse caussa in tanta persuasione.* de leporina verò carne lege plura libro 13. ex Athenæo, Ioanne Bruyerino, &c.

Ad Varronem.

XXXI.

> *Varro, Sophoclæo non inficiande cothurno,*
> *Nec minus in Calabra suspiciende lyra,*
> *Differ opus: nec te facundi scena Catulli*
> *Detineat, cultis aut elegia comis.*
> *Sed lege fumoso non aspernanda Decembri*
> *Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo.*
> *Commodius ni fortè tibi, potiusq; videtur.*
> *Saturnalicias perdere, Varro, nuces.*

Varronem hortatur ad lectionem suorum epigrammatum Saturnalibus. Quis hic Varro sit, opinor, quæres: Nec Menippæus, nec Atacinus, sed ignotus posteris, notus tantum domi & suis, nisi quòd à Martiale illustratus viuit hodie aliena, non sua Musa rediuiuus. SOPHOCLÆO] Laus Varronis, quem excellentem Tragicum appellat; nam princeps in eo genere Sophocles. CALABRA LYRA] Lyricum eundem præstantem fuisse æmulum Horatij. sunt, qui ad Ennium referant, sed exponо Græco, latinoque carmine faciendo promptum, & laudatum. DIFFER OPVS] labores vsitatos scribendi, & legendi grauiora, & seueriora scripta per hosce dies sepone. SCENA CATVLLI] Quamuis non legim comœdiam Catullo scriptam, lego tamen in ipsius vita, poëtam Iambicis scriptoribus iis, qui veterem Comœdiam condiderunt, adscriptum. nec tamen inde scenam appellari crediderim eius carmen à Martiale, sed potius propter suauitatem carminis, & amœnitatem, quæ omnes etiam scenarum voluptates superare videri potest. sed enim videtur Valerius noster de alio Catullo loqui, cuius mentio libr. spect. ep. 7. in Laureolo, vbi d phasinate Catulli quod Sat. 8. Iuuen. laudat. CVLTIS ELEGIA] Cultum propriè requirit Elegia, quia tenera, & teneris rebus apta: hinc cultus Tibullus. lege primum de arte poëtica Iulij Scaligeri. FVMOSO DECEMBRI] quo semper calet focus, fumumque mittit. MENSE SVO] læto, quo agitantur Saturnalia optimi dierum. CARMINA] Epigrammata temporibus apta. SATVRNALITIAS NVCES] talis victor nuces rapiebat. vsus autem talorum maximus erat Saturnalibus, vt alibi dicemus & diximus alicubi.

De ludo puerorum cum iuuencis.

XXXII.

> *Aspice, quàm placidis insultat turba iuuencis,*
> *Et sua quàm facilis pondera taurus amet,*
> *Cornibus hic pendet summis, vagus ille per armos*
> *Currit, & in toto ventilat arma boue.*

At feritas immota riget, non esset arena
*Tutior, & * possent fallere plana magis,*
*Nec trepidant * gressus: * sed de discrimine palma*
Securus puer est, solicitumq; pecus.

*V. poterant. *V. gressum. *&

Iucundum spectaculum inter pueros & tauros, quale ferè apud Suetonium in Claudio numero 21. describitur. *Praeterea*, inquit, *Thessalos equites* (exhibuit) *qui feros tauros per spacia circi agunt, insiliuntq; defessos, & ad terram cornibus detrahunt.* Non tamen idem ludus est puerorum & Thessalorum vt rectè monuit Scriuerius: Nam hi pueri sunt, ibi Thessali equites hic mansueti boues; ibi feri hic immoti, ibi agitantur; hic luditur per terga eorum; ibi cornibus detrahuntur interram. PLACIDIS IVVENCIS] quomodo placidis? cùm sequatur. *At feritas immota riget.* Et Suetonius in Claudio feros tauros agitatos à Thessalis affirmat. Sed in Claudij spectaculo non pueri, sed viri ludos exercebant. Hic crediderim domitos intelligi, verbaque illa, *At feritas immota riget*, hoc ipsum docere, feritatem illam taurorum oppressam fuisse; vel certè tauros fatigatos, omnia puerorum ludibria passos esse. Vox tamen placidis, non potest nisi ad mansuetos referri. An caprifico cicurati tauri fuere? Plinius certè lib.23. cap.7. *Caprificus*, inquit, *tauros quamlibet feroces, collo eorum circumdata in tantum, mirabili natura compescit, vt immobiles praestet.* Hinc certè noster videtur dixisse.

At feritas immota riget.——

TVRBA] puerorum vtique. Seneca c.31. lib.2. de Ira: aspice elephantorum iugo colla submissa: taurorum pueris pariter ac fœminis persultantibus terga impunè calcata. ET SVA QVÀM FACILIS PONDERA TAVRVS AMAT] Et hinc patet fuisse cicuratos. PONDERA] puerorum, quos gestabat. CORNIBVS HIC PENDET SVMMIS, VAGVS ILLE PER ARMOS] Alter de cornu suspensus pendet, alter per tergum currit, & batuit, & quasi digladiaturus armis præludit. hic enim est ventilare, batuere. TOTO BOVE] per tergum bouis. armi enim sunt humeri bouis. VENTILAT ARMA] tela lusoria, rudes, parmas, hastas, gladios interpretatur Lipsius lib.2. Sat. cap.19. ventilare autem præludere, vel batuere. AT FERITAS IMMOTA RIGET] patientissimus taurus fixus hæret, nec se vspiam mouet, ne fallat, & deiiciat pueros. NON ESSET ARENA TVTIOR] tam immotus, & firmus vestigio hæret in vno, vt nec ipsa arena, & pauimentum sit tam firmum, & constans. cedit enim arena, & vestigia fallit. PLANA MAGIS] exponit, quid sit arena tutior, hoc est, in plano non tam securè luderent & ventilarent pueri, quàm in tergo bouis. NEC TREPIDANT] An intelligit in eodem vestigio hæsisse, vti paullò ante dixi, an in ipso progressu figebat pedem bos fortiter, & constanter, sineque trepidatione. hoc placet. nec tamen repugno subinde forte substitui'se. DE DISCRIMINE PALMÆ, SECVRVS PVER ET SOLLICITVMQVE PECVS] à contrario concludit, cura omnis, & sollicitudo propria hominis, securitas bestiarium; vt quæ providere pericula, dubiosque euentus non possunt. pecus, inquit, magis est sollicitum pro homine, quàm homo de seipso; pueri non timent, & timet pecus; pueri certi sunt de victoria, feræ timent, ne impediant victoriam.

De Crispo ad Faustinum.

XXXIII.

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis
Non dedit vxori. cui dedit ergo? sibi.

In liguritorem Crispum est hoc distichon, qui ventrem suum scripsit hæredem, nihilque vxori reliquit mortuus, omnia enim viuus decoxerat. TABVLIS SVPREMIS] Codicillis, testamento, supremis ceris dixerat supra. SIBI] ventri suo.

In Causidicum.

XXXIV.

Carpere Caußidicus fertur mea carmina, qui sit,
Nescio: si sciero, væ tibi Caußidice.

Οὐχ αλεπὸν, οὐδὲ καλὸν, nihil difficultatis, nihil etiam nerui. tantùm enim minatur se contra calumniatorem scriptorum, qui adeò obscurus sit, vt neque nomen quidem illius in vulgus notum sit, nec ipse dignus, qui carmine suo notus fiat. Quòd si innotescat, tum se cornua sublaturum. Interim ait obscurum & ignobilem.

De Erotio puella.

XXXV.

Hanc tibi, Fronto pater genitrix Flaccilla puellam,
Oscula commendo, deliciasq; meas.
** Pallida, ne nigras horrescat, Erotion, vmbras,*
Oraq; Tartarei prodigiosa canis,
Impletura fuit sextæ modò frigora brumæ,
Vixisset totidem ni minus illa dies.
Inter tam veteres ludat lasciua patronos,
Et nomen blæso garriat ore meum.
Mollia * nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi,
Terra, grauis fueris: non fuit illa tibi.

* v. Paulula me Iunij editione hoc separatur & numeratur 36.

* v. sunt

Geminus error in hoc epigrammate, primus in lemmate. vulgati libri pleriq; habent de Erotionte, cùm ne plura dicam, lex carminis repugnet, & analogia. Vltima enim recti breuis est, vt sequens confirmat distichon, quod haud ita esset, si casu secundo diceretur Erotionis. Deinde eadem est ratio huius nominis, quæ est apud Terentium, & Plautum Glycerij, & Pœgnij, similiumque aliorum. Glycerion, siue Glycerium, Pœgnion, siue Pœgnium, fœminina sunt recto casu apud S. Hieron. Eustochium. Alter est, quòd hoc distichon separetur à sequenti, cùm sint vnum epigramma, quod ipse verborum sensus docet, qui in primo sequentis epigrammatis versu nullus est, si à primo distichio sit desertus. FRONTO PATER, GENITRIX FLACCILLA] Vtriq; parenti iam defuncto commendat sexennem puellam Erotion vernulam immaturo fato extinctam, vt insontem eius animam apud Manes excipiant, corpusculoq; tellus ne grauis sit. DELITIAS] Ita Cicero de sua Tulliola loquitur: blanditiæ sunt parentum & patronorum.

PALLIDA NE NIGRAS HORRESCAT, EROTION, VMBRAS] Quare commendo vobis? vt à vobis apud Inferos excepta non timeat monstra, laruasque stygias. Cerberum inquam illum tricipitem canem, poëtarum omnium fabulis decantatum. Viden hoc distichon cum sequentibus ad præcedens pertinere? Commendo, inquit, vobis parentibus meam Erotion defunctam, vt illam à Cerbero defendatis. PALLIDA] mortua, vel timida. Scriuerius: Paulula; hoc est, paruula mauult, nondum enim erat sexennis.

IMPLETVRA FVIT SEXTÆ MODÒ FRIG. BRVMÆ] Sex defuêre dies illi, quo minus sexennium ætatis expleret. VETERES PATRONOS] patrem, matrem, propinquos, auos, auias. Erat enim vernula Martialis, hoc est, domi Martialis è seruo, seruaque nata. LVDAT] In campis Elysiis. BLÆSO ORE] quali sunt, qui formare primùm verba discunt, vocesq; tertiant; balbutiunt enim infantes. In adultis blæsum os, vitium; infantibus gratia est.

MOLLIA NEC RIGIDVS CESPES TEGAT OSSA NEC IL. TERRA, GRAVIS FVERIS, NON F. ILLA TIBI] Fausta, & solennis benè precandi mortuis formula, Græcis, Latinisq; vsurpata, nataque exeo, quòd putarent veteres, sepultos incantationibus obnoxios, piaque hac precatione illis, ne incantarentur, caueri. Quod si incantari contigisset, illis iam non leuem amplius, sed grauem terram existimarunt. Disco hoc ex Quintiliani * declamatione decima de sepulchro incantato. Nunc, inquit, *barbaro carmine grauem terram totis noctibus pulsat, & impositum sepulchrum quod non possit euoluere, quæ solebat ipsos discutere inferos, miratur.* Quod in eadem oratione Quintilianus iterat semel, iterum, ac tertiò; sed precandi hanc formulam Latini à Græcis acceperunt, apud quos parœmiæ vicem propè obtinuit. Iulianus ad Hermogenem Ægypti præfectum, ἐκείνῳ μὲν, inquit, ἐπειδὴ τῶν μακαρίων ἐγένετο, ΚΟΥΦΗ ΓΗ, καθάπερ λόγος. Illi quoniam inter beatos adscriptus, leuis terra sit, vt dicitur. Et Meleager de Ausigene, seu gracili homine, vt Brodæo, seu puero, vt aliis placet.

* Ex Quintiliani. & non vocantur ista illo sunt.

Παμμῆτορ γῆ χαῖρε· σὺ τὸν πάρος οὐ βαρὺν εἰς σὲ
Αἰσιγένην, καὐτὴ νῦν ἐπέχοις ἀβαρής.
Salue terra parens, nunc tu quoque sis leuis illi;
Qui grauis ante tibi non fuit Ausigenes.

Videri potest Martialis hoc penitus expressisse in sua Erotio. Et Agathias de infante ante natalem mortuo.

Κούφη σοι τελέθοι μαίης τέκος ἀντὶ κονίης.
Αὐτὴ γὰρ σε φέρει, καὶ χθονὸς οὐ κατέχει.
Sit leuis, ô infans, vterus pro puluere, namq;
Is cum te condat, non tibi terra opus est.

Et Crinagoras: *Ὀχθὴν ἀμμώδεα σε, καὶ ἡ παρὰ θινὶ θάλασσα*
Παιδὶ σὺ μὲν κούφη κεῖσο, σὺ δ' ἡσυχίη.
O pater, æquoreo tumulus quem littore condis.

Pentametrum ferè verbatim expressit lib. 6. Martialis.
Sit precor & tellus mitis, & vnda tibi.

De Eurymedonte Theocr. *Χαιρέτω οὗτος ὁ τύμβος ἐρεῖ τις ἐπεὶ Εὐρυμέδοντος*
Κεῖται τῆς ἱερῆς κοῦφος ὑπὲρ κεφαλῆς.
Iste salutatus tumulus mihi dixerit esse,
Puluere qui texit Eurymedonta leui.

Apud Tragicum in Alcestide *κοῦφα σοὶ χθὼν ἐπάνωθε πέσοι γύναι.* leuis tibi tellus super incumbat fœmina. Latini frequentes sunt in hac superstitione, & maximè noster epigrammatarius lib. 6. de Pantagatho. *Sit licet inde sibi tellus pacata, leuisq;.*
Lib. 9. epig. Philænis: *Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arena.*
Et Iuuenalis Sat. 8. *Dij maiorum vmbris tenuem sine pondere terram.*
Persius Sat. 1. cippum leuem dixit. ——— *nunc non cinis ille poëta*
Felix? non leuior cippus nunc imprimat ossa?
Tibullus Eleg. 4. lib. 2. *Et benè, discedens dicet, placideque quiescas,*
Terraque securè sit super ossa leuis,
Propertius Eleg. 17. lib. 1. *Ille meum extremo clamasset puluere nomen,*
Et mihi non vllo pondere terra foret.
Ouid. Eleg. 8. lib. Amor. *Ossa quieta precor, tuta requiescite in vrna,*
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Lib. 1. A. Eleg. 8. & alibi sæpius. Pedo Elegia super obitu Mœcenatis.
Nunc ego quid possum? tellus leuis ossa teneto.

Multa sunt eiusdem rei testimonia in antiquis lapidibus. Imò in vetustis monumentis hæ solæ sæpè litteræ reperiuntur. S.T.T.L. vel H.S.E.S.T.T.L. i. hic situs est, sit tibi terra leuis. Atque eadem est ratio voti, cùm precarentur, vt molliter ossa cubarent. Contra verò, cùm exitium, & diras Manibus imprecarentur, optabant vmbris grauem terram, vtq; sepulchrum eius incantaretur. quo vmbra pressa è tumulo reuocari non posset. Plinius lib. 2. c. 63 *Cuius numen vltimum* (terræ nempe) *iam multis imprecamur, irati graue, tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam irascatur homini.* Callimachus. *Εἴ τι κακὸν ἐκλώψας μήτε σὺ κούφη*
Γίγνεο, μήτ' ἄλλοι δαίμονες οἵ μ' ἔχετε.

Ad quod Propertius lib. 2. epig. 20.
Si fallo, cinis heu sit mihi vterque grauis.

Seneca Hippolyto. *Istam terra defossam premat: Grauisque tellus impio capiti incubet.* Propertius Eleg. 5. lib. 3. *Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo,*
Vrgeat hunc supra vis caprifice tua.

Martialis hoc ipso loco hoc idem docet, cùm deprecatur terram, ne grauis esse velit. Et, *Mollia nec rigidus cespes tegat ossa.* Et per iocum de breui colono lib. 11. epig. 15.
Nam terra est illi quantulacumque grauis.

His propè similes imprecationes sunt apud Tranquillum in Tiberio cap. 75. & Aurelium Victorem in Galieno. Ammianus eis [illegible] tamen lib. 2. Anthol. Nearcho precatur terram tenuem, vt faciliùs ossa à canibus possint erui.
Sit tibi terra leuis miserande Nearche, voraces
Effodiant tua quò promptiùs ossa canes.

Et Martialis de ann. Ne tua non possint eruere ossa canes.

Ad Fabullum de Euclide.

XXXVI.

apud Iunid. hoc etiam est 36.

*Cùm sibi redire * de * patrensibus fundis*
Ducenta clamat coccinatus Euclides,
Corinthioque plura de suburbano:
Longumque pulchra stemma repetit à Ledâ,
Et suscitanti Lectio reluctatur,
Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repentè magna de sinu clauis.
Nunquam, Fabulle, nequior fuit clauis.

** alias, redire à*
** Patruellibus. al. Patrensibus à Patra Patrarum vrbe Achaia.*

Est &

Gerebat se pro equite Euclides, cùm seruus esset.

Est & hoc in fictum equitem, & Græcum, vt superiora multa, quem lepidè deridet, dum proditum à claui de sinu cadente dicit. DE PATRENSIBVS FVNDIS] Quam ante in orâ scripturam collocaueramus nunc in corpus ipsum recipimus & cum Scriuerio exponimus ex patrensibus fundis redire ducenta clamat. Patra enim Achaiæ vrbs est, & eò deducta colonia ab Augusto. Hieronymus Chron. Eusebiano num. MMIII. Coloniæ Berytum & Patras deductæ. Nummus Augusti Col. A. Patrensis. Hodieq; Patra vocatur. teste Sophiano, Bulactra Leunclauio. CLAMAT] excitatus in theatro à Lectio designatore ex loco equestri. COCCINATVS] purpuratus.

CORINTHIOQVE PLVRA DE SVBVRBANO] fundo, quia Euclides Græcus Corinthius est, aut fingitur.

LONGVMQVE PVLCHRA STEMMA REPETIT A LEDA] iactat se genus ducere à Leda parente Castoris, & Pollucis, Helenæ, ac Clytemnestræ. longum certè, si ad Ledam temporibus Domitiani regrediatur Euclides. LECTIO SVSCITANTI RELVCTATVR] Affirmat Lectio, & iurat illi se equitem esse censu.

EQVITI SVPERBO, NOBILI, LOCVPLETI] Ironicῶs, tanto, inquit, tam illustri, potenti, & magnifico.

CECIDIT REPENTE MAGNA DE SINV CLAVIS. NVNQVAM, FABVLLE, NEQVIOR FVIT CLAVIS] Concludit Martialis epigramma, & ait nequissimam fuisse clauem, vt quæ prodiderit rem domini sui, & ex diuite pauperem, è domino seruum reddiderit; clauis erat insigne quasi seruorum; gestabant serui claues. & hoc munus illorum. Lipsius id notauit. An fortè vel à cubiculis domino, vel ab hostio? vnde hostiarij apud Petronium. *In aditu ipso stabat hostiarius prasinatus cerasino succinctus cingulo*, &c. Alij lauernionem seu furem faciunt Euclidem, quem clauis occulta & capitalis qua aliorum arcas poterit excantare fecerit equitem per furta & furem prodiderit, sed hi mihi videntur somnia narrare. placet Lipsij interpretamentum de seruo.

Ad Faustinum.

XXXVII.

Laudatus nostro quidam, Faustine, libello
Dissimulat, quasi nil debeat; imposuit.

Martialis ornabat Romanos epigrammatis, vt vicissim ab illis ornaretur munerib. Cùm à quodàm laudato sperasset ampla præmia, deceptus est, nec quicquam accepit. hoc dolet poëta, cùm putet bonum & immortale carmen nullo precio compensari posse, vti & Marullus ad Antoninum Principem Salernum.

Das gemmas aurumq́, ego do tibi carmina tantùm;
Sed bona si fuerint carmina, plus ego do.

Legatur huius lib. ep. 15. & 16.

De Erotio.

XXXVIII.

Puella senibus dulcior mihi cygnis,
Agna Galesi mollior Phalantini,
Concha Lucrini delicatior stagni,
Cui nec lapillos praeferas Erythraeos,
Nec modò politum pecudis Indica dentem,
Niuesq; primas, liliumq; non tactum:
*Quae crine * vincit Baetici gregis vellus,*
Rheniq; nodos, aureamq; nitellam.
Fragrauit ore, quod rosarium Pasti,
Quod Atticarum prima mella cerarum,
Quod succinorum rapta de manu gleba:
*Cui comparatus indecens erat * pauo,*
Inamabilis sciurus, & frequens Phœnix:

* [illegible] lib. 12. 57. Baetici. al. mitellam: al. [illegible]

* [illegible]

Adhuc

Adhuc recenti tepet Erotion busto,
*Quam pessimorum lex * auara fatorum*
*Sexta * peregit hyeme, nec tamen tota,*
Nostros amores, gaudiumque, lususque.
Et esse tristem me meus vetat Pætus:
*Pectusque, * pulsans, pariter & comam vellens;*
Deflere non te vernulæ pudet mortem?
Ego coniugem, inquit, extuli, & tamen viuo,
Notam, superbam, nobilem, locupletem:
Quid esse nostro fortius potest Pæto?
Ducenties accepit, & tamen viuit.

* v. amara.
* peremit vt lib. 1. Sed & peregit recte habet.
* v. pulsat.

De Erotij puellæ vernulæ Martialis morte præcessit modò carmen. Hic luget eandem puellam, & eam ab elegantia, pulchritudine, suauitate varijs comparatam rebus commendat. Demum vertit stylum in Pætum, qui Martialem velut fractum, & mollem reprehendebat, quod vernulæ mortem tantoperè deploraret, cùm sibi mortua vxore ipse tamen constaret, fortiterque coniugis fatum, suumque casum ferret. Cui Martialis, tu non doles, quia ex coniugis tuæ morte, & testamento tantas opes accepisti, vt expetiisse mortem vxoris videri possis. SENIBVS CYGNIS] qui & eximio sunt candore, & suauissimè, vt nostro poëtæ, & quibusdam aliis placet, ante funera cantant. de qua re lib. 13. ad illud carmen. (*Dulcia defecta modulatur carmina lingua,*
Cantator cygnus funeris ipse sui.)

Pleniùs à nobis scriptum est. Erotium candidior erat cygno, & suauiùs canebat. AGNA GALESI MOLLIOR PHALANTINI] Erotium tenerior agnellis Tarentinis. Galesus est agri Tarentini fluuius. V. ab vrbe lapide, vt lib. 2. ad ep. 43 ex variis scriptoribus ostendimus. Nobilitatem ouium, & lanarum Tarentinarum celebrat Plinius & noster Martialis, cùm alibi, tum lib. 13. *Nobilis & lanis*, &c. Lacedæmonius Tarentum ex oraculo condidit, cui sciscitanti ita respondit Apollo.

Σατυρίον τοι δῶκα, τάραντά τε πίονα δῆμον
Οἰκῆσαι, καὶ πῆμ' ἰαπύγεσσι γενέσθαι.
Satyreum tibi do, pinguis pagosque Tarenti
Incolere, infestis & Iapygas opprimere armis.

Historiam vrbis conditæ memorabilem leges apud Strabonem lib. 6. CONCHA LVCRINI DELICATIOR STAGNI] Ostrea Lucrina gulonibus præ cæteris expetebantur. Martialis lib. 3.
Ebria Baiano veni modò concha Lucrino.

Ex quo versu hunc intelliges. Lucrinus enim lacus in Campania non procul à Baiis, vt ibidem copiosè disces. LAPILLOS ERYTHRÆOS] gemmas Erythræas, in Erythræo mari natas, margaritas, vniones, lapillos intelligit. Latè vsurpat poëta verbum *Lapillos*. Iureconsulti alioqui & philosophi gemmas à lapillis, hos à margaritis & vnionibus distinguunt. Gemmæ sunt pellucidæ materiæ, vt chrysolithi, smaragdi, saphiri, amethysti; lapilli opaci & contrariæ gemmis naturæ, vt Obsidiani, Veientani. Margaritæ autem siue vniones, nec gemmis, nec lapillis continentur. Germani margaritas appellant Berlin / gemmas Edelgestein / In conchis margaritæ crescunt & coalescunt in rubro mari. In l. cùm aurum. 19. in fi. D. de auro & arg & alibi. quæ ex Vlpiano sunt deprompta. De omnibus hisce fusè etiam Plinius, & qui de gemmis tradiderunt. De quibus Plinius & aliis aliis libris, & lib. 9. cap. 35. Præcipuè autem laudantur (margaritæ) circa Arabiam, in Persico sinu maris rubri, quo loco de earundem origine, & piscatione aliquando plura. Videtur totam hanc laudationem composuisse ad imitationem Ouidianam lib. 13. Mutat. vbi Galatea à Polyphemo rudiùs quidem, & pinguiùs, & Polyphemum decebat laudatur his versibus.

Candidior folio niuei Galatea ligustri,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior vitro, tenero lasciuior hædo,
Leuior assiduo detritis æquore conchis,
Solibus hibernis, æstiua gratior vmbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior vua,
Mollior & cygni plumis, & lacte coacto,
Et si non fugias, riguo formosior horto, &c.
Laudato pauone superbior. ———

POLI-

POLITVM PECVDIS INDICÆ DENTEM] politum, arte laboratum, sectumque ebur. Nam pecus Indica, seu bellua nigra, Inda, vt alibi vocat, Elephas est. QVÆ CRINE VINCIT BÆTICI GREGIS VELLVS] Oues Bæticæ, siue Hispanæ natiuo colore rutilabant, vt Plinius est auctor, imò vt noster poëta lib.14. epig.133.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno,
Sic placeant Tyrias, me mea tinxit ouis.

Bæticæ ergo purpureæ, vt & Canusinæ. ergo crines Erotij rufi, quod & sequens versus ostendit. RHENIQVE NODOS] Germanorum rufatos capillos, & obliquatos, inque nodum collectos intelligit, quos arte rufabant, vt lib. spect. docuimus ad illum versum.

Crinibus in nodum tortis venere Sigambri.

Et lib.14. epigram.26. *Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.* spuma, id est, sapo. Et epigr.72. aliisque locis. flauescebat, aurique colorem, magis, quàm purpuram imitabatur coma. AVREAMQVE NITELLAM] nitella aurea, puluis aureus fuit, aureaque ramenta, quibus illuminarunt capillos. qualem gerebat comam Commodus Imperator. Herodotus lib.1. κόμη τε φυσικῇ ξανθῇ καὶ οὔλῃ, ὡς, εἴ ποτε φοιτῴη δι' ἡλίου, τοσοῦτον ἐκλάμπειν αὐτῇ πυρώδη τινὰ ὡς τοὺς μὲν οἴεσθαι ῥίνημα χρυσοῦ προσπάττεσθαι, τοὺς δὲ ἐκθειάζειν λέγοντας αἴγλην τινὰ οὐράνιον περὶ τῇ κεφαλῇ, συγγεγενῆσθαι αὐτῷ. Sed quas Herodianus natiuo colore radiasse comas dicit, Lampridius fucatas affirmat. *Capillo*, inquit, *semper fucato, & auri ramentis illuminato adurens comam, & barbam metu tonsoris.* Quin & lib.8. cap.2. apud Iosephum, quod mireris ob rei antiquitatem, lego Salomonis equites aurea scobe cæsariem conspersisse. *Hu*, inquit, *decus addebant equites, flos iuuentutis procera statura, promissoq; capillo conspicui, & tunicas e Sarrana purpurâ induti. Ad hac ramentis auri capillum quotidie spargebant, vt ad solarium radiorum contactum fulgor à capitibus eorum reflecteretur.* Solinus de Hispanis inquit, *depurgant in minium nitellas pulueris.* *Nitella*, inquit Ioannes Camers, *sunt mica pulueris auri inter arenas reperta.* Sunt qui legant, mutellam; sed vitiosè; nam Scazon geminaret claudicationem, quod, vt sæpè cæcutit, non vidit Domitius. Est nitela etiam puluis ad candefaciendos dentes. Apuleius Apolog. pro seipso prima.

Plura Herod.

Misi, vt petisti, tibi munditias dentium.
Nitelas oris ex Arabicis frugibus.
Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua visatur tetra labes sordium,
Restrictis fortè si labellis riseris.

FRAGRAVIT ORE, QVOD ROSARIVM PÆSTI] Rosas spirauit Erotium, rosas fragrauit. PÆSTI] Oppidi Lucaniæ Græcis Posidonia dicti, vnde sinus Pæstanus, Plinius lib.3. Pæstanæ rosæ laudantur sæpius nostro poëtæ. lib.6.e.80.

Tantus veris honos, & odora gratia Floræ,
Tantaq; Pæstani gloria ruris erat.

Lib.9.e.62. *Seu tu Pæstanis genita es, seu Tiburis aruis.*

Et alia quàm plurima locis aliis. Plinio Campanæ, & Prænestinæ celebrantur. Rosarium est locus rosis consitus. Rosaria fodere, frutices rosarum pangere. ATTICARVM PRIMA MELLA CERARVM] prima dicit, velut illibata, integrumque odorem retinentia. Atticum mel. lib.13. ad illum versum exposuimus.

Hoc tibi Thesæi populatrix misit Hymetti
Pallados a siluis nobile nectar apis.

QVOD SVCCINORVM RAPTA DE MANV GLEBA] Fragrat Erotium electrum manu tritum. Dioscorides lib.1.93. *Lacrymam populorum commemorant, quæ in Padum amnem destillat, durari, ac coire in succinum, quod electrum vocant, alij Chrysophorum. Id attritu iucundum odorem spirat.* De succino lege ad hunc locum Dioscorid. Matthiolum. Philemon, succinum fossile esse dixit, & in Scythia erui duobus in locis, vnum candidum, alterum croceum. An ideò poëta dixit gleba rapta? Niceas Historicus, succinum Indis thure gratius affirmat ob odorem. INDECENS PAVO] Erotium elegantior pauone tantoque pulchrior, vt turpis præ illa pauus putari posset. Plura lib.13. INAMABILIS SCIVRVS] quo tamen nihil est amabilius, & hodie pueris in delitiis, & ludo, vox est Græca ἀ σκιὰ & οὐρά, quòd cauda corpus inumbret, imò tegat. Plinius; *Prauident & tempestatem sciuri, obturatisque, quâ spiraturus est ventus, ex alia parte aperiunt fores: de cætero ipsis villosior cauda est protegumento.* ET FREQVENS PHOENIX:] Ita lege, non, infrequens. frequens enim, & non rara videri poterat comparata cum Erotio. Erotium enim tam pulchram fuisse dicit, vt Phœnix videretur, imo Phœnice rarior, & pulchrior, cùm tamen phœnix rarissima auis, & ex plurium sententia vnica sit semper. Regredere ad ep.7. huius lib.

Qualiter Assyrios renouant incendia nidos,
Vna decem quoties sæcula vixit auis.

Et quæ ibi adduximus recognosce. Multa de Phœnice dicta suo loco. Adiice, si placet, quæ

noster

noster Peterius disputat ad lib. Genes. t. 2. d. 11. vbi negat Phœnicem vnquam extitisse; quanquam verecundè, & modeste, quod SS. Patres affirmare videantur. ADHVC RECENTI TEPET EROTIVM BVSTO.] Paulo ante elata est, & cremata Erotium. Erotium inquam talis, qualem nunc descripsi, non omnino sexennem. ET ESSE TRIS. ME MEVS PÆT. VETAT] Ad Pætum carmen vertit, cuius fictas irridet lachrymas. Et lugere talem, & tam præstantem puellam Pæte prohibes? PECTVSQVE PVLSANS PARITER, ET COMAM VELLENS, DEFLERE NON TE VERN. PVDET MORTEM? EGO CONIVGEM, INQVIT, EXTVLI. ET TAMEN VIVO, NOTAM, SVPERBAM, NOB. LOCVPL. PECTVS PVLSANS] signa sunt hæc afflictissimi animi & prope de potestate mentis exeuntis. Tam ægro animo casum fili auditum, imo fictum sustinuit Solon, vt qui caput cecidit, & alia fecit, quæ ab afflictis solent, inquit Plutarchus in ipsius vita. Pætus comam vellebat, & pectus plangebat spectante Martiale, vt ostenderet se grauiore casu premi, & coniugem lugere claram, & potentem, atque nihilo minus modum facere tandem luctui, fortiq; animo ferre necessitatem fati, & viuere, proinde faceret idem. De his signis & argumentis luctus vberrime Heraldus ab ep. 11. lib. 2. QVID ESSE NOSTRO FORTIVS POTEST PÆTO? DVCEN. ACCEPIT, ET TAMEN VIVIT?] Arguta ironia. luctum Peti fictum esse, Petumq; lætum ob mortem coniugis propter amplissimam hæreditatem. mirum ergo videri non debere, si viuat. & vxorem tam cito elugeat. QVID FORTIVS] est irrisio; pecunia fortem fecerat. DVCENTIES] ducenties centena millia HS. id est, quingenta millia Philipporum. ET TAM. VIVIT.] O fortitudinem. similes sibi casus, & luctus plures possit optare Pætus.

In Calliodorum ad Sextum.

XXXIX.

Calliodorus habet Censum (quis nescit?) equestrem;
Sexte: sed & fratrem Calliodorus habet.
Quadringenta secat, qui dicit, σῦκα μερίζει,
Vno credis equo posse sedere duos?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molesto?
Non esset Pollux si tibi Castor eras.
Vnus, cum sitis duo, Calliodore, sedetis.
Surge, solœcismum, Calliodore, facis.
*Aut imitare genus Ledæ * AVT cum fratre sedere*
Non potes; alternis, Calliodore sede.

[illegible] hoc epigramma ad Petronianum fratrem.

** αὖ, aut, redundat.*

Plenum salis & leporis epigramma, nec Domitio, nec Adagiographis satis intellectum. Calliodorus cum fratre censum equestrem possidebat, eoq; se equitem iactabat. Martialis primum negat Calliodorum esse equitem partitis bonis, deinde docet ridicule, quo pacto possit vterque esse eques, nempe vt vel duo vni insideant equo siue subsellio in spectaculis; vel Castorem, & Pollucem imitentur, & per vices, vt illi immortales, ita isti equites sint, hodie Calliodorus, postridie frater Calliodori. CENSVM EQVESTREM] quadringenta sestertia, id est, decem millia Calliodorus retineat. QVADRINGENTA SECAT, QVI DICIT, σῦκα μερίζει] sed frater (inquit poeta) cogit te diuidere quadringenta, sibique ducenta poscit. σῦκα μερίζει est diuidere ficos. Et adagium est in eos qui, cum partiam adierint hæreditatem, eam ipsam tamen coguntur in plures partiri cohæredes, ita vt videantur ficos diuidere. Ita, inquam, expono, non vt parœmiastæ de sordidis & parcis, quod huc non quadrat; quamuis hunc versum non excussum satis pro confirmando errore adducant. Altera quoq; latet sententia σῦκα μερίζει, diuide mecum totam sortem hæreditatis æqua ratione, ad vsque assem, hoc est, omnia, minima, maxima. vt σῦκα minima bonorum signent, nihilque non esse diuidendum. Quod porro Domitius putat legendum ἴσα μερίζει, fallitur, nam dum vnum curare vulnus conatur infelix Æsculapius, duo facit. sanam enim lectionem corrumpit, & carminis legem violat (dicit, ἴσα) vbi breuem tendit sequente vocali. QVI DICIT] qui habet ius petendi alteram hæreditatis partem, frater nempe. Seneca: quid mihi prodest scire agellum in partes diuidere, si nescio cum fratre diuidere? VNO CREDIS EQVO POSSE SED. DVOS?] Diceret Calliodorus; ambo erimus equites, quia simul habemus quadringenta. Ergo, inquit poeta, semel vno sedebitis equo; & vno, in theatro, subsellio, quod & ridiculum. & turpe. QVID CVM FRAT. TIBI; QVID CVM POLLVCE MOLESTO? NON ESSET POLLVX SI TIBI, CASTOR ERAS.] Dolentem facit, & indignantem Calliodorum, quod fratris causa non possit esse eques. Pollux pugil frater Castoris equitis erat. Optat clam Calliodorus ἀνάδελφος εἶναι. Si tibi non esset Pollux, frater, posses esse Castor, id est, eques. Qui interpungunt versum hunc, & ex nomine verbum faciunt, poetam Latinum barba-

barbarumq; reddunt: Quid cum fratre tibi quid cum Polluce? molesto? apage cum huiusmodi sordibus, Modestinos hos non probo. VNVS, CVM SITIS DVO, CALLIODORE SEDETIS. SVRGE, SOLŒCISMVM, CALLIODORE, FACIS.] Ineleganter facitis, cum duo vel vno equo, vel vnis subselliis sedetis. Surge, Caltiodore, solœcismum motum facis, & linguæ; nec enim fas dicere, vnus sedetis. AVE IMIT. GENVS LEDÆ: CVM FRATRE SED. NON POTES: ALTER. CALLIO. SEDE.] Aut surge, inquit, aut per vices sede; simul sedere vna sede non decet. IMITARE GENVS LEDÆ.] Matris Castoris & Pollucis, qui alternis diebus sunt mortales, & immortales, quando simul non est concessum vtriq;. fabula est apud Mythologos, & nos supra attigimus. lib. 1. de Tullo & Lucano.

In Carinum.

XL.

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Carine, misi
Hyblæis madidas thymis placentas.
Defeci: miserere iam, Carine,
Signa rarius, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excussi loculosque, sacculumq;.
Crœso diuitior licet fuissem,
Iro pauperior forem, Carine,
*Si * concham toties meam comesses.*

* Conchem lege. Videndus Petronius Arbiter. Sat. & Senec. lib. 6. Ben. 38.

Carini tussientis hæreditatem diu frustra muneribus captarat Martialis. Optat illi exitialem tussim, nec enim se habere amplius quod donet. Improbas captantium & captatorum artes carpit sine inuidia, dum se ipsum captatorem & Carinum captatum simulat. SVPREMAS TABVLAS] testamentum. TRICIES] toties enim se moriturum putabat. PLACENTAS] optimo melle imbutas. Hybla mons Siciliæ lib. 13.

Dum dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu licet esse fauos.

Plura alib. De centum fere generibus placentarum lege Athenæum. THYMIS] Thymus, vel thytnium frutex nobilis, & operosis apibus familiaris, de quo lege Dioscoridem lib 3. cap. 37. Mattheolum ad illud ipsum caput, aliosque herbarios, DEFECI: MISER. IAM CARINE] Defecit me placenta toties tibi missa. MISERERE] tandem morere. SIGNA RARIVS] aut rarius testamentum conde, muta signa, aut semel morere. mortis enim, tussis illa Carini nuncia videbatur. Mutauit sæpe conditum à se testamentum, vt illiceret captatores ad ferenda munera, quibus spem faciebat hæreditatis Carinus elusit captatorem, vt Fabius Labienum lib. 7. cap. 65. MENTITVR] toties mortem tuam pollicita tussis spem nostram fallit. lege epigramma. 26. lib. 2. de Næuia tussiente. SACCVLVMQVE] βαλάντιον, Heraldus multa. IRO PAVPERIOR.] Irum nobilitauit carmen Homeri Odyss.

Ἦλθε δ' ἐπὶ πτωχὸς πανδήμιος, ὃς κατὰ ἄστυ
Πτωχεύεσκ' Ἰθάκης, μετὰ δ' ἔπρεπε γαστέρι μάργῃ,
Ἀζηχὲς φαγέμεν, καὶ πιέμεν· οὐδέ οἱ ἦν ἴς
Οὐδὲ βίη. εἶδος δὲ μάλα μέγας ἦν ὁράασθαι,
Ἀρναῖος δ' ὄνομ' ἔσκε· τὸ γὰρ θέτο πότνια μήτηρ
Ἐκ γενετῆς· Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες

Ex quibus & mendicitatem Iri, & geminam cognominationem discis SI CONCHEM TOTIES MEAM COMESSES] Tricies placentam misi testamentum signanti; si tricies mecum comesses, ad extremam protraxisses paupertatem. Scio aliter hæc à Domitio exponi, sed inuito poeta. CONCHEM] Synecdoche, vt Iuuen. *Cuius conche tumes* Et Mart. lib. 13.

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Et lib. e. 77. *Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est.*

Est autem conchis fabæ genus cum cortice elixæ. lege libro 13. Schesbonen. nihil hic cogita de concha,

Ad Artemidorum.

XLI.

Pinxisti Venerem: colis Artemidore, Mineruam;
Et miraris opus displicuisse tuum?

Irata Venere pinxisti Venerem, & miraris Veneri tuæ deesse Venerem. Cur irata? quia anteponis illi Mineruam, quam colis. Iocus est in pictorem rudem, vt libro 1. ep. 104. *Qui pinxit Venerem tuam Lycori*, vel: pictorem agis animi causa, studiosum litterarum & philosophum serio; mirandum ergo non est, si male pinxisti. Non reor hic agi de Artemidoro quem laudat Plinius epistol. 11. lib. 3.

In Didymum, seu Dindymum.

XLII.

* * *

Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasq; & idus, fibulasq;, censusq;,
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis,
Videbo, Didyme: non licet maritorum.

In fastosum, superbumque spadonem Dindymum, non Didicum, vt mecum sentiunt nonnulli, scribit, quem vt dubium equitem affirmat, ita maritum, qui honoratus erat, negat. THEATRA LOQVERIS.] Decreta Domitiani, & edicta in theatro, amphitheatro, circo seruanda laudat, vt ep. 8. *Edictum Domini, Deiq; nostri, quo subsellia certiora fiunt*, &c. *Dum laudat modo Phasis in theatro.* plane est geminum huic nostro. de XIV. gradibus ordinis, & edicto Augusti de iure maritorum, qua de re supra in Phasi dem diximus. TRABEASQ.] Trabea, Suetonio libr. de vestimentis auctore, triplex erat. Vna Diis sacrata, totaque è purpura facta. Altera regia, & ea purpurea, albo tamen intertexta. Tertiā auguralis, purpura, coccoque imbuta. sed hæc, vt inuenta Grammaticorum, irridet Lipsius. Gestabant & equites trabeas, cum Idibus Quinctilibus transueherentur, vt Dionysius ostendit. Dindymus ergo trabeas, vt eques, iactabat. Trabeis, Idibus Quintilibus vtebantur, vt ex Dionysio dictum est modo. Hinc poeta trabeas, & idus coniunxit. De trabea præter Suetonium, Seruium 7. Æneid. legendus Ausonius in gratiarum actione, Et Elias Vinetus in eundem. Aldus Manutius lib. 2. de quæsitis per epistolam ep. 3. Bayfius lib. vest. c. 10. Wolfgangus Lazius lib. 8. comment. Reip. Rom. c. 5. Sed multo his accuratius accuratissimus Lipsius, qui de trabea in hæc verba ad tertium Annal. Taciti. *Credo igitur vestem hanc trabibus purpuræ intextis, (id enim trabea) sumptam hic non coloris, sed ordinis ad discriminandum in coloniis equitem, à plebe, & splendorem funeri conciliandum. Illa enim propria equitum (nam Grammaticorum inuenta hic non moror, qui faciunt etiam regum, ducum, augurum) & ideo trabeata agmina ipsi equites in Statio in epulo Domitiani.*

Hic tum Romuleos proceres, trabeataq; Cæsar
Agmina, mille simul iussit discumbere mensis.

Et lib. 5. Silu.

——non te series inhonora parentum
Obscurum proauis, & prisca lucis egentem,
Plebeia de stirpe tulit. non sanguine cretus
Turmali, trabeaq; Remi, nec paupere clauo,
Augustam sedem, & Latij penetrale senatus
Aduena pulsasti: sed præcedente tuorum
Agmine——

ET IDVS] Quinctiles, quibus equites trabeati transuehebantur, quod eo die equites Castoris, Pollucisque visis in prælio pro re Romana stantibus Latinos vicerint. Dionysius libro 6. *Tum sacrificium splendidum, quod populus Rom. quotannis per proceres ordinis viros Idibus Quinctilibus peragit, qua die hæc illi victoria contigit. Præter omnia vero post sacrificium transuectio eorum, qui equos habent ex publico; qui per tribus, & centurias distincti ordine in equis vehuntur, quasi è pugna redeant, coronati fronde oleagina, & palmatis è purpura totis amicti, quas vocant trabeas, initio pompæ facto ab æde Martis, quæ intra vrbem sita est. & tum cæteras vrbis partes per forum transeuntes, tum ædem Castoris prætereuntes, nonnunquam quinque virorum millia gerentes. quæcunq; fortitudinis præmia in præliis acceperunt à ducibus, egregium sane spectaculum, dignumq; imperij magnitudine.*

FIBVLASQ] Non accipe fibulam hic pro adstrigmento pudoris, quo sensu est apud Tertullianum de corona militis, vt sæpe Martialem, cum adolescentes procaces fibula coercentur a flagitiis; vnde nata paræmia, *imponere fibulam*, id est, coercere libidinem, *laxare fibulam*, ruere in libidinem, omnesq; honestatis limites transilire. quo intellectu est apud Martialem lib.7.ep.80. Et Apophoretis.c.215. Nec pro ornamento muliebri, vt apud Virg.lib.4.& 7. Plin.35.cap.10. Tiraquell. in tertiam legem Connubial. Sidonium Apoll. carm.2.& 5. Claud. lib.2 in Eutropium. Sed pro insigni nobilitatis, vel tribunatus. Quales hodie fibulæ in trabeis pontificum & sacerdotum, quas pluuialia nominant, quæ supra pectus, infra mentum, gemmata, vel aurea connectit. Ita priscis Carthaginensibus antequam ius togæ acciperent quadratam tunicam fibula constrictam humeris adquiesse Tertullianus libro de Pallio, ipso principio tradit. Pancirollus fibulam vidit & descripsit. Tribunis aurea quondam fibula gestabatur, vel in trabea, vel in Chlamyde. Alexander Neapol. lib.2. c.29. *Vetustio*, inquit, *mere in Romanis legionibus solis tribunis aureas fibulas habere; gregariis vero, aut manipulari balt heos aut phaleras argento decoras ferre permittitur.*

Apud Liuium lib.7. decade secunda, *puero annulum aureum, tunicam lato clauo, cum Hispano sagulo, & aurea fibula, equumq; donatum ornatum.* Lib 9. ait Q. *prætorem suos equites catellis & fibulis ornasse.* Vopiscus scribit Aurelianum suis etiam gregariis militibus fibulas aureas concessisse. Plinius Bruti citat epistolam, qua suis militibus Brutus illum luxum obiicit, exprobratq;. Philostratus in imagine Cupidinis eum effingit cum fibulis aureis. Martialis ergo Didymum Spadonem, fibulas, id est, ornamenta equestria, & tribunitia iactantem carpit. Et vero honorem fibularum cum antiquum, tum olim maximum fuisse, vel ex diuina Machabæorum historia intelliges. *Et factum est, vt audiuit Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Ionathan, & misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum.* Græcis πόρπη dicitur, Hom. Iliad.6. Vlpianus l. argum. D de auro & arg. leg. fibulas & ti & margaritas inter ornamenta potius, quam vestes enumerat. Plutarchus equitibus fibulam tribuit, vt & alii. Vide Appianum in Libycis de Phanea.

CENSVSQVE] equestres, quadringenta LLS. ET PVMICATA PAVPERES MANV MONSTRAS] Expono pumicatam manum, teneram, læuem, mollem, delicatam. quales sunt nobilium fœminarum, & puerorum. Ita lib.1. dixit libri frontem pumicatam, id est, politam leuem. Et Ouidius lib. 1. Trist. Eleg. 1.

Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes.

Pumice leuigatam. pumice enim non solum manus, sed alias quoq; corporis partes illi semiuiri poliebant. Plin. lib.36. Iuuen. Sat.6.& 8. Ouid. de Arte lib. 1. Plin epist.11.lib.2. Sidonius Apol. c.7. lib 1.3.& 8. Plin. lib 2.c.11. ad finem. Lucilius lib.7. Sat. Sardor, subbellor. desquamor, pumicor, ornor. Sauaronem vide ad Sidonium.

MONSTRAS] contemnis, irrides, perinde quasi tu diues, ac nobilis. Facit autem pauperes, contemptos, & ridiculos, vt Iuuenalis canit, Sat.3. SEDE. IN EQVI. SCAM.] An sis, vt iactas, vere censu eques, experiar, cum Lectius, aut Oceanus venerit. qui si te permiserint in XIV. gradibus equitem credam. Sin iusserint surgere, fictum intelligam, & victum.

NON LICET MARIT.] quia Spado es. nec ius trium liberorum habes, vt ego, inquit Martialis inter cætera autem maritorum iura, erat, vt in spectaculis honestiorem haberent locum, vt Suetonius in Augusto docet, & nos alibi lib.2 ep.91. ad illum versum, *Natorum genitor credar vt esse trium*, legendus Lipsius lib. 3. Annal. Taciti.

Amicis donandum.

XLIII.

Callidus effracta nummos fur auferet arca:
Prosternet patrios impia flamma lares.
Debitor vsuram pariter: sortemq; negabit:
Non reddet sterilis semina iacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica,
Mercibus extructas obruet vnda rates.
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis:
Quas dederis, solas semper habebis opes.

In lemmate carminis habes breuiarium. Laudat hoc epigramma, vt scitum in primis & elegans, elegantissimus Muretus. Ostendit autem ex partium enumeratione opes omnes cas am...

amitti posse, præter eas, quæ donantur. pecuniam, inquit, fur sublegit ædes ab incendiariis exuruntur, creditori negat caput, & fœnus debitor, iurat tibi nihil creditum vnquam esse, Agricolam fallit vel cœlum, vel terra. DISPENSATOREM.] Dispensator à I.C. appellatur seruus, qui familiæ rationes dispensat, peculique administrationem habet. lib 51. & 62. ff. de solut. Nonius in verbo, æra Quintil. lib. 6. Græci οἰκονόμον definiunt, ὃς εἴωθεν ἐκδαΐζειν τὰ δεσποτικὰ χρήματα. seruum, qui expendit herilem pecuniã. Varro. Festus. Isidorus ab antiquo pendendi æris modo deducunt. propriè enim dicebantur, qui æs pensantes dabant, non adnumerabant. In Constutionibus dispensatores dicuntur, qui principum pecunias curant, thesaurorumq; administrationem gerunt. Sensus carminis est. sæpe dispensator donat pecuniam domini amicæ, amatorem circumuenienti, pretium nequitiæ. Mercatores naufragio rem perdunt, solum, quod donant amicis, saluum habent: quod & ipsum à vero discedit, cum amici sæpe à fide, & amicitia discedant, Christiana lex opes egentibus impertitas cœlo reponi docet, ibique tutas æternare. Cæterum gnomica carminis hæc clausula est, & à contrario; quod alteri dedisti, non amplius habes; Et tamen amicus, quod amico dedit, illud tantum habet. EXTRA FORTVNAM EST, QVICQVID DONAT. AMICIS: QVAS DEDERIS SOLAS SEMP. HABEBIS OPES.] Amici memores beneficia reponunt. Interrogatus Alexander, vt armis maximus, ita animo liberalissimus, vbi suos reconderet thesauros: *apud amicos*, inquit. vt qui sciret nusquam tutius facultates reponi. vbi enim res postulat, redeunt cum fœnore. Plutarchus Rect. & liberaliter M. Antonius apud Rabirium poetam exclamat. *Hoc habeo, quodcunq; dedi.* *O quantum habere potuit, si voluisset*, inquit Seneca cap. 3. lib. 6. de Ben. *Hæ sunt diuitiæ certa in quacunq; sortis humanæ leuitate vno loco permansura: quæ quo maiores fuerint, hoc minorem habebunt inuidiam. Quid tanquam tuo parcis? procurator es. Omnia ista, quæ vos tumidos, & supra humana elatos obliuisci cogunt vestræ fragilitatis, quæ ferreis claustris custoditis armati, quæ ex alieno sanguine rapta defenditis vestro, propter quæ classes cruentaturas maria deducitis, propter quæ quassatis vrbes, ignari, quantum telorum in aduersos fortuna comparet, propter quæ ruptis toties affinitatis amicitiæ collegij fœderibus inter contendentes duos orbis terrarum elisus est, non sunt vestra: in depositi causa sunt, iam iamq; ad alium dominum spectant, aut hostis illa, aut hostilis animus inuadet. Quæris, quomodo illa tua facias? dono dando. Consule ergo rebus tuis, & certam tibi earum, atq; inexpugnabilem possessionem para, honestiores illas non solum, sed tutiores facturus.* Hæc & his pluria copiosissimus opum contemptor Seneca, quæ tibi pro folio Sibyllæ dicta puta. Alfonsus Siciliæ Rex, interrogatus, quid seruaret sibi, qui tam multis tam multa donaret, *ea*, inquit, *ipsa, quæ dono; cætera enim in meorum numero non habeo.* Cyrus lib. 8. Xen. παιδ. optime pecunias docet apud amicos deponi. Qui plura in hanc sententiam desiderat, quanquam & hæc [illegible] multis plurima videbuntur, Cælium Rhod. adeat lib. 20. c. 24. Scipio: Gentil. lib. 1. c 2. parerg.

De Thaide, & Lecania.

LXIV.

Thais habet nigros, niueos Lecania dentes.
Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.

De empta hac pulchritudine dentium, & venustate diximus lib. 1. c. 73.

Sic dentata sibi videtur Ægle,
Emptis ossibus, Indicoq; cornu.

His gemina sunt lib. e. 2. lib. 2. In Læliam.

Dentibus atq; comis, nec te pudet, vteris emptis.
Quid facies oculo, Lælia? non emitur,

Et lib. 14. *Quid mecum est tibi* (dentifricium) *me puella sumat,*
Emptos non soleo polire dentes.

In Dentonem.

XLV.

Quid factum est, rogo, quid repente factum?
Ad cœnam mihi, Dento, quod vocanti,
(Quis credat) quater ausus es negare.
Sed nec respicis, & fugis sequentem:
Quem thermis modo quærere, & theatris,
Et conclauibus omnibus solebas;
*Sic est: captus es vnctiore * cœna,* * v. mensa.

 Et

Et maior rapuit canem culina
Iam te: ſed cito cognitum, & relictum
Cum faſtidierit popina diues,
Antiqua venies ad oſſa cœna.

Dentonem canem popinarium verberat, vt qui reperta culina vnctiore neglexerit poetæ cœnam. Eſt autem nomen apte fictum ad rem præſentem. Dento enim à dente, & dentibus valent canes. QVID FACTVM?] Quo caſu accidit, vt quater vocatus ad cœnam Dento recuſarit, qui alias me per totam vrbem, & omnes cœnationes quæritare ſolebat? Inuenit lautiorem popinam. CONCLAVIBVS] ædibus, cellis & ſellis familiaribus. IAM TE; SED CITO COGNITVM, ET RELICTVM CVM FASTIDIERIT POPINA DIVES, ANTIQVÆ VENIES AD OSSA CŒNÆ.] Sed auguror futurum, vt mox diuitibus faſtiditus, & abactus ad prioris cœnæ oſſa rodenda reuertaris; ſed abigeris etiam à meo foco; fies canis tandem ille Æſopicus.

In Baſſam.

XLVI.

Dicis formoſam, dicis te, Baſſa, puellam
*Iſtud * quod non eſt, dicere Baſſa † ſolet.*

* *quæ non.*
† *ſoles.*

Mentiris Baſſa, nec puella, nec formoſa es, ſed deformis anus. & impura. *Reſtitui*, inquit Gruterus, *leporem ſuum epigrammati mutatione aliquot litterarum, quam ſuggerebat Palatinus. nam cuſi hucuſq́, Iſtud quod non eſt, &c. alio ſenſu nec tam arguto: vult namq́, nullam ſe iactare pro formoſa, pro puella, niſi quæ non talis; id eſt, quæ nec formoſa ſit, nec puella.* Sed necdum aliquid è nouacula.

De Philone.

XLVII.

** Nunquam ſe cœnaſſe domi Philo iurat, & hoc eſt:*
Non cœnat, quoties nemo vocauit eum.

* *V. Nuſquam.*

Aliam Philo, aliam poeta cauſam adfert, cur nullum Philoni domicenium. Philo perpetuus conuiua vult videri, quaſi Pamphilus alter ſit, omnibuſque gratus & optatus Gnatoq; Terentianus. Poeta inuocatum ait omnino non cœnare, non tam ob continentiam cibi, quam rei familiaris inopiam. Sidonius illuſtrat hunc locum Martialis, ep. 13. l. 3. *Sed nec eſt ſane prædicabilis viri in totum ſilenda frugalitas, ieiunat, quoties non vocatur. Hoc ſolum comedens domi, ſi quid è raptis inter alaparum procellas præmiſit obſoniis.* Plura Sauaro ad hunc locum.

Ad Labienum.

1. XLVIII.

Vidiſſem modo forte cum ſedentem
Solum te, Labiene: tres putaui.
Caluæ me numerus tuæ fefellit.
Sunt illic tibi, ſunt & hinc capilli,
Quales nec puerum decere poſſint,
Nudum eſt in medio caput, nec vllus
In longa pilus area notatur.
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc cum prandia miſit Imperator:
Cum panariolis tribus rediſti.
Talem Geryonem fuiſſe credo.
Vites, cenſeo, porticum Philippi,
Si te viderit Hercules, periſti.

Caluam

Caluam Labieni ridet. Fuit calua, non certis tantum inuisa hominibus, sed gentibus. inuiti quippe apud varias gentes calui. defendit hos Synesius, & ipse caluus. legatur Iunii liber de coma. c.vlt. TRES PVTAVI.] quod tribus in capite partibus esset capillatus, fronte, & vtrisq; temporibus. medium caput glabrum erat. NVMERVS] triplex. NEC PVERVM.] infantem modo editum, quibus inueste, nudumque caput. Aliter possis dicere nec delicatos pueros ita fuisse secundum tempora comatos vt Labienus erat mollis & effeminatus. tempora ergo erant concinnata. AREA] vt areæ domorum graminibus, ita calui carent capillis. Petronius. *Areaq; attritis ridet adusta pilis.* Sed Calui nobis sæpius redibunt vellicandi. Multus hic Heraldus. ERROR] vt cum vnus esses, pro tribus numeratus, tria panaria acciperes. DECEMBRI] Saturnalibus, quibus vltro, citroq; dona commeabant. PANARIA] vel locum, vbi condebatur panis, auctore Varrone significat. vel ipsum panem, vt apud Suetonium in Caligula, Domitiano, & aliis locis. & hic apud Martialem. vel pro corbe viminea, vt apud Plinium iuniorem, epist. 6. PANARIOLIS] tribus panibus, vel sportulis panem ferentibus. De hoc munere Domitiani scribit lib. 1. Statius silua vltima, quæ, Calendæ Decembres Saturnales inscribitur, vbi & panariorum, & mapparum, aliorumq; donorum descriptio. TALEM GERYONEM FVISSE CREDO] Tricorporem, quem Hercules in Hispania interfecit abactis in Italiam bubus, & de quo infra c. 66. plenius. PORTICVM PHILIPPI] Porticum Philippi adiunctam templo Herculis Musarum in regione vrbis nona intelligit. de qua Eumenius Rhetor non ignobili oratione de scholis instituendis in hæc verba tradit. *Ædem Herculis Musarum in circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non modo id secutus, quod ipse litteris, & summa poetæ amicitia duceretur, sed quod in Græcia cum esset Imperator, acceperat Herculem Musageten esse, id est, comitem, ducemq; Musarum. Idemq; primus signa nouem, hoc est, omnium Camœnarum ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis consecrauit, quia mutuis operis, & præmiis iuuari, ornariq; deberent; Musarũ quies defensione Herculis virtus Herculis voce Musarum.* Cic. pro Archia poeta idẽ declarat. *Iam vero ille, qui cũ Ætolis Ennio comite bellauit Fuluius, non dubitauit Martis manubias Musis consecrare.* Extant nummi, quibus & Musæ, & Hercules Musarum sunt expressi. Hanc ædem collapsam denuo extruxit Martius Philippus Augusti Cæsaris vitricus, Suet. Augusto. cap. 29. *Multaq;*, inquit, *à multis extructa sunt, sicut à Martio Philippo ædes Herculis, & Musarum.* Ennio igitur primum Herculis Musarum ædem deberi. velut symbolum inter doctos, & fortes viros, scribit auctor de viris illustribus. Non tacet hoc templum fortitudinis, & sapientiæ, Plutarchus Probl. Rom. 59. Liuius lib. 38. Plin. 35. Macrob. lib. 1. Sat. c. 12 Ouid. Fast.

——cari monumenta Philippi
Aspicis, vnde trahit Martia Casta genus.

Marlianus, & aliquam multi alii. SI TE VIDERIT HERCVLES, PERISTI] locus elegans à calua Labieni petitus, vt errauit Cæsar in panariis, dum vni tibi, tria dedit, ita te viso errabit Hercules, & caluum pro Geryone inuadet, occidetque. Herculis statua erat in templo.

In Charopinum.

XLIX.   *l.l.*

Cœno domi quoties, nisi te, Charopine, vocaui,
Protinus ingentes sunt inimicitiæ;
*Meq; * petis stricto medium transfigere ferro,*   * *v. Peram.*
Si nostrum sine te scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit?
Improbius nihil est hac Charopine, gula.
Desine iam nostram, precor, obseruare culinam;
Atq; aliquando meus det tibi verba † *coquus.*   † *v. Focus.*

Charopinum importunum cœnipetam notat. Sensus & ordo verborum est. Quoties domi cœno, te non inuitato, irasceris non secus ac iuratus hostis. MEQVE PETIS STRICTO MEDIVM TRANSFIGERE FERRO] velut capitalem hostem. Est auxesis poetica. SINE TE] te non vocato ad cœnam. NEC SEMEL ERGO MIHI FVRTVM FECISSE LICEBIT?] Non licebit mihi vel semel dodomi absque te clam cœnare? nimium gulosus homo es. ne obserua posthac, an domi, forisue cœnem. liceat aliquando mentiri coco meo me ad alium promisisse. liceat nonnunquam verba dare pro cibo, teque fallere. Plena liberalissimis iocis extat epistola apud Muretum, de quodam Titio cœnipeta importuno illo quidem, sed cuius dictis, factisque nihil erat opportunius, qui Charopinos omnes docere poterit, quatenus liceat esse importunis.

* De caussidico.

* Ad Rufum.

LII. L.

Hic, qui libellis prægrauem gerit lauam,
Notariorum quem premit chorus leuis,
Qui codicillis hinc, & inde prolatis,
Epistolisq; commodat grauem vultum,
Similis Catoni, Tullioq;, Brutoq;,
Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant,
Aue *Latinum,* χαῖρε *non potest Græcum.*
Si fingere istud me putas, salutemus.

Pontilianum putat Domitius hic describi. Sed Pontilianus æque fictum est nomen hic, atque infra ep. 67. Pontilianus tamen respondebat, quamuis prior non salutaret. nec enim negat Pontilianum resalutare, aut respondere, sed priorem non salutare. Carpit ergo insolentem cuiusdam indocti, illaudatique caussidici arrogantiam, qui non salutet, nec salutanti respondeat, quod in μισανθρώπους conuenit. Hæc tamen sententia carminis, meo animo, caret anima & acumine. An mutum fuisse forte, vult dicere? qui non possit etiam volens respondere? Sed videtur illius caussidici doctum se per comites notarios, per codices, literas, occupationes simulantis in scitiam, & in dicendo infantiá velle notare, qui quo magis se pro caussidico & eruditio viro venditet, hoc minus sciat, vt qui ne salutantes quidem possit officiose salutare, vt infra epig. 55. de Rhetore hoc sensu dixit:

Extemporalis factus est meus rhetor;
Calpurnium non scripsit, & salutauit.

* Lucianum vide περὶ τοῦ Heraldum vide.

Et supra c. 24. de Apollonio *Scripsit, & edidit*, PRÆ GRAVEM LIBELLIS] palam ferebat in via, vt populo multitudinem negotiorum suorum ostenderet. Libellos hic vel supplices, vel accusatorios, seu iudiciarios accipe NOTARIORVM CHOROS] pueri amanuéses, librarii: scio apud IC. hanc vocem aliter vsurpari. Græcis dicuntur ταχυγράφοι de quare lib. 104. ep. 201. vberius. QVI CODICILLIS HINC, ET INDE PROLATIS, EPISTOLISQ. COMMODAT GRAVEM VVLTVM] Et codicillorum, qui cerati erant; varia est notio Iurisconsultis; vt à Theophilo definiuntur κωδίκιλλος, est, [illegible] id est, codicilli sunt neglectæ in testamento voluntatis, seu sententiæ perfectio, seu scriptura, qua defunctus leuiter, ac sine vlla celebritate voluntatem suam testatus est de eo, quod post mortem suam fieri cupit. Plures habent finitiones Iurisconsulti. Alia significatio est codicillorum, cum pro publica auctoritate principis, seu diplomate accipiuntur, vt apud Sueton. in Claud. cap. 29 aliâs paruas tabellas à priuatis ad priuatos datas significant, vt Sulpitius ad Ciceronem. *Puer Acidini mihi obuiam venit cum codicillis.* Hic primo potissimum intellectu capi reor, quod distinguat codicillos ab epistolis, quanquam nihil attinet altero etiam, atque tertio hic accipi; generatim enim loquitur. GRAVEM VVLTVM] graphice fastum Ardelionis depingit. Attendit legentes sublato supercilio, caperata fronte, totoq; vultu ad seueritatem composito, velut rerum omnium solus arbiter, iudex, patronus. CATONI] De Catonis seueritate noster poeta lib. 1. epig. 3. *Cur in theatrum Cato seuere venisti?* Aliâs vocat rigidum lib. 10. epig. 19. aliâs lib. 11. epigr. 2. durum, sed mores huius leges apud Salustium in coniuratione Catilinæ, apud Plutarchum, alios. TVLLIO.] Tullium non refer ad grauitatem; quid enim Cicerone humanius, & hilarius? Sed attentionem, & negotiorum multitudinem, libellos, codicillosque, cum vnus omnium optimus fuerit patronus. Hic vero, quem describit poeta, æque occupatum ostendit, attentum, & sollicitum. BRVTO] de percussore Cæsaris accipio. Neq; hic seuerus fuit, aut durus, vt caput Gentis Brutorum, sed omnium lenissimus, quod litterarum esset studiosissimus. Itaq; hic fictus, quisquis fuit, similis Bruto fuit, non humanitate, aut moribus, sed quod libellos, codicillos, chartas, pugillares; notarios secum haberet semper. vt maior, minorq; Plinius, quod videretur studere semper, semper meditari, & attendere. Brutum autem fuisse libris semper, litterisque affixum suadet Plutarchus in Bruto, qui non aliâs tantum, sed in castris sub ipsam pugnam Pharsalicam Brutum fecit commentantem. Domitius omnino hic, vt sæpe aliàs, elinguis. EXPRIM. RVFE, FIDIC. LICET COG. AVE LAT. χαῖρε NON POT. GRÆC. SI FING. ME ISTVD PVTAS, SALVTE.] Is tamen adeo barbarus est & inhumanus, vt ne tormentis quidem possis amicam salutationem exprimere: quod si negas, experiamur, salutemus illum, non respondebit, ne gry quidem. Aue autem erat formula salutandi, vti salue. lege Brissonium lib. 8. de formulis. Sed placet magis ad inscientiam hominis referas, dicasque tam indoctum esse, vti ne salutatus respondere quidem salutanti, quamuis commune & vsitatum verbum possit ΧΑΙΡΕ. Græcum χαῖρε, respondet Latino AVE. Lucianum

testem

testem habes in Apol. errati commissi in salutatione. Sensus ergo videtur. AVE Latinum potest; Græcum autem χαῖρε non potest; tam imperitus est bonarum litterarum, cum tamen passim opifices illud χαῖρε scirent, & ipsos coruos, psittacos, picas docerent, vt Caussidicus hic etiam coruis sit indoctior. De coruis, picis, psittacis, Suetonius, Martialis, Persius, Apuleius, alii. χαῖρε] idem quod aue, vt ὑγίαινε vale. Salutabant autem se mutuo Romani etiam Græce. Plutarchus lib. de Garrulitate. plura Heraldus. FIDICVLÆ.] Fidiculas alii funiculos & neruos existimant, quibus noxii, aut Christiani à paganis in eculeo tendebantur, alii vngulas ferreas, quibus latera fodicabantur & totum corpus sulcabatur. alii eculeum & fidiculas idem tormentorum genus docent. Editus est anno M.DC.IX. Hanouiæ liber postumus Hieronymi Magii de eculeo cum notis. Addita appendix de ECVLEO ex Sigonii, Gallonii, & Jureti scriptis, cum tabula eculei ex Gallonio, qua eculeus exprimitur. Ego tamen ex his omnibus nego liquere, quid fidiculæ, quamuis de eculeo minus dubitem. fidiculas certe funes nerueos potis, quam vngulas putem.

In Postumum.

LI. LIII.

Vide Senecā de Ben lib. 2. c. 10. & 11. lib. 7. c. 22. & infra.

Quæ mihi præstiteris, memini, semperq́ue tenebo.
Cur igitur taceo? Postume tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat, dixerat ipse mihi,
Non belle quædam faciunt duo; sufficit vnus
Huic operi; si vis, vt loquar, ipse tace.
*Crede mihi, quamuis ingentia, Postume * dones,*
Auctoris pereunt garrulitate sui.

* *Dona.*

Dantem oportere obliuisci ait, meminisse accipientem, vt olim docuerunt è sapientum numero Lacon ille Chilo; vide apophthegma. quod si contra fiat, corrumpitur beneficium, hoc est, cum prædicat, qui dat, erubescit, qui accepit. beneficiorum enim memoria senescere debet nunquam. TV LOQVERIS] Seneca lib. 2. de Ben. c. 10. & 11. toto contra exprobrationem, & iactationem hanc eleganter disputat, quem videbis. contra Chilonis decreta, qui apud Ausonium.

Tu, inquit, bene si quid facias, non meminisse fas est:
Quæ benefacta accipias perpetuo memento.

NON BELLE] tute tua beneficia prædicas. Seneca lib. 7. c. 22. de Ben. eleganter hunc locum illustrabit. *Cum dicimus; meminisse non debet: hoc volumus intelligi, prædicare non debet, nec iactare, nec grauis esse. Quidam enim beneficium, quod dederunt omnibus circulis narrant. Hoc sobrij loquuntur, hoc ebrij non continent; hoc ignotis ingerunt hoc amicis committunt. Vt hæc nimia & exprobratrix memoria subsideret, obliuisci eum, qui dedit, iussimus,* &c. DONA] non minus arridet mihi quam Grutero.

Ad Bassum.

LIII. LIV.

Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?
*Quid tibi vel * Niobe, Basse, vel † Andromache?*
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion: vel si non placet hic, Phaëthon.

* *Nioben.* † *Andromachen.*

Bassum poetam illaudatum carpit. COLCHIDA] Medeam, quæ Colchis patria, omnibus fere Tragicis decantata fabulis. Ouid. 7. Met. describit. THYESTEN] fratrem Atrei, de quo supra dictum est lib. 3. c. 45.

Fugerit an mensas Phœbus, cœnamq́ue Thyestæ.

NIOBE.] Si hanc scripturam serues, subaudietur; Quid tibi vel Niobe scribitur vel Andromache? Vel vt referatur ad sequentem versum. Quid tibi materia est Niobe vel Andromache? materia tuis versibus aptior est Deucalion & Phaëthon. Qui rescribunt Nioben, & Andromachen, aiunt audiri vocem scriptio. Quid tibi scriptio est Nioben vel Andromachen, vt Plautus dixit: *Quid tibi meam tactio*, ita vt nomen regat eundem casum, quem verbum, vnde nomen proficiscitur.

Gruterus

Gruterus & Heraldus hanc emendationem admittunt, etsi Heraldus mecum inclinat in communem apud Ouid. Met. fabula extat. Est & Græcis deplorata passim scriptoribus. ANDROMACHE.] Hectoris vxor nota ex Homero, Virgilio, & sexcentis aliis. DEVCALION: VEL PHAETHON.] Argutissime poetæ malo materiam dictat carminis. vel Deucalionem, vel Phaetontem, qua monet carmina Bassi digna esse vel aquis, vel flammis. Notæ sunt ex 1. & 2. Met. Ouidii fabulæ. Carmen omnino simile apud Leonidam in Anthol. lib. 2. εἰς ζωγράφους.

Epig. Græca. Auson. Mythographi, &c.

Γράψας Δευκαλίωνα Μενέστρατε καὶ Φαέθοντα
Ζητεῖς τίς τούτων ἄξιός ἐστι τινός,
Τοῖς ἰδίοις αὐτοὺς τιμήσομεν. ἄξιός ἐστιν
Ἐστὶ πυρὸς Φαέθων Δευκαλίων δ' ὕδατος.

Deucalion à te, Phaethonq; Menestrate, pictus,
Quonam sit pretio dignus vterq; rogas?
Munere nos vtrumq; suo dignabimur: ipsis
Est alter flammis dignus, & alter aquis.

De Rhetore.

LII. LIII.

Extemporalis factus est meus Rhetor,
Calpurnium non scripsit, & salutauit.

Irridet Apollonium Rhetorem obliuiosum, vt paulo ante epig. 22. *Quinctum pro Decimo*, &c. EXTEMPORALIS] supra enim dixerat, *scripsit, & edidicit.* nunc tantum profecit. vt extempore possit, & vnum aliquem nominare, quod hactenus nisi scriberet, & edisceret, non potuit, quid non potest exercitatio? Cupiebant veteres videri extemporales, quod ea res facilitatē ingenii & exercitationem & fidem ostenderet. Maxima præterea gratia dictis inest ex tempore. Quintilianus hoc docet lib. 4. c. 1. de Exordio. Quo vero pacto extemporalis facultas paretur, idem tradit lib. 10. c. 7. toto.

Ad Lupum. De Rhetore Apollonio.

LVII. LIV.

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
*Quæris solicitus, * diuque tentas.*
Omnes Grammaticosque, rhetorasq;
Deuites, moneo, nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis;
*Famæ * Tutilium suæ relinquat:*
Si versus facit, abdices poetam.
Artes discere vult pecuniosas?
*Fac * discat citharœdus, aut choraules.*
Si duri puer ingeni videtur,
Præconem facias, vel architectum.

* v. diu rogas.

* v. Lucilium. al. Rutilium.

* hiscat, male.

Quod Iuuenalis Saty. 3. hoc Martialis & hoc, & superioribus quibusdam epigrammatis docet, non esse locum in vrbe bonis artibus. Citharœdos, choraulas, præcones, & hoc genus hominum regnare, ditescereque. Ciceronem, & Maronem prope exulare. DEVITES, moneo] hoc pro tempore, non ratione suadet, cum tamen id suasum maxime velit, quod disuadet, id est, vt legat Ciceronem, voluat Maronem, pangat carmina. TVTILIVM] Scriuerii emendationem sequor qui pro Rutilio vel Lucilio scribit Tutilius: Ita inquit, habet liber omnium scriptorum optimus, non Rutilium. Idem etiam annotatum Scaligero. Quod nomen hic locum non potest habere. Prima enim corripitur secunda producitur. Ouidius: Et graue magnanimi robur mirare Rutili. Nugatorius Pulmanni codex qui Lucilium habet: & qui sic producunt nugas agunt. Tutilium procul dubio verum est. In veteribus lapidibus. Q. TVTILIVS M. F. & L. TVTILIVS LVPERCVS. item. T. ATILIVS T. F. TVTILIVS. Plinius Secundus Quintiliano suo Epistol. lib. VI. Epistol. XXXII. Quamuis & ipse, sis continentissimus, & filiam ita institueris, vt decebat filiam tuam Tutilii neptem, cum tamen sit nuptura honestissimo viro, Nonio Celeri. Tertium repetio Rutilium Claudium Numetianum

dianum Gallum, cuius pars libri primi, qui itinerarium inscribitur, elego carmine apud Panuinium, cum eiusdem vita extat. qui tamen quoniam Honorii, & Arcadii temporibus vixit, hic locum habet nullum. nec primus fuit, ut r or; medium adoptamus, & hic à poeta positum credimus, quem de architectura scripsisse putat Beroaldus. Torrentius tantum orationem ad populum habuisse de modo ædificiorum, quo luxus inhiberetur, & incendiis obuiam iretur. SVÆ FAMÆ] quam maximam habuit & morum, & doctrinæ. Cicer. in Bruto, & primò de Oratore. Valerius Maximus loco dicto. æqualis fuit Crasso, & Antonio Oratoribus.

SI VERSVS FACIT, ABDICES POETAM] si poeticam amat, illam quoq; velut inutilem desinat. PECVNIOSAS.] lucrosas, quæstuosas. DISCAT CITHARŒDVS.] Græcus loquendi modus; discat citharœdi artem, fiat citharœdus. sic Grammaticus discit, & Grammaticus docet. disci auditor Grammatices, qui & ipse Grammaticus. quare citharœdus? quia illa tempestate in pretio; ea gratia se quoq; futurum citharœdum ait lib.3 epig.4.

Si, quando veniet? dicet, responde: poeta
Exierat. veniet, cum citharœdus erit.

Iosiam Mercerum lege ad epist.19.lib.1.Aristæneti, & Heraldum ad hunc locum Ammianus.

εἰ βύλει τ̀ παῖδα διδάξαι ῥήτορα Παῦλε, &c.

Et Aristophanes ἀνδρείως διδάξαι.

Aliàs aliter legitur, aut emendatur. hiscat citharœdus, quod displicet.

AVT CHORAVLES] Iuuenalis interpres ad Satyr.6. Choraulen, seu Choraulam ait esse eum, qui tibiam in choro inflat. Chorus autem hic pro cœtu musico accipitur, αὐλὸς Græce tibiam sonat. Hom. Iliad. κ. Αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων; αὐλέω, tibia cano, Choro αὐλης, qui tibiam in choro inflat. SI DVRI PVER INGENI VIDETVR, PRÆCONEM FACIAS, VEL ARCHITECTVM.] Quasi ad præconium, & architecturam nulla indoles requiratur. Quod ut de præconibus (quamuis ab Homero, & Cicerone laudentur partim ab ingenio, partim à munere) concedamus, certe architectones, nisi ingeniosi, videntur nulli. sed poeta, quia plus id genus hominibus tribuebatur, quam doctis æuo Domitiani, id vero ferre non potest. Architecti non ignobiles passim coluntur, & scriptis insuper celebrantur, cum apud Cicero. de orat. tum Plinium, ac alios. Vitruuius suis ipse libris, qui omnia vincunt mausolea, æternus clarusq; habetur. Præconium eo tempore quæstuosum quod ex ep.lib.6. octauo discas, vbi præcones tribunis, caussidicis, poetis, prætoribus antelatos docet.

Ad Cinnam.

LV. LVIII.

*Cum voco te Dominum, * nolo tibi, Cinna, placere:*
*Sæpe etiam seruum sic resaluto * tuum.*

* Noli. al. nolim.
* Meum.

Ironia est, Germanis plane germana, cum parentes filios, aut seruos Domini culpæ cuipiam affines Dominos appellant, quando vel serius reuersum domum, vel aliud peccarunt. Herr Juncker / wo ist man so lang gewesen? Herr Juncker / wie hat man sich da vnd da verhalten? cum alioqui nobilium sit appellatio, cum seria est oratio. De seruo ergo ironicῶς accipio, vel irrisio apta est, & iocus. Cum vult Cinnam tacite significare seruum fuisse.

De notione & vi vocis dominus dictum lib.1. de Prisco. Cum te non nossem, &c.

Ad Postumum.

LVI. LIX.

Cras te victurum, cras dicis, Postume, semper.
Dic mihi cras istud, Postume, quando venit?
*Quam longe * cras * istud vbi est, aut vnde petendum?*
Nunquid apud Parthos, Armeniosq; latet?
Iam cras istud habet Priami, vel Nestoris annos,
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras viues: hodie iam viuere, Postume, serum est,
Ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.

* est.
* Istud?

CRAS TE VICTVRVM] commodis præsentibus fruendum hodie, ἢ μηδὲν ἀναβαλλόμενον. tale est illud lib 10. ad Iulium 16.

Epicureorum paranesis.

Non est, crede mihi sapientis dicere, viuam:
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Ad

Ad quem versum, quæ ἐν ἐξηγήσει attulimus, leges ibidem. Ludit autem eleganter in epanodo vocis cras, uti Persius Sat. 5. meliore tamen sensu.

Cras hoc fiet, idem cras fiet. quid? quasi magnum,
Nempe diem donas? sed cum lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos.

QVAM LONGE CRAS ISTVD, VBI EST?] Si semper dixeris, cras viuam, nunquam viues, quod hodiernum cras, crastinum, & crastinum perendinum, atque pari ratione cætera deinde crastina sequentur. PARTHOS] Syri sunt à Scythis oriundi; lege Strabonem, Plinium, alios. ARMENIOS] ab Armenio Thessalo dictos ait Strabo Iasonis comite. Regio Armeniorum est intra Taurum, & Caucasum montes, eaq; duplex, maior, minorque. Plinius, Strabo, Solinus, &c. Poeta hic pro remotissimis ab vrbe ponit. IAM CRAS ISTVD HABET PRIAMI, VEL NESTORIS ANNOS] Semper dixisti te cras victurum, & dixisti hoc toto æuo tuo sexaginta, octoginta, & amplius annos. CRAS ISTVD QVANTI, DIC MIHI, POSSIT EMI?] Si de præterito tempore, quod cras appellat, loquare, nullo pretio potest redimi; si de futuro, nullo emi, quia sponte venit: si velis vti vt viuas. HODIE IAM VIVERE SERVM EST] adeo celeriter fugit ætas. ILLE SAPIT QVISQVIS, POSTHVME, VIXIT HERI] tantum illud tuum dicere potes, quod iam vixisti; nam, an hodie sis victurus, incertum est, nec tibi momentum de crastino pollicere, vel hodierno, nisi quod iam præteriit, potes. Quid ergo tuum viuere est, ô poeta; si vita illa tantum est dicenda, quæ præteriit. qua non frueris amplius? futurum nondum adest, præsens aut nullum, aut puncto citius vanescit; sic periisti, cum vixisti. Senecam audi ep. 12. Pacuuius qui Syriam vsu suam fecit, cum vino & illis funereis epulis se sepulisset: quasi sibi parentaret, sic in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorum hoc ad Symphoniam caneretur: βεβίωκε, βεβίωκε. nullo non se die extulit. Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus & in somnum ituri, læti hilaresq; dicamus:

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.

Crastinum si adiecerit Deus, læti recipiamus. Ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixi, quotidie ad lucrum surgit.

Ad Stellam.

LX. LVII.

Quod non argentum, quod non tibi * *misimus aurum,*
Hoc facimus caussa, Stella diserte, tua.
Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti:
Fictilibus nostris exoneratus eris.

* *v. mittimus.*

Huius argumenti epigramma exposuimus supra ad Quintilianum epigr. 18. & lib. 4. epigr. 56. plenissime. FICTILIBVS NOSTRIS EXONERATVS ERIS] parua munera. & xenia nostra; seu apophoreta facile reponens, si par pari voles referre. Fictiles patinæ primo, & frugali seculo vsitatæ, postremo aureæ diuitum, fictiles pauperum. nec tamen omnino repudiatæ sunt à lautioribus. EXONERATVS] sine onere pretii, quia mea munera carebunt onere, & pretio.

Ad Detractorem.

LXI. LVIII.

Adlatres licet vsq; nos, & vsq;,
Et gannitibus improbis lacessas:
Certum est, hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiscunque legaris vt per orbem.
Nam te cur aliquis sciat fuisse?
Ignotus pereas, miser necesse est.
Non deerunt tamen hac in vrbe forsan
Vnus, vel duo, tresue, quatuorue
Pellem rodere *qui velint* caninam
Nos hac à scabie tenemus vngues.

Mordet

Mordet mordentem canem, eique negat immortalitatem nominis, quam à poëta carpendo volebat exprimere. ADLATRES] Sen. Si quis itaque ex istis philosophis qui philosophiam conlatrant, quod solent dixerit; quare ergo aliter loqueris quàm viuis? GANNITIBVS] conuitiis, maledictis, gannio, molestè obstrepo. Interpres quispiam Persij proprium ait canum gannire, plura ex Hesychio, Eustathio, Theocrito Heraldus. Foquelius ex Donato vulpium; poëta noster à canibus videtur sumpsisse metaphoram, quando cœpit carmen, *allatres licet*, &c. allatrant certè canes, & toto carmine perseuerat in ea metaphora. PERNEGARE] Seneca: *Vltionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum ex quo peteretur vltio.* IGNOTVS PEREAS, MISER NECESSE EST] perinde quasi natus non fuisses, vt vulgus hominum, qui nec cogitat quidem de hac fama nominis. PELLEM RODERE CANINAM] adagiographi parœmiacûs vna Martialis auctoritate dici affirmant de iis, qui maledicos, & improbos conuitiis insectantur, sed antiquior vsurpat. ASCABIE] libidine maledicendi, quæ grauis scabies, & morbus, quo plerique etiam docti vexantur, cùm per aliorum infamiam sibi famam colligunt.

De Beat. Vit. cap 17. Græcè γαν-ζει. L. 2. de ira. Plinius minor de hac re in epistolis. Varro li. 6. LL. Canis caninam non est. ...

Ad hospites.

LIX. LXIII.

Jure tuo nostris maneas, licet, hospes, in hortis:
Si potes in nudo ponere membra solo:
Aut si portatur tecum tibi magna supellex:
Nam mea iam digitum sustulit hospitibus.
*Nulla tegit * fractos, vel inanis culcita lectos:*
Putris, & abruptâ fascia reste iacet.
Sit tamen hospitium nobis commune duobus:
Emi hortos, plus est: instrue tu, minus est.

* farctos.

Hortum se hospitibus offerre dicit, si hospites sumptum, & supellectilem offerant. IN NVDO SOLO] mihi neque sellæ, neque lecti sunt. NAM MEA IAM DIGITVM SVSTVLIT HOSPITIBVS] Meam supellectilem iam hospites alij emerunt, seu attriuerunt, & consumpserunt. mihi, inquit, nulla superest supellex, mea supellex iam victa, & perdita succubuit. Duplex est sententia in verbis, (tollere digitum) victi tollebant digitum in signum τῆς ἥττης. cùm victor clamaret αἶρε δάκτυλον, tolle digitum, id est, fatere te victum. auctores Persius Sat. 5. Athenæus 6. D. Hieronymus in Dialogo Luciferiani, & Orthodoxi, quorum testimonia habes apud adagiographum coniuncta. Altera apud Brissonium lib. 6. formularum, qui licitationes, id est, emptiones factas ait sublato digito, quòd rectè ex Cicer. lib. 3. in Verrem confirmat, vbi de pupilli bonis venditis agitur. *Accurrunt*, inquit, *tamen tutores ad tempus, digitum tollit Iunius patruus.* Et D. Ambrosij lib. 2. epist. 2. Commentator Horatij vetus ad lib. 2. Sat. 8. *Indice monstraret digito. Allusit*, ait, *ad morem licitationis.* Vterq; intellectus conuenit in hunc locum victa enim est supellex ab aliis hospitibus, cùm nihil amplius fuit, quo vterentur, cùm vsu iam absumpta esset, nec sufficeret tot hospitibus. vendita illis est, quia meis vtebantur, vt suis, donec absumerent, quamuis non soluerent. atque hoc sensu allusio est ad emptionem. prior videtur promptior. Tertia est: sustulit digitum, hoc est, sublato digito ostendit hospitibus aliud hospitium, quod hic nullum sit. NVLLA TEGIT FRACTOS, NEC INANIS CVLCITA, LECTOS] Culcitæ tomento fartæ sat notescunt in vulgus. Martialis non modò se malè fartam, sed omnino nullam ait habere, quam lecto iniiciat. de culcita plura lib. 14. PVTRIS, ET ABRVPTA FASCIA RESTE IACET] Vt ex fasciis reticulatis sellarum sedes hodie fiunt, ita credo lectos fasciis cancellatis fuisse deuinctos, quibus culcita fuit iniecta, quarum loco hodie passim asseres transuersi adhibentur, qui culcitam stramineam, deinde plumeam, aut tomento fartam ferunt. quod de reste dicit, intelligo primùm funes reticulatim per lecti latitudinem, longitudinemque ductos, qui fascias inflexas iuuarent, aut fasciam & restem pro eodem accipit. De fascia lecti cubicularis Cic. in 2. de diuinatione extremo, his verbis. *Defert ad coniectorem quidam, somniasse se ouum pendere ex fascia lecti sui cubicularis.* Lectos autem reticulatis funibus sustineri, & ipse vidi, & res est peruulgata. rupta ergo reste, cadebat putris iam situ, cedebatque fascia. fascias hasce Petronius Sat. *institas* appellat. *Imperaui Gytoni, vt raptim grabatum subiret, annecteretq; pedes & manus institis, quibus sponda culcitam ferebat: ac, sicut olym Vlyxes pro ariete adhæsisset, extentus infra grabatum scrutantium eluderet manus.* Glossarium. *Fasciæ, quibus lectus tenditur, instita.* Isidorus, *Instita grabati resticula.* Commentarius ad Horat. epist. 12. *Tenta cubilia, tectaq; rumpit*; cubilia: lectum intortis funibus, vel fasciolis tentum; tectaque: coopertoria lectuli stragula: plura Wouerius ad Arbitrum pag. 51. Apuleius lib. 1. Milef. *Restim, qua erat intextus, aggredior expedire.* vbi de grabato sermo. SIT TAMEN HOSPITIVM NO-

BIS COMMVNE DVOBVS] sed ineamus hanc conditionem, hospitium commune erit nobis καὶ κτῆσις καὶ χρῆσις. tu tamen supellectilem cura, ego locum dabo. nec est, quò querare. maius est hortum emere, quàm eundem colere, & instruere.

Ad Ponticum.

LXIV. LX.

Quid sentis, inquis, de nostris, Marce, libellis?
Sic me solicitus, Pontice, sæpe rogas.
Admiror, stupeo: nihil est perfectius illis,
Ipse tuo cedit Regulus ingenio.
*Hoc sentis? * inquit;* faciat tibi sic bene Cæsar,
Sic Capitolinus Iupiter: immò tibi.

*inquis.

Hic fictum nomen, alias nobilis poeta Ponticus. Gyraldum vide. Εἰρωνικῶς accipe.

Cæcum φιλαυτίᾳ Ponticum Ironicῶs laudat, & irridet. sic apud Persium Sat. 1.

Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli,
Nunc demùm numero fluere, &c.

ADMIROR, STVPEO] hoc expectabat Ponticus, quem Martialis in os laudatum retro velut cinonia pinsit. REGVLVS] Caussidicus ille nobilis, & bipedum nequissimus. de quo multa sæpius iam suprà lib. 1. FACIAT TIBI SIC BENE CÆSAR, SIC CAPITOLINVS IVPITER] Formula bene precandi. Plautus in milite. Sceledrus. *at Dij tibi faciant bene.* Et in Menechmis. Menech. surreptus, *& tibi Dij semper, adolescens, quisquis es, faciant bene.* Et aliis locis. quam vsurpat & Terentius Adelphis. De similibus horum loquendi generum Brissonius lib. 1. IMMO TIBI] Tu precatus es, Pontice, vt mihi sic bene Iupiter faceret, vt de tuis scriptis sensi. At ego sensi malè in animo, tu ergo precaris, vt mihi Iupiter malè faciat. Imo tibi malè faciat, qui malè sanâ mente es, nec intelligis te rideri, nec quàm malè scribas vides: sed persuades tibi tuos libellos esse optimos, cùm sint pessimi; solebant autem veteres hoc verbo regerere imprecationes. Tertullianus de Idolol. cap. 21. *Scio quendam, cui dominus ignoscat, cùm illi in publico per litem dictum esset, Iupiter tibi sit iratus, respondisse, immò tibi.*

Ad suos ministros.

LXV. LXI.

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni:
*Tu super æstiuas * Alcime * funde niues.*
Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturq; rosis tempora sutilibus.
Iam vicina iubent nos viuere Mausolea:
Cùm doceant ipsos posse perire Deos.

Poeta valde paucos numerauit ministros. si tamen numerari potuerunt. Quanquam supra etiam tres adsciuit.

* V. solum mitet.

* Alcimeus.

Inuitat seipsum ad genialem vitam, quòd omnibus moriendum, etiam Cæsaribus, videat ex posito Augusti mausoleo. SEXTANTES] Sextans duos continet cyathos. duo sext. 4. cyathos, id est, trientem infunde, qui tertia pars est sextarij, vt suprà vbertim est expositum. ÆSTIVAS NIVES] aquam gelidam, & rigentem è niuibus expressam, vino affundebant, quod lib. 14. disertius ostendemus ad illum versum:

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem.
De niue, commenta est ingeniosa sitis.

Ex præterea niues non cuiuis vino miscebantur, sed generosissimo duntaxat. nam & aqua illa vino leui carior, vt ibidem docet Martialis, cùm subiicit:

Massiliæ fumos miscere niualibus vndis
Parce puer. constet ne tibi pluris aqua.

Interim lege caput 8. lib. 1. var. lecti Mercurialis, in quo antiquissimum niuium potarum vsum ex Athenæo, & Athenæus ex Alexi Dexicrate, Eutycle, & Xenophonte declarat. Lipsius de aqua miscenda idem, quem alibi laudauimus; Heraldus ad hunc locum. copiosè Ciaconius de Triclinio. ALCIME] Extat lib. 1. 89 epig. epitaphium pueri Alcimi. PINGVESCAT NIMIO MADIDVS MIHI CRINIS AMOMO] De more veterum, quo se vngebant, ante cœnam lib. 3. epig. 12. dispu-

disputatum ad illum versum, *Vnguentum fateor bonum dedisti.* AMOMO] vnguento inde facto. De amomo Dioscorides, & Plinius Athenæus. LASSENTVRQVE ROSIS TEMPORA SVTILIBVS] Gestabant coronas ex his floribus, quos anni tempus ferebat, & maximè rosis, aliisque, quæ ebrietatem prohiberent, & caput non premerent. Has potissimùm capiti, nonnulli collo, alij bracchiis applicabant. Cicero Verrina 5. *Ipse autem coronam habebat, vnam in capite, alteram in collo.* idem antiqua docent marmora, quibus expressi sunt, conuiuantes coronati. Fiebant & ex ramentis argenti coronæ, tum, cùm rosæ hyeme non erant. Auctores propè huius rei infiniti: Poëtę prisci ferè omnes tam Græci, quàm Latini, Aristoteles, Athenæus, Cicer. Plinius, Tertullianus, & alij sexcenti recentiores. Coronabant ipsa etiam pocula, si qua fides Homero 1. Odyss. Virgil. 7. Æneidos. Tibullo lib. 2. epig. 5. Tertulliano. Plura de hoc genere lege in appendice Fului j Vrsini ad Ciaconium de Triclinio. pag. 132. & sequentibus. vbi & de vnguento præcedentibus. apud Guilelmum Stukium. SVTILIBVS] pactilibus, textis. Ouid. 5. Fast.

Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,
Et latet iniecta splendida mensa rosa,

Noster poëta pluribus locis. IAM VICINA IVBENT NOS VIVERE MAVSOLEA, CVM DOCEANT, IPSOS POSSE PERIRE DEOS] In valle Martia videmus sepulchrum Augusti, & cognatorum eius, quos poëta gentis more Deos vocat. quando ipsi Dij moriuntur, etiam Parcæ non nobis parcent. Viuamus ergo, inquit, & dieculam, quæ superest vitæ, cum voluptate claudamus. De Mausoleo Cariæ epigrammate 1. spect. scripsimus. Augusti opus delineant calamo Cassiodorus, Strabo, D. Hieronymus, & alij. Marlianus lib. 6. cap. 18. *Augustus, inquit, in valle Martia, interque viam Flaminiam, & ripam Tiberis sexto suo consulatu Mausoleum, non suum modò, sed omnium imperatorum, & cognatorum sepulchrum extruxit.* Mausoleum ad similitudinem Mausolei Artemisiæ nominat. Strabo rem accuratius describit, quem, ne longior sim, tute legas. Cariæ Mausoleum spectandum proponit Plinius lib. 36. cap. 5. Sunt, qui illa verba poëtæ, vicina Mausolea, aliouorsum intelligant, & ad micam Domitiani, in qua suspensum cranium è laquearibus pendebat, quod continuas mortis admonebat. redi ad lib. 2. epig. 59.

Ad Cæsarem.

LXII. LXVI.

Astra, polumq; dedit, quamuis obstante nouerca,
Alcidæ Nemeæ terror, & Arcas aper:
*Et castigatum * Libyæ ceroma palæstræ:*
Et grauis in Siculo puluere fusus Eryx:
Siluarumq; tremor, tacita qui fraude solebat
*Ducere ** nec rectas Cacus in antra boues.*
Ista tuæ, Cæsar, quota pars spectatur arenæ?
Dat maiora nouus prælia mane dies.
Quot grauiora cadunt Nemæo pondera monstro?
Quot tua Mænalios collocat hasta sues?
Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi,
Est tibi, qui possit vincere Geryonem.
Sæpe licet Graiæ numeretur bellua lernæ,
Improba Niliacis quid facit Hydra feris?
Pro meritis cælum tantis, Auguste, dederunt
Alcidæ citò Di; sed tibi serò dabunt.

* v. Libyca. ** Neglectas, Heraldus emendat. Retinuimus veterem scripturam, alludit n. ad auersa boũ vestigia. Virg. 8. * malim, non rectas.

Sine dubitatione refertur hoc epigramma ad Carpophorum, quod admodum affine est 27. lib. spect. sed laudem totam tribuit Domitiano. Et tamen non ab ipso Domitiano confectas has feras ex hoc versu potest colligi.

Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi,
Est tibi, qui possit vincere Geryonem.

In eadem sententia mecum est Marcilius in Epigramma spect. 15. *Summa tua, Meleagre,* &c. ASTRA, POLVMQVE] Alcides, seu Hercules propter occisum leonem Nemeæum, & aprum Arcadium,

dium, dignatus est astris à Ioue, etiam repugnante Iunone. A comparatione minorum ostendit Martialis Domitianum Hercule digniorem esse astris, & concludit: illi iam dederunt, tibi verò dabunt, sed serius, vt superesse, & prodesse Reipub. diu possis. ASTRA, POLVMQVE ALCIDÆ DEDIT] Propter fortitudinem, Iupiter Herculem retulit inter sidera. Hyginus de eodem. Lucianus in Hermotimo scribit exutum prius fuisse, quicquid mortale in eo erat, quod erat diuinum, in cœlum ascendisse. Hercules Oeteus per tunicam molestam exuit mortalitatem lib. spect. Omnes Herculis labores, & præmium Bizantius Philippus hoc exposuit epigrammate, in Anthologia.

Ὤλεσε τὸν Νεμέᾳ θῆρ' ἄπλετον, &c.

Eiusdem labores reperies in Appendice Virgiliana, & apud alios, nosque alibi infrà. ALCIDES] dicitur ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, quæ vox vim significat, qua maximè pollebat Hercules. NEMEÆ TERROR] pestis, seu monstrum Nemeæum, de quo suprà epig. 5. Vide Cæsarem Germanicum in Aratum. Hyg. lib. 2. & lib. 1. fab. 3. ARCAS APER] de hoc epig. 15. lib. spect. OBSTANTE NOVERCA] Iunone Iouis coniuge. Alcmena enim Amphytrionis vxor, Iouis pellex, Herculis mater erat, quam pessimè oderat Iuno, & in eius filium Herculem è luna leonem demisit, quem Hercules occidit, odiumque nouercæ auxit, cuius ingratiis est inter sidera relatus. Germanicus Cæsar in Aratum. ET CASTIGATVM LIBYCÆ CEROMA PALÆSTRÆ] Et victus ab Hercule Antæus in Libyca palæstra, seu in lucta, quæ in Libya contigit, cùm Herculi in Libyam venienti Antæus Libys in pugnam occurreret. de hac Lucanus lib. 4. Pharsaliæ.

Ille Cleonæi proiecit terga leonis,
Antæus Libyci: perfudit membra liquore
Hospes Olympiacæ seruato more palæstræ,
Ille parum fidens, pedibus contingere matrem,
Auxilium membris calidas infudit arenas.

id est, terram.

Et quæ sequuntur, quibus prolixè totum certamen describit. ET CASTIGATVM CEROMA] Et Antæus ceromate inunctus castigatus, seu victus, dedit Herculi cœlum. Castigatus dixit fortè quòd Antæus omnes hospites ad pugnam secum capessendam coëgerit, magnumque numerum occiderit, quos vltum iuit Hercules, dum castigaret, & occideret Antæum. Et metonymia est, ceroma enim ponitur pro ipso Antæo ceromate vncto, vt signum pro signato. Est autem ceroma (vt ex Plinio docet Mercurialis lib. 10. de arte gymnastica cap. 8.) ex oleo, puluere & cera commixtum, quo vngebantur Athletæ, & quo, vt testatur Plinius, iuuentus Romana cunctas animi vires amisit. Martialis lib. 4. *Seu lentum ceroma teris*, & 50. & 70.

Vara nec mixto ceromate brachia tendit.

Puluis ex variis regionibus adferebatur; duo tamen palmam habuerunt, Puteolanus, & Ægyptius. Sed Puteolanus non videtur ad ceroma facere, qui molibus in aqua & mari solidandis adhibebatur, Vitruuius lib. 5. c. 12. vt ex Sidonio in Panegyrico Anthemiano, Philandro, aliisque disces, corrigesque eorum σφάλμα, qui Sidonij versum hunc.

(Namq; Dicarchææ translatus puluis arenæ
Nitratis solidatur aquis, &c.

Ad ceroma palæstritarum torquent. Philander super hoc plura ad Vitruuium. De Ægyptio Suetonius in Nerone, & Plinius lib. 35. c. 15. Martialis lib. 7. epig. 66. vocat hunc puluerem Haphen, à græco ἁφὴν, quod tactum significat. De ceromate plura Petrus Faber agonistικῶν lib. 2. cap. 2. & 5. lib. 1. cap. 14. & lib. 2. c. 12. Lambertus Hortensius ad 4. Lucani. ceroma erat vnguentum oleaceum, factum ex oleo, & cœno in speciem luti, quo in ludis gymnicis nudos se perungebant. Statius.

Postquam oleo gauisa cutis
Tunc medios artus alterno puluere siccant.

Virgil. 3. *Exercent patrias oleo labente palæstras.*

LIBYCÆ PALESTRÆ] Libyci certaminis, seu in Libyco certamine. Palæstra vario significatu accipitur. primùm pro vniuerso gymnasio. auctor Vitruuius. deinde significat locum quemcunque exercendis corporibus idoneum, quo pacto locutus est Cicero in epistola lib. 3. ad Q. F. & secundo de leg. dum villam suam Arpinatem describens, palæstram ibi nominat, & Virg. 5.

Pars in gramineis exercent membra palæstris.

Et Geta apud Terentium in Phormione, vbi dixit. *Eccum à sua palæstra exit foras* 3 certam gymnasij partem, in qua exercitationes variæ corporis instituebantur, vt Plinius, Galenus, Oribasius docent. 4. ipsa lucta, & exercitatio seu membrorum, seu disputationum vocatur palæstra. Lucilius.

Iudicis Hortensi est ad eam rem nota palæstra.

Plura apud Mercurialem lib. 1. cap. 5. Hîc pro ipsa lucta, & certamine, quod in Libya commissum est, capitur. Cæterum de hac lucta Antæi, & Herculis, ita Dionmus lib. 1. Anthol.

Τὸν ἡ̃βαις ἀεθλα [illegible]
Α τε [illegible]
Κεῖται [illegible]
Ἀλλ' ὅς τις [illegible]

Antæus

Ἀνταίῳ τὸ πάλαισμα. πέπται δ' ἡ ἐργαλία νικῶν
Τὸν Διὸς. Ἀργείων ὁ πάλα, οὐ Λιβύων.

Quæ sic reddidit Angelus Politianus.

Incaluêre animis dira certare palæstra
Neptuni quondam filius, atque Iouis.
Nec certamen erant operoso ex ære lebetes,
Sed quod vel vitam, vel ferat interitum.
Occidit Antæus, Ioue natum vincere fas est,
Estq; magistra Pales Græcia, non Libya.

malleni, par est, pro fas est.

Fuit autem Antæus Neptuni, & Terræ filius. *Incredibile est*, inquit Brodæus, *tantum portentum potuisse succumbere cuius corpus sexaginta cubitorum fuisse refert Plutarchus in Sertorio, ὡς Φασὶν, addens, in quo fabulam esse nos admonet, licet eius ossa Olympiam illata miraculo fidem fecisse accipiamus.* Hercules autem, teste Herodoto, quatuor cubitorum, & pedis longitudinem non excessit. lege Lambertum Hortensium lib.2. ad illa verba Lucani, *Postibus Antæi Libya.* Ouid.9.Met.

——sæuéque alimenta parentis
Antæo eripui.——

Vide Diod. Siculum lib.4. Petrum Fabrum lib.10. Agonisticῶν cap.16. Plinium lib.4.cap.21. ET GRAVIS IN SICVLO PVLVERE FVSVS ERIX] Erix in certamine cestuum victus est ab Hercule. Dictus & Erix mons Siciliæ. Sed poëtæ hunc Erycem faciunt Veneris filium, quòd Lycaste mater ob venustatem formæ vulgò Venus diceretur. Hercules ab expeditione Hispanica reuersus venit in Siciliam, vbi ab Eryce in pugnam prouocatus est ea conditione, vt si vinceretur, Eryci omne ornamentum, quod Hercules præ se agebat, cederet, si vinceret, ius regni ad Herculem, & eius stirpem perueniret. ter congressi cestibus, victus demùm, & occisus est Eryx, lege Hyginum fabul. 260. Virgilium 5. Æneid. Lambertum Hortensium. Virgilius loco dicto de pugna Herculis Erycis.

Quid si quis cæstus ipsius, & Herculis arma
Vidisset? tristemq; hoc ipso in littore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat,
Sanguine cernis adhuc. sparsoq; infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit.

Vide Pontanum in hunc locum.

Plura Seruius, & Lambertus Hortensius, & alij. SILVARVMQVE TREMOR] Cacus Vulcani filius triceps erat fur & latro, eoque viatoribus timebatur. Albricus de Deorum imaginibus. TACITA QVI FRAVDE SOLEBAT, DVCERE NEC RECTAS CACVS IN ANTRA BOVES] boues in antrum suum auersas per caudam trahebat, ne quærentibus factum deprehenderetur, cùm vestigia foras ducerent, non intro idem Herculi bouem rapuit, à quo repertus in Albano monte, & occisus est. Virgilius 8. Æneid. totam hanc historiam elegantissimis versibus describit. *Hic spelunca fuit vasto*, &c. Et Ouid. 9. Met.

——iacet——
Hic Cacus horrendum Tyberino gurgite monstrum.

Lege Herodotum.

Et Propertius lib.4. eleg.10. tota, quæ incipit. *Amphitryoniades qua*, &c. Et Ouid. lib.1. Fastorum totam cædem illius graphicè describit. de eodem lib 5. & 6. Fast. ISTA TVÆ, CÆSAR, QVOTA PARS SPECTATVR ARENÆ?] Hæc, vel ista omnia Herculis facta collata cum Cæsaris spectaculis in amphitheatro, quota pars sunt? minima, intellige; hic enim vsitatissimus Martiali modus loquendi, de quo suprà epig.32. & suprà est:

Quota Carpophori portio fusus aper?

Et aliorum. Iuuenali 14. *Hæc, quota pars scelerum, quæ custos Gallicus vrbis,*
Vsq; à lucifero donec lux occidat, audit.

Et ibidem: *Quota portio fæcis Achææ.*

Ouid.2.Am. *Pergama cùm caderent celso superata bilustri,*
Ex tot in Atridis pars quota laudis erat?

Seneca in Medea. *Pars vltionis ista, qua gaudes, quota est?* Idem ad Lucillum. *Et nos, inter quos ista frequenter nunciantur, quota pars omnium sumus?* Et hæc Hercules fecit; At multò maiora abs te Cæsar, vel ante meridiem per ludum fiunt in matutino spectaculo. DAT MAIORA NOVVS PRÆLIA MANE DIES] Duplex spectaculum erat matutinum & meridianum. Manè cum bestiis depugnabant: post meridiem ij, qui superfuerant, inter sese, & meridiani gladiatores vocabantur. Cæterùm nec docti, factiq; ad pugnam erant, nec armis in ea vtebantur, aut arte. Cædes tantùm promiscua, & velut laniena. Seneca epist.7. *Mane leonibus, & vrsis homines: meridie spectatoribus suis obiiciuntur. Interfectores interfecturis iubentur obiici, & victorem in aliam detinent cædem. exitus pugnantium mors est. Hæc fiunt, dum vacat arena.* Sic Lipsius lib.2. Sat.cap.15. & Torentius in cap.34.cal. Cùm Romæ munera edebantur, matutinis ferè horis bestiarij producebantur, inde gladiatores, venationesque circa meridiem edebantur, postea verò iucundiora quæque spectacula, vt populus à sanguine recrearetur, atque inde læti omnes discederent. Sic Martialis lib.10. epig.96.

Matutinarum non vltima præda ferarum.

Seneca ep.1. lib.10. *Nuper in ludo bestiariorum vnus e germanis, cùm ad matutina spectacula pararetur, &c.* Torrentius in cap.30. Calig. Dicit ergo Martialis Romæ in amphitheatro maiores bestias, monstraque vno die, & quidem dimidiato, & matutino confici, quàm Hercules tota vita confecit. de ludis matutinis, & meridianis vide Mercurialem lib.1. c.12. QVOT GRAVIORA CADVNT NEMÆO PONDERA MONSTRO?] Iterat supe. iora à contentione maiorum & expositio est superioris pentametri, quo pacto manè dies nouus prælia maiora dare consueuit. In amphitheatro multò maiores feræ interficiuntur, quàm fuit leo Nemeæus. QVOT TVA MÆNALIOS COLLOCAT HASTA SVES?] multò maiores, & plures apros interficis, quàm Hercul. s interfecit. COLLOCAT HASTA] simile est illud Plauti in Amphitruone Mercurius:

Iam pridem videtur factum, heri quòd homines quatuor
In soporem collocastu nudos, id est, quasi multatos, & ictibus,
Sopitos, & propè exanimatos strauistis. Turnebus lib.4. cap.15.

Superius Martialis dixit, *longo porrexit vulnere pardum*, id est, porrexit, & collocauit. De voce collocat, plura Heraldus ex Græcis. Vide epigramma, 15. lib. spect. *Summa tua, Meleagre fuit*, &c. Ad Carpophorum, refero & intelligo (tua hasta) dictum pro Carpophori hasta, qui est tuus venator, quodque ipse fecit, tu videris fecisse, in hac sententia est etiam Domitius. Confirmat meam opinionem sequens pentameter. *Est tibi qui possit vincere Geryonem.* REDDATVR SI PVGNA TRIPLEX PASTORIS IBERI] si denuò Geryon aliquis in arenam descendat, adest vnus aliquis Hercules, qui illum debellare possit. Geryonem trimembrem Hercules vno telo interfecit. Hyginus fab.30. & 151. PASTORIS IBERI] Geryonis Hispani, *qui * boum inter cætera armentum perquam admirabile habebat: ad quod, cum Hercules accessisset, vt boues abigeret, sese illi opponentem Geryonem de medio sustulit, sicq́; boues abduxit, quæ omnibus eas, dum circum agerentur, inspicientibus magnam admirationem incutiebant: mediocris namq́; illis magnitudo quædam inerat, à capite quoq́; ad ilia parua, simaq́; erant, cornua prorsus nulla habebant, ossa verò & longa, & lata quidem apparebant, &c.* Palæphatus lib.1. fabul. de Geryone. TRIPLEX] cum boues Hercules abigeret, quærebant homines, cuius essent illæ. responsum est Geryonis Tricarinij, id est, tricipitis fuisse, nunc Herculis esse. ex quibus dictis Geryonem ipsum tria capita dubio procul habuisse quidam existimabant. Virg.6. Æneid.

Ex quib. duos postea Cacus furatus est.

Boues erant punicei, quos hospites vorabant Nat. Comes in Hercule.

——& forma tricorporis vmbra.

Et lib.7. & 8.

nam maximus vltor,
Tergemini nece Geryonis spoliisq́; superbus
Alcides aderat, taurosq́; hac victor agebat
Ingentes, &c.

Ouid.9. Met.

——nec me pastoris Iberi
Fama triplex.——

Idem Fastorum, & alibi sæpius. Hesiod. Theogonia.

Χρυσάωρ δ' ἔτικε τρικέφαλον Γηρυονῆα.
Τὸν μὲν ἄρ' ἐξενάριξε βίη Ἡρακληείη,
Βουσὶ παρ' εἰλιπόδεσσι περιρρύτῳ εἰν Ἐρυθείῃ,

Idem prorsus in fine Theogon. canit de eodem. Hæc fabulosa. Sed res ita habet. Geryon tres habuit filios Geryones, quos Hercules Libycus, Orus alioquin dictus, cùm in subiectos Hispanos tyrannidem exercerent, comparato exercitu ex prouocatione vnus omnes, tres solus confecit. vnde nata est fabula Geryonem tricipitem ab Hercule victum. lege Ioannem Marianam lib.1. cap.8. de rebus Hispaniæ. Antonius Constantinus ad 1. lib. Fastorum Ouid. *Hercules ex Erythra, quam Strabo, & Pheneides Gadas esse dicunt, boues abduxit. Sciendum enim in Hispania tres reges fuisse simillimos (nempe fratres, vt suprà Mariana) quibus abstulit armenta Hercules, quiq́; in Herculem bella mouentes interfecti sunt.* Sic Diodorus Siculus lib.4. Συμπλεύσαντος δὲ τοῦ στόλου, διέβαινεν εἰς τὴν Ἰβηρίαν, καὶ καταλαβὼν τοὺς Χρυσάορος υἱοὺς τρισὶ δυνάμεσι μεγάλαις κατεστρατοπεδευκότας ἐκ διαστήματος, πάντας τοὺς ἡγεμόνας ἐκ προκλήσεως ἀνελὼν, καὶ τὴν Ἰβηρίαν χειρωσάμενος ἀπήλασε τὰς διωνομασμένας τῶν βοῶν ἀγέλας. De Geryonis bobus, & Caco, vbi habitauit, Herodotus lib.4. Strabo, alij. EST TIBI, QVI POSSIT VINCERE GERYONEM] Carpophorus nempe, qui etiam vinceret Geryonem, quem in heroico vocauit pastorem Iberum ex Ouidio. SÆPE LICET GRAIÆ NVMERETVR BELVA LERNÆ] de lerna suprà in ep. 27. lib. spect. IMPROBA NILIACIS QVID FACIT HYDRA FERIS?] Sententia est etiamsi decem, aut plures victæ dicerentur ab Hercule hydræ, tamen non essent conferendæ cum Crocodilis Ægyptiacis, qui sunt interfecti in amphitheatro. IMPROBA] vsitatum Martiali epithetum, vt alibi docuimus. NILIACIS FERIS] Crocodilos intelligit, qui frequentes in Nilo reperiuntur, vnde lib.3. epig.91. dixit Niliacus crocodilus, quos M. Scaurus primus in ædilitate exhibuit spectandos. Plinius lib.8. cap.26. deinde Augustus, vt Domitius refert. & demùm Domitianus. Crocodilum lib.22. eleganter, & graphicè describit Marcellinus his verbis. *Inter aquatiles autem bestias crocodilus vbiq́; per eos tractus abundat, exitialis quadrupes, malum assuetum elementis ambobus, lingua carens, maxillam superiorem commouens solam, ordine dentium pectinato peruicaciis morsibus, quicquid attigerit, pertinaciter tenens,*

Vide Curiatios trigeminos Horatios.

una

oua edens fœtus anserini similia: vtq; armatus est vnguibus, si haberet etiam pollices, ad euertendas quoq; naues sufficeret magnis viribus. Plura ibidem. Plinius lib.8. cap.25. totum ad vnguem describit. Strabo lib.17. de crocodilis Romam allatis ita tradit. *Crocodili cùm Romam allati essent pro spectaculo, Tentyritæ eos sequebantur, & parata crocodilis piscina quadam, & foramine in vno laterum, vt ex aqua in apricum egredi possent. Tentyritæ (qui ad Nilum habitant) erant, qui eos interdum rete in aquam ipsi intrantes educebant, in locum apricatione destinatum, vt à spectatoribus cerni possent. aliâs rursum eos in piscinam retrahebant. nam Tentyritæ nihil accipiunt damni ab illis, sed acerrimè persequuntur crocodilos, & plurimos occidunt. contra Ægyptij alij colunt, & adorant.* Pierius lib.29. PRO MERITIS CŒLVM] conclusio ex adulatione, & comparatione gestorum ab Hercule, & Domitiano. Ex quibus par præmium, vel maius sit Domitiano expectandum. Dij Herculi ob ærumnas, & labores citò dederunt cœlum. TIBI SERO DABVNT] tam serò, vt nec adhuc dederint, nec daturi sint vnquam. Sed Martialis promittit Cæsari longam vitam his verbis (tibi serò dabunt) tu postquam æuum in Pylios annos propagaris, tum demùm ad superos euocaberis. Sic in carmine de filio Domitiani:

Cui pater æternas post sæcula tradat habenas,
Quique regas orbem cum seniore senex.

Idem ibidem:

Sospite sic te sit natus quoq; sospes, & olim
Imperium regat hoc cum seniore senex.

Ad eundem modum Ouidius est locutus, secundo de tristibus:

Optaui, peteres cœlestia sidera tardè,
Parsq; fui turba parua precantis idem.

SERO] Ita lib.2. *Esse velis (oro) serus conuiua Tonantis.*

In Pontilianum.

LXIII. LXVII.

Sæpe salutatus, nunquam prior ipse salutas:
** Sic erit æternùm, Pontiliane, vale.*

* Sic erit: æternū Pont. Vale.

SÆPE SALVTATVS] Verbum solenne est in digressu vale, vt in congressu salue, vel aue. Brisonius lib.8. pag.747. vbi multa huius rei exempla leges. Præterea vt manè dominis clientes, aut serui dicebant, aue, ita vesperi, vale. Mortuis idem vale, sed extremum dicebatur ter iterato verbo vale, vale, vale. Seruius lib.11. Æn. Poëta igitur, cùm Pontilianum sæpe salutasset, nec vnquam ipse prior salutaretur (imò, vt epig.52. ad Rufum * scribit, nec cùm salutaretur, resalutabat) iratus, inquam, poëta æternum illi vale dicit, nam salutatus, cùm non respondeas, mortuus videris, vel certè mortua est in te humanitas. Mortuis autem dicitur vale. Ergo æternum vale, abrupta omni amicitia, humanitate, vitâ, tecum esto. Alter intellectus, tu salutatus nunquam prior salutas, sed tantum dicis vale: sic est & erit apud te æternum vale. Sed prior arridet.

Statius 3. Sil. ad patrem.

* De Cæsfideo, sed nō illum fensfum illius χαῖρε putamus, vt Domitius censet, quemadmodum suprà ad epig.52. documenus.

De hirundine.

LXIV. LXVIII.

Hiberno peterent solito cùm more recessus
Atthides: in nidis vna remansit auis.
Deprendêre nefas ad tempora verna reuersæ,
Et profugam volucres diripuêre suæ.
Serò dedit pœnas; discerpi noxia mater
Debuerat: sed tunc, cùm lacerauit Ityn.

Sub tecto, & tegulis, vbi nidificant hirundines, Martialis, ipso Martiale * teste, habitabat, auesque contubernales habebat hirundines, ex quibus vnam cum reliquis non auolasse in autumno notarat, eamq; à reuersis altero vere laniatam. Vnde argumentum epigrammatis sumpsit poëta, breuique fabulam Prognes exposuit.

* Lib.1 Ille scalis habito trib. sed altis.

HIBERNOS CVM PETERENT] Quotannis enim (auctore Plinio) ex Africa maria transeuntes, appetente vere, * ad nos aduolant, & Martio plerunque mense, nostros ingrediuntur, suosque lares reuisunt, vel nouos è luto, & paleis fingunt, vt Ouidius canit Fast.1.

Tunc blandi soles, ignotaq; prodit hirundo.
Et luteum celsa sub trabe figit opus.

Dein oua pariunt, pullosque bis excludunt, atque vbi vltimos partus educauerint, æquinoctij autumnalis tempore in suas remigrant regiones. Quo symbolo, vt hoc ἐθνικῶς moneam, vitā

* Condidit inde paroemiam Sedulius: vtq; ad hirundinis aduentum, ad qua verba multus est Sanctio lib.2. epig.24.

viri sapientes infidos notant, qui rebus secundis blandiuntur, deserunt aduersis. Pierius Hieroglyph. Horus, alij. Athides ab Attica dictæ. Nam Progne Pandionis Atticæ regis filia fuit, vti & Philomela versæ in aues. Progne in hirundinem. Philomela in lusciniam. Fabula est apud Ouidium. lege quæ lib. 1. epig. 54 ad illum versum diximus. *Sic vbi multisona feruet sacer Attide lucus.* Sed ibi Attis pro luscinia accipitur, quæ soror Prognes, & ipsa ex Attica fuit. Aliter rem narrat Eustathius ad Odyss. T. quod nihil attinet referre.

IN NIDIS VNA REMANSIT AVIS] Solitæ auolare omnes, vt plurium est sententia. Augustinus Niphus, & alij, in cauis arborum cum multis hibernare tradit. Sed Gaspar Heldelinus in ciconiæ encomio scribit, quod iure mirère. *Comperi*, inquit, *latere hyeme hirundines in nido suo, tanquam mortuas. proinde non puto auolare eas. Totam hyemem habent secum recentia oua. reuiuiscunt autem sub æstatem. Quare iudico mirabile quoddam opus esse, ac imaginem resurrectionis nostrorum corporum.* Hæc Heldelinus ex anonymo auctore. Gesnerus. DEPRENDERE NEFAS AD TEMPORA VERNA REVERSÆ] nefas vocat, quòd à natura reliquarum hirundinum desciuerit, nec cum reliquis auolarit. ET PROFVGAM VOLVCRES DIRIPVERE SVÆ] suæ, eiusdem generis aues, cognatæ inter se, profugam desertricem agminis, quod vt in re militari capitale est, ita fuit huic hirundini, cùm discerperetur. SERÒ DEDIT PŒNAS] Sed hoc postea grauiores. Serò, quia tota hyeme impunè tulit mansionem. DISCERPI NOXIA MATER DEBVERAT] dubius est intellectus. discerpi noxia mater debuerat, quòd pullum in nido reliquerit, nec secum auexerit. ita mater velut caussa punienda fuit. Alter est, vt hirundinem monentem vocet matrem speciem certam sexus, pro incerta, quò alludendi maior sit occasio ad fabulam Prognes, vt sequitur, & hic vero propior sensus. SED TVNC, CVM LACERAVIT ITYM] Progne Itym filium occisum apposuit Tereo marito comedendum ob violatam sororem Philomelam, versa mox in hirundinem. lamentabilem casum describit dolenter admodum Ouid. met. 6. Laceranda igitur erat hirundo, sed tum, cùm ipsa filium suum Itym lacerauit. Illa enim digna tanto supplicio pœna erat.

Ad Lesbiam.

LXIX. LXV.

Arctoâ de gente comam tibi, Lesbia, misi;
Vt scires, quanto sit tua flaua magis.

Speciem laudis videtur præferre carmen, cum magis vituperet; Flauam enim comam cùm affectarent, quæ studebant placere procis, quò magis flauescebant, hoc impudiciores iudicabantur; Cùm aliàs coma sit in ornamentis. Matronæ honestiores nigram alebant, flauam lupæ, vnde Iuu. Sat. 6. Messalinam Claudij Cæsaris coniugem, cùm ad lupanar descenderet, flauo galero nigram celasse comam dicit, vt lupis esset similior. ARCTOA] Germania, quæ sub arcto ad septentrionem. de quorum ruffandi pilos, & obliquandi ratione sæpe iam suprà d. plura Lipsius ad Tacitum. Heraldus ad hunc locum. FLAVA MAGIS] vel natura, vel arte, vel quòd omnino empta, & factitia. si natura, laus est; si ars, fraus; si empta, nequitia, & impostura.

In M. Antonium.

LXX. LXVI.

*Antoni Phario nil obiecture * Photino,*
Et leuius tabulâ, quàm Cicerone nocens;
Quid gladium demens Romana stringis in ora?
Hoc admisisset nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro,
Et tantis opibus vox tacet vna tibi.
Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ?
** Incipient omnes pro Cicerone loqui.*

* Pothinò placet Scriuerio. Plutarchus Ποθεινὸν vocat in Pompeio.

* Incipiunt.

Ingens, & æternum æterni Ciceronis elogium, cui planè geminum est illud lib. 5. epig. 65.
Par scelus admisit Pharijs Antonius armis, &c.

Quo loco quanto vberiores fuimus, tanto erimus hic pressiores. PHOTINO] Ægyptio, à quo interfectus Pompeius, vt suprà narrauimus. Execratur scelus Antonij. ET LEVIVS TABVLA QVAM CICERONE NOCENS] Magnificè de Cicerone, acerbè in Antonium, qui cùm plurimos in proscriptione occiderit, omnibus tamen illis occidendis minus peccauit, quàm vno Cicerone opprimendo. De tabula illa proscriptionum sic Appianus lib. 4. de ciuil. Rom. bellis. *Itaq; plerosq; ob adium*

Claudian. lib. 1. in Eutropium Eunuchum. — Ex alio iador grauiora Photino.

ob aditum splendorem proscribentes, omnes ferè vel morte, vel bonorum publicatione damnauerant. Senatorij ordinis circa trecentos. equestris verò ad duo millia. In quibus vel fratres, vel patrui proscribentium inerant. Nomina verò proscriptorum in tabula publica proscripta celeberrimis in vrbis locis proponebantur. vt à Cicerone, Seneca, & aliis docemur. lege Semestria Fabri lib. 2. cap. 16. pag. 239. ROMANA STRINGIS IN ORA] In os Ciceronis, Quod tibi Roma caput cum loquereris erat. ROMANA STRINGIS] exemplo Virgilij: *Ferte citi flammas, date tela, scandite muros.* Et hoc lege Grammatica, non licentia poëtica, Nam vocalis breuis in fine præcedentis verbi, & ante st, sc, sp, posita sequentis nominis prima longa, fit etiam longa. Non item ante mutam & liquidam, nec ante duplicem, nec ante sp, sc, st, sequente vocali breui, vt spatium, statio, scio, sed oportet vt nouum pedem inchoet longa sequens, vt præcedentem breuem moueat & augeat, vt illud Virgil.

——date tela scandite muros.

Et hoc ex Terentiani Mauri lege, quem tamen pauci ex recentioribus intelligunt; inspexi ergo ipsum Terentianum, quem vt mecum intelligas expono, quatenus quidem ad hunc locum & versum Martialis explicandum facit. Terentianus igitur:

Hereat ergo animo sexta hæc tibi viuida, parq;
Litera de numero (quam dixi) semisonantum.

Terentianus Maurus p. 42. de carm. heroico.

Obserua inquit literam, S, quæ est sexta è semiuocalibus, F, L, M, N, R, S, X. (Nam pro Z, veteres duplex SS. ponebant.)

Sequitur. *Quæ sibi tres tantum poterit subiungere mutas.*

Nempe SC, SP, ST, vt ipse exemplis declarat: miror tamen excludi, q, vt squalor, & squama, &c. nisi dicas liquescere, atqui longa est prima. fortasse scripserunt antiqui *scualor* pro *squalor*.

Si quando scutum, spumas, vel stamina dico
Hæc sola efficiet vnde vt remanente trochæo
Spondæum geminæ possint firmare sonora.

Hæ, inquit, geminæ literæ solæ ex trochæo facient spondæum, subiicit ipse exempla.

Exemplis an praua sequar, vel recta probabo.
— ——∪∪ — — —
Quisque scire cupit, vel quisque scribere curat
——— ∪∪
Ante stare docet, quum dico & separo verbum.
Ante stechororum vatem natura creauit.
Vltima vocalis remanens, finiq; trochæi.
— ∪ —∪ —∪ —∪

Nempe: *Quisque, Ante, tela, Romana, &c. &c.*
Excipitur geminis quæis proximus exoritur pes
Qua quanquam capite alterius verbi teneatur
Sufficiant retro vires & tempus oportet.

Non item ante mutam & liquidam sequentes in proxima voce, sic enim Terentianus quem immeritò Grammatici carpunt, quasi docuerit etiam ante mutam & liquidam in diuersis dictionibus vocalem præcedentem tendi.

Vnde tremor terris, aut hoc percussa tridenti
Dactylus efficitur, nam longa est reddita prima
Et mediam nil vda iuuat, quia subdita currit.

Primam appellat Vnde: mediam de tertiam, tri. Vdam vocat liquidam, r.
—∪ —∪∪
Sic manet Vnde breuis, sic & percussa tridenti
Syllaba si contra, fortisq; & viuida datur
——∪∪
Vnde scire potes, percussa spumat arena.
Reddet spondæos iusta ratione locatos:

Nec inter duplicem vocalis breuis in diuersis dictionibus producetur, frustra enim sunt, qui contra decretum à Terentiano docent: sic enim ille.

Namq; etiam duplex, (quæ nobis vna relicta est
Principium verbi quoniam proferre Latinè
Non valet, & tantum vocali subdita currit)
Quum Graculis inciderit nomen quo possumus vti
Si post dactylon accedat, nil tempora duplex
Efficiet, gemini poterunt quod pandere versus
Pontibus lustratis coniunxit littora Xerxes
Sanguine turbatus miscebat littora Xanthus
Littora pes, longa constat breuibusq; duabus
Tempora nec lædis duplex, quia dactylus extet,

Pro

Pro duplici contra gemina est si consona, ladit:
Pontibus instratis coniunxit littora Sciron.

Expono Terentiani defendendi caussa. Duplex, inquit, quæ nobis est vnica, nempe, X, (nam Z, non agnoscit pro duplici, quod veteres illius loco geminarent Ss, vt pro maza, massa, pro patrizo, patrisso, &c.) quæ nullam apud Latinos vocem inchoat; sed semper sequitur vocalem, vt exeo, axis, &c. cum Græcum nomen aut peregrinum incidit, apud Latinos iam vsurpatur, si dactylus sequatur, non reddit præcedentem longam, vt littora Xerxes, littora Xanthus, est dactylus & spondæus, non creticus & spondæus. Si vero dactylo subiicias duas consonantes sc, vel st, vel sp, morantur postremam syllabam dactyli & faciunt longam ex dactylo nempe Creticum vt littora sciron. Caussam addit. X enim valet κ, σ, non σκ. Nec tendent priorem sequentes duæ consonantes, quamuis st, sp, sc, sq, nisi illas sequatur longa vocalis & versum inchoët.

Nam nisi vocalis producta sequatur vtrasque
Tertia, quas dixi, nullum poterit dare tempus;
Scire etenim quem dico, & stare spumeus amnis,
Tertia vocalis producta adiungitur illis,
Atque inde accipiunt vires prosuntque priori,
Si fuerit correpta, nihil præstare valebunt,
Quem scapulam, spacium, stimulum subiungo trochæo,
Quippe pedem primum, nisi pes comitabitur alter,
Desinit esse caput versus & prosa loquela.

Collige ergo ex dictatis non rectè à Nicolao Erythreo IC. & Lambino ad Sat. 2. Horat. lib. 1. obiici Terentiano testimonia ex Tibullo: *O quantum est auri pereat potiusq; smaragdi,*

Vel Lucano in eadem voce smaragdi, vel Catullo:

Testis erit magnis virtutibus vnda Scamandri.

Neque ex Homero in eadem voce. Verba enim Smaragdus, scamander & his paria neque pedem inchoant, neque primam tendunt, quod Terentianus desiderat.

Neque rectè obiicitur ex Ouidio ab aliis.

Occidit ille Scinis magnis male viribus vsus.

Scinis enim non inchoat pedem, neq; primam producit. Neq; ex eod. Dulichij, Samiiq; & quos tulit alta Zazinthos; Duplices enim excepit, quod non incipiant ab s, sed à muta. Deinde Zazinthus primam rapit. Multo minus, si vox à muta & liquida incipiat, vt terra breuis, &c.

Restant sola exempla, ne quid dissimulemus ex toto Virgilio vnicum in principio versus:

Ponite spes sibi quisque; sed hæc quàm angusta videtis,

Ex Horatio: *Contra alium nullam nisi olenti in fornice stantem.*

Ex Ouidio: *Linquimus insani ridentes præmia scribæ.*

Et: *Ignoscent, si quid peccauero stultus, amici.* (al. peccaro.)

Ex eodem: *Spes bona dat vires, animum quoque spes bona firmat,*
Viuere spe vidi, qui moriturus erat.
Æthnæosq; lacus & olentia stagna Palici
Ambiguus fuerit modò vir, modò fœmina Scython. (al. Sython. al. Sithon.)

Ex Propertio: *Nunc vbi Scipiada classes, vbi signa Camilli.* (Lib. 4.)

Et: *Tam bene spondebant tunc omnia quod nihil illam*

Ex Statio: *Ferrea *scuta tegunt humeros & pectora latè.* (* sata, legunt alij.)

Ex Silio: *Mille Agathina dedit perflataq; Strongylos Austris.*

Nunc singulos versus ad examen vocemus; & qui testabiles, qui intestabiles sint videamus. Primus ille & vnicus ex toto Virgilio est.

Spem, si quam accitis Ætolûm habuistis in armis
Ponite; spes sibi quisque: sed hæc quàm angusta videtis.

Quæstio est de primo pede, Ponite, quam retardat initium sequentis *spes*, & aiunt fieri Creticum, certè ex sententia Terentiani, Priscianus docet, S, in voce spes, liquescere. lib. 1. ait S, sæpe in metro subtrahi. Sed demus S, non liquescere nec Creticum esse; vnicum est in toto Virgilio exemplum, & hoc initio versus; in postremo sane dactylo nunquam in toto Virgilio eiusdem Catechresin legis. in primo pede est Virgilius aliquanto liberior, vt etiam proceleusmaticum aut anapæstum adhibeat. Sed vna hirundo non facit Ver, præsertim cum inter Grammaticos nec de illo primo pede conueniat. Ex Horatio producti, duo mendosi sunt.

Ignoscent si quid peccauero stultus amici.

Notaui illicò labem, antequam plures codices inspicerem, & legendum indicaui peccaro: sed mox ex Lambini testimonio in antiquissimo codice ita legi, deprehendi *peccaro*, inquam, non *peccauero*. Etsi sunt qui emendent *peccabo*. (Horatius emendatus.)

Alter versus: *Linquimus insani ridentes præmia scribæ.*

Priscia-

Priscianus subtrahi ait, s, ante, c, & r, sicut &, s, ait liquescere in tertio versu,

Contra alium nullam nisi olenti in fornice stantem.

Versus ex quarto Metamorphoseos etiam mendosus est & pro Scython rescribendum Sithon, de quo Parthenius. Legatur scholiastes Volaterranus. Atq; hæc potissimum ex mente Terentiani & Prisciani veterum grammaticorum. Hodie vsus prope obtinuit vti nulla ratio habeatur huius præcepti, & contra passim ab omnibus plerisq; paucis admodum reclamantibus, peccetur. Nunc exponam quid omnino de hac Grammaticorum præceptione sentiam. Auctoritas Virgilij me supra omnia Grammaticorum decreta mouet, si quid mouet, vt rarius breuem syllabam ante verba cœpta ab st, sc, sp, prima longa, & pedem inchoantia putem corripiendam. Nec enim nisi consilio abstinuisse poëtam argumento est, quod semel tantum hoc sibi licere voluerit; cum occasio millies fuerit oblata legem eam violandi. Cum præterea apud alios quoq; poëtas primæ & antiquæ classis, rarissimè legatur correpta, non perinde reor passim & pro libitu rapiendam, monendosque Musarum alumnos ne frequentent eam licentiam. Damnare tamen erroris contra audentes non ausim, cum duo tantum exempla occurrant productæ syllabæ breuis ante sc, & st, Virgilij inquam & Martialis, & multo plura nobilissimorum poëtarum, qui eam legem Grammaticorum non quidem frequenter aliquando tamen neglexerunt. Nam præter illa quæ paullo ante ex Horatio, Ouidio, Propertio, Statio, Silio posuimus, occurrunt modo hæc inter lectionem obseruata: Lucretij lib.4. *Multo antiquius est quam lecti mollia strata*

Nisi dicas esse spondaicum versum &, i, ac, a, coire in vnam syllabam,

Et 6. *Speluncaq; velut saxis pendentibus structas.*

Et eodem: *Tenuia sputa, minuta croci contincta colore.*

Rursum eodem: *Sudent humore & guttis manantibus stillent.*

Et 5. *Libera sponte sua cursus lustrare perennes.*

Nec Propertius abstinuit lib.3. el.20.

Tuq; ô Minoa venundata Scylla figura.

Et lib.4. El.4. *Tu cape spinosi roscida terga iugi.*

Nisi rescribas *pinosi* pro spinosi.

Ouid. *Sæpe creat molles aspera spina rosas.* — De Ponto lib.2. el.2.

Auctor Philom. *Strix nocturna sonans & vespertilio stridunt.* — Ouid. 1. de A.

Altera Scylla maru monstrum medicamine Circes — Rursum Propertius lib.3.

Bracchia spectanti sacris admota colubris

Horat. *Proceres odisse lupos: quia scilicet illis.* — Ser. lib.2.

Iam mala stultitia & quæcunque inscitia veri. — Et epod.

Et: *Hac vrbe Stertinius*——

Nec dubito quin, si attendas, plura sis exempla deprehensurus. Ego proinde vti nemini diem dico propter syllabam seu contractam seu porrectam, ita fere ab vtraq; præsertim tironibus & candidatis Musarum abstinendum censeo. Dicerem, bona venia Grammaticorum, esse communem præsertim cum Lucretius (quanquam est liberior) producat & contrahat non solum ante ps, st, & sc, sed etiam ante mutam & liquidam lib.7.

Expireq; foras in aperta promptaq; cæli,

Tibullus tamen ante sp, breuem porrexit nisi ad triemimerim referas,

Pro segete spicas, pro grege ferre dapem. — Lib.1.

Et Iuuenalis: *Occulta spolia, & plures de pace triumphos.* — Sat.8.

Et Silius. *Immane stridens agitur, crebroq; coacta.* — lib.9.

Sed hæc tria exempla cæsura excusantur, nec ad præceptum Terentiani pertinent cum pedem nouum non inchoent, & *spolia* primam corripiat. Illud Virgilianum *ponite spes* veteres Grammatici pro Cretico habuerunt, quem pedem multi postea secuti apertè creticum fecere vt apud Dicuilem in AVLA SANCTA laudatum ex versibus Theodosij Iunioris æuo scriptis apparet, quos Dicuil excusat ab imitatione priorum poëtarum. sunt autem versus isti. — p.44.&c.

Hoc opus egregium—— — Creticus.

Confici ter quinis aperit cum fascibus annos — Creticus.

Supplices hoc famuli. &c.

Non debet, inquit Decuil, *mirari quod in primo loco septimi & octaui versus istorum amphimacrus scriptus est, quoniam vt reor, non imperitia, sed auctoritate aliorum poetarum, & maximè Virgilij (quem in talibus causis noster simulauit Sedulius) qui in heroicis carminibus non raro pedes alienos posuerunt.* Enimuero hæc imitatio non est laudanda, nimis enim hic apertè peccatum. Dum hæc edo, cùm venit in manus Zinzerlingi prima DIATRIBA, quâ totâ hanc quæstionem versat, & in nostram sententiam in secundis curis positam concedit, vel ego potius in illius, immo ambo idem sentimus.

CATILINA] notus cum ex aliis, tum ex Sallustij historia. MILES CORRVMPITVR AVRO] viginti quinque millia Philippæorum Lenæ percussori Ciceronis donauit Antonius. Quod signatè expressit Appianus lib.4. his verbis. *Lena sedenti in foro Antonio caput, manumq; Ciceronis à longè protu-*

protulit, ostenditq́. Qua ex re exhilaratus, ducem coronauit, adornauitq́, donis, ducentis scilicet, & quinquaginta millibus drachmis Atticis. Drachma Attica denario Romano æstimabatur, cùm d. narius 4. LLS. id est, duobus baziis valeret. ET TANTIS OPIBVS VOX VACET VNA TIBI] Tanto pretio emisti silentium recisâ Ciceronis linguâ. QVID PROSVNT SACRÆ PRETIOSA SILENTIA LINGVÆ?] Frustra tamen laborasti in emendo hoc tam pretioso silentio. pretiosum vocat, quia magno pretio redemerat silentium, quod tamen haud prodest, nam vt sequitur, INCIPIENT OMNES PRO CICERONE LOQVI] Quod tacet iam nunc Cicero, loquitur totus populus. Ita lib. 2. scripsit in Ponticum,

Probarim, incipiunt.

Idem Tereo euenit abscissa Philomela lingua.

> *Abscissa seruum quid fingis Pontice linguâ?*
> *Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?*

Tacendum non est Antonij Casanouæ epigramma in Antonium ad imitationem epigram. Martial. lib. 3. epigr. 65. & huius, scriptum de M. Tullio C.

> *Proscribi nisi ab hoc Cicero, & nisi percuti ab illo*
> *Posset: par facinus hic iubet, ille facit.*
> *Carnificem inuenit tam sæuum Antonius: ipse*
> *Vix vllâ posset sæuior esse manu.*
> *Illum non vellet sese seruasse patronus,*
> *Illum non vellet se genuisse pater.*

Vide epigramma Sabæi lib. 2. pag. 352.

> *Maxime Pompei, teq́, alloquor, optime Tulli, &c.*

Legenda præ aliis etiam Senecæ declamatoris controuersia 2. lib. 7. cui titulus Popilius Ciceronis interfector. lib. 3. decl. 2. de Popilio qui interfecit. Tres item Suasoriæ postremæ.

In Syriscum ad Maximum.

LXXI. LXVII.

> *Infusum sibi nuper à patrono*
> *Plenum, Maxime, centies Syriscus*
> *In* sellariolis vagus popinis*
> *Circa balnea, quatuor peregit.*
> *O quanta est gula, centies comesse?*
> *Quanto maior adhuc nec accubare?*

* *cellariolis Schottus.*

Syriscum libertum ganeonem, & conturbatorem illustrem, inter paucos dies decoxisse ait centies centena millia LLS. id est, ducenta quinquaginta millia Philippæorum. macte Syrisce Apicij gurgitis germane nepos. Syriscus autem est nomen fictum, & seruile. Syri enim plerique serui à poëtis introducuntur. INFVSVM] non compilatum expono, sed à patrono datum; Cùm ipse poëta addat à patrono infusum centies centena millia LLS. Verùm sicut patronus infudit, ita Syriscus mox effudit. PLENVM] Iustè centies, vti nihil deesset. sic lib. 1. epig. 100. est locutus ad Galenum:

> *Non plenum modò vicies habebas.*

Et lib. 4. ep. 37. tricies solidum, quod idem est, ac plenum. IN SELLARIOLIS VAGVS POPINIS] In lustris, & ganeis impudicis. Tranquillus in Tib. *fecisse etiam Capreensi sellariam* (Sellaria legit Torrentius. ego sellariam reperio, quod fortè non abs re, cùm sequatur, sedem, quæ vox exponit priorem singulari) *excogitauit, &c.* Tacitus lib. 5. *Tunc primum ignota ante, vocabula, reperta sunt sellariorum. & spintriarum. Sellaria autem,* inquit Torrentius, *sellæ erant ipsæ ad libidinem excogitatæ.* Sic apud Plinium lib. 34. cap. 8. *sellaria domus aureæ Neronis.* A sedendo igitur sella, & inde sellaria, & sellariolus, & sellularius, qui sedendo opus facit. Sellariolæ popinæ, sunt tabernæ, in quibus nequissimi, non accumbendo, vt honesti tum faciebant, sed sedendo ventrem, geniumq; placabant; popinas autem præter popinones, & lurcones vix quisquam ingrediebatur. CIRCA BALNEA QVATVOR] thermas Neronianas, Grilli, Titi, Agrippæ, cum Domitio sentio; illæ enim celeberrimæ, nisi fortè quatuor balnea quædam insinuauit infamia, quæ verecundi declinabant, quod ad Syrisci mores apprimè facit. PEREGIT] consumpsit, decoxit. O QVANTA EST GVLA CENTIES COMESSE: QVANTO MAIOR ADHVC NEC ACCVBARE] Ab admiratione prodigiosæ heluationis acerbè in Syriscum concludit. Ingens, inquit, est voracitas tam breui centies LLS. continuando, ligurriendoq; exhausisse, sed longè maior est sedendo tantum absumpsisse; hoc est, quasi ientaculis, & prandiolis, merendis, postcœniis, repotiis, in quibus non accubatur, non iusta cœna, aut conuiuio: Quantum consumpsisset, si accubuisset, id est, si conuiuium iustum apparasset; quando tantum per iocum, & ludum cum nequissimis, & vilissimis nepotibus & helucis in popinis egessit? Domitius, accubare, de futuro exponit, poëta de præterito loquitur.

Ad

Ad Faustinum.

LXVIII. LXXII.

Humida quâ gelidas submittit Trebula valles,
Et viridis, cancri mensibus, alget ager,
Rura Cleonæo nunquam temerata leone,
Et domus Æolio semper amica Noto
Te, Faustine, vocant, longas his exige messes
Collibus, hibernum iam tibi Tibur erit.

Inuitat Faustinum æstu feruente in Trebulanum agrum ipso Tibure frigidiorem. Describit situm Trebulæ oppidi in Sabinis, vel vici potius, vt libro 5. Strabo testatum reliquit. SVBMITTIT VALLES] Dionys. Hal. lib. 1. *Ab eadem vrbe* (Reate nempe) *sex ferme stadiis distat Trebula sita in modico tu mulo.* Mutuscas fuisse putant, de quibus Virgil. —*oliuiferaq; Mutusca.* Totam regionem Sabinorum oliuarum, & vitium feracem Strabo tradit. Nihil hic de Trebia, qui amnis est Placentinus, Romana clade nobilis cogita. procul enim Trebula à Trebia. Plinius lib. 3. Trebulinos Balinienses cognomine dictos ait. ET VIRIDIS CANCRI MENSIBVS ALGET AGER.] Trebulanus ager humidus est etiam in summis cœli ardoribus, qui sentiuntur mense Iulio, quo cancer signum cœleste solem accendit; & Augusto, quo leonis feruent pectora. RVRA CLEONÆO NVNQVAM TEMERATA LEONE.] Rura Trebulana nunquam vsta sunt calore solis Augusto mense, quo leo ardet, semper frigida sunt, etiam summa æstate. ET DOMVS ÆOLIO SEMPER AMICA NOTO] prædium, villa semper Noto peruia. hoc est, Austro obiecta, Notus enim, Aristotele teste, à meridie spirat, ventus humidus, vt ipsa Græcæ vocis originatio ostendit, vnde recte supra poeta humidam Trebulam vocauit. Et à poetis nubifer appellatur, ab Ouid. madidus Met. 1. *madidis Notus euolat alis.* Æolus Rex ventorum. Virg. 1. Æn. Æolia inter Italiam, & Siciliam, *fœta furentibus Austris*, vt Virg. ibidem loquitur. TE FAVSTINE VOCAT.] Hic sententia finitur. Trebula humida, & algida te iuuitat, & ab vrbe seuocat. LONGAS MESSES] dies æstiuos longos, longam æstatem hic transige his collibus legentium; quid enim, *his collibus*? HIBERNVM IAM TIBI TIBVR ERIT] Trebulanum rus adeo friget, vt ipsum Tibur, quamuis etiam per æstatem, frigidissimum, summa hyeme caleat præ nostro Trebulano frigore.

Solis insti-tu.

De Origine Bacchi.

LXIX. LXXIII.

Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem;
Ille potest Semelem dicere, Rufe, patrem.

Iocus ex nomine Bacchi sumptus. Græcis enim διμήτωρ, Diod. lib. 5. Latinis Bimater dictus. Ouid. 4. Met.

Igni genamq; satumq; iterumq; solumq; bimatrem.

Orpheus: Κλῦθι μάκαρ Διὸς ὗ Πυλαίοις βακχε διμάτωρ.

Quasi duas habuerit matres. Iouem, ex cuius femore natum aiunt, & Semelem Cadmi filiam, ex qua denuo flammata, velut igne prodiit. Cui, inquit poeta, licuit Iouem vocare matrem Bacchi, licet etiam Semelen vocare patrem. Nam, vt Iupiter vir, & tamen mater, ita Semele, quamuis fœmina, potest dici pater. Aut si hoc ἄτοπον est, erit & illud. Plinius: Ctesilochus Apellis discipulus petulanti pictura innotuit, Ioue Liberum parturiente depicto mitrato, & muliebriter ingemiscente inter obstetrices & Dearum clamorem. Enimuero Muretus non eandem ait rationem, nec ita Semelem dici posse patrem, qua ratione Iuppiter dictus sit mater. *Nam patris*, inquit, *proprium est generare in alio, vt ex Aristotele didicimus: quod Semele neq; fecerat, neque facere potuerat, Matris autem, conclusum fœtum visceribus suis fouere, & suo tempore: quæ omnia, vt quidem se habet fabula præstiterat Iuppiter. Itaque eleganter ingeniosissimus poeta Ouidius, inter cætera epitheta, quibus Bacchum ornat, eum etiam Bimatrem vocat: quod duas matres habuerit, Semelen & Iouem: vnde & Græci eum διμήτορα nominant. Extat & versiculus, veteris cuiusdam poetæ Græci, qui ob id & masculum Iouis vterum, & ipsum Iouem Bacchi tum patrem, tum matrem fuisse ait,* Ἄρσενα γαστέρα λόχευσε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ. *Neque alia ratione Heraclides Ponticus eun-*

 dem

dem Iouem, Palladis & patrem & matrem vocat. Sed sæpe Martialis, dum salsè & aculeatè diceret, quam id iustè ac meritò faceret, non curauit. Meo tamen animo (vti hæc ita sint, vt elegantissimus Muretus docet) poetarum, præsertim Epigrammatariorum ioci, & sales, non sunt ad rationem vel Platonicam, vel Aristotelicam reuocandi, non sane, quod disciplinas illas seueriores veriorésque ignorarent, sed quia proprium est iocantium poetarum, παράδοξον aliquid, aut τὴν παραδοξίαν dicere & inferre.

Ad Theodorum.

LXXIV. LXX.

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, & exigenti,
Miraris, Theodore? magna causa est:
Dones tu mihi ne tuos libellos.

Plane geminum est huic lib. 7. epig. 2. ad Pontilianum.

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

Crux enim est doctis indoctos vel legere, vel audire libros; ita Catullus ad Licinium Caluum testatur cum sibi malos queritur missos esse poetas, alibique de oratione plena venenis. Theodorus Grammaticus fuit quem Iuuenalis & Priscianus memorant, quem non puto hic à poeta tangi, sed poetam de quo lib. 11. ep. 94. Pierios vates, &c.

Epigr. 14.

De Pompeio, & Pompei filiis.

LXXV. LXXI.

Pompeios iuuenes Asia, atq; Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes: si tamen vlla tegit.
Quid mirum, toto si spargitur orbe? iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

Nobile elogium Pompei, & filiorum. Pompeius de tribus orbis partibus triumpharat, vt est apud Cicer. in oratione Maniliana, & centum prope historicos. Non potuit ergo, nisi in sua, vel omnino nulla terra sepeliri. Ita viuus & mortuus orbem terrarum occupauit. POMPEIOS IVVENES] Cn. Pompeium natu maiorem, & Sextum Pomp. quos Cæsar ipse ægre ad Mundam superauit. Plutarchus in Cæs. Hirtius de bello Africano. Epitome Liuii. Suetonius in Iulio. Strabo lib. 3. ASIA] Sextus Mileti ab Antonianis militib. interceptus periit. Est Miletum ciuitas Asiæ, vt his verbis tradit Strabo. ὁ δ' ἀδελφὸς αὐτοῦ Σέξτος ἐκ Κορδύβης ἐκφυγὼν, καὶ μικρὸν ἐν τοῖς Ἴβηρσι πολεμήσας χρόνον, ὕστερον Σικελίαν ἀπέστησεν, εἶτ' ἐκπεσὼν ἐνθένδε εἰς τὴν Ἀσίαν, ἁλοὺς ὑπὸ τῶν Ἀντωνίου στρατηγῶν ἐν Μιλήτῳ κατέστρεψε τὸν βίον. EVROPA.] Munda, vbi Cneus Cnei filius victus est, ciuitas Hispaniæ. Hispania autem in Europa. De interitu Cnei Pompei filii scribit Strabo libro 3. Plutarchus, & quos paulo ante testes laudaui. SED IPSVM TERRA TEGIT LIBYES: SI TAMEN VLLA TEGIT.] Ipsum Pompeium Magnum ad Pelusium, quod in Libya (& Libya Africa est) ad Nili ostium, quâ oppidum occurrit, occisum, & sepultum, de qua re dictum plus satis lib. 3. epig. 65. vbi varios, & amplissimos de morte Pompei testes produximus. Hic ex Spartiano in Adriano addo, Pompei tumulum ab Adriano, cum Pelusium venisset ex Arabia, magnificentius extructum. Extat & ipsius Adriani, in sepulchrum Pompei, carmen.

Vt de Crasso, Pompeio, Cæsare Petronius Satyr. Cn. Pompe. Sextus Pompei. Pompei Magni filij. Appian. li. 2. Ciuil. adde.

Τῷ ναοῖς βρίθοντι πόσον σπάνις ἔπλετο τύμβου?
Ossa viri magni tenui quam clausa sepulchro?

Merula τῷ βρίθοντι varie exponit, vel abundanti templis, vel cui extructa sunt templa, vel cuius spoliis ornata templa. lege Brodæum lib. 1. Anthol. Opsopæum ad eandem. Simile de Alexandri, & magnorum ducum sepulchro in Append. Scal.

Quisquis adhuc nondum Fortunæ mobile regnum,
Nec fortem varias credis habere vices,
Aspice Alexandri positum memorabile corpus,
Abscondit tantum putris arena virum.

Inuxit

Iunxit magnorum casus Fortuna virorum,
Hic paruo: nullo conditus ille loco est.
Ite, nouas toto terras conquirite mundo,
Nempe manet magnos paruula terra duces.

Strabo Pompeium in monte Casio tumulum ait sortitum lib. 16. *Casius*, inquit, *mons est aggeribus arenarum similis, inque mare procurrens. ipse aquarum inops. In eo Magni Pompei corpus iacet, & Iouis Casij est templum, nec procul inde Magnus iugulatus est.* Idem tradidit Dio Casius, & Dio Nicæus. SI TAMEN VLLA TEGIT] Quia tantum virum nulla tellus capere potest. Alludit simul ad historiam; diu enim inhumatus iacuit. vt Virgil. iacet ingens littore truncus. Non est inelegans Marij Molsæ epig.

Vide Petron. Arbitrum. Hinc oraculum Pompeio non intellectum, vt vitaret Casium.

Dux Pharia quamuis iaceas inhumatus arena,
Non ideo fati est sæuior ira tui.
Indignum fuerat tellus tibi victa sepulchrum,
Non decuit, cœlo te nisi, Magne, tegi.

Sed nobilissima de eodem Pompeio, & filiis extant in Appendice Scal. epigrammata, quæ huc scriberem, nisi liber in omnium manibus esset.

Ad Quinctum.

LXXII. LXXVI.

Quæ legis caussâ nupsit tibi Lelia, Quincte,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Herald. vide & Ant. August. de Leg. Legis Iulia capita Brissonem recenset.

Iocus est à notatione verbi legis, & legitima, in quibus simul est dubia oratio propter legem Iuliam à Domitiano reuocatam, qua adulteri puniebantur, Iuuenalis Sat. 1.

——qui tunc leges reuocarat amaras
Omnibus, atque ipsis Veneri, Martique timendas.

Et ... *——ubi nunc lex Iulia? dormis, &c.*

Lelia erat adultera, & ne puniretur, nupsit mœcho, vt posset dici legitima, quæ lege cogente hic dicitur legitima, alias, quæ communi iure nubit. Leliam ergo velut adulteram notat, vel vocat legitimam, vt lib. 6. e. 7.

Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est;
Offendar mœcha simplitiore minus.

Brissonium adi libro singulari, ad legem Iuliam de adulteriis. Vbi plene de his nuptiis contra leges legitimis. Legitimam vocem vltimam verius melius sine nota interrog. leges.

Ad Cinnam.

LXXIII. LXXVII.

Profecit poto † Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi;
Tu quoque cauisti cœnando tam male semper,
Ne posses vnquam, Cinna, perire fame.

† Mithridates nummum.

Iocus in Cinnam pauperem à comparatione Mithridatis, veneno adsueti, & Cinnæ fami. PROFECIT M. SÆPE POTO VENENO] Plinius lib. 25 cap. 2. *Vnici (Mithridati) excogitatum quotidie venenum bibere, præsumptis remediis, vt consuetudine ipsa innoxium fieret. Primo inuenta genera antidoti, ex quibus vnum etiam nomen eius retinet. Illius inuentum autumãt sanguinem anatum Ponticarum miscere antidotis, quoniam veneno viuerent.* Hæc Plinius. Idem fere Gellius lib. 17. c. 16. à Lenæo Grammatico Pompei liberto litteris prodidit, qui addit superioribus, nec volentem Mithridatem veneno mori potuisse. *quamobrem*, inquit, *postea cum prælio P. R. victus in vltima regni refugisset, & mori decreuisset. & venena violentissima festinanda necis gratia frustra expertus esset, suo se ipse gladio transegit. Huius regis antidotus præstantissima, quæ Mithridatios vocatur.* An igitur fallitur Eutropius. qui veneno extinctum lib. 6. *Mithridates*, inquit, *cum vxore fugit, & duobus comitibus. Neque multo post, cum in suos sæuiret, pharmacus filij sui instinctu, militum seditione coactus venenum hausit. Hunc finem habuit Mithridates.* Contra venit etiam Plutarchus in Pompeio, qui cum Gellio sentit. Psyllos venenum sugere scribit Suetonius in Augusto. Et

sto. Et Xiphilinus in eodem. aliàs quoque Indorum gentes pasci veneno me legere memini. CŒNANDO MALE] Pulchrè iocatur in Furium, & Furij coniugem Catullus, quos ait vel silices comesse posse. Demiror à Parthio *Sibi* referri ad toxica, existimari, quasi toxica sibi ipsa nocere possint & carminis sensus omnino respuat hanc coniunctionē. Nec à Grammaticis reprehendi potest Martialis, quòd dixerit Mithridatem poto sæpè veneno effecisse, vt sibi non possent nocere venena, nam ita Cicero non semel locutus est. Quid fida canum custodia aliud significat, quàm se natos esse ad hominum custodiam. Et hunc sibi scrupulum ex animo, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, vt euellatis postulat. Quàm ineptè referretur SE ad scrupulum, & non potius ad hominem scrupulo vexatum. Mithridatis os habes in Fuluij Vrsini Iconibus, posticam Nummi partem hic specta.

Nummus  Mithridatis.

Ad Marullum.

LXXVIII. LXXIV.

Narratur bellè quidam dixisse, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in † auriculam.

† auricula.

Triplicem inuenio versus huiusce enarrationem. prima est Domitij, qui dicit eum oleum in aure ferre, qui nolit alios audire, sed ipse semper loqui. Altera est adagiographorum, qui hominem rigida, & supina aure dicunt notari à poeta, id est, eum, qui auersetur audire, tracta metaphora à gestu eorum, quibus aliquid infusum est in aurem, qui vti ne effluat, aurem supinant, quem gestum imitantur ij, qui vel fastidiunt, vel auersantur audire, quod molestum est. Græcum non abludit, ἀν᾽ οὖς ἔχων. ἀντὶ τοῦ ἄνω τὸ οὖς ἔχων, id est, aurum sublimem habens. Postrema eorundem qui non negant hoc verbi in assentatores conuenire. Sed legendum docent, QVI TE FERRE OLEVM DIXIT IN AVRICVLAM] non auricula. Colaces enim, dum potentioribus placita narrant, quasi oleum auribus inferunt, & instillant. oleum enim lenit illum sensum, & alicubi læsum curat. qua ratione Marullum adulatorem vocat, priore sensu, & primo auersantem, & fastidientem aliorum dicta. placet de adulatione accipere, mediam tamen sententiam non reiicio. Posis addere quartam; si legas auricula: vt poeta habitum capitis in Marullo irrideat ac notet, vt qui perinde incedat & caput in dextrum aut sinistrum humerum incliner, ac si oleum in illa ferret, ac solicitus esset, ne effūderet, quos incurui ceruicum pecus nominant. Sunt qui addant quintam mea sententia plane alienam, de palæstrita Marullo, quod ictibus cestuum contusas aures & fungosas habeat, sicut lucerna tempore pluuio fungos contrahit.

Ad * Turanium.

* Toranium

LXXIX. LXXV.

Si tristi domicœnio laboras,
Turani, potes esurire mecum.
Non deerunt tibi, † si soles προπίνειν,
Viles Cappadocæ, grauesq; porri,
Diuisis cybium latebit ouis.
*Ponetur digitis tenendus * vstis*
Nigra coliculus virens patella
Algentem modo qui reliquit hortum;
Et pultem niueam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.

† sessiles propinqua. Merula. al. si soles propinqui male. al. sessiles caprina lactuca Romana.
* vnctis.

Mensa

Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur vuæ,
Et nomen pira quæ ferunt Syrorum,
Et quas docta Neapolis creauit,
Lento castaneæ vapore tostæ,
Vinum tu facies bonum bibendo.
Post hæc omnia, forte si mouebit
Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles oliuæ,
Piceni modo quas tulere rami,
Et feruens cicer, & tepens lupinus,
Parua est cœnula, quis potest negare?
Sed finges nihil, audiesue fictum.
Et vultu placido tuo recumbes,
Nec crassum Dominus leget volumen,
*Sed quod non graue sit, nec * infacetum.*
Paruii tibia † condyli sonabit.
*Hæc est cœnula, * Claudiam sequeris,*
† *Quam nobis cupis esse * tu priorem.*

* infacetum.
† Condyliis κυφσεν.
* Claudeum.
† Credo iam.
* Quem turpiorem male.
Fratrem vocat lib. 9.
† Si soles προπίνειν.

Turanii nomen verum est, ad quem epistola Martialis lib. 9. *Aue mi Turani, &c.* singularis fuit poetæ amicus, quem & fratrem appellat. De Turanio altero Mangone Sueton. & Plinius. TRISTI DOMICŒNIO] non quod Turanius pauper, sed quod domi sine familiarium affatu, & vsu, tristius, quam inter sodales cœnaturus esset. Est sermo iucundus amicorum suauissimum cibi condimentum. DOMICŒNIVM] noua vox, & lepide ficta à Domi, & cœno, domicœnium, vt veteres testudinem dixere domiportam, à domi & porto, Græce οἰκοφορία. ESVRIRE MECVM] frugali mensa, parabili, exercituque contentus. NON DEERVNT TIBI † SESSILES PROPINQVÆ] Domitius legit, *Non decrunt tibi, si soles προπίνειν.* Merula, sessiles propinquæ, id est, lactucæ. *Non de cibo,* inquit, *propinare dicunt, sed de potu. Præterea, quis vidit vnquam herbas propinari, & in principio cœnæ?* Ego scribendum iudico, si soles προπίνειν; verbum enim propino apud Latinos non de potione tantum, sed cibo etiam vsurpatum reperio. Iulius Capitolinus in M. Antonio. *Vt parte cultri veneno lita vuluam inciderit, reliquam partem fratri edendam propinans.* En, quid clarius, de cibo etiam propinare dici? Ab hoc vsu translate dixit Terentius in Eunucho. *Hunc ego vobis comedendum, & deridendum propino,* & translate aliquem ridendum aliis propinare. Casaubonus lib. 4. in Athenæum cap. 1. notauit. Προπίνειν, inquit, *proprie est prabibere, & alteri calicem porrigere, sed poni solet ἁπλῶς pro tradere, præbere, & vt scribit Pindari Scholiastes ad 7. Oden. Olymp. ἀντὶ τοῦ χαρίζεσθαι. Ioannes Chrysostomus περὶ ἱερωσύνης oratione, τοῖς ἀξίοις ἐκκλησίας σωτηρίαν ἐπιπροπίνειν. Hinc apud summum oratorem, προπίνειν τὴν ἐλπίδα, & προπίνειν τὴν ἐλευθερίαν tradere per proditionem. Libro superiore dicebat Cynulcus se Vlpiano προπίνειν φιλοτησίαν cum illi veterum testimonia suggereret, quorum erat cupidissimus. Similiter ait hoc loco ἀντιπροπίνειν τὰ ὅμοια Lynceum Hippolocho, cum eiusdem argumenti litteras ad eum daret.* Hæc Casaubonus. Ita Sidonius dixit barbaris *prouincias propinare:* & Prosper pœnitentiæ suæ propinatus est. Ita hodie multi alterum alteri *ridendum propinare.* Enimuero quidquid contendant auctores, etiam metaphora non à cibo, sed potione profluxit. Terentius enim per iocum simul vtrumq; translate coniunxit, cum dixit *comedendum, & bibendum propino.* Proferatur ex prima Latinorum classe, qui dixerit, scripseritue. Ego tibi panem, carnem, lactucas propino. Aliud est propinare amorem, qua non comedi, sed bibi dicitur. Virgilius.

——longumq; bibebat amorem.

Hoc placet, quod Bisciola notauit. Voluit Martialis dicere.

Non deerunt tibi, si voles προπίνειν
Viles Cappadocæ, grauesque porri.

Non defutura illi genera ciborum, quæ si vellet bibere, Toranius, desiderium possent excitare bibendi. Proponit lactucas & porros, quod post eos iucundum sit bibere Cappadocæ enim genus lactucæ est Plinio, Colum. aliis. Hodieque cum ad bibendum inuitamus, id facimus oliuis, lactucis, aut similibus. Tu si vacat cætera cognosse.

Si legas *Seßiles propinqua* Sessites propinquæ sunt lactucæ vulgares in vrbanis hortis vbique obuiæ, alii [Greek] laudant. Plinius hoc genus lactucæ vocat laconicum, & capitatum, nos lib. 3. epigramma 47. ad illum versum, *Et vtrumque porrum, seßilesq́, lactucas*, paulo plenius. de sessili lactuca in Priapæis, & noster alibi lactucam sedentem appellat. Dioscorides triplex item genus recenset, satiuum, silu. stre, & floridum. lib. 2. cap. 129. & 130. & Stuckius lib. 2. Conuiual. cap. 1 sessiles caprinas vti legunt alii, lactucæ, quas capræ appetunt, capris ergo relinquamus. VILIS CAPPADOCÆ copia lacti. lactucæ. Cappadocæ recte legi puto, quanquam alii Cappadoces. Sic enim & Columella loquitur.

Cappadocamq́, premit ferali mense lupercus.

Est & apud Plinium libro 19. cap. 7. mentio Cappadocarum. *Diligentiores*, inquit, *plura genera faciunt* (lactucarum) *purpureas, crispas, Cappadocas, Græcas.* Idem eodem capite. *Et recentum maxime cæpit irrepere satiuum admodum probata quæ Cæcilia vocatur plio Cappadoca, nisi crispum, latiusq́, esset.* Iunius easdem facit Græcas, crispas, Cappadocas. Plinius vero distinguit. GRAVESQVE PORRI] odore ne graues, an decoctione stomachi? stomacho enim aduersari dicit lib. 2. cap. 143. Dioscorides. Et Plinius, quod mirêris, tradit libro 19. cap. 6. Melam equestris ordinis reum, ex procuratione à Tiberio principe accersitum in summa desperatione succo porri ad trium denariorum argenteorum pondus hausto, confestim expirasse sine cruciatu. Vnde intelligis, quam grauem habeat succum. DIVISIS CYBIVM LATEBIT OVIS.] Cybium est piscis genus, & cibi, de pisce loquitur poeta lib. 11. epig. 32.

Et caudam cybij breuesq́, mænas.

De genere cibi ex cybio hoc loco, & Plinius lib. 9. cap. 15. *Pelamides in apolectos particulatimque consecta in genera cybiorum dispartiuntur.* Et lib. 32. cap. 11. *Ab iis Mæoticis cybium ita vocatur concisum pelamis, quæ post quadraginta dies in Ponto in Mæotim reuertitur.* lege Oppianum de pelamidibus. nos diximus lib. 13. Athenæus lib 3 cap. 19. *Quid dicimus? nam cybium triobolo, qui vendidisse mentur, nihil facit. Iesfus pelamidas magna aut esse cybia. Posidippus in translato. & Euthydemus*, delcanum, ait in libro de salsamentis, hunc piscem dictum esse a Delcone fluuio, in quo capitur, qui inter salsamenta positus plurimum confert stomacho. plura ibid. Est ergo cybium genus cibi ex ouis fractis, in quæ pelamides, vel lacerti, vel caseus cum posca inferebantur hoc fere modo, vt ex Platina lib. 9. de tuenda valetudine dis. o. *Oua recentia cocta, & durata ablatis putaminibus modice secantur, ita vt albamentum non commoueatur. Exemptis vitellis induntur parati, & confecti minutim pisciculi, seu lacerti, seu caseus cum posca cum aliis condimentis, rursumq, oua albumine clauduntur, & friguntur.* quanquam Platina non faciat mentionem piscium, aut lacertorum facit tamen Martial. lib 1. epig. 48.

Secta coronabunt rutatos oua lacertos.

Ambigue loquitur lib. 11. e. 28. *vel duo frusta rogas cybij*; an ibi cybium piscem in duas diuisum partes, an ouum sectum intelligam? malim piscem. PONETVR DIGITIS TENENDVS * VSTIS, NIGRA COLICVLVS VIRENS PATELLA.] Coliculus, seu cauliculus à caulibus dictus brassicæ est interior pars resecta à caule, ita vt thyrsus ipse sit brassica, caulis coliculus. lege, quæ lib. 13. c. 17. diximus ad versum illum,

* vnctis Lipsius.

Ne tibi pallentes moueant fastidia caules,
Nitratá viridis braßica fiat aquâ.

Sæpe brassica, & cauliculi pro eodem sumuntur. Cæterum Lipsius putat legendum vnctis, propter infusum caulibus oleum, alii retinent vstis, quod sequatur: Algentem hortum à contrariis. Gruterus in Notis. Vtraque lectio non incommoda. ET PVLTEM NIVEAM PREMENS BOTELLVS.] De pultibus scribit culinæ dictator Apicius libro 5. cap. 1. vbi plura genera enumerat. Pultem Iulianam, ex alica; pultem ænogari, pulticulam trastogalam, & alias. NIVEAM] nempe ex alica sectam. alicæ autem farina candidissima. BOTELLVS.] Et hunc libro 2. cap. 5. describit Apicius. *Botellum sic facies ex oui vitellis coctis, nucleis pineis concisis, quibus cepam & porrum confusum ... ithusq, crudum admisceb. cum pipere modico, atq, ita intestinum farcies, adiectoq, liquamine, & vino decoquas.* Vnde intelligis botellum genus farciminis fuisse. sine carnibus tamen. Botulum tamen Tertullianus Apologia contra gentes, vocat sanguine distentum, vti hodie nos eisdem vescimur. quibus veteres Christiani ita abstinebant, vt sanguinem prius suum profunderent, quam pecudis etiam suffocatum degustarent. Apud Athenæum quoque botellum sanguine factum, nobis est Blutwurst. PREMENS.] Vna inferebatur botellus pulti impositus. plura lib. 13. ET PALLENS FABA CVM RVBENTE LARDO] fabrum, & fabaciorum apparatum lege apud Apicium lib. 5. c. 6. & Platin. lib. 7. hic non intelligo fabam fractam. sed fresam. rubens crediderim vetus dici, & fumo duratum laridum. MENSÆ MVNERA SI VOLES SECVNDÆ.] Caput cœnæ audiuisti, accipe bellaria. mensæ secundæ apud nos cum caseo apponuntur, à quo etiam nomen habent. Trag den Käß auff.

MARCEN-

MARCENTES VVÆ] maturæ, eoque optimæ, vt vina marcida, quæ laudat Papinius silua prima in Calendis Decembribus, de donis Domitiani.

Illi marcida vina largiuntur.

ET NOMEN PYRA QVÆ FERVNT SYRORVM.] Et pyra Syra, id est, ex Syria allata. Plinius libro 15. capite 15. *Proxima iis Falerna, à potu, quoniam tanta vis succi abundat. Lactea hac vocantur, in iisque alia colore nigro donantur Syria.* ET QVAS DOCTA NEAPOLIS CREAVIT, LENTO CASTANEÆ VAPORE TOSTÆ.] Castaneæ nuces Neapolitanæ laudantur poetæ. Diphilus castaneas, Sardicas glandes appellauit; torrentur, elixanturque. res peruulgata. DOCTA NEAPOLIS.] Neapolis ciuitas est Cumanorum; habitarunt illam olim Græci Chalcidenses, Bithecusi, Athenienses, fuere ibidem Gymnasia litteraria epheborum, cœtus curiæ; quinquatria ibidem celebrabantur. hinc docta Martiali, cui fauet Strabo libro 5. Eadem Parthenope dicta à Parthenopes monumento, quæ fuit vna Sirenarum. VINVM TV FACIES BONVM BIBENDO] Si egregie potaris, putabo tibi sapere, quod mihi parum sapit. POST HÆC OMNIA, FORTE SI MOVEBIT BACCHVS, QVAM SOLET, ESVRITIONEM.] Bibebant veteres certa, & praua vini genera, quæ τρώγειας, siue ἐκτρώσεις, quasi euersores appellabant, vt vomitu purgarent stomachum, quo maior esset edundi, bibendiq; appetentia, quam orexin Iuuenalis Sat. 7. vocat, vbi hunc edendi morem Romanis his versibus obiicit.

——tandem illa venit rubicundula totum
Oenophorum sitiens, plenâ quod tenditur vrnâ.

Admotum pedibus, (simile vinum interpretatur) *de quo sextarius alter. Ducitur ante cibum rabidam facturus orexin*, &c. Seneca. *Vomunt vt edant, edunt vt vomant.* Et: *Non minus potant* (mulieres) *& oleo, & mero viros prouocant. Æque inuitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remittunt.* Et Martialis noster.

Non cœnat prius, aut recumbit.
Quam septem vomuit deunces.

Factitabant hoc & ante, & post cœnam, vt ex hoc, quem modo exposuimus, versu liquere vides. *Post hæc omnia, forte si mouebit Bacchus*, &c. lege Mercurialem. Var. lib. 1. cap. 7. Stuckium lib. 5 cap. 11. NOBILES OLIVÆ.] De oliuis Picenis memineris dictum lib. 1. ep. 44. & lib. 13. ad illum versum.

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis.
Incohat atque eadem finit oliua dapes.

Athenæus lib. 2. c. 14. ET FERVENS CICER.] De natura, & generibus cicerum Athenæus li. 2. c. Plinius, Dioscorides, & alii de lupinis, quod genus fabæ est, vt cicer genus pisi; *feruens*, ab igne coctum. exponit Domitius. forte poeta respexit non ad ignem foci, sed naturam ciceris feruidam. Diphilum enim apud Athenæum *ciceres*, inquit, *difficile est digerere, comburunt, vrinam mouent, & sunt ventosi.* memini dicere de cicere lib. 1. ep. 42. ad illum versum, *Vendit qui madidum cicer corona.* TEPENS LVPINVS] aqua maceratus PARVA EST CŒNVLA, QVIS POTEST NEGARE? SED FINGES NIHIL, AVDIES VE FICTVM, NEC CRASSVM, &c. Parua cœna est, sed iucunda, & sincera inter sinceros amicos, vbi nihil sit opus, vel ob timorem delatorum fingere, vel fictum audire. Nec molestus ero longo volumine legendo inter mensam. Sic lib. 10.

Accedunt sine felle ioci, nec mane timenda
Libertas, & nil quod tacuisse velis.
De Prasino conuiua meus, venetoq; loquetur,
Nec facient quenquam pocula nostra reum.

Lucian. ἐν Σατουρναλίοις, &c *Vos cœna leges non ignoratis amici:*
Fas hodie leges ferre fit, Aule, nouas:
Nemo poeta canet recubans, nec lite molestus
Grammaticâ nobis, nec tibi nos erimus.

SED QVOD NON GRAVE SIT, NEC INFACETVM, PARVI TIBIA CONDYLI SONABIS.] Tibicinem aut tibicinam audies canentem. condyli, id est, foraminis; similitudo ab anulo ducta, quē condylus significat. Condylus proprie est nodus in digitis incuruis extans. tres condylos singuli habent digiti præter pollicem, lege Rhodiginum lib. 4. cap. 3. copiose de condylis disputantem, alii Condylum tibicinem intelligunt vt tibia Condyli HÆC EST CŒNVLA; CLAVDIAM SEQVERIS? QVAM NOBIS CVPIS ESSE TVRPIOREM] Torsit interpretes & me sæpe, hic versus, primum quod de scriptura non constaret, legendusne vt vulgo

Hæc est cœnula; Claudium sequeris?
Quam nobis cupis esse turpiorem.

An vero vt MSS. Quam n. c. e. tu priorem
An vt Heraldus: *Hæc est cœnula: credo iam sequeris*
Iam nobis cupis esse tepriorem

An vero *——Claudiam sequeris*
Quæ nobis cupit esse te priorem.

Gruterus sibi aquam hærere dicit. Heraldus nimis multa immutat, vt aliquid extundat, cuius mens videtur esse. Iam postquam dixi quæ appositurus essem, sequeris cœnam meam, immo iam voles prior nobis accumbere. Ego primam illam scripturam turpiorem plane repudio, vt quæ nihil faciat ad mentem poetæ, cum ipse prioribus verbis omnem Gaditanam petulantiam à sua cœnula remouerit, quando dixit, Non de Gadibus improbæ puellæ, &c. Deinde seruo scripturam primam Claudiam sequeris sine nota interrogat. Postremo, vt Veteres libri & MSS. habent rescribo tu priorem. Vt ludat poeta in contrariis sequeris &, priorem. Cum enim à varietate ciborum suam cœnulam commendasset, addit gratissimam Turanio coronidem Claudiam. Hoc sensu. Hæc est cœnula: sed aderit etiam vocata Claudia, tuæ deliciæ. Concludit poeta ex mente Turanii: Aderit Claudia? hanc sequar. Imo, inquit poeta, iam non sequi cupis, sed tu nobis priorem adesse, propter Claudiam. Commodius ergo scriberetur. Iam nobis cupis esse te priorem. esset enim vis maior in contrariis, & sensus acutior. Vt serues tamen. Quam nobis cupis esse tu priorem etiam eodem intellectu expones: sequeris Claudiam, quam tu ita amas, vt etiam tu nobis priorem velis adesse, quod illam plus nobis diligas. Nec etiam opus, vt priore sensu legas te pro tu, eodem enim res recidit, cum quartus casus intelligatur. Iam nobis cupis esse tu priorem (te nempe.) Alii Claudiam vxorem Pudentis intelligunt. Sequeris Claudiam tibi largiorem cœnam propinantem, quam nobis præfers.

In Zoilum.

LXXX. LXXVI.

Vndecies vna surrexti, Zoile, cœna;
Et mutata tibi est synthesis vndecies:
Sudor inhæreret madida ne veste retentus,
Et laxam tenuis læderet aura cutem,
Quare ego non sudo, qui tecum Zoile, cœno?
Frigus enim magnum synthesis vna facit.

Zoilum vestium ostentatorem exagitat. VNDECIES SVRREXTI] mutandæ vestis causa, cum te sudore perfusum fingeres. SYNTHESIS] vestis cœnatoria, qua domi, non foris vtebantur. nos de hac plura lib.14.epig.1. NE SVDOR INHÆRERET SYNTHESI] ne sudore imbuta synthesis accedente vento læderet corpus præpingue, & obesum. Ita enim intelligo laxam cutem, distentam, & turgentem. QVARE EGO NON SVDO, QVI TECVM, ZOILE, CŒNO? FRIGVS ENIM MAGN. SYNTHESIS VNA FACIT.] Vel hinc tua apparet vanitas ostentationis, quod solus tu sudes, cæteri frigeant; sunt enim, vt ego, vna cœnatoria contenti, neque laudem in copia vestium, vt tu, quærunt, qui te fingis sudare, vt possis mutare vestem, & conuiuis copiam tuarum vestium ostendere. Eiusdem eundem morbum describit lib.1.e.16.

Ein Hemmet.

Zoilus ægrotat, faciunt hanc strangula febrem, &c.
Dein concludit. *Vis fieri sanus? strangula sume mea.*

Ita hic, vis abstergere sudorem Zoile, & frigere, tolle sex tuas syntheses, & sume vnicam.

Ad Seuerum.

LXXXI. LXXVII.

Non totam mihi si * *vacabis, horam,*
Dones, & licet imputes, Seuere,
Dum nostras legis, exigisque nugas;
Durum est perdere ferias: *rogamus,*
Jacturam patiaris hanc, ferasque.

* *vacabit. non vacat mihi.*

Quod si legeris ipse cum diserto,
(Sed numquid sumus improbi?) Secundo,
Plus multo tibi debiturus hic est,
Quam debet domino suo libellus.
Nam securus erit, nec inquieta
Laßi marmora Sisyphi videbit,
Quem censoria cum meo Seuero
Docti lima momorderit Secundi.

Librum Seuero censendum mittit, quem immortalem futurum dicit à Seueri, & Secundi castigatione prodeuntem. Ordo verborum est. Seuere, si vacabis (malim, vacabit.) non totam horam mihi dones, & imputes, id est, de libello legendo semihoram aliquam. IMPVTES] Seneca: *Sunt enim qui ita distinguunt, quadam beneficia esse, quadā officia, quadam ministeria beneficium esse quod alienus dedit: alienus est qui potuit sine reprehensione cessare: officium esse filij, vxoris, earum personarum quas necessitudo excitat, & ferre opem iubet: ministerium esse serui, quem conditio suo loco posuit, vt nihil eorum quæ præstat, imputet superiori.* EXIGISQVE] ad examen, & trutinam iudicij castigas. DVRVM EST PERDERE FERIAS] Hæc Seuerum facit obiicientem. egone tua caussa perdam meipsum, & non remittam animum per ferias, & otia nostra? ROGAMVS IACTVRAM PATIARIS HANC FERASQVE] Verum est, perdes tu quidem ferias, sed rogo perde nostra caussa semihorulam. modeste concedit perditurum legendis nugis, sed interim insinuat edendas, & rem esse momenti non nullius; neque nugas, vt Horatius docet. QVOD SI LEGERIS IPSE CVM DISERTO [SED NVMQVID SVMVS IMPROBI?] SECVNDO] Sed non sum impudens, quod hoc petam abs te, vt meas legas nugas, cum tu grauioribus sis districtus? CVM DISERTO SECVNDO] Quis hic Secundus? an ille de quo lib. 1. e. 2.

Libertum docti Lucensis quære Secundum.

An Plinius Iunior, cui nomen Secundus. Et passim Secundus audiebat potius, quam Plinius. quod epistolæ Traiani Imperatoris ostendunt, in quibus Traiano semper charissimus Secundus appellatur. auget coniecturam nostram, quod nominet disertum; erat enim æui sui primus. & Ciceronis admodum studiosus, vt libri ipsi loquuntur, Vocat eundem disertum lib. 10. epig. 19.

Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, videto.

PLVS MVLTO TIBI DEBITVRVS HIC EST QVAM DEBET DOMINO SVO LIBELLVS] Vide, quanti faciat poeta limam, & castigationes doctorum. Idem certe Venusinus, in arte poetica docet, cum eos perire dicit, qui moneuti Orbilio non obtemperant. MARMORA SISYPHI] æternabit, non adibit infernæ flumina Lethes. non tus. non tineas, non scombros metuet, miror esse qui dicant intelligendam esse statuam Sisyphi æream in platanone Frontonis, cum diserte poeta saxum Sisyphi apud inferos nominet, dicatque librum nunquam aditurum inferos & Sisyphi marmor quod voluit. visurum, si Seueri & Secundi calculum gemmeum retulerit, quod omnino non cadit in platanonis statuam seu frontonis, esset enim contraria sententia poetę; si enim nunquam videret platanonem vbi recitabantur carmina, ergo epigrammata erant interitura. LIMA CENSORIA] elegans metaphora. lima impolitum castigat, poliique ferrum, iudicium eruditorum malè tornatos versus. MOMORDERIT] Nam & limæ sui dentes, & stilo acumen.

Saturnaliū ferias accipe.

Ad Æmilianum.

LXXVIII. LXXXII.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane.
Dantur opes nullis nunc, nisi diuitibus.

Idem queritur Iuuenalis Sat. 3. cum de Codro paupere, & Arturo diuite in hæc verba scribit.

—— vltimum autem
Ærumnæ cumulus, quod nudum, & frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoq; iuuabit.
Si magna Arturi cecidit domus horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor,
Tunc gemimus casus vrbis, tunc odimus ignem,

Ardet

Ardet adhuc, & iam occurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas, & quæ sequuntur.

Idem queritur Sat. 1. —— *expectent ergo Tribuni,*
Vincant diuitia, sano nec cedat honori.

DENTVR OPES &c.] Nisi pro tantùm, vel præterquam. Plautus in Menechmis. Ei liberorum nisi diuitiæ, nihil erat, Hoc est, vt Gaspar Scioppius elegantissimi vir ingenij in Notis ad illum locum exponit: *Tertullianus,* inquit, *dixisset tantum: Ei liberorum nihil erat, tantum quod diues esset. vt in Captiuis* - - - me insaniam Neque tenere, neque mihi morbum esse, nisi quod seruio.. *Sed enim Plauti locum illum Eitelius Fridericus Illustris Comes Zolleranus aliter rescribit, cùm legit*: Ei liberorum nisi de vitio nihil est. quasi diceret, Eum non fuisse nisi vitio patrem, hoc est, eum non habuisse alios filios nisi vitio creatos, seu vulgo quæsitos & spurios, vt lib. 12. epigr. 53. diximus de Paterno, Huic semper vitio pater fuisti. Scioppius tamen vulgatam lectionem retinet. Hic ergo expono: Nunc tantum dantur opes diuitibus, nullis aliis. Vel: Nunc nullis dantur opes, præterquam diuitibus. De particula *Nisi*, eleganter docet noster Torsellinus, lib. de part. latinæ orat. cap. 107.

In Gaurum.

LXXXIII. LXXIX.

Quid promittebas mihi millia, Gaure, ducenta,
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
* *An potes, & non vis? rogo, non est turpius istud?*
† *I, tibi* dispereas, *Gaure,* pusillus homo es.

* *An potes, & non vis, rogo; non est turpius istud? & tibi dispereas, Gaure, &c. Lipsius lib. 1. ca. 5.*
† *v. si tibi desperas Sic tibi Disperdas. Herald.*

Auarum carpit Gaurum, qui cum poetæ ducenta millia H.S. in fœnus promisisset, petenti nec decem millia credere voluit. DVCENTA] quinque millia Philippæorum. DECEM] HS. ducentos quinquagenos Philippæos. AN POTES ET NON VIS? ROGO NON EST TVRPIVS ISTVD? I, TIBI DISPEREAS GAVRE, PVSILLVS HOMO ES] Poteram, inquit Gaurus, sed nolebam, verebar enim, ne non redderes vel sortem, vel fœnus, vel neutrum. Alij putant gratis mutua petiisse poetam decem millia. Si poteras, inquit poeta, & nolebas, cur es pollicitus; non est hoc turpius, quam si mihi petenti statim à principio negasses, aut nihil petenti, nihil pollicitus esses? I, TIBI DISPEREAS] imprecatio solennis, vt lib. 2. e. 46.

Dispeream, si non hic Decianus erit.

Et lib. 2. e. 69 *Si non mentiris, Classice, dispeream*: aliisque libris. Sensus est totius carminis. I, Gaure in malam rem cum tuis opibus, sordidus homo es, & angusti, pusillique pectoris, illiberalis, qui plus amas aurum, quam nominis immortalitatem, & liberalitatis. dispereas ergo, & pereas ignobilis, incelebris, illaudatus, ignotus. Non ignoro versum hunc aliter interpungi à sagacissimo Lipsio. Ita enim legit. AN POTES ET NON VIS ROGO? NON EST TVRPIVS ISTVD] Alij notant disperdas. & Dij tibi, disperdas, alij si tibi desperas seruo I. TIBI DISPEREAS GAVRE: PVSILLVS HOMO ES] Sed si quid de genio carminis huius poetæ possum existimare, non est hæc interpunctio ex facilitate, & numero Martialis. Scriuerius: I, tibi disperdas Gaure: pusillus homo est. Ita de consilio, inquit, Scaligeri scripsi qui me vexatissimi huius loci admonuit, & dubium his verbis firmauit: Hæc est vera lectio: Quæ noluisti mihi dare, ea tibi habeas. sed dixit *Disperdas*, pro male vtaris, vel pro eo, quod est, in malam rem ire: κακῶς εἰσελθεῖν. Pusillus autem homo, est κίμβιξ. μικρολόγος. sic in Bucolicis Virgilianis *disperdere Carmen*, est male canere.

In Dindymum.

LXXXIV. LXXX.

Insequeris, fugio; fugis, insequor; hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

Suam, & Dindymi voluntates, & naturas diuersas, & aduersarias esse rotundissimo carmine docet. Quicquid vis, nolo, quicquid non vis, volo. Paullo aliter habet illud eiusdem in eum, qui ipse ex diuersis, vt Catilina apud Ciceronem erat compositus:

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem:
Nec possum tecum viuere, nec sine te.

Et in Diadum *Consequar hoc, vt me nec timeas, nec ames.*

Illud, insequeris, fugio; videtur ex Theocrito expressum, qui sic de gloria.

Ἠ φεύγει

Ἠ φθόγγει φιλέοντα, καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.

Quærentes fugis, & fugientes gloria quæris.

Ad Gallam.

LXXXI. LXXXV.

Iam tristis, nucibus puer relictis,
Clamoso reuocatur à magistro.
Et blando male proditus fritillo,
Arcana modo raptus è popina,
Ædilem rogat vdus aleator.
Saturnalia transiêre tota,
Nec munuscula parua, nec minora
*Misisti mihi, Galla, * quæ solebas.*
Sane sic abeat meus December.
*Scis certe puto * vestra iam venire*
Saturnalia, Martias Kalendas,
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

* V. quam.
* V. nostra.

Queritur nil sibi Xeniorum à Galla missum Saturnalibus, se tantundem Gallæ remissurum Martialibus. NVCIBVS RELICTIS] nucum ludus puerorum Romanorum proprius, vt hodie Germanorum, quem vti & talum Saturnalibus exercebant. Quibus finitis reuocabantur à magistris, & pædagogis ad officium discendi. Plinius libro 8. epistol. 7. Nam tu magister, ego contra; atque ideo tu in scholam reuocas, ego adhuc Saturnalia extendo. Vnde vetus adagium, *nuces relinquere, nuces abiicere, nuces intermittere*, id est, à nugis, & apinis ad res serias cogitationes suas conuertere. Persius.

——& nucibus facimus quæcunq; relictis,
Cum sapimus patruos——

Ita sponsus apud Catullum, & Virgilium spargit, & abiicit nuces, veluti iam in virorum adscriptus censum. Contra nucibus indulgere, ad nuces redire, repuerascere est. Genera porro ludorum quatuor fere, aut quinque, imo sex enumerat, & describit auctor de Nuce.

Dilaminat. lego, non dilancat.

Has puer aut certo rectas dilaminat ictu,
Aut pronas digito bisue, semelue petit.
Quattuor in nucibus non amplius alea tota est,
Cum sibi suppositis additur vna tribus.
Per tabulæ cliuum labi iubet altera, & optat
Tangat vt è multis quælibet vna suam.
Est etiam, par sit numerus qui dicat, an impar,
Vt diuinatas auferat augur opes.
Fit quoq; de creta, qualem cœleste figura
Sidus, & in Græcis littera quarta gerit.

Δ

Hæc vbi distincta est gradibus, quæ constitit intus,
Quot tetigit virga, tot capit ipsa nuces,
Vas quoq; sæpe cauum spacio distante locatur,
In quod missa leui nux cadat vna manu.

De hoc nucum ludo sæpiuscule noster Martialis libro 1. 3. 5. 14. &c. ET BLANDO MALE PRODITVS FRITILLO, ARCANA MODO RAPTVS E POPINA, ÆDILEM ROGAT VDVS ALEATOR.] Saturnalibus concedebatur iuuenibus, virisque, cæteris vetita temporibus. Horatius lib. 3. car.

Seneca de beata vita cap. 8. Suet. Aug. c. 7 Mart. 14

Seu Græco iubeat trocho,
Siue malis vetita legibus alea.

Aleator, qui ludit alea, vdus, vino madens. Præter titulum. II. Pandect. de aleatoribus Marcianum consule. Susceptores aleatorum, & qui alios compellebant ludere, multabantur, adeo, vt etiam in Saturnias, aut vincula publica ducerentur. Vocabatur antiquitus *lex talaria*, vt docet Alciatus & Læuinus Torrentius ad Horatium.

Lucio in vita Saturnus quem Heraldus adducit.

FRITILLO] pyrgus, turricula, ex qua mittebantur tesseræ, vel tali. lege lib. 13. epig. 1. ad illum versum:

Hæc

Hac mihi charta nuces, hac est mihi charta fritillus,

Vbi fritillum excussimus. ARGANO.] Post Saturnalia palam nefas erat ludere. clam si deprehensi ab ædilibus fuissent, puniebantur. SATVNALIA TOTA] septem dierum: apud Lipsium reperies, quot dies, & quando septem, quinque, & pauciores occuparint. MARTIAS CALENDAS] nihil, inquit, misisti mihi nostris Saturnalibus, nihil tibi mittam vestris, id est, fœmineis. Saturnalia enim quasi virorum erant, Calendæ Martiæ fœminarum. Macrobius lib. 1 cap. 12. *Et seruis cœnas apponebant matronæ, vt Domini Saturnalibus, mittebantur à viris dona fœminis.* Tranquillus Vespasianus. *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita & Calendis Martijs fœminis.* Horatius lib. 3. car. Ode octaua.

Solinum cõsule cap 3 Ouid. 5. Fast. Prophy. ad Hor. Eo die Iunonis Lucinæ ædes colo cœpta. Vel quod pax inter Rom. & Sab. eo die facta.

Martiis celebs quid agam Calendis.

Iuuenalis ergo recte fœmineas Sat. 9. vocat has Calendas. Tibullus lib. 3.

Et vaga nunc certa discurrunt vndiq; pompa,
Perq; vias vrbis munera, perque domos.

Quibus hi testes non satisfaciunt, plures audiant apud Lambinum ad lib. 3. Horat. Od. 8. qui rem totam exponit. Et Leuinum Torrentium ad eundem locum, REDDAM] nihil.

MAT-

MATTHÆI RADERI AD M. VALERII MARTIALIS LIBRVM SEXTVM Commentarius.

I.

Sextus mittitur hic tibi libellus,
Imprimis mihi chare Martialis:
Quem si terseris aure diligenti,
Audebit minùs anxius, tremensq;
* *Magnas Cæsaris in manus venire.*

* *Magni.*

AD Martialem, haud dubiè alterum à seipso, mittit castigandum nouum libellum, vt exire securiùs, & in Manus Cæsaris venire possit. Ad hunc verò eundem Martialem est epigram.21. lib.5. *Si tecum mihi chare Martialis.* Quod sanè ad ipsum poëtam, & auctorem referri non potest, quando dicit:

Iulium nempe.

Nunc viuit sibi neuter heu, &c.

Imo nec illud lib.10. epig.47. ad seipsum; sed hunc ipsum Martialem amicum scriptum puto. TERSERIS] ad spongiam alludit, de qua suprà lib.4.e.10.

Curre, sed instructum comitetur pumice librum
Spongia: muneribus conuenit illa meis.

AVRE] si emendaueris curiosè, & accuratè, aure, iudicio, censura. CÆSARIS] Domitiani. MAGNAS MANVS] ad potentiam refer, imperium.

* De filio Domitiani.

* *Ad Cæsarem.*

II. III.

*Nascere Dardanio promissum * nomen Iulo,*
Vera Deûm soboles, nascere magne puer.
Cui pater æternas post sæcula tradat habenas:
Quiq; regas orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niueo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Iulia nebit ouem.

* *nomen.*

Genethliacum est de filio Domitiani, cuius meminit Suetonius cap.3. *Deinde vxorem suam Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat, repudiauit.* Sed hic filius obiit infans, & à patre consecratus est, vt Papinius scribit, & Domitiæ nummi, * quibus illa diui Cæsaris mater inscribitur, ostendunt. lege Læuin. Torrentium ad cap.3. Sueton. in Domitiano. Non ignoro, quid hoc loci Domitius. qui à poëta hic non illum Domitiæ filium, sed Iuliæ nepti, fœtum, adhuc vtero clausum appellari dicit, argumentum eius est, quod secundo Domitiani consulatu filium Domitiæ susceperit, quo tempore nondum erat Imperator. Sed ego cum Læuino iudico; Nam cùm Iuliam Domitianus coëgerit conceptum abigere, vt Sueton. testatur cap.22. vbi & Iuliam ex ea re mortuam affir-

* *Ad. Ipse Orsinus numismata inspice p.186. edit. [illegible]*

mat, dubio procul noluit & filium nasci, multò minus prædicari publico carmine. Deinde si de grauida loquitur Martialis, tam catus erat vates, vt marem futurum sciret? Quod attinet ad consulatum secundum, nihil interest, etiamsi tum non Augustus fuerit Domitianus, tamen iam erat Cæsar designatus, & consulatum gerebat, quæ nomina non erant inania, nec sine honore, & imperio. NASCERE DARDANIO PROMISSVM NOMEN IVLO NASCERE] Nascentem puerum alloquitur poëta, vel potius natum, & crescentem, sicut stirpem dicimus nasci, dum crescit. Virgil. Ecl. 4.

Tu modò nascenti puero ——
Casta faue Lucina ——

Iam natum Pollionis filium alloquitur. nam ipse mox Virgilius eadem Ecl.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.

DARDANIO IVLO PROMISSVM NOMEN] alludit ad Virgilianum versum 1. Æn.

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar, &c.
Iulius à magno demissum nomen Iulo.

DARDANIO] Troiano à Dardano. lege Seruium ad Virgil. VERA DEVM SOBOLES] Virgilius Ecl. 4.

Chara (seu clara) *Deûm soboles, magni Iouis incrementum.*

Quia Domitiani filius, quem & mortuum postea consecrauit. NASCERE MAGNE PVER] Iteratio, qualis apud eundem, & frequentior:

Rumpitur inuidia quidam charissime Iuli, &c.

Vim habet, & significat desiderium poëtæ, & vota ardentia. CVI PATER ÆTERNAS POST SECVLA TRADAT HABENAS] Sic Ouid. lib. 2. Tristium, vnde videtur [QVIQVE REGAS ORBEM CVM SENIORE SENEX] expressum.

Sospes sic te sit natus quoque, sospes, & olim
Imperium regat hoc cum seniore senex.

IPSA TIBI NIVEO TRAHET AVREA POLLICE FILA, ET TOTAM PHRYXI IVLIA NEBIT OVEM] Cur Iulia? quia Domitianus patruus Iuliæ, quam amabat. Iulia ergo Domitiani filium non poterat non, vtpote patrui sanguinem, amare; siue amarit, siue oderit, hoc poëta ex decoro fingit. IPSA IVLIA] Neptis Domitiani, Titi filia. NEBIT TIBI FILA AVREA] alludit ad disciplinam Hetruscorum. Vt Virgilius Ecl. 4.

Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto.

Ad quem versum ita Germanus Valens. *Videtur quibusdam ad Hetruscorum disciplinam respexisse, & tali* δι' ἐυφημισμοῦ *Pollioni, vel Augusto Imperium augurari, & promittere. Thuscorum siquidem libris tradebatur hoc animal insolito colore indutum portendere imperatori omnium rerum cum felicitate largitatem.* Et in Paralipomenis ad eandem Ecl. ex Domitio, & Seneca, idem docet. Aurea pensa sunt felicia Parcarum omina, Petronius de Trimalcione beato, *Præsto erat Fortuna cornu abundanti copiosa, & tres Parcæ aurea pensa torquentes.* Sidonius 15.

——probat Atropos omen,
Fuluaque concordes tinxerunt fila sorores,

NIVEO POLLICE] Seneca de Nerone.

Aurea formoso descendunt pollice fila.

Sententia carminis est, Iulia quasi Dea Parcarum loco tibi nascenti, natoque nebit felicia vitæ stamina, & aurea fila, totumque vellus aureum, hoc est, meram felicitatem. Parcarum singulis in lucem prodeuntibus vitæ fata nentium fabulam lege apud Natal. Com. lib. 3. c. 6. vbi accuratè de ea re disputat. Vt Achilli neuerint fortunam, & casum, & occasum lege apud Catullum in Epithalamio Theseidis, & Thesei. ET TOTAM PHRYXI IVLIA NEBIT OVEM] pellem auratam nebit, πάγχρυσον δέρος, Euripides δέρος χρύσεον, & χρύσειον κῶας Orpheus, & Apollonius. OVEM] qua Phryxus mare traiecerat. Varro lib. 11. de re rustica, figmentum hoc ad pecudum caritatem refert; eius verba sunt. *De antiquis illustrissimus quisque pastor erat, vt ostendit Græca, & Latina lingua. & veteres poëtæ qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας; qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt, vt Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur; vt in Colchide Æetes, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ; vt in Libya ad Hesperidas. vnde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem capras, & oues, quas Hercules ex Africa in Græciam exportauit. ea enim sua voce Græci appellarunt μῆλα.* Hæc Varro. Neque desunt, qui vellus illud, libellum fuisse tradant, quo auri faciendi ratio contineretur. Symonides in hymno Neptunum χρυσόμαλλον, purpurei illud coloris fuisse dixit, quòd à marinis purpuris, in traiectione illa aspersum fuisset. Muretus in Catullum.

Adula-

Adulatorium.

III.

Ad Cæsarem V.

Censor maxime, principumq́ princeps,
Cùm tot iam tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata,
Tot spectacula, tot Deos, tot vrbes:
Plus debet tibi Roma, quòd pudica est.

Laudat Domitianum, quòd legem Iuliam de stupris, & Scatiniam de impudicitia, & adulteris puniendis reuocarit, atque histrionibus scenam interdixerit, pueros castrari à mangonibus vetuerit, virginum Vestalium incesta seuerè coërcuerit, &c. præfertque hanc Cæsaris laudem, & factum cæteris omnibus seu triumphis, seu templis. CENSOR MAXIME] nummi veteres, & inscriptiones; Fasti. VIII. consulatu censorem perpetuum ponunt. A.V.C.834. Olymp.215. anno 2. Christi 83. Censor) Quintilianum lib.4. procemio æquè seruiliter Domitiano adulantem; atque Martialem intelliges. In Dionis epitome. *Adeò verò stultè elatus est, & insolenter, vt consul decem annos perpetuos, & censor, quàmdiu viueret, primus, solusq́ ex priuatis ciuibus, atque imperatoribus designatus sit.* Suetonius cap.8. *Suscepta morum correctione licentiam theatralem inhibuit.* Sed Iuuenalis minimè blanditur, cùm dicit Domitianum in aliis quidem, atque aliis crimina puniuisse, sed aliis, quos amabat, pepercisse. Crispino nempe. sic enim Sat.4. —*& tamen alter*

Si fecisset idem, caderet sub iudice morum.
Nam quod turpe bonis Titio, Seiόque, decebat
Crispino.—

PRINCIPVMQVE PRINCEPS] Quia imperator, cui reges exterarum gentium stipendia soluebant. Epitheta Imperatorum, Cæsarum, & Augustorum leges apud Smetium in syllabo inscriptionum. *Principum princeps*, Maximus princeps, vt est in inscriptionibus. Apud barbaras gentes multi se reges regum, aut maximos reges appellarunt. Alexander Neap. lib.1. cap.28. *Parthis diadema duplex amplissimum decus regum dicunt esse, quippe quorum reges magni, & regum reges habebantur.* Plutarchus in Pompeio scribit, Pompeium noluisse Parthorum regem, appellare regum regem, vt à cæteris appellabatur. Suetonius in Cal. cap.5. Parthorum principem regum regem appellat. Et Parthorum rex Phraattes ad Augustum scribens regem se regum appellat, apud Dionem in Augusto. Et Iulius Capitolinus Saporem Persarum regem appellat regem regum. de quo etiam Marcellinus lib.17. scribit eum ad Constantinum imperatorem scripsisse hoc titulo. *Rex regum Sapor, particeps siderum, & frater Solis, & lunæ, Constantio fratri meo salutem pl. dico.* Idem testatur Trebellius Pollio de eodem: Et Diodorus Siculus lib.2. cap.1. de Simandro, & Sesostre Ægypti regibus. de eadem re Plinius lib. 30. c.1. Plutarchus in Lucullo. In Cyri sepulchro hoc epitaphium inscriptum erat:

Cyrus ego Rex olim Regum conditus hic sum.

Cicero in epist. ad famil. lib.9. Agamemnonem regem regum appellat Homerum imitatus. Strabo lib.12. & 13. de Troianis Regibus, Tiraquellus. Hodie Indi quidam & barbari reges totas paginas ineptis implent titulis. In Christiana lege solus Deus Rex Regum & Dominus Dominantium appellatur. CVM TOT IAM TIBI DEBEAT TRIVMPHOS] Ex Dacis & Cattis geminum, & lauream ex Sarmatis. de quibus sæpe iam suprà. TOT NASCENTIA TEMPLA, TOT RENATA] Tot noua, & ab integro ex fundamentis erecta, & tot renata, seu restituta. Suet. cap.5. Eutr. lib.7. Cassiod. in Chronicis. TOT SPECTACVLA] Suet. cap.4. *spectacula magnifica assiduè, & sumptuosè edidit non in amphitheatro modò, verùm etiam in circo. Vbi præter solennes bigarum, quadrigarumq́ cursus,* &c. pleraque habes lib.1. TOT DEOS] nouos, seipsum, & patrem, & Titum, & Iuliam. Antiquos Herculem, Iouem custodem, Fortunam reducem. Ianum, &c. Xiphil. Suet. TOT VRBES] Dacorum & Cattorum, de quibus etiam triumphauit. PLVS DEBET TIBI ROMA, QVOD PVDICA EST] Melius es his legibus de pudicitia rogatis de vrbe meritus, quàm cæteris omnibus, lege Suet. cap.7. & 8. quas leges veteres reuocarit, nouas condiderit. sed qui alios puros, integrosque præstare conabatur, se ipsum impuritatibus fœdissimè contaminauit. testis Suet. cap.22. Xiphil. in Domit. Eutropius lib.7. quid ergo magnopere mirandum, si totus componitur orbis Regis ad exemplum? QVOD PVDICA EST] suprà epig.2. *Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ,*

Lusus & immeritos exsecuisse mares.
Vtraq́ tu prohibes Cæsar, populisq́ futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes
Nec spado iam, nec mœchus erit, te præside quisquam;
At prius, ô mores, & spado mœchus erat.

Ad quod epigramma multa annotauit Heraldus.

Ad Cæcilianum.

V. IV.

Rustica mercatus nummis sum prædia multis.
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
Nil mihi respondes, tacitum te dicere, credo,
Non reddes: ideo, Cæciliane, rogo.

Auarum fœneratorem rogat nummos. res aperta. Dauus intelligat. CENTVM] sestertia, bis mille quingentos Philippæos. IDEO ROGO] quia si reddendi voluntas esset, non rogarem, sed poscerem, rogant autem, qui ad stipem, aut donum petunt. redituri poscunt. τὸ rogo hic ambiguum est, & significat vel mutuum, vel gratis, mutuum etiam infrà epi 3.16. gratis hic. si cogitarem de reddendo mutuo, non rogarem, quia non frustrà dares, nec beneficium præstares.

De Thelesina.

VII. V.

* V. relata.

*Julia lex populis ex quo, Faustine, * renata est,*
Atque intrare domos iussa pudicitia est,
Aut minus, aut certè non plus tricesima lux est,
*Et * nubit decimo iam Thelesina viro.*
Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est,
Offendor mœcha simpliciore minus.

* V. nubet.

Thelesinam adulteram taxat.

Capita legis huius 29. conceptis verbis tradita enumerat Brissonius lib. singulari, quo hanc legem exponit. Dicta est Iulia à C. Iulio Cæsare Octauiano Augusto, non à Iulio Cæsare Dictatore, quod ex Vlpiano, Suetonio, Plutarcho ostendit Brissonius tam planè, vt nullum dubitandi locum reliquerit, quanquam alij aliter senserint scripserintque, quos inter & nos hic emendati. Est autem de adulteriis seu pudicitia appellata. RENATA] renata al. idem vtriusque sensus. reuocata, renouata, retractata. Cùm enim dissimulante magistratu, ipsoque tempore lex Iulia consenuisset, passimque æuo Domitiani libido impunè grassaretur, & auersa & aduersa nullo coercente exercere-tur, Domitianus profligatis ciuitatis moribus opem tulit, legisque Iuliæ pœnas sanxit.

Bar. Annal. 1.2.

Et Martialis. *Plus debet tibi Roma quòd pudica est.*

Continet hæc lex Domitiani de pudicitia vtrumque crimen. Torrentium adi ad 34. cap. Suet. August. Briss. &c. Lib. 7. de hac eadem lege. *Sancta ducis summi*, &c. & aliis non paucis.

Iuuenal. Sat. 2. *——qui tunc leges reuocat amaras*
Omnibus atque ipsi Marti Venerique timendas.

PVDICITIA] qua virûm, qua fœminarum. DECIMO VIRO] In lege Iulia hoc caput legitur lib 8. c. de adult. *Si mulier ante denunciationem nupserit, qui accusare volet, ab adultero incipito. nec ante ad mulierem quisquam perueniato, quàm adulterum reum peregerit.* His verbis cauebatur fœminæ, vti, si post adulterium, antequam accusaretur, alteri nupsisset, non posset postulari de adulterio, nec accusari, antequam adulter esset reus factus & peractus damnatusque. Hinc Gordianus l. si dum. C. de adult. *Neque enim*, inquit, *ab ea, quæ nupta est, & adulterium passa, exordium accusationis sumi potest, si denunciatio criminis nuptias non præcessit.* & Vlpianus l. seruos in fin. D. de accusat. *Cæterùm iustè mulier nupta præscriptione vtatur.* hæc ergo lex præscriptionem hanc fœminæ nuptæ dabat; qua sic abutebantur, vt, ne accusari possent à viris suis repudiatæ, statim alteri, nonnunquam ipsi mœcho nuberent. Quod Martialis infrà docet.

Quod nubis Proculina concubino,
Et mœchum modò nunc facis maritum,
Ne lex Iulia te notare possit:
Non nubis Proculina, sed fateris nempe te adulteram.

Et lib. 5. *Quæ legis caussa nupsit tibi Lælia, Quincte.*
Lib. 6. epig. 45. *Permissa est vobis non nisi casta Venus.*
Hæc est casta Venus? nubit Lectoria Lygdo;
Turpior vxor erit, quàm modò mœcha fuit.

Hinc tot diuortia Romæ & per orbem Romanum facta. vt Seneca lib. 3. de Bene. cap. 16. queratur, à fœminis annos non consulum, sed maritorum numero computari. & Tertullianus Apol.

cap. 6.

cap.6. *Repudium verò iam votum est, & quasi matrimonij fructus.* Hinc ergo noster poëta in ficto nomine Thelesinæ artes adulterarum notat, quæ per hanc legem, ne lege secum ageretur, statim post repudium alteri nubebant, ita vt nonnullæ intra mensem decies nuberent, decemque maritos numerarent. Indignatus ergo poëta hæc flagitia concludit, adulteras non puniri lege Iulia, sed fieri, vt quæ tot nuptiis eludant vim legis. Animaduerterat olim hoc Augustus, ideoque certam formam diuortiorum faciendorum præscripsit, (vt saltem erubescerent tot testes) quæ hæc est, *Diuortia septem ciuibus Romanis puberibus testibus adhibitis, præter libertum eius, qui diuortium faciet, posthac facienda, Aliter pro infectis habentor.* Verba autem legitima visitataque, quibus in diuortiis faciendis vtebantur, hæc erant. RES TVAS TIBI HABETO, RES TVAS TIBI AGITO. Vsurpat hanc noster lib.10.ep.41.

Mense nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deseris, atque iubes res sibi habere suas.

Cic.2.Philip. *Mimam exegit: res suas sibi habere iussit ex 12.tabulis.* MOECHA SIMPLICIORE MINVS] Quæ non addit ad scelus, & adulterium, nouum scelus, quo tegat prius, nuptiasque ipsas adulteret. Castiores enim sint adulteræ simplices, quàm nuptæ propter adulterium, quæ lege contra adulteria abutuntur ad ipsa adulteria, vt quasi ex lege peccent, & fiant (vt suprà dixit de Lælia) legitimæ adulteræ, perinde vt si lex pro adulteris, non contra esset lata. Vide, quantum defecerit vrbs à seipsa. Sic enim Tertullianus cap.6. Apol. *Vbi est illa felicitas matrimoniorum de moribus vtique prospera, qua per annos ferme sexcentos ab vrbe condita, nulla repudium domus scripsit? At nunc in fœminis, &c.* Caruilius Spurius primus ab vxore diuertit propter sterilitatem. Val. Max.lib.2.cap.1.

Ad D.XX. annum Val. Max. scripsit.

Ad Seuerum.

VI. *VIII.*

Prætores duo, quattuor tribuni,
Septem caußidici, decem poëtæ,
Cuiusdam modò nuptias petebant
A quodam sene, non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam.
Dignum quid fatuo, Seuere, fecit?

PRÆTORES DVO, QVATVOR TRIBVNI] huius argumenti in dissimili exemplo est epigramma lib.5.57.ad Lupum. Honores ait iacere, & bonas artes; in precio esse citharœdos, choraulas, præcones, architectos, vti & queritur Iuuenalis Sat.3. quem ibi adduximus in rem præsentem. DVO PRÆTORES] qui magistratuum Rom. nescit vel nomina, vel officia, legat Fenestellam, Hotomannum de ritu veterum nuptiarum cap.2. vbi de proxenetis conciliatoribus & aliis cognosces. Sigonium, Iurisque Consultos, & alios. NVPTIAS PETEBANT] lege Heraldum. Formula petendarum nuptiarum ferè hæc fuit: Quæ res rectè vortat, mihique, tibique, tuæque filiæ, Filiam tuam mihi vxorem posco, promitte hoc fore. NON MORATVS ILLE] nec prætores, nec tribunos, nec poëtas moratus, posthabitis, & contemptis omnibus, locauit filiam præconi. EVLOGO] nomen ad officium præconis aptè fictum. DIGNVM QVID FATVO, SEVERE, FECIT?] Nihil sanè. olim insania fuisset, at modò sapienter fecit. nam præconium hodie quæstuosissimum. pauperes sunt prætores, tribuni, caussidici, poëtæ, diuites citharœdi, præcones, &c.

Ad Læuinum.

VII. *IX.*

In Pompeiano dormis, Læuine, theatro,
Et quereris, si te suscitat Oceanus.

In falsum equitem salsum epigramma. Læuinus in equestribus mala conscientia sedebat, & veniente designatore Oceano, de quo sæpius lib.5. d. simulabat se dormire, ne eiiceretur ex 14. ordinibus, cui tum nihil profuit ille somnus. POMPEIANO THEATRO] Pompei theatrum inter Marcelli & Hadriani molem ferè medium regione nona, circo Flaminio, erat visendo opere extructum, de quo Corn. Tacitus lib.14. Hoc à Caligula absolutum tradit Suetonius. capiebat octoginta millia hominum. Primus stabile, & æternum fixit Theatrum Pompeius, cùm antea essent subitaria. Instaurauit denuò, magna ex parte disturbatum Ostrogothorum Rex, vt ex Cassiodori verbis ad senatum Romanum disco. de eodem Plutarchus in Pompeio, & Porphyrio Grammati-

citr. Tertullianus lib. singulari de spectaculis, aliique non pauci, inter quos Marlianus lib. 6. cap. 5. Pompeius Lætus, Philander, Plinius lib. 36. c. 15. Tu Læuine dormis in theatro Pompeiano, vbi maximi sunt hominum clamores, & tumultus, & quereris te suscitari ab Oceano, insanè facis. Poëta ludit in dilogia vocis (suscitat) quod ad somnum, & locum equestrem refertur. poëta cùm de somno excitatum Læuinum videatur dicere, loquitur de loco equestri, ex quo à designatore est excitatus, & eiectus. Oceanus autem etiam hic ambiguè, cùm respexerit ad mare, quod sonitu fremituque dormientes excitat. Interim verò apparitor vocabatur Oceanus, qui ordines equestres obseruabat. Frustra sunt qui hic de Domitiano queri poëtam somniant.

Petit latenter à Domitiano pecuniam.

[illegible] VIII.

Pauca Iouem nuper cùm millia fortè rogarem:
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.
Templa quidem dedit ille Ioui, sed millia nobis
*Nulla dedit: * pudet heu pauca rogâsse Iouem.*
At quàm non tetricus, quàm nullà nubilus irâ,
Quàm placido nostras legerat ore preces:
Talis supplicibus tribuit diademata Dacis:
Et Capitolinas itque, reditque vias.
Dic, precor, ô nostri, dic conscia virgo Tonantis:
Si negat hoc vultu, quo solet ergo dare?
Sic ego: sic breuiter positâ mihi Gorgone Pallas.
Quæ nondum data sunt, stulte, negata putas?

* *Vulgo pudeat.*

Rem intelligis ex inscriptione; esurit & mendicat poëta, non certè, non valdè latenter, sed admodum patenter, ingeniosè tamen, & per dialogum. PAVCA MILLIA] sestertiûm. ILLE DABIT DIXIT, QVI MIHI TEMPLA DEDIT] Domitianus, inquit Iupiter, tibi dabit, qui & mihi dedit. Capitolium enim instaurauit. Flauiæ item genti magnam ædem excitauit. Suetonius, & alij auctores. PVDET HEV PAVCA ROGASSE IOVEM] Ita potius lego, quàm pudeat.) Cur mihi non donarit Domitianus quicquam, caussa erit, quòd nihil dignum Cæsare petiuerim; à magnis enim magna decet petere non est ignotum Alexandri dictum, cùm rogatus esset à mendico exiguam stipem. *magna*, inquit, *cùm mendicus sis, haud te decet accipere, me, cùm Alexander sim, parua non decet dare.* Ita miseri preces elusit, quas iste, vt ante alicubi monui, poterat facetè refellere. Seneca lib. 2. de Ben. hoc Antigono Regi tribuit. *Ab Antigono Cynicus petiit talentum. Respondit plus esse, quàm Cynicus petere deberet. Repulsus petiit denarium. Respondit minus esse, quàm quod regem deceret dare. Turpissima, inquit, eiusmodi cauillatio. Inuenit, quomodo neutrum daret. In denario Regem, in talento Cynicum respexit: cùm posset & denarium, tanquam Cynico dare, & talentum, tanquam rex.* AT QVAM NON TETRICVS, QVAM NVLLA NVBILVS IRA. QVAM PLACIDO NOSTRAS LEGERAT ORE PRECES?] Certè frons Cæsaris serena nobis pollicebatur pecuniam, cùm legeret supplex carmen. TALIS SVPPLICIBVS TRIBVIT DIADEMATA DACIS] Tali vultu læto, & sereno damnat suis votis Dacos petentes, vt sibi suis legibus, suoque iure viuere liceat. DIADEMATA] libertatem patriarum legum, & iura, vel Decebalo Dacorum regi pacem petenti promittit regnum, & diadema. De bello Dacico iam sæpius ex Xiphilino, Suetonio, & aliis tractauimus. ET CAPITOLINAS ITQVE, REDITQVE VIAS] Talis cùm triumphat; triumphantes enim ad Capitolium ascendebant. bis triumphauit, & semel Ioui Capitolino lauream intulit. DIC, PRECOR, Ô NOSTRI, DIC CONSCIA VIRGO TONANTIS] Palladem familiare numen Domitiani alloquitur, & rogat, cur petenti Domitianus nil dederit: scitè Palladem interrogat; nam ipsum Domitianum interrogare, quare nil donarit, & verecundiæ, & impudentiæ fuisset. NOSTRI TONANTIS] Domitiani. Vide lib. 5. ep. 1. SI NEGAT HOC VVLTV, QVO SOLET ERGO DARE?] Si tam placidus est, cùm reiicit preces supplicum, qualis erit, cùm admittit? Ipsa serenitas non erit, opinor, serenior. SIC EGO, SIC BREVITER POSITA MIHI GORGONE PALLAS] Sic ego quærebam, sic mihi respondit Pallas. POSITA GORGONE] scuto, cui pictura Medusei capitis inerat. lib. 14. epig. 129.

Dic mihi virgo ferox, cùm sit tibi cassis, & hasta:
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

Plura

Plura ad lib.7.ep.1.& lib.9.& 14. Quare autem positam dicat hic ægidem, duplex potest subesse ratio, quòd alluserit ad statuam Palladis in Capitolio ægide, Domitiani caussa, carentis, vel, quia poetis Pallas absque ægide fingitur, cùm personam mitem induit, vt rectè Domitius ex Propertio, & Silio notauit. Claudianus de ead. Gorgone Palladis in Raptu. Pallas.

——Stridentia colla

Gorgonis obiectu pallæ fulgentis inumbrat.

Cuius caussam lege apud Parrhasium.

QVÆ NONDVM DATA SVNT, STVLTE, NEGATA PVTAS] Rotundè concludit, & eleganter monet Domitianum de dono. Nihil dedit; nihil (inquit Pallas) etiam negauit. dabit ergo, si non negauit. Dederat supplicem libellum, cuius ne obliuiscatur monet poeta.

In Marcum.

IX. XI.

Quòd non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis, turdúsue dabatur Oresti:
Sed par, atque eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris:
Non minus ingenua est & mihi, Marce, gula.
Te Cadmæa Tyros, me pinguis Gallia vestit:
Vis tu purpureum, Marce, sagatus amem?
Vt præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit verbis: Marce, vt ameris, ama.

Cur nulla vera sit amicitia, amicorumque paria Romæ, caussam ait, nihil inter amicos communicari opum, olim autem omnia amicorum fuisse communia. Huius generis sunt epigrammata lib.1 ad Maximum 44. lib.3. in Ponticum 59. lib.4. ad Sextum 98. lib. eodem in Varum 78. PYLADES ORESTES] peruulgata fabula extat apud Ouid. lib.3. de Ponto El.2. & alios. TV LVCRINA VORAS] ostrea Lucrina laudantur. de lacu Lucrino ad Baias dictum sæpius lib.1. ep.61. lib.3. ep.59. ad illum versum:

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.

Lib.5. epig 38. &c. lib.11 epig.90. ME PASCIT AQVOSA PELORIS] Peloridum meminit Plinius lib.32. cap.11. Cælius Rhod. lib.2. cap.12 Horatius lib.2. Sat.4.

Murice Baiano melior Lucrina Peloris,

Ad quem locum ita cultissimus scribit Lambinus. *Peloris ostrei genus, chama maior, vt ait Eustathius* ... πελωρὶς λέγεται διὰ τὸ μέγεθος. *Idcirco,* inquit, *Peloris propter magnitudinem appellatur.* Cùm quo congruens Athenæus lib.3. ita scribit, πελωρίδες ... τὸ πελώριον, μείζων γάρ ἐστι χήμης ... *Pelorides nominata sunt à voce* πελώριον, *quod significat magnum, seu ingens, maior* ... *chama Peloris, & aliquanto ab ea differt magnitudine,* Varro lib.4. de lingua Latina, *in conchyliis,* inquit, *aliqua ex Græcis, vt peloris, ostrea, echinus.* AQVOSA] flaccida, sine callo illo, ex quo conchylia commendantur, vt Merula exponit. Domitius ait esse genus conchylij, quod nihil habeat præter aquosum quendam liquorem. Atqui Athenæus cap.7. lib.3. Pelorides nutrire, nec facilè excerni, bonum succum habere, stomacho conferre scribit. INGENVA GVLA] delicata, & ego cupediis capior. Ich eß auch gern gute Bißlin. TE CADMEA TYROS, ME PINGVIS GALLIA VESTIT] Te vestit purpura, me sagum Gallicum rude, & crassi villi tegit. Sic lib.2. ad Candidum dixit:

Misit Agenoridæ Cadmi tibi terra lacernas,
Non vendes nummis coccina nostra tribus.

Videtur endromidem intelligere per sagum Gallicum. Iuuenal.

——pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ, duri crassique coloris
Et malè percussas textoris pectine Galli
Accipimus.

Sagum tamen Gallica etiam vestis & Hispanica, super quo multa ad hunc locum Heraldus.

VIS TE PVRPVREVM, MARCE, SAGATVS AMEM?] amicorum est eodem vti cultu, nos planè diuerso vtimur, amici ergo veri non sumus. Et saga purpurea legimus apud Horatium lib. Epod. ode 9.

Terra, marique, hostis victus, Punico
Lugubre mutauit sagum.

Punico, id est, purpureo, vt ex Plutarcho, & aliis interpretatur Lambinus, non gratis ergo dixit, ME PINGVIS GALLIA VESTIT] vt alibi de Sequanica Endromide. Porro sagum vestis propriè militaris erat, opponebaturque togæ, color varius, ruber, albus, niger. Plura Baysius lib. de re vestiaria. Videtur tamen hic de Santonico cucullo loqui, qui & bardocucullus & bardiacus cucullus. Fortean & birrus. Iuuen.

De Sago Heraldus.

Tempora Santonico velas adoperta cucullo,

Vbi vetus interpres, birrum Gallicum explicat. Et Sat. Quod Græci coccum, Latini birrum vocarunt. Persij interpres ad versum Sat. 1.

Scis comitem horridulum trita donare lacerna, &c.

Scis birrum attritum comiti condonare.
Mart. lib. 2. de suis lacernis.

Non vendas nummis coccina nostra tribus.

Plura apud Grotium ad lib. 4. Martian. Cap. Pithæum lib. 1. Aduers. cap. 16. Meursium 2. Exercit. Crit. cap. 3. De eadem Iuuen. Sat. 9. VT PRÆSTEM PYLADEN, ALIQVIS MIHI PRÆSTET ORESTEM: HOC NON FIT VERBIS. MARCE VT AMERIS AMA] Ero ego Pylades, si tu fueris Orestes. Enimuerò amicitia hæc non in verborum quadam cerimonia, & el g ntia sita est, sed in opum quoque, & beneficiorum communicatione. Ille verè amat, vereque redamandus est, qui amico tenui suggerit rem, & auxilium. nec τῷ λόγῳ, sed τῷ ἔργῳ amat. De ope & beneficentia amicorum in amicos multa eruditus Senec. præsertim epist. 9. *Hecaton ait: Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine. Si vis amari, ama.* Ausonius epig. 90.

Hoc tibi tu præsta,
Marce, vt ameris, ama. Plura Heraldus.

De Fabulla.

XII. X

** illa. Versus aliequis deest.*
** deierat.*

Iurat capillos esse, quos emit, suos
*Fabulla; nunquid, * Paulle, * peierat?*

Iocus elegans in voce (suos) meum enim dico, quod vel natura mihi tribuit, vt manus, pedes, parentes, propinquos, &c. vel quod ab alio seu gratis, seu emptione accepi. Ita ager, liber, domus, &c. mea sunt. sic lib. 2. epig. 20. dixit.

Carmina Paullus emit, recitat sua carmina Paullus,
Nam, quod emas, possis dicere iure tuum.

Vide, quæ ex Seneca attulimus ad illum locum.

Pari sensu Fabulla cùm emerit capillos, quos gerit, quamuis iuret esse suos, tamen non peierat. Peierabat tamen Fabulla; natiuos enim, non empticios iurabat esse, quos ferebat, sed poeta peierantem lepidè excusat. Ad eundem modum iocatus est lib. 1. ad Fidentinum.

Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam,
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint.

De statua Iuliæ.

V. ad Iuliam.

XIII. XI.

** V. panet.*
** V. nolla.*
** V. liquor, id est, teneritudo.*

Quis te Phidiaco formatam Iulia cœlo;
*Vel quis Palladia non * putet artis opus?*
*Candida non * tacita respondet imagine Lygdos,*
*Et placido fulget viuus in ore * decor.*

* * *

Hæc est illa Iulia Marciæ Furuillæ filia, cuius postea natali die quodam Hierosolyma cepit Titus. Suetonius cap. 5. Tito. In Domitiano cap. 22. de morte. Ibidem. facit Iuliæ mentionem Iuuen. Sat. 2. Statuam è candidissimo marmore Domitianus Iuliæ, quam impensiùs amabat, exædificauit, argumentum amoris, quem per cestum, Iuliæ manu hærentem declarauit, cùm eo se percussisse, vt olim Iupiter à Iunone, & Mars à venere significaret, illumque cestum ait poëta, tam verum & potentem, vt videatur ab ipsius Cupidinis collo detractus, unò qui vincat eundem, vt si Iu-

no aut Venus cestum desideret, possit illum non iam à Cupidine, sed Iulia mutuum accipere. hoc enim duo sequentia disticha ostendunt, quæ in præleganda editione subtraximus. Hic poni possunt, vt magister intelligat epigrammati non deesse acumen, & sensum; quem nihil opus est, totum teneris auribus infundere.

Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo.
Quem rapuit collo, paruus Cupido tuo.
Vt Martis reuocetur amor, summiq; Tonantis,
A te Iuno petat ceston, & ipsa Venus.

PHIDIACO COELO] arte & manu Phidiæ statuariorum Promethei, de quo lib. 3. epig. 25. *Artis Phidiacæ toreuma cæli.* cœlum, calamus, scalprum latomorum & statuariorum, vti & celtes seu cæltes. cuius in Iobi historia mentio est. cœlo scribuntur lapides & inciduntur, &c. Phidiam autem hic potissimum nominauit, quòd plures formarit hic Veneres. Iulia autem tam eleganter erat effigiata, vt altera Venus, vel ipsa Venere pulchrior videretur. PALLADIÆ ARTIS] parum dixi, inquit Poëta, cùm te comparaui cœlo Phidiaco ipsa aliqua Pallas te finxit Iulia. Ingenium autem Palladi, vt artium inuentrici, & è cerebro Iouis editæ tribuitur. Virg. *Instar montis equum diuina Palladis arte*, &c. CANDIDA LYGDOS] Candidum marmor Lygdinum Iuliæ formam sic repræsentat, vt loqui videatur. aut si leges non tacta, refer ad candorem; est enim Lygdinum eximio candore. sermo tamen τὸ (tacita) Lygdos dixit συνεκδοχικῶς, vt si dicas, Paros candida pro Pario marmore candido. De Lygdino ex Tauro, & Arabia Romam allato Plinius lib. 36. cap. 8. nos infrà sæpius. VIVVS DECOR] explicat, quod antè dixerat, *tacita imagine*, tam viuus est color in imagine & vultu, vt statua loqui videatur. LVDIT MANVS ACIDALIO NODO] Iulia manu gestat Acidalium, seu Cupidineum nodum, hoc est, cestum, quo percussura videtur Domitianum. Cestus est baltheus seu cingulum Veneris variè pictum, in quo omnes Veneres & Gratiæ inerant. Homer. Iliad. ξ.

Plinius lib. 36.

Ἦ καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα
Ποικίλον· ἔνθα δέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο
Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς,
Πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.
Sic ait & lorum cesti, de pectore soluit:
In quo blanditiæ plures mortalia corda
Mulcentes inerant, sermo iucundus, amores,
Gratia, quæ mentem falsa dulcedine fucant.

Ab hoc cesto incestus & incestare, aliaque cognata deducuntur. SED NON MANVS ASPERA] In Cythera insula, Pausania teste, templum Veneris omnium antiquissimũ in Græcia fuit, vbi statua Veneris armata visebatur, ad quam videtur poëta respicere, cùm dicit, *non manus aspera.* Tu Iulia cestum geris manu tenera, molli, non aspera, vt Venus armata in Cythera. Baltheus autem armatæ conuenit, & cestus idem baltheo. VT MARTIS REVOCETVR AMOR, SVMMIQVE TONANTIS] Tu Venus, quando tibi vis placare iratum Martem, aut tu Iuno Iouem, pete cestum à Iulia, citius conciliabis hoc Iuliæ cesto, quàm si ab ipso Acidalio puero seu Cupidine accipias. Erat, vt fingunt poëtæ, hæc vis cesto, vt si quis eo tactus esset, statim eius amore, à quo tactus erat, caperetur. mythologiam fabulæ à mythographi pete. De cesto plura Geraldus syntag. 13. de Venere. Natalis Comes lib. 4. cap. 13. Plura de cesto Nicolaus Rigaltius ad Onosandrum p. 73. & sequentibus.

In Laberium.

XII. XIV.

Versus scribere posse te disertos
Affirmas, Laberi: quid ergo non vis?
Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi; virum putabo.

Fictum nomen hic Laberij est. alioqui notus est Laberius Mimicus, de quo Gyraldus histor. poët. dial. & Macrobius lib. 2. Satur. vixit cum Cicerone, & Cæsare, cui fuit Charissimus. Difficile poëta affirmat ingenium excellens, artem non ostentare: nullumque ferè esse, qui cùm aliquid se scire præter cæteros putet, nolit hoc alios de se scire. NON SCRIBAT, VIRVM PVTABO] contemptorem famæ, nominis, & gloriæ, quod difficile est, nisi fortè tibi *cornea fibra est.* Quid enim, vt ille apud Persium ait:

Ohe
Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?

En pal-

Enpallor, seniumq;. Et mox: *—an erit, qui velle recuset*
Os populi meruisse, & cedro digna locutus
Linquere, nec scombros metuentia carmina, nec thus?

Sed respondeat fortasse Laberius iste cum Persio.

—O mores: vsque adeóne
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Enimuerò quis nolit, quod sequitur.

—digito monstrari, & dicier hic est.
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?

Ipse Persius tandem cedit, cuius Satyram primam admodum intelliges ad hunc locum facere. Mentiri ergo Laberium affirmat iactantem se posse & nolle carmen condere.

De formica electro inclusa.

XV. XIII.

Dum Phaëtontæa formica vagatur in vmbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram.
Sic modò quæ fuerat vita contempta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

Dum formica sub populi frondibus repit, incidit in liquorem succini, quo deprehensa, veluti que visco implicita, per electrum lucebat nobilem sortita tumulum, vt suprà lib. 4. de vipera, epig. 59.

Ne tibi regali placeas Cleopatra sepulchro,
Vipera si tumulo nobiliore iacet;

Et ibidem epig. 32. de ape.

In Cinnamum.

XVII. XIV.

Cinnam, Cinname, te iubes vocari.
Non est hic, rogo, Cinna, barbarismus:
Tu, si Furius † antè dictus esses,
Fur ista ratione dicereris.

† V. ante.

Cinnarum olim in Rep. consularium clarissimum, & ob ciuiles tumultus nobilissimum erat nomen, vt est apud Cic. Plutarchum, & sexcentos alios. Cinnamus hic, vt se oriundum ab antiqua illa Cinnarum stirpe doceret, detraxit vltimam syllabam, vt pro Cinnamo Cinna diceretur. Iocatur in hunc, & irridet hanc nominis apocopen exemplo Furij, & furis. cæterà clara. Quis tonsor hic Cinnamus fuerit, alibi docebimus. * cuius & in Inscriptionibus mentio.

* li. 7. ep. 63. li. hoc ep. 64.

Ad Priscum de Salonino.

XVIII. XV.

Sancta Salonini terris requiescit Iberis,
Qua melior Stygias non videt vmbra domos.
Sed lugere nefas; nam qui te, Prisce, reliquit,
Viuit, qua voluit viuere parte magis.

Super obitu Salonini solatur Priscum patrem, an filium? Domitius patrem sine teste affirmat. SANCTA VMBRA] Manes enim veteribus sancti habiti. Cic. 2. de leg. Virgil. 5. Æn. & in Macrob. 3. Sat. cap. 3. res denique vulgaris. XII. Tabulæ: HOS LETO DATOS, DIVOS HABENTO. TERRIS IBERIS] In Hispania conditus tumulo. QVA MELIOR] quâ vmbra Salonini non est sanctior apud Inferos. VIVIT, QVA VOLVIT VIVERE PARTE MAGIS] animo, fama, gloria. Virtus quæ clara, æternaque habetur. —ἀρεταὶ γὰρ χρειοσονὲς εἰσὶ μέγα. καὶ θνήσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς. de gloria Ennius.

Nemo me lachrumis decoret, neque funera fletu
Faxit, nam volito viuos per ora virûm.

Sed

Sed posterior cogitatio magis arridet, quam subscribo. Saloninus quamuis mortuus, in te tamen, Prisce, qui alter es Saloninus, & dimidium illius, viuit, quem superstitem reliquit.

Horat. 2. lib. Od. 17.

Ah te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera?
Nec charus æquè, nec superstes integer.

Ouid. lib. 1. Trist. El. 3.

O bene, quòd non sum mecum conscendere passus
Ne mihi mors misero bis patienda foret.
At nunc, vt peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidia certe parte superstes ero.

Ergo Saloninus viuet, qua parte maluit, cùm te superstitem reliquit, pro quo oppetere illi votum erat.

In Postumum.

XVI. XIX.

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abesse furto:
Hoc iudex sibi postulat probari.
Tu Cannas, * *Mithridaticumq́; bellum,*
Et periuria Punici furoris,
Et Sullas, Mariosq́ue, Muciosq́ue
Magna voce sonas, Manuq́ue tota,
Jam dic, *Postume,* de tribus capellis.

* Mithridaticumq;

Ineptum docet Caussidicum, caussam agendam, nec extra chorum saltandum. Postumus verò omnia alia, hoc tantùm non agebat, quod agebat. Inuehitur grauissimè in hoc genus caussidicorum & declamatorum à caussa recedentium, immò & Rhetorum controuersias à foro alienas in scholis proponentium Petronius in Satyr. & ad eum Wouerius. Postumus fictum nomen. DE TRIBVS CAPELLIS] de re leui contendebam cum aduersario, & tu perinde ac si de imperio orbis ageretur, memoras grauissima bella. Omitte hæc, & redi in viam, dic de tribus capellis, id est, de caussâ. Ita Persius studiosos magis verborum, quàm caussæ caussidicos reprehendit, Sat. 1.

Fur es, ait, Pedio, Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis: doctas posuisse figuras
Laudatur. bellum hoc, hoc bellum, &c.

Et Quintilianus talem oratorem irridet lib. 9. Huc & illud Horatij pertinet.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Cùm magna ordimur, & in minimis desinimus, vt hic à bello descendit ad capellas. Contrarium dictum est, mira de lente. παραχορδεῖν, extra cantionem sonas Cannas, & bella. ἐξαγώνια καὶ ἀπροσδιόνυσα. TV CANNAS] Romanorum clade nobiles, & victoria Pœni. Liuius 3. Decade. res nota. MITHRIDATICVM] quod Pompeius patrauit, vt omnes priscæ historiæ referunt. ET PERIVRIA PVNICI FVRORIS] *Pæni fœdifragi* Cic. de off. ET SYLLAS, MARIOSQVE, MVTIOSQVE] de ciuili bello in Syllam, & Marium, verbum non amplius addo, cùm nemo, qui vel à limine salutauit historiam Romanam, ignorare possit. MVTIOS] Bellum Porsenæ significat, in quo Mutij gloria dextra enituit, diximus de hoc lib. 1. epig. 22. Et lib. 8. epig. 30. MANVQVE TOTA] totis viribus, conatu; lege Brissonij formulas. Etiam prouerbij speciem habet; oratores enim manu gestum faciunt, brachiumque iaciunt. Ad habitum orantis caussidici videtur hoc referendum, qui in actionibus brachia exercebat, oratorum more vt Cicero docet, & ad Sidonium Sauaro ad epist. 9. lib. 5. Etsi ad lib. 1. Martialis alium sensum attulimus. IAM DIC, POSTVME, DE TRIBVS CAPELLIS] tandem dic de re proposita, de caussa. tandem redi in viam. Lucilij epigramma ex quo hoc expressum. lib. 2. ep. Gr. εἰς ῥήτορας, propter elegantiam & prouerbium inde natum. (Aliud sus, aliud Menecles) libet adscribere.

Appianum lege.
Appianum de bello ciuili.

Χοιρίδιον καὶ βοῦν ἀπολώλεκα καὶ μίαν αἶγα
ὧν χάριν εἴληφας μισθάριον Μενεκλῆς
Οὔτε δὲ μοι κοινόν τι πρὸς Ὀθρυάδαν γεγένηται,
Οὔτ' ἀπάγω Πέρσας τοὺς ἀπὸ Θερμοπυλῶν.

Ἀλλὰ περὶ Εὐτυχίδην ἔχομεν κρίσιν, ὥστε τί κοινὸν
Ξέρξῃ δὲ μοι ξέρξες, καὶ Λακεδαιμονίοις,
Πλὴν κἀμοῦ μνήσθητί ποτε, ἵνα χεῖρα ἀπαλείψω
Ἀλλὰ λέγει μὲν ἐκεῖνος ἄλλα τὰ χοιρίδιον.
Sucula, bos, & capra mihi perire Menecles:
Ac merces horum nomine pensa tibi est,
Nec mihi cum Othryade quicquam estue fuitue negoci,
Nec Persas vllos exige Thermopylis.
Sed contra Eutychidem nobis lis, proindequid hic mi
Aut Xerxes afcit, aut quid Lacedæmonij?
Ob pactum & de me loquere, aut clamauero clarè.
Multo aliud dicit sus, aliud Menecles.

In Phœbum.

XX. XVII.

Mutua te centum sestertia, Phœbe, rogaui:
Cùm mihi dixisses, exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, méque diebus,
Téque decem crucias: iam rogo, Phœbe, nega.

In deparcum fœneratorem, vt suprà in Gaurum hoc scriptum est. CENTVM SESTERTIA] bis mille quingentos Philippæos. EXIGIS ERGO NIHIL?] nihil ergo vis, vt tibi donem? quando petis mutuum? INQVIRIS] nec mutua date, nec donare, nec negare audes; meque, teque dubitando, quærendo, hærendo occidis. quin negas citò, quod tandem negaturus es? minus ægrè feram. Quæso mihi Senecam audi; ex quo videri potest poëta lemma carminis accepisse. *Nihil æquè amarum, quàm diu pendere. Æquiore quidam animo ferunt præcidi spem suam, quàm trahi. Quid: tu non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adiicis? Inde illæ voces, quas ingenuus dolor exprimit. Fac si quid facis. Et: Nihil est tanti. Malo iam neges.* Et ibidem: *Qui tarde dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit; & tempus & argumentum amicæ voluntatis. Tardè velle, nolentis est. plura ibidem* lib. 1. de ben. c. 1. Aut distulit, aut timide negauit, &c. lege carmen infrà 30. ad Pætum, & lib. 7. in Ginnam. lege & Heraldum. P. Syrus. Pars beneficij est quod petitur, si cito neges.

Lib. 2. de Ben. cap. 1. & 5.

De Carisiano.

XXIV. XVIII.

Nil lasciuius est Carisiano.
Saturnalibus ambulat togatus.

Senatores, equitesque Saturnalibus ponebant togas, & sumebant syntheses, id est, vestes cœnatorias. quæ consuetudo obtinuit sub Imperatoribus primùm, vt Lipsius docet Sat. 1. cap. Carisianus pauper non habeat synthesim, sed togam tantùm, poëta irridens, caussam paupertatis adscribit lasciuiæ, quasi per lasciuiam contra morem incederet. Plura apud Lipsium super hac consuetudine. An poëta hoc dicit. Cum omnes lasciuiunt, solus Carisianus grauis & togatus incedit, quod ipsum est maximè lasciuire, à communi ciuitatis ritu & vsu discedere.

Ad Marcellinum.

XXV. XIX.

Marcelline boni soboles sincera parentis,
Horrida Parrhasio quem tegit vrsa iugo:
Ille vetus pro te, patriusq; quod optet amicus,
Accipe, & hac memori pectora vota tene:
*Cauta sit vt virtus, * ne te temerarius ardor*
In medios enses, sæuaq; tela ferat.
Bella velint, Martemque ferum rationis egentes:
Tu potes & † patriæ miles & esse * decus.

* V. nec.

† V. patris.
* V. ducis.

Marcel-

Marcellinum in Dacia, non Germania, vt vult Domitius (nam ipse poeta lib. 9. ita docet.

Miles Hyperboreos modo Marcelline Triones,
Et Getici tuleris sidera pigra poli, &c.

Dacos autem Xiphilinus Getas vocat. Idem li. 7. epig. 79. ad Faustinum Getarum facit mentionem, cum Marcellino à Faustino hunc librum vult mitti) tirocinia militaria ponentem monet, vt caute fortis sit. illum nihilominus, vt Vlyssem, patriam propugnare, eique decus immortale parere posse. SOBOLES SINCERA] vera patris imago, qua natura, qua ingenio, qua moribus de hoc eodem est lib. 3. 6. epig. Quod porro Marcellinum dicat Hispanum fuisse Domitius, coniectat opinor ex verbis poetæ, *patriusq; quid optet amicus.* Sed non affirmat se patrium amicum, quod ex eadem patria fuerit, sed à patre potius Marcellini patrium se poeta amicum vocat. Erat enim familiaris patri, cuius causa amanit filium. Ita proximo epigrammate patrium appellat vultum, quod similis sit patri. HORRIDA PARRHA. QVEM TEG. VRSA IVGO] Sarmatæ, Getæ, Sauromatæ, Daci, Germani omnes ad septentrionem habent. sed multo altiorem spectant vrsam Getæ, seu Daci, Scythæ, Norwegi, Poloni, seu Sarmatæ, quam Germani. PARRHASIO IVGO] cœlo Septentrionis. videtur ad Caucasum montem alludere in Scythia situm, de quo mentionem facit expresse lib. 9. epig. 46.

Ecce Prometheæ rupes, & fabula montis,
Quam prope sunt oculis nunc adeunda tuis, &c.

Ex quo simul loco aperte discis, non in Germania militasse. De sidere Parrhasio multa alibi diximus. Est versa gemina, minor, quæ & altior, & maior. fabula est apud Ouidium. Cætera in hoc epigrammate intelligis. TV POT. ET PATR. MILES, ET ESSE DECVS.] Turnebus lib. 25. c. 27. ait se in arcanis bibliothecis legere. TV POT. ET PATRIS MIL. ET ESSE DVCIS] prior tamen lectio mihi potior, vt dicat, caute pugna Marcelline. nam non solum arte militari præstas, sed & pacis, & artium ornamentis patriam cohonestare potes.

Ad Nepotem.

XX. XXIII.

Bis vicine, Nepos (nam tu quoq; proxima Floræ
Incolis, & veteres tu quoq; Ficelias.)
*Est tibi, quæ * patrij signatur imagine vultus,*
Testis maternæ nata pudicitiæ.
Tu tamen annoso nimium ne parce, Falerno,
Et potius plenos ære relinque cados.
Sit pia; sit locuples, sed potet filia mustum,
Amphora cum domina nunc noua fiat anus.
Cæcuba non solos vindemia nutriat orbos;
Possunt & patres viuere, *crede mihi.*

* Patria.

Nepotem vicinum hortatur ad genialem vitam. Quæro, quis hic fuerit Nepos? hominem diuitem fuisse constat ex versu sequente, quando monet, vt filiæ plenos ære cados relinquat. Sed nisi me fallit suspicio, fuit hic ipse, ad quem extat Plinii iun. epist. lib. 4. 26. vbi virum grauissimum, doctissimum, disertissimum appellat, & qui prætor vrbanus, & maximæ prouinciæ præfuerit. de eod. lib. 5. epig. 21. prætore. Ipse Martialis eundem lib. 10. epig. 48. ad conuiuium vocat.

Stella, Nepos, Cani, &c.——

BIS VICINE NEPOS (NAM TV QVOQ. PROXIMA FLORÆ INCOLIS, ET VET. TV QVOQVE FICELIAS.] Quo pacto Nepos bis vicinus sit poetæ, ipse poeta exponit. Nam ad Floram habitas, & Ficelias. De Flora lib. 5. c. 23. d. Erat 8. regione in tabulis vrbis descriptæ. Circus, & templum Floræ perspicua extant; erant è regione domus poetæ, qui via lata habitabat. FICELIAS] nescio quid hic ex Pompeio de Fregellis Domitius adferat. Nihil huc Fregellæ faciunt, de quibus Strabo lib. 5. Fregellas enim in Latio nobilissimam quondam ciuitatem, postremo vicum ait fuisse. Merula legendum docet Ficedulas, ita se in antiquo scriptum codice reperisse. Mei codices omnes habent constanter Ficelias, vt vix ausim mutare. Quod Plautum laudat in Captiuis, non firmat illius lectionem. Ficedulas enim affirmat quidem Lambinus vicum fuisse Romanum, nec testatur tamen. Et fuerit; an hic fuerit ad viam latam, septima regione, vel octaua, nemo, nec Sextus Rufus, nec P. Victor, nec quisquam docet. nullæ præterea tabulę vel Ficelias, vel Ficedulas nominant. Ad carmen intelligendum sufficit. Ficelias fuisse vel septima, vel octaua regione, quanquam existimem septima fuisse. Ita enim bis vicinus, hoc est, ex vtraq; parte viæ. Floræ nempe, quæ è regione, & Ficeliarum, quæ forte

contiguæ fuêre Martiali. Nisi *καὶ*, bis, referat ad diuersa tempora vel diuersa loca, quod ædium mutatione facile potuit fieri. Quid si intelligat villam Nepotis in via Nomentana ad Ficelias hoc est vicum veterem ita à ficis & copia arborum ficorum dictum, à quo & porta Ficulensis appellata. De Nomentana Martialis villa nulla est dubitatio. De Ficulensi Porta Liuius lib. 3. & P. Victor extremo suo libello Gerardus Gontius. EST TIBI, QVÆ PATRII SIGNATVR IMAGINE VVLTVS, TESTIS MATERNÆ NATA PVDICITIÆ.] Procreasti filiam tui simillimam, quæ plane refert omnibus oris delineamentis patrem, quod argumento est, esse tibi vxorem castam, & filiam hanc legitimam. Ordo verborum. Est tibi nata maternæ pudicitiæ testis, quæ patrii vultus imagine signatur, id est, quæ patrem refert & matrem. Catullus in Nuptias Iuliæ & Torquati.

Sit suo similis patri
Manlio, & facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam sua
Matris indicet ore.

Virgil. *Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.*
Horat. *Laudantur simili prole puerpera.*

Hesiodus queritur filios non similes gigni parentes: Οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίιος, οὐδέ τι παῖδες.

TV TAMEN ANNOSO NIMIVM NE PARCE FALERNO, ET POTIVS PLENOS ÆRE RELINQVE CADOS] Falernum hoc Nepoti missum ab iis, qui captabant hæreditatem Nepotis adhuc ἀπαιδος existimat Domitius, quod ante prolem susceptam egregie hauserit, postea modice biberit. Sed hæc [illegible] sunt nihil hic commentationibus opus. simpliciter monet Nepotem, vt nihilominus potet post filiam natam, vt ante, satis esse, si hæredi pecuniam relinquat, ipse porro bibat Falernum suum. sic & l. 13 ep. 126. monet. *Vnguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas;*
Ille habeat nummos, hæc tibi dona dato.

ANNOSO] ante multos annos condito, quod ætatem ferat. SIT PIA, SIT LOCVPLES, SED POTET FILIA MVSTVM. AMPHORA CVM DOMINA NVNC NOVA FIAT ANVS] bibat hornum vinum imo plane mustum filia, & ipsa condat sibi vina, quæ cum illa senescant, tu iam annosus annosum bibe Falernum. de musto plura lib. 13. CÆCVBA NON SOLOS VIND. NVTR. ORBOS. POSSVNT ET PATRES VIVERE, CREDE MIHI.] Vbi Cæcubum nascatur docet lib. 13.

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amiclis,
Vitis & in media nata palude viret.

Quo loco de generositate Cæcubi copiose ex scriptoribus variis diximus. Carminis sententia est. Cæcuba vindemia, id est, vinum nobile (est enim species pro genere) non tantum bibunt ij, qui carent hæredibus. sed patres etiam. licet enim & patribus indulgere genio, & genialiter viuere. æra relinquant liberis ipsi vnguentis & vino vtantur.

Vide Horatium. Quæ nunc [illegible] nata, condebant vinum [illegible] tunc prole [illegible] diem [illegible] tantum bauriebant.

Epitaphium Glauciæ ad viatorem.

XXVIII. XXI.

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciæ breues patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Iuncto Flaminiæ iacet sepulchro:
Castus moribus, † integer pudore,
Velox ingenio, decore felix.
*Bis senis modo * messibus peractis*
Vix vnum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas viator.

† innocens.

* vitiosissime legitur mensibus. quid ingeniosius in homine!

Totum hoc epigramma nobis clarum dabit Papinii epicedium, in hunc eundem Glauciam Atedii libertum. de quo idem Papinius in epistola ad Meliorem li. 2. Silu. *Primum, inquit, habet Glauciam nostrum, cuius gratissimam infantiam, & qualem plerumque infelices sortiuntur, apud te complexus amabam. Iam vero tibi huius amissi recens vulnus (vt scis) epicedio prosecutus sum, adeo festinanter, vt excusandam habuerim affectibus tuis celeritatem, &c.* LIBERTVS] Donatus statim à natali suo libertate. Papin. lib. 2. Silu. 1.

Hunc domus, hunc ortus, dominique penatibus olim
Carus vterque parens, atque in tua gaudia liber,

Ne quereret genus. raptum sed protinus aluo
Sustulit exultans, ac prima lucida voce
Astra salutantem Dominus sibi mente dicauit.

Hinc intelligo non puerum Glauciam tantum, sed parentes etiam manumissos. quid enim illa verba, *Carus vterq; parens, atq; in tua gaudia liber.*

Nonne liberum vtrumq; parentem pronunciant? TOTA QVI CECIDIT DOLENTE ROMA?] Stat.
Quid mirum? plebs cuncta nefas, & prascia flerunt
Agmina——

MELIORIS] Melior Atedius extra aleam controuersiæ clarissimus, ad quem sunt Papinii Arbor, & Psittacus, & epigrammata quædam Martialis. DELICIÆ BREVES] extinctus enim in pueritia. Papinius,

——*tu Domino requies, portusq; senectæ,*
Tu modo deliciæ, dulces modo pectore curæ.

IVNCTO FLAMINIÆ] viæ, extra vrbem, de qua supra. adi Marlianum. lib. 6. c. 19. Panuinium, Liuium, Strabonem, alios. Statius,

——*Flaminio qua limite Miluius agger*
Transuehit.——

Has delicias exponit latius Casaubonus ad Suetonium. lib. 3. pag. 175. Nec à Seneca alibi plura. Frequentes tumuli via Flaminia.

CASTVS MORIBVS, INTEGER PVDORE] Statius,
Hinc me forma rapit, rapit inde molestia præcox,
Et pudor, & tenero probitas maturior æuo.

Et noster in sequente, *Moribus hoc, formæq; datum,*——

VELOX INGENIO, DECORE FELIX] forma pueri ita describit Statius, vt formam omnem ipsa carmina sua forma superent; tute leges; & noster in sequente. de ingenio Statius.
Ipse pater sensus, ipsi stupuere magistri.

Recitabat enim Homerum, & alios poetas. BIS SENIS MODO MESSIB. PERACTIS, VIX VNVM PVER APPLICABAT ANNVM.] Prope tredecennis erat, duodecim annis, inquit, vix applicabat vnum, vitiose quidam legunt mensibus, non messibus. puerum enim duodecennem, & amplius natum fuisse docent illa, *Velox ingenio, castus moribus, integer pudore.* Nam quod ingenium notaretur in annuo aut bimulo? Et Statius diserte,

O vbi ventura spes non longinqua iuuentæ
Atque genis optatus honos, iurataq; multum
Barba tibi?——

Et, *Iam tamen & validi gressus mensuraq; maior*
Cultibus, & puero visa decrescere vestes.

QVI FLES TALIA, NIL FLEAS VIATOR.] A fausta imprecatione concludit. Felix esto, quicunq; infelicitatem huius pueri defles. Felices enim non flent.

De eodem.

XXII. XXIX.

Non de plebe domus, nec auaræ verna catestæ,
Sed domini sancto dignus amore puer.
Munera cum posset nondum sentire patroni,
Glaucia libertus iam Melioris erat.
Moribus hoc, formæq; datum; quis blandior illo?
At quis Apollineo pulchrior ore fuit?
Immodicis breuis est ætas, & rara senectus:
Quidquid amas, cupias non placuisse nimis.

Sensus est, tu Glaucia non es emptitius, aut venalitius seruus, sed libertus Melioris, Meliore clarissimo viro dignus puer. DE PLEBE.] Seruili, & ex Ægypto aduecta, venumq; exposita, quanquam non tota illa plebs seruilis; diuisus erat (vt in Vespas. Tranquillus) populus Alexandrinus in sacerdotes, & plebem; plebs partim libera, partim serua. Iuuenalis Niliacam plebem seruili conditione notat. abiecta procul dubio fex. Tacitus, *quidem è plebe Alexandrina.* Papinius,
Hic mixtus variis venalis mercibus infans.

Non est ergo tibi domus de plebe, sed domo Melioris natus es. NEC AVARÆ VERNA CATASTÆ.] Nec es verna venalitius, ita natus domi, vt venum in catasta cum reliquis seruis exponerere. sed ita natus, vt merito à Meliore amarere. Statius.
Non te barbarica versabat turba catasta.

Ita lego, vt infra, *totus census*; non sensus: in sensu enim nullus sensus. SANCTO] casto, recto. CATASTÆ.] auaræ dicit, multi enim quæstum faciebant è seruorum venditione. Quid est catasta? Omnes locum aiunt, vbi venales exponuntur serui, ἀπὸ τοῦ καθίστασθαι, quod est exponere. Ita Tibullum, Statium, Martialem, Persium exponunt. Persius tamen de compede videtur loqui Satyr. 6.

Cappadocas rigida pingues pauisse catasta.

Erat enim catasta machina lignea, longaque compedis forma, seruis credo venalitiis iniecta, vnde dicti ipsi serui catasti, non calastri, non calasastri, & catastri, quorum verborum nulla est auctoritas. Vitiose enim Beroaldus, Rhodiginus, & alii, qui aliter legunt, quam catastas. Vitruuius firmat nostram sententiam. lib. 8. c. 4. *Ideoq; semper*, inquit, *transmarinos catastos emere formosos. &c.* ad quem locum Philandrum doctissimum interpretem adhibe. In historiis Christianorum Athletarum varie vsurpatur hæc vox, catasta, & vere pro omni genere torquendi. Prudentius de S. Laurentio, pro craticula. cum dicit,

Postquam vapor diutius
Decoxit exustum latus,
Vltro è catasta iudicem
Compellat affatu breui, &c.

Alias pro suggestu, seu tabulatis, seu equuleo, in quæ martyres cruciandi leuabantur, vt conspici ab omnibus possent. Prudentius,

Audite cuncti, clamo, longe prædico,
Emitto vocem de catasta celsior.

Erat & instrumentum tortorum, de quo Saluianus lib. 3. de vero iudicio. lege Baronii Martyrolog. de S. Cyriaco. Plinium lib. 35. c. 18. Accipitur ergo, pro loco, & compedibus. Hæc fusius consulto: quod omnes fere Persii, Tibulli, Martialis interpretes, tantum de loco exponant, taceant de compede. MVNERA CVM POSSET NONDVM SENTIRE PATRONI, GLAVCIA LIBERTVS IAM MELIORIS ERAT] infans enim manumissus est, vt superiore carmine ex Papinio docuimus. MORIBVS HOC FORMÆQVE DATVM] cœlestem Glauciæ formam describit Papinius. de moribus supra dictum. IMMODICIS BREVIS EST ÆTAS, ET RARA SENECTVS. QVICQVID AMAS, CVPIAS NON PLACVISSE NIMIS.] præcox indoles immaturi fati est. Seneca: Nunquam immodica durarunt. Alciatus.

Martialis tamen hæc & his plura. Sat. 6.

Odi pupillos præcocis ingenij.

Et Papinianus in epistola, *cuius*, inquit, *gratissimam infantiam, & qualem plerumq; infœlices*, id est, ὠκύμοροι, *cito morituri, sortiuntur*. Extat apud Iouianum Pontanum lib. de serm. 3. dictum ingeniosi pueri; qui cum audisset à quodam, huiusmodi pueros consuesse, vbi ad ætatem peruenissent robustiorem, ingenio subcrassescere. *Næ*, inquit, *ô bone vir, puerulum te oportet scitum fuisse admodum*. Gellius lib. 13. cap. 2. *In iuuenilibus ingeniis*, ait, *sibi idem placere, vt in pomis immaturis acerbitas ipsa placet*, &c. Huius ingenii fuit Hermogenes, qui octodecennis conscripsit Rhetoricam, anno vero quarto, & vicesimo mentem, memoriamque prope omnium rerum amisit. De præcoci indole Quintil. lib. 1. cap. 3. prorsus huc facit Alciati emblema 208. de amygdalo. Super his verbis (immodicis &c.) Hera dus totas paginas impleuit. Par fere ratio est formæ, immo citius illa fugit. Ouidius 2. de Arte,

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.

Tibullus lib. 1. *Forma non vllam fata dedêre moram,*
Nemesius Ecl. 11. *Donum forma breue est, nec se tibi commodat annis.*

Sed elegantissime Seneca in Hippolyto, vbi locus huic rei proprius, cuius initium.

Anceps forma bonum mortalibus, &c.

Et Hercule Oetæo. QVICQVID AMAS] κοινῶς dictum, quasi ad lectorem. si quid amare cupis, vide, vti sit mediocre, quia, quod nimium placet, nimis cruciat, dum habes, & prope enecat, cum amittis. Arriani volue Enchiridion ex epicteto collectum, vbi locus ille huc facit: In vno quoque eorum, quæ aut iucunda sunt, aut vtilia, aut cara, memento cogitare, quale quidq; est initio à minimis sumpto. Si ollam diligis, dic, ollam diligo: ea enim confracta minime perturbaberis: si filium, aut vxorem, dic te hominē diligere, nam mortuis ipsis, non mœrebis. Fecit hoc æuo propè nostro religiosissimus, & sapientissimus Imper. Ferdinandus, qui cum vitream arcem, seu castellum miro artificio conflatum, Venetorum donum, viris principibus, qui ad eum ipsius salutandi causa aduenerant, iussisset ostendi, ac timide admodum famuli responderent, fractum esse, lenissime respondit. VITREVM ERAT: perinde quasi diceret, non mirandum aut dolendum, quod vitrum sit fractum, fragile fuisse. Cogitasset hoc ille Romanus, qui ob fractum crystallinum, puerum iussit murænis depascendum obiici. Plura super hoc noster Lælius * Biscicola, qui in tota litterarum κυκλοπαιδείᾳ seu orbe disciplinarum regnat. Ne quid ergo nimis μηδὲν ἄγαν seruandum. Illud hic disce, vltimum versum superioris epigrammatis:

* Lib. 2. subsec. cap. 22. pag. 153.

Qui

Qui fles talia, nil fleas viator.

Quæ scriptura prorsus aliam explanationem desiderat, quam ego pro meo sensu adfero, donec alius feliciorem: *Nisi fles talia viator, nihil amplius fleas*, hoc est, statim morere, vt flere non possis, aut in saxum, vel feram migra, quibus similior es, quam homini, qui flere talia solet.

In Pætum.

XXIII. XXX.

Sex sestertia si statim dedisses,
Cum dixti mihi: sume tolle, dono:
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis;
At nunc cum dederis diu moratus,
Post septem puto, vel nouem Kalendas,
*Vis dicam tibi veriora * veris?* * Vero.
Sex sestertia, Pæte, perdidisti.

Nobile carmen, & varium intellectu, pro varia interpunctione. Prima sententia est, quæ verbis ipsis inhæret. Si mihi ducenta sestertia * mutua dedisses, statim ac petini, & tu dixisti, accipe, deberem iam tibi pro illis ducentis * sex ratione fœnoris. Sed cum iam primum dederis, amisisti illud sex sestertiorum fœnus. Altera sententia, & sine dubitatione melior, atque ex ipsius, credo, poetæ animo. Si mihi tantum donasses sex sestertia, cum pollicitus es, deberem tibi tantas gratias, quantas soluerem, si donasses ducenta. nunc quia sero admodum, & vix tandem, quod promisisti, largitus es, amisisti omnem gratiam, qui enim cito dat, bis dat. DEBEREM TIBI PRO DVCENTIS] gratiam, aut fœnus pro ducentis sestertiis, id est, pro ducentis millibus sestertiûm.

* quinquaginta Philipp.
* hoc est centenos quinquagenos Philippeos pro fœnore.

POST SEPTEM, VEL NOVEM CALENDAS] menses. SEX SESTERTIA PÆTE PERDIDISTI.] Si citius dedisses VI. sestertia, nunc fœnus ducenta acciperes, iam nihil potes exigere, cum primum dederis. Sed melius ad gratiam beneficii refertur, vt adagionem respiciamus. *Χάρις γὰρ βραδὺς ἄχαρις*. Nec est ignotus Luciani versus,

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ,
Πᾶσα χάρις κενεή, μηδὲ λέγοιτο χάρις.
Gratia, quæ tarda est, ingrata est gratia: namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

His accinit Mimus ille Publius,

Bis est gratum, quod opus est, vltro si offeras. Et,
Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter.

Rectè & Alciatus Emblemate 162. de Gratiis,

Addita cur nuper pedibus talaria? bis dat,
Quis cito dat, minimi gratia tarda pretii est.

His adde Senecam de Ben. lib. 2. c. 1. *Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægre dimittere visus est, & sic dare, tanquam sic sibi præriperet* De eodem est totum cap. 5. quod supra citauimus in Phœbum. Lib. 7. epig. in Cinnam est eiusdem argumenti.

De morte Othonis.

XXIV. XXXII.

Cum dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo,
Forsitan, & posset vincere mollis, Otho,
*Damnauit multo * staturum sanguine Martem,* * V. Saturni iam. al. Saturatum.
Et fodit certâ pectora nuda manu.
Sit Cato, dum viuit, sane vel Cæsare maior:
Dum moritur, nunquid maior, Othone, fuit?

Mortem Othonis Imperatoris, & bellum cum Vitellio curiose scribit Suetonius, cuius pater Suetonius Lenis ipsi prælio interfuit. Tacitus item, Poeta laudat animum Othonis tanto maiorem, quanto minus à delicato, & mulieroso tale facinus exspectabatur, componitque eundem cum Catone Vticensi, quem desperatis rebus ferrum adhibuisse constat, istum dubiis, imo melioribus. ENYO.] Dea belli pro ipso bello (nam & Bellona dicitur) posita est. Virgilius, Statius, Martialis lib. spect. vbi plura. CVM DVBITARET.] Cum adhuc ancipiti, dubioque Marte Otho cum Vitellio pugnaret. *Nam quamuis ad Bebriacum*, (Bedriacum Taciti, Betriacum Pithœi, & Lissi exemplaria habent) *fraude superatus esset, tamen multas, & integras copias superuenientibus aliis à Dalmatia, Pannoniaq; & Mœsia habebat, ne tamen cum tanto rerum & hominum periculo dominationem sibi asserere perseueraret, pudore potius, quam desperatione victus, subito moriendi impetum cœpit*, inquit Tranquillus. MOLLIS OTHO.] De Othonis muliebri munditie, facie pane illita aliisque eius nugis idem Tranquillus c. 12. Iuuenalis Sat. 2.

De nomine chva. nomine Enyo.

> *Res memoranda nouis annalibus atq; recenti*
> *Historia speculum ciuilis sarcina belli,*
> *Nimirum summi ducis est occidere Galbam,*
> *Et curare cutem summi constantia ciuis.*
> *Bebriaci in campo spolium affectare palati,*
> *Et pressum in faciem digitis extendere panem,*
> *Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,*
> *Mœsta nec Actiaca fecit Cleopatra carina* &c.

De luxu eiusdem eadem fere Tacitus lib. 2. hist. & Aurelius Victor in Othone. DAMNAVIT MVLTO STATVRVM SANGVINE MARTEM.] Ciuilia bella exosum Othonem etiam priuatum adhuc refert Tranquillus cap. 10. Et vero illa elegans Othonis oratio apud Tacitum ostendit, quam abhorruerit à ciuili clade. *Hunc*, inquit, *animum, hanc virtutem vestram vltro periculis obiicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si viuere placeret, pulchrior mors erit.* Sed pulcherrime apud Dionem loquitur. *Multo*, inquit Otho, *melius est, multoq; iustius vnum pro multis, quam pro vno multos interire. Ego quidem Mutium esse malim, aut Metium, aut Curtium, aut Regulum, quam Marium, quam Cinna, quam Sylla*, &c. ET FODIT CERTA PECTORA NVDA MANV.] Vno se traiecit ictu infra læuam papillam, Suetonius. Et Tacitus *vnum vulnus* repertum ait.

SIT CATO, DVM VIVIT SANE VEL CÆSARE MAIOR. DVM MORITVR, NVNQVID MAIOR OTHONE FVIT?] Elogium à contentione Catonis, & Othonis. Cato quidem vita superauit Iulium, & Othonem, sed Otho vicit Catonem moriendo. Ille enim desperatis rebus, hic adhuc prope integris latus hausit. Miles Cæsareus apud Suetonium illum *fortissimum virum, vnicum Imperatorem appellauit*. Tacitus *duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio tantundem apud posteros meruit bonæ famæ, quantum malæ*. Dio. *Regnauit* (Otho) *dies nonaginta, cumq; pessime omnium vixisset, mortuus est honestissime, & imperium, quod cum magno scelere inuaserat, cum maxima virtute deposuit*.

In Cæcilianum.

XXXV. XXV.

Septem clepsydras magna tibi voce petenti,
Arbiter inuitus, Cæciliane, dedit.
At tu multa diu dicis, vitreisq; tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.
Vt tandem saties vocemq;, sitimq;, rogamus,
Iam de clepsydra, Cæciliane, bibas.

In molestum caussidicum est epigramma, quem inter dicendum bibentem, vt vires reuocaret, horasque orando expleret, poeta monet, vt si velit bibere, exhauriat aquam clepsydræ, id est, finiat orationem, qua occidebat auditores. SEPTEM CLEPSYDRAS] Clepsydra, seu hydrologium, horologium est aquarium, aqua horas dimetiens. nam vasculum est vitreum graciliter fistulatum, per quod guttatim defluit aqua inclusa, stillicidioque exhauritur, vnde nomen deductum est ab aquæ furto. κλέπτειν enim Græcis est furor, & ὕδωρ aqua. Non fuisse tamen semper vitream constat ex Vitruuio sed æneam cupream, argenteam, auream lego. Fuit quasi phiala, è qua furtim aqua fluebat, & vbi reliquisset inanem phialam, tempus exactum esse designabat, quæ in alterum spacium rursum per ministrum replebatur. Ego tamen haud vnam omnium esse crediderim

crediderim, quod variam variorum descriptionem reperiam. Et vidimus in ædibus clarissimi, & amplissimi M. Velseri, II. viri Augustani. describit hanc Apuleius libro 3. Milet. Vitruuius loco dicto. Catanæus ad Plinii Iunioris epistolam 23. libro 1. Claudius Minos ad lib. 2. epist. 11. Beroaldus ad secundam Tusculanam, & ad tertiam Apulei. Suidas in verbo κλεψύδρα. Cælius Rhod. lib. 18. cap. 19. Christophorus Clauius lib. 1. Gnom. pagin 2. & alii. Morem fuisse, vt ad clepsydram Oratores & Græci, & Latini dicerent, ex Æschine contra Ctesiphontem, ex Cicer. Tusc. 2. & 3. de Oratore, Plinio Iuniore multis locis, & Martialis hoc ipso, & lib. 8. ipse discis. Sunt, qui vascula velut duos turbines, commissaniant, vt hodie arenariæ, clepsydræ fiunt. Sed hoc quæro, quod ad rem est, quantum temporis vna clepsydra continuerit. hic quot auctores lego, tot fere sententias reperio. Sunt qui singulas clepsydras singulis horis definiant, ita vt clepsydra horam totam complectatur, in qua sententia est Domitius hoc loco, & libro 8. epigr. 7. Christophorus Clauius lib. 1. Gnom. pag. 2. Alii tribuunt clepsydræ mediam horam. Catanæus ad lib. 6. Plinii Secundi epistola 2. Nonnulli tres clepsydras vni horæ, quemadmodum definit Alexander Neapolitanus libro 4. cap. 20. Catanæus etiam lib. 2. ad epist. 11. quinque clepsydras vni dat horæ. Ita idem modo duas, modo quinque assignat. Ego totam hanc disputationem ab vno, alteroue loco Plinii Iunioris pendere video. Is enim libro 2. epist. 11. in hæc verba scribit. (*Dixi horis pene quinque; nam decem clepsydris, quas spaciosissimas acceperam sunt addita quatuor.*) Prope fidem excedit, quam varie locus hic a variis legatur. Catanæus legit *viginti*. Tiraquellus ad Alexandri Neapolit. libro 4. cap. 20. *duodecim*. Claudius Minos *decem*. Beroaldus, *tribus clepsydris*. Budæus numerum clepsydrarum omnino prætermittit, quamuis postea ponat *duodecim*. Ita vnde poterat lis definiri, inde maior ex varietate lectionis existit. Ex Catanæi sententia vigintiquinque clepsydræ efficerent quinas horas solidas. Et quia Secundus dixerat, pene quinque, interpretatur Catanæus fuisse clepsydras vigintiquatuor. Tiraquellus sedecim, non ex mente Alexandri. Alexander enim tribus clepsydris horam concludit. Ex cuius sententia petiuisset Plinius decem clepsydras, quibus fuissent adiectæ quatuor, quæ definiunt quinque horas, sic vt extremæ pars tertia desit, quam vox, pene, declarat. Vt singulæ clepsydræ singulas horas complectantur, hoc loco ferri non potest, cum dicat se quinque horas dixisse, & clepsydris, quas ait se capacissimas petiuisse, seu decem, seu pluribus, &c. adiectas esse quatuor. non petiuit igitur vnam, nec vox tribus, admittenda. nam numerus trium clepsydrarum, non erat capacissimus. cum hoc carmine legamus Cæciliano septem petitas, & concessas. Quis arbiter componet nobis controuersiam? Catanæus dum explicare se, suumque Secundum conatur, seque, Pliniumque, & nos secum inuoluit, dum affirmat ex Philostrato clepsydram ad quoduis temporis spacium aptari potuisse, & fuisse aptatam. Vt hoc ita esse demus, in aliis certe Oratoribus & Caussidicis nego clepsydras incerti spacii fuisse. quamuis clepsydrarum numerus fuerit incertus ita vt intra certum numerum potuerit pauciores, aut plures petere, ipsæ tamen clepsydræ certum temporis spacium continebant. Alioqui frustra poeta Cæcilianum notaret, quod septem clepsydras, id est, longum dicendi tempus petiuerit. Sex horas ex lege accusator. vt Plinius Iunior libro 4. epistola 9. scribit, nouem reus habebat. nec erat necesse, vt vnus consumeret omnes. Olim viginti dies dabantur accusatori, totidem reo. Ascon. in Ciceronis præturam. Claudius Minos rem dissimulat. Accipe etiam doctissimi Iurisconsulti de hac re disputantis verba, quæ tibi rem, quantum & ipse potuit discere, & dicere, proponent & exponent. Sic enim Budæus pagina 372. Annotat. in pandectas. *Græci etiam non libera spacia ad agendum Oratoribus, sed ad aquæ stillicidium dabant, clepsydras appellantes; vt nunc horarum spacia non horoscopiis tantum, sed etiam vasculis arenariis distinguimus in medio striatis, ac pertusis, in quibus arena ad pollinariam exilitatem succreta vasculi conuersionibus vitro, citroq; commeando horas metitur. Cicero libro tertio de Oratore, de Pericle loquens. Ad hunc non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, &c. Idem Plinius Iunior de accusatione Prisci, & Martiani in senatu loquens. Dixi horis pene quinque, nam clepsydris, quas spaciosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. Atque ita Romani Græcorum more ad clepsydram orabant. Qui mos, vt opinor, inualuit Ciceronis ætate. Quanquam in causa Rabirii in semihoræ curriculum ab Labieno accusatore coactum se esse Cicero ipse conqueritur. Neque vero semper ad clepsydram dicere iubebantur, sed sæpe liberæ actiones erant, vt ex Plinio ostenditur libro 6. epistolarum. Iam illa periucunda vna dicentibus, quod Regulus libera tempora petebat, quod audituros corrogabat. Quid denique iucundius, quam sub alterius inuidia, quamdiu velis, & in alieno auditorio quasi deprehensum dicere? His enim verbis significat eum, qui libera dicendi spacia petebat, iisdem aduersario concedere, ita vt is, qui respondebat, posset vel longiorem, vel breuiorem orationem habere citra inuidiæ, aut pudoris periculum, cum ex tempore respondere videretur, palamque ea corona, quam ipse Regulus inuitauerat. Et rursus. Nam post quam obiit Regulus, illa increbuit passim, & inualuit consuetudo binas, vel singulas clepsydras, interdum & dimidias dandi, & petendi, nam, qui dicunt, egisse malunt, quam agere: & qui audiunt, finiri, quam iudicari. Et rursus. An nos sapientiores maioribus nostris? nos legibus ipsis iustiores? qui tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur. nos paucioribus clepsydris præcipitamus causas, quam diebus explicari solebant. Quanta autem clepsydræ mensura fuerit, mihi non constat. Et illud ipsius Plinii de duodecim clepsydris varie in exemplaribus legitur. Nec horæ illæ, vt opinor, æquinoctiales fuerunt quales nunc obseruamus, sed temporales erant, atq; vulgares, Has Græci,* [illegible] *dicunt. vnde illud Demosthenicum:* ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι εἰπάτω *dicat, inquit,*

vel ad clepsydram meam. Apparitor autem, qui aquam infundebat, & huic ministerio præfectus erat, ἐφ' ὕδωρ appellabatur, & prouerbium inde natum, ὑπὲρ τὸ ὕδωρ ἐκχυνόμενον λέγειν, supra clepsydram dicere, & præter aquam, & aquam perdere apud Quintilianum in vndecimo, & alia non pauca. Hæc Budæus. lege adagionem *aquam pei aere.*

Ergo summa eo redit, horas legitimas accusatori datas, senas, reo nouenas, subinde liberum dicendi tempus, petitum, & concessum. Clepsydras cœpisse fere Ciceronis tempore, postea maxime vsurpatas. quantum temporis spacium continuerint, propter corruptum Plinii locum sciri definite non posse. Ex sententia Alexandri Neapolitani septem clepsydræ tertiam horæ partem cum duabus integris notarent. ex Catanæo vel tres, & dimidiam, vel, vnam cum duabus partibus. Ex Domitii, & quorundam aliorum septem solidas. Balbutit etiam Franciscus Polletus aliquid de clepsydra, in historia fori Romani, capite 11. Ego cum in primo commentario comperendinassem, nec in secundis locum explicassem, tandem in Analectis sententiam pronunciaui opinione mea certissimam & ex ipso Plinio demonstratam, Quamuis ad lib. VIII. epigram. VII. ibi locum reseruarim cum tamen hic prior occurrat hæc placet ex Analectis omnia transferre. Multum sane aquæ consumpsi in vsu clepsydrarũ perdiscendo, &c. nec scio an aliis perinde ac mihi, tandem eius cognitionem assecutus existimabor. Reliqui rem in medio, & primo commentario, & secundis Curis. *Analecta* sententiam pronunciabunt. Dixeram pendere litem à varia scriptura epistolæ apud Cæcilium Secundum, vbi legitur. (Dixi horis pene quinque, nam decem clepsydris, quas spaciosissimas acceperam, sunt additæ quatuor) pro decem clepsydris, alii rescribunt tribus, alii duodecim, alii viginti. Seruo vulgatam scriptura & lego decem clepsydris vti & Claudius Minos, & ex antiquo codice Catanæus legit. Deinde (contra quam hactenus censui) definio singulas clepsydras singulis horis. Etsi hydrologiorum vascula possint duas, tres, quatuor, & amplius distinctas horas horas continere, sic tamen vt signis & notis singularum horarum spacia secernantur. Præterea Plinium aio petiuisse decem horas, quinque non totas dixisse alteras quinque subscriptori Tacito, qui secundo loco dixit, reliquisse, quatuor adiectas esse pro testibus audiendis, ita vt toto triduo causa in senatu fuerit peracta, quod ipse Plinius docet, cum scribit. Iam hoc pulchrum & antiquum senatum nocte dimitti, triduo vocari, triduo contineri. Nec esse hæc mea νοήματα, sed rem ipsam, ex eodem Plinio secundo planum facio, qui epistol. 9. libro 4. in hæc verba de causa Bassi tradit: Nam cum è lege accusator sex horas, nouem reus accepisset, ita diuiserat tempora reus inter me, & eum, qui dicturus post erat, vt ego quinque horis, ille reliquis vteretur. Viden' horas nouem ordinarias, inter duos patronos fuisse distributas? Audi quæ porro narret Plinius. Egeram tribus horis & dimidia, supererat sesquihora: sed Bassus multis precibus, pene etiam lachrimis obsecrabat, implerem meum tempus, parui. Successit mihi Lucius Albinus, &c. Postero die pro Basso egerunt Titius, Homulus, & Fronto mirificè: quartum diem probationes occuparunt. Ergo Plinius ex nouem horis quinque impendit, reliquî quatuor. spaciosissimas ergo clepsydras appellat decem, horam nempe præter legem, vt Cinna decem horas apud Martialem, cum nouem ex lege haberet. Ita libro 6. ep. 35. Cæcilianus accusator septem clepsydras petiuit, cum ex lege sex horas haberet. Septem ergo clepsydræ septem horæ sunt, vti & decem apud Plinium clepsydræ, decem horæ, quibus quatuor sibi Cinna petiit addi clepsydras apud Martialem. Obseruandum etiam libera subinde tempora à prætore, vel senatu petita, nam penes hos erat vltra legem, dicendi spacia caussidicis prorogare. Hoc idem Secundus ostendit. Iam illa perquam iucunda vna dicentibus, quod libera tempora (Regulus) petebat. De horis, clepsydris idem tempus complectentibus affirmant quæ dixi, quæ apud Plinium eadem epistola sequuntur, cum queritur de caussidicorum inertia & horis ex lege, litibus non impensis. Nam postquam, inquit, obiit ille (Regulus) increbuit passim & inualuit consuetudo binas vel singulas clepsydras, interdum & dimidias dandi & petendi. Nam & qui dicunt, egisse malunt quam agere, & qui audiunt, finiri, quam iudicare, tanta negligentia, tanta desidia, tanta denique irreuerentia studiorum, periculorumq; est. Et subiicit post suorum & priscorum temporum contentionem. Nos paucioribus clepsydris præcipitamus causas, quam diebus explicari solebant. Hoc intelligendum interim, clepsydras horis accommodatas, non horas clepsydris, siue horæ essent æquales siue inæquales.

ARBITER.] Iudex. VITREISQVE TEPENTEM AMPVLLIS POTAS SEMISVPINVS AQVAM.] At tu post longos logos interiungis, & potas aquam tepentem, vel sole, & mora iam egelidam, vel igne calefactam. Comesse autem, & bibisse nonnunquam Oratores inter actionem ex Quintiliano intelligas, cum eiusmodi genus Oratorum carpit libro 11. cap. vltimo. *Bibere*, inquit, *aut etiam esse inter agendum, quod multis moris fuit, & est quibusdam, ab Oratore meo procul absit, &c.*

SEMISVPINVS] exprimit gestum bibentis, & ampullam exhaurientis, cum caput supinant, vt ij, qui amphoras totas siccant. AMPVLLIS] libro 3. ampullas inter vnguentaria vasa numerauerat noster poeta in illo versu. *Et Cosmianis ipse fusus ampullis.* hic poculi genus est, quod non hians, sed angustum os habebat, vt Plinius lib. 4. epistolarum docet, formam ampullæ habes ex antiquis marmoribus expressam apud Baysium lib. de vasculis. eadem dicebatur amphoris, quod vtrinq;

trinque ansata esset. VT TANDEM SATIES VOCEMQVE, SITIMQVE.] Hunc versum sanauit Turnebus libro 25. capit. 27. cum antea legeretur, vt tandem facias vocemque, sitimque prauo sensu. Vt tandem, inquit, tibi satisfacias clamando, & dicendo, bibe de clepsydra, illamque exhauri, id est, finem decentes facias; aqua enim exhausta silentium imponebat Oratori. Plinius de tribunatu lib. 1. epist. 23. *Primum quod deforme arbitrabar, cui assurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus sedentibus stare, & qui iubere posset tacere quemcunque, huic silentium clepsydra indici.*

De filio Reguli.

XXVI. LXXVI.

Adspicis, vt paruus, nec adhuc trieteride plena
Regulus auditum laudet & ipse patrem?
Maternosque sinus visa genitore relinquat,
Et patrias laudes sentiat esse suas?
Iam clamor, centumq; viri, densumq; corona
Vulgus & infanti Iulia templa placent.
Acris equi soboles magno sic puluere gaudet:
Sic vitulus molli prælia fronte cupit.
Di Seruate, precor, *matri sua vota, patriq;,*
Audiat vt natum, Regulus, illa duos.

Laudat filium Reguli Oratoris, faustaque eidem ominatur, quod tamen votum inane fuit. TRIETERIDE PLENA] nondum triennis, aut trimulus. Trieteris spacium trium annorum complectitur. Fuit apud Græcos festus dies tertio quoque anno instauratus ob expeditionem Bacchi, qui triennio abfuit, Diodorus Siculus libro 3. Τριετῆ δὲ χρόνον ποιησάμενον τὴν στρατείαν, φασὶ τοὺς Ἕλληνας ἀπὸ ταύτης τῆς αἰτίας ἄγειν τὰς τριετηρίδας. *A triennio vero in peregrinationibus exacto Græcos instituisse trieteridas tradunt.* REGVLVS LAVDET ET IPSE PATREM?] Regulus filius trimulus audit orantem patrem, eiusque eloquentiam suspicit. MATERNOSQVE SINVS VISO GENITORE RELINQVAT] auidus patris audiendi, negligit matrem, velut iam cum ætatem ingenio præcurrens, aucibus relictis maiora spectat. SENTIAT.] Ita supra libro 5. de Burro Parthenii filio. *Sic Burrus cito sentiat parentem.* SVAS] in se deriuari, vel hæredem non bonorum, sed laudum etiam, & virtutum, vt Cicero de suo Marco. CENTVMQVE VIRI.] *Centumuiralia iudicia*, inquit Festus, *à centum viris dicta sunt. Nam cum essent Romæ triginta quinque tribus, quæ & curiæ sunt dictæ, terni ex singulis tribubus sunt electi ad iudicandum, qui centumuiri appellati sunt. Et licet quinque amplius, quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, centumuiri sunt dicti.* Causas, quæ apud centumuiros tractabantur, plerasque enumerat Cicero libro 1. de Oratore. *Iactare se in centumuiralibus, in quibus vsucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluuionum, circumluuionum nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium iura versentur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare deniq; ciuis, aut peregrinus, seruus, aut liber quisquam sit, ignoret, insignis est impudentia.* Erant autem centumuirales causæ in hasta diuisæ auctore Quintiliano lib. 5. c. de præiudiciis. Auctus est postea numerus centumuirorum, manente tamen semper eodem nomine diuisusque est in consilia. Plinius libro 6. epistol. 33. ad Romanam. *Fœmina splendide nata &c. quadruplici iudicio bona paterna repetebat, sedebant iudices centum, & octoginta, tot enim quatuor consiliis conscribuntur, quibus omnibus præerat prætor*, eodem Plinio auctore lib. 5. epistola vltima. Ex quo loco intelligis, decurias iudicum, quæ in foro iudicabant, diuersas esse à centumuirorum consiliis. Erant hæc centumuirorum consilia quatuor, in quadam Basilica inter se adeo propinqua, vt actiones vnius tribunalis ab alio exaudiri possent. Plinius & Quintilianus. ab his iuuentus Romana tirocinium inchoauit, vt ab Homero in scholis. Plura de iis apud Budæum in Pandectis cognosces. Et plenius atq; articulatius, Rzuardus libro singulari Protribunal. c. 19. & 20. tom. 5. Tract. Tractatuum CORONÆ] populi tribunalia iudicium circumstantis. IVLIA] Iuliam Basilicam intelligit regione octaua, templum Iulii Cæsaris in foro. Basilicam nominat P. Victor post XIV regiones, vbi omnes basilicas enumerat. Domitius exponit Capitolium, cum expresse Plinius Secundus lib. 5. epist. 21. *descenderam Basilicam in Iuliam, &c.* de qua libro 12. Quintilianus capit. 5. de Trallio loquens.

Reguli huius mores ingenuam, eloquentiam lib. 1. 13. ep. capite se ex Vanio & Secundo describuntur.

Quadraginta quinq; in vno consilio.

Certo,

Certe, inquit, *cum in Iulia Basilica diceret primo tribunali, quatuor autem iudicia, vt moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectum, & quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini.* Hinc discis, ingentes fuisse clamores in centumuiralibus caussis, cum quatuor consilia in vna æde cogerentur, vt poeta recte dixerit, IAM CLAMOR, CENTVMQVE VIRI, &c. INFANTI.] Regulo Reguli filio placent actiones apud centumuiros, quasi & ipse iam cuperet insistere vestigia patris. ACRIS EQVI SOBOLES] alludit Horatium *fortes creantur fortibus. Est in iuuencis, est in equis patrum virtus.* De eodem filio Plinius Iunior lib. 4. epist. 2. *Erat puer acris ingenij, sed ambigui, qui tamen posset recta sectari si patrem non referret.* MOLLI] ἀκεραίως, nondum cornutus, ita vocat molles damas. Eleganter Claudianus Pan. de IV. Consul. Honorii.

Mart lib. 1. ep. 98. Cum clamant omnes, &c.

—— Sic mollibus olim
Stridula ducturum pratis examina regem
Nascentem venerantur apes & publica mellis
Iura petunt, traduntque fauos. sic pascua paruum
Vindicat, ac necdum firmatis cornibus audax
Iam regit armentum vitulus: sed prælia differ
In iuuenem, patiensque meum cum fratre tuere
Me bellante locum ——

DII SERVATE PRECOR MATRI SVA VOTA, PATRIQ.] Solennis priscorum bene precandi formula. Plautus Capt. Hegio.

Serua Iupiter supreme, & me, & meum gnatum mihi.

Et Cistellaria, *seruate me dij obsecro.* Tibullus lib. 1. elegia vltima, *Dij patrij seruate lares.* Idem Terentius Adelphis, & Andria, *serua me obsecro.* Virg. 2.

Dij patrij seruate domum, seruate nepotem.

Et alibi sæpius. Noster Poeta lib. 11. pro Nerua.

Hunc omnes seruate du...em, seruate senatum.
Moribus hic viuat principis. ille suis.

Plura qui desiderat Brissonium lib. 1. p. 76. & 78. adeat. VOTA] filium, qui patrem virtute, & eloquentia quondam æmuletur. AVDIAT VT NATVM REGVL. ILLA DVOS] mater audiat perorantes vtrumque Regulum, filium tamen non audiuit mater, cui Regulus filium emancipauerat, vt hæres matris fieret. Mortuus est puer, vt Plin. lib. 4 c. 2. refert. *Regulus filium amisit, &c. amissum luget insane. habebat puer mannulos multos & iunctos, & solutos, habebat canes maiores, minoresque: habebat luscinias, psittacos, merulas, omnes Regulus circa rogum trucidauit, nec dolor erat ille, sed ostentatio doloris.*

In Raucum Poetam.

XLI. XXVII.

Qui recitat lana fauces, & colla reuinctus,
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

Raui laborans poeta quispiam, focale ad fauces, & guttur seruandum adhibeat. Martialis absurdum eius factum à contrariis, & pugnantibus notat. Tu quia fauces obligas, ostendis te raucum esse, non posse loqui, idem tamen cum raucus ascendis, & recitas, negas te posse tacere. Nec tacere ergo, nec loqui nosti. quod ἀσύστατον. De more vero fauces (vnde focale dictum est) obligandi, alibi fusius. 14. ep. 142.

De more vocem aud[...] vocis [...] lib. 10.

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

Hinc in quendam male recitantem lib. 4. epig. 41.

Quod recitaturus circumdas vellera collo,
Conueniunt nostris auribus ista magis.

TACERE.] Cum non minor virtus sit, loco & tempore posse linguæ imperare, quam loqui, imo importune garrire est insanire. Eleganter Publius Mimus.

Tacere quisquis nescit, hic nescit loqui.

Quintil. lib. 8. c. 5. Quid? quod miser cum loqui non posset, tacere non poterat.

De Etrusci thermis.

XLII. XXVIII.

*Etrusci nisi thermulis * lauèris,*
Illotus morieris Oppiane.
Nullæ sic tibi blandientur vndæ,
Nec fontes Aponi rudes puellis,

* V. lauaris.

Nec

Non mollis Sinuessa, feruidiq;
Fluctus Passeris, aut superbus Anxur,
Non Phœbi vada, principesq; Baiæ,
Nusquam Nitidum micat serenum:
Lux ipsa est ibi longior, diesq;
Nullo tardius a loco recedit.
Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx, & Libys altius cecidit,
Siccos pinguis onyx anhelat æstus.
Et flamma tenui calent Ophitæ.
Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore
Cruda virgine, Martiaque mergi,
Quæ tam candida, tam serena lucet,
Ut nullas ibi suspiceris vndas,
Et credas vacuam nitere Lygdon.
Non attendis, & aure me supina,
Jam dudum quasi negligenter audis.
Illotus morieris, Oppiane.

A morbo Oppiani sumit occasionem laudandarum Etrusci thermarum, quas lib. 1. Siluarum Papinius eleganter describit. Romæ erant in ipsa vrbe. Oppianum autem poetam, sua opinione, non Poetam Martialis iudicio, in his thermis luem morbi abstersurum dicit, aut illotum moriturũ. ILLOTVS MORIERIS] alii enim fontes, & balnea non eluent labes corporis tui. nisi etiam ad versus Oppiani illotos, quod non existimo, respiciat. Oppianus enim, vt lib. 7. leges, pallidus affectabat poësin, eo solum nomine, quod palleret. pallent enim ob studium boni poetæ. Sed Oppianus naturæ, non laborum vitio laborabat. Tu lector nihil hîc cogita de Oppiano Græco poeta, qui posterius vixit, & scripsit. NEC FONTES APONI] Aponus Græca vox, vt est apud Cassiodorum. de nomine & caussa nominis ibidem Cassiodorus. *Scilicet Aponum sine labore, seu tormento, cura, sine horrore, remedia facilia, impunita*, &c. Fontem Aponum Patauio vicinum nobili poemate laudat Claudianus.

Fons, Antenoreæ vitam qui porrigis vrbi, &c.

Illo. mo. an hic quod illautus.

Quem Gothorum Rex Theodoricus, Cassiodoro teste muro cinxit. In eundem Tiberius auguria imperii captans proiecit aureos talos, vt Suet. c. 13. in Tiberio memorat. hodie thermæ Venetorum sunt. Lucan lib. 7. eiusdem eundem celebrat,

Euganeo si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens ——

Plinius vocat *aquas Patauinas* lib. 2. c. 103. Et vicum, & fontem qui in vico erat, Aponum vocabant. Sed nullus adeo accurate, qui in Cassiod. lib. 2. epist. 39. Aloisium Architectum Theodoricus Rex Gothorum harum aquarum naturam perspexit, & descripsit, cuius epistolam longiusculam [illegible] percurras ego propero. RVDES PVELLIS] veracet Claudianus, ita Theoricus loquitur caussam hanc cur fontes Aponi rudes dicantur puellis. Domitius lepide Rudes exponit rusticanos. rusticus certe non tam rustice interpretetur. rudes vocat intactos fontes puellis, quod in eum fœminæ non descendāt. Cassiodorus enim lauacrum illud singulari pudicitię disciplina sanctum ait, *in eam enim vndam, in qua viri recreantur, si mulier descendat, incenditur*, inquit, id est, calore exuritur. Intactæ igitur puellis, & incognitæ illius fontis aquæ, & inde rudes, quasi non expertæ puellas. An poeta simul ad Verecundiam Patauinarum puellarum respexit, quam Plinius iunior commendat, cum de muliere pudica, eam Patauinis mulieribus frugalitatis exemplum esse posse scribit. Et noster lib. 11. ep. 11.

Tu quoq; nequitiae nostri lususq; libelli,
Vda puella leges, sis Patauina licet.

Est

Est qui *puellis* referat ad *blandientur*, & *rudes* ad *fontes* nullo artificio, ingenio, mangonio, exornatos, sed ipso solo naturæ ductu commendabiles. Sed hoc contra Cassiodorum est & quæsitum. placet rudes puellis, intactos puellis exponere. NON MOLLIS SINVESA] Huius vrbis, & thermarum varii auctores meminerunt Plinius, Strabo, lib. 4. Stephanus, Liuius, Hubertus Golzius, Leander. Vrbs fuit Campaniæ maritima, Græcis Synope quondam dicta. De aquis Sinuessanis non Suessanis, vt vitiose nonnulli, Plinius. *in eadem*, inquit, *Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem feminarum, & insaniam virorum abolere creduntur.* Plutarchus. [Greek] *misit contra illum Otho in agrum Sinuessanum.* Tacitus lib. 1. Historiæ. & lib. 12. de Claudio, *reficiendis viribus mollitie cœli, & salubritate aquarum Sinuessam perrexit.* Et Martialis sæpiuscule. MOLLIS] ob cœli mollitiem, & loci amœnitatem. FERVIDIQ. FLVCTVS PASSERIS.] Inferi maris Campaniæ locus. Iunius cum Domitio ex Iuuenale; sed de Iuuenale falluntur. Iuuenalis enim ibi non de passere fluuio, sed homine loquitur, quem à salacitate, & nequitia, quadam similitudine; & metaphora passerem vocat. Versus est Sat. 9.

Dic passer cui tot montes, tot prædia seruas
Appula? —— In Næuolum est tota Satyra.

Promontorium Circeum apud Terracinam Terracinensium, &c.

AVT SVPERBVS ANXVR.] De Anxure dictum est ep. 1. libro 5. Ad Tarracinam enim, quæ & Anxur, duo flumina conficiunt paludem, non parua aquarum salubritate, vt Mart. ibid. cecinit,

Siue salutiferis candidus Anxur aquis.

NON PHŒBI VADA] sine controuersia intelligit Cumanum littus, in nobilissimum Phœbi templum Virgilius Æneid. 6. describit, vbi Æneas ad inferos descensurus cum Sibylla oraculum accepit. de eodem templo Statius, Silius, alii: totus autem ager Cumanus, Strabone auctore aquis sulphureis, & thermis abundat. Et locum hunc intelligi ipse poeta exponit sequentibus verbis *principesq; Baiæ*, quæ sunt ad Cumas. De nobilitate Baiarum sæpius, & plenius supra pluribus locis dictũ. nec Phœbi hominis priuati balneas, vada vocaret poeta. NVSQVAM TAM NITID. MICAT SEREN. LVX IPSA EST IBI LONG. DIESQ. NVL. TARD. A LOCO RECEDIT] Statius.

Lib. 11. ep. 81. singulari carmine laudat Baias.

Multus vbiq; dies, radiis vbi culmina totis
Perforat, atq; alio sol improbus vritur æstu.

SICCOS PINGVIS ONYX ANHELAT ÆSTVS.] De his marmorum generibus Papin. lib. 1. Syluarum in Epithalamio Stellæ.

Hic Libycus, Phrygiusq; silex, hic dura Laconum
Saxa virent, hic flexus Onyx, & concolor alto
Vena mari, rupesq; nitent, quis purpura sæpe
Œbalia, & Tyrij moderator liuet aheni.

Onyx & gemma, & vas vnguentarium, & genus marmoris est. Etsi vas vnguentarium ex Onyche marmore fieri potuit, & factum fuisse existimem, vt & alabastrina fiebant. de gemma Plinius lib. vlt. de vase vnguentario Martial. lib. 11.

Profertur Cosmi nunc mihi siccus Onyx.

De marmore Plin. lib. 36 c. 6. Et hoc loco Martialis. dicitur à colore vnguium, à quo & Onyx gemma. Sensus est. Onyx pinguis, seu sudans anhelat æstus siccos, id est, solem, perinde ac si hominis more æstu balnearum laboret, nec aliud dicit, quam in thermis Etrusci etiam inter alia marmora reperiri Onychem, quem tamen Statius negat fuisse.

Mæret Onyx longe, queriturq; exclusus Ophites.

Sed & Ophiten ponit in thermis noster. TAYGETI MET.] Statius de marmore Lacedæmonio.

Vix locus Eurotæ viris, cum regula largo
Sinnada distincta variat, &c.

Cunctis hilarius Lacedæmonium viridem armor, quod hic intelligit poeta, ait esse, Plin. li. 36. c. 7. Taygetus autem mons est Laconiæ, Strabo lib. 8. *Est autem Laconico terra montibus obnoxia, & memorant quidam Taygeti verticem hoc modo abruptum. Lapicidinas habet Lapidis pretiosi*, &c. Quod autem poeta metalla vocat, [Greek] accipe. metallum enim ad ferrum, aurum, cuprum, argentum, &c. & ea, quæ igne liquescunt, refertur. lapis in puluerem redigitur. Sic locutus est Statius.

Sola nitet flauis Nomadum decisa metallis
Purpura ——

Taygeti pluribus locis meminit Statius Sil. li. 1. Tiburtino Manlii. Et li. 2. in Surrentino Pollii.

Candida purpureo distinguitur area gyro,
His & Amiclæ cæsum de monte Licurgi,
Quod viret & molles imitatur rupibus herbas.

VARIO DECORE] colorum varietate marmora. QVÆ PHRYX ET LYB. ALT. CEC.] Marmor Sinnadicum, & Nomadicum, purpureum illud, flauum hoc Nomadicum, intelligit. Statius,

Sola nitet flauis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cauo Phrygiæ quam Sinnados antro
Ipse cruentauit maculis lucentibus Atys.

Idem

Idem lib.1.Sil.2. *Hic Libycus Phrygiusq; silex*, &c. vbi Bernartius vbertim docet, cur marmor Numidicum, Lybicum, cur Sinnadicum, Phrygium dicatur.

Plinius lib.35.cap.1. *vt ouatus esset Numidicus, vt purpura distingueretur Sinnadicus.* de Sinnada Oppido lib.5. de Nomadico lib.36.cap.6. Ita Statius in Surrentino Pollij;

Sinnade quos mœstâ Phrygia sedere secures
Per Cybeles lugentis agros? vbi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.

Et de Nomadicis; *Hic Nomadum lucent flauentia saxa*——

ALTIVS CECIDIT] magnas marmorum moles effodit. ET FLAMMA TENVI CALENT OPHITÆ] Ophites marmor, à serpentum maculis dicitur. ὄφις enim est serpens Græcis. Plinius lib. 36. cap.7. *Differentiaq; est earum ab Ophite, cùm sit illud serpentium maculis simile.* FLAMMA TENVI CALENT] vapore temperato. RITVS VT PLACEANT TIBI LACONVM] Qui sunt hi ritus, ipse poëta subijcit, *contentus potes arido vapore, Cruda virgine*, &c. *mergi.* Sudabant in cellis in modum cubiculorum cameratarum in hemisphærium extructis. *Cella erat*, inquit Mercurialis lib.1. c.10. (*quam Laconicum appellabant*) *nullam aquam intra se continens, ad prouocandum sudorem potissimùm instituta, & obid à nonnullis calida sudatio, sicuti à Cicerone & Celso assa nuncupata.* Celsus absolutè tantum Laconicum lib.2. cap.17. vocat: *Sudor etiam duobus modis elicitur, aut sicco calore, aut balneo. Siccus calor est & arenæ calidæ & Laconici & clibani, & quarundam naturalium Sudationes.* Columella de re Rustica ipso principio. Mox deinde vt apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exsucto sudore sitim quærimus, noctesque libidinibus & ebrietatibus, dies ludo vel somno consumimus. Dio lib.53. πυριατήριον λακωνικὸν nominat. Vitruuius lib.5. c.10. Laconicum. Seneca sudatorium. Describuntur hæc omnia accuratè à Dione l. d. Celso lib.11.cap.17. Vitruuio lib.5. Plinio epist. ad Gallum de villa Laurentina. Politiano Miscell. cap.38. Alciato parerg.6. c.3. Philandro ad Vitru. Mercurial. cap.10.lib.1.copiosè. AQVA VIRGINE] à sudatione, frigidâ se mergebant Lacones, quibus calida omnino erat interdicta, frigida quotidiana, qua de Plutarchus lib. de Institut. Laconicis. Cic.11. Tuscul. Idem Romani factitarunt, calida tamen abluti. Plinius ep.7.lib.2. Mercurialis super hac re tota plenè lib.3. gymnast. cap. 14. Aquam Virginem deduximus ex fontibus suis lib.5. ep.21. & aliis. Martiam Plinius laudat. lib.31. cap.3. *Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisq; palma præconio vrbis. Martia est inter reliqua Deûm munere vrbi tributa.* Ibid. de Virgine.

Plut. Alcibiade.

CRVDA VIRGINE, MARTIAQVE MERGI] Aquam frigidam vocat crudam Virginem, & nomen aquæ Romæ nobilissimæ Aqua Virgo, & aqua Martia, cui dat primas Plinius. CRVDA] gelida natiua, non fracta calore. de aqua Virgine vide Lucam Pætum:

De aquâ Virgine plenius suprà. & Lucas Pætus librum de ea scripsit. & Frontinus de aquaduct.

QVÆ TAM CANDIDA, TAM SERENA LVCET, VT CREDAS VACVAM NITERE LYGDON] Argenteam vocant, & cristallinam: poëtæ liquidam, & puram vndam. vt nullam, inquit, suspiceris vndam: Ouidius.

——*lapis est numerabilis omnis.*

LYGDON] Lygdos marmor est in Tauro natum candidissimum, secundum locum ab alabastrite obtinet in vasis vnguentariis, Plinius lib.36. LYGDOS] continens pro contento. ex lygdo Lygdinus lapis: & vocat genere fœminino, vt Thason, & Cariston. Ergo pauimentum Lygdinum. Fuere sanè nobilissima, quod ex vno Velseri monumento, & fragmento discis, quod totum egregiè & eruditè exponitur pag.240. & 241.242. in monumentis Augustanis, &c.

NON ATTENDIS, ET AVRE ME SVPINA] auris supina significat vel animi auersionem, vt suprà notauimus, vel vt hoc loco gestum, & habitum propè dormientis, cùm caput in humeros inclinamus, qui pigritiam, & negligentiam ostendit. Tu ergo Oppiane, quia mihi non auscultas salutaria monenti, morieris illotus, non curabis valetudinem tuam, nec absterges morbi saniem. Nam si te non capiunt thermæ Etrusci, nullæ capient. Heraldus putat Martialem in homonymia vocis illotus, seu illautus, ludere, sic, vt illautus opponatur lauto, sordidus liberali.

Tam salubres sunt thermulæ Etrusci, vt illæ solæ, vel nulla te curare possint.

Ad Castricum.

XXIX. XLIIII.

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baiæ,
Canaq; sulphureis nympha natatur aquis:
Me Nomentani confirmant otia ruris,
Et casa iugeribus non onerosa suis.
Hic mihi Baiani soles, mollisq; Lucrinus,
Hic vestræ mihi sunt, Castrice, diuitiæ.

** v. quacumq;.*

*Quondam laudatas * quocumq; libebat ad vndas*
Currere, nec longas pertimuisse vias,
Nunc vrbi vicina iuuant, facilesq; recessus,
Et satis est, pigro si licet esse mihi.

Castricus Baias petiuerat, Martialis ait sibi Baiarum loco esse suam villam Nometanam, dum se penitùs à morbo recreet, ægrum enim fuisse è verbo, (Confirmant) intelligas. INDVLGENT] more poëtico. Castricus enim Baiis indulgebat. FELICES] de nobilitate Baiarum suprà sæpius dictum. CANAQVE SVLPHVREIS NYMPHA NATATVR AQVIS] Nympha, limpha, aqua, vt infrà,

Nympha mei Stellæ, quæ fonte domestica puro
Laberis ———

CANA] quia sulphurea. A spuma item Catullus mare canum dixit,

Tortaq; remigio spumis incanuit vnda,
Emersere feri candenti gurgite vultus.

Et mox. *Nutricum tenus extantes è gurgite cano.*

ME NOMENTANI CONFIRMANT OTIA RVRIS] Nomentanam villam sæpius laudat Martialis, vel potiùs extenuat. lib. 2. ep. 38. in Linum. lib. 2. ep. 106. li. 7. ep. 92. lib. 9. ep. 61. lib. 10. ep. 94. & 48. Et sæpius lib. 13. atque aliis. Rus autem Martialis haud procul ab vrbe prope suburbanum erat, de quo nos suprà. nec diuersum fortè à rure Nomentano. CONFIRMANT] verbum ad eos refertur, qui ex morbo conualescunt. quo Cicero sæpius vsus est epistolis ad Tironem lib. 16. me ægrum, inquit poeta, restituit fundus Nomentanus. ET CASA IVGERIBVS NON ONEROSA SVIS] Villa pro modo fundi ædificato, nec nimis magna, nec parua nimis. vt Catonis est præceptum, pro agri ratione & modo habendum ædificium, ne villa fundum quærat, neue fundus villam. Columella lib. 1. cap. 4. Plin. 18. cap. 6. Cætera quæ sequuntur clara. de Lucrino lacu suprà fusè, vt & de thermis, aliisque laudatis aquis. ET SATIS EST, PIGRO SI LICET ESSE MIHI] Non longus me ab vrbe recessus nunc pigrum, vel potiùs adhuc ægrum recreat. Grata quies ægris.

In Calliodorum.

XLIV. XXX.

Festiuè credis te, Calliodore, iocari,
Et solum multo permaduisse sale.
Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes,
Sic te conuiuam posse placere putas.
*At si ego * non belle, sed verè dixero quiddam:*
Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

** v. nunc vellem tibi verè dicere.*

Calliodorum impurum scurram detestatur. MVLTO SALE] te solum putas iocos, & lepores posse spargere, quibus affectas potentiorum cœnas. EGO NON BELLE] quia sine ioco vitium exponam tuum. NEMO PROPINABIT, CALLIODORE, TIBI] propter oris impuritatem nemo te inuitabit, tecumque bibet, qui os tuum nouit. regredere ad lib. 2. ep. 15. in Hermum.

Ad Catianum.

XLVI. XXXI.

Vapulat aßiduo Veneti quadriga flagello,
Nec currit: magnam rem, Catiane, facit.

Sensum hunc inesse reor verbis. Auriga ex Venetorum factione equos quadriiugos assiduè verberat, vt ante alios metam contingant, nec tamen efficere potest, vt currant, eoque rem magnam facit, cùm factionem suam omnium ludibrio, & risui exponit, dum plus aliis mouet, minusque promouet, nec ad metam, nisi postremus cum dedecore peruenit, vti rem magnam faciat, quòd audeat cum tali quadriga cum aliis factionibus in certamen venire. Sed enim non magni nec mirares, si cum pigris equis non potuit ante alios metam contingere. Aliud videtur latere, quod nos interpretes non videmus. An hoc dicit: Quadriga Veneta, hoc est, factio Veneta inuisa Domitiano, grata quondam Vitellio, assiduè conuitiis laceratur, nec currit, nec vnquam vincit. magnam rem facit εἰρωνικῶς, nihil inde habet pretij. VENETI] aurigatoris, agitatoris, seu aurigæ, qui in circo flectebat metas. Genera aurigarum erant quatuor coloribus distincta. Venetorum, qui cæruleum ferebant, Cœlo, & Mari sacri. Prasinorum, qui viridem, terræ, seu veri, & floribus dicati. Russatorum, qui igni, & Marti. Alborum, qui albos viridi mixtos gerebant pannos. de qua

re lege

re lege præter alios complures Bulengerum, qui sibi hoc de circo, & aurigis argumentum proprium sumpsit. de aurigarum coloribus tractat cap.48. Venetus dicitur à Veneria, & coniungit album cum viridi, id est, aërem cum terra. De iisdem factionibus quatuor Aurigatorum plenè Panuinius lib.1. de lud. Circ. cap.10.

Ad Hiantida Nympham.

XXXII. XLVII.

*Nympha * mei Stellæ, quæ fonte domestica puro*
Laberis, & domini gemmea tecta subis:
*Siue Numæ coniux Triuiæ te misit * ab antro,*
Siue Camœnarum de grege noua venis:
Exsoluit votis hac se tibi virgine porca
Marcus, furtiuam quod bibit æger aquam.
Tu contenta meo iam crimine, gaudia fontis
Da secura tui: sit mihi sana sitis.

* v. mei.

* ab Anni. Tr. vel ad Annam.

Occasionem captat laudandi fontis Stellæ. Æger poëta furtim hauserat aquam ex fonte Stellæ, quæ vt sibi non noceret, vouit Hiantidi porcam. Hic se votum ait soluere, porroque rogat, vt securus fontem illum Hiantidos bibat. Hiantida vocat aquam ab vxore Stellæ, quæ Violantilla apud Statium. & ficto nomine Asteris. cùm ipse Stella, seu Ἀστὴρ diceretur, suam postea coniugem Asterida appellauit, cui & carmen hoc nomine inscripsit. DOMINI] Stellæ. GEMMEA TECTA] tam eleganti, & vario marmore domum factam, vt gemmea videatur. Papinius hanc describit lib. 1. Sil. in epithalamio Stellæ,

Digna Deæ sedes. nitidis nec sordet ab astris;
Hic Libycus, Phrygiusq; silex, hic dura Laconum
Saxa virent, hic flexus Onyx, & concolor alto
Vena mari, rupesq; nitent, queis purpura sæpe
OEbalis & Tyrij moderator liuet aheni.
Pendent innumeris fastigia nixa columnis,
Robora Dalmatico lucent satiata metallo.
Excludunt radios siluis decussa vetustis
Frigora. perspicuis viuunt in marmore fontes.
Nec seruat natura vices, hic Sirius alget,
Bruma tepet, versumq; domus sibi temperat annum.

SIVE NVMÆ CONIVX TRIVIÆ TE MISIT AB * ANTRO] Siue è specu Egeriæ coniugis Numæ, siue ex fonte nouem Musarum, quibus amica Egeria, aut ipsa vna ex Musis. Ouid.3. Fastorum.

* ab antro. al. Anna.

Vallis Aricinæ silua præcinctus opaca
Est locus, antiqua relligione sacer, &c.
Defluit incerto lapidosus murmure riuus,
Sæpe sed exiguis haustibus inde bibi.
Egeria est, quæ præbet aquas Dea grata Camœnis,
Illa Numæ coniux, consiliumq; fuit.

TRIVIÆ] Dianæ Aricinæ ab Anna Peranna, seu Perenna colebatur; vnde legunt nonnulli hoc loco, TRIVIÆ TE MISIT AB ANNA. SIVE CAMŒNARVM DE GREGE NONA VENIS] Egeriam nonnulli vnam ex Musis existimarunt. Dionysius Halicarnasseus. *Fabulantur enim identidem ad eum ventitasse Egeriam Nympham, eumq; regiam prudentiam docuisse. Alij non Nympham, sed vnam Musarum, idq; manifestum omnibus esse factum*, &c. Liuius lib.1. ait à Numa lucum cum fonte, & specu Musis consecratum. *Lucus, inquit, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua: quò quia se persæpe Numa sine arbitris, velut ad congressum Deæ inferebat, Camœnis eum lucum sacrauit, quòd earum sibi consilia cum coniuge sua Egeria essent. & soli fidei solenne instituit.* Poëta ergo dubitat, an Egeriæ, vel Musæ fons sit ex antro Egeriæ in ædes Stellæ ductus. Quod Domitius putat, alludi hic ad nouem aquarum ductus vrbis, haud scio, an non sit longiùs à vero ductum. Procopius tradit fuisse XIV. P. Victor XX. Aquam Stellæ extra vrbem in vrbem aduectam non eo negatum. Quæro, quando nomen aquarum ductus in Vrbe fuerint? EXOLVIT VOTIS HAC SE TIBI VIRGINE PORCA MARCVS, FVRTIVA QVOD BIBIT ÆGER AQVAM] Dianæ alij, alij Proserpinæ votum hoc, & victimam cæsam dicunt. Atq; Diana eadem Proserpinæ. quæ in cœlo Luna, in terris Diana, apud inferos Proserpina, appellatur. Sed quamobrem immolauit Martialis Proserpinæ? Nihil hic poëtæ cum Proserpina negotij: Aquam Nympham appellat, quam & clam hauserat. illi se votis cæsâ porcâ exoluit.

Exponoigitur locum aliter. Porcum immolabant ij, qui piaculum aliquod admiserant, aut insani extiterant, aut liberis auxerant familiam. Eustathius Iliad. T. testis adsit ad expiationes adhibitum porcum, qui Æschylum pro sententia laudat.

> Πρὸς ἂν παλαγμοῖς αἵματ@ χοιροκτόνου
> Αὐτὸς σε χεῦναι ζῶσι καθαρσίοις χερῶν.

Et Plautus in Menechmis & Rudibus. Horatius Sat.3. lib.2. ad quem locum Plauti, & Horatij vide Lambinum. Huc facit vetus Adagiographorum dictum, porcum immola. Poëta etsi fortè non insanus ab animo, æger tamen corpore putabat se piaculum admisisse, quòd æger clam, & furtim ex Hiantide biberit, eoque factum, & furtum suum porca piat. Nihil dubito, quin sanus lector sententiam nostram, vbi & carmen Martialis probè expenderit, & adagium, locumque Plauti cum interpretibus inspexerit, sit probaturus. TV CONTENTA MEO IAM CRIMINE, GAVDIA FONTIS DA SECVRA TVI: SIT MIHI SANA SITIS] Tu Nympha Hiantis, tu sacer fons Stellæ, ob victimam tibi immolatam sis mihi placatus, & propina salutares haustus; furtum iam est expiatum. iam secura mihi tui copiam facere potes. SIT MIHI SANA SITIS] Videtur solenne precandi verbum respicere, cùm bibitur. Veteres inter pocula certam benè precandi formulam vsurpabant. Et maximè vocem, vt Liuius lib.39. tradit (benè) frequentabant. Toxilus in Plauti Persa,

Sed quare furtum bibit, tum Stellæ illi aquam negaturus non fuerit? An quia aquæ furtiuæ dulciores, an quia superstitio in ea vel hoc certe.

> *Pægnium, tu dè cyathos mihi das,*
> *Credo sanè. Benè mihi, vobis, mea amica: optatus hic mihi*
> *Dies datus hodie est ab Dijs.——*

Et mox Lemniscelene respondens, *Benè omnibus nobis.*

In Sticho. Sangarius——*benè vos,*

> *Bene nos, benè te, benè me, benè nostrum etiam Stephanium.*
> *Bibe, si bibis.*

Idem Ouidius 2. Fastorum, & 1. de Arte. Tibullus 1. eleg. 1. lib. Prospera omnia precatur Terentius his verbis, *bene sit.* Et Persius Sat.4. legatur Brissonius lib.1. p.82. Non noceat ergo mihi furtum meum.

In Pomponium.

XLVIII. XXXIII.

Quòd tam grande sophos clamat tibi turba togata:
Non tu, Pomponi; cœna diserta tua est,

Lautiores homines, & proceres Romani poëseos amantes, cùm versus fecissent, ad cœnam vocatis amicis recitabant, vt amicorum iudicium audirent, & censuram. contrà verò, iam conuiuio deliniti egregiè os oblinebant patronis, & placita loquebantur exclamabant, acclamabant σοφῶς, vel ὑπ@ ὁ σοφός, vel *euge, bellè,* &c. vt est apud Persium, Horatium, & Martialem sæpius. nos hac de re plura lib.1. ad carmen 4.

> *Audieris cum grande sophos——*

Et epig.67. *Non sex paratus aut decem sophos nummis.* Et epig.58. *Mercetur alius grande, & insanum sophos.* Et epig.77. *Nil habet. & magnum semper inane sophos.* Et alijs libris, vt miror hanc formulam Brissonio prætermissam. CŒNA DISERTA TVA EST] Horatius indignè fert tale iudicium à corruptis iudicibus profectum.

Lib. 1. epist. ad Mæcen.

> *Non ego ventosæ plebis suffragia venor*
> *Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.*

Eosdem irridet sibi adulatione blandientes Persius Sat.1.

> ——*calidum scis ponere sumen,*
> *Scis comitem horridulum trita donare lacerna.*

Ad Lupercum.

L. XXXIV.

Quòd conuiuaris sine me tam sæpe, Luperce,
Inueni, noceam qua ratione tibi.
** Irascar, licet vsque voces, mittasque, rogesque.*
Quid facies? inquis, quid faciam? veniam.

** al. Irascor licet.*

Rarò se à Luperco inuitatum queritur, aitque se Lupercum velle vltum ire, & venturum; est enim verus ille versus,

> Οὐ χρὴ συμποσίοισι φίλων ἀπέχεσθαι ἑταίρων
> Δηρόν.——

IRASCAR, LICET VSQVE VOCES] ἀντιστρόφως continet distichum. Si me vocaueris, rogarisque sæpius, vt veniam, irascar tibi, & vlciscar. QVID FACIES, INQVIS? QVID FACIAM? VENIAM] Expectat Lupercus responsum contrarium, vt diceret, quandoquidem hactenus tam rarò vocasti, etiam vocatus abs te in posterum non veniam. Itaque irascar, & vlciscar te. Sed poëta, cùm sciret se gratum auaro facturum, si diceret se non venturum, ait præter expectationem, vlciscar te, & veniam. Elegantissima de simili ioco, & vindicta inter Muretum, & Titium (quod supra quoque memini monere, sed huc planè facit) Mureti extat epistola plena salis, & Musæi leporis. Initium epistolæ est ad Gerardum, *Mihi crede irascerer Titio, nisi vererer, ne, &c.*

Epitaphium Pantagathi.

XXXV. LI.

Hoc iacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura, dolorq́ue sui.
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, & hirsutas excoluisse genas.
Sis licet * inde * sibi tellus placata, leuisque,
Artificis leuior non potes esse manu.

* *sis. alias.* * *V. impositi. al. sis licet, vt debes.*

Pantagathi pueri serui, & tonsoris expediti, & facilis tumulus. DOMINI SVI] ipsius credo Martialis, alioqui alterum nominaret. VIX TANGENTE VAGOS] Doctus leuissima seu facillima manu capillos vix tactos ferro resecare; subiicit enim poëta,

Artif. leu. non potes esse manu.

A graui contrà manu, perstringit lib. 11. ep. 85. Antiochum tonsorem. SIS LICET INDE SIBI TELLVS PLACATA, LEVISQVE] Locum hunc, & modum pro functis benè precandi, plenissimè suprà lib. 5. epig. 35. de Erotio puella, ad illum versum excussimus,

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra grauis fueris, non fuit illa tibi.

Hoc audi, non ire contra Grammaticos poëtam, cùm dicit, ô tellus sis sibi, id est, ei placata, Græcorum imitatione id dicitur. Sic Plato locutus ἐπειδὴ ἡ ἐξέβη αὐτῷ τὴν ψυχὴν, &c. cùm autem anima sui, id est, eius exisset. Pausanias, καί οἱ παῖδα γενέσθαι φαέθοντα, Et sibi (id est, ei) natum esse filium Phaëtontem. Homerus,

——ἰδνώθη, θαλερὸν δέ οἱ ἔκπεσε δάκρυ.
Inflexit se, & calida sibi excidit lachryma.

Plura exempla vide apud Budæum in comment. Græcæ linguæ. Quam Græcam loquendi rationem, & alij ex latinis æmulati sunt, quorum testimonia laudant plures Grammatici Ciceronis, Lucani, aliorum. Sed scriptura sanior est sis licet, vt debes, &c. ARTIFICIS LEVIOR NON POTES ESSE MANV] Quamuis ô tellus Pantagatho sis leuissima, facilitatem tamen Pantagathi vincere non potes, nec potes tam leuis esse pondere, quàm leuis, & facilis illius manus fuit, cùm tonderet. Et hæc tonsorum propria laus est, leui manu percurrere caput, nec ferrum grauiùs infigere, aut cutem [illegible]dere pungereue.

De Andragora.

XXXVI. LIII.

Lotus nobiscum est hilaris, cœnauit & idem:
Inuentus mâne est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mortis caussam, Faustine, requiris?
In somnis medicum viderat Hermocratem.

E Græco hoc est expressum lib. 2. Anthol. εἰς ἰατρούς. Lucilius in Hermogenem medicum:

Ἑρμογένην τὸν ἰατρὸν ἰδὼν Διόφαντος ἐν ὕπνοις
Οὐκ ἔτ' ἀνηγέρθη, καίπερ * ἅμμα φέρων.
Amuleta licet gereret Diophantus, obiuit.
In somnis medicum vidit vt Hermogenem.

* περίαμμα, ἢ περίαπτα.

Acerbius adhuc Nicharchi est in Phidonem, qui se, ad medici Phidonis nomen memoriæ occurrens, ait obiisse.

Οὔτ' ἔκλυσεν Φείδων, οὔθ' ἥψατο, ἀλλὰ πυρέξας
Ἐμνήσθην αὐτοῦ τοὔνομα, καὶ τέθνακα.

Non Clystere vsus Phidon, tetigitue: sed eius
Nomen vt in febri commeminis, pery.

Cæterùm facili fato periêre multi, & hodie pereunt. Cicero pro Sexto Roscio Amerino, sic T. Clelium Tarracinensem ait mane repertum, etsi iugulatum. Sic Cleobis, & Biton, Trophonius, Agamedes narrantur mortui reperti prima Tusculana à Cicerone, Silone, Plutarcho lib.1. Herodoto, Strabone lib.9. cap.4.

In Coracinum.

LV. XXXVII.

Quòd semper casiáque, cinnamóque,
Et nido niger alitis superbæ
*Fragras * plumbea * Nicerotiana,*
Rides nos, Coracine, nil olentes:
Malo, quàm bene olere, nil olere,

* pinguia.
* Nicerotiana mendosè.

In olentem & infamem, & nimis notabilem delitiis est epigramma. Coracinus fictum nomen. Homo quisquis hircum olet variis pigmentis compescit vel grauem animam, vel corporis vitium. quibus odoribus haud eget nihil olens & purus. CASIA] vt hic accipitur, species est cinnamomi. Cinnamomum Phœnicum vox. Herdotus lib.3. Casiam describit Plinius lib.12. cap.19. Dioscorides lib.1. cap.12. & 13. Matthiolus ad eundem locum. Casia, & cinnamum, seu cinnamomum (idem enim frutici genus) odoratissimi frutices passim noti. accipit autem casiam, & cinnamum pro quouis genere aromatum notâ figurâ, cùm species pro genere ponitur. vt Persius Sat.5.

Virg.2. Georg. Alboparum.

Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiæ, ne cure paratus.

ET NIDO NIGER ALITIS SVPERBÆ] Et imbutus oleo confecto ex casia, cinnamomo, myrto, aliisque aromatibus, floribus, herbis, fruticibus, &c. quæ describit Plinius lib.13. cap.1. coque niger, quia vnctus. Alij & fortè veriùs referunt ad thus. *Thus*, inquit Heraldus, *intelliges, quod cinnamomo adiunctum delicatis fragrantiam ministrauit.* Sidonius lib.2. ep.13. ALITIS SVPERBÆ] Phœnicis, in cuius nido poëtæ tradunt reperiri casiam, & cinnamomum, & alias Sabæas herbas, quanquam Plinius lib.12. cap.19. negat vera esse, quæ certatim omnes canunt. Nec in Arabia casiam, vel cinnamúm nasci, sed in Æthiopia. Casiam expressit ait Dioscorides in Arabia gigni. Poëta sequitur poëtas, cuius sensus est. Tu Coracine redolens Arabiam, & omnes odores, herbasque, nos nihil olentes irrides; nos te contemnimus, auersamur cum tuis vnguentis, velut olentem & fœtentem. ille enim optimè olet, qui nil olet. De Phœnice nos lib.5. ad epig.7. plura. Gesnerus fusissime lib.3. de Auibus. FLAGRAS PLVMBEA NICEROTIANA] redoles vnguenta Nicerotiana, quæ vasis plumbeis in vmbra, vt lib 13. cap.2. Plinius docet, coquebantur, nisi malis pinguia, vt vnguentum respiciat. sensus idem. Non puto hic alludi ad sagittas plumbeas, quibus cinnamomum ex Phœnicis nido excussum tradit Plinius ex Aristot. lib.6. cap.13. historiæ animalium. Auem Solinus Cinnamolgum vocat. De Cinnamomo plura Isidorus lib 17. Orig. cap.8. Ægineta de Simpl. Medic. Cadamusus in nauig. Indic s. fiebant etiam Plinio auctore, ex plumbo medicinæ ad vlcera fœda ex Venere nata. NICEROTIANA] lege. De Nicerote Martialis lib.10. epig.38. & li.12. epig.66.

Nimbis ebria Nicerotianis.

Et quæcunq; Syrus Nicerotes olet
Et quicquid croci, casiæq; cinnamiq;
Vdus cæsarie spirat delicatus Arabs
Hoc totum vobis nunc ad cœnam adfero.

Niceros vnguentarius, seu myropola erat, vti & Cosmus, quem alibi celebrat. RIDES NOS, CORACINE, NIL OLENTES: MALO, QVAM BENE OLERE, NIL OLERE] Caussam, cur malit nil olere lib.2. epig.12. exponit. in Postumum

Hoc mihi suspectum est, quòd oles benè, Postume, semper:
Postume, non bene olet, qui benè semper olet.

In quem locum ex Cicerone, Plauto, aliisque plura diximus. Insinuat benè semper olentes, malè olere, & olere vel vitia naturæ, vel flagitia impuri corporis.

In Phœbum.

LVII. XXXVIII.

Mentiris fictos vnguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calua comis.

Tonso-

*Tonsorem capiti non est adhibere * necessum.*
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

*V. necess.

Phœbum canum, & caluum fictitios sibi capillos comparantem irridet. FICTOS VNGVENTO C[APILLOS] Totum hunc locum eruditè tractat Turnebus lib. 25. cap. 27. cuius verba non grauabor adscribere. *Qui olim*, inquit, *erant toto capite calui, sibi solebant vnguento perfusi velut fila capillorum imitari* (deinde ponit hoc ipsum testimonij loco epigramma, cui subiungit) *Illum enim* (*Phœbum*) *totum habuisse capillos vnguenti pictos colore, & mutatos, quos spongia poterat totos delere. Nam loquitur de eo, qui canitiem vnguento tegeret, dissimularetque, cùm caluam sordidam planè, intelligentérq; dicas; hinc & epigramma aliud clarescet.*

Caluam trifilem (*aut tripalem vt aliqui scribunt*) semitatus vnguento.

Lib. hoc 74. ad Ebsculanū. capi. de voce tripalis.

Ille enim etiam vnguento comam sibi in capite caluo pinxerat, & effinxerat, sed quæ trium filorum esset, & capillorum: vel caluam haberet, cui superessent tres capilli. Cætera, quæ Turnebus adiungit de voce Semitatus, dicemus suo loco. Intelligis, opinor, caluos sibi quasi crines pinxisse. erat enim ignominiosa caluities, lege, quæ lib. 4. ad epig. 36. scripsimus in Olum. Et lib. 3. in Lentinum. TONSOREM CAPITI NON EST ADHIBERE NECESSVM] necesse, habent nonnulla exemplaria. Tonsore tibi, Phœbe, non est opus; veris enim capillis cares. RADERE TE MELIVS SPONGIA, PHŒBE, POTEST] delere pictos crines, & vnguenta siccare, haurireque potest spongia. De spongia suo loco plura referemus. Radere dixit figuratè, quòd vice nouaculæ spongia esset Pœbo. De Galericulo, & emptis pilis alibi diximus.

Ad Aulum.

XXXIX. LVIII.

Cernere Parrhasios dum te iuuat, Aule, Triones,
*Cominus & * Scythici sidera * ferre poli;*
O quàm pœne tibi Stygias ego raptus ad vndas,
*Elysiæ vidi nubila * fusca plagæ.*
Quamuis lassa tuos quærebant lumina vultus,
Atq; erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos:
Sospite me sospes Latias reueheris ad vrbes,
Et referes pili præmia clarus eques.

*V. Gethici. *pigra. *lustra.

Aulo Pudenti in Sarmatico bello occupato, exponit morbum suum, quo se propè ait extinctum, sed nunc reualescere, sperareque mox futurum, vt saluus ipse saluum ex militia venientem Pudentem, & primipilatu, hoc est, equestri honore affectum, salutet. TRIONES] Septemtrionem, vtramque vrsam, maiorem, & minorem, quas cominus propiùs aspiciunt Scythæ, Sarmatæ, Getæ. Nam quamuis Germani ad septemtrionem pertineant, non tamen cominus vrsam aspiciunt. astrum certè polare, seu polus, non amplius quadraginta octo gradibus, aliquotque minutis Augustæ, supra horizontem tollitur. Pari ratione suprà errauit Domitius in Marcellino. Domitiani enim imperio bella cum Dacis, Sarmatisq; gesta nescit nemo, qui Dionis epitomen, Suetonium, Tacitum, aliosque legit. Sensus est. Dum tu in Sarmatia apud Getas centurionis officio fungeris, ego Romæ propè vita defunctus sum. FERRE] pigra habent vetusta exempl. vti & Catullus tardum Bootem, & Ouidius, Iuuenalis, alibique Martialis pigra sidera appellat. Eleganter Arctophylacem describit Manilius lib. 1. Germanicus, alij. O QVAM PŒNE] periphrasis mortis, quàm pœnè mortuus sum. Isaacus Pontanus, Macrobius ad Somnium Scipionis cap. 1. emendat nubila lustra. Flustra dicuntur in mari fluctus immoti, stabiles & iacentes, stupentesque, quam Græci γαλήνην vocant; Tertullianum & Festum consule. QVAMVIS LASSA] Quantumuis æger fuerim, iamque ipsi oculi in morte natarent tamen requirebam meum Pudentem; Pudentem loquebar, Pudentem desiderabam. SI MIHI LANIFICÆ] si mihi Parcæ pepercerint, nec vitæ stamina inciderint, votaque mea superi audierint. SOSPITE ME SOSPES] saluus saluum videbis Romæ. ET REFERES PILI PRÆMIA CLARVS EQVES] Creatus primus centurio ornamentis equestribus donaberis. Nam primo pili, seu primipili primiue centuriones, simul ac ad primum ordinem adspirant, in equestrem ordinem adscribebantur, nec titulo tenus, sed censu etiam equestri, vt Lipsius lib. 2. de militia Romana, & 1. lib. ad Tacitum docet. Et Ouid. 3. de Amore id canere videtur haud obscurè,

Polus Augustæ 48 grad. & 15. Minut.

Ecce recens diues parto per vulnera censu,
Præfertur nobis sanguine factus eques.

Plura testimonia dabit, qui & hoc dedit Ouidius. Et locis adductis Lipsius. nec ignoro Domitium aliter exponere, quem ego hic desero, & ad primum in nostra literatura ordinis doctorem Lipsium me confero. Addo tamen ex Iuuenale, quod valde confirmat censum equestrem, Sat.4.

Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Vt locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Adferat.

In Baccaram.

LIX. XL.

Et dolet, & queritur, sibi non contingere frigus
Propter sexcentas, Baccara gausapinas:
Optat & obscuras luces, ventosque, niuesque;
Odit & hibernos, si tepuêre, dies.
Quid fecêre mali *nostræ tibi,* * *sæua, lacernæ,*
Tollere de scapulis quas leuis aura potest?
Quantò simplicius, quantò est humanius illud:
Mense vel Augusto sumere gausapinas.

* sæue legerim.

Vt Zoilus morbum simulabat, quò ostentaret stragulam vestem, & cœnam æstuante cœlo parabat, vti syntheses alias, atque alias proferret, ita Baccara iste hyemem optabat, qua ferendi gausapinas esset occasio. Poëta indignatur, & non haberi sui rationem à Baccara, qui frigora defendere multis gausapinis possit, in gratiam tenuiorum potius optandam esse æstatem, vel certè mediis caloribus sumendas gausapinas. GAVSAPINAS] *Penula gausapina*, inquit Baysius, *erat crebra, & villosa, qua hiberno tempore, & frigido vterentur.* Martialis lib.14.

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta,
Vt me vel media sumere messe velis.

Rectè Baysius notat eos, qui penulam gausapinam inter theristra, id est, æstiua vestimenta numerant, cùm nihil hoc epigrammate clarius. Tiraquellus confundit gausapa luta cum his penulis. OPTAT ET OBSCVRAS LVCES] cœlum triste, nubilum, frigidum, vt sine aliorum reprehensione possit gausapinatus incedere. QVID FECERE MALI] Cur petis tu hyemem, cùm me videas nudum, & ventosa indutum lacerna? nulla tibi pannosorum cura? SÆVA] Ergo Baccara fœmina? suspicor legendum sæue, non sæua. nomen Baccaræ est fictum seu fœminæ, seu viri. placet accipere pro virili, nec scio, an fœminis gestatæ gausapinæ. Cod. Palatini vt refert Gruterus habent, sæue. QVANTO EST SIMPLICIVS] Quantò rectiùs, & humaniùs faceres, si te media æstate ostentares, & fatereris simpliciter tuum morbum, te propter elegantiam ferre gausapinas: nos enim facilè tuam fraudem notamus, qui eo animo petis hyemem, vt possis, vti gausapinis, vtere mensibus æstiuis; non ægrè feremus tuam arrogantiam, ne tu nobis verbis tuis noceas.

Sic lib. 8. Quid fecere mali. Et: Quid fecere boni, de vino Vaticano.

De * Pompillo.

LX. XLI.

* Pompello. Ad Faustinum.

Rem factam *Pompillus* habet, *Faustine, legetur,*
Et nomen toto sparget in orbe suum.
Sic *leue flauorum* valeat *genus Vsipiorum,*
Quisquis & Ausonium non amat imperium.
Ingeniosa tamen Pompilli scripta feruntur:
Sed famæ non est, hoc mihi crede, satis.
Quàm multi tineas pascunt, blattasque diserti,
Et redimunt soli carmina docta coci?

Nescio

Nescio quid plus est, quod donat sæcula chartis,
Victurus Genium debet habere liber.

Vt scripta, librique auctoris æternent, opus esse non tantùm ingenio, sed etiam genio affirmat poëta. Atque ingenium quidem esse Pompillo, deesse tamen genium. REM FACTAM HABET] de hoc loquendi vsu leges, quæ scripsimus ad lib. 1. epig. 28. *Tu factam tibi rem statim putasti.* dicitur de eo, qui rem spe certa iam deuorauit, qui sine dubitatione putat perfectum iri, quod desiderat. idem sensus est lib. 2. epig. 26. ad Bithynicum,

Iam te rem factam, Bithynice, credis habere, id est, certam expeditam.

Hic intelligit nominis æternitatem ex vulgi sententia Pompillo certò partam. Scriptor erat Pompillus ingeniosus, minus tamen felix, itaque illi multi adulatores, vel certè non veri rerum æstimatores celebritatem nominis, & scriptorum, famæque immortalitatem certò pollicebantur. SIC LEVE FLAVORVM VALEAT GENVS VSIPIORVM, QVISQVIS ET AVSONIVM NON AMAT IMPERIVM] Mens hæc poëtæ. Sic valeant Vsipij, & quicunque hostes Romani, vt legetur Pompillus. Pompillus autem nunquam legetur à posteritate; nunquam ergo valebunt hostes. Et est imprecatio, malumque omen petitum à scriptis Pompilli mox perituris, vt periêre. perinde enim est ac si diceret, Vtinam sic pereant Vsipij, & hostes P.R. vt peribunt Pompilli chartæ. sic enim certò non viuent diu, nec ætatem ferent. VSIPIORVM] Non sunt iidem Vsipetes, & Vsipij, si Tacito credas, quamuis Willichius eosdem faciat. Ptolemæus Vsipios ad Istrum ponit. Illi Francofortiani, hi, vbi nunc Marchionatus Badensis, Germanos fuisse constat ex Germania Taciti, qui Cattos, seu Hessos, Vsipios, Tenteros facit vicinos Rheni accolas. Eosdem cum Cattis, & Mattiacis coniungit lib. 4. histor. cùm Mogontium ait obsessum. INGENIOSA TAMEN POMPILLI SCRIPTA FERVNTVR] Vulgi oratio, quem facit poeta loquentem. seu tu probes, seu improbes scripta Pompilli, tamen elucet in illis singulare ingenium. Respondet poeta, non esse famæ, posteritati, æternitatique satis, aliquid præter ingenium amplius in Scriptore desiderari. DONAT SÆCVLA] quod conciliet famam & æternam celebritatem. VICTVRVS GENIVM DEBET HABERE LIBER] hinc credo vulgatum fecit verbum. inuita Minerua scribere, tametsi exponant adagiographi, refragante ingenio, meliùs, repugnante genio, Gratiisque. Hoc est, quod Seneca dixit, malè respondere coacta ingenia. Et Horatius,

Tacit. lib. 13. & in Agricola.

Ptolemæus ad Istrum hos ponit.

Martialis generatim accipit pro hoste quocunque P.R.

Tu nihil inuita dices, faciesq́; Minerua.

Martialis:

Carmina quòd scribis Musis, & Apolline nullo,
Laudari debes; hoc Ciceronis habes, &c.

Quis neget, Ciceronem fuisse doctum, & versus potuisse facere? Sed Gratiis, & ingenio caruêre. GENIVM] genius hoc loco pro apta ad poesim natura carpitur. nascuntur enim, non fiunt poetæ. vt vulgi est opinio. Genius rebus omnibus præficiebatur. lege Turnebum lib. 22. cap. 32.

In Inuidum.

XLII. LXI.

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,
Meq́; sinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

En quam frequentem habuerit lectorem hic epigrammatarius; non minùs certè hodie omnium doctorum, indoctorumq; propè manibus teritur. Describit hoc epigrammate affectus, signaque Zoilorum, & liuentium. Qualia sunt in carmine de liuore apud Scaligerum in Appendice Virgil.

Testatur gemitu graues dolores,
Suspirat, fremit, incutitq́; dentes,
Sudat frigidus intuens, quod odit,
Effundit mala lingua virus atrum,
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat ossa, &c.

OSCITAT] fastidij signum. lib. 1. *Et longas trahis oscitationes*, ad quem versum plura ex pluribus. NVNC NOBIS PLACENT] Cùm tibi, Zoile, displicent. Inuidia enim, & liuor infima, vel mediocra non tangit, summa petit, rodit, mordet. Plura sunt huius generis, vt in capite de Inuidis leges.

Ad

Ad Oppianum.

LXII. XLIII.

Amisit pater vnicum Silanus;
Cessas mittere munera, Oppiane?
Heu crudele nefas, malaq; Parca,
Cuius vulturis hoc erit cadauer?

Oppianum hæredipetam carpit. meritò hic Domitium Merula irrideat, modò id ne tam barbarè, inimiceque faciat. Domitius legit Oppianus, non Appianus, de quo non pugno. Sed ineptè putat Domitius de Oppiano Cilice poëta poëtam loqui, qui multis annis, postquam obierat Martialis, natus est. Antonino enim Septimij Seueri filio opus suum dicauit, & recitauit, vt auctor est Sozomenus. Pater Silanus prædiues vnico filio priuatus est; non captas hanc prædam Appiane, qui soles omnium hæreditatibus viduorum, viduarumque imminere? HEV CRVDELE NEFAS, MALÆQVE PARCÆ,] hæredem amisisse Sillanum; cui relinquet tantas opes? CVIVS VVLTVRIS HOC ERIT CADAVER?] Auariores diuitibus ægris per speciem consolationis assidebant, vt scriberentur hæredes. Quos poëta vocat vultures, qui cadauera expectant, vt illi hæredipetæ mortem diuitum, & orborum. Seneca epist.95. *Ærico ægro aliquis assidet, probamus: at hoc si hæreditatis caussa facit, vultur est, cadauer expectat.* Talem fuisse Regulum Plinius Iunior scribit in epistolis, talem & hunc Oppianum Martialis, talem C. Memmius apud Ciceronem Scaurum. *Vide, inquit, Scaure mortuus rapitur, si potes esse possessor.* plura epigrammata sunt de his; Hieroglyphici mortuorum bona captantes vulture cadaueri insidente declarant. Lege Pierium lib 18. de vulture, vbi multa lectu digna cognosces. nos ad alia, hoc tamen non possum tacere, olim Iberis vultures fuisse sepulchri loco. Silius,

2. de orat.

Tellure, vt perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obscænus consumit corpora vultur.

Ita hi hæredipetæ sunt diuitum vultures. quorum bona deuorent. Passim de huiusmodi coruis Lucianus in elegantissimis dialogis. Petron. in Satyr.

Ad Marianum.

LXIII. XLIV.

Scis, te captari, *scis hunc, qui captat auarum:*
Et scis, qui captat, quid Mariane velit:
Tu tamen hunc tabulis hæredem, stulte, supremis
Scribis, & esse tuo vis, furiose, loco?
Munera magna quidem misit, sed misit in hamo:
Et piscatorem piscis amare potest?
*Hiccine deflebit vero * mea fata dolore?*
Si cupis, vt ploret, des, Mariane, nihil.

* V. tua verius. Marianum enim alloquitur. Captari, capiare, venari, dixit Horatius. viduas auaras. Græci θηρεύεσθαι.

SCIS, TE CAPTARI] Idem argumentum cum superiore. Marianum enim indignabundus irridet, quòd fraudem captatoris non notet. CAPTARI] muneribus tuam amicitiam, imò opes; & mortem peti intelligis, & tamen hunc scribis hæredem? QVID VELIT] tua bona, tuam mortem. TVO LOCO] tua bona occupare vis auarum. Et in ius locumque tuum succedere. Hæres enim iuris est successor. Cic. 2. de leg. Vlpianus in l. quotiens. §. hæredes. ff. de hæred. instit. Pomponius in l hæres. ff. de adquir. hæred. Et plura Brissonius lib. 7. form. pag 603. MISIT IN HAMO] sic locutus est lib. 5. epig. 18. & lib. 4. epig. 96. & lib. 5. iterum epig. 60. Iam supra multa ex Seneca de Ben. in captatores, & ex Petronij Satyr. dicta. Sed nullus propè artificiosius hoc exagitauit, atque Lucianus totis dialogis Plutonis & Mercurij. Terpsionis & Plutonis, Zenophantæ & Callidemidæ, Cnemonis & Damnippi, &c. & aliis. HICCINE DEFLEBIT VERO TVA FATA DOLORE?] fictæ erunt lachrymæ, plaudet intus, cùm ducet funus. Publius. *Hæredis fletus sub persona risus est.* SI CVPIS, VT PLORET, DES, MARIANE, NIHIL] Arguté, & venustè. tamen verè flebit, & ex animo dolebit, cùm spe bonorum præter spem exciderit. Sic, imo maiore dolore lugeri volebat crudelissimus, & immanissimus Herodes, cùm videret mortem suam omnium festis gaudiis celebratum iri. Apud Iosephum lib. 1. de bello Iudaico cap. vlt. historiam reperies.

In de-

In detractorem.

XLIV. LXIV.

Cùm sis nec rigida Fabiorum gente creatus,
Nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,
Hirsuta peperit rubicunda sub ilice coniux.
Sed patris ad speculum tonsi, matrisq; togatæ
*Filius, & * sponsam poßit te sponsa vocare.* *v. sponsum.
Emendare meos, quos nouit fama libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas:
Has inquam nugas, quibus aurem aduertere totam
Non aspernantur proceres vrbisq; foriq;:
Quas & perpetui dignantur scrinia Sili,
Et repetit toties facundo Regulus ore,
Quiq; videt propiùs magni certamina Circi,
Laudat Auentinæ vicinus Sura Dianæ.
Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum,
Non dedignatur bis, terq; reuoluere Cæsar.
Sed tibi plus mentis, tibi cor, limante Minerua
*Acrius, & tenues * fixerunt pectus Athenæ.* *v. finxerunt.
Ne valeam, *si non multò sapit altiùs † illud:* † vulgo istud.
** Quod cum panticibus laxis, & cum pede grandi,* * Quid.
Et rubro pulmone vetus, nasisq; timendum,
Omnia crudelis lanius per compita portat.
Audes præterea, quos nullus nouerit, in me
Scribere versiculos, miseras & perdere chartas.
At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Viuet, & hærebit, totoq; legetur in orbe.
Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte:
Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum viui tentaueris vrsi.
Sit placidus licet, & lambat digitosq; manusq;,
Si dolor, & bilis, si iusta coëgerit ira,
*Vrsus erit: vacua dentes in pelle * fatiges,* *fatiga.
Et tacitus quæras, quam poßis rodere carnem.

Indignatur poëta sua carmina velut turpia carpi ab eo, qui turpior sit suis carminibus, quà moribus, quà natalibus, hoc verò ferendum non esse, quod & Iuuenalis Sat. 2. docet,

—castigas turpia, cùm sis
Inter Socraticos notißima fossa cynædos.

Clam

Clam verò occasionem sumit commendandi sua carmina. RIGIDA FABIORVM GENTE] gens enim Fabia bellis gerendis penitùs addicta, totaque Marti consecrata, cuius laus est cùm apud alios, tum apud Liuium lib.2. Quæ & Veiens bellum priuato suo sumptu sola gessit, in quo omnes, præter vnum fermè impuberem adhuc, ceciderunt, hoc est, semi supra trecentos, vt Liuius numerat. Ouid. Fast.

Ter centum Fabios abstulit vna dies.

Rigidam ergo vocat, non ad mollitiem, & delitias, sed aspera belli studia educatam. De Fabia gente Plinius lib.18.cap.3. Macrobius lib Sat.cap.6. Alex.lib.1.c.6. Volateranus lib.16.c.1. Silius lib.6. Ouidius 1. Fastorum, & sexcenti alij. Lege Catanæum ad Plinij Iunioris lib. de viris illustribus. CVRIIS ARANTI] Cùm nec ex Fabia gente, nec è M. Curij Dentati natus sis, audes tamen me carpere. Cicero de Senectute. *In hac vita* (rusticana) *M.Curium, cùm de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum ætatis: cuius quidem villam ego contemplans (abest enim non longè à me) admirari satis non possum, vel ipsius hominis continentiam, vel temporum disciplinam, &c.* Et mox. *A villa in senatum, accersebantur Curius, & cæteri senes.* Sed poëta μιμητικῶς dicit, nec tu es ille, quem Curio marito coniux rubicunda. id est, rustica, & sole colorata sub ilice hirsuta, & comata peperit, id est, nec tu è gente Curiorum. Cuius res gestas qui desiderat, Plinij Iunioris libellum de viris illustribus, Valerium Maximum, Plutarchum, Florum, aliosq; adeat. hæc ad hunc locum plus satis. SED PATRIS AD SPECVLVM TONSI] sed effœminati patris impurus filius, mali corui mali ouum. Lege de hoc speculo Sidonium. Patris adulteri. Illustrissimus Senecæ locus de Breuit. Vitæ c.12. Quid? hos ociosos, &c. quem adducit Heraldus. MATRISQVE TOGATÆ] matris adulteræ partus. togas enim impuræ fœminæ ignominiæ caussa ferre cogebantur, vt alibi docuimus.

Ita Fabritiū alibi aratorem nominat.

Coccina famosæ donas, & ianthina mæchæ;
Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

Lib.10. *Thetin viderat in toga spadonem,*
Damnatam Numa dixit esse mœchbam.

Iuuen. Sat.2. *Non sumet damnata togam.*

Horat. *Quid inter*
Est, in matrona, ancilla peccesue togata.

Omnino matronæ stolatæ & honestæ diuersum cultum à damnatis, adulteris, & lupis ferebant. Brissonius curiosè de hoc c.4. Sel. ex Iure Antiquit. & libro singulari de iure Connubiorum. ET SPONSAM POSSIT TE SPONSA VOCARE] Tam pictus, fictus, & comptus, vt sponsa cum Diogene dubitare possit, virne sis, an mulier. FELICES CARPERE NVGAS] Tune vis carpere, & emendare, quod totus orbis laudat; quod vrbs, & vrbis doctissimi viri Regulus, Silius, Oratores, poetæque nobiles, ignobiles, Cæsar ipse legunt, condunt, relegunt, amant, & in bibliotheca sua reponunt; QVIQVE VIDET PROPIVS MAGNI CERTAMINA CIRCI, LAVDAT AVENTINÆ VICINVS SVRA DIANÆ] Clarissimus Orator Palfurius Sura coronatus ludis Capitolinis habebat in Auentino monte, vnde in subiectum Circum Maximum despicere poterat, etiam admiratur mea epigrammata, quamuis ipse ob eruditionem admirabilis. Ipse enim Plinius Iunior æui sui decus ab hoc discere cupit, ad quem Palfurium extat lib.7.epist. elegantissima de admirandis spectris Q. Curtio Rufo, & Athenodoro philosopho obiectis. Extat & Iuuenalis versus Sat.4.

Semipuella puer.

Si quid Palfurio, si credimus Armillato.

Senatu motum fuisse disco ex Tranquillo; qui cap.13. in Domitiano in hæc verba. *Sed & Capitolino certamine cunctos ingenti consensu precantes, vt Palfurium Suram restitueret pulsum olim senatu, ac tunc de oratoribus coronatum, nullo responso dignatus, tacere tantummodo iussit voce præconis.* Extat & clarissimi viri Licinij Suræ monumentum in Vetij inscript. Q. Curtius Rufus eiusque Vita apud Plinium Secundum. quo tempore vixerit ibid. dictum Tiberij de eodem. Suræ beneficio Traianus creatus imperator, Arnobius Victor. De alio Palfurio Sura lege apud Trebellium Pollionem. *Longum est, inquit, cuncta in litteras mittere, quæ qui volet scire, legat Palfurium Suram, qui Ephemeridas eius* (Galieni) *vita composuit.* De tertio, qui insignis latro, apud Vopiscum in Probo Imperatore. In vertice porrò Auentini montis erat templum Dianæ, quod Seruius Tullius dicauit. Marlianus ex variis scriptoribus lib.5. cap.2. Circus autem Maximus à Tarquinio Prisco. R. institutus est inter Auentinum, & Palatinum montes. Idem auctor lib.4.cap.11. Eius iconem optimè expressit Panuinius lib.1. de ludis Circensibus cap.4. p.7. SED TIBI PLVS MENTIS, TIBI COR LIMANTE MINERVA ACRIVS, ET] Sed nimirum tu plus tota Roma, plus Silio, Regulo, Sura, Cæsare, totoque populo Romano sapis. COR ACRIVS] tibi cor vni sapit; videtur dictum vetus respicere, acetum habet in pectore, vt est apud Plautum, à quo non abludit Persius Sat.5.

mendosè colligis, inquit,
Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

De quo libro sequenti plura. TENVES ATHENÆ FINXERVNT PECTVS] subtiles, nempe artium, & sapientiæ magistræ, & inuentrices, fixerunt lego, non finxerunt, id est, informarunt. instituerunt. NE VALEAM, SI NON MVLTÒ SAPIT ALTIVS † ISTVD, QVOD CVM PANTICIBVS

† *illud.*

LAXIS, ET CVM PEDE GRANDI, ET RVBRO PVLMONE VETVS, NASISQ. TIMENDVM OMNIA CRVDELIS LANIVS PER COMPITA PORTAT] Tibi detractor, vt sit acrius cor.& intelligentius, quam cæteris? disperéam, ni plus sapit cor pecudis, quam tuum. Inepte Domitius putat hos insitios detractoris versus à Martiale exempli causa insertos, nihil æque falsum. Dicit enim poeta, vt & doctissimus Turnebus exponit, plus sapere putridum cor, & iecur pecudis, & quæ venalia cum pede, & panticibus (id est, intestinis, ventribus amplitudine, pinguedine, & omaso) gerit lanius per vrbis compita quam ingenium & cor detractoris. Nec vlla hic interrogationis nota. Plautus Pseudolo,

Ita lego vt V.C. habet.

Lib. 15. c. Pantices, quid.

——improba vini modo cupida estis,
Eo vos, vestros panticesq. adeo madefacitis, cum ego sim hic siccus.

Festus ventris fluxum interpretatur pantices, quod ventrem pandant. NE VALEAM]lege Brissonii formulas. RVBRO PVLMONE]iam corrupto, eo subiungit. VETVS, NASISQ. TIMENDVM] fœtens iam, & putre, nasi exitium, quod circumfert Lanius. AVDES PRÆTEREA, QVOS NVLLVS NOVERIT, IN ME SCRIBERE VERSICVLOS] publicis audes me carpere scriptis, quanquam non carpis, quia tuos versus nemo legit, nemo nouit, quibus tantum perdis chartas. de quo genere loquendi supra dictum. Martial. *Non scribis cum carmina nemo legit.* Ouidius alicubi de Ponto. AT SI QVID NOSTRÆ TIBI BILIS INVSSERIT ARDOR.] At si ego in te composuero epigramma, sempiternas tibi infamiæ notas inuram, quas nullus possit Cinnamus, aut artifex vlla arte delere, easque toti terrarum orbi spectandas proponam. CINNAMVS] tonsor fuit, & beneficio amicæ diuitis ditissimus eques. Mart. lib. 7. epig. 62. in Cinnamum.

Qui tonsor fueras tota notissimus vrbe,
Et posthac dominæ munere factus eques.

Attestatur Iuuenalis, obscurius tamen Sat. 1.

Patricios omnes opibus cum prouocet vnus,
Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat.

Iudicio damnatus, & eiectus postea in exilium. Sed de hoc li. 7. plura. Domitius ad Fullonem Cinnamum refert, quod fullo emaculare vestes soleat. Poeta vero de stigmatis inustis corpori translate loquitur, quæ delere poterat Cinnamus tonsor, non fullo. DELEBIT. columbino fimo deleri stigmata docet Plinius lib. 29. c. 6. FVMANTEM NASVM VIVI TENTAVERIT VRSI.] Ne vrsum iram spirantem anima tua & voce irritaris, id est, me, qui maledictis tuis incitatus inuadam, & te Lycambæo carmine lacerabo. Hieroglyphici vehementem iram significaturi vrsum fingunt, quod id animal immodicis animis soleat excitari. Et Mathematici iracundum eum futurum dicunt, qui sub primo, & vigesimo gradu Tauri nascitur; vrsum ibi statuunt retro spectantem, id est, ad ea, quæ facta sunt, indignantem. Ab irritatione etiam vrsus nomen inuenit. Vt enim Hebræa lingua incitationem ad iram significat. NASVM] in illo enim sedes iræ. Theoc. Idyllio 1. —χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Flatus enim, & spiritus vehementior iram prodit. Adi Ioannis Meursii spicilegium ad Idyllia Theocriti p. 2. Adde Persium Sat. 5.

Quintus Serenus de curis & facial vitiis propellendis.

Disce, sed ira cadat naso, rugosaq. sanna.

SIT PLACIDVS] sit cicur, & mansuefactus; si tamen verberaueris, aut acrius incitaueris, vrsus redibit ad ingenium vrsi. VACVA DENTES IN PELLE FATIGES.] Vt canes ergo imitere, suadeo, & pelles, & ossa, quodque ossibus adhæret, rode: me viuum non tangas, senties vrsum incitatum. VACVA] mortua, inani, quæ morsa, defendere se non possit. me senties viuere.

Ad Tuccam.

XLVI. LXV.

Hexametris epigramma facis, scio, dicere Tuccam:
Tucca, solet fieri: denique, Tucca, licet.
Sed tamen hoc longum est: solet hoc quoq. Tucca licere:
Si breuiora probas, disticha sola legas.
Conueniat nobis, vt fas, epigrammata longa
Sit transire tibi: scribere, Tucca, mihi.

Tucca nomen censoris librorum, vti & Aristarchi, & Orbilii, &c. facit hunc poeta reprehendentem, quod carmine heroo, & longiore scripserit epigramma. Poeta negat, non licere etiam hexametro, & longiore epigramma facere. huic autem epigrammati occasionem dedit superius, quod ne tangeretur, hunc clypeum obiecit, nos de hac re capite diximus de epigrammate. Et poe-

In Prolegom.

ta se-

ta sæpius adhibet hexametra, exemplo Græcorum. CONVENIAT NOBIS.] Ita distingue, compone, & expone. Conueniat nobis. Inter nos conueniat sententiis, vt fas sit epigrammata longa, tibi transire, mihi scribere.

Ad Martianum.

LXX. XLVIII.

Sexagesima, Martiane, messis
Acta est, & puto iam secunda Cotta,
Nec se tædia lectuli calentis
Expertum meminit die vel vno.
At nostri bene computentur anni,
Et quantum tetricæ tulêre febres,
Aut languor grauis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur;
Infantes sumus, & senes videmur.
Ætatem Priamiq;, Nestorisq;
Longam qui putat esse Martiane,
Multum decipiturque, falliturque.
Non est viuere, sed valere vita.

Cottam felicem prædicat, quod totâ vitâ nullo morbo tentatus fuerit, se infelicem, qui vix vllam à dolore horam vacuam vixerit. SEXAGESIMA] duos supra sexaginta annos natus Cotta. NEC SE TÆDIA LECTVLI CALENTIS] nunquam febri ardente iactatus decubuit. AT NOSTRI BENE COMPVTENTVR ANNI.] Sed putetur, & subducatur nostra ætas, & vita, morbique, febresque, & corporis, & animi dolores, & cruciatus à reliquo tempore melioris status nostri remoueantur, hodie nati, qui tamen ἑξακονταετεῖς & cani videmur, iudicabimur. tantum malorum hausimus; vsq; adeo nulla dies malo suo, morboq; vel corporis, vel animi caruit. PRIAMIQ. NESTORISQ.] Conclusio à comparatione, Non quid diu (vt Priamus, & Nestor) viuunt, beati, & felices sunt, sed qui dum viuunt, valent, & voluptatibus perfruuntur. An est Flauius hic Martianus de quo Plinius epistol. 11. lib. 2.

De Cilice fure.

LXXII. XLIX.

Ridiculum in nobilem furem.

Fur notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum:
Ingenti sederat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum.
Dum non vult vacuâ manu redire;
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

Statuis aureis & argenteis apponebantur custodes; ligneæ & lapideæ erãt incustoditæ. Iustinus Martyr ad Diognetum. Tertullian. Martialis, Heraldus.

Priapus custos hortorum à Priscis creditus, omnibus ferè hortis colebatur. Cilix fur sterilem ingressus hortum, cum nihil, quod custodiretur, inueniret, ipsum custodem rapuit. Videtur occasionem huius epigrammatis accepisse ex Lucilii epigrammatis hisce Græcis in furem Eutychidem.

Τὸν θεὸν αὐτὸν ἔκλεψεν ὃν ὁρκίζεσθαι ἔμελλεν
Εὐτυχίδης, εἰπών, οὐ δύναμαί σ' ὀμόσαι.
Abstulit Eutychides, per quem iurare volebat,
Et iurare Deum non, ait, inde queo.

Et in

Et in Aulum eiusdem:

Τὸν πτηνὸν ἑρμῆν τὸν θεῶν ὑπηρέτην,
Τὸν Ἀρκάδων ἄνακτα, τὸν βοηλάτην
Ἑστῶτα τῶν γυμνασίων ἐπίσκοπον
Ὁ νυκτικλέπτης Αὖλος εἶπε βαιχίοις.
Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.
Illum volantem Deorum nuncium,
Illum imperatorem Arcadem, illum bubsequam,
In hisce gymnasiis locatum præsidem,
Nocte auferens Aulus manu furace, ait:
Doctore sæpe discipulus est doctior.

Plura sequuntur eiusdem ingenii, & auctoris, quæ tute leges. Hinc, credo Martialis suum Priapum sublegit ad imitationem. Porro Priapum esse Deum hortorum mille ostendunt, cum Græca, tum Latina carmina, pleraque tamen Christianis auribus abstinenda; Græca nuper sanctiora ex Archia, lecta versaque sunt. Fuit & Vertumnus, de quo elegans carmen habes apud Lipsium lib. 3. Antiquarum lectionum. *Vertumnus loquitur ad hospitem.*

Ad Esculanum.

L.

*Medio recumbit * imus, ille, qui lecto,*
*Caluam * Triphilem † semitatus vnguento,*
Foditq; tonsis ora laxa lentiscis:
Mentitur, Esculane: non habet dentes.

** Vnus.*
** V. Trifill; al. tripalem.*
† segmentatum vetuste.

Caluum quempiam edentulum, qui simulabat se dentatum, mordet. MEDIO IMVS,] In cœnaculis Romanorum vt plurimum tres lecti erant, in quibus discumbebatur ad mensam, vnde triclinia sunt appellata, nonnunquam tamen duo tantum, vt apud Plautum legas biclinium a duobus lectis. Porro singuli lecti capiebant binos, ternos, quaternos, aut quinos etiam conuiuas, quanquam apud Romanos quini in vno lecto raro, aut nunquam accubuerint. Inter tres ergo lectos medius lectus erat honoratissimus, & medius locus in medio lecto omnibus dignior. Tribus accumbentibus in vno lecto, summus dicebatur, qui ad caput lecti cubabat, imus, qui ad medii, & dignissimi pedes. Quando duo tantum, summus dignissimus habebatur. Si quatuor, proximus à summo, honoratissimus; imus vero, qui ad tertii pedes iacebat. Hæc vt ne ficta nobis putes, accurate tractant accuratissimus Lipsius libro 3. Antiquarum lectionum. Ciaconius libro de Triclinio. Stuckius libro 2. conuiuial. cap. 34. Hinc iam intelligis, cur dicat poeta Imus, & medio lecto. Ea enim erat consuetudo, vt terni plerumque in vno lecto accumberent, & qui ad pedes medii in medio lecto accumbebat, imus dicebatur recumbere. Qui quidem locus fuit consularis olim dictus, de quo Ciaconius multa ex Plutarcho. CALVAM * TRIFILEM SEMITATVS VNGVENTO] Ita lego cum doctissimo Turnebo. Ait enim caluam illius imi trium filiorum, seu capillorum fuisse, & hos ipsos pilos pictos, & factitios. Semitatus vero dixit, (quæ est antiquorum librorum scriptura) quod in calua, velut area vnguenti lituris tanquam sulcos duxerit, & veluti vias secuerit. Segmentatus legi non potest, cum lex carminis obstet. Placet hæc Turnebi sed non displicet nostri Gontii scriptura & explanatio.

** Triphylli, al. tripalem.*

Caluam tripalem semitatus vnguento.

Caluam, inquit, istius calui & edentuli de quo loquitur comparat vineæ, quæ propter senectutem, vel quod aliud vitium paucas habet vites, & caluata dicitur, vt est apud M. Catonem de re rustica c. 33. si vinea à vite caluata erit, sulcos interponito, ibiq; Viui radicem serito, vmbram a sulcis remoueto, crebroque fodito. dictio vero tripalis explicat quid sit calua, vel caluata vinea. nempe quæ tres tantum palos habet, vt tres vites totidem palis alligatas. Apud Nonium Varro, Sex tabulis Flextabulis περὶ ἐπαρχιῶν. Quid? tu non vides in vineis quod tria pala habeant tripales dici? dicitur autem tripalis vinea fere vt malleolus trigemmis apud Columellam de re rustica libro 3. cap. 19. Tertia vero dictio, semitatus, quam nonnullos codices habere testatur Calderinus, pertinet quoque ad vineam. Nam Vinea semitatur, id est semitis distinguitur inter hortulos stirpium, & propagines vitium, de cuius rei commoditate vide Columellam de re rustica lib. 4 cap. 18. & per occasionem libro 3. cap. 20. De palatione agit palladius in Februario, cap. 20. de limitatione, & cardinatione, & semitatione vineæ docet Plinius libro 17. capit. 22. quoto quæque pede, vel palo fieri debeat. Accipe Plinii verba. Vineas limitari decumano XVIII. pedum latitudinis ad contra-

rios vehiculorum transitus, aliisque conuersis limitibus denum pedum distingui per media ingera: aut si maior modus sit, totidem pedum cardine, quot decumano limitari. Semper vero quintam semitari; hoc est in quinto quoque palo singulæ iugo paginæ includantur. Ergo vt hæc ad caluum accommodemus, sicut in caluata vinea, quæ paucas habet vites & palos semitæ lucent inter hortulos vitium. sic in calui recumbentis calua hinc & hinc ad tempora paullulum supra aures erant tres pili, media vero semita late nitebat vnguento. FODITQVE TONSIS ORA LAXA LENTISCIS] Lentiscum frondea cuspis, seu dentiscalpium, quo dentibus inhærentia carnium fila, sordesque purgabant. Martialis lib. 14.

Adagiographum lege, lentiscum mandere.

Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis
Defuerit: dentes penna leuare potest.

Lentiscus arbor est amica dentibus, Græcis σχῖνος dicta, nobis campher, vnde lentisca purgandis dentibus fiebant, ex quo natum prouerbium, lentiscum mandere σχῖνον διατρώγειν, in eos iactatum, qui nimium poliendi, & comendi corporis studio tenentur. Fiebat enim ex lentisco dentifricium, seu puluisculus candidandis dentibus comparatus. Dioscorides libr. 1. docet lentisci succum ex aqua decoctæ figere vacillantes dentes, si eo colluantur, & cuspides inde factas, si affricentur, vtiles esse dentibus abstergendis. Cura vero dentium olim, vt delicatioribus, probri loco obiiciebatur. Et Apuleius de dentifricio accusatus est; à parte transfertur ad totum corpus. Adagiographus his plura. MENTITVR, ESCVLANE: NON HABET DENTES] simulat se dentes purgare, ne edentulus credatur. Dentibus autem carere perinde ingratum erat, ac pilis carere. Extat enim & in edentulos Græcorum verborum, ἀμύλαι γνάθοι, bucca edentula, exarmatus senex, in contemptum senem. Et Gregorius Thessalonicensis, γέροντος ἀμύλαι γνάθοι βακτηρία, sunt scipio seni maxillæ edentulæ. Hinc est, quod Martialis ludit sæpe in eas, quæ emptos dentes inserebant, ne edentulæ putarentur. lib. 14. ep. 56. lib. 12. ep. 13.

Sudat mastychen, seu resinam lentiscatam.

Dentibus, atq; comis, nec te pudet, vteris emptis,
Quid facies oculo, Lælia, non emitur?

Aliisque libro & epigrammatis aliquam multis.

In Pontiam.

LXXV. LI.

Cum mittis turdumue mihi, quadramue placenta,
Siue femur leporis, siue quid his simile:
Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis.
Has ego nec mittam, Pontia, sed nec edam.

Pontiam veneficam exagitat, cuius munera veneno tincta repudiat. lib. 2. ep. 34. lib. 4. ep. 43. de ead. Pontia. QVADRAM] frustum de secta, & diuisa placenta lib 5. epig 76.

Pontia magistra videri potest fuisse Lucusta, quam exagitant. Tacitus 12. Annal. & 12. Suet. Ner. c. 3. Iuuenal. Sat. 1. Instituntq;, vnde melior locusta propinqua.

Ne te liba iuuant, nec secta frusta placenta.

Et lib. 9. epig. 92. *Libetur tibi candidas ad aras,*
Secta plurima quadra de placenta.

Ita dixit idem lib. 12. epig. 32. *Nec quadra deerat casei Tolosatis.* quadræ ex argento, auro, stanno, pane etiam fiebant, quorum loco nos orbes adhibemus, in quibus cibum diuidimus, dictæ, non quod quadratam formam referrent, sed quod quarta pars panis esset. Multa erudite super quadris, hisce Baronius Cardinalis li. 1. Annal pag. 546. edit. 4. Accipitur apud poetas pro victu, & tota sæpe mensa. Iuuenalis.

Teller.

Vt bona summa putes aliena viuere quadra.

Virg. pro pane 3. Æn. *Ambesas subigat malis absumere mensas.*

Quod lib. 7. clarius dicit.

——patulis nec parcere quadris.

De placenta Athenæus fusissime. BVCCELLAS TVAS] è mensa tua tibi extructa, & apposita; buccella, & buccea à bucca dicitur. modus cibi cocti, seu panis, quantum bucca capere potest. Rhodiginus vocat spiram farinaceam Bretzen. Marcellinus panem ad diuturnitatem coctum, quem hodie biscoctum vulgo vocant. HAS EGO NEC MITTAM, PONTIA, SED NEC EDAM] amicis aliis non mittam, nec ipse gustabo veneno imbutas, quia venefica sceleratissima es. de qua lib. 2. epigramma 34.

Buccellatum panis biscocta.

O mater, qua nec Pontia deterior.

Vt posset adultero nubere, duos filios, ipsa Medea crudelior, interfecit. Iuuen. Sat. 6.

——sed clamat Pontia, feci,
Confiteor, puerisq; meis aconita paraui.

Qua

Quæ deprensa patent, facinus tamen ipsa peregi,
Tune duos vna sanissima vipera cœna,
Tune duos? septem, si septem forte fuissent.

Epitaphium Fusci.

LII. LXXVI.

Ille sacri lateris custos, Martisq; togati,
Credita cui summi castra fuere ducis:
Hîc situs est Fuscus, licet hoc, Fortuna, fateri,
Non timet hostiles iam lapis iste minas.
Grande iugum domitâ Dacus ceruice recepit,
Et famulum victrix poßidet vmbra nemus.

Vide Grœsorum lib. 2. de cruce vbi de cenotaphio. hoc tamen non est cenotaphium, sed pro ipso epitaphio scriptum epigr.

Cornelius Fuscus præfectus prætorij, prius Dalmatiæ procurator, claris natalibus, primâ iuuentâ, quietis cupidine, senatorium ordinem exuerat. Idem pro Galba dux Coloniæ suæ, eaq; opera procurationem adeptus, susceptis Vespasiani partibus, acerrimam bello facem prætulit, non tam præmiis periculorum, quam ipsis periculis lætus, pro certis, & olim partis, noua, ambigua, ancipitia malebat, &c. Et quæ his subiungit Tacitus 2. & 3. lib. hist. Tranquillus addit Fuscum in Dacia bello oppressum interiisse, cum à Domitiano summæ belli esset præfectus. in eandem sententiam Eutropius lib. 7. *Et à Dacis Appius Sabinus consularis, & Cornelius Fuscus præfectus prætorij cum magnis exercitibus occisi sunt.* Iuuenal. Sat. 4. delatorem Cæsaris grauem, & sæuum fuisse testatur his verbis.

——sauior illo
Pompeius tenui iugulos aperire susurro,
Et qui vulturibus seruabat viscera Dacis
Fuscus marmorea meditatus prælia villa.

Ad Fuscum item extat epigramma libr. 7. 27. Hic Fusci præfecti prætorii legis epitaphium. SACRI LATERIS CVSTOS.] Domitiani præfectus prætorii, custos corporis. MARTIS TOGATI.] Domitiani, qui ipse togatus & in vrbe residens per duces Mars est, & bella gerit absens. CREDITA CVI SVMMI CASTRA FVERE DVCIS.] Cui Domitianus Dacici belli summam commiserat, Tranquillus. HIC SITVS EST FVSCVS.] vsitata formula. legatur Brissonius. LICET HOC, FORTVNA, FATERI, NON TIMET HOSTILES IAM LAPIS ISTE MINAS.] Quamuis apud Dacos victus ceciderit, tumulus tamen Fusci non timet hostem postea victum. GRANDE IVGVM DOMITA DACVS CERVICE RECEPIT.] Iulianus enim, quem bello Daco post Fuscum Domitianus præfecit, congressus cum hostibus in Tapis magnum numerum eorum occidit. Et de Dacis postea Domitia. triumphauit. Dio. Tranquillus. Eutropius. ET FAMVL. VICTRIX POSSIDET VMBRA NEMVS] Victâ postea, & in deditionem acceptâ Daciâ, victrix dici potuit vmbra Fusci, quamuis antea victa. NEMVS FAMVLVM] Romanis subiectum possidet vmbra victrix Fusci nec timet hostem victum, vel quia tumuli & manes etiam ab hostibus non violantur.

Nos lib. 1. prolaxe.

In Afrum.

LIII.

Cum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus,
Tam iuuenis, quam nec Parthenopæus erat:
Tam fortis, quam nec cum vinceret Artemidorus,
Quid te Cappadocum sex onus esse iuuat?
Rideris, multoq; magis traduceris, Afer,
Quam nudus medio si spatiere foro.
*Non aliter monstratur Atlas cum compare * mulo,*
Quæq; vehit similem bellua nigra Libyn.

Politianus c. 23 Miscell.

** Gibbo. Politianus (mulo) docet scribendum.*

Inuidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Afri mendicitatem cum summa arrogantia, & fastu coniunctam omnium ludibrio exponit. Paupertimus enim, & valentissimus hexaphoris ferebatur, perinde quasi ditissimus esset, aut ægerrimo tempore. Iri eius mundi diuitias, ex Homero supra libro 5. ep. 40. ostendimus. PARTHENOPÆVS.] Hunc celebrat in primis Æschylus in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, à pulchritudine, cum vocat βλάστημα καλλίπρωρον, ab ætate, cum illi primam tum ait cœpisse lanuginem proserpere; à virilitate, & animi vi, cum ait eum ferre nomen minime conueniens animis, quibus viros puer æquabat. Scholiastes Parthenopæum ait, τὸν ἀντιόπης, ἣν καὶ παρθένον ἔλεγον, υἱόν. filium Antiopæ, quæ Parthenope dicebatur. Vnde Parthenopæus, qui ex Arcadia Argos migrauit. In bello Thebano quintus laudatur ab Æschylo dux, præfectusque portæ boreali. Eundem describit Papinius libro 4. Thebaidos.

Tu quoq; Parrhasias ignara matre cateruas
Ah rudis armorum (tantum noua gloria suadet)
Parthenopaee rapis, tum saltus forte remotos
Torua parens (nec enim iuueni foret ire potestas)
Pacabat cornu, gelidiq; auersa Lycæi.
Pulchrior haud vlli triste ad discrimen ituro
Vultus, & egregia tanta indulgentia formæ,
Nec desunt animi, veniat modo fortior ætas.

Matrem tamen facit, vt & Ouidius, Atalantam. Seruius ad 6. Æn. alios nominat parentes. ARTEMIDORVS] Geminos lego apud scriptores Artemidoros, ex quibus nullus hic. Domitius hunc pugilem fuisse ait, & diuinat ex verbis poetæ, & recte, vt opinor: id enim videntur loqui, cum fortis, & victor appellatur; pugnauit ergo, & vel pugil, vel luctator, vel gladiator fuit. Sunt alia epigrammata Martialis libro 5. 8. 9. in Artemidoros quosdam, fictos, credo. QVID TE CAPPADOCVM SEX ONVS ESSE IVVAT?] Horatius eodem modo de Domino paupere, qui multos alebat seruos. Cappadoces Romanis vt plurimum seruiebant, ipsi prope nati ad seruitutem. Persius Sat. 6.

——ne sit præstantior alter
Cappadocas rigida pingues pauisse catasta.

Sed natos prope ad seruitutem liquet; quibus S. P. Q. R. vt sui iuris, liberiq; essent, cum concessisset, vt regem sibi habere liceret, poposcerunt, negantes viuere gentem sine rege posse. Brodæus ex lib. 78. Iustino. Et lib. 12. Strabone. Martialis etiam Cappadocas seruos nominat. lib. 10. e. 76.

Nec de Cappadocis eques catastis.

De improbitate Cappadocum alio libro referemus. ONVS.] Cur pateris, te velut diues, à sex Cappadocibus lecticam subeuntibus gestari, cum prope animam debeas? RIDERIS] non secus, ac si per medium forum nudus incederes. omnes te vt insanum, & furiosum rident. Sic infra de Philippo.

Octophoro sanus portatur, Auite Philippus,
Hunc tu si sanum credis, Auite, furis.

NON ALITER MONSTRATVR ATLAS CVM COMPARE * MVLO.] Nec Domitii, nec Merulæ placet interpretatio: Politianus nobis magister fiat Miscell. cap. 23. vbi primum disputat, legendumne sit gibbo, vel mulo, probatq; mulum prægibbo. Itaq; concludit. *Quare cum superiorem illam veluti constantem solidamq; reperiamus in melioribus scripturam, quærendum videtur, quid sibi Atlas postulet, cum comparare mulo, quaue causa perinde videatur, vti Maurus elephanto vehens. Porro Atlantem de Iuuenalis verbis nanum quendam, pumilumue fuisse temporibus illis, haud ignoratum collegimus. Sic enim inquit,*

* Gibbo.

——nanum cuiusdam Atlanta vocamus.

Vt ex contrario per ridiculum sit alter Atlas appellatus, qui foret pumila statura. sicuti,

Vt Pygmæus cum publico ceteso exclamaret. alter Hercules.

——canibus pigris, scabieq; vetusta
Turpibus & sicca lambentibus ora lucerna,
Nomen erit tigris pardus, leo, si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentius——

Sed & multi cum pumili, vel mula, tum in pretio sunt, inque deliciis habita, de quibus in distichis idem Martialis,

His tibi de mulis non est metuenda ruina,
Altius in terra pene sedere soles.

Si quando igitur nanum hic Atlas, mulo consimiliter nano, & compare sibi vtatur, verisimile est rideri solitum publicitus, sicut etiam Maurus niger derisus vulgo, quoties concolorem sibi elephantum insenderet. Vnde idem in primo,

Et melius

Et molles dare iussa quod choreas,
Nigro bellua nil negat magistro.

Conuenit autem proposito, argumentoq; poetæ in eum, qui iuuenis, & validus, & pauper, lectica identidem tamen a sex, & ipsis iuuenibus, valde pauperibusq; gestabatur. Atq; vt illi superiores, nihilo ipse secius deridendi sui dabat occasionem. Hæc ve. e. & non impolite Politianus. De Atlantibus, siue Telamonibus columnas sustinentium, si malis (gibbo) legere, quam mulo. Merulam adi. quanquam ipse videbis explicationem illam gibbosam esse, nec concinnam, & parum videri solidos huiusmodi Atlantes. Alii Romæ ea tempestate procerum gigantem fuisse vel narrant vel fingunt, mulamq; habuisse magnitudine insignem, eamque ob causam admirationi fuisse populo & risui; sed vereor ne horum quoque interpretatio ludibrio sit lectori. Adducunt rationem forte parem causæ, quod lib. 13. Martialis dixerit:

Quantum voluerit ferre rogatus Atlas.

BELLVA NIGRA] Elephas. LIBYN] Afrum conuenienter: & carmen est in Afrum. Cætera ex Politiano intelligis. REQVIRIS] rogas, quam stulte facias? nec mortuus quidem hexaphoro ferendus es. mortuo tibi pauperi inuideretur, si hexaphoro efferreris, ne dicam viuo. sufficit tibi sandapila. lectica enim diuitum est præsertim hexaphora. Iuuenalis Sat. 1. de Regulo indignabundus,

Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadriuio, cum iam sexta ceruice feratur, &c.

Non satis arguta videtur conclusio, nisi addas, vt atrocior fiat ictus, cum iuuenis & robustus feratur à sex grandibus seruis, videri mortuo propiorem, quam viuo; imo pro mortuo habendum, qui deliciis vsq; eo interierit, vt viuus valensq; ferri se patiatur. Cum igitur mortuus sis, Afer, sandapila efferendus es, non hexaphoro per vrbem ante ora nostra ferendus. vt infra 59. quo negat sanum esse Philippum, qui hexaphoro feratur. Et lib. 2.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.

Hæc dum cogito, succurrit alius intellectus pentametri huius, quem verum arbitror. Tu Afer, cum alter Irus sis, actam pauper, vt vix habeas, vnde viuas, mortuus es potius, quam viuus; nam obscuri, † pauperesq; quasi pro mortuis habebantur, & sæpe etiam hodie habentur. Ita mortuum appellat Martialis Gallum Lingonum pauperem & semiuiuum.

† *Lib. 10. ep. 27.*

Ad Aulum de lusco.

LIV. LXXVIII.

Potor nobilis, Aule, lumine vno
Luscus Phryx erat, alteroq; lippus:
Huic dicit medicus, bibas, caueto,
Vinum: si biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx, oculo, valebis, inquit.
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros iubet: exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Charius huic Phrygi vinum ait fuisse oculo. VALEBIS] pereas. DEVNCES] vndecim cyathorum capax scyphus. OCVLVS VENENVM] vino exoculauit oculum, vt Apuleius loquitur. Eiusdem argumenti epigramma scripsit in ebriosum sobrius, & antiquis moribus Thomas Morus ingens æui nostri, reiq; Catholicæ decus, & firmamentum. Est de Fusco potore non tam felix quidem, quam poetæ nostri, non postremæ tamen notæ,

Potando medicus perituros dixit ocellos
Fusco: qui cum se consuluisset, ait:
Perdere dulcius est potando, quam vt mea seruem
Erodenda pigris lumina vermiculis.

Paulò felicius illud. in eundem,

Perdes, ait Fusco medicus tua lumina vino,
Consultat secum, quid velit ergo sequi.
Sidera terra fretumq; solent quæcunq; videri,
Omnia sunt, inquit, visa reuisa mihi.

Multa mihi, sed vina tamen gustanda supersunt,
Multa refert annus cum noua musta nouus.
Iam Certus, firmusq;, valebitis, inquit, ocelli,
Nempe satis vidi, non satis vsq; bibi.

Ad Lupum.

LXXIX. LV.

Tristis es, & felix, sciat hoc fortuna, caueto:
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

In lætis lætum, tristem in tristibus vult esse Lupum: vulgi scilicet, non superciliosa philosophorum ratione, qui eundem & Socraticum in omni fortuna vultum seruandum docent. TRISTIS] grauis, seuerus, non iucundus. FELIX] copiosus, diues, beatus, vt alias vsurpatur à Martiale. INGRATVM] fortunæ lætæ beneficia non recognoscentis. Sed auarum simul insinuat, vt qui tristis quod nondum satis habeat.

De Rosis ad Cæsarem missis.

LXXX. LVI.

Vt noua dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas:
Nauita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Vrbis vt intrauit limina prima tuæ.
Tantus veris honos, & odoræ gratia Floræ,
Tantaq; Pæstanti gloria ruris erat.
Sic quacunq; vagus gressumq;, oculosq; ferebat,
** Textilibus sertis omne rubebat iter.*
*At tu Romanæ * iussus iam cedere brumæ,*
Mitte tuas messes, accipe, Nile, rosas.

* Sutilibus. * Passus.

Ex Ægypto rosæ hibernæ mitti Romam solebant. Æuo Domitiani etiam in vrbe nouo inuento educabantur. Legatur Plinius libro 22. cap. 4. *Carthagine noua Hispan. tota hyeme praecox rosa nascebatur.* Seneca ep. 123. Non viuunt contra naturam, qui hyeme concupiscunt rosam? fomentoq; aquarum calentium, & calorum apta imitatione brumalium florem vernum exprimunt. AMBITIOSA] ex rosis hibernis laudem captans. Poeta quasi nunc insultat Ægyptiis mercatoribus sese ob rosarum hibernarum aduectionem iactantibus, & monet, vt ipsi nunc ex Italia rosas petant, Italis autem mittant frumentum. NAVITA MEMPHITICVS.] Ægyptius mercator contempsit hortos Ægyptios, cum vidit roseta Romanorum, quæ multis partibus superabant Ægyptia, quod κολακικῶς accipies. TANTVS VERIS HONOS, ET ODORÆ GRATIA FLORÆ.] Epiphonema, tam læta per vrbem rosaria florebant, vt ver ipsum & Floræ regnum, Pæstantique agri rosetis pleni in vrbem migrasse viderentur. SIC QVACVNQVE] adeo, quacunque Ægyptius nauta incedebat, rosis fragrabant, rubebantque omnia. TEXTILIBVS SERTIS] coronis roseis, de quibus libro 3.

Dat festinatas, Cæsar, tibi bruma coronas,
Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est.

AT TV ROMANÆ.] Ergo tibi nunc, Ægypte, possumus mittere, quas mittebas ante nobis hyberna rosas. TV MITTE MESSES] frumentum. Quatuor mensium annonam per singulos annos Romæ peruuit Ægyptus. Iosephus Excid. II.

Ad

Ad Rufum.

LVII. LXXXII.

Quidam me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emptor, aut lanista,
Cum vultu, digitoq; subnotâsset,
Tune es, tune ait ille Martialis,
Cuius nequitias, iocosq; nouit,
*Aurem qui modo non habet * seueram?*
Subrisi modice, leuique nutu
Me, quem dixerat, esse non negaui.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi: quia sum malus poëta.
Hoc ne sæpius accidat poëtæ,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas,

Petit togam à Rufo, cui mox nænias plorat. EMPTOR.] Qui venalitios seruos emebant, curiose inspiciebant corpora etiã *γυμνὰ*, ne quid vitii occulte lateret. Lucianus præter alios in *πρᾶσις βίων*. Seneca pater controu. 2. l. 1. Suetonius Augusto. cap. 69. Claudianus in Eutrop. Herald. ad hunc locum. LANISTA] non à laniandis corporibus lanista dicitur. est enim Tuscum verbum, quibus carnificem significat. Et ludi gladiatorii petiti à Tuscis, vt ex Isid. Lips. 1. Satur. lib. 15. docet. Græcis *λανίστας*. *μονομαχοτρόφος*. *ἐπιστάτης μονομάχων* dicitur. magistri. & doctores gladiatorum fuêre, integrasque familias ducebant. Plura Lipsius. NEQVITIAS IOCOSQ.] Epigrammata iocosa. AVREM * SEVERAM] qualem Catones, Curii, Fabricii, Fabii, habuêre, abhorrentem à spurcis, & illiberalibus iocis. BATAVAM] prouerbium, Auris Bataua, tristis, censoria, casta, seuera, Bataui sunt hodie Holandi. En Batauos priscos, rigidos disciplinæ & pudoris custodes. Scio nonnullos ad inelegantiam & rusticitatem hoc vertere, sed poeta abhorrentes à spurcis & fœdis iocis ostendit, vt pote homines in armis & duriore vita educatos. quales Tacitus describit. Lucanus truces, id est, acres bellicosos appellat. plura Chiliastes Batauus. MALAS LACERNAS.] Petronius. *Ego, inquit, poeta sum, & vt spero, non humillimi spiritus si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos gratia deferre solet. Quare ergo, inquis, tam male vestitus es? Propter hoc ipsum. amor ingenij neminem vnquam diuitem fecit.*

Qui pelago credit, magno se fœnore tollit,
Qui pugnas & castra petit præcingitur auro,
Vilis adulator picto iacet ebrius ostro,
Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola pruinosis horret facundia pannis,
Atq; inopi lingua desertas inuocat artes.

MALVS POETA] qualis sum poeta, talem gero vestem. vrbane. MITTE BONAS LACERNAS] en quam eleganter, & scite mendicet.

Sed hanc desider. — Adagiorum Chil. 4. Cent. 6. — * Batauam.

Ad Cæsarem Domitianum.

LVIII. LXXXIII.

Quantum solicito fortuna parentis Etrusco,
Tantum summe ducum debet vterq; tibi.
Nam tu missa tua reuocasti fulmina dextrâ:
Hos cuperem mores ignibus esse Iouis.
Si tua sit summo, Cæsar, natura Tonanti,
*Vtetur * toto fulmine rara manus.*

* Herald. emendat torto. Heraldi Gruterianus fervat toto.

Mune-

Muneris hoc vtrumq; tui testatur Etruscus,
Esse quod & comiti contigit, & reduci.

Laudat Cæsarem, quod Etruscum reuocarit ab exilio. QVANTVM SOLICITO] Quantum restitutus parens debet filio, qui patri reditum ab Imperatore impetrarat, tantum pater & filius debent tibi. Cæsar. FORTVNA] status melior, & conditio parentis. SVMME DVCVM] tibi Cæsar. REVOCASTI FVLMINA] sumpta à Ioue metaphora in Cæsarem, in qua perseuerat, decretum exilii antiquatum intelligit. Statius idem,

——nec plura moratus
Romuleum reseras, iterum, Germanice, limen,
Mœrentesq; foues, inclinatosq; penates
Erigis——

IGNIBVS IOVIS.] Vellem tantam esse clementiam. Iupiter enim semel emissum fulmen, nunquam reuocat, qui si haberet ingenium Domitiani, aut raro, aut nunquam torqueret fulmen irreuocabile, & tota vi quaqua potest. MVNERIS HOC VTRVMQ. TVI TESTATVR ETRVSCVS] filius & pater; filius, qui patri comes sponte iuerat in exilium. quod tu non ægre tulisti. pater, qui precibus filii rediit tua indulgentia. HOC VTRVMQ.] beneficium, quod licuerit filio comitari patrem exulem, patri redire in patriam. Fuit Etruscus pater primum seruus à Tiberio donatus libertate. Papin. lib. 3. Sil. in Etrusci lachrymis,

——Tiberia primum
Aula tibi vixdum ora noua mutante iuuenta
Panditur. hinc annis multa super indole victis
Libertas oblata fuit.——

Deinde Caligulam minus fauentem expertus, & aula expulsus sed rursus in comitatum expeditionis Germanicæ assumptus.

——nec proximus, inquit Statius, *hæres*, id est, Caligula.
Immitis, quanquam furiis agitatus, abegit.
Hunc & in Arctoas tenuis comes vsq; pruinas,
Terribilem affatu passus, sæuumq; tyrannum.

Deinceps reliquos tyrannos, & Cæsares passus, feliciter tamen euasit eorum crudelitatem, magnisque paulatim opibus auctus, præfectus ærario, munia, sed leuia obligat. Vxorem duxit Oppii Sabini Consularis, qui in Dacico bello periit, Suet. in Domitiano, *sororem Etruscam, liberosque geminos suscepit. Illa in flore ætatis mox extincta est. Pater Etruscus in Domitiani familiaritatem ingressus, equestri honore auctus, & iure trium liberorum donatus, nobilitatusq; est.* Eodemq; fortunæ cursu ad immensas prope opes, quod vel ex thermis colligas, peruenit, annosq; demum natus octoginta suspectus Domitiano in exilium pulsus, non extra Italiam tamen. & mox placato Cæsare reuocatus, moxque fato functus interiit. Quæ omnia è Statii lachrymis collegimus, faciuntque cum ad hoc, tum sequentia quædam de Etrusco epigrammata intelligenda. Statius autem vtcumq; obscure narrat quædam, & causam exilii vix attingit, totumq; errorem senis appellat, cum dicit,

Lib. 7. ep. 39. Pectore non humili passus vtrumq; Deū

Tu (Imperator) seu tarda situ, rebusq; exhausta senectus
Errauit, seu blanda diu fortuna regressum
Maluit, attonitum & venturi fulminis ictus
Horrentem, tonitru tantum, lenique procella
Contentus monuisse senem, &c.——

Cætera docuimus lib. 7. ep. 39. in huius Hetrusci epitaphio.

De Philippo.

LXXXIV. LIX.

Octophoro sanus portatur, Auite, Philippus;
Hunc tu si sanum credis, Auite, furis.

Arrogantem carpit, & superbum. Octophorum erat sella, seu lectica, quam octo serui succollabant. Erat hoc principum virorum, lautorum, & delicatorum. Suetonius in Caligula. *Interdum adeo segniter* (Caligula) *iter faciebat & delicate, vt Octophoro veheretur.* Si hoc principi viro vitio datum, quanto magis priuato? Poeta ludit eleganter in voce sanus. priore versu de corpore accipitur proprie, altero de animo translate.

Flet

Flet mortem Rufi.

LX. LXXXV.

Editus est sextus sine te mihi, Rufe, Camœnis:
Nec te lectorem sperat, amice, liber.
*Impia Cappadocum tellus, & * numine læuo*
*Visa tibi, cineres reddit, & ossa * patri.*
Funde tuo lachrymas, orbata Bononia, Rufo.
Et resonet tota planctus in Æmilia.
Heu qualis pietas: heu quam breuis occidit ætas?
Viderat Alphei præmia quinq; modo.
Pectore tu memori nostros euoluere lusus:
*Tu solitus * nostros, Rufe, tenere iocos.*
Accipe cum fletu mœsti breue carmen amici,
Atque hæc absentis tura fuisse puta.

* V. lumine.
* V. patris sed male patris legere.
* V. totos.

Plurima sunt epigrammata ad Rufum, Instantis vel potius Instantii generum, natum annos quinque supra viginti, qui in Capadocia diem obiit. SINE TE] te absente edidi sextum librum carminum. CAMŒNIS] Musis, vel vt alii, in vico Camœnarum. Fuit & extra portam lucus, & ædes Camœnarum, vt supra diximus. videtur potius de Musis loqui, vt lib. 7. ad eundem epig. 67.

Commendare meas Instanti (ita lege) Rufe Camœnas.

Sensus igitur. est editus à me sextus liber Camœnis, Musis, id est, liber carminum. quæ enim carmine scribuntur, Musis carminum præsidibus eduntur, NEC LECTOREM] quia mortuus es. IMPIA CAPPADOCVM TELLVS, ET NVMINE LÆVO.] Seruilia fuisse Cappadocum ingenia, paulo ante docuimus. Videamus, cur eosdem vocet poeta impios. Hoc vel ex communi Græcorum verbo disci potest, τρία κάππα κάκιστα, tria pessima cappa, Cilix, Cres, Cappadox, quod hi populi pessimis essent moribus. quanquam alii referant hæc tria cappa ad tres Cornelios, Cinnam, Syllam, Lentulum. Demodocus certe epigrammatarius illos depinxit lib. 2. Anthol. εἰς πονηρὸς, vbi illos φαυλοτάτων φαυλοτάτους, id est, pessimorum pessimos appellat, Initium epigrammatis est,

Καππαδόκαι φαῦλοι μὲν ἀεὶ —— deinde concludit.
Καππαδόκην ποτ᾽ ἔχιδνα κακὴ δάκεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ
Κάτθανε γευσαμένη αἵματος ἰοβόλου.
Vipera Cappadocem mordens mala, protinus hausto
Tabifico periit sanguine Cappadocis,

En Cappadox virulentior ipsis serpentibus. NVMINE LÆVO] sinistro, auersante Deo, infausto sidere. VISA TIBI] acerbe in Cappadoces, quod solo aspectu, velut reguli seu basilisci interficiant peregrinos. ORBATA BONONIA.] Clarior hæc Æmiliæ, seu Lombardiæ ciuitas nostro colono. an Bononiensis Rufus, an præfuit? prius credo. ÆMILIA] Lombardia cis Padum, Leandro antea Dana dicta. Viam hic Æmiliam, quæ Bononiam ducit intelligit, an regionem? hanc reor. QVALIS PIETAS] quam prius iuuenis. figurate. BREVIS ÆTAS] vicenos quinos natus annos. ALPHEI PRÆMIA QVINQVE] quinque lustra. Cæterum Olympias quatuor tantum annos vt alibi ostendimus, continet. Poetæ nonnunquam abutuntur voce. Olympica certamina ad Alpheum amnem in Græcia Pisas lambentem quinto quoque anno celebrata intelligit. Vt Virgilius 3. Georgic. Homerus Iliad. 4. Pindarus, Silius, alii. Alpheus autem in Arcadia fontem haurit, vt Pausanias, Pindari Scholiastes, Strabo consensu tradunt. PECTORE TV MEMORI] tu solitus es ediscere nostra epigrammata. THVRA ABSENTIS] quæ alioqui, in præsentis de more rogum iniecissem, pro thure tibi carmen scribo, quod æternum de tua laude odorem sparget.

In laudem frigidæ.

LXXXVI. LXI.

*Setinum, dominæq; niues, * densiq; trientes*
Quando ego vos medico non prohibente bibam?
Stultus, & ingratus, nec tanto munere dignus,
Qui mauult hæres diuitis esse Midæ.
Poßideat Libycas messes, Hermumq; Tagumq;:
*Et potet calidam qui mihi * laudat aquam.*

* Pensiq;.
* V. libet.

Queritur sibi ægro assidue bibendam calidam præscripto medici, mallet Setinum nobile, vel gelidam aquam, quæ decocta temperabatur. DOMINÆ NIVES] nobiles, gratæ, optatæ, vt dominæ volu-ptates, Cic. quod affectibus imperent, vel illos alliceant, trahantque. De vsu niuium, & veterum luxu lege Stuckium lib. 3. p. 301. copiose ex variis auctoribus disputantem. Intelligit vinum frigida aut niuibus temperatum Parthius legit pensique trientes nihil muto, nam sitibundo non restituunt densi trientes dummodo refrigerati. Setinum vinum lib. 13. gustandum proposuimus. STVLTVS, ET INGRATVS, NEC TANTO MVNERE DIGNVS, QVI MAVVLT HÆRES DIVITIS ESSE MIDÆ.] Insanit, qui colligit opes, & bibit calidam. INGRATVS.] Fortunæ, qui habet vina præstantia, & bibit aquam. Ita pœnituisse Nicanorem dicit nescio quis Græculus in 2. Anthol. cum cogitasset de diuitiis colligendis, genioq; pocula subtraxisset.

Plurali. 14. suo lemmate

> Ἤθελον ἂν πλουτεῖν ὡς πλούσιος ἦν ποτε Κροῖσος,
> Καὶ βασιλεὺς εἶναι τῆς μεγάλης Ἀσίης,
> Ἀλλ᾽ ὅταν ἐμβλέψω Νικάνορα τὸν σοροπηγόν,
> Καὶ γνῶ πρὸς τί ποιεῖ ταῦτα τὰ γλωσσόκομα,
> Ἀντλῶ πυ πάσας καὶ ταῖς κοτύλαις ἀποβρέξας,
> Τὴν Ἀσίαν πωλῶ πρὸς μύρα καὶ στεφάνους.

De Midæ opibus, & auaritia Ouid. Met. Herod. lib. 1. atq; alii. POSSIDEAS LIBYCAS MESSES] Africanos agros, & flumina aurum arenis aduehentia. ET * LIBET CALIDAM QVI MIHI LAVDAT AQVAM] sint alii ditissimi, & bibant aquam calidam, sim ego pauper, dummodo bibam vinum aut frigidum. Rari sunt poetæ abstemii. laudat Homerus αἴθοπα οἶνον. Anacreon pocula somniat. Ennius sæpicule potus prosiliebat ad arma Musica. Martialis sæpe sitiuit. Horatius non bona scribi aquæ potoribus carmina canit. Turnebi interpretationem transimus.

Posuimus hoc l. 2. vel 3.
* potet.

Ad Cæsarem.

LXXXVII. LXII.

Di tibi dent, *& tu Cæsar*, quæcunque mereris;
Di mihi dent, & tu, quæ volo, si merui.

Iterum recte mendicat. Cæsar, inquit, tu, quæ mereris, à Diis, & à teipso accipe; nullo enim nisi à Diis, & teipso quicquam vel petere, vel expectare potes, quando omnibus mortalibus es ditior. Sic & mihi, si quid merui te laudando, & Diis sacrificando. Dii, quibus indigeo, largientur, & tu Cæsar, qui æque multa potes, ac Dii, largiri, & ipse tu Deus. Sic lib. 10. ad Traianum.

Formulas pares apud Brissonium leges.

Dij tibi dent, quicquid princeps Traiane, mereris.

Nero apud Tranquillum senatui gratias agenti respondit *cum meruero*: Plinium in panegyr. Tra. Sed ingenti conscientia Cæsar paciseeris cum Diis, vt te si mereris, seruent. cum scias an merearis, neminem magis quam Deos scire.

Ad Cæcilianum.

LXXXVIII. LXIII.

Mane salutaui vero te nomine casu:
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum,
*Quanti libertas * constet mihi tanta requiris?*
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

* V. constat tibi

Mihi excidit nomen tuum te salutanti, tu multasti me sportulâ: CENTVM QVADRANTES] tanti sportula erat, id est, decem nummis, seu 20. cruciatis. Multa de libertate in hunc locum Heraldus. Notat interim superbiam procerum Romanorum.

De Panareto potore.

LXIV. LXXXIX.

*Cùm peteret * seram mediâ iam nocte matellam*
Arguto madidus pollice Panaretus:
Spoletina data est sed quam siccauerat ipse:
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testæ sua vina remensus,
Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Rufe: merum biberat.

* v. *serotinam, vel sero.*

CVM PETERET SERAM MEDIA IAM NOCTE MATELLAM] Vide adagium in Miscellis; est modus matula. Vrinarium vas est matella, eaque virorum, scaphium fœminarum. Panaretus vrinam facturus petiit matellam, porrectam à seruo per errorem, & fortè (nisi ego hic cæcutio) in tenebris lagenam Spoletinam, quæ eandem ferè cum matella formam habebat, vt ostendit Bayfius lib. de vasculis, impleuit, aquamque eadem mensura, qua vinum biberat, lagenæ reddidit, nec plus reddidit, quàm lagena cœperat, quia tantum hauserat, nec aquam adhibuerat, sed merum biberat. Potest fieri etiam sine errore matulam Spoletanam fuisse porrectam, cum eadem forma fuerit propemodum matulæ & lagenæ Spoletanæ, nisi repugnet, quod sequitur, *quam siccauerat ipse*, sed potest fieri non fuisse eam ipsam lagenam, sed formam eiusdem. placet magis prior explicatio. Non videtur eandem ad potionem & vrinam adhibuisse nisi per errorem. ARGVTO MADIDVS POLLICE] quid sit arguto pollice petere matellam, ipse Martialis lib. 14. epig. 119.

Dum poscor crepitu digitorum, & verna moratur, &c.

Crepitu digitorum poscebatur.. Et lib. 3. in Zoilum; ep. 80.

Digiti crepantis signa nouit Eunuchus.

Lege adagium, ad digiti crepitum. Dominorum erat vilius aliquid imperantium. Petronij Arbitri verba accipe. *Cum has miraremur lautitias, Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit. Exonerata ille vesica, aquam poposcit ad manus.* Digitos concrepuit inquit, non pulsabant ergo, vt quidam arbitrantur, digito seu ictu pollicis spondam, sed digitis inter se collisis pollice inquam & medio digito crepitum edebant, signum nempe matulæ porrigendæ. MADIDVS] tinctus probè, & imbutus Baccho, ebrius. SPOLETINA DATA] lagena fictilis, quam antè plenam vino Spoletino exhauserat. De lagena lib. 13. & de Spoletino vino diximus ad illud distichum,

De Spoletinis, quæ sunt cariosa, lagenis
Malueris, quàm si musta Falerna bibas.

NEC FVERAT SOLI TANTA LAGENA SATIS] Panaretus exhausit totam lagenam, nec sitim extinxit, hausturus amplius, si amplior lagena fuisset. Non accipe hunc versum de vrina; nec plus bibisse puta, quamuis amplius sitiuerit, quàm lagena ceperat. Sequitur enim, quòd summa fide remensus sit totum vinum, quod hauserat, quodque lagena ceperat. Caussam subiicit, quia merum, inquit, biberat. Quod vt capiatur, velim Germanos nostros meminisse à Romanis hominibus sobriis, & modestis, aut nunquam, aut rarò merum haustum, sed aqua semper dilutum: id quod lib. 1. in Sextilianum, & aliis libris ostendimus, nec ea res controuertitur. Poëta dixerat versibus prioribus allatam amphoræ huic, hoc est, Panareto lagenam Spoletanam bene magnam, tricongiam nempe aut bicongiam. Hanc exsiccauit statim Panaretus totam, ita vt nec extingueret sitim, nec tamen aquam de more adhibuerat, cùm ex lagena vinum cyathis infunderetur, certaque portio aquæ singulis cyathis adderetur, quo fiebat, vt quarta ferè aut tertia pars aquæ accederet, pro ratione tamen vini, quod aquæ plus minúsue ferebat; Rufus igitur mirabatur, quòd cùm Panaretus lagenam integram exsiccasset, non plus vrinæ reddiderit, quàm quantum lagena cœpisset, cùm ex ratione aquæ affusæ multò amplius debuerit & bibisse, & remensus fuisse. Respondet poëta Panaretum non adhibuisse aquam; sed meracum vinum bibisse. Atq; hinc summa fide remensum esse, quod exhausisset. Quanquam Aristoteles in problem. docet eos minus reddere lotij, qui merum bibunt, quàm qui dilutum, quòd merum etiam seipsum consumat, &c. Sed poëta hic tantùm ait redditum, quantum acceptum. Hic sensus est germanissimus poëtæ, quicquid aliud conaberis, eludêris.

ὀλιγοφόρον *minus aquæ miscebatur. plus firmus & generosi.*

In Amianum.

XCI. LXV.

Cœlatus tibi cùm ſit, Amiane,
Serpens in patera, Myronis arte:
Vaticana bibis: bibis venenum.

Stygiarum poculum.

Pulchrè conuenire poculum Amiani cum vino ait Vaticano, quod inde bibat. ſerpentem in poculo eſſe expreſſum, vinum Vaticanum venenum eſſe. erat enim ex peſſimo vinorum genere. lib.1. epig.19. vocat Vaticana, ſæua toxica. MYRONIS] de hoc artifice alibi multa diximus, & Plinius non pauca. bucula ſua nobilitatus eſt maximè. PATERA] à patendo dicta, genus poculi, patens ore latiſſimo, quo libabatur Diis vinum. Varro lib.4. de lingua Latina.

De Calpetiano.

XCIV. LXVI.

Ponuntur ſemper chryſendeta, Calpetiano:
Siue foris, ſeu cùm cœnat in vrbe domi.
Sic etiam in ſtabulo ſemper, ſic cœnat in agro.
Non habet ergo aliud? non habet immò ſuum.

Irridet ſplendidam Calpetiani mendicitatem. CHRYSENDETA] quæ ſint, & qualia vaſa ſuprà lib.2. ex Turnebo, & alioque docuimus. hic addo Bayſium, qui Chryſendeti formam nobis ex antiquo lapide expreſſam dedit. Qui addit libro de Vaſculis. *Cæterùm vaſa aureis cruſtis illigata dicuntur à Martiale chryſendeta. Dicuntur & lances chryſendeta ab eodem, in Apophoretis. Ornabantur & emblematis vaſa, quæ poterant adiici, & detrahi ad voluntatem domini.* de quibus Budæus in Annotat. IN STABVLO] in diuerſorio, πανδοχεῖον. ſtabularius πανδοχεύς. Sic locus apud S. Lucam accipiendus de Samaritano. qui vulneratum duxit εἰς πανδοχεῖον in ſtabulum. vbi ſtabulum pro hoſpitio publico ponitur, vt apud Petronium: *Nec quo loco ſtabulum eſſet, ſciebam*: ad quem Io. Wouerius: Cauponium ſeu diuerſorium. Apul.1. Mil. Quod ingreſſu primum fuerit ſtabulum. Cyprianus ad Steph. *Stabula in itinere appetunt tutiora.* longe plura Wouerius, ſed hæc notationem vocis ſatis indicant. NON HABET ERGO ALIVD? NON HABET IMO SVVM] Interrogat lector, eſtne Calpetianus tam lautus, & diues, vt non niſi aureis, & argentis, gemmeiſque poculis vtatur? Reſpondet poeta: vteretur aliis, ſi haberet. hæc, quæ habet, non ſunt ipſius, ſed mutuò ſumpta. ipſe nec aurea, nec argentea, nec vitrea, Codro pauperior, poſſidet. Niſi fortè etiam obliquè hæc ipſa chryſendeta furto ablata velit à Calpetiano Martialis cum dicit *non habet ſuum* ergo alienum; nec quomodo alienum exponit, ſed relinquit lectori cogitandum.

Luc. 10.

De Thaide.

XCIII.

Tam malè Thais olet, quàm non fullonis auari
Teſta vetus, mediâ ſeu modò fracta viâ.
Non ab amore recens hircus, non ora leonis,
Non detracta cani Tranſtiberina cutis.
Pullus abortiuo nec cùm putreſcit in ouo,
Amphora corrupto nec vitiata garo.
Virus vt hoc alio fallax permutet odore
Depoſita quoties balnea veſte petit;
Pſilothro nitet, aut acidâ latet oblita cretâ,
Aut tegitur pingui terq; quaterq; faba.

Cùm

Cùm bene se tutam per fraudes mille putauit
Omnia cùm fecit, Thaida Thais olet.

Aliquam lupam seu prostibulum nomine Thaidis vexat poeta, propter graueolentiam, quæ leænis & chimæris hisce communis. Fuère Thaides amicæ poëtis prioribus celebratæ. Menandro, Afranio, Terentio. Nota & M. Alexandri Thais, cuius impulsu Persepolim exussit. Nota Alexandrina, quæ lacrymis omnem animi corporisque labem detersit. Noster poëta Thaidem nominat lib. 3. 4. 5. 6. 9. 10. 11. 14. Hic, vt dixi, pro olente turpique Harpyia, hoc est, infami aliqua Leda, Quartilla seu Triphæna ponitur. FVLLONIS AVARI] Fullo est, qui togas recentat, & maculas ac sordes è toga eluit, & addito sulphure, & creta rursum candefacit. Plinius lib. 35. cap. 17. *Ergo ordo hic est: primùm abluitur vestis Sarda (cretâ) dein sulfure suffitur, mox desquamatur Cimolia, quæ est coloris veri. Fucatus enim deprehenditur, nigrescitq; & effunditur sulfure, &c.* Frequens vbique mentio fullonum apud veteres, præsertim in comœdiis. Titinnius apud Nonium.

——terra hæc est, non aqua,
Vbi tu solitus argutarier pedibus,
Cretam dum compescis, vestimentaq; lauas.

Argutatio pedum, Senecæ saltus fullonius appellatur. Erat & lex fullonibus dicta, quam Metellam nominabant. de qua Plinius lib. iam indigitato. sunt qui Metiliam vocent Antonius Augustinus lib. de legib. in voce Metella. Est hæc ars fullonum inuenta à Nicia Megarensi, vt idem Plinius est auctor lib. 7. cap. 56. AVARI] auarum, opinor, vocat, quòd æuo illo maximus vsus fullonum, qui magnum quæstum arte sua faciebant, magnumque pretium pro vestibus candefactis aut emaculatis exigebant. TESTA VETVS] qua vrinam excipiebant, quam ad vestium purgandarum vsum adhibebant. Vtilissimam Cameli vrinam (Plinius lib. 28. cap. 8.) fullonibus aiunt. Stabant ergo in publico dolia, seu amphoræ, testæue ad vrinam passim reddendam. Vnde natum existimant vectigal vrinarium, & chrysargyrum. quod primus Vespasianus indixit. & Græci Imperatores retinuerunt & auxerunt. Suetonius in Vespas. Georgius Cedrenus, Constantinus Manasses, quorum fidem laudat in Admirandis Lipsius lib. 2. cap. 6. MEDIA SED MODO FRACTA VIA] tum enim grauissimus & teterrimus exhalat odor. Eiusdem testæ meminit lib. 12. ep. 48. -- *iunctaq; testa via.* Et lib. 3. ep. 80. etsi priuatæ, olentis tamen. *Curtaq; Leda sobrius bibat testa.* NON AB AMORE RECENS HIRCVS] Theophrastus περὶ ὀσμῶν, διὸ καὶ οἱ τράγοι, καὶ οἱ ἔλαφοι, καὶ τὰ ἄλλα περὶ τὰς ὀχείας τράγου ὄζει. Quare & hirci, & cerui, & alia animalia, cùm coëunt, deterrimè fœtent. Nata inde ab hirco parœmia τραγίζειν, hirquitallire, seu hircum olere, de iis qui malo odore infestantur. Alarum quoque fœtor caper & capra à Latinis appellatur. Catullus in Rufum.

Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Horatius.

Namq; sagacius vnus odoror
Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis.

Græci τράγον vocant, & τραγίζειν. Hippocrates ἐπὴν ἀφροδισιάζειν ἄρξωνται ἢ τραγίζειν. Quæ autem sit huius graueolentiæ caussa, docet ex Aristotele Cælius Rhodiginus lib. 15. cap. 10. De hirco lib. 4. ep. 4. Martialis in Bassam, quam eodem modo. vt hic, Thaida, tractat. quemadmodum & Lucillius Telesillam, lib. 2. Anthol. εἰς δυσώδεις, quam Chimæræ Homericæ, Lemniadibus, pedi Philoctetæ, Harpyiis, tauris igniuomis componit. ORA LEONIS] Plinius lib. 11. cap. 53. *Anima leonis virus graue, vrsi pestilens, elephantorum serpentes extrahit, ceruorum vrit.* Caussam fœtentis animæ leoninæ referunt in cruditatem, quæ ex crudis carnium frustis expirat. Pierius plura lib. 1. p. 13. vbi crapulam per leonem designat. NON DETRACTA CANI TRANSTIBERINA CVTIS] Vrbis pars deterrima & Iudæis, vt Philo testatur, potissimùm occupata. Pleraq; ibi viliora, & immundiora fiebant, pellesque animalibus fœtidæ deripiebantur. Lege, quæ lib. 1. ep. 42. in Cæcilium scripta. Et Iuuen. Sat. 14. Turneb. lib. 24. cap. 43. PVLLVS ABORTIVO, NEC CVM PVTRESCIT IN OVO] Corruptus in ouo fœtus, pestis narium, si aperias. nec præter narium experimentum alio opus testimonio. AMPHORA CORRVPTO GARO VITIATA] Garum nobis accuratè describitur ex Plinio & aliis, lib. 13. lemmate. Sociorum garum. salsum liquamen est ex intestinis scombri sale maceratis, & putrescentibus factum. Garum dicitur, quòd priùs ex garo pisce fieret. Corrupto autem garo perinde nares, ac ouo vitiato, torquentur. VIRVS VT HOC ALIO FALLAX PERMVTET ODORE] Virus, fœtorem hunc δυσοσμίαν totius corporis, non stomachi tantùm, vt Domitius vult, tegere conatur, & obtuere Thais, vt crapulam Fescenia lib. 1. ep. 88. PSILOTHRO] Psilothra sunt pharmaca seu vnguenta, quibus pilosæ corporis partes glabrantur. Galenus de compos. pharm. secund. locos. lib. 1. cap 4. *Et quæ quidem pilorum denudatoria sunt, & propriè, vt dixi, psilothra vocantur, tantùm non quotidie in omnium mulicrcularum fermè etiam virorum vsu habentur.* Ex quibus rebus conficiantur, ibidem tradit Galenus ex Critone. vbi & Paridis histrionis, & Heraclidæ Tarentini Psilothrum conficit. Addit, quomodo eodem fœminæ in balneis vtantur. Vocatur & ampeloleuce, hoc est, vitis

Multa pharmaca ibidem enumerantur ad pilos extirpandos, multa & Domitius enumerat.

alba psilothrum, quòd eius cinis etiam pilos absumat. Plinius lib.22 procem. Vsus est hac voce poëta lib.3. ep.73. in Gargilianum.

Psilothro faciemq; lauas (lege, faciem læuas) *& dropace caluam.*

Psilothro facies non lauatur, nisi de ampe oleucæ cineribus ex vino citra oleum loquatur. Hoc enim genus psilothri igni sacro aspergitur, vt Plinius testatur, & pilos absumit. Atque ita seruari prisca lectio possit, *faciemq; lauas.* AVT ACIDA LATET OBLITA CRETA] Cretam Cimoliam, terram Samiam, Chiam, Selinusiam Plinius 35. cap.16. & 17. docet maximè adhibitam ad cutem mulierum emendandam, erugandam, aliosque morbos curandos. acidam poëta vocat, quòd aceto dilueretur. Poëta lib.3. hanc cretam Venetum lutum videtur appellare, quæ ex Cypro afferebatur. PINGVI FABA] Galenus eodem loco. *Hordei itaq; farinæ, & fabarum, amplius q; eui, spuma nitri, ac ipsum nitrum familiaria pharmaca sunt omnibus ad tollendas sordes vsurpata. Assiduus autem eorum vsus etiam pilos attenuat.* pane madido quotidiè linebat faciem Otho Imperator, quem panem ex oryza, aut fabis factum nonnulli tradunt. Iuuenal. ex farina siliginea.

Suet. cap.12.

Sed quæ mutatis inducitur atq; souetur
Tot medicaminibus, coctaq; siliginis offas
Accipit, & madida, facies dicetur, an vlcus?

TVTAM] à grauceolentia & fœtore. TAIDA THAIS] Thais fucata & infecta, fœtentem tamen, & olentem olet Thaida lupam. Nam pura mulier optimè olet, cùm nihil olet. Videtur poëta respexisse ad illud Epigoni Λαΐδι λαΐς. Qui similia in olentes epigrammata desiderat præter Martialem, & Catullum legat cap. lib 2.

εἰς δυσώδεις, Anthol.

MATTHÆI RADERI

AD

M. VALERII MARTIALIS LIBRVM SEPTIMVM

Commentarius.

Ad Domitianum.

I.

Accipe belligeræ crudum thoraca Mineruæ,
*Ipsa Medusææ quem * timet ira * Deæ.*
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari:
Pectore cum sacro sederit, Ægis erit.

*al. & melius, quo tumet. tumet. * coma.

PLVRES quidem expeditiones suscepit Domitianus partim in Germanias, & Gallias, partim in Cattos, Sarmatas, & Dacos. Hoc epigramma ad Sarmaticam videtur referendum, cùm dicat poëta, *Inuia Sarmaticis domini lorica sagittis.* Atque illas in Germanias, & Galliam spontè, reliquas coactus. Suet. in Domitiano cap. 2. & c. 6. Xiphil. Eutropius. ACCIPE BELLIGERÆ CRVDVM THORACA] Accipe Cæsar, & indue loricam impenetrabilem telis, belligeræ Mineruæ, est enim togata, & militaris Minerua. Domitianus, quia se filium Palladis credi volebat, & vt Suetonius cap. 15. scribit, Mineruam superstitiosè colebat, vt legionem quoque Mineruam appellaret, ideo loricam talem induit, qualem gestare armata Minerua solet. Sic enim pingitur Minerua. Galeam fert cristatam in capite, hastam longam gerit dextra, sinistra scutum, seu Ægidem cristallinam Gorgoneo capite formidabilem. hanc Ægidem tamen alij, vt Cornutus, pectori Palladis appingunt, & hoc loco Martialis. Pallium fert triplici colore imbutum, candido, purpureo, & aureo. Picturam vide apud Alciatum emblemate 22. eius rei symbolum, & enarrationem apud Claudium Minoem ad idem Alciati emblema. plura de Pallade apud Nat. Com. lib. 4. cap. 5. Cornutum lib. 1. de natura Deorum. Fulgentium Mythol. 2. Gyr. Syntag. 2. Pierium 14. Hyerogl. Homerus Iliados ε Mineruam his versibus armat:

Vide Met. 4. Vltima fab.

Ἡ δὲ χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο
Τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα.
Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν,
Δεινὴν ἣν περὶ μὲν πάντῃ φόβος ἐστεφάνωται,
Ἐν δ' ἔρις, ἐν δ' ἀλκὴ, ἐν δὲ κρυόεσσα ἰωκή.
Ἐν δέ τε Γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου
Δεινή τε σμερδνή τε Διὸς τέρας αἰγιόχοιο.
Illa induta Iouis loricam nube potentis
Armis cingebat sese ad plorabile bellum
Mox floccatam humeris sibi proiicit ægida circum
Terribilem, quam circum etiam timor vndiq; cinxit,
Et rabies, & vis, & concertatio pallens
Inflatumq; caput monstri media obtinet, hac est
Ægiochi Iouis effera cacaq; laua.

Domitianus loricam, seu thoracem eiusmodi sibi fieri curauit, in quo Medusæ caput iuxta pectus erat expressum. CRVDVM] durum, militarem, sæuum, terribilem, vel recentem, & nouum intelligo. Sic Virgilius 5. Æneï.

Seu crudo fidit pugnam committere cæstu.

Idem 10. Æneid.

——& crudum per costas exigit ensem.

Et:

Aiax apud Sophoclem μαστιγοφόρῳ,
Ἀλλ' αὐτίκ' ὠμοῖς αὐτὸν ἐν νόμοις πατρὸς
Δεῖ πωλοδαμνεῖν κἀξομοιοῦσθαι φύσιν.
Sed cum patris eius institutis asperis (ὠμοῖς propriè crudis)
Domitari oportet: atq; mores exsequi,

IPSA MEDVSEÆ QVO TVMET IRA DEÆ] Ita Virgilius,

Gorgoneumq; caput turbatæ Palladis arma.

Quo irata Pallas vtitur, quem sumit Pallas pugnatura. Et Claudianus de raptu Helenæ.

Sensit iratam mox Ægida,

Medusæa autem dicitur Pallas, quòd Palladis ope Perseus Medusam interfecerit. Albricus, & copiosè Palæphatus. al. comæ non malè, sed multo sonantius & gratius, Deæ. Medusa vna ex Gorgonibus filia Phorbi fuit. Pausanias in Corinthiacis. comam eius vertit in serpentem Pallas, & ori dedit hanc vim, vt, qui illud aspicerent, in lapides verterentur. Ouid. 1. de Ponto,

Ipsa Medusæ oculis veniat licet obuia nostris,
Amittet vires protinus illa suas.

Cur versa sit, lege apud Ouid. 4. Met. fab. vltima. Plura Natalis comes lib. 7. cap. 11. Hesiodus de Medusæ capite in scuto. Cæterùm versus est Leoninus, qualis apud Ouidium.

Quærebant flauos per nemus omne fauos.

Et Virgilium, *Terga citatorum dextra contorsit equorum.*

Et Homerum, *ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.*

DVM VACAT HÆC, CÆSAR, POTERIT LORICA VOCARI] Quæ lorica, quando non gestatur à Cæsare, dicitur lorica, etiamsi ab alio mortali induatur, cùm sumit eam Cæsar, qui Deus est, iam non amplius lorica, sed Ægis vocatur, Dij enim Ægidas gestant, mortales verò loricas. PECTORE CVM SACRO SEDERIT, ÆGIS ERIT] Ægis propriè munimentum est pectoris æreum à Vulcano fabricatum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore numinis fuerit, Ægis vocatur: si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis videmus, lorica dicitur. Seruius.

Virgil. 8.

Ægidaq; horrificam turbatæ Palladis arma
Certatim squamis serpentum, auroq; polibant,
Connexosq; angues, ipsamq; in pectore Diuæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Et Ouid. 4.

Hanc (Medusam) pelagi rector templo vitiasse Mineruæ
Dicitur. auersa est, & castos Ægide vultus
Nata Iouis texit. neúe hoc impunè fuisset,
Gorgoneum crinem turpes mutauit in hydras.
Nunc quoq; vt attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in aduerso, quos fecit, sustinet angues.

Eiusdem facit mentionem Hom. Iliad. 2.

Φέρουσα Ἀθηνᾶ.

μετὰ δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη
Αἰγίδ' ἔχουσ' ἐρίτιμον, ἀγήρων, ἀθανάτην τε, &c.

Ad Loricam Domitiani.

I. II.

Inuia Sarmaticis domini lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis:
Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis ictus,
Texuit innumeri lubricus vnguis apri,
Felix sorte * tua es: *sacrum cui tangere pectus*
Fas erit, & nostri mente calere Dei.
I comes, & magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæq; ducem, sed citò, redde togæ.

* tua: fuerit vetus lectio, sic in fra ep. 8: *Felix forte tua, poto-ras...*

Videntur sequentia disticha nouum epigramma conficere. hic enim loricam ipsam alloquitur, superiori tetrasticho Cæsarem est affatus. Inuenio nonnullis in exemplaribus idem à priore separatum, quare & hic separandum iudicaui. Felicem prædicat loricam, quòd pectus Dei, id est,

id est, Cæsaris attingat, & comes eat in hostes. LORICA] describit loricæ præstantiam, & duritiem. *Lorica a loris dicitur*, inquit Varro, *quòd de corio crudo pectoralia faciebant. Postea succuderunt Galli è ferro sub id vocabulum, ex annulis ferream tunicam.* Varia autem genera loricarum celebrauit antiquitas; nam lineas, coriaceas, æneas, ac ferreas fuisse constat. de singulis copiosissimè Lipsius lib.3. de militia Romana. dial.6. ad quem te locum hinc remitto. SARMATICIS SAGITTIS] de Sarmatarum, seu Polonorum, vt hodie appellantur, telis, sæpe Ouidius libris de Tristibus, & Ponto de Trist. lib.5. El.10.

Hostis equo pollens, longeq́; volante sagitta,
Vicinam latè depopulatur humum.

Et mox. *Pars cadit hamatis misere confixa sagittis,*
Nam volucri ferro tinctile virus inest.

Lib.4. El.1. *Hostis habens arcum, imbutaq́; tela veneno,*
Saeuus anhelanti mœnia lustrat equo.

Qui fuerint Sarmatæ, docet Strabo lib.7. Mela, Ptolomæus, Plinius, & alij. INVIA] Domitianus ad modum Sarmaticarum loricarum sibi thoracem fieri curarat. Sarmaticæ autem loricæ tam duræ, & firmæ erant, vt ictus omnes sustinerent, quod testatur Pausanias lib.1. [illegible] *Loricas ad vsum habent, neq́; decore Græcanicis inferiores, neq́; infirmiores. Nam & comminus percussæ, & iactu petitæ, resistunt, & sustinent.* ET MARTIS GETICO TERGORE DVRA MAGIS] Amplificat duritiem loricæ Domitiani, à comparatione. durissimas habent Getæ loricas, durior est tamen Domitiani lorica. MARTIS] quia apud Getas loricatus colitur tergore, eò quòd ex tergore, & pellibus animalium loricæ quoque sint factæ. apud Homerum thorace pardi nescio quis heros armatur. An Martem refert ad dominum. domini Martis Domitiani? vt alibi togatum Martem appellat. Sed Geticum tergus Martis vocat, quia Mars ipse apud Getas natus, Belli numen apud bellicosissimam gentem. Virgilius, Statius, Sidonius, Iornandes. Vegetius. Stevvechius ad lib.1. Veg. cap. vlt. Sauarus ad epist.9. lib.8. & carm 9. Quia igitur Mars est è Getis oriundus, armaturam illi poeta Geticam rectè induit. QVAM VEL AD ÆTOLÆ SECVRAM CVSPIDIS ICTVS] Ætoli, Plinio auctore, lanceas inuenerunt. hinc poeta Ætolam lanceam, seu cuspidem pro acutissima, & maximè penetrabili ponit. Vel, quod Domitio videtur, Ætolæ cuspidis, id est, Meleagri teli, vt dicat tam firmam esse loricam Domitiani, vt nec Meleager quidem quamuis aprum interfecerit, loricam tamen hanc suo telo possit penetrare. SECVRAM] ictum non timentem. TEXVIT INNVMERI LVBRICVS VNGVIS APRI] Turnebus existimat loricam Domitiani squamis æneis textam, & consertam fuisse, aprinarum vngularum speciem imitantibus. Lipsius contra ex veris, & ipsis vngulis, Domitianum enim ambitiosè imitari voluisse Sarmatarum, (contra quos expeditionem susceperat, vnde Ioui lauream de iis postea consecrauit) loricas affirmat. Sarmatæ verò loricas huiusmodi, vt Pausanias lib.1. describit, faciebant. *Multos equos quisque nutrit, iis non ad bellum modò vtuntur, sed Diis patriis suis immolant. Colligentes verò vngulas, eas purgantes, & dissecantes conficiunt ex iis quiddam draconum squamis simile. Aut si quis draconem non viderit, vidit autem nucis pineæ fructum viridem, is è segmentis aut vngulis si opus assimulauerit, haud errarit. Has igitur squamulas perforantes, & neruis equinis, aut bubulis consuentes loricas ad vsum habent, neq́; decore Græcanicis inferiores, nec infirmiores.* Nam & comminus percussæ, & iactu petitæ resistunt, & sustinent. *Graphicè*, inquit Lipsius ibidem, *loricas istas habes descriptas, ad quarum exemplum Domitiani principis illa fuit.* INNVMERI APRI] synecdochicώς innumeri vngues aprorum. lubricus, politus. FELIX SORTE TVA, SACRVM CVI TANGERE PECTVS FAS ERIT, ET NOSTRI MENTE CALERE DEI] Altera pars epigrammatis continet gratulationem μετωνυμικῶς, loricæ enim tribuit felicitatem, & fortunam, quæ propria sunt hominis. O felicem loricam, non tam quòd tam firma, & dura videare, quàm quod mox a Cæsare induère. & cœlestem, ac diuinum illius animum cont nebis. NOSTRI] Domitiani, qui Deus Martialis erat, imo qui seipsum Deum vocabat. I COMES: ET MAGNOS ILLÆSA MERERE TRIVMPHOS] Conclusio, à fausto omine, & imprecatione per allocutionem. I comes Cæsaris ad bellum Sarmaticum, & illæsa cæsis, & deuictis hostibus cum triumpho reuertere. Hinc Mineruam poëta lib.14. ep.197. fingit ægide carere, quasi Domitianus mutuam acceperit:

Dic mihi virgo ferox, cum sit tibi cassis & hasta,
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

Sed de Sarmatia non triumphauit Domitianus, lauream Ioui tantum consecrauit. Tranquillus cap.6. PALMATÆQVE DVCEM, SED CITO, REDDE TOGÆ] Victis perduellibus mox imperatorem triumphantem vrbi restitue. PALMATÆ TOGÆ] Palmata vestis est triumphantium, dicta primum, Festo auctore, *à latitudine clauorum, quæ nunc à genere picturæ palmata appellatur.* clauorum latitudo tanta erat, vt palmo mensurari possent; claui autem fuère quasi flores quidam panno intexti; postea à palmarum ramis, qui in ea intexebantur, palmata dicta est; in ea enim, vt ait Isidorus, victoriæ cum palmis erant intextæ. Eadem erat picta, eademque trabeata, seu trabea, vt Ausonius vsurpat, & Baysius docet, quem de picta, trabeata, & palmata leges libro de re

vest. cap.10. & Valtrinum lib.7. quanquam trabea non tantùm triumphalis, vti nec picta, vel palmata. Numeratur tamen inter triumphales vestes, etiam scutulata, Phrygiata, surculata, vndulata, & clauata. Alex. Neapol. lib.5. cap.18. Et Tiraquellum ad idem Alexandri caput consule. Petebatur ea tunica palmata è Capitolio, vel postea è palatio. testimonia habes apud Valtrinum, & Baysium. Lege Liuium dec.1. lib.10. & 3.d. lib.10. Suetonium in Claudio cap.17. Apuleium Apol.1. Capitol. in Gordianis, Seruium ad Virgilium 11. & Eclog.10. Plinium lib.8. cap.48. Ausonium in Panegyrico, Appianum. Dionysium lib.3. & 5. Plutarchum in Æmilio. Valerium lib.9. cap.1. Macrobium lib.3. cap.13. Isidorum lib.19. Dicuntur triumphales tunicæ, natæ ex vsu pictarum vestium, de quibus Homerus,

Iliad. 3.

Τὴν δ' εὗρ' ἐν μεγάρῳ, ἡ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινε,
Δίπλακα μαρμαρέην, πολέας δ' ἐνέπασεν ἀέθλους
Τρώων δ' ἱπποδάμων, καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.

Quo tamen loco Eustathius docet in editionibus Aristarchi, Zenodoti, & Aristophanis legi Δίπλακα πορφυρέην, non μαρμαρέην, μαρμαρέην autem exponit λάμπουσαν, ἐκ τοῦ μαρμαίρειν. Sed hæc accuratius, vt dixi, Baysius, & recentiores non pauci.

Ad Pontilianum.

II. III.

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane tuos:

Verebatur poëta, ne Pontilianus beneficium maleficio compensaret, sibique pro suis bonis epigrammatis mitteret pessima. fermè eiusdem argumenti est illud lib.5. epig.74. in Theodorum, quo loco & hoc carmen produximus. Qui ex Pontiliano, Opiano, Cæciliano, fictis hic nominibus fingunt certos Opios, Pontios, Cæcilios fumos vendunt.

De Opiano.

III. IV.

Castricus nobilis poeta. infra epig.31.

Esset, Castrice, cùm mali coloris,
Versus scribere cœpit Opianus.

Ægro corpore erat plerunque Opianus, vt suprà lib.6. de thermis Hetrusci diximus. pallor inualetudinem comitatur. Opianus poëta minimè bonus, cùm palleret, cœpit scribere poëmata; ratus, vt pro poëta nobili haberetur, qui plerunque ex labore, & meditatione contrahunt pallorem, non valetudine, vt Opianus. De pallore poëtarum, & studiosorum hominum, Persius Sat.5. ad Cornutum.

At te nocturnis iuuat impallescere chartis.

Iuuen. Sat.7.

——— tunc vtile multis
Pallere, & toto vinum nescire decembri

Hinc reor à Persio dictam pallidam Pyrenen, quòd ad illum fontem, Statio testante, poëtæ carmina meditarentur. Plinius item Iunior lib.6. epistolarum epist.2. de studio Reguli oratoris. *Cur ergo quæro? habebat studiis honorem, timebat, pallebat, scribebat, &c.* Et lib.1. epist.5. *Expalluit notabiliter, quamuis palleat semper.* En, *quamuis*, inquit, *palleat semper*, studiorum nempe caussa. Hinc & imagines poëtarum macræ pingebantur. Iuuen. Sat.7. *Vt dignus venias hederis & imagine macra.* Petronius poëtarum vultus pallidos & macilentos vocat exercitatos. *Intrauit pinacothecam senex canus & exercitati vultus.* Idem sæpe Lucianus. Vnde autem pallor in literatis?

Multa tulit, fecitque puer, sudauit, & alsit.

Auocant à ventriculo spiritus calentes ad caput, & impediunt cibi concoctionem, cruditates pariunt, vnde morbi, & pallor. Celsus lib.1. ipso proœmio. donec maiore studio literarum disciplina agitari cœpit, quæ vt animo præcipuè omnium necessaria, sic corpori inimica est. Et mox: Scilicet his hunc maximè requirentibus, qui corporum suorum robora, inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuerunt. Vti autem Opianus iste se putabat pallore nomen poetæ consecuturum, ita alij furore, quem simulant, re vera furunt, quemadmodum Venusinus ait,

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, & excludit sanos Helicone poëtas
Democritus: bona pars non vngues ponere curat,
Non barbam: secreta petit loca, balnea vitat.

Nanciscetur

Nanciscetur enim pretium, nomenq; poëta,
Si tribus Anticyris caput insanabile, nunquam
Tonsori Licino commiserit.——

Idem de hoc Democrito Cicero 2. de Oratore. & 1. de diuinat. lege ad hunc locum Lambinum.

Ad Cæsarem Domitianum vt redeat in vrbem.

V. IV.

Si desiderium, Cæsar, populique, patrumque
Respicis, & Latiæ gaudia vera togæ,
Redde Deum votis poscentibus: inuidet hosti
Roma suo, veniat laurea multa licet.
Terrarum dominum propius videt ille; tuoque
Terretur vultu barbarus, & fruitur.

Palpat Domitianum, quem incredibili desiderio expectari dicit à patria. Si te charitas ciuium tuorum mouet, si senatus, & plebis vota non negligis, redi in vrbem. Horatius ad Augustum:

Diuis orte bonis optime Romulæ
Custos gentis abes iam nimium diu
Lucem redde tuæ dux bone patriæ.

RESPICIT, ET LATIÆ GAVDIA VERA TOGÆ] gaudia vera populi, ipsum dicit esse Domitianum, quo absente nullum populus gaudium putat esse verum θωπευτικῶς. LATIÆ TOGÆ] Romani enim togati. Virgilius,

Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.

De toga suo loco copiosè disseremus. REDDE DEVM VOTIS POSCENTIBVS] Teipsum, qui Deus es, Domitiane redde vrbi, redi in vrbem, quando te certatim omnes votis omnibus exoptant. INVIDET HOSTI ROMA SVO] felicem prædicat Roma hostem, quòd fruatur præsentia Numinis tui atq; ideo inuidet, ac si frui cupit. χαριεντισμῶς Martialis noster. VENIAT LAVREA MVLTA LICET] Victis non inuidetur, de quibus laurea reportatur. Sed tantùm desiderium videndi Domitiani est, vt licet sæpius de victis laureas referat, tamen illis nihilominus inuideamus, quòd fruantur Deo nostro. Laurea multa, dixit, quòd Domitianus à Sarmatis Ioui lauream tantùm intulit, & sacrauit, vt suprà diximus. Verius hic referas ad ipsas litteras, quas in vrbem frequentes & laureatas misit, victoriæ Sarmaticæ nuncias. TERRARVM DOMINVM PROPIVS VIDET ILLE] En caussam, cur hosti Roma inuideat, quia præsentem videt Dominum & Deum nostrum, inquit Martialis, quæ summa est beatitas. TVOQVE TERRETVR VVLTV BARBARVS, ET FRVITVR] fruitur, vt Numine, terretur à victore. sic caussam voluptatis habet, & timoris. conclusio plena adulationis. Numinis enim est & mortales terrere, & eosdem oblectare clementia, & beneficiis. Lib. 5. epig. 3.

Sors mea, quàm fratris, melior, cui tam propè fas est
Cernere tam longè, quem colit ille Deum.

Poëta videtur simul laudare oris in Domitiano dignitatem amabilem, de qua, vt alibi dictum, ipse in senatu olim gloriatus est imperator.

De fama reditus Domitiani.

VI. V.

Ecquid hyperboreis ad nos conuersus ab oris
Ausonias Cæsar iam parat ire vias?
Certus abest auctor, sed vox hoc nuntiat omnis:
Credo tibi, verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartæ:
Martia laurigerâ cuspide pila virent.

Rursus

Rursus io magnos clamat tibi Roma triumphos,
Inuictusq́; tua, Cæsar, in vrbe sonas.
Sed iam lætitiæ quò sit fiducia maior,
Sarmaticæ laurus nuncius ipse veni.

De reditu Cæsaris ait passim rumores spargi, sed absque auctore, rogat Cæsarem, vt ipse [illegible] ctor, nuntiusq; sit triumphi, & mox veniat. HYPERBOREIS AB ORIS] A Sarmatis, qui septemtrioni maximè sunt subiecti. Strabo, *Hyperborei super Aquilonem, Riphæosq; montes sub ipso siderum cardine iacent.* Sarmatæ autem non ipsi hyperborei, sed finitimi. Seruius ad 4. Georg. dicit vocari hyperboreos, quòd vltra eos flet Boreas. Sed Festus, *Hyperborei*, inquit, *supra Aquilonis flatum habitantes, dicti, quòd humanæ vitæ modum excedant viuendo vltra centesimum annum, quasi* [illegible] *humani seculi æuum.* Lege Diodorum, Strabonem, Melam, Plinium cap. 16. lib. 6. Sententia est, An Cæsar à Sarmatis in patriam parat reditum? CERTVS ABEST AVCTOR] Valla lib. 4. *Fama & rumor idem sunt, alterum à fonte Græco descendit, cùm per orbem aut vrbes rumor absq; certo nuncio, de re noua spargitur.* plura de fama diximus lib. 1. epig. 1. SED VOX HOC NVNCIAT OMNIS] hinc constans fama. constanti fama fertur. Cic. ad Q. F. *Constanti fama, atq; omnium sermone celebratum est, ita esse.* CREDO TIBI] Nam, vt Homerus Odyss. 14. canit, fama ex Ioue est.

——ἢ ὅσσαν ἀκούσῃς
Ἐκ Διὸς, ἥ τε μάλιστα φέρει κλέος ἀνθρώποισι.

Aut famam audieris ex Ioue, quæ potissimùm gloriam adfert hominibus. Et Hesiod. lib. 2.
ἔργων, καὶ ἡμερῶν.
Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα πολλοὶ
Λαοὶ φημίζουσι. θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή.

PVBLICA VICTRICES TESTANTVR GAVDIA CHARTÆ] Si literæ Romam missæ testantur venturum principem, quid est, quòd dicat (Certus abest auctor?) literas intellige missas de victoria Cæsaris aduersus Sarmatas, non de aduentu, quanquam poeta rectè coniiciat venturum principem bello patrato, argumento à literarum testimonio ducto. de literis autem Dio, seu Xiphilinus ex Dione in Domitiano. VICTRICES CHARTÆ] laureatæ literæ. Veteres enim parta victoria laureatas misêre ad senatum, vel ad principem literas, indices victoriæ. Laurus enim insigne triumphi, & victoriæ semper fuit. de hoc more Liuius dec. 1. lib. 5. *Literæ*, inquit, *à Posthumio laureatæ sequuntur victoriam populi Rom.* Et 5. dec. lib. 5. *Tabularius, qui se ex Macedonia venire diceret, laureatas literas attulisse dicitur.* Plinius lib. 15. cap. vlt. *Laurus Romanis præcipua lætitiæ, victoriarumq; nuncia additur.* Iul. Capitolinus in Maximino. *Statim Romam laureatas literas misit, quæ in vrbe ingentem lætitiam fecerunt.* Lampridius in Alexandro, *laureatas tabulas vocat.* Am. Marcellinus lib. 16. vbi de Constantino Cæsare. Cornelius Tacitus, *ipse lauream prosperè gestæ rei ad fratrem misit*, id est, laureatam epistolam. Cæsar lib. 3. Belli ciuilis. *Sed neque*, inquit, *in literis, quas scribere est solitus, nec in fascibus insignia laureæ prætulit.* Ex poetis Persius Sat. 6.

——*missa est à Cæsare laurus*
Insignem ob cladem Germanæ pubis.——

Claudianus in bello Gildonico,

Iam domitus Gildo multis victoria nodis
Hæsit, non spatio terræ, non obice ponti,
Congressum profugum, captum vox nuntiat vna,
Rumoremq; sui præuenit laurea belli.

MARTIA LAVRIGERA CVSPIDE * PILA VIRENT] Martia tela, pila militum & hastæ lauro coronata, quemadmodum etiam Seneca in Agamemnone alludit:

* *Aliqui tela legunt. Vol. lib. 10. ep. 10.*

Sed ecce vasto concitus miles gradu
Manifesta properat signa lætitiæ gerens,
Namq; hasta summo lauream ferro gerit.

Lictorum quoque fasces, & secures intelligit. nam & lictores magistratu vincente laureati incedebant. Cic. lib. 8. ad Atticum. *Age iam has compedes, fasces, inquam, hos laureatos ex Italia ferre quàm molestum?* Idem lib. ad Att. epist. 7. *Subito consilium cepi, vt antequam luceret, exirent, ne qui conspectus fieret, aut sermo præsertim lictoribus laureatis.* Plinius Secundus. *vehebatur* (Antonius) *in essedo Tribunus plebis, lictores laureati antecedebant.* Tacitus lib. 13. *Nero ob res à Quadrato, & Corbulone prosperè gestas, laurum fascibus imperatoriis addi iusserat.* Idem Plutarchus in Lucullo. Iul. Obsequens in lib. prodigiorum. Iul. Capitolinus in vita Maximini. Cassiodorus Var. lib. 9 Ep. *Quid P.C.* &c. Herodianus lib. 7. Virgæ etiam laureatæ, quo insigni principes à priuatis dignoscuntur. Alex. Neapol. lib. 1. c. 27. & Tiraquellus

quellis ad eundem locum. PILA] pilum, quod Græci ὑσσὸν vocant, duplex est, maius, & minus. minora vna cùm ferro iaculis mediocribus paria fuêre. Maiorum pilorum alia tereti, alia quadrata figura fuisse scribunt, vt hastile ad medium vsq; quadratum esset, quod ferro item quadrato præfigeretur. De pilis lege Valtrinum lib. de re milit. Rom. lib.3. cap.12. Et Lipsium lib.3. dialogo 4. Veg. cap.20. Stewechium ad idem. Claudianus in quartum consul. Honorij,

Nec te laurigeras pudeat Grandine secures
Securagestare manu.——

Sed cum principes laureato: fascesq; sterint semper, vt Herodianus lib.7. testatur, cùm dicit de Gordiano. αὐτῷ ῥάβδοι ἐδαφνηφόρουν. ὅπερ ἐν σύμβολον ἐστὶ τοῦ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν. Et Capitolinus in Maximino. *Inde Carthaginem venit cum pompa regali, & protectoribus, & fascibus laureatis*; quid est, cur hic velut nouum lætitiæ, & victoriæ signum scribat Martialis, fasces Romæ laureatos fuisse? Intelligo, magistratuum Romanorum fasces, non Imperatoris, allato nuncio de victoria principis lauro coronatos esse. Principes semper fuisse laureatos, qui tum quidem Romæ non erant, sed in Sarmatia cum Domitiano. Deinde forsan nondum perpetuò laureati Cæsarum lictores erant; seriùs enim ea res incœpit. Lauro verò coronabantur primùm, cùm victoria parta esset, quanquam lictores semper habuerit princeps, & princeps quidem Augustus XII. Dione teste lib.54. Xiphilinus in Domitiano. Domitianus XXIV. à quo suspicor æternam laurum fuisse vsurpatam. Vide Lipsium ad lib.13. Annal. Taciti. sed non primus XXIV. Domitianus vsurpauit. prior Sylla totidem in dictatura habuit. Lege Sigonium in A. V. C.673. *RVRSVS IO MAGNOS CLAMAT TIBI ROMA TRIVMPHOS] Cùm literas victrices & laureatas pop. R. vidisset, vocem illam ingeminauit, IO TRIVMPHE. quæ alias imperatori triumphanti, cùm per vrbem in Capitolium curru veheretur, acclamari à militibus solebat, vt Varro tradit lib.5. de lingua latina. *Sic triumphare, ait, appellatum, quòd cum Imperatore redeuntes milites clamitant per vrbem in Capitolium eunti*, IO TRIVMPHE, IO. Liuius lib.21. *Infantem in vtero matris in Marrucinis*, IO TRIVMPHE, *clamasse dicit.* Horatius lib.4. Carm. de triumpho Augusti,

Túque dum procedis, Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Ciuitas omnis, dabimusq; diuis
Thura benignis,

Idem lib. Epod. od.9.
Io triumphe tu *moraris aureos*
Currus, & intactas boues,
Io triumphe, *nec Iugurthino parem*
Bello reportasti ducem.

Tibullus lib.2. epig.6.
Ipse gerens laurus, lauro deuinctus agresti
Miles, Io, *magna voce* triumphe *canet.*

Ouid. lib.4. Trist. El.2. de triumpho Germanici agens.
Tempora Phœbea lauro cingentur, Ióque
Miles Io, *magna voce* triumphe *canet.*

Idem lib. [illegible] Am. El.2.
Omnia te metuent, ad te sua brachia tendent,
Vulgus Io, *magna voce,* triumphe *canet.*

Alcimus Auitus lib 6. ad sororem, cap.6.
Cautiùs ac meliùs in hoc tum laudabere: cùm iam
Hostibus euictis & Io *clamante* triumphō.

Et hæc vtique læta vox accipienda est apud Ouid.1. Metam. vbi Apollo de Lauro loquens,
Tu ducibus, ait, lætis aderis, cùm læta triumphum
Vox canet.——

Nam & triumphum clamare in hanc sententiam dicunt Liuius lib.21. Et Silius Italicus lib.17. Et triumphum proclamare Valerius Maximus lib.1. cap.6. Planè vox hæc, *Io*, exultantium est.

Vnde Ouid. lib.2. de art. Am.
Dicite Io Pæan. & Io *bis dicite* pæan,
Decidit in casses præda petita meos.

Hæc collegit Brissonius lib.4. de formulis, quæ hunc Martialis locum mirificè illustrant. Io autem sæpe Martialis vsurpat pro voce exultationis, vt lib.5. epig 26. lib.8. epig.4. 11. 20. & 37. INVICTVS QVI TVA CÆSAR IN VRBE SONAS] Ponit ipsam vocem populi clamantis, prior enim, Io triumphe, communis erat, & peruulgata ratio triumphi proclamandi, sed alios, atq; alios titulos communi voci pro virtutis, aut victoriæ magnitudine addebant, vt suprà docuimus. INVICTVS SONAS] vocaris, & proclamaris in vrbe à toto populo *inuictus Imperator*. Est hoc solenne Imperatorum elogium, vt dicantur *Inuicti. & felices inuicti. Inuicti & perpetui. Inuictissimi & victoriosissimi. Inuictissimi felicissimiq;*. &c. quod veteres Inscriptiones pluribus monumentis ostendunt. SED IAM LÆTITIÆ QVÒ SIT FIDVCIA MAIOR] Sed vt expleatur populi desiderium, & gaudium, propera in vrbem, & ipse nuncius esto tuæ victoriæ. SARMATICÆ LAVRVS NVNCIVS IPSE VENI]

Cur

Cur è Sarmatia triumphum non egerit, sed laurum duntaxat Ioui intulerit, caussam legionis vnius casum, & legati cædem crediderim, aut certè si, vt Tranquillus insinuat, post legionis interitum primum suscepit bellum Sarmaticum Cæsar, cruentam fuisse victoriam, vt Dacico bello accidit, licet coniectare. Xiphilinus videtur hanc pugnam cum Dacica, seu Getica expeditione permiscere. Cæterùm vt hic Domitianus, ita Nerua Traianus ex Pannonia laurum attulit, eamque in Iouis gremio collocauit, vt Plinius in Panegyrico scribit. *Traianus enim, profligatis Pannoniis, eius victoriæ testem lauream Neruæ miserat, quam Nerua ipso adoptionis die Ioui Capitolino consecrauit.* Et Pacatus in Theodosium. *Curij, Coruncani, Fabritij, cùm inducia bella suspenderant, inter aratra viuebant, & ne virtus quiete langueſceret, depoſitis in gremio Capitolini Iouis laureis, triumphales viri ruſticabantur.* Poſtremò Plinius lib. 15. cap. vlt. de lauro loquens. *Et hinc*, inquit, *in gremio Iouis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit.* Ouid. lib. 4. Trist. El. 2.

Et dabitur meritò laurea vota Ioui.

Sed non tantùm illa Ioui laurus inferebatur, cùm non triumpharetur, verùm etiam post triumphum iam propè peractum Ioui laurea consecrabatur. Id quod omnes scriptores, qui de triumphis agunt, testantur.

Ad Cæsarem Domitianum.

VII.

Hiberna quamuis Arctos, & rudis Peuce,
Et vngularum pulsibus calens Ister,
Fractusq; cornu iam ter improbo Rhenus
Teneat domantem regna perfidæ gentis,
Te summe mundi rector, te parens orbis:
Abesse nostris non tamen potes votis.
Illic & oculis, & animis sumus, Cæsar,
Adeoq; mentes omnium tenes vnus,
Vt ipsa magni turba nesciat Circi,
*Vtrúmne currat * Passerinus, an Tigris.*

* Passerinus.

Argumentum de desiderio, & amore P.R. erga principem absentem. HIBERNA ARCTOS] Quamuis procul ab vrbe in hostico ad septemtrionem degas, tamen es præsens animis, & votis nostris. Hiberna arctos vocatur, vel quia per hyemem ibi, aut certè partem hyemis ibi erat Cæsar, vel quia semper gelidi, & hiberni septemtriones. Ouidius 2. Met.

Tum primum radiis gelidi caluêre triones.

Idem lib. 2. Trist. *Parrhasiæ gelido virginis axe premor.*

Quod epithetum proprium est septemtrionis, vti dicatur gelidus. Sol enim eò propiùs nunquam accedit, sed ab ortu per meridiem fertur ad occasum. de arctis lib. 1. plura diximus. RVDIS PEVCE] Insula est ad primum Istri ostium. de qua sic Mela libro 2. *in mediterranei maris insulis sex*, inquit, *sunt inter Istri ostia* (nempe insulæ) *ex his Peuce nobilissima, & maxima.* Ab hac Plinius tradit primum Istri ostium appellatum. Facit eiusdem mentionem Lucanus lib. 3.

——*& barbara Cone*
Sarmaticas vbi perdit aquas, sparsamq; profundo
Multifidi Peucen vnum caput abluit Istri.

Facit eiusdem mentionem Strabo lib. 7. vbi narrat Triballorum Regem Syrmum ab Alexandro magno fugatum in Peucen fugisse. Vide Germ. Taciti. Strabo lib. 7. *Ad ostia magna est insula Peuce, quam tenentes Pastarnæ, Peucini sunt cognominati.* Rudem vocat credo Martialis à barbarie Peucinorum. Arrianus lib. 1. & poëta infrà. ET VNGVLARVM PVLSIBVS CALENS ISTER] Egregiè describit totius regionis illius immania frigora. Ouid. Trist. lib. 3. epig. 10. vbi non solùm Istrum concrescere, sed ipsum pontum rigescere, his versibus affirmat,

Cæruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, & tectis in mare serpit aquis.

Quæ

Quaq; rates ierant, pedibus nunc itur, & vndas
Frigore concretas vngula pulsat equi.
Perq; nouos pontes subter labentibus vndis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boues.
Vix equidem credar, sed cum sint præmia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.
Vidimus ingentem glacie consistere pontum:
Lubricaq; immotas testa premebat aquas, &c.

Idemq; sæpius eadem elegia dicit. Et Elegia 12. atq; aliis. CALENS ISTER.] Plane poetica hyperbole; potius enim solueretur glacies, quam caleret. Ita Catullus in Galliambo:

Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida.

Et Augustus Cæsar in epistola quadam *Lusimus per omnes dies, forumq; aleatorium calefecimus.* Rem ergo & locum frequentatum sonat vox caleo ita vsurpata.

FRACTVSQ. CORNV IAM TER IMPROBVS RHENVS] Metonymia, & synecdoche est, Rhenum dicit pro accolis Rheni, fractum pro victis Germanis, Batauis, & Cattis. Alludit simul ad fluuiorum cornua. Virgil. 8.

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.

V. Flaccus. *Siluarumq; Dea, atq; elatis cornibus amnes.*
Mart. lib. 9. epig. 104. *Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri.*
Ouid. lib. 4. El. 2. *Cornibus hic fractis——*

Ælianus lib. 2. Var. cap. 33. TER.] Primo in Batauos pugnauit, deinde in Cattos, postremo in Antonium superioris Germaniæ præsidem, de qua postrema victoria sic Tranquillus cap. 4. *Bellum ciuile motum a L. Antonio superioris Germaniæ præside, confecit absens felicitate mirâ, cum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuisset.*

TENEAT DOMANTEM REGNA PERFIDÆ GENTIS.] Quamuis in Sarmatia, vel Dacia, vel Germania in coercendis rebellibus, & contumacibus populis occupatus sis, & detineâre, ô Cæsar. TE SVMME MVNDI RECTOR, ET PARENS ORBIS.] Elegans, & magnifica periphrasis imperatoris, quem aliâs Dominum, & Deum, aliâs patrem patriæ, sæpe principem, Ducem Germanicum, mundi præsidem, terrarum Dominum, Augustum, Censorem maximum, & principum principem appellat. ABESSE NOSTRIS NON TAMEN POTES VOTIS.] Corpore quidem seiuncti sumus, animo tamen, & votis coniuncti tecum peregrinamur. hoc enim sequenti versu declarat, cum dicit, *Illic & oculis, & animis sumus Cæsar.* ADEOQ. MENTES OMNIVM TENES VNVS.] Ita omnes, cum aliquid narratur vel de victoria, vel de aduentu tuo, animis, & oculis auertuntur à spectaculis, vt nemo aduertat, quid illic agatur, etiamsi in medio sedeat Circo. VT IPSA MAGNI TVRBA NESCIAT CIRCI, VTRVMNE CVRRAT PASSERINVS, AN TIGRIS] Passerinus, & Tigris cursu certabant, reliquosq; longe superabant, quos exempli causa proposuit poeta, vt desiderium populi, & studium erga principem exaggeraret. Quamuis ipse Passerinus, & Tigris stadio contendant, tamen nemo attendit præ tui desiderio. Horum cursorum facit mentionem lib. 12. epig. 36.

Vis cursu, pedibusque gloriari
Tigrim vince, leuemq; Passerinum.

Dubito, an de cursoribus hic poeta loquatur, an equis aurigatorum Circensibus: extat enim apud Onuphrium Passerinus equus Circensis, in tabula equorum Circensium PASSERINO NIGRO POMPEI I. Et Passerinum aliqui nigrum; Tigridem masculosum equum non male interpretantur.

De reditu Domitiani.

VIII. VII.

Nunc hilares, si quando mihi, nunc ludite Musæ:
Victor ab Orthrysio redditur orbe Deus.
Certa facis populi tu primus vota, December:
Iam licet ingenti dicere voce, venit.
Felix sorte tua, *poteras non cedere Iano,*
*Gaudia si nobis quæ * dabit ille, dares.*

* *Debet, sed emendatius dabit. nam mense Ianuario vrbem est ingressus, at Decembri nuncius de reditu adferatur.*

Te Festa

Festa coronatus ludet conuicia miles:
Inter laurigeros cum comes ibit equos.
Fas audire iocos, leuioraq; carmina, Cæsar,
Sit tibi; si lusus ipse triumphus amat.

Cum nunciatum esset Domitianum mense Ianuario venturum in vrbem, cumque iam esse in itinere, alloquitur poeta primum Musas, deinde Decembrem, quem dicit Ianuario anteponi potuisse, si Cæsar ipso Decembri venisset in vrbem. postremo sua carmina dicit valde conuenire tempori, esse enim illa iocosa, mox etiam militem iocos in triumpho dicturum. Si qvando mihi] Si vnquam læta cecini carmina, non canenda sunt. Nvnc hilares Mvsæ lvdite] Nunc tempus, ludis, leporibus, & dictis est. Causa statim subiungitur, quia redit Imperator in vrbem, & victor redit. Victor ab Othrysio redditvr orbe devs] Othrysæ, seu Odrysæ Straboni, & Stephano Thracio versus pontum Euxinum, vnde Odrysius. Thraces autem, & Getæ, Mysique dicti sunt. vide Strab. 7. hoc loco pro toto septemtrione videtur capi, in quo Thracia, Sarmatia, Dacia, &c. Certa facis popvli tv primvs vota, December] hactenus nesciebamus, quando rediturus esset Cæsar, mense Decembri tandem certum nuncium de aduentu Cæsaris accepimus. Certa popvli vota] desideria, gaudiaque populi de Cæsaris aduentu hactenus dubia tandem certa efficis, & reddis. Felix sorte tva: poteras non cedere Iano.] Beatum & felicem prædicamus te modo December, sed multo esses felicior, & beatior, si mense tuo etiam vrbem ingrederetur Imperator, ipsi profecto non cederes Ianuario, quo mense iter conficiet, lauramque Ioui sacrabit. Gavdia si nobis dares, qvæ ille dabit] si tu nobis Cæsarem præsentem exhiberes, vt Ianuarius exhibebit, minime cederes felicitate Ianuario. Festa coronatvs lvdet convitia miles.] De iocis, & scommatis militum in Imperatorem iactis supra diximus, vbi & hunc versum adduximus. Coronatvs.] Ita scribit Appianus etiam tubicinas militibus permixtas coronatas fuisse. Imo totum populum. Martialis infra,

Hic lauro redimita comas, & candida cultu
Roma salutauit voce, manuq; Ducem.

Ouid. el. 2. 4. Trist. Onuphrium Panuinum commentario de triumpho Romano

Inter lavrigeros cvm comes ibit eqvos] Etiam equi laureati incedebant; currus enim hostium spoliis onusti traducebantur à militibus coronatis. Comes] miles. lege Valturium lib. 7. cap. 8. Fas avdire iocos, levioraqve carmina, Cæsar, sit tibi] si triumphans conuitia militum, & festos, ac festiuos iocos lubens audis, audi etiam, & lege meos iocos, & nugas, hoc est, epigrammata iocosa. Si lvsvs ipse trivmphvs amat.] Admittit enim solennis, & magnificus triumphus quosuis, & quorumuis militum, ac hominum iocos.

De Casselio.

VIII. IX.

Cum sexaginta numeret Casselius annos:
Ingeniosus homo est: quando disertus erit?

Ad eruditionem comparandam non sufficit ingenium; opus est disciplina, arte, studio. Iactabat se Casselius de ingenio [illegible], volebatque videri doctus. Poeta; nimis sero te, inquit, ingeniosum dicis; à puero requirebatur ad doctrinam futuram ingenium; nunc si disertus audires, laudaretis. nam disertus refert ad cultum ingenii, ingenium ad naturam; naturam se habere eandem Casselius post sexagesimum annum notauit. nunquam ergo erit disertus, quia non est amplius aptus ad discendas inferiores litteras. Apud Quintilianum Casselius I C.tus est. Ingeniosvs] Quintilianus: *Itaque ingeniosi vocentur, vt libet, dum tamen constet contumeliose sic laudari disertum.* Qvando disertvs erit?] nunquam, hactenus nihil studuit, in posterum non studebit, ætas enim negat.

Lib. 2. c. 12. & lib. 6. c. 4.

In Olum.

X. IX.

In lucem cœnat Sertorius, Ole, quid ad te?
Cum liceat tota stertere nocte tibi.
Septingenta Tito debet Lupus, Ole, quid ad te?
Assem ne dederis, credideris ùe Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole:
*Quodq; magis curæ conuenit esse * tuæ.* * tibi.
Pro togula debes; hoc ad te pertinet, Ole:
*Quadrantem nemo iam tibi * credet: & hoc.* * v. credit.
Uxor mœcha tibi est: hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit iam dotem filia grandis: & hoc.
*Dicere quindecies poteram, * quid pertinet ad te:* * v. quod.
Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil.

Olus aliis obtrectabat, aliosque prodigere sua dicebat, cum ipsemet nihil haberet. IN LVCEM CŒNAT SERTORIVS] totam noctem comissando absumit. Ita lib. 1. de Acerra.

——In lucem semper Acerra bibit.

Sertorius, Titus, Lupus ficta nomina hoc loco. SEPTINGENTA] sestertia, id est, dena septena millia Philippæorum. hic numerus certus est pro incerto. ASSEM NE DEDERIS, CREDIDERISVE LVPO] quid ad te, quid debeat Lupus, cum tu illi nec assem dederis, aut credideris. Aut si te solicitum faciunt nomina Lupi, quæ Tito debet, tu illi nil credas, cura vacabis. PRO TOGVLA DEBES] nondum soluisti togam, quam gestas; hoc taces, & dissimulas, aliorumque debita recenses. AD TE] ludit in epanodo horum verborum eleganter. Hoc totum Martialis epigramma diuinum iudicat Parthius quod aliorum exemplis illustrat lib. 36. cap. 20. SED QVID AGAS, AD ME PERTINET, OLE, NIHIL.] Tam curiosus es in alienis, vt millies potuerim dicere tibi, quid ad te? sed quia hoc nihil ad me, quid tu agis, taceo. Poterat vereri poeta, ne idem sibi ab Olo obiiceretur, quod ille Olo. Ipse igitur occupat, & dicit, nihil ad me, quid agas. Sed contemptum notat Oli quasi poeta non curet albus an ater homo sit, quos enim contemnimus, negligimus, nec facta illorum vlla ad examen vocamus.

Ad Pudentem.

IX. X.

Cogis me calamo, manuq; nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas, amasq;,
Qui vis archetypas habere nugas.

Pudens poetæ amicissimus memoriæ μνημοσύνου loco petebat carmina manu poetæ scripta. Poeta agnoscit Pudentis erga se amorem. ARCHETYPAS NVGAS] epigrammata manu mea exarata, vel emendata. Primum exemplar. EMENDARE.] Composita manu mea describere. In magno pretio habentur etiam à principibus viris monumenta archetypa ipsorum auctorum. Ita Isabella Pannoniæ Regina calamum Ouidii argenteum pro thesauro ingenti quondam seruatum ostendit Angelio Bargæo nobili Poetæ, cum hac inscriptione. OVIDII NASONIS CALAMVS. qui non multo ante id tempus erat in quibusdam ruinis repertus. Et D. Hieronymus in Cathalogo de Ecclesiasticis scriptoribus se Pamphyli Martyris scripta ipsius manu notata custodire testatur, & omnibus Crœsi thesauris anteferre. Euripidis autographum quanti fecerit Ptolemæus Ægypti Rex, in Euripidis vita leges.

Hortulus Cicsanus in vita Ouidij. Angelum Bargæum in elegia quæ Scytharum mores describit.

Ostendit Basiliensis B. Athanasium manu ipsius scriptum; sed cum dicatur chartâ ex linteolis [illegible] confecta, qualem hodie vsurpamus, fides hæret. Ego rem in medio relinquo, quod codicem non inspexerim, sed à visoribus acceperim.

Ad Faustinum.

XII.

XI.

Sic me fronte legat Dominus, Faustine, serena,
Excipiatq; meos, qua solet aure, iocos:
Vt mea nec, iuste quos odit, pagina lædit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodest, cupiant cum quidam nostra videri,
Si qua Lycambæo carmine tela madent?
Vipereumq; vomant nostro sub nomine virus,
Qui Phœbi radios ferre, diemq; negant?
Ludimus innocuis verbis: hoc iuro potentis
*Per genium famæ, * Castalidumq; gregem.*
Perq; tuas aures, magni mihi numinis instar,
Lector, inhumana liber ab inuidia.

* V. Castalidumque.

Clancularius poeta, vt poetæ Hispano periculum crearet, famosa quædam carmina Martialis nomine ediderat. Iurat poeta nihil à se scriptum, quod cuiquam ruborem adferret, aut notam inureret. SIC ME LEGAT DOMINVS.] sic me legat, & amet Domitianus, vt ego non lædo, quos etiam iuste odi. LYCAMBÆO CARMINE TELA MADENT] proprie Iambo mordaci, & virulento, maledico, contumelioso. Lycambes socer (non gener, vt Domitius) Archilochi poetæ, desponsam iam poetæ filiam negauit; iratus Archilochus tam acerbum in socerum carmen scripsit, vt se socer cum sponsa suspenderit. Hinc minatur Horatius maledico cuipiam.

Caue, caue, namq; in malos asperrimus
Parata tollo cornua.
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.

Hipponax nempe.

Et lib. 1. epistolarum ad Mœcenatem,

Nec socerum quærit, quem versibus oblinat atris,
Nec sponsæ laqueum famoso carmine nectit.

VIPEREVM VIRVS NOSTRO SVB NOMINE VOMANT] lib. 10. epig. 33.

Vt tu, si viridi tinctos ærugine versus
Forte malus liuor dixerit esse meos,
Vt facis, à nobis abigas ——

Et epig. 3.

Poeta quidam clancularius spargit,
Et vult videri nostra, credis hoc Prisce?

QVI PHŒBI RADIOS FERRE, DIEMQVE NEGANT] qui non audent prodere nomen suum. LVDIMVS INNOCVIS VERBIS] lib. 10.

Hunc seruare modum nostri didicere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Et 1.

Innocuos censura potest permittere ludos, &c.

Et lib. hoc. epig 71.

Si quisquam mea dixerit malignum,
Atro carmina quæ madent veneno,
Vt vocem mihi commodes patronam,
Et quantum poteris, sed vsq; clames;
Non scripsit meus ista Martialis.

HOC IVRO POTENTIS PER GENIVM FAMÆ] me innocuum esse à maledicentia iuro per famam nominis mei, & per tuum fauorem lector candide. Genius est rei cuiuscunque gratia, Venus, lepos. Et genius est comes vitæ. accipitur pro malo genio alia notione. Iurabant autem per varios Deos, Deasque, per Iouem, Iunonem, Venerem, Cupidinem, per Cæsarem, sua, aliorum capita, aures, oculos, sacra, enses. Iouem lapidem, quod erat sanctissimum iusiurandum. formulas varias iurandi, qui quærit, discat, apud Brissonium lib. 8 Formularum.

De Lycoride.

XIII. XII.

*Dum Tiburtinis albescere * collibus audit*
Antiqui dentis, fusca Lycoris, ebur.
Venit in Herculeos colles: quid Tiburis alti
Aura valet? paruo tempore nigra redit.

* Solibus.

De hoc argumento epigramma est lib. 4.62. vbi de statu cœli Tiburtini, & ebore plura. Palat. Codices albescere solibus rescribunt, quod mirifice placet.

Ad Regulum.

XIV. XV.

*Æra domi non sunt, superest hoc, Regule, * tantum*
Ut tua vendamus munera: nunquid emis?

* v. plenius.

Auarum quidem fuisse Regulum apud Secundum lego, nec tamen, vt Domitius, puto à Martiale auaritiam hîc notari, quod vilia donarit; fuit enim Regulus poetæ perfamiliaris; existimo potius peti nummos à Regulo Oratore per fas nefasque ditato, & hoc more poetæ tecte, lepideque. TVA VENDAMVS, NVNQVID EMIS? ridicule ex absurdo, nemo enim sua emit. Cogor, inquit, vendere, quæ donasti, vin ea redimere pecunia? illa enim mihi opus est. intelligis, quid velim?

Ad bibliothecam Iulii Martialis.

XV. XVI.

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt vnde lector vrbem,
Inter carmina sanctiora si quis
Lasciuæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inferas vel imo,
Septem quos tibi misimus libellos
Auctoris calamo sui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu munere dedicata paruo,
Quæ cantaberis orbe nota toto:
Pignus pectoris hoc mei tuère,
Iuli bibliotheca Martialis.

Autographum septem librorum epigrammatum dedicat bibliothecæ Iulii Martialis, cuius hortos, & rus in Ianiculo suburbano libro 4. epigr. 64. descripsit. Et sunt plura ad hunc eundem Iulium, vt supra notauimus. RVRIS DELICATI] libro 4. supra descripti: VICINAM VIDET VNDE LECTOR VRBEM.]

Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam. lib. 4.

NIDO IMO] infima statione, ordine; nidi, foruli sunt librorum, in quibus velut capsis, certo ordine, graduque reponuntur. vt lib. 1. diximus. AVCTORIS CALAMO] auctoris autographo monimenti causa scriptos. HÆC ILLIS PRETIVM FACIT LITVRA] In pretio erunt libri septem, quod manu mea sint scripti, & emendati. DEDICATA] donata, consecrata. Bibliothecæ Musis & Apollini sacræ erant; hinc velut templa Musarum dicuntur dedicatæ, & proprium est verbum dicare, cum ad bibliothecam refertur. Plinius libro 25. cap. 2. *Asinii Pollionis hoc Romæ inuentum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit.* Dedicabantur & statuæ, &

imagines in bibliothecis, vt ex Cicerone, Plinio, & aliis non est obscurum. IVLII BIBLIOTHECA MARTIALIS] Miror dubitare quosdam, an suam ipsius, vel aliam intelligat, cum diserte dicat Iulii; an Martialis Iulius audiebat? Cæterum Romani proceres nobiles sibi instruebant bibliothecas. Habuit Epaphroditus Neroni à libellis Grammaticæ professor triginta millia optimorum librorum, habuit Asinius Pollio, Virgilius, alii. De regibus Ægypti, & Pergami taceo, quod Gellius lib. 6. c. 17. toto, Ammianus, Galenus, Eusebius loquuntur. Videatur auctor de nobilibus per orbem Bibliothecis. Et Iusti Lipsii Syntagma de Bibliothecis, in quo scribitur, in Ptolomæi libraria, numerata voluminum septingenta millia ex Gellio. Extat insigne factum Ptolemæi, quod Vitruuius lib. 7. præfatione refert, de ratione augendæ Bibliothecæ suæ, instituisse eum ludos Apollini, & Musis, quibus scriptores optimos, iudicumq; sententia victores honore, præmioq; ornauit. Aristophanem vero quendam ex iudicibus contra reliquos sex iudices sensisse vnum, & vicisse, præfectumq; Bibliothecæ fuisse. ibidem de Zoilo, &c. Lege & Philandrum ad illum locum. Aristoteles auctore Strabone lib. 13 omnium primus Bibliothecam instituit: vti princeps Anaxagoras librum vulgauit, si verus lib. 2. Laertius. primusq; Ioannes Guthenbergus Teuto patria, Moguntiæ. Anno M. CCCC. XLII. typis librum subiecit, quanquam hodie sunt, qui artem hanc laudemq; Sinis inuentoribus multo antiquioribus transcribant.

Ex Græcis primus libri vulgati auctor. Anaxagoras.

De fragmento Argus.

XVIII. XVI.

Fragmentum quod vile putas, & inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris.
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
*Frangere, nec Scythici tristior * vnda freti.*
Secula vicerunt: sed quamuis cesserit annis,
Sanctior est salua parua tabella rate.

* V. ira.

De Argo naue doctissime, disertissimeque vnus in paucis Hieronymus Columna ad Ennii Medeam disputat pag. 314. Huius fragmentum tempore Martialis Romæ extabat, in quod est hoc epigramma. PRIMA CARINA.] Ita quidem Ouidius lib. 6. Met. Catullus, Pherecydes, Scholiastes Apollonii; alii tamen Danaidem à Danao Ægypti fratre factam omnium primam asserunt. Sed carina Noetica, (cuius fragmentum celebrat Iosephus, & ornauit in foro Constantinus Magnus Bizantii) haud dubie prima aquis innatauit. Nec enim de priore cuiusquam testimonium extat, quanquam non negarim fieri potuisse, & factum existimem ante Noeticam classem, scaphas & rates in flumina & forte, in maria deductas. Quis vero primus nauigarit artemque inuenerit, docet Polydorus lib. 3 cap. 15. LIGNVM] quale lignum fuerit ex variis docet Columna Statius, Catullus, Euripides πεύκην, id est, pinum. Flaccus. Idem tamen alnum, & Orpheus piceam nominat, & faginea, Ennius abiegnam Alexander Cornelius, vt est apud Plinium, ex Eone arbore robori simili, ac viscum ferente, factam dicit, quæ nec aqua, nec igni corrumpi posset. CYANEÆ RVINÆ] Cyaneæ, & Symplegades duæ sunt insulæ Bosphoro Thracio adiacentes; Symplegades autem à saxis concurrentibus. Ouid. lib. 7. Met. has insinuat,

Quid quod nescio qui mediis concurrere in vndis
Dicuntur montes, ratibusq; inimica charybdis.

Apollinius lib. 1. —οἱ μὲν πιο [illegible] στόμα. [illegible] πέτρας
Κυανέας βασιλῆ[illegible] ἐφημοσύνῃ [illegible]

V. Flaccus *Hoccine Cyaneæ concurrunt æquore cautes*
Tristius an miseris superest mare? ——

RVINÆ] magnum ad Cyanæos scopulos adiêre discrimen Argonautæ, vt V. Flaccus scribit, eoque ruinas dici putem à poeta. SCYTHICI FRETI] In Pontum nauigarunt. Didorus Siculus libro 4 totum iter Argonautarum describit, quod ex tabulis Ortelii edendis, vel iam editis videbis. SECVLA VICERVNT.] Ante bellum enim Troianum soluerunt Argonautæ: Iam tot annis durarunt reliquiæ Argus. secula vicerunt nouena, & quæ non cesserat fluctibus, scopulis, & syrtibus, cessit tandem tempori, quod exedit, consumitque omnia. SANCTIOR EST SALVA PARVA TABELLA RATE] Et quanquam superest pars parua tamen illa religione, & antiquitatis veneratione superat omnes nouas, quamuis integras, & firmas. De Argonautis ipsis eorumque numero supra diximus. Rem totam scribunt Diodorus Siculus, Orpheus, Apollonius, Ouidius, Valerius Flaccus, alii.

In

In Sanctram.

XVII. XIX.

Nihil est miserius; nec gulosius Sanctra;
*Rectam vocatus cum * recurrit ad cœnam,*
Quam tot diebus, noctibusq; captauit:
Ter poscit apri glandulas, quater lumbum,
Et vtramq; coxam leporis, & duos armos:
Nec erubescit peierare de turdo,
Et ostreorum rapere liuidos cirros.
** Dulci placenta sordidam linit mappam.*
Illic & vuæ collocantur ollares,
Et punicorum pauca grana malorum,
Et lippæ ficus, debilisque boletus.
Sed mappa cum iam mille rumpitur furtis,
Rosos tepenti spondylos sinu condit,
** Et deuorato capite, turturem truncum,*
Colligere longa turpe nec pudet dextra.
Analecta, quicquid & canes reliquerunt.
*Nec * esculentæ sufficit gulæ præda,*
Misto lagenam replet ad pedes vino.
Hæc per ducentas cum domum tulit scalas,
Seq; obserata clausit anxius cella,
Gulosius ille, postero die vendit.

* cucurrit.

* V. dulcis.

* Et deuorato. alij indeuorato.

* V. esculentis.

Emptorem cœnarum, & venditorem earundem Sanctram describit. MISERIVS] auarius, qui analecta cœnæ alienæ vendit, GVLOSIVS] qui inuitatus, cœnæ magnam partem subducit, mappaque, & sinu condit, deinde domi clam partem deuorat, partem vendit. RECTAM] non ad sportulam, sed iustam ad cœnam, qua accumbebat. reuocarat autem rectas cœnas, vt supra plene expositum est, abrogatis sportulis Domitianus. CAPTAVIT] tam longo tempore insidiatus est potentioribus, dum tandem inueniret conuiuatorem, vocatoremque. POSCIT] Liberaliores conuiuatores clientibus, & conuiuis potestatem faciebant poscendi, quæ vellent. Petronius. *Iam Trimalcio eadem omnia lusu intermisso poposcerat, feceraq; potestatem clara voce, si quis nostrum iterum vellet mulsum sumere.* Apud Suetonium in Augusti cœna. *Licet ne mittere, &c.* APRI GLANDVLAS] vel glandia. in homine tonsillæ, quæ in apro glandulæ de quibus Plinius lib. 8. c. 51. in hæc verba. *Neq; alio ex animali numerosior materia ganeæ, quinquaginta prope sapores, cum ceteris singuli. Hinc censoriarum legum paginæ, interdictaq; cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulua, sincipita verrina.* vbi plura, & de aprugna. LVMBVM.] In tres partes diuiso apro, media lumbus aprungus, appellata. Plinius loco dicto. COXAM VTRAMQ. LEPORIS] nempe melioris leporis partes. ARMOS] coxæ posteriorum pedum pars superior, armi anteriorum. PEIER. DE TVRDO] audet iurare se nil attigisse de turdis, postquam duos, treisue subduxit. de turdo plura lib. 13. OSTREORVM CIRROS] generosa ostrea ex Plinio interpretor. *Addunt,* inquit, *peritiores notam* (melioribus ostreis intellige) *ambiente purpureo crine fibras* (quas à Martiale cirros puto appellari) *eoq; argumento generosa interpretantur calliblephara appellantes.* Poeta certe hic optimas cupedias describit. Domitius ait ostreorum cirros similes esse carnibus, quas informes ranæ pariunt, & cirrinæ appellantur, vel polybis minores. SORDI. LINIT MAPP.] quia placentam clam ex mensa detractam mappa inuoluit, mappamq; contaminat. VVÆ OLLARES.] In ollis nempe seruatæ, quæ esui sumptæ auiditatem stomacho, excitant, Platina lib. 2. Variis autem modis, & vasis seruantur, vt docet Platina. & Plin. lib. 5 cap. 17. PVNICORVM MALOR.] mala granata intelligit Pœnis frequentia, nobilia & nota vulgo poma, de quibus Dioscorides, & Plinius. ET EXCAVATÆ PELLIS INDECENS VVLVÆ.] Hanc Apitius lib. 7. c. 1. vocat sterilem. Domitius de ea loquitur, quam apparat Apitius lib. 2. cap. 5. Sed hic non agitur de sterili. poetæ vero verba plane sterilem

Li. 1. de sportula.

Meer schnecken. de quibus li. 13. ostrea.

lem designant, quam Apitius lib. 7. vt dixi, tribus modis condit, præparatque, quos tu ibidem leges, ego cocum non ago. ROSOS SPONDYLOS] spondylus legit Rhodiginus lib. 4. cap. 2. alii fondilos. de spondylorum condimentis, & præparatione Apitius lib. 3. cap. 18. Hos ita describit Cæl. Rhodiginus, vt vix f. ias, quam huc transferas sententiam; velim piscem, cum Macrobio, & Seneca intelligere, quam schinolum vulgo dicunt. Athenæus spondylos inter salsamenta numerat, qui & inmugilis capite forma echinata spondylum agnoscit; idem inter salsamenta spondylum ponit. In homine, & feris spondyli sunt vertebræ dorsi, & ἱερὸς σύριγξ, id est, sacra fistula appellatur, constatque viginti vertebris. ipsa vero spina dorsi Græce ῥάχις nominatur. Quia ergo poeta dicit rosos spondylos, ex anim. si vertebram interpretari potes, quam arrosam in sinum calentem, & ob cibos reconditos tepentem coniecit Sanctra.

ET DEVORATO CAPITE, TVRTVREM TRVNCVM.] Recte viri docti legunt. Et deuorato, cum exemplaria vitiose habeant indeuorato. Sanctra turturem capite detracto furatus est. LONGA DEXTRA] porrectâ, ad colligenda, quæ sub mensam ceciderant analecta. Sunt enim hæc, quæ vel abiiciuntur iam arrosa, vt ossa, vel casu manibus excidunt comedentium. Analectæ ministri, qui hæc frusta esculenta secundum mensam relegunt, purgantque. Sanctra ergo, quæ canibus proiiciebantur, aut quæ sub mensam cadebant demissa, & extenta manu in sinum colligebat. ESCVLENTA PRÆDA] non cibos tantum collegit, & sublegit, sed vinum etiam. quamuis iam aqua temperatum, & propinandum, aut seruile vinum, quod nunquam merum seruis porrigebatur. AD PEDES] per seruum, qui ad pedes. Vel ex mensa seruorum, & puerorum, qui ad pedes, vt alibi dictum, cœnabant. PER DVCENTAS SCALAS] scalas hîc scalarum gradus expono, & Sanctram pauperem sub tegulis altis more pauperum habitasse, vt ipse Martial. lib. 1. de se.

Turneb. lib. 24. c. 33. Plura lib. 14.

Et scalis habito tribus, sed altis.

Igitur dicit per gradus prope ducentos ad cellam Sanctræ ascendendum fuisse. sed melius forte de ipsis ædibus intelligas. ANXIVS CLAVSIT CELLA] vt solus reliquias, & analecta deuoraret, eoq; nomine merito gulosus helluo, & simul auarus, quod cætera, quæ absumere non poterat, postridie venderet. Narrat Augerius Gislenius Busbequius epist. 4. leg. Turcic. Hoggiæ factum Sanctræ non absimile, sed magis ridiculum ab euentu. Turcæ, inquit, è mensis opiparis sibi potius auferunt, sed tamen non fere nisi familiares, & quibus vxores & liberi sunt domi. Plena sudaria frustorum esculentorum è mensa mea domum plerumque asportabant, nec verebantur vestem sericeam guttis iurulentis oblinere, quamuis apud eos primo loco commendetur mundities. Huius rei mentio mihi reducit in memoriam casum iocularem, quem non me pigebit tibi referre. Ridebis, sat scio, quemadmodum & ego affatim risi: nec risum contemseris homini maxime proprium, & quo nulla re melius humanæ miseriæ condiuntur. Tum Catones non sumus. Hic mos est Bassis, vt paucis ante ieiunia sua, quæ nos quadragesimam vocamus, diebus, prandium omnibus, qui venire volunt præbeant, excluditur nemo. Sed tamen fere accedunt vicini, clientes, noti, & amici. Stratum est humi super tegetem oblongum scorteum mantile, quod densatis ferculis oneratur. Ea mensa multorum hominum capax est. Bassa ipse in summo assidet, circumque eum qui sunt honoratiores, longa deinde serie minorum gentium conuiuæ, donec nulli amplius supersit locus; plures adstant; non enim mensa simul omnes capit, sed vbi qui consederunt, famem depulerunt, quod fit raptim, magna modestia, ac silentio, ac potione mellis aut saccari aqua diluti prandium finiuerunt, salutato conuiuii patre discedunt. in quorum locum succedunt ex circumstantibus alii, ac deinceps alii, donec breui spatio multi ex eadem mensa saturentur. famulis interea haud segnibus nouos discos & patinas detersis prioribus succenturiare. Cum huiusmodi conuiuium haberet domi suæ Bassa, aduentorem forte Singiaccum inuitarat, vt sibi accumberet. secundum ab isto locum tenebat quidam senex ex eo genere, quos Hoggias Turcæ vocant, hoc est, litteratos. hic cum ante se magnam diuersiorum ciborum congeriem videret, vellet queiam satur portare aliquid ad vxorem, cœpit quærere sudarium, quo reponeret: sed illud domi reliquerat. non tamen sibi deest: capit vt bonus gladiator consilium in arena. dependentem à tergo manicam arripit non suam, (vt putabat) sed Singiacci. hanc infercit, quantum potest, eamque postremo bono panis frusto, ne quid elabatur, veluti obsignat. nam remitteret paulisper valedicturus hospiti, necesse erat, quod eorum ita ferat consuetudo, vt manibus ad pectus vel ad femora applicatis suos optimates salutent. quo functus officio denuo manicam, sed suam colligit, quam vbi est triclinio egressus, sedulo pertentans inanem offendit, obstupescit. Sed quid faceret? tristis domum redit. Surgit haud multo post & ipse Singiaccus, Bassamque veneratus abibat, ignarus oneris, quod pendebat à tergo. sed mox ad singulos egressus manica quod continebat patere cœpit. longam ducebat à tergo Singiaccus reliquiarum lineam. ridere omnes respicit ac vidit non sine rubore offas vomentem manicam. Tum Bassa (coniectura assequutus id quod erat) eum reuocat, ipsum residere & Hoggiam illum accersi iubet: ad quem conuersus, cum (inquit) sis & mihi vicinus & verus amicus & domi habeas vxorem & liberos, nec tibi defuerit, quod à mensa mea ad eos portares, miror cur id facere neglexeris. Tum Huggia, Nulla domine mea culpa id factum, sed Genio irato meo. Nam cum imprudens sudarium domi reliquissem, in manicam meam recondideram prandii reliquias, quem tamen triclinio

clinio egressus nescio quo casu vacuam offendi. Sic abstersus Singiacco pudor, literatorisq; presbyteri frustratio & casus nouitas maiorem etiam risus materiam circumstantibus dedit.

De Natali Lucani.

XVIII. XX.

Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus,
Lucanum populis, & tibi, Palla, dedit.
Heu Nero crudelis, nullaq; inuisior vmbra:
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

Natalem diem, & fatalem Lucani eodem epigrammate canit, & deplorat. HÆC EST ILLA DIES] quartus nonas Nouemb. C. Cæsare Germanico, iterum, & L. Cæliano coss. Cordubæ, quæ Hispaniæ Bœticæ prouincia, natus est Lucanus. Sulpitius tamen, & antiquissimus commentarius Non. Nou. ponunt vatis natalem. Pater fuit Annæus Mela, Senecæ Rhetoris filius. philosophi, eiusdemq; Tragici, & Gallionis frater. Mater Lucani Ancilia. Vxorem habuit Pollam Argentariam, Polli Argentarii filiam. quam hoc epigrammate Martialis appellat. plura in vita Lucani à variis scripta apud Lambertum Hortensium, & Gyraldum. HEV NERO CRVDELIS] conspirauit Lucanus in Neronem, quod fama carminis eius premebatur à Nerone, contra quem, vt canit Papinius, est in theatro coronatus. detecta coniuratione iussus est mori. Cui tamen post mortem famam non inuidit, legique, & edi permisit. Inscriptio vetus testis. M. ANNÆO LVCANO CORDVBENSI POETÆ BENEFICIO NERONIS FAMA SERVATA. de quo Lipsius. *Gaude liberrime poetarum iustasti genio aeternitatis.* Mortem leges apud Tacitum Annal. 15. Papinium, & qui vitam scribunt. DEBVIT HOC SALTEM NON LICVISSE TIBI.] Videtur ad Neronis dictum respicere, qui multis occisis nescisse hactenus Cæsarem, quantum Imperatori liceret, dicebat. Legatur Genethliacon Statii in Lucanum. lib. 2. Silu.

Ex Vita Lucani.

De eodem.

XIX. XXI.

Vatis Apollinei magno memorabilis ortu
Lux redit: Aonidum turba fauete sacris.
Hæc meruit, cum te terris, Lucane, dedisset
Mixtus Castaliæ Bœtis vt esset aqua.

Lux celeberrima natalis magni vatis meruit, vt Bœtis, flumen Bœticæ Hispaniæ, ad quod natus est Lucanus, numeretur inter fontes Musarum. De hoc eodem Papinius Magnus certe habitus Lucanus, meritoque laudatus. Legitur in vita ipsius, non inelegans epitaphium, quod vitæ compendium continet.

Plura scripsit quàm extant.

Corduba me genuit, rapuit Nero, prælia dixi,
Quæ gessêre pares, hinc gener, inde socer,
Continuo nunquam direxi carmina ductu,
Quæ tractim serpant: plus mihi comma placet.
Fluminis in morem, quæ sunt miranda citentur,
Hæc vero sapiet dictio, quæ feriet.

De eodem ad Phœbum.

XX. XXII.

Phœbe veni; sed quantus eras, cum bella canenti,
Ipse dares Latiæ plectra secunda lyræ.
Quid tanta pro luce precer? tu Pollæ maritum
*Sæpe colas, & se sentiat * ipse coli.*

* *V. ille.*

Ad natalem Lucani, cui dedisti secundum locum à Virgilio, veni. BELLA.] Pharsaliam Pompei, & Cæsaris. IPSE DARES] more poetico. vt Papinius Calliopen facit de poeta loquentem, multisque ibidem poetis anteponit, Virgilioque venerandum dicit. Aliter plerique de hoc Lucano sentiunt, quam hic poeta prædicat. Petronius Sat. tantum non nominat, cum reprehendit. *Ecce belli,*

belli, inquit, *ciuilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius historici faciunt, sed per ambages, deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus; vt potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides.* Hæc Arbiter. Nec ignorauit hoc dè Lucano iudicium Martialis, cum lib. 14. scribit.

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poetam
Sed qui me vendit, bibliopola putat. Vbi ex Quintil. & Seruio plura.

POLLA] Vxor & ipsa docta, quæ scribenti astitit, & Pharsaliæ libros emendauit. Papinius.

Nec solum dabo carminum nitorem,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atq; ingenio tuo decoram,
Qualem blanda Venus, daretq; Iuno,
Forma, simplicitate, comitate
Censu, sanguine, gratiâ, decore.

Et Sidonius capite 23. *Quid, quos duplicibus iugata tædis Argentaria Polla dat Poetas*, ita lege, non portas.

In maledicum.

XXI.

Cum Iuuenale meo, quæ me committere tentas,
Quid non audebis perfida lingua loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes:
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, & maius nomen Atridas,
Et Ledæ poteras dissociare genus.

* * *

Excusat se de Iuuenale amico velut nunquam violato, quod tricator quidem litiumque sator volebat factum videri. Martialis enim supra questus erat à quodam famosos versus scribi suo nomine. Erat suspectus nonnullis Iuuenalis, cui suggesserant improbi cum à Martiale notatum, quod cum poeta noster cognouisset, statim se Iuuenali purgauit. Est Iuuenalis hic Satyræ non primus, sed princeps, Domitiano infestus, exul Paridis Saltatoris, vt Suidas, vetus Iuuenalis interpres, Sat. 7. Sidonius carm. 9. suadent. scripsit Satyras, aut certe dedit in hominum manus post Domitiani cædem. Quid enim? Viuo tyranno viueret, qui de illo alia?

Sat. 3.

Qualis erat tragico nuper pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges reuocarat amaras
Omnibus, &c.

Lege, quæ sequuntur de Domitiano, & Iulia Titi. Nonne & molestam tunicam induisset Iuuenalis, si Domitianus hæc de se legisset.

Sat. 4.

Cum iam semianimum laceraret Flauius orbem
Vltimus, & caluo seruiret Roma Neroni.

Et de morte eiusdem. *Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus*
Cœperat.

Paridem histrionem Domitianus mediâ viâ occidit auctore Dione propter Domitiam. Ridiculum ergo, quod in Iuuenalis vita dicitur. Paridem post mortem Domitiani nihil potuisse, cum ante Domitianum Paris perierit. CVM IVVENALE MEO] Extat ad eundem lib. 12. epig. 18. Ex quo constat Iuuenalem post Domitiani mortem Romam reuertisse, nec in exilio mortuum; nec enim hoc poeta ignorasset: aut exulantem in Ægypto, Romæ dixisset in clamosa subura errare, collemue terere Dianæ, &c. COMMITTERE] ad contentionis certamen. PYLADEN,] Quæ subiungit amicorum paria Pyladis & Orestis, Thesei & Pyrithoi, Agamemnonis & Menelai Atridarum Castoris & Pollucis Ledæ filiorum trita sunt etiam tironibus. Qui sint fratres Siculi non inter se tantum amici & concordes, sed in parentes vt maxime pii accipe primum ex amplissimo teste Seneca de Ben. 3. cap. 17. *Vicere Siculi iuuenes cum Ætna maiore vi peragitata, in vrbes, in agros, in magnam Insulæ partem effudisset incendium, vexerunt parentes suos. Discessisse creditum est ignes, & vtrinque flamma recedente limitem adapertum, per quem transcurrerent iuuenes dignissimi, qui magna tuto auderent.* Hæc

Non hic de Damone & Pythia Pythagoreis, agitur.

Seneca

Seneca. fuerunt Catanæi patria. Silius, *Et Catane genuisse pios celeberrima fratres.* Strabo. lib. 6. etiam nomina iuuenum expressit. [illegible] Non tacuit hos Pausanias, Aristoteles, seu Theophrastus de mundo. Plutarchus Orat. ad Apollonium, alii.

In malum Poetam.

XXII. XXIV.

Dulcia cum tantum scribas epigrammata semper,
Et cerussata candidiora cute:
Nullaq; mica salis, nec amari fellis in illis
Gutta sit: o demens, vis tamen illa legi?
Nec cibus ipse iuuat morsu fraudatus aceti:
Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Infanti melimela dato, fatuasque mariscas:
Nam mihi, quæ nouit pungere, chia sapit.

Melle, & felle epigramma imbuendum. CERVSSATA] candida. cerussa, color candore eximio, quo se fœminæ cerussant. redi ad lib. 1 epigr. 73. de Lycoride. MICA SALIS] ingenii, leporis, vrbanitatis, Est suauitas quædam cum mordacitate, coniuncta, sales pro iocis, ridiculis, facetiis, dicteriis accipiuntur apud bonos scriptores. Sic Catullus Quintiam negat formosam, quamuis candidam, & longam.

Quintia formosa est multis, mihi candida, longa,
Recta est, hæc & ego singula confiteor.
Totum illud formosa nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magno corpore mica salis.

Afranius *Quicquid loquitur, sal merum est.* lege adagionem, salsugo non inest illi. [illegible] Terentius pro eodem accepit.

—— qui habet sale (ita legit Muretus) *quod in te est.*

Sal ergo argutiam quandam, leporemque notat. Lege Victorium lib. 12. Var. cap. 13 Inde insulsus homo, insulsa oratio, carmen, id est, illepidum, inuenustum, ineptum. FELLIS] candore. seu melle, felle item & sale abundauit noster poeta id est, mordacitate seu dicacitate, Plinio Iuniore teste; eadem ergo requirit in aliis, quæ in se agnoscebat, sine quibus condimentis fatuum est epigramma. Vt autem sal, & mel figurate, ita fel acerba, mordacia, & prope maledicta dicta metaphorice significat. nec dicta, sed animum etiam acerbum. Plautus Tr.

In melle sunt linguæ sitæ vestræ, atq; orationes,
Corda in felle sunt sita.——

Salles felle suffusi sunt mordaces, amarulenti, acerbi ioci, quales in epigrammatis plures. NEC CIBVS IPSE IVVAT MORSV FRAVDATVS ACETI] vt salsa, acidaque palatum iuuant, acuuntq; & irritant stomachum, insulsa, dulciaque nimis mouent stomahum. Ita acria dicta, & mordacia dicta inuitant lectorem, & gratum reddunt epigramma. acetum autem apud scriptorem pro acri pectore, & callido accipitur. Plautus. *Ecquid aceti habet in pectore:* Et. *Nunc experiar, sitne aceto, tibi cor acre in pectore,* id est, habeas aliquid prudentiæ, astutiæ? sapiasne? sitne aliquid acuminis in te? Horatius item acetum pro mordacitate accepit in Satyris.

At Græcus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat.——

Adagiones leguntur. acetum habet in pectore, aceto perfusus est, ad quos Persius Satyr. 5. allusit.

—— mendose colligis inquit,
Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

NEC GRATA EST FACIES, CVI GELASINVS ABEST.] Gelasinus est corrugatio ridendo circa os expressa. vel gelasini sunt rugæ, veluti sulculi, qui a ridentibus in ore fiunt. gelasini item dentes anteriores, qui ridendo nudantur, quasi ... dentes [illegible] inquit Pollux, gelasinus faciuet

factiter. Inde vocatum aiunt Gelasinum Democritum assidue ridentem, vel potius hominum fa-
cta irridentem. Poeta ait non esse gratam faciem, quamuis pulchram, quæ renidere nequeat; pos-
sis etiam aliter exponere, sed vereor, ne minus ex sententia. non est grata facies, cui dentes Gela-
sini desunt ridenti; tunc enim apparent; edentuli autem ingrati aspectu. Et carmen quamuis ve-
nustum, si tamen dentibus careat, id est, mordacitate, minus placet. De rugis, & corrugatione ac-
cipiunt locum Cælius Rhodiginus libro 4. cap. 1. Et Henricus Stephanus. INFANTI MELIMELA
DATO] melimelum Græce μελίμηλον, quasi mellitum pomum, mite pomum. quod vt celeriter mi-
tescit, ita celeriter corrumpitur. Infantes dulcibus delectantur saccharo, melle, ficis. MARI-
SCAS] fici insipidæ, dulces tamen, sed insulsæ. CHIA SAPIT] quæ vinum, & salem secum fert. In
enim lib. 13.

Risus verum fit ac facetum, quando non est effusus, sed modice dentes retegit.

Chia seni similis Baccho, quem Setia misit,
Ipsa merum secum portat & ipsa salem.

De qua ibidem plenius diximus. marisca igitur carmen insulsum, & eneruum. Chia salsum vinum, & mordax, epigrammata notat. cuiusmodi poetæ sunt fere omnia, vt vere de hoc Sidonius,

Et mordax sine fine Martialis.

Habet enim piperata carmina.

Scazonta mittit ad Apollinarem.

XXIII.

XXV.

Apollinarem conueni meum, Scazon,
*Et si vacabit, * ne molestus accedas,*
Hoc qualecunque, cuius aliqua pars ipse est,
Dabis: hoc facetum carmen imbuant aures.
Si te receptum fronte videris tota,
Noto rogabis vt fauore sustentet.
Quanto mearum scis amore nugarum
Flagret: nec ipse plus amare te possum.
Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conueni meum, Scazon.

* Fortè.

Apollinaris hic extra aleam magnus, clarusq; vir erat, si modo is est, ad quem Secundi legun-
tur epistolæ lib. 2. 9. & 5. 6. doctissimum eundem fuisse constat ex hoc carmine, quo testatur hunc
aliquam epigrammatum suorum partem esse, quæ ad emendationem, censuram, limamque refe-
renda esse nemo negatum ibit. Obtrectabant autem nonnulli poetæ, qui monet Scazontem suum,
Iambumue claudicantem, vt in sinum Apollinaris confugiat, vbi tutum fore librum pollicetur. SI
VACABIT] offer Apollinari librum captato tempore. CVIVS ALIQVA PARS IPSE EST] quia in-
terpolat mea carmina. FRONTE TOTA] sit te lætus, hilaris, & cum grata animi significatione exci-
piet. supra toto fulmine dixit.

De apro à * se occiso.

* Dextro.

XXIV.

XXVI.

Tuscæ glandis aper populator, & ilice multa
Iam piger, Ætolæ fama secunda feræ,
*Quem meus intrauit splendenti cuspide * culter,*
Præda iaces nostris inuidiosa focis.
Pinguescant madidi læto nidore penates,
Flagret & exciso festa culina iugo.
Sed coquus ingentem piperis consumet aceruum,
Addet & arcano mixta falerna garo.

* Dexter.

Ad

Ad Dominum redeas: noster non te capit ignis
Conturbator aper. vilius esurio.

Aprum à Dextro missum dono, dicit maiorem esse foco suo, nec sine magnis impensis inferri. An fuit hic Dexter ille sub Traiano consul à seruis suis trucidatus? Plinius lib.8. epistol.14. TVSCÆ GLANDIS] pastus in Fuscana silua aper; glandes aprorum, porcorumq; pastus. PIGER] saginatus glandibus, Ilicis autem pomum glans est. ÆTOLÆ] Diana irata Ætolis, quod præterita esset in sacrificiis, in agros eorum ingentem immisit aprum, vastantem omnia, quem heros Meleager confecit. legatur lib. Sp. c.15,

Summa tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ.

Quo loco multa de Ætolo apro. FAMA SECVNDA] magnitudine, præstantiaque proximus illi Ætolo. QVEM MEVS INTRAVIT SPLENDENTI CVSPIDE DEXTER] varia scriptura. alij referunt ad Martialem ipsum, vt inscriptio altera docet, alij ad Dextrum amicum Martialis, quam lectionem probamus, quòd in sequentibus dictis aptius conueniat, cùm eundem aprum ad Dominum ait remittendum, certè intelligit Dextrum. qui ad Martialem referunt pro τῷ Dexter, legunt culter. SPLENDENTI CVSPIDE] de venabulo, cultro venatorio dictum lib. Sp. ep.17. venabulo, cultroue cominus pugnabatur, lancea eminus. lib.14. ep.30.

Excipient apros, expectabuntq; leones,
Intrabunt vrsos, sit modò firma manus.

Et de cultro venatorio.

Si deiecta geres longo venabula rostro,
Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.

Dextri mentio est in vet. inscriptionibus apud Smetium.

Sus autem, leo, pardus ἀγχίμαχα θηρία cominus venabulo, vel cultro figebantur. Cerui, &c. eminus hasta. INVIDIOSA] tanta, cui possit inuideri, vel inuidiosa, magna, opima, ingens. vt apud Hor. inuidiosa aula. PINGVESCANT PENATES * MADIDI] Vncta cœna, lautaque, & festa instruatur, ob pinguem aprum, rideant penates madidi, ebriique lares. EXCISO IVGO] excisa tota silua. totam siluam, siue iugum montis, iugum incendam foco, & ad aprum assandum adhibebo. est auxesis. SED COQVVS INGENTEM PIPERIS CONSVMET ACERVVM] Apicius lib.8. de re culinaria c.1. varia condimenta aprugnæ describit; inter omnia semper est tritum piper. Alia item Martialis lib.1. epig 44. de Charidemo apri condimenta apponit. ADDET ET ARCANO MIXTA FALERNA GARO] œnogarum, id est, garum falerno mixtum. οἶνος, Græcè vinum. garum genus optimi liquaminis, de quo lib.13. arcanum vocat, quòd sit interius, mel: usque, nempe falerno tinctum. Cæterùm Apitius semper vinum addit apro asso. *In aprum*, inquit, *assum iura feruentia sic facies, piper, cuminum frictum, apij semen, mentam, thymum, satureiam, cnecbi florem, nucleos tostos, amygdala tosta, mel, vinum, liquamen, acetum, & oleo modicum admoue.* Idemq; eod. cap. sæpius.

* madidi lati.

AD DOMINVM REDEAS] ad Dextrum, qui donauit. NOSTER IGNIS] nostra culina frugalis, non est instructa à tot condimentis, & aromatibus, liquaminibus, &c. Videtur cum apro petere à Dextro simul etiam condimenta apri, vt qui donauit maiora, minora ne subtrahat. CONTVRBATOR APER] decoctor, & dissipator omnium bonorum meorum. conturbare rationes, est patrimonium, vel opes decoquere, abligurire. Hic sensus est. Vt ego te condiam aper, vt decet, exhauries totam culinam, & marsupium meum: conturbandum esset mihi tua caussa, multa de hoc loquendi genere lib.9. epig.4. leges. VILIVS ESVRIO] fames mea contenta est leuiori cibo. Es thut mirs wol ein schlechters. non desiderat has cupedias, & lautitias, sed pecunias.

Ad Fuscum.

XXV. XXVII.

Sic Tiburtinæ crescat tibi silua Dianæ,
Et properet cæsum sæpe redire nemus.
Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cedat, & immodici dent bona musta lacus.
Sic fora mirentur, sic te pallatia laudent.
Excolat & geminas plurima palma fores:
Otia dum medius præstat tibi parua December,
** Excipe, sed certa, quos legis, aure iocos.*
Scire * licet verum; res est hæc ardua: sed tu
Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes.

* v. Exigit & Exige sed. forte melior ad medicum.
* libet meliores. locos al.

Haud possim definire, an sit ad illum Fuscum, qui in Dacis periit, cuius epitaphium est lib.6. epig.76. an ad filium in Cappadocia extinctum, epig.85. temporis enim rationem poëta non obseruat, an ad alium omnino Fuscum. Ad Fuscum mittit librum Saturnalibus legendum, & iudicandum. Hunc Fuscum Oratorem fuisse, vel Caussidicum constat ex ipso carmine. Sunt qui censeant esse illum Fuscum ad quem extant aliquot Plinij Epistolæ, cuius & ipse quasi præceptorem egit, vti apparet ex ep.9. lib.7. *Quæris quemadmodum in secessu, quo iamdiu frueris putes te studere oportere.* & quæ sequuntur. Et de eod lib.6.ep.11. in qua & iuuenem & cognomento Salinatorem appellat. SIC] vocula poëtis solennis, in votis, & precationibus, & petitionibus. Exempla cum apud nostrum, tum Tibullum Ouidium, Senecam, Prudentium leges quæ multa adducit Brissonius lib.1. p.75. SIC TIBI CRESCAT SILVA T. D.] Sensus est. omnia tibi felicia precor, vti nempe silua Tiburtina cæsa tibi citò reuirescat, vt oliueta magnam olei copiam largiantur, vt in caussis vincas, & coroneris in quinquatribus & ludis Capitolinis. per hæc te testor lege nostrum libellum, &c. DIANÆ] Deæ, nemorumq; præsidis. Tiburtina autem, quia ibi nemus habebat Fuscus. SILVA] in ea regione, locoq; sita. CÆSVM REDIRE] reuiuiscere. NEC TARTESSIACIS] Nec tuum olinetum cedat Hispanis, seu Bæticis oliuis. Tartessus Straboni fluuius qui alijs Bætis, à quo prouincia Bætica. PALLAS[inuentrix olei, cui & sacra olea. TRAPETIS] prælis, seu molis oleariis, quas descripsimus lib.13.ep.30. de oliuis.

Hæc, quæ Picenis venit subducta trapetis.

Legesis interim ad hunc locum Heraldum.

ET IMMODICI DENT BONA MVSTA LACVS] redundent solia musto. solia, siue lacus excipiunt liquorem trapetis expressum. FORA] te dicentem, caussasq; agentem suspiciat populus. laudet aula, coronet Imperator in quinquatriis vel Capitolinis certaminibus, ad quinquatria enim vel quinquennalia refero illud quod sequitur, EXCOLAT ET GEMINAS PLVRIMA PALMA FORES] Victoria ornet ædes tuas parta in certamine Palladis, de quo lib.8. ep.82. Videtúrne ad palmas militares alludere? abnuo, & ad poësin, vel caussas potius refero. Palma enim (vt Heraldus rectè notauit) figebatur ianuis caussidicorum, qui vicissent in caussis. Ausonius

Palma forensis, & camœnarum decus
Exemplar vnum in literis.

Iuuen. Sat.7.

——rumpe miser tensum iecur & tibi lasso
Figantur virides scalarum gloria palmæ.

Vbi scalæ, vt Casaubonus notauit, pro aditu domus accipiuntur. Plura Heraldus.

OTIA] Saturnalibus, quibus est iustitium. CERTA AVRE] certa lege, vt virgulam censoriam adhibeas, & censeas. SCIRE LICET VERVM RES EST HÆC ARDVA] Diceret Fuscus. Ego quidem verè iudicabo, verum pronunciare non audebo; veritas enim odium parit. respondet poeta. SED TV, &c.] dic, quod tibi dici velles, id est, lauda. Scire libet verum? amas verum, vel sine interrogatione; libet quidem verum scire, sed audire est difficile, tu tamen dic, quod tibi dici velles de tuis versibus & orationibus. Possis & ita interpretari Fusce tu quæris sententiam meam de tuis scriptis, dic mihi tuam de meis. Erit hoc difficile tibi me curanti, fac tamen. Sic ferè Priscum rogat lib.12. *Tu velim ista quæ tantum apud te periclitantur diligenter æstimare, & excutere non graueris. & quod tibi difficillimum est de nugis nostris iudices nitore seposito.* Potes ergo dicere quæ tibi non probantur, sicut cupis tibi dici.

Ad Regulum.

XXX. XXVI.

Rauca cortis aues, & oua matrum,
*Et * flauas medio vapore chias,*

* *v. fumas.*

Et fœtum quærulæ rudem capellæ,
Nec iam frigoribus pares oliuas,
Et canum gelidis olus pruinis,
De nostro tibi rure missa credis,
O quã Regule diligenter erras.
Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.
Quicquid villicus Vmber, aut colonus,
Aut Tusci tibi, Tusculiue mittunt,

Aut rus marmore tertio notatum:
*Id tota * mihi nascitur subura.* *v. tibi.

Empta foro, non inempta, rurive nata Regulo ait munera à se missa. CORTIS] Quid sit cortes cortis, docet Lipsius Variarum secunda contra Lambinum. Erat cortes, teste Festo, genus ædificij rotundi, mapaliis persimile. Cato in Originibus. *Mapalia vocant, vbi habitant; ea quasi cortes rotunda sunt.* Varro de vita populi Rom. *ad focum byeme, ac frigoribus cœnitabant, æstiuo tempore in propatulo, vere in corte.* Lambinus ridiculè cortem interpretatur in commentariis ad Ciceronem. Sed id nihil hic ad nos. hoc verò, quòd idem legit cohortem, non cortem. Ouidius etiam in Fastis cohortis dixit,

Abstulerat multas illa cohortis aues.

AVES CORTIS] sunt gallinæ, pulli, capones, columbæ, pauones, galli, anates, anseres, &c. RAVCÆ] ob aues domesticas raucum canentes. OVA MATRVM] gallinarum, vt Iuuenalis est locutus, oua ipsis cum matribus. Et lib.3. ep.57.

Et oua matrum vimineo ferunt texto.

Quanquam vulgo scriptura habeat ibi. Et dona matrum. oua certè intelligit. ET FLAVAS MEDIO VAPORE CHIAS] & ficus aridas. MEDIO VAPORE] moderato, temperatoq; calore siccatas, paullatim arefactas, non tostas. De Chia ficu supra epig.14. & lib.13. FŒTVM RVDEM] hœdillum. QVERVLÆ] matris solicitæ de fœtu suo, & quiritantis. FRIGORIBVS PARES OLIVAS] quod iam non sint ferendo frigori, cedentes frigori, gelatas frigore, & corrugatas, contrahit enim frigus. CANVM OLVS] ex horto lectum modò rigente, & pruinis obsitum. DILIGENTER ERRAS] diligenter, vel quia putas me tibi similem excolendo agro, qui diligens es, multarumque rerum copias, & opes ex tuis agris petis. vel quia sciens volens erras, dum simulas putare te missa tibi à me munera, meo ruri nata. NIL NOSTRI, NISI ME, FERVNT AGELLI] Nihil præter dominum est in domo, agro, horto meo. de horto habes lib.5. epig.63. Vel nihil ferunt nisi me tantum, & vix me alunt agelli mei. QVICQVID VILLICVS] Quicquid tibi tuus villicus vel ex Vmbria, vel coloni ex Tuscis, & Tusculanis agris mittunt, id mihi emendum in foro Suburano. RVS TERTIO MARMORE NOTATVM] ad tertium ab vrbe lapidem. tribus nempe millibus ab vrbe distans. An est rus suburbanum aut horti trans Tiberim, in quibus latissimum solum porticibus immensis ripam statuis suis occupauit, quemadmodum Plinius lib.4. epist.2. tradit. ID TOTA MIHI NASCITVR SVBVRA] Id mihi in vrbe emendum est. Subura enim in vrbe, nec tamen ad forum olitorium, quod in vndecima regione, & Subura secunda, & tertia regione.

Ad Atticum.

XXVII. XXXI.

Attice, facundæ renouas qui nomina gentis,
Nec sinis ingentem conticuisse domum:
Te pia Cecropiæ comitatur turba Mineruæ,
Te secreta quies, te sophos omnis amat.
At iuuenes alios fracta colit aure magister,
Et rapit immeritas sordidus vnctor opes.
Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes:
** Vara nec iniecto ceromate brachia tendis:* *Rara.
Non harpasta vagus puluerulenta rapis:
Sed curris niueas tantùm prope Virginis vndas,
Aut vbi Sidonio taurus amore calet.
*Per varias artes, omnis quibus area * seruit,* *feruet.
Ludere, cùm liceat currere, pigritia est.

Laudat currendi exercitationem in Attico. FACVNDÆ GENTIS RENOVAS NOMINA] Ostendit Atticum ex Pomponij Attici stirpe natum, memoriam Pomponij Attici (qui primus no-

 men

men cum doctrina reportauit ab Athenis) hominis in omni vitâ, virtute, litteraturâ elegantissimi refricare, iuxtaque mores illius, & ingenium, atque doctrinam exprimêre. Pomponij porrò Attici vitam leges apud Æmilium Probum, seu Cornelium Nepotem. Ad eundem sunt laudatissimæ Ciceronis epistolæ, quæ ad Atticum inscribuntur. FACVNDÆ] fuit enim disertissimus, & in recitando suauissimus, libros vulgauit de magistratibus, & illustribus familiis Romanorum, versus aliaque complura. Cornel. Nepos. CONTINVISSE] nec pateris, vt laus Atticorum vnquam in tua domo conticescat. TE CECROPIÆ MINERVÆ COMITATVR TVRBA] semper in comitatu habes è Græcorum in disciplina sapientes. quod Romani habuerunt in more, vt Cicero de Clodio pro Milone. SECRETA QVIES] non egit caussas, non capessiuit magistratus, sed philosophorum more secessit à turbis. Et auctor generis Atticus nec ipse attigit magistratus, contentus ordine equestri, sibi, & familiaribus vixit. AT IVVENES ALIOS FRACTA COLIT AVRE MAGISTER] Gymnastes, siue exercitor docet alios iuuenes pugilatum. FRACTA AVRE] læduntur enim aures in pugillatu, cùm verberantur tempora, Virgilius lib. 5. de Entello,

Infra ep. 66. in Philom. Et pueri lu-tul-nta de palæstra Vindici verbere vapulat magister.

——erratq́; aures, & tempora circum
Crebra manus duro crepitant sub vulnere malæ.

Idem testatur Mercurialis de re gymnastica lib. 5. cap. 6. Turnebus lib. 24. cap. 28. à Græcorum sumptum exercitatione rectè docet, apud quos qui gymnasiorum plagis contusi, multatique fuerant, propterea quòd à concertatoribus ferè aures, & tempora feriri solerent, auribus fractis dicebantur. Pollux lib. 2 ἔστι δὲ τῶν ἐν γυμνασίοις πληγῶν τὰ ὦτα κατεαγότων, καὶ ὠτοκάταξις. Hesychius ὠτοκάταξις τὰ ὦτα τεθλασμένος. Igitur magister fracta aure, & magister exercitationum, & gymnasiorum exercitor, qui luctam, pugilatúmue docet. fracta tamen aure & discipulus, & magister dici potest. SORDIDVS VNCTOR OPES] Alipta, seu pædotriba, vnctorque iuuenes vngit, & iuuenum marsupia emungit. In gymnasiis enim erant aliptæ, seu vnctores, qui corpora fricabant, vngebantque. Mercurialis lib. 1. c. 12. *Aderant serui fricandis corporibus destinati, qui ad præscriptum gymnastæ, aut pædotribæ, modò nudis manibus, modò vnctis, modò cum linteis, aliàs duris, aliàs mollibus, aliàs asperis, aliàs mediocribus vario, ac diuerso modo, prout opus erat corpora fricabant. Post hos erant & reunctores ita à Plinio, & Celso nuncupati quòd corpora iam exercitata vngerent, reungerentúe.* Lege plura apud Turnebum lib. 16. cap. 15. Petrum Fabrum Agonist. lib. 2. cap. 5. IMMERITAS] quia operam illis non necessariam impendit. tota autem patrimonia effundebant in hoc genus hominum, quod mores corrumpebat iuuentutis, vt Traianus agona Viennensem sustulerit. Plin. l. 4. ep. 22.

Heraldus plura super his.

Pædotribæ Pictorum magistri.

NON PILA, NON FOLLIS, NON TE PAGANICA THERMIS PRÆPARAT] pila nempe trigonalis, quæ sæpè sine adiectione pila vocatur. Mercur. lib. 1. cap 5. *Follis duplex, maior, & minor, maior brachiis expellebatur, & nonnunquam, vt trigonalis pila ἁπλῶς vocabatur. minor pugillaris, quòd pugnis expelleretur.* PAGANICA] pluma farta, maior trigonali, minor folle, dicta vel à pagis vrbicis, vel rusticanis. Hæc omnia pilarum genera, quæ hoc loco tantùm attigimus, lib. 4. ep. 16. de Endromide plenè & diligenter ex Mercuriali exposuimus, quem adibis. lege & Fabrum de præmiis, & vsu pilæ lib. 1. Agonist. p. 19. & p. 171. lib. 2. PRÆPARAT] ad thermas, ad balneas, ante cœnam prisci lauabant, ante lauationem corpus exercebant. NVDI STIPITIS ICTVS HEBES] hunc locum nobis Vegetius, & Stevvechius clarum dabunt. libro 1. cap. 11. Et libro 2. cap. 23. de re militari. Ludus palaria vocabatur. Sosipater Charisius est auctor libro 1. instit. Grammat. Plato lib. 7. de legib. Aristoteles polit. Mercurialis lib. 3. de arte Gymnastica. *Pali figebantur in terram, vt nutare non possent, sex pedes eminebant, puta ad iustam viri staturam. hunc palum cominus sudibus, eminus missilibus procul ferire meditabantur. De quo tironum ludo, & exercitatione Iuuenal. Sat. 6.*

Herma figura, seu statua humana,

——aut quis non vidit vulnera pali,
Quem cauat assiduis sudibus, scutoq́ lacessit,
Atq́; omnes implet numeros——

A singulis autem tironibus singuli pali desigebantur, contra quem tanquam aduersarium tiro cum crate illa, & claua lignea, velut cum gladio, se exercebat, & scuto vt nunc quasi caput, aut faciem peteret, nunc à lateribus minaretur, & quæ sequuntur, in ipso Vegetio. Idem Lipsius ex eodem adiunctis Senecæ, Spartiani, Vopisci testimoniis tradit. ICTVS HEBES] quia sudibus, vel potius, vt emendat Lipsius, rudibus palum oppugnabant. hebetes ergo ictus, non acuti, quia lignei gladij, seu claui. Formam palis, seu nudi stipitis spectabis apud M. Velserum in Augustanis monumentis p. 237. vbi pauimentum est expressum cum schematis gladiatorum & aurigarum, &c. infra metas. Stevvechius tamen ait retinendam vocem sudibus.

Lib. 5. dial. 14.

*VARA NEC INIECTO CEROMATE BRACHIA TENDIS] Nec luctatis. In lucta cùm se mutuò complecterentur, implicarentque mutua brachia, obtorquebant lacertos, vt vari viderentur; varia enim crura obtorta, vti & vara brachia. Si rata legas, sensus erit rarò luctari, & inunctum Atticum, si vara, nunquam: posterior placet; vt enim de superioribus loquitur ludis, ita de lucta. CEROMATE] ceroma genus vnguenti ex oleo, pulucreque factum, de quo plura lib. 4. ep. 61.

** vara.*

Non

NON HARPASTA VAGVS PVLVERVLENTA RAPIS] Harpastum à Græco verbo ἁρπάζω rapio, genus pilæ est minimæ, si rectè suspicatur Mercurialis, quam sibi mutuò, qui ludebant, subripere conabantur. Et valentiorum erat ludus in puluerulento solo. vt lib. 4. dictum. SED CVRRIS NIVEAS TANTÙM PROPE VIRGINIS VNDAS] sed exerces tantùm te cursu ad aquam Virginem, vel ad porticum Europę. SIDONIO AMORE] taurus Iupiter, qui Europen Agenoris Tiri, & Sidonis conditoris filiam per mare in Cretam vexit.

De aqua Virgine lib. 5. 21.

PER VARIAS ARTES] sensus est. ludere varios ludos, siue pila, siue lucta, siue sudibus ad palum in campo, & gymnasio ad ludum destinata, pigritia est, cùm possis currere; quæ sola præ cæteris laudanda est exercitatio. Et si hunc sensum admittis, ita interpunge versum,

Per varias artes, omnis quibus area feruet,
Ludere, cùm liceat currere, pigritia est.

Si verò hoc modo incidas.

Per varias artes, omnis quibus area feruet,
Ludere cùm liceat, currere pigritia est.

Alius existet sensus. nempe cùm tot sint genera exercitationis, & tam variæ artes ludendi, qui se cursu tantùm, & non lucta, non pila, non harpasto exercet, piger est. quæ quidem interpretatio prorsus contraria est superiori, primam tamen vt certiorem præ altera probarim, quod altera sit contra mentem poetæ, cùm velit reuera laudare currendi exercitationem quam per inductionem præfert aliis exercitationibus, & tandem concludit, cùm possis breui cursu assequi quod alij multis horis quærunt, pigritia est aliis ludis indulgere, cùm possis currere. Videtur autem sumsisse hoc ex Seneca qui reprehendit athleticem & cursum laudat. *Stulta est enim mi Lucili, & minimè conueniens literato viro occupatio exercendi lacertos, & dilatandi ceruicem, ac latera firmandi, sunt aliæ exercitationes & faciles & breues, quæ corpus & sine mora laxent, & tempori parcant, cuius præcipue ratio habenda est, cursus, & cum aliquo pondere manus mota, &c.* Laudat & Mercurialis lib. 5. c. 7. moderari cursus exercitationem.

ep. 15.

In Cinnam.

XXVIII. XXXII.

Sordidior cœno cùm sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, niue:
Deiecto quid inepte pedes perfundis amictu?
Collige, Cinna, togam, calceus ecce perit.

Scopticum in Cinnam, quod mundis & candidis calceis vtatur, sordida verò & inquinata toga. CALCEVS AVTEM CANDIDIOR] Calcei albi Romanis quondam passim vsitati, vt hodie elegantioribus. Spartianus in Alex. *fascias semper vsus est: baccas albas habuit.* Emendat Lipsius, & legit baxeas albas, Baxeæ, pro calceis apud Plautum, & Apuleium lib. 2. *Iuuenem quendam linteis amiculis intectum, pedesq. palmeis baxeis indutum.* In Floridis. *vestem de texterna emere, baxeas istas de suterna præstinare. Simile autem illud* (inquit Lipsius) *calceis albis vsus more cæterorum, cum coccineis, vt ante eum Imperatores, & homines aliquot delicatiores.* Ibidem & Vopisci locus emendatur, vbi rectè pro albis, galbis legendum. COLLIGE TOGAM] tolle, attrahe, ne calceum inquines. Docet autem poëta insanum esse Cinnam, qui maiorem calcei, quàm togæ rationem habeat, contrarium faciendum fuisse, togam enim colligendam esse, ne calceis sordidis inquinetur. non vt calcei, qui sæpè necessariò collutulantur, à toga contaminentur. mundam ergo togam potius decuit gestare quàm calceos: placeat mediocris in omnibus concinnitas, vti monet Fabius. Nam & toga, & calceus, & capillus tam nimia cura quàm negligentia sunt reprehendenda.

Lib. 1. El. c. 13.

Mulierum peculiares fuisse tradit Heraldus albos calceos, quod nondum probo.

Ad Seuerum.

XXIX. XXXIII.

Quo possit fieri modo, Seuere,
Vt vir pessimus omnium Charinus
Vnam rem bene fecerit, requiris?
Dicam: sed citò, quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianis?

Non deest protinus ecce de malignis
Qui sic rancidulo loquatur ore
Vt quid tu Domini Deiq; nostri
Præfers muneribus Neronianas?
Thermas præfero balneis cynædi.

Duorum impurissimorum beneficia in P.R. inter se confert. VNAM REM BENE FECERIT] balneas nobiles excitarat, vt ipse docet in extremo versu. Sensus est totius epigrammatis. miraris, qui potuerit à malo homine aliquid boni fieri? Etiam Nero pessimus optimas extruxit thermas, nihil enim pugnat, quo minus improbus aliquis, boni quippiam præstare possit.

NON DEEST DE MALIGNIS] Adulator aliquis Domitiani statim lecto hoc epigrammate carpet epigramma, perinde quasi Neronis, & Charini thermas, balneasque publicis Domitiani thermis, ædificiisq; anteposuerim. Sed ego, inquit, hic non comparo Charini, & Neronis opera, cum operibus Domitiani. Sed Charini tantùm balneas, cum Neronis thermis.

Id est, fœtor, gratissimus odor.

RANCIDVLO ORE] metaphora sumpta à vitiato iam, & prope corrupto cibo, qui putori proximus. ranceo enim verbum vetus idem valet, quod olidum, vel odorem ingratum emitto. caro subrancida, & aper rancidus apud Ciceronem & Horatium sunt vitiata Satyr.2.lib.2.

Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat, sed credo hac mente, quòd hospes
Tardius adueniens vitiatum commodiùs quàm
Integrum edax dominus consumeret——

Inde metaphora apud Persium Sat.1.

Rancidulum quiddam balba de Nare locutus.

Putidum aliquid, & ingratum locutus. Et hoc loco Martialis rancidulo ore, infecto detractionibus, & adulationibus ore. DOMINI, DEIQVE NOSTRI] Domitiani. lib.5.epig.8.

Edictum Domini Deiq; nostri. vbi plura.

MVNERIBVS] ædificiis publicis Domitiani, de quibus antea. BALNEIS CYNÆDI] Quid peccaui in principem, cùm Neronianas thermas Charini balneis præposui? non vituperaui Domitianas. nec enim cùm Homerum laudo, reprehendo Virgilium. Thermas Neronianas laudat Papinius, 1.Sil. Nihil hic de Etrusco somnia.

Ad Stellam.

XXXV. XXX.

Cùm pluuias madidumq; Iouem perferre negaret,
Et rudis hibernis villa nataret aquis,
*Plurima quæ posset subitos * effundere nimbos,*
Muneribus venit tegula missa tuis;
Horridus ecce sonat Boreæ stridore December,
Stella tegis villam, non tegis agricolam.

** defendere legerem potius, id est, arcere.*

Vestem dimas meus agros, petit à Stella.

TEGVLA MISSA] cùm mea villa malè materiata perplueret, misisti scandulas, seu tegulas, quibus defenderem pluuias. VILLAM TEGIS, NON TEGIS AGRICOLAM] nunc hiems sæuit, tecta quidem iam est villa, sed adhuc nudus agricola, nonne etiam me teges, qui pluris sum villa?

Ad Castricum de Theta.

XXXVI. XXXI.

*Nosti * mortiferum quæstoris, Castrice, signum?*
Est operæ pretium discere theta nouum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Lethalem iuguli iusserat esse notam.

** mortiferum.*

Turpis

Turpis ab inuiso pendebat stiria naso,
*Cùm * fleret madida fauce December atrox.*
Collegæ tenuêre manus: quid plura requiris?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

* v. flere. alij flaret.

Crudelem quendam quæstorem Vitellij vt nonnulli suspicantur, insectatur, qui carnifici hominis occidendi signum dedit Naso emungendo. NOSTI] nosti, inquam, non nostri lege. Versum tamen puncto interrogationis claude. quamuis sensus sit, si legas, Nostri, est operæ precium, Castrice, discere signum mortiferum seu nouum θῆτα nostri quæstoris. Expeditior est prima scriptura. MORTIFERVM SIGNVM] θ, nempe vsitatum signum condemnationis, vt absolutionis A. Persius Sat. 4.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

MORTIFERVM] quia mortis nuncium adfert vt carbo, & creta; atri, & candidi calculi; signa alba felicia, nigra infausta. Θ verò vel quòd humani pectoris transfixi similitudinem gerat, vel quòd mors Græcis θάνατος dicatur, primaque littera pro voce tota vsurpetur. Romani prius A. cùm absoluerent, C. cùm condemnarent, N. L. cùm non liqueret vsurpabant. De quibus omnibus, lege Alexandrum Neapol. lib. 3. cap. 5. Tiraquellum ibidem. Brissonium lib. 5. de formulis. Foquelinum ad 4. Sat. Persij. Brodæum lib. 1. epigram. εἰς ... Ausonium in pædagogum Eunum epig. 119.

Tuumq; nomen θ sectilis signet.

Rutgersius lib. V. Var. c. XVI. Puto veteres Θ litera &c: p. 503. vsq; ad finem capitis.

Est apud Plautum in Aulularia littera quædam longa etiam infelix, vti Staphila se longam fore litteram dicit. Longamque illam literam alij plerique L. Cælius verò Rhodiginus lib. 10. cap. 8. contendit esse litteram T. Romanis tamen sospitalis erat. Gretserum lege cap. 51. de S. Cruce. vbi mira de hac littera T. sunt, qui I. Lambinus verò nullam certam, omnes enim litteras posse esse longas, vel fiunt, cùm grandiores, & maximè, cùm cubitales scribuntur. mihi quod de longis affirmat, verum videtur affirmare, nihilominus ex ipsis longis I. vel T. vel L. posse designari. THETA NOVVM] nouum signum mortis inuenit, vt quempiam interfecturus nasum emungeret, hinc vocat nouum, alij inusitatum. Vt Iuuenalis de populo Romano,

——qui pollice verso
Quemlibet occidit populariter——

LETHALEM NOTAM] iussit occidi destinatum. STIRIA] vi frigoris, & cælo pluuio expressa. alioquin stiria est aqua in modum turbinis concreta, siue stillicidium gelatum. COLLEGÆ] Quæstores alij crudelis, & inuisi collegæ tenuerunt manus, ne illam subitò admoueret naso absterfurus guttam, & signum cædis daturus. Plures fuêre quæstores, primum duo, mox quatuor, tum plures. Fenestella, Sigonius de antiquo Iure ciuium, cap. 2. & alij. Ærarij, parricidij, prouinciales. In singulis ordinibus plures. EMVNGI MISERO NON LICVIT] Cùm antea occidisset leuissimo signo passim homines, postea quasi spoliatus omni potestate fuit miser, vt ne nasum quidem abstergere potuerit.

Ein Elsszapffen.

De Polyphemo.

XXXII. XXXVII.

Tantus es, & talis nostri, Polypheme, Seueri,
Vt te mirari possit & ipse Cyclops.
*Sed nec Scylla * minus, quod si fera monstra duorum*
Iunxeris, alterius fiet vterq; timor.

* minor.

Seueri Martialis amici par seruorum, Polyphemus alter ob magnitudinem ita dictus, altera serua Scylla ab altero monstro appellata. tantos fuisse ait, vt non modò cuiuis alij; sed & ipsi alter alteri potuerint esse terrori. MIRARI POSSIT IPSE CYCLOPS] minor nempe Polyphemo Seueri. An ad statuas Polyphemi & Scyllæ refert? de seruis accipio. SCYLLA * MINOR] minor lego, non minus. nisi dicas, τὸ minus, ad monstrum referri. Nec Scylla serua minor est Polyphemo vel minus monstrum. vel *minus* aduerbium, nec Scylla minus miratur quam Cyclops. placet *minor*. Polyphemus ex Homero, Virgilio, Ouidio, Theocrito, & aliis, vti & Scylla nota sunt monstra. Quid Grutero fuerit in mentem nescio, vbique Sylla non Scylla rescribenti, operarum credo vitio, nam Turnebus exertè Scylla non Sylla legit; & verè; est enim contentio inter Polyphemum & Scyllam monstra Siciliæ, alterum terræ, alterum maris.

Est Polyphemi mentio in vet. Inscript.

* minus. Vide Turneb. lib. 24. cap. 18.

De Cœlio.

XXXVIII. XXXIII.

Ad hoc carmen multa Herald.

Discursus varios, vagumq; mâne,
Et fastus, & Aue potentiorum,
Cùm perferre, patiq; iam negaret,
Cœpit fingere Cœlius podagram,
Quam dum vult nimis approbare veram,
Et sanas linit, obligatq; plantas,
Inceditq; gradu laborioso,
(Quantum cura potest, & ars doloris?)
Desit fingere Cœlius podagram.

Cœlij fraudes, & podagram irridet. VAGVM MANE] ne cogeretur salutare potentiores, & AVE dicere. multus hic Heraldus de discursu clientum. ET SANAS] quales impostorum quorundam sunt artes mendicorum. LABORIOSO] ægro, vt vestigia lentè poneret, ne offenderet exulceratos pedes. QVANTVM CVRA POTEST?] Ironia, vt lib.5. epig.22.

——quantum
Cura laborq; potest? scripsit, & edidicit.

Tamdiu malum finxit, & pedes strinxit, dum effingeret verum morbum, ipsamque podagram, vt non fuerit opus amplius fingere. desiit enim fingere, cùm re ipsa laboraret podagra.

Epitaphium patris Etrusci.

XXXIX. XXXIV.

Hic iacet ille senex, Augustâ notus in aulâ,
Pectore non humili passus vtrumq; Deum:
*Natorum pietas sanctis quem coniugis * vmbris*
*Miscuit: Elisium possidet * vmbra nemus.*
Occidit illa prior, viridi fraudata iuuenta,
*Hic prope ter * senas * vidit Olympiadas.*
Sed festinatis raptum te credidit annis,
Aspexit lachrymas quisquis Etrusce tuas.

* *venis*
* *V. ambo*
* *V. denas*
* *vixit, melius.*

Huius Etrusci vitam συνυπῶς lib.6. epig.42. de Etrusci thermis complexi sumus ex Papinio descriptam. PASSVS VTRVMQVE DEVM] Claudium & Neronem, libertus, non seruus. à Tiberio enim donatus est libertate, testis Papinius contra Domitium.

———Tiberia primum
Aula tibi, vix dum ora noua mutante iuuentâ
Panditur hic annis multa super indole victis
Libertas oblata venit.——

Quod noster passum dicit, hoc Papinius iuga vocat,

Tu toties mutata ducum iuga rite tulisti
Integer, inq; omni felix tua cymba profundo.

Deum autem vocat, quòd Cæsares retulerint in Diuos Romani. notum est Vespasiani morituri dictum, vt video, Deus fio. VTRVMQVE] Neronem dixi & Claudium, nisi placeat ad Deum secundum, & aduersum referre. Imò ad Domitianum potiùs respicio, qui iratus Etruscum eiecit, placatus eundem reuocauit. Vtrumq; ergo accipe iratum & propitium. lib.6. epig.83.

Nam tu missa tua reuocasti fulmina dextra.

NATORVM PIETAS] filius enim Etruscum patrem damnatum, & in exilium eiectum spontè comitatus est, nec antea destitit fatigare precibus Domitianum, quàm pacem illi, reditumque impetraret, vt Papinius de Etrusco filio.

——cui nos fidissime linquis
Fortuna redeunte pater, modo numina magni

Præsidis,

Præsidis, atq; breuis hominum placauimus iras,
Nec frueris. ———

CONIVGIS] Etruscæ, à qua summo loco nata Etruscus maritus, & filij nomen accepêre. Papinius in lachrymis. post susceptos geminos in ipso flore ætatis extincta. ELYSIVM POSSIDET AMBO NEMVS] Etruscum, & Etruscam; ambo, casu accusandi multitudinis, vt duo apud Virgilium lib.11. *ambos.*

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros, ———

OCCIDIT ILLA PRIOR VIRIDI FRAVDATA IVVENTA] Papinius.

——— *Sed media cecidêre abrupta iuuenta*
Gaudia florentesq; manu scidit Atropos annos, &c.

HIC PROPE TER SENAS VIDIT OLYMPIADAS] ter senas lege, non ter denas; alioqui fuisset centum, & quinquaginta annorum, ter senæ autem Olympiades, nonaginta explent annos, sic vt Olympiadem pro lustro, seu quinquennio accipias. Et quamuis nonagesimum non attigerit (quod vox, propè, docet) tamen octogesimum excessit. Papinius enim octoginta annos Etrusco feliciter ait actos deinde primum in exilium à Domitiano missum, ex eoque reuocatum diem obiisse extremum.

Dextra bis octonis fluxerunt secula lustris,
Atq; aus sine nube tenor, &c.

Si Olympiadem poëta ποιητικῶς accipit. Etruscus fuit ἐνενηκοντούτης, id est, XC. annorum. (Si verè & historicè LXVII. Si tamen lustrum pro quinquennio ponit Statius.) Sed erit fortasse, qui me erroris damnet Olympiadem quinquennio definientem, cùm historici, & Chronologi quatuor annorum spatio Olympiadem concludant. Vt Pererius lib.4. c.3. qui Olympiades 54. plenas ducentis, & sed. cim annis definit. accipit ergo Olympiadem pro quadriennio, nam si quinque annos complecteretur, efficerentur anni ducenti septuaginta. Iosephus Scaliger, qui Tetraeteridem vocat Olympiadem. Sed non erit difficilis hic responsio. Verum aio, quod Chronographi decernunt initio quinti anni celebrata fuisse Olympia, vnde quinquennis à quinque fratribus dicta, & institutum, ita vt quadriennium solidum excluso quinto anno complecteretur vna Olympias. Ipsi quoq; Chronologi inter se dissentiunt, quos noster Delrius componit com. in Herculem furentem Senecæ pag.281. Poëtæ tamen Olympiadem κατάχρηστικῶς pro quinquennio solido vsurpant, & æquant lustro Romano. Ouidius de Ponto lib.4. Eleg.6.

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est,
Iam tempus lustri transit in alterius.

Cæterùm de Olympiadib. hæc compendio accipe. Institutæ sunt post excidium Troiæ, anno quadragesimo septimo, vel octauo. ante. V. conditam vicesimo quarto. apud Iudæos Achaz regnum obtinente annum iam octauum. Copiosè, & diligenter disputat hac de re Pererius de communibus omnium rerum naturalium principiis lib.4. cap.3. Iosephus Scaliger lib.5. de initio Olympiadum. Cælius Rhodiginus lib.15. cap.17. Qui omnes sua dicta ex Pausania, & aliis nobilissimis scriptoribus confirmant. Accedunt huc Benedictus Aretius in Pindarum, Elias Vinetus in Ausonium, Brodæus lib. Anthol. & alij. *Chronicum Alexandr. MS. Græcum.* SED FESTINATIS RAPTVM TE CREDIDIT ANNIS, ASPEXIT LACHRYMAS, &c.] tantoperè luxit parentem Etruscus filius, vt qui illum vidit plorantem, putare potuerit, patrem florente æuo, & immatura fatorum vi, ad inferos abreptum. quantus porro luctus fuerit filij Papinius canit,

——*heu quantis lassantem brachia vidi*
Planctibus, & prono fusum super oscula vultu,
Vix famuli, comitesq; tenent, vix ardum igne
Submouet. ———

Ad Sempronium Tuccam.

XXXV. XL.

Cosmicos esse tibi Semproni Tucca videris:
Cosmica, Semproni, tam mala, quàm bona sunt,

Sempronium tam malum videri posse, quàm bonum dicit. Cosmicus dici volebat, id est, mundanus, ciuis mundi; quales se iactabant Socratici. Socrates enim interrogatus, cuius esset. mundanus, inquit. *Omne solum forti patria est.* Et Teucer. *patria est, vbicunque est bene.* E Socratis ergo disciplina videri volebat Sempronius, atque adeò Cosmicus. Sed Poëta nomen Cosmicus largiùs accepit, & mundana, seu Cosmica tam mala, quàm bona esse, imò plura mala, & plures malos,

malos, quàm bonos in mundo affirmat. malum ergo potius Sempronium; quàm bonum credendum, si Cosmicus sit. ferè sic locum hunc explanat doctissimus Turnebus. Domitius Cosmicus ad etymologiam refert, & ornatum exponit. Vt sensus sit; etiamsi ornatus sis, non tamen bonus es, nam & mala possunt ornari, & sæpe improbissimus quisque est ornatissimus. Non displicet mihi Torrentij mens. *Tucca*, inquit, *comis, humanus, commodus in conuersatione hominum multorum. Nomen enim oppositum solitudinis. Humana autem tam mala, quàm bona sunt.* Sæpè supra de Cosmo vnguentario dictum. Forte hic deditum vult Tuccam vnguentis fuisse, hoc est, gnarum rei vnguentariæ. Poëta eam artem vel potius vsum artis dubium affirmat, Cosmicos enim seu vnguentarios & vnguentatos posse & benè & malè audire.

Ad Castricum.

XXXVI.

Muneribus cupiat, si quis contendere tecum,
Audeat hîc etiam, Castrice carminibus.
Nos tenues in vtroq; sumus, vinciq; parati:
Inde sopor nobis, & placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris,
Alcinoo nullum poma dedisse putas?

Ab opibus, liberalitate, eruditione laudat Castricum, se extenuat, accusat, excusat. Ab opibus, & liberalitate, cùm ait Castricum non posse vinci muneribus. à doctrina, cùm dicit neminem audere cum Castrico carmine certare. se extenuat, cùm fatetur nec diuitem, nec magnum poëtam. accusat; quandò sua carmina mala appellat. Excusat, cùm docet etiam Regibus nonnunquam, quamuis diuitibus, dona tamen à tenuioribus offerri, eoque se Castrico, quamuis docto, tamen carmina misisse. ALCINOO POMA] Adagij speciem habet, quale illud, *in siluam ligna ferre, aquam in mare, vlulas Athenas, soli lumen mutuare*, &c. Alcinous autem Rex Phæacum, cuius hortus Homero laudatus 6. Odyss. vt alibi dictum.

In Cinnam.

XXXVII.

Primum est, vt præstes, si quid te, Cinna, rogabo;
*Illud deinde sequens, * vt citò, Cinna, neges.* *v. si.*
Diligo præstantem, non odi, Cinna, negantem:
Sed tu nec præstas, nec citò, Cinna, negas.

Aut dandum, aut citò negandum. lege epig. lib. 6. in Phœbum & eod. in Pætum, vbi ex Seneca, & aliis multa super hoc versu.

Ad Ouidium.

XLIII. XXXVIII.

Maximus ille tuus, Ouidi, Cæsonius hic est,
Cuius adhuc vultum viuida cera tenet.
Hunc Nero damnauit: sed tu damnare Neronem
Ausus es, & profugi, non tua fata sequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exulis isti:
Qui modò nolueras consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo:
Audiet hæc præsens, venturaq; turba. fuisse
Illi te Senecæ, quod fuit ille suo.

Maximus

Maximus Cæsonius vir consularis à Nerone damnatus, in coniuratione Pisoniana missus in exilium, comitem voluntarium habuit Ouidium (non illum Nasonem poëtam, quod infantibus dico) qui expressam Cæsonij postea mortui imaginem seruabat, ad quam hoc epigramma scripsit poëta, vt illa verba (hic est) d. icone Cæsonij accipias. VIVIDA CERA], quæ ad vnguem refert Cæsonium, alter quasi Cæsonius. Ita mortuos solebant quasi in vitam reuocare. Secundus de Reguli filio lib. 4. epist. 7. *Illum coloribus, illum cera, illum ære, illum argento, illum auro, ebore, marmore effingit.* HVNC NERO DAMNAVIT] Tacitus lib. 15. Annal. *Cadicia vxor Scæuini, & Cæsonius Maximus Italia prohibentur, reos fuisse tantùm pœna experti.* SED TV DAMNARE NERONEM] Nero Cæsonium iudicio damnauit, tu Ouidi Neronem damnasti, cùm Cæsonium damnatum sponte, velut innocentem es secutus, quo facto docuisti iniquam Neronis condemnationem fuisse. ita tuo facto illius iudicium detestatus arguisti. Tale dictum leges in apophthegmatis de Diogene, cui cùm obiiceretur, Sinopenses te exilio damnarunt, & ego, inquit, illos mansione. PROFVGI FATA SEQVI] Idem Papinius in Etrusco. ÆQVORA PER SCYLLÆ] In Siciliam, aut Sardiniam eiectum. Scyllam autem scopulum Siciliæ ex Virgil. 3. Et Hom. 12. Odyss. qui monstri nomen ob scopuli periculum illiindunt. Ouid. 13. Met. QVI MODÒ NOLVERAS CONSVLIS IRE COMES] in Africam, cui præfuit. FVISSE ILLI TE, SENECÆ QVOD FVIT ILLE SVO] Quod Cæsonius fuit Senecæ, hoc Cæsonio Ouidius. Vt Cæsonius non dissimulauit se amicum Senecæ, quamuis damnati, ita tu Ouidi etiam Cæsonij amicum te ostendisti, cùm damnatum secutus es in exilium. Exulauerat autem & Seneca à Claudio relegatus in Corsicam, vnde Senecæ liber de consolatione ad Heluiam. rediit deprecatu Agrippinæ. Tacitus 12. Annal. Non lego comitem exilij Senecæ fuisse Cæsonium. poëtæ verba trahi possent eò, quando comparat Senecæ, & Cæsonij exilia, amicitias, fidem, & subiungit talem Ouidium fuisse Cæsonio, qualis Cæsonius erat Senecæ. Amoris autem caussa nonnunquam comitabantur amici amicos in exilium. Suet. de Illustribus Gram. cap. 6. Maximus Tyrius. Heraldus. Seneca epist. 9. In quid igitur amicum paro? vt habeam pro quo mori possim; vt habeam quem in exilium sequar; cuius me morti opponam.

An C. Cæsonius Pætus dictus est maximus qui VII. Neronis anno cum Turpiliano consul fuit? A V.C. DCCCXIV. Lipsius vide.

Profugus Quyais.

Ad eundem.

XXXIX. *XLIV.*

Facundi Senecæ potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille, quem frequenti
Felix litera paginâ salutat:
Hunc tu per Siculas secutus vndas,
O nullus Ouidi tacende linguis,
Spreuisti domini furentis iras.
Miretur Pyladem suum vetustas,
Hæsit qui comes exulis parentis.
Quis discrimina comparet duorum?
Hæsisti comes exuli Neronis.

Idem argumentum. Ouidij fidem, & charitatem in Cæsonium anteponit Pyladis officio Orestem comitantis. FACVNDI SENECÆ] De eloquentia, copia & virtutibus itemq; vitiis orationis Senecæ copiosè disputat Lipsius contra Caligulam, Quintilianum, Agellium Lipsius in prolegom. ad Senecam. Sensus est duorum, & quatuor versuum. Hic est Maximus Cæsonius ad viuum expressus, Senecæ quondam, Cari, Sereniq; amicus, quem ille potens Senecæ amicus, Cæsari gratissimus, toties per literas salutat. Cera (nam ad imaginem scriptum hoc carmen intelligas) expressus Senecæ, Cari, atq; eius, ad quem liber Senecæ de tranquill. animi. &, In virum sap. non cadit iniuria, Sereni summus amicus. CARO] an is est, quo de Secundus epist. 27. lib. 1. qui Domitiano libellum dedit, de Plinio Secundo? Iuuenal. Sat. 1. — *Quem munere palpat Carus* — DOMINI FVRENTIS] Neronis. EXVLIS PARENTIS] Orestæ. Clytemnestræ subductus ab Electra (Euripides in Electra) & in Phocidem cum pædagogo missus. deinde reuersus, matre interfecta rursus exulauit. DISCRIMINA DVORVM] Orestis, & Cæsonij fidem. Ouidij & Pyladis. maius tu Ouidi discrimen adiisti, quàm Pylades; ille se Oresti sine periculo propè adiunxit comitem, tu damnatum à Cæsare crudelissimo non dubitasti sequi.

De Seren. lib. 2. ep. 81.

Ad Priscum.

XLV. XL.

Commendare tuum, dum vis mihi carmine munus,
Mæonioq; cupis doctiùs ore loqui:
Excrucias multis pariter me, teq; diebus:
*Et tua de nostro, Prisce, Thalia * placet.*
Diuitibus poteris Musas, elegosq; sonantes
Mittere: pauperibus munera * pexa dato.

* *tacet Turneb.*

* *alij plana, alij plena legunt. vt Modius ex MS. Idem factum Oraculo cuidam ab Augusto refert Macrobius quem alibi adductum meminit.*
* *li. 24. c. 28.*

Petit munera sine carminibus; dum enim Priscus meditaretur carmen, quod cum munere Martiali mitteret, interim poëta egebat, nec carmen, nec munus accipiebat. EXCRVCIAS] te scribendo, me nil interim dando. ET TVA DE NOSTRO, PRISCE, THALIA PLACET] tacet. scribit * Turnebus. Omnia, quæ vidi, exemplaria seruant (placet) quod mihi nequaquam displicet. Prisco enim placere suam Thaliam ait, quam meditabatur, cum poëtæ incommodo, quod sibi non placeat. de nostro, inquit, tibi placet, de nostro incommodo tibi places, dum facis elegans, sonans, & concinnum carmen. Malim tamen cum Turnebo, *Tacet*, hoc intellectu. Excrucias me differendo munus tuum propter carmen quod iam diu meditaris, & interim tua Musa tacet de nostro munere, quod missurum promisisti, mitte mihi munus vt pauperi, carmina non desidero; De nostro ergo intellige damno & iactura differs munus & trahis tempus componendo carmine cum munere mittendo. De nostro dixit vt Plautus, si de illarum cœnaturus es vesperi. PAVPERIBVS MVNERA PEXA DATO] nonnulli codices hic plena legunt. non pexa. alij plana, id est, non vianisa chartis, & carminibus, alij blenna, nescio an blenni. Seruo pexa. Domitius pexa, pulchra exponit, quàm pulchrè, lector iudicet, malim ad pexam vestem referre. Quid diu meditaris carmen, quod ego pauper non desidero; mitte illud diuitibus, mihi vestem. Plena legit Modius & interpretatur cito data, cum mora & tarditas gratiam beneficij corrumpat.

Ad * Licinium.

* *Quod conualuit Gryph.*

XLVI. XLI.

Doctorum, Licini, celeberrime, summe virorum,
Cuius prisca graues lingua reduxit auos:
Redderis heu quanto fatorum munere nobis,
Gustatâ Lethes pænè remissus aquâ.
Perdiderant iam vota metum, securaq; flebat
*Tristitia: * & lachrymis iamq; peractus eras.*
Non tulit inuidiam taciti regnator Auerni,
*Et * raptas fatis reddidit ipse * colos.*
Scis igitur, quantas hominum mors falsa querelas
Mouerit: & frueris posteritate tuâ.
Viue velut rapto, fugitiuaq; gaudia carpe:
Perdiderit nullum vita reuersa diem.

* *heu lachrymis vestid Schottus emendat, sequutur enim iamq;.*
* *raptum.*
* *folo.*

Gratulatur Licinio reditum in vitam, quam iam ab omnibus deploratam, & conclamatam fuisse dicit, hortaturq; vt reliquam vitæ partem genio indulgeat. LICINI] Is ipse Licinius, ad quem est epist. Secundi lib. 4. trigesima. DOCTORVM SVMME VIRORVM] doctorum doctissime. Secundus idem sentit. *Attuli tibi*, inquit, *ex patria mea pro munusculo quæstionem altissima ista eruditione dignissimam, &c.* PRISCA LINGVA] aut non fucata. sed syncera, aut quia Licinius archaismos, & antiquitatem amabat in sermone, aut denique doctrinam sapit antiquorum. PERDIDERANT VOTA METVM] iam desperauerant vitam, & non timebant vitæ spe iam deposita. Iam vota fieri desierant; nemo enim re deplorata ampliùs vouet; metuimus enim, quæ accidere possunt, non quæ acciderunt. Torrentius. IAM PERACTVS ERAS] pro mortuo deplorabaris. *RAPTAS † COLOS] fusa, stamina Parcarum. reddidit Parcis à morte iam ereptas colos, & pensa. MORS FALSA] decepta, quæ iam deuorauerat te spe. aut falsa, quia fefellit nos, te iam quasi mortuum flentes.

Licinius Sura.

* *raptum.*
* *folo.*

FRVERIS

FRVERIS POSTERITATE TVA] sentis ipse, velut redituus, quam te passim amarint mortales, qui tibi iam opinione nostra eramus posteri. *Triginta annis gloria sua superuixit. legit scripta de se carmina: legit historias, & posteritati sua interfuit.* Plinius epist. 1. lib. 2. de Virginio Rufo. VIVE VELVT RAPTO] Est Epicurea ... Vtraq; ergo manu amplectere vitam fugitiuam, & te totum da commodis præsentis vitæ, audè, quod superest vitæ, absume, perinde ac si ex rapto viueres. Ipsemet exponit, quid sit, rapto viuere, multa sunt huius generis apud hunc Epicurum hortamenta. PERIIDERIT] perdere se diem illum putabant, quem non indulgebant genio, ventri, voluptatibus.

De Anio.

XLII. XLVII.

*Cùm mensas habeat ferè * ducentas,*
Pro mensis habet, Anius, ministros:
Transcurrunt gabatæ, volantq; lances.
Has vobis epulas habete lauti.
Nos offendimur ambulante cœna.

* v. trecentas.

Ambulatoriam cœnam odit Martialis, quòd nihil inde ferè posset esse, propter ministrorum celeritatem, qui in patinis circumferebant cibos ad conuiuas, vt quod quisque vellet, inde legeret, rariùs autem ad poëtam accedebant, aut transibant celeriùs, aut præteribant omninò. malebat sibi in mensis apponi. DVCENTAS] alij trecentas, sed numerus est certus pro incerto, & magno. PRO MENSIS MINISTROS] ipsi ministri subeunt vices mensarum, quia ipsi gerunt cibos, in gabatis, & parapsidibus, non apponunt mensis. Moris autem erat prioribus, vt singulis missibus singulas mensas inferrent, iam suis epulis, dapibusque onustas, easque postea simul auferrent. Annius vnam haud dubiè mensam apposuerat, sed eam vacuam, deinde ministri ordine circumferebant opsonia, vt quod cuique placeret, inde carperet. Hoc ideo copiosiùs, quod haud satis hunc locum Stuckius intelligat, cùm affirmat eo modo in cœna ambulante cibos circumlatos, quo in cœnobiis epulæ ad proximè accubantem transeunt. Haud, inquam, eo modo. nam quamuis nonnunquam vna, alterâue parapsis à primo ad vltimum transeat, tamen apponuntur. Annius autem seruis circumferendas dedit, vt eas nunquam mensis inferrent. Nec à Baysio rectè puto exponi, cùm dicit reprehendi à Martiale Annium, quòd dapes lancibus potiùs, quàm mensis ipsis inferri sineret, quasi nulla fuerit mensa conuiuis apposita, fuit vtique, sed sine dape, nam quo illud, quod à seruo obeunte acceperant, reposuissent? in ipso toro, aut lecto, absurdum hoc. An mensas ita onustas pro discis, vt quicquid obsonij erant appositum, semel id apponerent, nullis aliis discis, id est, lancibus adiectis? Quod ad Seruij auctoritatem attinet, valdè vereor, ne Seruius non capiatur, cùm ad illum Virgilij versum scribit. *Postquam exempta fames epulis, mensaq; remotæ. Apud maiores*, inquit, *ipsas mensas apponebant pro discis.* Sed discos pro lancibus accipio cibo, & obsonio plenis, singulisq; singulas mensas. id est, patinas, siue quadras obsonio plenas, vt hodie fit in cœnobiis appositas, easq; binas, vnas carnium, secundas pomorum. Et hoc apud priscos Romanos, non imperatorum temporibus, sed multò ante imperatores. Turnebus lib. 25. cap. 24. *Puto, inquit, ita intelligendum, suppetunt illi mensæ plurimæ ad ducentas, non tamen in eas obsonia reponit, sed eas semper serui gerunt, nec epulis frui possunt conuiuæ. Ita ambulatoriam cœnam potius spectant, quàm comedunt, cum ministri celeriter parapsides, & gabatas ante conuiuas præterferant.* Rectè Turnebus, si mensas, vt ipse exponit, pro gabatis, & paropsidibus, quas ferebant serui, accipiat. TRANSCVRRVNT GABATÆ] Gabatæ genus lancis concauæ, Gallis, vt Turnebus notat, hodie extritâ media gatæ dictæ. Martialis 11.

Sic implet gabatas, parapsidasq;.

VOLANTQVE LANCES] lances vasa escaria rotunda subinde, nonnunquam quadrata. dicta lanx à latitudine, & erat non solùm lata, sed etiam caua. Martialis lib. 11.

Et leues scutulas, cauasq; lances.

Mediæ erant, maximæ, & minimæ. Iureconsultus in l. lancem tractatu de vasculis. Et Baysius. NOS OFFENDIMVR AMBVLANTE CŒNA] pauperes amant appositam qua famem, & ventrem, non oculos pascant. Ambulatorium ientaculum vocat Apuleius alio significatu, quando boues ambulando pascunt. Et Monachos quosdam ait ambulantes cibum sumere, ne cibi voluptatem sentirent.

Ad Seuerum.

XLIX. XLIII.

Parua ſuburbani munuſcula mittimus horti,
Faucibus oua tuis: poma, Seuere, gulæ.

Oua, & poma munus mittit. oua medicinam faucibus vel raucis, vel exulceratis & anginæ; poma, quæ incitent gulam, ineantque gratiam à palato. De Vrbano vero ſuo gloriatur lib.8. epig.61. *Sed quod ſub vrbe rus habemus æſtiuum, &c.*

Ad Vrbicum.

L. XLIV.

Mercari noſtras ſi te piget, Vrbice, nugas:
Et laſciua tamen carmina noſſe libet
Pompeium quæras (& noſti forſitan) Auctum,
Vltoris prima Martis in æde ſedet.
Iure madens, varioq; togæ limatus in vſu,
Non lector meus hic, Vrbice, ſed liber eſt.
Sic tenet abſentis noſtros, cantatq; libellos:
Vt pereat chartis littera nulla meis.
Deniq; ſi vellet, poterat ſcripſiſſe videri:
Sed famæ mauult ille fauere meæ.
Hunc licet à decima (nec enim ſatis ante vacabit)
*Solicites: capiet cœnula * parua duos.*
Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille ſonabit:
Et cùm, iam ſatis eſt, dixeris, ille leget.

* v. parua.

Auctum celebrat, qui poëtæ verſus, vt ſuum nomen, tenebat, poteratq; carentibus libro, eſſe ipſe liber. Hunc vt adeat, monet Vrbicum, ſi velit inemptum poſſidere Martialem. POMPEIVM QVÆRAS, (ET NOSTI FORSITAN) AVCTVM] Vnus eſt animo meo Pompeius Auctus, eoque verſum, vt diſtinxi, lege, vt ſenſus ſit, vin legere inempta mea carmina? adeas Pompeium Auctum, quem & tute fortaſſe noſti. VLTORIS PRIMA MARTIS IN ÆDE SEDET] P. Victor & forum hoc, & ædem Iouis Vltoris in 8. regione vrbis ponit. Marlianus lib.3. cap.10. hanc Martis ædem Diuæ Martinæ ceſſiſſe templo ſcribit. De eodem Plinius lib.33. cap.14. Ouid.5. Faſtorum. Suetonius in Auguſto cap.29. *Publica opera extruxit, ex quibus vel præcipua forum cum æde Martis Vltoris, &c.* Et mox. *Ædem Marti bello Philippenſi pro vltione paterna ſuſcepto vouerat, ſanxit ergo, vt de bellis. triumphisq; hic conſuleretur ſenatus, &c.* Iuuenalis Sat.4. Dion. lib.54. Eius templi effigiem in veteribus nummis expreſſam habes apud Torrentium Læuinum, in Auguſto Suetonij. IVRE MADENS] Iuris prudens; lib.1. ep.39.

Si quis Cecropiæ madidus Latiæq; Mineruæ
Artibus—

Et infra libro hoc ep.68. *Cuius Cecropia pectora dote madent.*

LIMATVS] vſu ex ercitatus, ſtudiis pacis & cauſſis tractandis opportunus, omniſq; ciuilis prudentiæ ſcientiſſimus. NON LECTOR, SED LIBER] tenet memoria totum librum epigrammatum. SIC TENET ABSENTIS NOSTROS] Ita paſſim in epiſtolis Cic. Horatius Sat.4. lib.1. Plinius, alij principes latinitatis ſunt locuti. POTERAT SCRIPSISSE VIDERI] tam ad vnguem tenet mea, recitatque, vt non meliùs poſſit ſua. nec tamen pro ſuis mea recitat. Seneca epiſt.33. *Aliquid interſit inter te & librum, quouſq; diſces? iam & præcipe. quid eſt quare audiam quod legere poſſum.* Et patet huius ipſo prologo declam.

Quicunque ... malint ... abſentes.

Intra exiguum pauciſſimorum dierum tempus, poterit quilibet facere id quod Cyneas fecit: qui myſſus à Pyrrho legatus ad Romanos, poſtero die nouus homo & ſenatum & omnem vrbanam circumfuſam ſenatui plebem, nominibus ſuis perſalutauit. Aut quod ille fecit, qui recitatum

earum à poeta carmen nouum, suum esse dixit, & protinus memoria recitauit: cùm hoc ille cuius carmen erat, facere non posset. Aut hoc fecit Hortensius: qui à Sisenna prouocatus, in auctione persedit diem totum, & omnes res & precia, & emptores ordine suo recensuit, argentariis recognoscentibus, ita vt in nullo falleretur.

A DECIMA] hora pomeridiana, quæ est tertia ante noctem. tardior hora cœnæ solito, propter Aucti occupationes. Hora decima, si rogaueris, vt tibi mea carmina legat, te ad cœnulam adhibebit, & tota cœna vsque ad nauseam etiam leget, tam amat meas nugas. De importunis recitatoribus & lectoribus alibi plenissimè. Auctus porro negotia sua ad horam vsq; decimam extendebat vt Asinius Pollio Orator, quem nulla cura vltra decimam retinuit. ne epistolas quidem post eam horam legabat, ne quid nouæ curæ nasceretur, sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat.

Ad Auctum.

XLV. LI.

Gratum est, quòd Celeri nostros legis, Aucte, libellos;
Si tamen & Celerem, quod legis, Aucte, iuuat.
Ille meas gentes, & Celtas rexit Iberos,
Nec fuit in nostro certior orbe fides.
*Maior me * tanti reuerentia turbat, & aures*
Non auditoris, iudicis esse puto.

* tanto. elegantius.

Celeri præfecto quondam Celtiberorum idem Auctus legebat poetam. Veretur poeta, ne fortè ingratum sit Celeri, quod sibi ait gratum, Celeremque laudat. Celeres apud Plinium Iun. duos lego, lib.4. epig.11. alterum equitem Romanum, qui ob Corneliam Vestalem in comitio virgis exanimatus; alterum, ad quem est illa lib.7 epig.7. elegantissima de recitatione. an iste hic idem sit, an alius, diuinare non possum. CELEREM IVVAT] si placet. ILLE MEAS GENTES] Celtiberiam administrauit. NEC FVIT] Nullius fides, abstinentia & innocentia ita constitit in Celtiberia, ac Celeris, quo proconsule vectigalia quoq; optima fide soluebantur. NON AVDITORIS] dignitas, & maiestas hominis me terret; nec enim auditorem, sed velut gentis, ita & Musarum iudicem illum veneror.

In Vmbrum.

XLVI. LII.

Omnia misisti mihi Saturnalibus, Vmber,
Munera, contulerant quæ tibi quinq; dies:
Bis senos triplices, & dentiscalpia septem:
His comes accessit spongia, mappa, calix.
Semodiusq; fabæ cum vimine Picenarum,
Et Laletanæ nigra lagena sapæ,
Paruaq; cum canis venerunt coctana prunis,
*Et Libycæ * fici pondere testa grauis.*
Vix puto triginta nummorum tota fuisse
Munera, quæ grandes octo tulêre Syri.
Quanto commodius nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinq; puer?

* v. Punica.

Vmbri munera Saturnalibus sibi missa eleuat. CONTVLERANT QVÆ TIBI QVINQVE DIES] quæ tu ab aliis accepisti quinq; diebus Saturnalium. Legitimi autem Saturnalium dies erant quinque. Caligula enim quintum adiecit. Saturnalia sequebantur sigillaria, quæ adiecta Saturnalibus dies septem efficiebant, sed illi duo sigillarium, non erant germani Saturnalium, legatur Lipsius 1. Satur. cap. 4. & 5. BIS SENOS TRIPLICES] duodenos triplices, seu pugillares. dicuntur autem triplices à tribus foliis, quincuplices quinq; foliorum. fiebant ex citro, ebore, aliisq; generibus materiarum, vt hodie ex membranis, lapide, lignis. plura lib.14. DENTISCALPIA SEPTEM

DVTAM] lentisca, quibus dentes repurgantur. diximus de his lib.6.epig.74. & lib.14. SPONGIA] tergendis mensis. MAPPA] lib.5. pig.20. linteolum mensarium, Tischfacelet. SEMODIVSQVE FABÆ] dimidiatus modius, vt lib.4.epig.46.

Farris semodium, fabaq. fresa.

VIMINE PICENARVM] calella oliuarum, ex Piceno allatarum, de quibus lib.13. & sæpius supra. ET LALETANÆ NIGRA LAGENA SAPÆ] Laletanum vinum crassum, vile, & ignobile. Laletania regio Hispaniæ. Martialis lib.1.epig.5. *tuamq. Laletaniam.* Ptolemæus Lœetaniam vocat. Sapa propriè dicitur vinum ad tertias decoctum, vt auctor est Plinius. Laletanum verò plenum fæcis, decoctione egebat. NIGRA LAGENA] ad vinum refero, quod purpureum vocat Ouidius. αἴθοπα οἶνον Homerus, quanquam de alio genere locutus. Etsi Macrobius lib.7.cap. 12. αἴθοπα οἶνον non à calore, sed colore dictum ait. PARVAQVE CVM CANIS VENERVNT COCTANA PRVNIS] cottana, seu coctana genus ficorum Hesychio, minora sunt ficis Martialis libro 13.

Hæc tibi, quæ torta venerunt coctana meta,

Si maiora forent coctana, ficus erat.

Cana pruna sunt durata, rugosa. lib.5. senes dixit. ET LIBYCÆ FICI PONDERE TESTA GRAVIS] Et vas graue Africanis, & hibernis ficis. multa super his lib.4.epig.46. VIX PVTO TRIGINTA NVMMORVM TOTA FVISSE] Vix argenteo nostrate hæc munera æstimabantur. nummus, & sestertius idem. triginta florenum reddunt, vt suprà docuimus. OCTO SYRI] octo serui, qui plerunq; Syri, vel Cappadoces. vt κατ᾽ ἐξοχὴν Syrus, & Cappadox pro seruo vsurpetur. vt philosophus pro Aristotele. poëta pro Virgilio. Exempla apud poëtas, & Oratores passim. ARGENTI PONDERA QVINQVE] quinque libras. libra vna argenti quadringentis HS. valet, id est, decem Philippæis. quinq; libræ, quinquagenis Philippæis. mauult poëta quinquaginta philippæos siue sexaginta sex florenos cum triente quàm vnum florenum. sibi sapit Martialis, vt non pauci hodie.

Qui modij medimno continentur. Medimnum videtur pro modio sumere. vt apud nos: ein Schaff/ wodum ein Mönen.

In Nasidianum.

LIII. XLVII.

*Semper mâne mihi de me * mera somnia narras,*
Quæ moueant animum, solicitentq. meum.
Iam prior ad fecem, sed & hæc vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumpsi salsasq. molas, & turis aceruos:
Decreuêre greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aues, non oua supersunt.
Aut vigila, aut dormi, Nasidiane, tibi.

* tua.

SEMPER MANE MIHI] artes captandi damnat in Nasidiano, qui prius poëtæ adulabatur, vt aliquid ab eo muneris: deinde somniorum religione obiecta conabatur emungere. QVÆ MOVEANT ANIMVM, SOLICITENTQVE MEVM] Mira hominum superstitio semper in somniis obseruandis fuit, atque vtinam non hodie sit. Quid veteres de somniis crediderint, leges apud Macrobium libro in somnium Scipionis. Interpretes Virgilij ad sextum Æneidos de cornea, & eburnea porta somniorum. Ouid. Metam. Artemidorum de somniorum interpretatione, Hieroglyphica Pierij passim, & alios, Alexand. Neapol. Cœlium Rhod. lib.27. Rectè & alius poeta.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,

Et pauidas mentes falsa timere iubent.

IAM PRIOR AD FECEM, SED ET HÆC VINDEMIA VENIT] Iam me defecit vinum superioris vindemiæ, & hornæ, dum per sagam expiare conor illa infausta tua somnia. SAGA] interpres somniorum. De hac superstitione Priscorum in hæc verba Theophrastus, καὶ ὅταν ἐνύπνιον ἴδῃ, πορεύεσθαι πρὸς τοὺς ὀνειροκρίτας, πρὸς τοὺς μάντεις, πρὸς τοὺς ὀρνιθοσκόπους, ἐρωτήσων τίνι θεῷ ἢ θεᾷ προσεύχεσθαι, id est, Insomnium porrò si viderit, pergere ille ad somniorum interpretes, ad diuinos, ad augures scitaturus, cui Deo, cui Deæ vota sint facienda.

Aristophanes Ranis.

Ἀλλά μοι ἀμφίπολοι λύχνον ἅψατε
Κάλπισί τ᾽ ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε
Θέρμετε δ᾽ ὕδωρ
Ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.
Agite ministri facem accendite,

Rorem è flumine vrnulis haurite
Lympham calfacite,
Vt diuinum somnium expiem.

Petronius de eodem. *Cæterùm Licas vt Triphæna somnium expiauit.* Martialis lib. II.

Amphora nunc petitur nigri cariosa falerni,
Expiet vt somnos garrula saga meos.

Plut. de hoc more. Περὶ δεισιδαιμονίας ... &c.

CONSVMPSI SALSASQVE MOLAS, ET TVRIS ACERVOS] Omnibus ferè sacrificiis adhibebant far tostum, tus, vinum, hostiam. Salsas molas far appellat sale mixtum. somnia tamen meticulosa expiari, & auerruncari ablutione mos erat, vt ex Æschylo, Aristophane, Persio docet Cælius Rhodiginus lib. 27. c. 16. Idem ex Sophocle solitos narrare Soli infausta somnia. Alexander item de ablutione cap. 27. lib. 5. Turis mille exempla habes apud Brissonium lib. 1. Salis in Prudentij hymno in Eulaliam.

Si modicum salis, eminulis,
Turis & exiguum digitis
Tangere virgo benigna vilis,

De vino ibidem. Brissonius ex Arnobio, Ouidio, Tertulliano, & plurimis aliis. sic de vino expono hic vindemiam. vinum altaribus superfundebant. SAGA] maga, cui dedi vinum omne, quod habui, far, & tus, vt expiaret somnia tua. Ouidius, & Tibullus anum vocant. DECREVERE GREGES] tot victimas immolaui Eumenidibus, tot agnas. NON PORCVS, NON CORTIS AVES, NON OVA SVPERSVNT] De porcis, & ouis lege Alexand. Neapol. lib. 5. cap. 27. vbi omnia genera expiationum inuenies, cum Tiraquello, ex Tibullo, Ouidio, & Iuuenale, &c. CORTIS AVES] antè exposuimus epigr. 30. huius libri. AVT VIGILA, AVT DORMI, NASIDIANE, TIBI] Aut nunquam dormi, aut dormi tibi, somnia, quæ voles, de te, non de aliis. ego tua somnia non morabor amplius.

Medius & hic Haraldus.

Ad Rabirium.

XLVIII. LV.

Astra polumq; tua cepisti mente, Rabiri:
Parrhasiam mira qui struis arte domum.
Phidiaco si digna Ioui dare templa parauit,
Has petat à nostra Pisa Tonante manus.

Parabit; Turnebus legit.

Architectum Domitiani Rabirium laudat, qui Domitiano nobile palatium extruxit. ASTRA, POLVMQVE] domum enim æmulam cœlo excitauit. PARRHASIAM] Palatinam. Euander enim Arcas palatium in eo loco, vbi Palatinus mons est, in vrbe primus ædificauit. Parrhasia vrbs Arcadiæ, & ipsa Arcadia Parrhasia dicta, à Parrhasi in vrsam postea conuersa. A poëtis ergo Parrhasia, aula Palatina, palatium ipsum dicitur. PHIDIACO SI TEMPLA IOVI] Pisa, seu Olympia Elidis vrbs templum Ioui Olympico nobilissimum extructum habet, in quo ex ebore Phidias Iouis effinxit simulachrum omni cultum posteritati. Comparat poëta Phidiam, & Rabirium, & alloquitur ciuitatem Pisam. Tu Pisa, quando tibi visum ædificare Ioui Olympico templum, pete à Domitiano nostro Ioue Rabirium architectum, qui multis partibus superat Phidiam.

Lib. 10. ep. 80.

De Cæciliano.

L. LVIII.

Non cœnat sine apro noster, Tite, Cæcilianus:
Bellum conuiuam Cæcilianus habet.

Cæcilianus neminem adhibebat ad cœnam, & semper cœnabat aprum. poëta aprum conuiuam appellat, quòd ad eius condimenta tantùm absumeret Cæcilianus, quantum conuiua homo vix in cœna comederet. Hinc Martialis missum sibi aprum iubet reuerti ad dominum, quòd focus poetæ pauper tantam feram non caperet.

Ad dominum redeas, noster non te capit ignis,
Conturbator aper, vilius esurio.

Sunt qui nomen proprium hic putent Aprum, hominemque infamem dicant, ad quem alludat poeta. Torrentius in notis ad Martialem. quibus haud pugno. Alij allusum putant ad Cæcilium secundum, Plinium inquam, quod in epist. 6. lib. 1. ad Tacitum scribat: *Ridebis, & licet rideas. Ego Plinius ille quem nosti apros tres & quidem pulcherrimos cepi. ipse inquis? ipse.* Quasi vero nemo nisi Plinius venator fuerit aprorum.

Ad Iouem.

LIX. LI.

Tarpeiæ venerande rector aulæ,
Quem saluo duce credimus Tonantem,
Cùm votis sibi quisque te fatiget,
Et poscat dare, quæ Dei potestis:
Nil pro me mihi Iuppiter petenti
Ne succensueris, velut superbo.
Te pro Cæsare debeo rogare.
Pro me debeo Cæsarem rogare.

Fœda adulatio erga Domitianum. TARPEIÆ AVLÆ RECTOR] Iupiter, qui in Capitolio sedem habes, ibiq; coleris. QVEM SALVO DVCE CREDIMVS TONANTEM] Quem Deum credimus, dum saluus noster Deus est, qui te bello Capitolino seruauit, & Capitolium incensum instaurauit. NIL PRO ME] Tu Cæsarem serua, ille me seruabit. ille enim à nemine nisi à te defendi, & seruari potest, ego ab illo. Sic lib. 9. anteponit cœnam Cæsaris Iouis conuiuio. TE PRO CÆSARE DEBEO ROGARE] Ad vota publica, quæ quotannis Cæsaris nomine fiebant à ciuibus respicit, de quibus infrà plenè.

Suet. Domit. Dictum supra fusè.

Ad Cæsarem Domitianum.

LX. LII.

*Abstulerat totam * temerarius institor vrbem,*
Inq́; suo nullum limine limen erat.
Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos;
Et modò quæ fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est præcincta lagenis:
Nec prætor medio cogitur ire luto.
*Stringitur in † densa nec cæca nouacula * turba:*
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina seruant.
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

* *totarius.*
† *V. densus.*
* *V. turbas.*

Vti fieri amat in anniuersariis vrbium nundinis apud nos, cùm dorsuariorum pergulis viæ publicæ vtrinque occupantur, vt vix locus sit transeundi. Ita Romæ perpetuis gerulorum tabernis vici propè omnes vrbis arctabantur, vt quocumque incideres, in baiulorum tentoria, & cadurcum incideres. Quod Domitianus, ne fieret, interdixit, vicosq; laxauit, & vias, tabernis vtrinque remotis, aperuit. Hoc edictum laudat hoc epigrammate poëta. ABSTVLERAT TOTAM VRBEM TEMERARIVS INSTITOR] Adeo vias omnes, & omnes vicos vrbis occuparat mercator, vt in suo limine nullum limen esset, vt nullæ ædium fores apparerent, præstructis vbiq; tabernis, atque pergulis. de hoc modo loquendi superius egimus in versu, *Reddita Roma sibi est, &c.* Institor propriè dicitur is, qui tabernis, vinis vendendis, vel alicui alii negotio est præpositus. l. institor. 1. ff. de Institut. act. vbi dicitur Institor appellatus ex eo, quòd negotio gerendo instet, siue tabernæ, siue alij negotiationi sit præpositus, &c. græcè [illegible]. IVSSISTI TENVES, GERMANICE CRESCERE VICOS] Vrbs diuiditur in regiones, regiones in vicos, vici in ædes. Vicus duplex, vrbanus & paganus; hic de vrbano: & est idem platea, & angiportum. TENVES VICOS] angustos propter tabernas institorum, & mercatorum. CRESCERE] remotis tabernis ampliores, & latiores fieri. ET MODÒ QVÆ FVERAT SEMITA, FACTA VIA EST] semita est via à plaustris auersa.

Hic quasi angustam viam, seu [illegible] [illegible].

Plautus. *A semita in viam regredere.*
Ennius. *Qui sibi semitam non sapiunt, aliis monstrant viam.*

NVLLA CATENATIS PILA EST PRÆCINCTA LAGENIS] Pilæ columnæ, ad quas libri vendebantur. Horat. Sat. 4. lib. 1. ...

Nulla taberna meos habeat, nec pila libellos.

Lambinus, *ad columnas, seu pilas prostabant libri. vt in arte poetica,*

—— mediocribus esse poetis

Non Dij, non homines, non concessêre columnæ.

Nam poetæ scripta sua, quæ edere, & diuulgare volebant, bibliopolis, & librariis, quorum tabernæ & officinæ erant ad columnas, dabant: à quibus emebat deinde vulgus. NVLLA CATENATIS LAGENIS] Nullus copo vendit vinum ad pilas in lagenis. Iuuenalis,

——postquam omnis vbique

Fixa catenatæ soluit compago tabernæ.

NEC PRÆTOR MEDIO COGITVR IRE LVTO] Viis vtrinque ad ædes tabernis occupatis, & cum vtrinque viæ ab ædibus ad canalem pronæ incidant, omnes sordes ad medium concurrunt. STRINGITVR IN DENSA NEC CÆCA NOVACVLA TVRBA] Domitius exponit cæcam nouaculam non visam, & stringitur, nudatur. hoc est, tonsores non tondent in media turba. Ergo domi. quia cellæ tonsoriæ publicæ deiectæ, vti & coponum tabernæ. An nouaculam ad sectores zonarios & fures refert, qui in turba, marsupia exsecabant, vt hodie passim eruditi fures secant? quos βαλλαντιοτόμους vocitant. CÆCA] recondita theca sua, aut cæca, quæ non videatur in turba, cum res breuis sit, & exigua. aut quod fortè etiam insinuare vult, multos clam tum occisos fuisse gladiis tonsoriis. sed hæc coniectura est. OCCVPAT AVT TOTAS NIGRA POPINA VIAS] Nigra fuligine, fumoque tecta, & obsita, vel tenebricosa, vt Cic. in Pisonem, vel arcana, cæca. popinæ tabernæ erant, in quibus omnis generis opsonia vendebantur. Claudius has demolitus est, vt Dio scribit, publiceque edixit, ne quis carnem elixam, aut aquam calidam venderet. id & ante imperium Claudij, præsertim sub Tiberio, factum fuisse credendum est. Nam & Nero interdixit, ne quid in popina cocti præter legumina, & olera veniret. Suet. Ner. cap.16. & idem fecisse Vespasianum Xiphil. tradit. Vide plura apud Læuinum Torrentium, ad cap.39. Suet. in Claud. qui tradit cap.16. ad Ner. antea nullum non opsonij genus in popinis venditum fuisse. lege Vallam ad Raudensem.

TONSOR, COPO, COQVVS, LANIVS SVA LIMINA SERVANT] Colligit, quod sparsim dixerat, tonsor non tondet amplius, copo non vendit vinum ad pilas, coquus, & lanius remouêre popinas in via media extructas. SVA LIMINA SERVANT] suas officinas intra, non extra tecta habent. NVNC ROMA EST, NVPER MAGNA TABERNA FVIT] affine est illud, *Roma domus fiet.* &, *Reddita Roma sibi est. &c.* Nuper Roma videbatur versa in popinam, aut tabernam, nunc vrbs est à te restituta. hinc tua, vt suprà. Tertullianus videtur caussam aliquam insinuare cap.35. Apolog. *Grande videlicet officium, focos & toros in publicum educere vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.* vide totum locum.

De Silio.

LIII. LXII.

Perpetui nunquam moritura volumina Sili
Qui legis, & Latia carmina digna togâ;
Pierios tantum vati placuisse recessus
Credis, & Aoniæ Bacchica serta comæ.
Sacra cothurnati non attigit antè Maronis,
Impleuit magni quam Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum grauis hasta virorum.
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquam bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit:
Emeritos Musis, & Phœbo tradidit annos.
Proq; suo celebrat nunc Helicona foro.

Volumina Silij latuêre multis seculis, eruta in comitiis Germaniæ, ex antiqua turri, Calderinus emendauit, & commentariis illustrauit. Petrarchæ temporibus nondum extiterunt. Gyraldus. PERPETVI NVNQVAM] De hoc habes epigramma lib.4. *Sili Castalidum decus, &c.* lib.8. epigr.66. quod de filio Silij, non de patre accipio, lib.9. de filio extincto. lib.11. *Silius hæc magni.* Vi-

tam eius conſcripſit Hermannus Buſchius, Paſiphilus. Secundus tamen lib.3. epiſtolarum 7. Ingenium, mores, virtutes, vitia, mortem accuratè exponit. Gyraldus hiſtoria poet. ter fuiſſe conſulem affirmat. ex lib.8. ep.66. non intellecto inductus, quod de filio, non patre accipiendum, ego haud ſuadeor. A Nerone conſulem creatum ſcio, & eum vltimum, & vltimo anno Neronis. Faſti Caſſiodori ſemel ponunt Italicum, nec Martialis hoc tacuiſſet, nec Secundus, cum Turpiliano priore. Aſiæ proconſulem fuiſſe notat Secundus. poeta fuit operoſus magis, quàm ingenioſus, melior Orator. vel potiùs accuſator, quo nomine primum malè audiuit. Plinius lib.8. Pelignus patria, non Hiſpanus. Italica enim metropolis eſt Pelignorum. ET LATIA CARMINA DIGNA TOGA] tam egregia, quàm natus in vrbe poeta ſcribere poterat. PIERIOS] tantum fuiſſe poetam credis? etiam Orator fuit, nec ante Maronem attigit, quàm expreſſiſſet Ciceronem. CENTVM GRAVIS HASTA] de centumuirali iudicio copiosè ſuperius ex Budæo diſſertum eſt. CLIENS] defenſus. POSTQVAM BIS SENIS INGENTEM FASCIBVS ANNVM] quo periit Nero, vt Plinius Secundus auctor eſt, conſul fuit Silius. Caſſiodorus Othonem, & Siluanum ponit. Maior, P Silium, & Apium Iunium. ASSERTO QVI SACER ORBE FVIT] quo terrarum orbis in libertatem aſſertus eſt, tyranno Nerone occiſo. EMERITOS MVSIS] ſeceſſit enim, ſeque in Campania tenuit, antequam tamen ſ cederet, ſcripſiſſe carmina reor. PRO FORO] pro cauſſis agendis operatur Apollini. Videtur notare hunc Silium (vti & Lucanum) Petronius. *Sic*, inquit, *forenſibus miniſteriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum faciliorem refugerunt, credentes faciliùs poema extrui poſſe, quàm controuerſiam ſententiolis vibrantibus pictam.*

Nihil hic Merula dicit.

Ergo Conſul duntaxat conſulatum geſſit.

In Cinnamum.

LXIII. LIV.

Qui tonſor fueras tota notiſſimus vrbe,
Et poſt hoc dominæ munere factus eques.
Sicanias vrbes, Ætnæaque regna petiſti,
Cinname, cùm fugeres triſtia iura fori.
Qua nunc arte graues tolerabis inutilis annos?
*Quid * facit infelix, & fugitiua quies?*
Non rhetor, non grammaticus, ludiue magiſter,
Non Cynicus, non tu Stoicus eſſe potes;
Vendere nec vocem Siculis, plauſumq́; theatris.
Quod ſupereſt, iterum, Cinname, tonſor eris.

* *facis.*

QVI TONSOR FVERAS] Ex tonſore beneficio fœminæ factus eques Cinnamus, & à neſcio quo vocatus in Ius, abiit in Siciliam exulatum. Poeta inſcitiam illius irridens ait illum rediturum ad artem aſſuetam, cùm aliam non teneat, iterumque tonſorem fore. NON RHETOR] vt Valerius Licinianus in Sicilia profeſſus eſt Rhetoricam, qui ſenator, orator, & prætor erat. *Prætorius hic*, inquit Secundus, *modò inter eloquentiſſimos cauſſarum actores habebatur, nunc eò decidit, vt exul de ſenatore, rhetor de oratore fieret*. pluraque ibidem de eodem. Iuuenalis.

Si fortuna volet, fies de conſule Rhetor.

Hinc Plinius dixit, quos tibi fortuna ludos facis? facis enim ex profeſſoribus ſenatores, & ex ſenatoribus profeſſores. NON GRAMMATICVS] vt Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Henricus III. choraules factus apud Nemetes. LVDIVE MAGISTER] gladiatorem exponit Domitius. diceret ſaltem laniſtam. ſed intelligo litteratorem, vt à Rhetore ad grammaticum, à grammatico ad litteratorem deſcendat. Et libro 10. epig.62. eodem ſenſu vſurpat,

Nec Philoſophus.

Ludimagiſter parce ſimplici turbæ, &c.

Et lib.12. epig.57. *negant vitam——*
Ludimagiſtri mane, nocte piſtores.

Et libro 9. epigrammat.70.

Quid tibi nobiſcum eſt ludi ſcelerate magiſter?

VENDERE NEC VOCEM SICVLIS] An vt cauſſidicus, an præco, an hiſtrio? de hiſtrione primum ſequitur, PLAVSVMQVE THEATRIS] de præcone non videtur accipiendum. poterat enim eſſe præco, ad cuius officium non requirebatur eruditio. De cauſſidicis hæreo. inclinat animus in hiſtrionem, vt poſteriora verba lucem adferant prioribus, quæ exponunt, quid ſit vendere Siculis vocem. Immò concludo de cauſſidico. Videtur poeta ad Ciceronem reſpicere, qui Siculorum

lorum caussam contra Verrem defendit, nisi (vt quidam) legas pro Siculis, scenis, placet magis Siculis, quod Cinnamus in Sicilia exulauerit. De caussidicis Martialis 5.

Solicitiq; velius vendere verba reis.

Sen. Hercul. Fur. *Hic clamosi rabiosa fori*

Iurgia vendens improbus——

Non absurdè tamen de Citharœdo accipias, vt Iuuen. Sat. 7. Suet. Ner. cap. 21. aliasq; Iuuenalis accipiunt. QVOD SVPEREST, ITERVM, CINNAME, TONSOR ERIS] nullam enim artem aliam tenet. suprà de eodem obscurius. & Iuuenalis, *Patricios omnes, &c.*

In Gargilianum.

LV. LXIV.

Lis te bis decima numerantem frigora bruma
Conterit vna tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, & demens, viginti litigat annis
Quisquam? cui vinci, Gargiliane, licet?

Vinci semel dicit esse vincere potiùs, quàm litem ad vigesimum trahere annum. TRIBVS FORIS] Romani, seu Latini, quod & vetus. Iulij Cæsaris, & Augusti. redi ad lib. 3. epig. 38. CVI LICET VINCI?] cedendo enim vincit, litem autem ad tot annos ducendo amittit, quamuis vincat; plus enim ferè tot annis impendit, quàm postea victor accipit.

De Labieno.

LVI. LXV.

Hæredem Fabius Labienum ex asse reliquit:
Plus meruisse tamen se, Labienus ait.

Argutum, & piperatum epigramma. Labienus hæredipeta Fabij hereditatem captabat, multaque viuo munera mittebat. Fabius bona sua pleraque decoxit, antequam obiret, & exhaustus scripsit hæredem Labienum, qui plura Fabio donarat, quàm ex testamento à Fabio accepit, quamuis illi totum patrimonium suum legarit. PLVS MERVISSE] quia plus dederat, quàm acceperat. Ludit poeta in ambiguo, meruisse enim ad pœnam, & præmium refertur. Labienus de præmio accipit, poeta de pœna intelligit. quasi maiori malo ille hæredipeta fuerit multandus, nec vnus quidem as legandus. EX ASSE] omnium bonorum suorum hæredem scripsit, quæ vix vnius assis erant. legatur Turnebus lib. 24. cap. 28.

Ad Rufum.

LVII. LXVII.

Commendare meas Instanti Rufe, Camenas
Parce precor socero, seria forsan amat.
Quod si lasciuos admittit & ille libellos,
Hæc ego vel Curio, Fabricióque legam.

Rogat poeta Rufum, ne Instantius socero Rufus legat, vel commendet sua epigrammata, esse Catoniani supercilij. INSTANTI] de quo plura infrà libro octauo. Instanti, quinto casus, rectus est Instantius. CVRIO, FABRICIOQVE] frugalissimos, seuerissimos senes, de quibus suprà sæpius. Et noti sunt ex Cicer. Liuio, Valerio Maximo, tota denique Romanâ historia. Si tuus, Instanti, socer, inquit poeta, libellos meos leget, nullum existimabo, quantumuis grauem, reiecturum.

De

De Theophila ad Canium.

LXVIII. LVIII.

Hæc est illa tibi promissa Theophila, Cani,
Cuius Cecropia pectora voce madent.
*Hanc sibi iure petat magni senis * altus in hortus:*
Nec minus esse suam Stoica turba velit,
Viuet opus quodcumque per istas miseris aures:
Tam † nec fœmineum, nec populare sapit.
** Non tua † Parthenis nimium se præferat illi,*
Quamuis Pierio sit bene nota choro.
*Carmina fingentem Sappho * laudauit amatrix.*
Castior hæc, & non doctior illa fuit.

* a. Atticus hortus. † tam. * Non. † Parthenis. al. Pathenis. al. Pantænis. * alij laudarit. laudabit, vel laudasset.

Sponsam Canij poëtæ Theophilam ab exquisita doctrina, & singulari castimonia laudat. PROMISSA] coniux. THEOPHILA] tertia ab vltima, natura breuis auctoritate poëtica tenditur, vt prima in Italia. Græci tamen dicerent Theuphila, vt in 1. Anthol. Θεύδοτος pro Θεόδοτος. Theudosius pro Theodosius. Quamuis iidem 4. epig. Iulianos, & Aurelianos proxima ab vltima correpta. CANI] Huiu. Canij poëtæ Gaditani vitam habes lib. 3. ep. 20.

* lib. 3. e. [illegible]

Dic Musa, quid agat Canius meus Rufus?

CVIVS CECROPIA PECTORA VOCE MADENT] Erudita Græcè. MAGNI SENIS ATTICVS HORTVS] Platonis Academia. Diogen. Laërtius in procœmio, Καὶ Πλάτων, ὁ τὴν ἀρχαίαν ἀκαδημίαν συστησάμενος. Et Plato, qui veterem Academiam erexit. Et lib. 3. in Platonis vita, ἐπανελθὼν δ' εἰς Ἀθήνας διέτριβεν ἐν Ἀκαδημείᾳ. τὸ δ' ἐστὶ γυμνάσιον προάστειον ἀλσῶδες, ἀπό τινος ἥρωος ὀνομασθὲν Ἀκαδήμου καθὰ καὶ Εὔπολις ἐν Ἀστρατεύτοις φησὶν ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ. *Regressus Athenas illi Academia morabatur. Est autem locus in suburbano nemorosus à quodam Heroë Academo appellatus, sicut & Eupolis in Astrateutis memorat in ambulacris Academi vmbrosis Dei, &c.* In eadem Academia sepultus. Vnde quæ ab eo fluxit secta, Academica dicta est. Sunt, qui referant hortum hunc ad Epicurum, quem 80. minis em[e]rat, id est, octingentis Philippæis. SENIS] nonaginta circiter annos nati. ATTICVS HORTVS] ita lego. non altus in hortis. iure hanc discipulam petat Plato. si tamen altus legas, expone de Academo sene, in cuius horto Plato philosophatus. STOICA TVRBA] Eandem cupiant Stoici. NON TVA PARTHENIS] Nec tu Cani Parthenin tuam familiarem anteposueris Theophilæ, quamuis doctam poëtriam. An Sulpitiam intelligit eo tempore florentem, an aliquam aliam nobilem poëtriam hoc nomine nuncupatam? nam de Partheni nihil memini legere. MSS Parthenin. alij Pantænis. VIVET OPVS] quicquid Theophila emendarit, immortale erit, tam est elegantis iudicij, & exquisitæ litteraturæ, vt nihil vulgare, aut protritum scribat. CARMINA FINGENTEM] Theophilam poëtriam meritò laudarit (laudarit inquam, non laudauit) Sappho item poëtria, sed amatrix Phaonis.

* Pisis Erdem... LXXXII. annis.

CASTIOR HÆC, ET NON DOCTIOR ILLA FVIT] Insignis Theophila, quòd ingenio par Sapphoni, virtute, & verecundia etiam superior. Sapphûs parentes, vitam, mores, & amores, ingeniumque, & mortem Gyraldus narrat dialogo 9. de historia poëtarum. Extant hodie fragmenta carminum Sapphûs cum Pindaro, & aliis Lyricis iuncta. Ego, vt quantum de hac iudicium fuerit Græcorum intelligatur, epigramma Græcum proferam.

Οὔνομα μὲν Σαπφώ. τόσον δ' ὑπερέσχον ἀοιδῶν,
Θηλειῶν, ἀνδρῶν ὅσσον ὁ Μαιονίδης.

Sappho mihi nomen, sumq; inter docta puellas,
Inter tu doctos es quod Homere viros.

Sunt plura in decimam hanc Musam non inelegantium poetarum elegantia epigrammata, quæ lib. 3. & 4. aliisque Anthol. libris leges.

De familia ficosa.

LXX. LIX.

Ficosa est vxor, ficosus & ipse maritus,
*Filia ficosa est, & gener, atque * socer.*

* nepos.

Nec

Nec dispensator, nec villicus vlcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
Cùm sint ficosi pariter iuuenesq́, senesq́,
Res mira est: ficos non habet vnus ager.

Tota familia laborabat fœdo morbo, quem ficum appellant medici. De hoc morbo, (si tamen hic vt arbitror) Celsus lib. 6. cap. 3. *Est etiam vlcus, quod à fici similitudine σύκωσις, à Græcis nominatur. Caro excrescit. & id quidem generale est. Sub eo verò duæ species sunt. Alterum vlcus durum & rotundum est, alterum humidum & inæquale. Ex duro exiguum quiddam & glutinosum exit: ex humido plus* (an pus?) *& malè olens. Fit verò vtrumq; in his partibus, quæ pilis conteguntur*, &c. Iocatur poëta in ambiguo verbo fici. vt & suprà diximus, *ficos, Cæciliane, tuos.* Omnes in familia erant ficosi, solus ager non habebat ficus, seu poma. Nepos non socer, legit Gruterus, quod gener atque socer non essent eiusd. familiæ. Sed diceres multo minus fossores & dispensatores eiusd. esse familiæ.

Ad Paullum.

LX. LXXI.

Gratus sic tibi, Paulle, sit December,
Nec vani triplices, breuesq́ mappæ,
Nec turis veniant * *leues selibræ:* * a. breues.
Sed lances ferat, aut scyphos auorum,
Aut grandis reus, aut potens amicus.
Seu quod te potius iuuat, capitq́.
Sic vincas Nouiumq́, Publiumq́
Mandris, & vitreo latrone * *clausos:* * [illegible]
Sic palmam tibi de trigone nudo
Vncta det fauor arbiter corona.
Nec laudat Polybi * *magis sinistras:* * a. [illegible]
Si quisquam mea dixerit malignus:
Atro carmina quæ madent veneno,
Et vocem mihi commodes patronam,
Et quantum poteris, sed vsq́, clames:
Non scripsit meus ista Martialis.

A Paullo asseri sua carmina à malignis cupit. De modo loquendi per voculam. Sic, antè diximus. est enim imprecandi formula ep. 27. Sensus est, per gratissima Saturnalia te precor, quibus opto, vt tibi non pauperum, sed diuitum munera larga mittantur, non inanes inquam pugillares tribus paginis, non mappæ, aut semilibra turis. Sed lances, seu scutulæ, & scyphi antiquo opere facti, aut precor, lusores Nouium, & Publium ludo latrunculorum, & vincas ludo trigonalis pilæ Polybum; per hæc inquam te precor, vt, si quisquam infamia de aliis, & maledica sparserit, patrocinium mei suscipias, & quanta maxima voce clames, noui ego meum Martialem, noui eius innoxia carmina, non sunt hæc, non sunt inquam vlla maledica carmina nostri Martialis, qui nouit parcere personis, dicere de vitiis. Planè eiusdem argumenti est illud suprà epigram. 12. vti & infrà alia. VANI TRIPLICES] triplices pugillares exposuimus suprà epig. 52. ad Vmbrum lib. 14.

Tam triplices nostros non vilia dona putabis,
Cùm se venturam scribet amica tibi.

VANI] leues. SELIBRA] dimidiata libra. LANCES] lege carmen 47. de Annio. GRANDIS REVS] potens, diues cliens, quem defendisti. VINCAS NONIVM, ET PVBLIVM] peritissimos ludi latrunculorum. MANDRIS] regionibus; seu vrbibus expono cum Calagnino lib. de ludo talorum, tesserarum, & calculorum alioqui bis idem diceret, si mandras pro latronibus accipias. alia notione suprà lib. 5. epig. 27. hanc vocem vsurpauit, vbi mandram claustrum, seu septum ouium, boum,

boum, mularum, aut ipsas mulas diximus. Hinc credo sumpta metaphora, vt calculorum, seu latronum sedes (Græci nominant mandras) hic appellarit. quas regiones Pollux & Eustathius vocant & vrbes. VITREO LATRONE CLAVSOS] ille autem calculus, qui inter duos deprensus erat nudus, desertus à suis peribat. VITREO] Cæruleo vel albo vel nigro vel alio, dummodo essent duo diuersi, quod dixi lib. 14. nec aduertit Ramiresius, qui hic vitreas fractas in me iactat, cum vitreo exposui cæruleo. Quid autem est mare vitreum, nisi cæruleum, vnde Lucretius *Carula ponti* dixit. Erant coloribus distincti calculi. Vitreum etiam Ouidius de arte 2. nominat.

Fac, pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Quamuis ibi Calagninus legat victo, non vitreo, hunc tamen Martialis agnoscit. Quales calculos adhibuerit Trimalcio in hoc genere ludi, Petronium audi. *Sequebatur puer, cum tabula terebinthina, & crystallinis tesseris, notauiq; rem omnium delicatissimam: pro calculis enim aut nigris aureos argenteosq; habebat denarios.* LATRONE] calculi latrones ab insidiando dicebantur, & canes. Græcè κύνες, ψῆφοι, πεσσοί. Latinis primùm calculi, seu scrupi, deinde latrones, & canes. Erant in abaco, quem ἀβάκιον Græci vocant, ceu tu laterculum dicas, regiones lineis distinctæ; has vrbes nuncupabant, vnde & in prouerbium abiit πόλεις παίζειν, cùm res paruas magnis nominibus afficimus, & ollas extenuamus. Erant hæ regiones plerumque quinque, lineolis, transuersariisque, & decussationibus alternatim dimensæ, quinque, & viginti numero, singulis latrones quinque insistebant, præter medium, cui tantùm quatuor tribuebantur. Excusabant igitur vtrinque latrones seu canes mauis dicere, coloribus distincti hostili animo insidiantes. Ea fuit ludi ratio, vt si vnus ex hostili agmine incomitatus deprehenderetur, ita vt circumueniri posset, captiuus ex acie traheretur. Ab eo lineatum numero Sophocles πέντε γραμμαί, id est, pessa quinque lineis distincta vocitasse fertur. Ex quibus quæ media fuit, sacra dicebatur, à qua mouere calculum religio fuit, ni magna, & ineuitabilis quædam vrgeret necessitas. Hinc prouerbium oriundum est, κινεῖν τὸν ἀφ' ἱερᾶς, hunc moue à sacra. cùm extra præsidia implorantur. Et plura his Calagninus, quæ ibidem leges. Martialis lib. 14. ep. 17.

Calculus hinc gemino discolor hoste perit.

Et epig. 20. *Insidiosorum si ludis bella latronum,*
Gemmeus (vitreus) iste tibi miles, & hostis erit.

Rex Epirotarum artem militarem calculorum ludo docuit. Non hic ludus idem scaporum, seu Scacchiæ (vt Vida appellat) ludo. In calculorum, seu latrunculorum ludo sunt lineæ tantùm quinque, & sedecim regiones, seu orbes, seu quadra. In scaporum verò nouem lineæ, & regiones 64. de quibus Cicer. 1. de Oratore, vbi rectè scrupis, non scriptis legitur, vt enarrator errat. SIC PALMAM TIBI DE TRIGONE NVDO, VNCTÆ DET FAVOR ARBITER CORONÆ, NEC LAVDET POLYBI * MAGIS SINISTRAS] Vincas ludo trigonalis pilæ, tibique præmium gymnasticæ vnctæ addicant victoriam, nec tibi Polyon felicissimam, & expeditissimam sinistram præferant. de trigonali pila lib. 4. epigr. 16. fusius, & plenius. Quod hic de sinistra dicit, obseruandum in trigonali pila sinistram maximè vsui fuisse, quemadmodum docet lib. 14. epigram. 46.

Si me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua; si nescis, rustice, redde pilam.

NVDO] nudi enim cum ludum exercebant, vt in expressa apud Mercurialem icone videntur, qui lib. 2. c. 5. hunc ludum in hæc verba ex hoc ipso loco Martialis describit, solitos lusores ita triangulari situs figura colludere, vt manibus vtrisque modò sinistra, modò dextra pilam vicissim expellere, & excipere valerent, ne vnquam caderet, in quo summam ludentium laudem fuisse verisimile sit, sicut in lib. 7. vbi Polybum (malim Polybium) quendam laudat, ob agilitatem sinistræ manus in iacienda, excipiendaque pila. lib. 12. Martialis.

Captabis tepidum dextrâ, læuaq; trigonem,

Vbi & hunc huius libri, & 14. versus adduxi. ATRO VENENO QVÆ MADENT] famosa, maledica. VOCEM PATRONAM] quia tu optimus patronorum, propugnatricem innocentis Musæ meæ vocem mihi commoda. NON SCRIPSIT] quæ alius illi falso adscribit.

Ad Maximum.

LXXII. LXI.

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ,
Et tua patricius culmina vicus habet.
*Hinc * viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ;*
Inde nouum, veterem prospicis inde Iouem.
Dic vbi conueniam, dic qua te parte requiram?
Quisquis vbique habitat, Maxime, nusquam habitat.

* v. bimbæ. Lipsius bene, propter Saturnum, ...

In

In Maximum ludit plurifariam habitantem. ESQVILIIS DOMVS EST] Montem Esquilinum, seu montes suprà lib.5. epig.23. in quinta regione collocauimus, & descripsimus. P. Victor ponit in quinta regione, quæ & Esquilina dicitur. Eadem regione Sextus Rufus, & Panuinius. Tibi maxime in Esquiliis domus; DOMVS EST IN COLLE DIANÆ] monte Auentino, in cuius vertice templum Dianæ Seruius Tullius 6. Rom. Rex dicauit. diximus lib.6. epigr.64. ad illum versum:

Laudat Auentinæ vicinum Sura Dianæ. Reg.13.

ET TVA PATRICIVS CVLMINA VICVS HABET] Vicus patricius subiectus Exquiliis, dictus à patriciis, quinta reg. quos Seruius Tullius ibi iussit habitare. Solinus tradit Seruium Tullium in Exquiliis supra cliuum Virbium habitasse, quem vico patricio supereminere probat Sext. Pomp. cùm dicit, vicum patricium appellatum, quòd ibi iubente Seruio Tullio patricij habitauerunt, vt si quid aduersus ipsum molirentur, ex locis superioribus opprimi possent. HINC VIDVÆ CYBELES, ILLINC SACRARIA VESTÆ] Hæc duo coniungit etiam lib.1. epig.71. templum Cybeles erat iuxta templum Liberi, Vestæ iuxta Castoris.

Quæris iter? dicam: vicinum Castora canæ
Transibis Vestæ, Virgineamq; domum.

Et de Cybele. *Flecte vias hac, qua madidi sunt tecta Lyæi,*
Et Cybeles picto stat Corybante tholus.

Templum Castorum erat regione 8. Vestæ item. P. Victor. *Templum Castorum ad lacum Iuturnum.* Et ibidem. *Templum Vestæ cum atrio*, procul ambiguo, conditum à Numa, cuius regia ibidem. Ex Esquiliis ergo, & vico patricio ædem Vestæ spectabat Maximus, & Capitolium nouum. Ex Auentino autem Capitolium vetus, & templum, quod reg.6. Bacchi, secunda regione Isidis, seu Cybeles templa fuêre, & prima & tertia regione. CYBELES] Deûm matris templum intelligo. Cybelem lib.3. epig.64. etiam matrem appellat poëta. INDE NOVVM] Ex Exquiliis. VETEREM INDE] Et Auentino. Nouum accipio de Capitolio, non vetus sexta regione situm. quod quis ædificarit, Lipsius in admirandis lib.3. cap.5. demonstrat, vbi plura de eodem, qui non immeritò suspicatur hæc ad Capitolium nobile, & quod vetus vocat ratione palatij Domitiani pertinere, sic enim lib.9. ep.88.

Aspice Tarpeium, Pallatinumq; tonantem.

QVISQVIS VBIQVE] Ita S. Augustinus de Deo qui vbique, & nusquam. Et Seneca: *Nusquam est qui vbiq; est.* Nam hic, ibi, alibi esse, est alicubi esse, alicubi non esse, quod in Deum non conuenit, cùm sit vbique. nusquam autem est, quia non speciatim hic, vel ibi, vt simul non sit alibi. Ita poterat interrogare de se ipso Maximus, vt ille apud Petronium. Sic qui omnia simul facit, nihil facit.

Ad Philomusum.

LXII. LXXV.

Quòd te diripiunt potentiores,
Per conuiuia, porticus, theatra,
Et tecum, quoties ita incidisti,
Gestari iuuat, & iuuat lauari:
Noli to nimium tibi placere.
Delectas, Philomuse, non amaris.

Philomusum scurram ostendit, qui non viri, sed morionis locum occupet apud proceres Romanos. DIRIPIVNT] simul diuersi inuitant, vt alius huc, alius illuc trahat. recusantes enim à bene volentibus trahuntur. Germanis inde natum est adagium in eos, à quibus se certò & seriò inuitatum iri sperabant, nec tamen sunt nisi dicis caussa vocati. Man hat mir den Rock nit fast zerrissen. Est & hæc sententia. QVOD TE DIRIPIVNT] quòd ambiant tuam præsentiam, quòd tecum esse ditiores cupiant in conuiuiis, in deambulationibus, porticibus, gestationibus, & quoties denique in aliquem incidisti, non est, quod tibi blandiaris. Seneca eodem vsus verbo cap.7. de breuit. vitæ. *Diripitur ille toto foro patronus, & magno concursu vltra, quàm audiri potest, complet omnia. Quando, inquis, res proferuntur?* DELECTAS] risum moues illis dictis tuis sannionum ritu, non coleris ab illis, nec amaris, sed vt morio contemneris. Vereor, ne idem in aula Martiali subinde acciderit. Sidonius. de quodam tali. *Ita viuebat paucis voluptati, nullis amori, omnibus risui, vesicarum ruptor, fractorq; ferularum.*

Vide Aristot. cap.3. lib.8. ad Nicomachum.

In Tuccam.

LXXVI. LXIII.

Exigis, vt nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam: nam vis vendere, non legere.

Illiberalem, & sordidum animum Tuccæ declarat, sed nihil opus est solem ostendere.

Auaris & ingratis nihil donandum, qui aliena beneficia vendunt, nemini, nec sibi quidem, benefaciunt.

In * Papilum.

* q. Pamphilum.

LXXVII. LXIV.

Cùm Saxetani ponatur cauda lacerti,
*Et benè si cœnas, conchis inuncta tibi * est:*
Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos
*Mittis, habes nec cor, * Papile, nec genium.*

* tollendum quibusdam est, videtur enim redundare.
* v. Pamphile.

Lib. 4. epig. 69. epigramma est in Pamphilum, quem veneni suspectum facit. Papilus, seu vt alij legunt, idem Pamphilus eadem ex caussa malè audiebat, eoque nec munera eius erant grata, nec compensabantur Papilo, quo fiebat, vt Papilus per imprudentiam & munera amitteret, & genium, quo se ipsum fraudabat. Non reor tamen hic aliquid de veneno cogitandum, sed stultum docet Papilum, qui velit videri lautus foris, & domi egeat, bona sua aliis largiatur, vt ipse careat. SAXETANI LACERTI] genus piscis. Plinius. *Colias, siue Parianus. siue Saxetanus à patria Bætica, lacertorum minima.* A patria, inquit, Bœtica, vbi Saxetum locus appellatur. Lacertorum meminit Athen. lib. 7. Oppianus lib. 1. Hal. Dioscorides, alij. CONCHIS] faba viridis. Iuuenal. *cuius conchem tumet.* sæpius dictum & lib. 13. & superioribus. INVNCTA] oleo non perfusa? immò probatur, imbuta oleo. sic vsurpat Horatius 3. Sat. lib. 1. serm.

Cùm tua peruideas oculis malè lippus inunctis.

Inunctæ autem, seu non vnctæ fabæ fatuæ sunt. SVMEN] papillæ porcæ à fœtu edito statim resectæ. lib. 13. MVLLOS] pisces lib. 13. plura. HABES NEC COR] stultus es. multorum sententia animus sedem in corde principem habet. cordatus prudens. Tu Papile corde cares, cùm tu deteriora comedis, & meliora aliis mittis, à quibus nihil recipis. Videtur captatorem notare Papilum. NEC GENIVM] genium hic pro lautiore vitæ indulgentia, quæ in cibis delicatioribus consistit, accipe, vnde indulgere genio, genialiter viuere, placare genium. genium non habebat Papilus, quia mittebat illum aliis, quoniam sumen, aprum, ostrea, &c. misit, & seipsum genio fraudauit. Iuuenal. Sat. 14. de auaro.

Hesternum solitus medio seruare minutal
Septembri, nec non differre in tempora cœnæ
Alterius, conchem æstiuam cum parte lacerti.

Est ad eundem infrà hoc lib. carmen, *Vnguentum fuerat*, &c. Genium, pro gratia possit etiam accipere. quod dona Papili non conciliarent Papilo amicos, & ingrata essent. Nam dona nisi cum gratia dentur, ingrata sunt, vt Seneca libris de Ben. copiosè docet.

Ad Seuerum.

LXXVIII. LXV.

Potaui modò consulare vinum:
Quæris, quàm vetus, atq; liberale?
Ipso consule conditum: sed ipse
Qui ponebat, erat, Seuere, consul.

Iocatur in verbo consulare vinum: Consulare enim vinum est vetus vinum Opimianum, vt alibi vocat, ducentorum ferè annorum, vel certè, quod ante monarchiam est conditum. Poëta inuitatus à consule ad cœnam, bibit hornum, aut omnino mustum, quod consulare vocat, nempe à consule propinatum. IPSO CONSVLE] Videtur Opimium notare, cùm suum conuiuatorem intelligat, vt postea sequitur, *Ipse, qui ponebat, erat consul.* LIBERALE] à Libero Baccho vel à liberali spacio temporis & longinquo, vel à copia.

Ad

Ad Faustinum.

LXXIX.

Quatenus Odrysios iam pax Romana Triones
Temperat & tetrica conticuere tuba.
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
Mittere, iam chartis, iam vacat ille iocis.
Sed si parua tui munuscula quaris amici
Commendare, ferat carmina nostra puer.
Non qualis Getica satiatus lacte iuuenca
Sarmaticâ gelido ludit in amne rotâ;
Sed Mitylenai roseus mangonis ephebus,
Vel non cæsus adhuc matre iubente Lacon.
At tibi captiuo famulus mittetur ab Istro,
Qui Tiburtinas pascere possit oues.

Ad hunc Marcellinum scripsit lib.3. epig.6. lib.6. ep.25. vbi illum ad Sarmaticum bellum profectum narrat. lib.9. ep.46. Rogat hic Faustinum, vt Marcellino per puerum mittat librum.

QVATENVS] postquam. Græcè ἐπειδὴ Gloss. ODRYSIOS] Hyperboreos Geticos suprà dixerat. De hoc epig.7. huius lib. *Victor ab Odrysio*, &c. Odrysæ apud Xenophontem in Anabasi Cyri populus supra Thraciam, cis Istrum. TRIONES] vrsam, polum, ἄμαξαν, septentrionem. lege epig. lib.6.58. ad Aulum. PAX ROMANA] empta credo à Domitiano, vt lib.5. ep.3. ex Theodosij fragmento ostendimus. PVER] adde tu munusculo meo munus puerum, aut saltem puer elegans ferat Marcellino. SATIATVS LACTE IVVENCÆ] Non puer barbarus, quales sunt Getarum lacte pastorum. vti fusè lib. spect. ep.3. docuimus. Græcis γαλακτοφάγοι appellati. Virgil.

Sarmatas & Dacos Getarum & vicinos populos hoc nomine complectitur.

Et lac concretum cum sanguine potat equino.

ROTA] trocho. adi lib.14. epig.168. currum etiam possis Sarmaticum interpretari. GELIDO] concreto frigore. MITYLENÆI MANGONIS] Mangones hominum genus improbissimum, qui pueros exsecabant, & frangebant in Venerem. fusè de his Heraldus ad ep. lib.6. *Lusus erat pueris*, &c. Vetuit hoc edicto Domitianus, nec quicquam in imperio vtilius & sanctius decreuit.

MITYLENÆI] Mitylene Lesbi insulæ oppidum in Græcia. Nam Græci artifices omnium nequitiarum. Athenæum lib.13. adi, Æmilium Probum in proœmio. CÆSVS LACON] Διαμαστίγωσιν Lacedæmoniorum intelligit de qua Cicero 2. & 5. Tuscul. Seneca de diuina prouidentia. Plutarchus in Lycurgo. Tertullianus, qui planè hunc locum *matre iubente* exponit. Pausanias vberrimè, Lucianus in Anacharside & *Ad Martyres cap. 4.* [illegible] disertè de parentibus astantibus, comminantibus, & rogantibus, vt in verberum patientia perseuerent. Legendus Nicolaus Cragius de Repub. Lacedæm. TIBVRTINAS OVES] Nam Tibure seu via Tiburtina Faustinus prædia possidebat. lib.4. ep.57.

Ad Lausum.

LXVI. LXXX.

Triginta toto mala sunt epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, bonus liber est.

Lib.1. epig.17. *Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,*
Quæ legis. hic aliter non fit, Auite, liber.

Refero ad artificium, acumen, ingenium, argutiam, elegantiam, doctrinam, non ad argumentum bonum, vel malum, hoc est, mores.

De Eutrapelo.

LXXXII. LXVII.

Eutrapelus tonſor dum circuit ora Luperci,
** Expungitq́ genas: altera barba ſubit.*

* v. Expingit.

Eutrapelus nomen tonſoris tardi. dum tu barbam, & genas ſcitè radis, & pingnis, ſeu vt alij legunt, expungis, id eſt, euellis, depilas, interim altera barba ſuccreſcit.

Ad Librum.

LXXXIII. LXVIII.

Dum mea Cæcilio formatur imago Secundo,
*Spirat & * arguta picta tabella † manu:*
*I liber ad Geticam Peucen, Iſtrumq́ * tacentem,*
Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.
Parua dabis caro, ſed dulcia dona ſodali:
Certior in noſtro carmine vultus erit.
Caſibus hic nullis, nullis delebilis annis
Viuet, Apelleum cùm morietur opus.

* v. argutâ. † v. manum. * v. iacentem.

Plinium imaginem poetæ ſibi curaſſe fieri, vt Stertinium ſtatuam. Mos hoc ſerbat, vt abſentes amicos ſibi imaginibus curarent fieri ad memoriā reuocandā. Seneca ep. 40. Oui. 1 Triſt. El. 6 Marſius part. 2. Crit. Kuper. ob. c. 7.

Carmina mittit Cæcilio Secundo, non ſeruo, ſed Plinio Iun. vt coniicio. Peucæ inſulæ ad Danubij oſtium ſitæ, de qua Amianus lib. 1. & Strabo, vt alibi diximus, Cæcilium Secundum, hoc eſt, Plinium Iuniorem cum proconſulari poteſtate præfuiſſe reor. Cùm obtinuerit Bithyniam, & Pontum prouincias, vt ex vita Secundi, & antiquâ lapidis inſcriptione cum vita iuncta Mediolani in æde D. Ambroſij in arca lapidea ex tabulis contractis doceri potes. Ad Pontum autem eſt Peuce, cùm Danubius in Pontum exoneretur. Inſpice collectas Smetio inſcriptiones. p. 159. 6. nec refert hoc libro Domitianum celebrari, & Plinium mortuo tyranno Bithyniæ, & Ponto præfuiſſe; poëta non ſemper ordinem temporum eſt ſecutus. Aut dicemus Secundum diuerſis temporibus Peucæ & Bithyniæ præfectum fuiſſe. DVM MEA IMAGO] petitam imaginem poetæ à Plinio Iun. aut pingi curatam ſuſpicor. Poeta dicit ſe certiorem animi, & ingenij formam carminibus expreſſam, quæ nulla vetuſtate aut caſu ſit interitura, mittere. CÆCILIO SECVNDO] miror, quem hic ſeruum ſomniet Domitius. SPIRAT] ad viuum expreſſa. I LIBER AD GETICAM PEVCEN] hanc Pomponius Mela lib. 2. deſcribit, & nos ſuprà lib. hoc epigr. 7. ad illum verſum.

Hiberna quamuis Arctos, & rudis Peuce.

Scythæ enim ad oſtium fluminis habent, vt Amianus narrat. Getæ Dioni ſunt Daci. GETICAM] Scythicam. ISTRVMQVE IACENTEM] Peuce primo Iſtri oſtio, Plinio teſte, nomen dedit. iacentem appellat, propter amplitudinem fluminis, quòd inſtar ampliſſimi, latiſſimique campi, aut æquoris placidas voluat aquas, qua de cauſſa legunt aliqui tacentem, quod ſine ſono ſtrepituque aquarum agmina placidè labantur, aut, quod Domitius rectè ſentit, frigore concretum dicit, eoque tacentem. quod ſuprà epig. 7. expoſuit.

Et vngularum pulſibus calcatus Iſter.

HÆC LOCA PERDOMITIS GENTIBVS ILLE TENET] Hoc quidem, ſi ad Plinium Secundum referamus, non niſi Traiano imperante factum debuit, quo tempore Bithyniam, & Pontum Secundus adminiſtrauit, quod ipſum Secundi epiſtolæ loquuntur. aut poëta rationem temporum neglexit, aut diuerſis temporibus rexit Peucen & Bithyniam. PERDOMITIS GENTIBVS] prius ibi Domitianus bellum coactus cœpit, Traianus patrauit. PARVA DONA] epigrammata, quæ ſempiternam ingenij imaginem impreſſam retinebunt. VIVET, APELLEVM] cum tabula picta oris mei temporis longinquitati cedet, viuet carmen, quod eſt æternum. Horatius carmine octauo lib. 4.

Donarem pateras, &c.

Et 9. ad Lollium: *Ne forte credas interitura.—*
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi ſed illachrymabiles
Vrgentur, ignoti longa Nocte: carent quia vate ſacro.

Ad

Ad Sabellum.

LXIX. LXXXIV.

Quòd non insulsè scribis tetrasticha quædam,
Disticha quòd bellè pauca, Sabelle, facis:
Laudo, nec admiror. facilè est epigrammata bellè
Scribere: sed librum scribere difficile est.

Facile ait esse vnum, alterumúe epigramma commodum condere: sed librum totum, hoc difficilè, nec cuiuis; desideratur enim in tanto numero epigrammatum magna rerum varietas, & tot argumenta, quot sunt epigrammata, nec quælibet apta res epigrammati. prolegomena nostra vide. Abiicit ergo Sabellum quod id non possit, seque illi præfert.

In Sextum.

LXX. LXXXV.

Ad natalitias dapes vocabar,
Essem cùm tibi, Sexte, non amicus.
Quid factum est, rogo, quid repentè factum,
Post tot pignora nostra, post tot annos,
Quòd sum præteritus vetus sodalis?
Sed caussam scio: nulla venit à me
*Argenti tibi libra * postulati.* [* v. pustulati.]
Nec leuis toga, nec rudes lacernæ:
Non est sportula, quæ negotiatur.
Poscis munera, Sexte, non amicos.
*Jam dices mihi, * vapulet vocator.* [* v. vapulet, vocator.]

Sextum ait munera venari suis cœnis. Eamque ob caussam se præteritum quod nihil donasset Sexto in ipsius natali. putatur idem illi lib. 5. ep. 5. à secretis Domitiano. AD NATALITIAS] vbique ferè gentium dies cuique natalis cum festa celebritate, solennique conuiuio agitatur, solis Thracibus exceptis, qui diem natalem lacrymis prosequebantur, vt est in Archiæ epigrammate, Θρήικας αἰνεῖτε, &c. De festis natalium gaudiis legatur Censorinus. Et Alexa. Neapol. lib. 3. cap. 22. Et sacra historia de D. Io. Bapt. & Herode. & hic Ecclesiæ mos est, & consuetudo. De cœnis natalitiis Plautus in Persa.

——hoc age accumbe,
Nunc diem suauem meum natalem inter nos
Agitemus amœnum.
Date illi aquam manibus, apponite mensam.

Cic. 2. Philipp. *hodie non descendit Antonius, cur? dat natalitia in hortis.* Iuuenalis Sat. 11.

Moris erat quondam festis seruare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente noua si quam dabat hostia carne.

Legatur Wilhelmus Stuckius. Ciacconius, alij. NON AMICVS] adhuc non familiaris, sum vocatus; notus, & amicus iam non vocor. PIGNORA] amicitiæ, consuetudines, alloquia. PRÆTERITVS] alludit morem censorum, à quibus præteriti dicebantur, qui in recitatione senatus non nominabantur. Liuius 27. 38. Heraldus alij. ARGENTI TIBI LIBRA * PVSTVLATI] libra argenti constat quadringentis L LS. vt antè monuimus, id est, 10. Philippæis. PVSTVLATI] asperi, optimi. dicitur pustulatum, & pusulatum, velut pustula, & pusula eodem significatu, imo & postulatum, non à verbo postulo, sed u in o subinde migrante, quod Turnebo, Torrentioque video placere, qui ita scriptum reperiunt apud Plinium, & Suetonium in antiquæ fidei exemplaribus. pusulatum ergo purum est, & pusula, ac igne excoctum, quodque pustulas, & tumores habet. pusula etiam ignis sacer est Columellæ, qui pustulas passim, quà depascitur, attollit. nomenque ex eo habet pusula, quia pus continet. Torrentius ad 44. Suet. in Nerone illa verba. *Exegitq; ingenti fastidio,* [* postulati. * postulanti.]

 & acer-

& acerbitate nummum asperum, argentum postulatum, aurum ad obryzum. *Duo*, inquit, *exigebat Nero, nummi integritatem, & materiæ præstantiam. Integritatem, vt ait Seneca, attactu ipso percipimus, si asper sit, quod ex Virgilio, Persio, Iuuenale testatum facit. Materiæ verò præstantia colligitur, argenti, si pustulatum sit, auri, si obryzum (nam & pustulas, & pusulas quoque dicimus) quod multiplici excoctione tubercula collegerit, qualia nimirum vi ignis suscitantur. Vnde pusula ignis sacer est, & pusulosa oua Columellæ. Nec repugno, si quis postulatum scribere malit. (magna enim cognatio est litterarum o & u) verum, ne à postulando, quod imperiti faciunt, deriuetur.* Legatur & Casaubonus, & alibi Martialis, Felix pustula, &c. RVDES LACERNÆ] nouæ, initiebantur [illegible], vt hodie [illegible]. NON SPORTVLA, QVÆ NEGOTIATVR] sportula est munus patroni, quo donat clientem gratis. Ita accipiebam ego, me à te vocatum ad rectam velut sportulam, teque nihil pro illa expectare. Sed vt video, vendis tuam sportulam, seu rectam, velut negotiator muneribus; nec inuitas, nisi qui compensent. Non est ergo beneficium, sed auctio. Seneca lib. 4. c. 14. *Non est beneficium, quod in quæstum mittitur. hoc dabo, hoc recipiam auctio est.* Et lib. 6. c. 12. *Multum (vt ait Cleanthes) à beneficio distat negociatio.* IAM DICES MIHI, VAPVLET VOCATOR] Iam excusabis te per vocatorem seruum, cuius officium est inuitare [illegible], quasi me per obliuionem præterierit imprudens. Porrò verbum voco antiquis sine adiectione valebat idem, quod inuito ad prandium, ad cœnam. Catullus.

	Qui tunc vocat me cùm malum legit librum.
Et ad Porcium.	*——mei sodales*
	Quærunt in triuiis vocationes.
Plautus Sticho:	*Negare nulli soleo, si quis me vocat.*
Asin.	*Vocat conuiuam neminem, tu illam voces.*

Et aliis locis. VAPVLET] det pœnas, quod te neglexerit, aut vapulet vocator seruus, qui te vel semel vocauit, quando nihil rumorum remittis. Sed placet, vt de excusatione accipias; cum hoc enim sensu facit etiam altera lectio; *Vah pudet, vocetur.* lectionem tamen priorem retineo.

De vocatoribus his videntur ad lib. 4. Halieut. Oppiani versu 252. Ritterhusius. Obserua, vocatoribus nonnunquam pecuniam esse numeratam à cœnipetis, vt conuiuiis interponerentur. apud Suetonium Calig. cap 39. quidam ducenta sestertia numerauit. Addit Casaubonus alterum testimonium ex Ammiano lib. 13. *Nomenclatores assueti has & talia venditare, mercede accepta, varii quosdam & prandiis inferunt subdititios, ignobiles & obscuros.* Græcis vocator est κλήτωρ, vocati κλητοὶ, inuocati ἄκλητοι.

De Sc.

LXXXVI. LXXI.

> *Si meus aurita gaudet * Lagopode, Flaccus,*
> *Si fruitur tristi Canius Æthiope:*
> *Publius exiguæ si flagrat amore catellæ,*
> *Si Cronius similem cercopithecon amat:*
> *Delectat Marium si perniciosus Ichneumon*
> *Pica salutatrix si tibi, Lause, placet:*
> *Si gelidum collo nectit * Flaccilla draconem:*
> *Luscinia tumulum si Thelesina dedit:*
> *Blanda Cupidinei cur non amet ora * Labycæ,*
> *Qui videt hæc dominis monstra placere * suis?*

* Lagopite.. Glaucopide potius cum Scaligero lege.

* Glaucilla. Q. Galathea. Flaccilla. Claudilla quasi à Claudia.

* Labyrta.

* sua?

Alia aliis in deliciis esse, se delectari Labyca puero formosissimo, quod cum poetæ vitio datum esset, à contrariis excusat pulchritudinem per se amabilem, perinde quasi diceret. Si Flacco Canio, Publio, &c. licet monstra, Æthiopes, aues, dracones amare, quare non amem hominem, & hominem formosum, &c. Quamquam alij aliter sentiant. Labycam monstruosum fuisse. Quod Romani prius quidem formosi mancipia amantes, postea luxum in distorta & prodigiosa corpora verterint, vt Quintilianus, Clemens Alexandrinus, Casaubonus lib. 2. Animaduers. ad Suet. p. 166. docent.

AVRITA LAGOPODE] nomen auis hoc loco, de qua Plinius lib. 10. cap. 48. docet hanc nunquam mansuescere, nec extra terram suam nasci, occisam statim marcescere. Auctor auium lib. 3. ait Germanis vocari Steinhun / magnitudine columbæ, nasci in montibus, & specubus, pedibus villosis, & leporinis carere omnino auribus, mirarique se à poëta nostro vocari auritam. Aut ergo Martialis aliam intellexit auem, aut auritam à sensu aurium, non à forma, aut magnitudine, dixit.

Sicut

Sicut Plautus auritum populum dixit, attentum. Restat alter scrupulus, cur primam naturâ breuem duxerit. Horat. Sat. 2. lib. 2.

Nec sum aut poterit peregrina iuuare lagopis.

Lagopus à Græco λαγὼς, & ποῦς, quòd pedes leporinos habere videatur. Iure poëtico, quo natura breues tendunt, tractam aiunt. Sed Lagopice legunt nonnulli, puellæ nomen. Verùm ego cum Scaligero glaucopide haud dubiè scribo, & expono vlulam, seu bubonem, noctuamue. quod his verbis docet Scaliger ad Propertium. *Primum, lagopodem non esse auritam. Est lagopus, quam perdicem albam inalpinis vocant. Deinde prima syllaba corripitur. Postremò non illa pulcherrima est. ideoq; non videtur inter monstra, & portenta naturæ annumeranda: quum tamen hoc agit Martialis, vt ostendat monstra placuisse illis viris, quos ordine recenset. at contra glaucopis, seu bubo, & auritus & sanè non inter venusta illa animalia numeranda.*

SI FRUITUR TRISTI CANIUS ÆTHIOPE] De Canio poëta Gaditano supra lib. 3. epig. 20. diximus. TRISTI ÆTHIOPE] seruo delectatur Æthiope. TRISTI] cur? quia ater, deformis, & ingratus. An quia Æthiops pro infausto omine erat, si alicui matutinus occurrisset, vti & simia, Eunuchus, claudus. Iuuen. Sat. 6. Appianus 4. Ciuil. Lucianus in Eunucho. Claudianus l. in Eutropium Eunuchum. Heraldus large de his, quem videbis. PUBLIUS EXIGUÆ] lib. 1. epig. 110. legisti de catella Issa Publij elegans epigramma. SI * CRONIUS SIMILEM CERCOPITHECON AMAT] Cercopithecus nigro capite, pilo asinino, caudatus, cætera simio similis. Martialis lib. 14. epig. 202.

Ett. & 2.

* Cronen.

Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

SIMILEM] Æthiopi, qui superiore carmine positus. caput enim nigrum, vt Æthiopi, Cercopitheco est. dicitur à κέρκος, cauda, & πίθηκος, simia. DELECTAT MARIUM SI PERNICIOSUS ICHNEUMON] Marium vel Priscum, vel Celsum intelligit eo tempore claros. ICHNEUMON] mus Indicus hodie, perniciosum vocat; acria enim bella cum acerrimis hostibus aspide, & crocodilo gerit. felis est magnitudine, forma muris, Plinius lib. 8. c. 24. *Notum, inquit, est animal hac gloria maximè in eadem natum Ægypto. Mergit se limo sæpius, siccatq; sole. Mox vbi pluribus eodem modo se loricauit, in dimicationem pergit, in ea caudam attollens ictus irritos auersus excipit, donec obliquo capite speculatum inuadat in fauces, pugnat cum crocodilo, & aspide.* Plin. lib. 8. cap. 25. Oppianus lib. 3. Cyneg. Ælianus lib. 8. v. cap. 25. & alij. Cicer. 1. de natura Deorum. *Crocodil. do. mientis nlatum intrat, viscera corrodit, & depascitur, &c.* PICA SALUTATRIX SI TIBI, LAUSE, PLACET] De hac lib. 14. epig. 76.

Pica loquax certa dominum te voce saluto,
Si me non videas, esse negabis auem.

Plura de docilitate picarum, coruorum, psittacorum lib. 14. SI GELIDUM COLLO NECTIT FLACCILLA DRACONEM] alij Glaucilla & Gracilla. Claudilla à Claudi pudentis vxore aliqui legunt, coniectura verisimile nulla: seruo Flaccilla. Senecam do, lib. 2. de ira cap. 31. qui hæc de dracone, & ingenio ferarum. *Aspice elephantorum iugo colla submissa, taurorum pueris pariter ac fœminis persultantibus, terga impunè calcata, & repentes inter pocula sinusq; innoxio lapsu dracones, & intra domum vrsorum leonumq; ora placida tractantibus, adulantiq; dominum feras, pudebit cum animalibus permutasse mores.* Miriora Lucianus de dracone Alexandri Pseudomantis. Et pluria Casaubonus, Curis Secundis ad Suetonium. vt olim, ita hodie æstiuis mensibus serpentes in delitiis habent mulierculæ Romanæ. draco caret veneno, vt Plinius lib. 29. docet. Torrentius ad illum Suetonij locum in Tiberium. *Erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine manu sua cùm consumptum à formicis inuenisset, monitum est, vt vim multitudinis caueret.* Et legi de draconibus mulierum alicubi videntur à Psyllis didicisse artem tractandi Serpentes, qui quidem sine veneno erant. miracula draconum multa in Vatis narrat Ælianus pueros, aut puellas amantium. Olympias Alexandri mater serpentes contrectans thiasos celebrabat. Plutarchus. *Bacchæ serpentibus se coronabant, quod à Baccho ortum.* Muretum lege ad Catullum. Aiunt colubris obiecto linteolo dentes eripi, deinde innoxios tractari.

Credo lame-nal.

LUSCINIÆ TUMULUM SI THELESINA DEDIT] Lusciniæ, quæ Thelesinæ ob docilitatem charissima. Plinius lib. 10. cap. 42. tradit Lusciniam fuisse Cæsaribus (Druso, credo, & Germanico) iuuenibus, quæ Græcè, & Latinè verba conaretur. Ibidem de coruis, turdis, & aliis. Et P. in procemio. TUMULUM] sicut Crassus murenæ, alij equis, canibus, &c. CUPIDINEI LABYCÆ] Cur mihi non liceat amare puerum Labycam Cupidini formâ parem, eoque Cupidineum; nomen est fictum. DOMINIS] referunt aliqui hoc totum epigramma ad seruum aliquem, totum Dominorum. Sed nihil dicunt. Martialis de se vt docet inscriptio, (quæ non est ad Lausum, quem quinto casu propter versum appellauit) loquitur. Familiares autem & proceres Romanos vocat more tum recepto dominos & reges, vt ex multis supra epigram. didicisti.

Labycha Torrent.
Labyrta Gontim.

De suis libris.

LXXXVII. LXXII.

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, iuuenisq́, puerq́,
Et coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim, quàm si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt;
Quàm meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat & Hybla, meas pascat Hymettos apes.
Non nihil *ergo* sumus, *nec blanda* * *murmure linguæ*
Decipimur; credam iam, puto, Lause, tibi.

* murmure.

Vbi tum M. Antonius Primus poeta amicus erat.

In Gallia quoque se iam legi gloriatur. vt Plinius Sec. lib. ep. 11. lib. 9. VIENNA] Allobrogum vrbs. Stephano Βίεννος, priscis senatoria dicta. metropolis Delphinatus, extra Celtas, Belgas, & Aquitanos, quam fluuius Rhodanus præterfluit, ad cuius ripas citeriores sita proxima Aruernorum finibus, &c. Cæsar lib. 7. bello Gallico. Altera Vienna Austriæ caput, obsidione Solemanni nobilis. EX IPSO ORE] quod tamen, vt suprà docuimus, latet. remotissimos hic Æthiopas dicit. Tagus in Hispania fluuius auro nobilis & omnibus fere poëtis in ore. Hybla, Hymettus montes apibus, & melle redundantes, prior Siciliæ, Atticæ posterior. CREDAM IAM PVTO, LAVSE, TIBI] εἰρωνικῶς. supra dixerat Lausus se triginta reperisse epigrammata mala. Hic poëta insultat Lauso. credam iam puto, Lause, tibi, scilicet. carpas, quantum potes, nihil efficis, non credo mala esse, quæ probant omnes. Aut credam non plura esse mala, quàm triginta, cùm facilè plura concessissem.

Ad rosam.

LXXXVIII. LXXIII.

I felix rosa, mollibusq́ sertis
Nostri cinge comas Apollinaris,
Quas tu nectere candidas, sed olim,
Sic te semper amet Venus, memento.

Apollinari amicissimo suo, carminumque suorum emendatori mittit sertum rosaceum, optatque, vt comas eo cingat ad multam senectam. QVAS TV NECTERE CANDIDAS, SED OLIM, MEMENTO] sensus. quas tu comas rosa cinge candidas, sed nondum, olim tamen futuras; hoc est canas, quasi dicat; quas opto, vt possis in multos annos gestare, donec canescas. opto, vt multis annis viuas, quibus vtaris rosa.

Ad Creticum.

LXXXIX. LXXIV.

Iactat inæqualem Matho me fecisse libellum:
Si verum est, laudat carmina nostra Matho.
Æquales scripsit libros Caluinus, & Vmber.
Æqualis liber est, Cretice, qui malus est.

Matho caussidicus apud Iuuenalem; poëta sæpius hoc nomine vtitur pro incerto puto. se excusat, Mathonem accusat ex ambiguo sensu inæqualis libri. Inæqualis liber bonus est, & malus: bonus, si inæqualis ob rerum varietatem, & carminis, quæ delectat, malus, si quædam bona, quædam mala, quædam arguta, quædam leuicula, aut plumbea, ita vt scriptor non sit sibi similis.

Malus

Malus etiam cum stylus sibi non constat, & quotidie mutatur, ita vt quædam eleganter, quædam sordidè & abiectè scribantur, quales sunt discipulorum lucubrationes, qui elegantias ex auctoribus quasdam suis epistolis inserunt, & mox ad suam barbariem, cum nihil alieni reperiunt, relabuntur. atque hoc sensu Matho inæqualem dixit Martialem. Contrà priore intellectu noster poëta hinc subiungit. LAVDAT NOSTRA CARMINA] inæqualis enim liber bonus est ob rerum varietatem. ÆQVALES SCRIBIT LIBROS] Æqualis liber aut totus bonus, aut totus malus est. Et quia nullus totus bonus est, cùm bonus etiam nonnunquam dormitet Homerus, sequitur æqualem librum totum esse malum. quales scripsit Caluinus, & Vmber; duos malos poëtas nominat, qui non extant, vt Fuscnos, Cæsios, Aquinos, Catullus. ÆQVALIS LIBER MALVS EST] quia cum totus bonus non sit, & nec inæqualis, totus igitur malus. Inæquales scriptores in malam partem fuêre Sextilius Ena, & Albutius, de quibus Seneca declamator: Ena poëta, Albutius Orator, hac inæqualitate styli quotidie mutati laborabat, ille permixtam ingenuitati barbariem habebat. CRETICVS] à Creta deuicta nominatus. * Ita planè lego cum doctis viris, suffragante antiquo exemplari Et ipsa lege Grammatica. Criticus enim, Græcos, & Latinos scriptores testor, primam corripit. Despauterius mendosa hac Martialis lectione, & Iuuenalis deceptus primam dixit ancipitem. Vnum est Simonidis 1. Anthol. testimonium contra nos, quod Græcis demus, qui dicunt Ἀρες ἄρες.

> Γνῶθι Θεόκριτον [illegible] ὀλυμπιονίκαν.
> *Nosce Theocritum spectator olympionicen.*

** non tamen ille Marcellus, qui primus hoc nomen tulit. Theocritus penultima longa.*

In Baccharam.

LXXV. XCI.

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum,
Bis nobis dicis, Bacchara, terque die.
Appellat rigida tristis me voce Secundus:
*Audis * sed nescis, Bacchara, quid sit opus.*
Pensio † te coram petitur clareque palamque:
*Audis, * sed nescis, Bacchara, quid sit opus.*
Esse queror gelidasque mihi, tritasque lacernas:
Audis, sed nescis, Bacchara, quid sit opus.
Hoc opus est, subitò fias vt sidere mutus,
Dicere ne possis, Bacchara. quid sit opus.

*Punctum vt suprà. * V. G. Cum interrogationis nota legit hos Torrentius, quid sit opus? † cur arcet. * V. G.*

In vanum promissorem & pollicitis diuitem, aut potius in dissimulatorem. Nam veri amici est, etiam non roganti succurrere, quod apud Senecam lib. 2. cap. 10. De benef. fecit Arcesilaus. APPELLAT] creditorum verbum à debitoribus nomina exigentium. Manutius ad epist. Cicer. 24. lib. 16. ad Famil. APPELLAT ME SECVNDVS] creditor exigit à me fœnus, significo tibi. NESCIS, QVID SIT OPVS] dissimulas intelligere. & dicis, qua tibi re Valeri opus est, paratus sum tibi opem ferre. Cum autem intelligis à me peti vsuram & sortem, pensionem cellæ, & cum vides me prope nudum in hieme dissimulas, & repetis tuum *nescio quid sit opus*. PENSIO] cellæ, Hausizins. lib. 3. epig. 30. ædium conductarum, aut cellæ pretium.

> *Vnde tibi togula est, & fusca pensio cellæ?*

Et eod. lib. epig. 38.

> *——neutri pensio tota fuit.*

Lib. 12. epig. 32.

> *Quæ non retentas pensione pro bima.*

Ludit in repetitione verborum. Quid sit opus, quæ Bacchara dixerat. pete, si quid tibi opus. Martialis multa tectè, multa quasi apertè petebat, nec tamen, quid esset opus, alter intelligebat. GELIDAS] non villosas, sed leues. HOC OPVS] concludit cum imprecatione, quia dixit mihi frustra, si quid opus, peto à Diis, vt afflatum sidere elinguent, ne possis falsò dicere, quid sit opus. Imò & verè, vt non possis dicere, quid tibi sit opus, sed pereas nemine tibi succurrente, quando nemini poteris tuam inopiam exponere. SIDERE MVTVS] *sideratio*, inquit Budæus in Pandect. apud Plinium, *morbus est arborum afflatarum sidere. quocunque modo id acciderit. Peculiare autem nomen siderationis est, sub ortu canis, siccitatum vapor, cum insita, ac nouella arbores emoriuntur, præcipuè ficus. & vites.* A Græcis sideratio ἀστροβλησμός dicitur, quasi sideris perculsio, quam sphacelismon quidam appellant, vt inquit Theophrastus lib. 5. de caussis, qui sideratas arbores ἀστροβλῆτας appellat, quasi sidere perculsas. *Siderantur autem*, inquit, *præcipuè plantæ nouellæ, ac surculi sua caussa imbecillitatis, quod accidit,*

cum

cum siccata tellure humorem trahere nequeunt. quapropter plurima pereunt sub sidus. At maiores atate, vt pote validiores magis resistunt, & alimentum longè trahunt. Idem sphacelismon morbum esse radicum ait lib. 4. de plantis, ὅταν αἱ ῥίζαι μελανθῶσι, cum radices nigrescunt. Siderationis nomen inde ad homines translatum est, per similitudinem, arescente corpore. Vnde homines hoc modo affecti ἀστρόβλητοι, & Latinè siderati dicuntur. Hoc etiam σφακελίζειν ab Aristotele, & Ægyneta dicitur. Aristoteles ψιλούμενα τὰ ὀστᾶ τῶν ὑμένων σφακελίζει, ossa suis membranulis nudata, siderantur. Ægyneta sphacelon, id est, siderationem, appellat partes carnis in corpore marcidas, & iam sine sensu. vt in carcinomate perfecto contingit, id est, νεκρώσεις σαρκὸς, ὅταν ἀναισθήτως γίνονται τὰ τῶν πασχόντων μέρη. Sunt qui putant eundem morbum cum apoplexia Celso dicta. attonitus stupor, sideratio Scribonio, cum homo repente voce, sensuque defectus concidit. Martialis infrà lib. 11. epig. 86.

Sidere percussa est subitò tibi Zoile, lingua.

Plura & illustria planè Wouerius ad Petronium pag. 279.

Ad Narniam.

XCII. LXXVI.

Narnia, sulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda iugo,
Quid tam sæpe meum nobis abducere Quinctum
Te iuuat; & lenta detinuisse mora?
Quid Nomentani caussam mihi perdis agelli,
Propter vicinum, qui pretiosus erat?
Sed iam parce mihi: nec abutere, Narnia, Quincto:
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

Rogat Narniam ciuitatem, vt ne diutius detineat Quinctum Ouidium agro Nomentano vicinum agrum habentem, se ægrè ipsius absentia carere. NARNIA] ciuitas, seu oppidum Vmbrorum, seu Sabinorum, Nequinum quondam auctoribus Plinio, & Liuio dictum. AMNIS] Nar, vnde ciuitas Narnia, incolæ Nartes. de amne Strabo lib. 5. *Vrbes intra Apenninum in Flaminia via memorabiles, Ocriculum ad Tiberim, Larulum, Narnia, per quam fluit Nar fluuius, qui paulò supra Ocriculum in Tiberim exit, nauigabilis lembis non magnis.* ANCIPITI IVGO] gemino montis Apennini fortè. QVINCTVM] Ouidium, ad quem plura suprà. NOMENTANI CAVSSAM AGELLI] cur mihi aufers Quinctum, cuius vnius caussa libenter in fundo meo Nomentano dego. PERPETVO LICEAT SIC TIBI PONTE FRVI] *Vltra Narniam apparent à dextris supra Narem admirandi ac longè conspicui pontis fornices ac ruinæ ingentes: qui duos præaltos & abruptos montes* (quos noster anceps iugum vix adeundum dicit) *subter labente flumine solebat coniungere, vt æquali via transitus ab oppido Narnia pateret in montem aduersum. Ex Manubiis Sicambricis extructum sub Augusto quidam autumant & Procopius Augustum eius auctorem memorat, haud vnquam pontis arcus celsiores à se visos scribens. Quæ adhuc eius reliquiæ supersunt ex lapide quadrato prægrandi pilis vastissimis sublimes arcus impositi, me Hercle, demonstrant florentis imperij maximum, & insani sumptus opus fuisse;* lege Schotti Itinerarium lib. 1 pag. 106. Pontem hunc Nari impositum velut nobilem, & clarum prædicat, æternumque Nartibus precatur, & pars est pro toto, sic vestra vobis sit incolumis vrbs cum ponte, pons cum vrbe.

De Papilo.

XCIII. LXXVII.

Unguentum fuerat, quod onyx modò parua gerebat:
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

Tam grauem ait, & olentem Papili animam ex infami & impuro ore profectam, vt afflatu etiam nobilissima vnguenta corrumpat, & garum reddat. Garum autem est liquamen piscium salsum, quod Seneca pretiosam saniem præcordia rodentem appellat. de garo plura lib. 13.

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fastosum munera cara garum.

Sed hoc genus gari, quod sociorum appellabatur, nobile erat. Erant alia olentia semicorrupta lib. 6. epig. 93.

Ampho-

Amphora corrupto nec vitiata garo.

Hic de corrupto velim intelligi. ONYX] Ex onyche marmora fiebant, seu vasa vnguentaria, vt ex alabastro. de onyche fusiùs supra lib. 6. epig. 42. & lib. 14. de murrhinis.

Horat. Sat. *† Byzantia putuit orca.*

In Linum.

LXXVIII. *XCIV.*

Bruma est, & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo niuali
*Omnes * obuios hinc, & hinc tenere,*
Et totam, Line, basiare Romam.
Quid possis grauiusque, sauiusque
Percussus facere, atque verberatus?
Cuius liuida naribus caninis
Dependet glacies, rigetq; barba,
Qualem † forcipibus metit supinis
Tonsor Cinyphio Cilix marito.
Quare si tibi sensus est, pudorque:
Hibernas, Line, basiationes
In mensem, rogo, differas Aprilem.

** V. obuios. sic versus requirit.*

† V. forpicibus, rectius, forficibus.

Nimis officiosum auersatur Linum, qui omnes quouis tempore, & hyeme, & æstate basiabat. monet, vt differat oscula in Aprilem. AVDES OSCVLO NIVALI OMNES TENERE] osculum honestum amicitiæ, vel cognationis, vel officij signum vsitatum multis gentibus olim, & hodie. de hodierno more nihil dico, olim Iudæis ex diuinis litteris cognoscis Gen. 33. fratrem reducem frater Esau osculo excipit. Et 1. Reg. 20. osculantur inter se Ionatas & Dauid. Magdalena suauiata pedes Christi est. Iudas odium velat osculo. in osculo sancto Christiani inter se salutabant. fratres osculantur Paulum. Persarum idem mos, pares enim, quos honore afficiebant, osculabantur. inferiores potentiorum genua tangebant, cognatos, & amicos in digressu aut reditu. Auctores do Xenophontem lib 1. & 5. Cyrip. & laudat. Agesilai. Zenodotum in prouerbio νόμος καὶ χώρα. Herod. lib. 1. Alexandrum lib. 2. 19. Romani in Deorum, & hominum cultu oscula adhibebant. Et hominum ora, genas, oculos, manus, genua, & pedes, in itu, reditu, gratulatione, imo salutatione, & quotidiano occursu tempore Augusti potissimum inualuit. testimonia habes apud testatum Lipsium lib. 2. Elect. cap. 6. quod totum de osculis. NIVALI] frigido, madidoque. PERCVSSVS] quasi læsus omnium opem implorares. CVIVS LIVIDA GLACIES] cui flaua stiria frigore concreta ex naribus magnis dependet. QVALEM FORCIPIBVS] qualem barbam habent hirci Cinyphii, cùm tondentur à Cilice tonsore, forficibus, sic enim est in Cod. Pal. supinis, apicibus erectis, manubrio deorsum spectante, vt supinæ manus, quas iunctas ad cœlum tendimus. an versa potius ratione acie suprema forficum terram spectante, quod mihi vero propius videtur. CINYPHIVS MARITVS] hircus ad flumen Cinypem pascens. Cinyps autem Garamantum fluuius Ptolemæo est, Africæ flumen Plinio, & Melæ. QVARE] omitte officium tuum osculandi, & differ in æstatem.

Epitaphium Vrbici pueri.

LXXIX. *XCV.*

Conditus hic ego sum Bassi dolor, Vrbicus infans,
Cui genus, & nomen maxima Roma dedit.
Sex mihi de prima deerant trieteride menses,
Ruperunt tetrica cùm mala pensa Deæ.
Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
Da lachrymas tumulo, qui legis ista meo.
Sic ad Lethæas, nisi Nestore serior, vndas
Non eat, optabis quem superesse tibi.

Elegans

Elegans infantis bimuli tumulus. BASSI] parentis, an Salei Bassi, cuius honorifica mentio in dialogo Quinctiliani de caussis corruptæ eloquentiæ. Cui Vespasianus, cùm poëma nobile recitasset, donauit quingenta sestertia? DOLOR] quia vehementer amauit hunc Vrbicum Bassus. & quo maior amor, hoc maior inde dolor. CVI GENVS] qui natus est in vrbe, & ab vrbe dictus est vrbicus, hoc est, Romanus. SEX DE PRIMA TRIETERIDE] biennis ergo, & semis; trieteris, vt supra doctum, triennium est. SIC AD LETHEAS] precatio viatori flenti casum, & mortem pueri. Sic, vt fles, & optas huic puero longiorem tua vitam, viuas Nestoris annos.

Ad librum suum.

XCVI. LXXX.

Nosti si bene Cæsium, libelle,
Montanæ decus Vmbriæ Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis:
Illi tu dabis hæc vel occupato.
Instent mille licet, premantq; curæ,
Nostris carminibus tamen vacabit.
Nam me diligit ille, proximumque
Turni nobilibus leget libellis.
*O quantum * mihi nominis paratur?*
O quæ gloria, quàm frequens amator?
Te conuiuia, te forum sonabit,
Ædes, compita, porticus, taberna.
Vni mitteris, omnibus legêris.

* *sibi, omissidatur.*

Mittit librum Cæsio Sabino ex Vmbria oriundo, & Auli Pudentis municipi. Quis hic quantusque vir fuerit, docet Fonteius de gente Cæsia cap. 20. & 21. vbi varias Plinij Iunioris epistolas ad hunc Sabinum scriptas, & Martialis hoc ipsum epigramma fusissimè exponit, vti mihi labore supersedendum putem in hoc labore. Est de hoc eodem Sabino lib. 9. illud Martialis Nympha sacri; &c. Et suprà lib. de Pudente. libroque 11. plura, &c. quantum autem Cæsius amarit Martialem, vel ex hoc intelligis, quod omnibus negotiis anteposuerit poëtæ noua epigrammata, & ea vnus omnibus legerit. TVRNI NOBILIBVS] Turnus Aruncanus patria, Satyricus fuit, de quo Probus in Iuuenal. *Turnus libertini generis ad honores ambitione prouectus est, potens fuit in Vespasianorum Titi, & Domitiani aula.* Extat de eodem lib. 11. epig. 11.

Ioannes Baptista Fonteius Primionis ingens volumen scripsit de gente Cæsia, cui addidit appendicem Iulium Iaroboninm.

Contulit ad Satyras ingentia pectora Turnus;
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

De Memore Turni fratre lib. 11. agemus. Est & Rutilij testimonium de Turno,

Huius vulnificus, Satyra ludente Camanis,
Nec Turnus potior, nec Iuuenalis erat.

Sidonius carm. 9. *Non Lucilius hic, Lucretiusq; est,*
Non Turnus Memor. ——

Lege Gyraldum. AMATOR] libri mei. omnes amabunt, commendante Cæsio.

Ad Castorem.

XCVII. LXXXI.

*Omnia Castor * emit, sic fiet, vt omnia † vendat.*

* *emis.*
† *vendas.*

Duplex est sensus. qui omnia emit, omnia vendit, vendit pecuniam, emit merces, ædes, agros, &c. quamuis pecunia non dicatur vendi, nisi cum pecuniâ. pecunia emitur, quod in censibus amat fieri. Alter, & verior credo. Castor, cùm pauper sis, & multa tamen emas, cogeris tandem omnia vendere, vt vitam toleres. Turnebus pentametrum ait se huic appensum reperisse, quod tu lib. 25. cap. 24. ibidem leges, nobis germanum non videtur, eoque præteritum. Frequens emptio & emptorum venditio certam parant viam ad paupertatem.

Ad Crispinum.

LXXXII. XCVIII.

Sic placidum videas semper, Crispine, tonantem:
Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet.
Carmina Parrhasia si nostra legentur in aula:
(Namq; solent sacra Cæsaris aure frui)
*Dicere de nobis, vt lector candidus * audet,*
Temporibus præstat non nihil iste tuis.
Nec Marso nimium minor est, doctoq; Catullo.
Hoc satis est ipsi, cetera mando † Deo.

* aude, non audet lege.

† Domitiano nempe.

Commendat Crispino librum, eumque à Crispino vult Cæsari commendari. Crispinus autem hic est, vt Prætorianum illum Claudii, & Neronianum centurionem Crispinum apud Tacitum taceam, Ægyptius, qui plurimum gratia, & potentia potuit apud Domitianum, quem acerbe Iuuenalis momordit Sat. 1. & Sat. 4. quæ nota in illum, ex Ichthyopola princeps equitum factus, seruum, & vernam Ægyptium appellat Sat. 1. Martialis & hîc, & supra eius mentionem facit. TVA MEMPHIS] quæ metropolis quondam Ægypti, Ægyptius autem, vt dictum est, Crispinus. PARRHASIA] in palatio Domitiani. Parrhasia autem ab Euandro Arcade, & Arcadia Parrhasia dicta, Vnde palatia Cæsarum generatim Parrhasia sæpius appellat noster poeta. AVRE] auris pro iudicio nonnunquam ponitur hic ostendit placuisse etiam Cæsari sua epigrammata quod ea sibi prælegi voluerit. DICERE DE NOBIS, VT LECTOR CANDIDVS, AVDE] aude, inquam, non audet. Sensus. Tu Crispine si vel Cæsar legerit, aut legentur illi, aude hoc elogium de me addere. TEMPORIBVS PRÆSTAT NON NIHIL ISTE TVIS.] Non est exiguum ornamentum æui tui Cæsar, hic poeta. NEC MARSO] epigrammatariis Marso, & Catullo, quorum eruditionem æmulatur poeta. HOC SATIS] vt de me suggeras Domitiano. IPSI CETERA MANDO DEO.] Domitiano, qui præmium laboris mihi pro sua munificentia persoluet. Cetera illi curæ erunt, vt me donis beet. Cætera ipse Deus Domitianus facile assequetur, quid velim.

Ita distingue & interpunge. Hoc satis est: ipsi cætera mando Deo.

Ad Ponticum.

LXXXIII. XCIX.

** Pontice per reges discurris, & omnia lustras:*
Magna quidem sequeris, Pontice, magnus homo es.
Pontice, si qua facis, sine teste facis, sine turba:
Non adhibes multos, Pontice, cautus homo es.
Pontice, te celebrem forma natura creauit:
Dignus eras Helena, Pontice, pulcher homo es.
Pontice, voce tua posses adamanta mouere:
Vox tua dulce sonat, Pontice, dulcis homo es.
Pontice sic alios, sic te quoq; decipit error:
Vis dicam verum? Pontice nullus homo es.

* vix ausim hoc epigramma Martiali adscribere.

Transcriptum ex Anglicano hoc est. Domitius, & Aldus desiderant. Pro legitimo non agnosco. Ponticum, vt ardelionem, insectatur. prima disticha quatuor ironicôs accipe. postremum propriè. PER REGES] dominos, patronos, vt sæpe iam monuimus. MAGNVS HOMO ES] quia magnos, & magna sequeris. CAVTVS HOMO] caues, quæ sine teste parum honesta facis, eman: ne in vulgus. Hoc alterum distichon etiam ineptum est, & plane non ex ingenio piperato. Quid enim, sine teste facis, inquit, & subiungit. non adhibes multos. testor genium Martialis, abesse ingenium Martialis. DECIPIT ERROR] vt sibi videantur, quod non sunt. NVLLVS HOMO ES] nec magnus, nec cautus, nec pulcher, nec dulcis, sed nullus. Imo nullus hic Martialis est. Est qui velit rescribere multus homo es vt nasum faciat poetæ vel sibi.

MATTHÆI RADERI AD M. VALERII MARTIALIS LIBRVM OCTAVVM Commentarius.

* Dacico.

IMPERATORI *Domitiano Cæsari Augusto, Germanico, * Dacio, Valerius Martialis salutem.*

*Omnes quidem libelli mei, Domine quibus tu famam, id est, vitam dedisti, tibi supplicant: & puto, propter hoc leguntur. Hic tamen, qui operis nostri octauus inscribitur, occasione pietatis frequentius fruitur. Minus itaq; ingenio laborandum fuit, in cuius locum materia successerat. Quam quidē subinde aliqua iocorum mistura variare tentauimus: ne cœlesti verecundiæ tuæ laudes suas, quæ facilius te fatigare possunt, quam nos satiare omnes versus ingererent. Quamuis autem epigrammata seuerissimis quoq; & † suprema fortuna viris ita scripta sint, vt * mimicam verborum licentiam affectasse videantur: ego tamen illis non permisi tam libere loqui, quam solent: cum pars libri & maior, & melior ad maiestatem sacri nominis tui allegata sit. Meminerit non nisi † religionis purificatione lustratus accedere ad templa debere. Quod vt custodituros me lecturi sciant, in ipso libelli huius limine profiteri breuissimo placuit epigrammate.*

† Summa.
* V. mimicā vel inemicā.
† V. religiosa.

IMPERATOR] Despond:t Musam su:m Domitiano, cuius Dacicam, Sarmaticamq; victoriam celebrat. MINVS ING. LABOR. FVIT] Res enim præuisas, aut vltro oblatas, verba non inuita sequuntur. — τίς ἂν οὐ ῥέα Φοῖβον ἀείδοι; Quis non facile laudet Phœbum? Promptum est laudare, cum laude digna geruntur, alioqui non laus, sed adulatio est, cum viri principes, nullâ re bene gestâ, tamen laudibus mactantur. Lib. 12. poeta queritur, sibi multum fuisse laborandum in argumento, quod Roma abfuerit, quæ infinitam sibi siluam epigrammatum suppeditarit. *Quod places*, inquit, *in meis libellis, auditor dictauit. Illam iudiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, conuentus*, &c. *ea quæ delicate reliquimus, quasi destituti desideramus*. SEVERISS. QVOQ. ET SVPR. FORT. VIR.] Plin. lib. 4. epistolarum de suis hendecasyllabis liberioribus epist. 4. *Ex quibus tamen si nonnulla tibi paulo petulantiora videbuntur, erit eruditionis tuæ cogitare, summos, & grauissimos viros, qui talia scripserunt, non modo lasciuiâ rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse quæ nos refugimus*, &c. Idem lib. 5 epist. 3. quæ lib. 1. ad epist. Martialis adduximus, sed hæc ab exemplo excusatio non purgatur sed grauatur. Multa super hac lib. 1. & præfatione. RELIG. PVRIF. LVSTR. κολακικῶς, perinde quasi Domitianus sanctissimus sit Deus ad quem adire, nisi lustrato, sit nefas. Tangit interim ritum solennem priscorum, qui se vndis prius purgabant, quam preces funderent, aut Diis facerent. cuius rei testimonia sexcenta leges apud Brisso. li. 1. Formularū, ex optimis scriptorib. deprompta. Aquam autem veteres omni lustrationi adhibebant. Dion. li. 39. Seru. 12. Æn. Var. rerū hum. li. 10. Cato. 3. Orig. Tertull. de Bapt. c. 5. Lact. li. 5. c. 20 Sen. Herc. Furente. Apul. Milesi. 11. Plurima vero Ioan. Wouerius ad illa Petronii verba *Triphæna somniū expiauit*. Legūt alii lustratos γραμματικῶς, alioqui lustratus ad librū refertur. porro hęc purificatio Græcis περιρραντήριον dicitur, sacrificulus enim ingredientes in fanum [illegible]

Ad librum suum.

I.

Laurigeros domini liber intrature penates,
Disce verecundo sanctius ore loqui.
Nuda recede Venus: non est tuus iste libellus,
Tu mihi, tu Pallas Cæsariana veni.

Libro Pallatinam domum ingressuro mandat verborum, rerumque verecundiam, & reuerentiam. DOMINI] Domitiani. Posteriores ab Augusto principes passi sunt se appellari domi-nos,

nos, imo deos. Et edicto hoc præceperunt, præsertim Domitianus. Augustus vero edicto vetuit, ne dominus vocaretur. Tiberius idem nomen recusauit. Sueton. Aug. c. 53. Tiberio 27. Iulianus reuocare conatus est Augusti & Tiberii consuetudinem, sed illius ironia irrisa est, Casaub. ad Suet. Primus Caligula se, non pro Domino tantum, sed pro Deo gessit. Tiraq. cap. 22. LAVRIGEROS PENATES] palatium. domum victricem, lauream. Hoc Romæ fiebat, vt diebus celebrioribus, festis, natalitiis, triumphalibus postes laureis coronarent. Tertullianus Apol. *Cur die læto non laureis postes obumbramus.* Et lib. 2. ad Vxorem: *Procedit de ianua laureata & lucernata,* Rursum Apol. c. 35. *recentissimis & ramosissimis laureis postes præstruebant.* Idem lib. de Idol. & corona militis. sed laurus triumphis dicata, perpetuo Cæsarianas ædes exornabat. Plinius lib. 15. cap. 39. *Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus, ianitrix Cæsarum Pontificumque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat, &c.* Caussas addit Ouid. 3. Trist. Eleg. 1.

Cur tamen oppositâ velatur ianua lauro,
Cingit & augustas arbor opaca comas?
An quia perpetuas, &c. quæ sequuntur.

In triumphis olim laurea gestabatur, postea aurea corona, sed hic lauream è Sarmatia allatam tangit. Triumphauit bis; de Cattis & Dacis. Lauream Ioui Capitolino de Sarmatis retulit. Sueton. in Dom. Dion in eod. nos plura infra. NVDA VENVS.] Ad picturas Veneris respicit, quales adhuc hodie visuntur Romæ, quanquam hic lasciuiam rerum & verborum intelligit. NON EST TVVS ISTE LIBELLVS] quia castus. PALLAS CÆSARIANA] Virgo Ioue nata, quam Cæsar superstitione coluit, eiusq; se filium credi voluit. Suet. c. 4. & 15. Dio Philostratus, Quintilianus. Lege Torrentium ad c. 4. Suet. nos lib. 5. plenius.

Ad Ianum.

II.

Fastorum genitor, † parensque Ianus — † V. paterque
*Victorem modo cum videret * Istri,* — * V. Istro.
Tot vultus sibi non satis putauit,
Optauitque oculos habere plures,
Et lingua pariter locutus omni,
Terrarum Domino, Deoque rerum
Promisit Pyliam quater senectam.
Addas, Iane, † tuam, pater, rogamus. — † V. Pater tuam.

Blanditur Domitiano ob reditum. FASTORVM GENITOR, PARENSQ. IANVS.] Quia rector temporum est primus mensis, à quo annus alius, atque alius nomen accipit. Ita alio epigrammate Martialis,

Principium des, Iane, licet velocibus annis, &c.

Fasti (auctore Seruio) sunt libri dierum computationem habentes, vbi per consules, vt Porphyrion ad Horatium docet, annorum numerum colligebant. Acron gram. *Fastos, ait, esse annales, in quibus memoria temporum continetur, quiq; ad commemorationem bonorum, rerumue gestarum inuenti dicuntur, virtutis indices.* Horatius in 4. car.

Tuas auguste virtutes in æuum
Per titulos, memoresq; fastos Æternat——

Et eodem lib.

Non Cœrreferent iam tibi purpura,
Nec clari lapides, tempora, quæ semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.

Fasti ergo, cum per annos singulos scriberentur (vnde Ianum parentem fastorum dixêre) tantummodo, quod factum quoque anno, gestumue esset, continebant. De eisdem fastis plura habes apud Macrobium, Priscianum, Festum Pompeium. Vide Antonium Constantium in argumento ad Ouidii fastos, Tiraquellum, Sigonium, & alios. VICTOREM MODO CVM VIDERET ISTRI] cum Domitianum reducem à Sarmatis aspiceret. TOT VVLTVS SIBI NON SATIS PVTAVIT] Bifrontem alii, alii quadrifrontem affirmarunt. Propter finem anni præcedentis, & initium sequentis bifrontem: propter quatuor elementa, quæ ab illo extiterunt, cum chaos esset, quadrifrontem, vel propter quatuor anni tempora. Lege Marlianum lib. 4. cap. 8. Albericum in Deorum imaginibus. Et Ouid. 1. Fast. Chaos autem, & Ianus, primum idem fuerat, vt ipse testatur apud Ouidium. Ianus his verbis.

Mechaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant.

Et mox:

Tunc ego qui fueram globus, & sine imagine moles,
In faciem redij dignasque membra Deo, &c.

Et 1. Met.

Ante mare, & terras, &c.

Vide N. Comitem ad eosdem locos. OPTAVITQVE OCVLOS HABERE PLVRES.] Non sufficiebant illi quatuor, aut octo. desiderium vehemens videndi Cæsaris significat. Vt Plato de suo Stella,

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς Ἀστὴρ ἐμός· εἴθε γενοίμην
Οὐρανός, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.

Stellas stella mea dum suspicis, ipse vtinam sim
Cælum, oculis vt te pluribus aspiciam.

Stellæ enim dicuntur oculi cœli. Talis modus loquendi est apud Virgil. 6. Æn. cum de numero pœnarum differit, quas se, vel si centum linguas, & ora centum habeat, enumerare posse negat. Persius Sat. 5.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum.

Et mox:

—— vt par sit centeno gutture niti.

Ita & apud S. Hieronymum de vita Paullæ, *si omnia membra in linguas*, &c. ET LINGVA PARITER LOCVTVS OMNI.] Omni lingua, quam habebat vel duplicem, vel quadruplicem. TERRARVM DOMINO, DEOQVE RERVM.] De hac arroganti appellatione Domitiani, qui se iubebat Dominum, & Deum vocari, cum alias sæpe Martialis, & nos lib. 1. plura diximus. & modo superiore carmine. PROMISIT PYLIAM QVATER SENECTAM] [illegible]. Ianus tibi non tria sæcula Nestoris, sed duodecim promisit. Pylia senectus erat trisæclis. ter quatuor reddunt duodecim; ergo si quater senectam illi Pyliam optauit, duodecim sæcula optauit. Sed hoc loco rectè quæri potest, quæ fuerit ætas, & senecta Nestoris. Ouid. 12. Met. Et Tibullus existimant trecentos annos vixisse Nestorem.

—— vixi
Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas,

Tibullus, si tamen id carmen est Tibulli.

Quem si quis videat vetus, aut non fregerit ætas,
Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ.
Namque senex longè peragit dum sæcula vitæ,
Centum fœcundos Titan renouauerit annos,
Ipse tamen velox. ——

Homerus Odyss. γ. videtur de eadem ætate loqui, cum dicit,

Τρὶς γάρ δή μιν φασὶν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν.
Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίατο ——

Sed Homeri scholiastes monet ætatem vnam, ex veterum sententia, triginta annorum spacio definiri, qua ratione nonagesimum annum tantum attigisset Nestor. Et Xenophon in Æquiuocis. *Ætas*, inquit, *apud Ægyptios spacio triginta annorum perficitur*. sic intelligit ætatem Nestoris Acion, & Suidas in dictione τριγέρων. Plinius de eadem ætate. Porphyrius in Homericis Quæstionibus, Plutarchus in libro de defectione oraculorum. Censorinus de die natali cap 6. Eustathius ad 1. Iliad. Ausonius.

Artemidorus. Onirocrit. 2. Arodæus ad li. 1. epigrammatum Græcorum, qui epigramma illud εἰς ζωὴν

—— ἦμος χῶ τριγέρων πύλιος.

Exponit de nonaginta annis, vti & quod præcedit,

—— οἱ δ' ἐπὶ τούτοις Νέστορ

ADDAS, IANE PATER, TVAM, ROGAMVS] Immortalitatem precatur Domitiano; Ianus enim Deus immortalitatis credebatur. Precabantur veteres bene suis imperatoribus siue natalitiis diebus, siue Calendis, siue in reditu, longosque annos optabant. Seneca pro Claudio lib. 1. Consol. ad Polyb. de breu. vitæ cap. 8 Dicere solent eis quos validissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare. dant, nec intelligunt. Plinius Paneg. & epist. 10. ad Traianum. Iulius Firmicus lib. 1. Mathes. cap. vlt. Ouid. lib. 15. Metam. lib. 1. de Ponto eleg. 1. Propert. Pedo, Martialis sæpe alias. Populus in congiario.

De nostris annis tibi Iupiter augeat annos.

Consule Brisson. lib. 1. Formul. Tertullianus etiam pro Imperatoribus profanis vota huiusmodi persoluta ait à Christianis. Apolog. cap. 30. *Precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus; vitam illis prolixam, imperium securum,* &c.

Ad Musam.

III.

Quinq; satis fuerant, vel sex, septemq; libelli,
Et nimium: quid adhuc ludere, Musa, iuuat?
Sit pudor, & finis; *Iam plus nihil addere nobis*
Fama potest: teritur noster vbiq; liber.
† *Et cum rupta situ Messalæ saxa iacebunt,*
Altaq; cum Licini marmora puluis erunt:
Me tamen ore legent, & secum plurimus hospes
Ad patrias sedes carmina nostra feret.
Finieram, cum sic respondit nona sororum,
Cui coma, & vnguento sordida vestis erat:
Tune potes dulces, ingrate, relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius desidiosus ages?
An iuuat ad tragicos soccum transferre cothurnos?
Aspera vel paribus ora tonare modis?
* *Perlegat vt tumidus raucâ te voce magister,*
Oderit & grandis virgo, bonusq; puer?
Scribant ista graues † nimium, nimiumq; seueri,
Quos media miseros nocte lucerna videt.
At tu Romano lepidos sale tinge libellos:
Agnoscat mores vita, legatq; suos.
Augustâ cantare licet videaris auenâ;
Dum tua multorum vincat auena tubas.

† Quin.

* Prælegat.

† Potius.

Fingit sed Musa incitatum ad prosequendum epigrammatum scribendorum studium. * ET NIMIVM.] Ita antiquiores habent codices, quos probo. Quinque, inquit, vel sex, vel septem libri epigrammatum satis fuerant: satis vero? imo & nimium. Iam pridem hunc ludum desitum oportebat. RVPTA SITV MESSALÆ SAXA.] M. Valerius Coruinus Messala M.F.M.N. clarissimus orator Augusti ætate, quem his verbis prædicat Quintilianus lib. 10. *Messala nitidus, & candidus, & quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam.* Laudat & Cicer. lib. ad Brutum epist. 13. sed patrem forte huius. Horatius de arte poetica.

* Et.

—consultus iuris, & actor
Caussarum mediocris abest virtute diserti
Messala—

Dicti sunt Messalæ à Messana Siciliæ ciuitate, quam Valer. Coruinus expugnauit. Ouid. Fast.

Hunc Numida faciunt, illum Messana superbum.

Tiberius hunc in oratione secutus, quem adolescens obseruarat. Suet. in Tib. Idem nomine senatus primus Augustum patrem patriæ appellauit. biennio ante mortem excidit omni (Plinius Eusebius) memoria, vt neque nomen quidem suum retineret. Ditissimus erat, & ædes magnificentissimas extruxerat, vt infra Mart. lib. 10. epig. 2.

Marmora Messalæ findit caprificus.—

Filius degener. Persius Sat. 2. *—magna quid dare lance*
Non possit magni Messalæ lippa propago.

ALTAQVE CVM LICINI MARMORA PVLVIS ERVNT] Licinus, Enceladus, Helenus, Marathus, Thyrsus, Epaphroditus, Polybius liberti Augusto clarissimi. Licinus hic vel tonsor, de quo Iuuenal. Sat. 14. Et Horatius de arte poet. Galliæ autem procurator dictus fuit Licinus, vt Torrentius ad Sueto. docet. de hoc plura lib. 2. epig. 32. quanquam alii hunc ipsum arbitrentur procuratorem.

Licinius Augusti libertus vel potius Iulij tonsor. Galliæ procurator.

curator Licinum. De hoc Licino Seneca epist. 102. Dion. lib. 50. Hor. ad Pisones. Anonymous ad iuuen. Marcilius ad Sat. 2. Persii.

rem. Foquelinus ad 2. Persii Sat. Cornutus putat fuisse Licinium Crassum. *Licinius Crassus, inquit, inter Romanos locupletissimus, ideo diues cognominatus. Huius ergo diuitias optat puero. Alij volunt Licinium tonsorem ac libertum Augusti Caesaris significari, praediuitem, cuius monumentum est pretiosi operis. Sepultus via Salaria prope vrbem ad lapidem secundum. De hoc homine non inuenustum Varronis epigramma fertur:*

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo:
Pompeius nullo: quis putet esse deos?

Ab hoc videtur abire Iuuenalis, qui de aedificiis,

——vigilare cohortem
Seruorum noctu Licinus iubet attonitus pro
Electro signisq; suis, Phrygiaq; columna.

Quos versus nemo ad Crassum refert. Et ego cum Iuuenale nego Crassum eundem cum hoc Licino. Et Persius separat Sat. 2.

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes.

NONA SORORVM] Thalia, non quod vltima numero, sed vna de nouenis. Thaliam autem intelligendam docet ipse Martialis, cum vnguento sordidam dicit. Vngebantur autem ante conuiuium, post balneas, magistra vero, & modiperatrix conuiuiorum Thalia, quam lib. 4. epig. 8. suam Thaliam vocat. eandem appellat lib. 12. epig. 96. lib. 9. epig 27. lib. 9. epig. 75. lib. 10. epig. 20. *Facunda mea Plinio Thalia.* lib. 9. epig. 27. item lib. 4. SOCCVM] Vin aliunde genus carminis tractare, tragicum nempe, vel heroicum? Soccus est comoedorum. Cothurnus Tragoedorum. Soccus hic pro leuiore carminis forma, qualis est epigrammatis, vsurpatur, & leuiores scriptores comici. de Socco & Cothurno lege Delrium in Senecam. PARIBVS MODIS] carmine heroico. PERLEGAT] praelegat lego cum doctissimo Lipsio, qui & illum locum epistolae li. 1. (*sic quicumq, perlegitur*) emendat. & praelegitur scribit. Intelligit Martialis gymnasia Grammat. in quibus Virgilius, Homerus, aliiq; discipulis praelegebantur, vt hodie. Miror porro a quibusdam negari praelectionem eandem esse cum interpretatione auctorum, cum Fabius lib. 1. cap. 5. diserte id affirmet: *Et hercle, inquit, praelectio quae in hoc adhibetur, vt facile & distincte pueri scripta oculis sequantur, etiam illa quae vim cuiusq, verbi si quod insuetum inculcat docet multum infra Rhetoris officium existimandum est.* Grammatici ergo ex Fabii sententia interpretando praelegunt poetas & oratores: Rhetores idem faciunt, sed alio modo, cum non interpretantur iam vim verborum, sed virtutes orationis & vitia si qua incidant; Porro quod ad Lipsium attinet, vt primo libro non iuste videtur emendasse *praelegitur*, cum recte scriptum esset *perlegitur* ita recte hic *praelegat* non *perlegat*. Ibi enim de priuata cuiusq; lectione loquebatur poeta, vt cum quis per se librum quemcumque legit, & perlegit, hoc est, legendo absoluit. Hic vero de Grammatico qui discipulis in schola praelegit auctores & exponit, loquitur. Scio me tum secutum primitus esse Lipsium, sed nunc aliud placet. Martialis enim hic docet, non epigrammatarios sed Homerum, Hesiodum, Virgilium, Horatium Senecam & alios praelectos esse, exclusis epigrammatariis, quales fuere Catullus, Marsus & alii libro primo laudati, ex hoc ergo loco doceris hic legendum *praelegat*, ibi *perlegitur*. ODERIT] saepe enim, cum vapulant, praelectionum causa, irascuntur ipsis auctoribus, quos ediscere coguntur, librosque eorum lacerant. RAVCA] qui ad rauim vsque clamant. LVCERNA VIDET] Hic virorum doctiorum pallor, de quo lib. 7. epist. 3. & alias Plinius Iunior de Regulo. Persius Sat. 5. Symmachus lib. 2. epist 18. Et quae Franciscus Iuretus ad illum locum ex 1. Sat. Martiani Capellae. Theodosio Imperatore. Apulei Apolog. 1. annotauit. Lucerna bonis scriptoribus vigilatas chartas, & studium diurnum nocturnumue sonat. Notum est verbum, τὸ λύχνου ὄζει, id est, lucernam olet, de re meditata, multoq; studio elucubrata. Demosthenis ἐνθυμήματα dicebantur λύχνου ὄζειν. & de eodem. ferebatur illum plus olei, quam vini consumpsisse. Celeberrimae sunt Epicteti, & Aristophanis, & Cleanthis Lucernae. de hac lucerna Iuuenalis,

Haec ego non credam Venusina digna lucerna.

AGNOSCAT MORES] quos tamen ita describit, vt parcat personis, exponat vitia. Hoc Petronius fecit, petulantius tamen.

Petronij carmen diuino pondere currit,
Qua iuuenum mores arguit atq; senum.

ANGVSTA AVENA] tenui carmine, epigrammatis hendecasyllabis, distichis, scazontibus, Iambis. refero ad argumentum etiam tenue, & saepe nugatorium, iocos, risus, vitia hominum errores, conuitia, &c. Vt Virgilius rustica, & cultiorem cecinit.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena, &c.

VINCAT TVBAM] dum plus laudis epigrammate merearis, quam alii heroico versu; plus enim celebrantur carmina Martialis, quam vel Silii, vel Lucani, vel etiam Flacci. Noster libro 4. epigr. 49.

A nostris procul est omnis vesica libellis,
Musa nec insano syrmate nostra tumet.

Et ibid. *——laudant illa, sed ista legunt.*

Ad

Ad Cæsarem Domitianum.

IV.

Quantus, io, latias mundi conuentus ad aras
Suscipit, & soluit pro duce vota suo.
* *Nam non hæc hominum, Germanice, gaudia tantum,*
Sed faciunt ipsi nunc, puto, sacra Dei.

* V. nõ sunt.

Deos, & homines ait gratulari aduentum Cæsari, & sacra, pro gratiarum actione, facere. QVANTVS, IO, CONVENTVS] & concursus est omnis ætatis, & ordinis, & sexus ad templa in reditu principis.

MVNDI] conuentus non vrbis, sed orbis totius. SVSCIPIT, ET SOLV.] Suscipiebant in venturum annum, soluebant præterito anno suscepta Plin. ep. 44. l. 10. Vota etiam veteres suscipiebant pro reditu cum principum tum priuatorum, aut si morbo tentaretur princeps. Sueton. Calig. c. 14. *Cum tamen paucos post dies in proximas Campaniæ insulas traiecisset, vota pro reditu suscepta sunt.* Tacitus 3. *Decernere patres vota pro reditu eius.* Inscriptio vetus. *Ro. P. Quintilium Sex. F. Var. Cos. ludos votiuos pro reditu Imperat. Cæs. Diui Augusti. I. O. M. fecit cum Claudio Nerone Conlega.* pro valetudine Augustæ, Pompei, Cæsarum, vota publice suscepta docent Tacitus 3. Velleius, Capitolinus in Antonio philosopho. Dio lib. Iuuen. Sat. 10. Plinius. Paneg. Tertull. ad Scapulam & Apolog. c. 30. Passim inscriptiones lapidum, monumentorum. plura Brisson. lib. 1. Form. vbi hoc nostri poetæ epigramma laudat. Vide epist. 2. huius libri. Legendus hic Heraldus, qui multus est in hoc ritu veterum explicando.

NON SVNT HÆC HOM. GERM. GAVD. TANTVM.] Nec homines tantum vota faciunt, ob gaudium ex aduentu tuo conceptum. SED FACIVNT IPSI NVNC, PVTO, VOTA DEI.] Ipsi Dii, quibus tu tot templa ædificasti, tot instaurasti, lætantur adesse suum cultorem, & iam ipsi Dei fatentur * se tibi debere, acte pro Deo maiore colendum, tusq; adolendum.

* Quot templa Deo ædificauit Domitianus enumerat poeta lib. 9. epig. 4.

Ad Macrum.

V.

Dum donas Macer, annulos amicis:
Desisti, Macer, annulos habere.

Fictum nomen decoctoris, qui totum patrimonium in impuras fœminas effudit. DESISTI ANNVLOS HABERE] priuatus es equestri dignitate ad inopiam redactus. ita geminus sensus est, equites enim, qui censu carebant, annulos ponebant. Ad quod videtur & Iuuenalis allusisse, cum absumptis omnibus, ait nouissimum annulum exire. De annulorum origine, iure, varietate fuse Plin. lib. 33. c. 1. & nuper Abrahamus Gorlæus in dactyliotheca.

Annulus equitum insigne.

In Euctum.

VI.

Archetypis vetuli nihil est odiosius, Eucti,
Ficta Saguntino cymbia malo luto.
Argenti † furiosa sui cum stemmata narrat
Garrulus, & verbis mucida vina facit.
Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ.
Ferret vt hæc, muros struxit Apollo lyra.
*Hoc cratere ferox commisit prælia * Rhætus,*
Cum Lapythis pugna: debile cernis opus.
Hi duo longæuo censentur Nestore fundi:
Pollice de Pylio trita † columba nitet.
Hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
*Largius Æacides, & bibit * ipse merum.*

† famosa. Lips. lib. 1 ep. 5. & Schottus cum Heraldo recte. sic enim Cicero. Seneca, Iuuenalis, aliique appellarunt, quod tinculturam quendam, & caloginem illa vetustas obduxerit.
* aly Rhæcus.
† columna.
* v. usque.

Hac propinauit Bytiæ pulcherrima Dido
In paterà, Phrygio cum data cœna viro est.
Miratus fueris cum prisca toreumata multum;
*In Priami * cyathis Astyanacta bibes.*

Ex vana Eucti vasorum ostentatione captat occasionem celebrata priscis pocula laudandi; Laomedontis, Rhæti, seu Rhæci, Nestoris, Achillis, Didonis. Euctum vero ait habere antiqui operis pocula, sed recentia vina.

ARCHETYPIS], vasis, primiue exempli poculis, sic archetypæ chartæ, id est, autographa, manus ipsius auctoris.

FICTA SAGVNTINO CYMBIA MALO LVTO] fictiles cyathos ex argilla Saguntina antepo- suerim poculis Eucti, quamuis illa iactet. Cymbia sunt pocula in cymbæ formâ efficta. Seruius 3 Æneid. Festus cymbium ait dictum, quod eius medium æque pateat in omnes partes. Apuleius cymbium appellat, quod Latini situlam. Athenæus lib. 11. cap. 10. ex Simoristo definit cymbium poculum concauum, exiguum. Dorotheus, pocula profunda, quæ fundum non habeant rectum, nec aures. Ptolemæus gibbosa. Nicander Thyatirenus poculum sine auribus. Vlysses Polyphemo merum propinauit cymbio, vt est apud Homerum. plura Athenæus. SAGVNTINO LVTO] de his Saguntinis calicibus plura lib. 14. ad versum 108.

Quæ non sollicitus teneat, seruetq; minister,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Erant vilia pocula, & fictilia. ARGENT STEMMATA] nobilitatem, & antiquitatem poculorum. sumptâ metaphorâ ex hominum more, & genere, apud quos nobilissimi existimantur, qui ad auorum, atauorum, tritauorum, quique ad centesimam stirpem generis nobilitatem referunt. Est qui emendet: Argenti furiosa suus cum pegmata narrat Circulus. Ego sequor alios qui legunt fumosa stemmata. MVCIDA VINA FACIT] tam copiose laudat pocula, vt interim quamuis recentia vina, tamen mucescere, & mucorem situ contrahere possint. Insinuat poeta tam ingratam hanc Eucti conuiuis verbositatem esse, vt ipsa cœnæ gratia, vinique suauitas garrulitate corrumpatur. LAOMEDONTÆ FVERANT HÆC POCVLA MENSÆ.] Neptunus, & Apollo ædificarunt Troiam Iouis imperio, vt in Olympicis Pindarus dicit & Homer. 1. Iliad, quod cum Iunone contra Iouem coniurâssent. præmium erat aurum, Ouidio sic canente in 11. Metam.

——Phrygiaq; tyranno
Ædificant muros pacto pro mœnibus auro.

Herodotus à Laomedonte ait pecuniam Apollinis, & Neptuni sacrificiis dicatam, ad extruenda mœnia Troiæ conuersam; atque inde natam fabulam de pretio à Laomedonte Diis non reddito. Noster poeta formam pro genere posuit, craterem aureum pro ipso auro. FERRET VT HÆC] præmii & pretii loco acciperet. STRVXIT APOLLO LYRA.] Ouidius in epistola Paridis, ab Apolline lyrâ canente ait coiisse mœnia.

Ilion aspicies, firmataq; turribus altis
Mœnia Phœbeæ structa canore lyræ.

HOC CRATERE FEROX.] In pugna Lapytharum, & Centaurorum, quæ est apud Ouidium libro 12. vbi tamen non Rhætus, sed Theseus cratere pugnat, Rhætus torre. Ouidii versus sunt.

Forte fuit iuxta signis extantibus asper
Antiquus crater, quem vastum vastior ipse
Sustulit Ægides, aduersaq; misit in ora. (Eyriti nempe)

De Rhæto vero Centauro ibidem.

Ecce rapit mediis flagrantem Rhætus ab aris
Primitium torrem, &c.

Initium quidem pugnæ inter Centauros à poculis cœpit, sic enim Ouid.

Vina dabant animos, & primâ pocula pugnâ
Missa volant, fragilesq; cadi curuiq; lebetes,
Res epulis quondam, nunc bello & cædibus apta.

CVM LAPYTHIS] Centaurus, & Lapythes, filii Apollinis, capita duorum populorum, Lapythes quidem, à quo Lapythæ dicti. Centaurus, vnde Centauri. de quorum inter se pugna Diodorus Siculus lib. 4. c. 8. Cicero in Pisonem. Virgil. 2. Georgicorum Hylæum facit cratere pugnantem. Horat. Ode 18. lib. 1. Homer. Iliad. φ. Plutarchus Theseo. Propertius, alii. PVGNA DEBILE CERNIS OPVS] male distinctum vulgo hoc carm. in pugna, non ad Lapythas, sed ad sequentia referendum, vt sensus sit, craterem pugna debilem factum, id est, comminutum, detritum. HI DVO LONGÆVO CENS. NEST. FVNDI.] Ex Homero describit poculum Nestoris, quod in Iliados λ. hunc in modum legitur.

Aliter tamē Pindarus.

Πὰρ δὲ δέπας περικαλλὲς, ὃ οἴκοθεν ἦγ' ὁ γεραιός.
Χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον· οὔατα δ' αὐτοῦ
Τέσσαρ' ἔσαν, δοιαὶ δὲ πελειάδες ἀμφὶς ἕκαστον
Χρύσειαι νεμέθοντο. δύω δ' ὑπὸ πυθμένες ἦσαν.
Ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης,
Πλεῖον ἐόν. Νέστωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν

Poculum erat pulchrum, domo & id portauerat ipse
Transfixum clauis aureis, ac illius aures
Quattuor: hinc gemina complexæ binis at illas
Ex auro circum pascuntur; funda duo sunt.
Nec facile hoc quisquam poterat extollere mensa,
Cum plenum foret: at Nestor nullo ipse labore
Tollebat senior.

Quos Homeri versus fusius exponit Athenæus lib 10.c 12.lib.11 c.13. Eustathius ad hunc Homeri locum. Cornelius Vitellius in Georgium Merulam Alciatus, cuius est hoc emblema.

Nestoreum geminus cratera hunc accipe fundu,
Quod grauis argenti massa profundit opus.
Clauiculis ex auro stant circum quattuor ansæ,
Vnamquamq; super fulua columba sedet.
Solus eum potuit longæuus tollere Nestor.
Mæonide doceas, quid sibi, Musa, velit?
Est cælum scyphus ipse; colorq; argenteus illi,
Aurea sunt cælesidera clauiculis.
Pleiadas esse putant, quas dixerat ille columbas:
Vmbilici gemini magna, minorq; fera eli.
Hæc Nestor longo sapiens intelligit vsu:
Bella gerunt fortes: callidus astra tenet.

Minos craterem ipsum his verbis describit. *Homerus in Nestore sene eloquentissimo, & consultissimo typum sapientiæ repræsentat, cuius patera gemini fundi argentea, clauiculis aureis, quatuor ansis & sub harum quaque sedens columba cælum, & pulcherrimum astrorum ordinem significat. Nam crater, cum sit color argenteus, clauiculis aureis cælum refert purissimum & stellas aurei coloris. Columbæ sunt pleiades, duo vmbilici, vtraq; vrsa.* Effigiem crateris habes in ipso emblemate expressam. Sed nihil non discrete exponit Claudius Minos, qui fuerint illi fundi gemini, variæ enim sunt, veterum & Græcorum interpretum apud Eustathium enarrationes, & sententiæ, sicut & apud Athenæum, necdum tamen definitæ; opus ne fuerint vnum, an gemini crateres, alterque alteri impositus. & supremis labris immissus, *ἀμφικύπελλα* vocant Græci, quales hodie apud Germanos visuntur. Quater geminis ansis duplex crater, crater duplici ore, & labris. Martialis videtur quasi duos crateras insinuare, cum dicit, HI DVO LONGÆVO CENSENTVR NESTORE FVNDI. TRITA COLVMBA] vsu assiduo, & longo, manus Nestoreæ columbæ ansis insculptæ, detritæ, magis fulgebant aurum enim tractatum nitescit. Domitius legit columna, pro columba; & columnam pro fundo ponit columbæ autem erant aureæ, vt canit Homerus. CENSENTVR] in pretio habentur. Hæc de Nestore huic loco sufficiant: desideranti plura Eustathius, & Athenæus, quamuis nec ipsi, satisfacient. HIC SCYPHVS EST IN Q. M. I. AMICIS L. ÆACIDES] hoc poculo vtebatur Achilles Æaci nepos, de quo Homerus Iliad. 9.

Μείζονα δὴ κρητῆρα, μενοιτίου υἱὲ καθίστα.
Maiorem profer craterem nate Menætii.

Hic alii legunt, *Alcides* quod Scyphus Alcidæ poculum & nauigium fuerit, quod mihi nullo modo displicet cum de eodem Macrobius Plutarchus & alii plura tradant.

AMICIS] Vlyssi, Aiaci, Phœnici legatis Agamemnonis ad Achillem placandum missis. Homer. Iliad.

Χαίρετον, ἦ φίλοι ἄνδρες ἱκάνετον, ἦ τι μάλα χρεώ,
Οἵ μοι σκυζομένῳ περ Ἀχαιῶν φίλτατοί ἐστον.

HAC PROPINAVIT BIT. P. D. IN PATERA] ex 1. Æneid.

Hic Regina grauem gemmis, auroq; poposcit,
Impleuitq; mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo soliti.——

Error:
Primaq; libato summo tenus attigit ore,
Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

PHRYGIO VIRO] Æneæ. CœNA] quam describit 1. Æneid Virgilius. MIRATVS P. C. P. P. M. IN PRIAMI CYATHIS ASTYANACTA BIBES] antiqui pocu lis nouum apponet vinum Euctus. Priami cyathi, sunt archetypi, prisci, Astyanax Priami nepos, Hectoris filius. Nouum vinum

pro

pro acerbo & ingrato posuit. De laude annosi vini alibi plenius. Torrentius non ad vinum, sed ipsa pocula Eucti hæc refert, eaque non prisca, sed noua fuisse putat.

In Cinnam.

VII.

Hoc agere est causas, hoc dicere, Cinna, diserte.
Horis, Cinna, decem, dicere verba nouem?
** Sed modo Clepsydras ingenti voce petisti*
Quattuor. ô quantum, Cinna, tacere potes?

* V. si.

Cinnam caussidicum infantem, & βραδυλόγον irridet. Hoc, inquit, est esse disertum, & eloquentem, decem horis nouem verba parturire? SED MODO CLEPSYDRAS QVATVOR PETISTI] A pretore Cinna quatuor horarum spacium petiuerat ad dicendum: poeta ait illum quatuor horas ad tacendum, non loquendum petiisse. QVANTVM TACERE POTES?] quatuor clepsydras. de clepsydra supra disputauimus lib. 6. epigram. 35. vbi sententiam nostram ex Plinio certam confirmauimus.

Ad Ianum.

VIII.

Principium des, Iane, licet velocibus annis,
*Et * reuoces vultu sæcula longa tuo:*
*Te primum pia † thura rogent, te * voce † salutent;*
Purpura te felix, te colat omnis honos;
Tu tamen hoc mauis, Latiæ quod contigit vrbi,
Mense tuo reducem, Iane, videre Deum.

* V. renoues.
† Turba.
* V. Vota.
† Salutet.

Quamuis felix prædicari possis, & gloriari, quod abs te anni principium, & auspicium ducatur, cuique mensis initio consules purpuram, & fasces sumant, tamen multo es felicior, quod mense tuo Domitianus victor, & sospes à Sarmatis est reuersus. Palpat Domitianum. PRINCIPIVM DES, IANE, &c.] Ianum veteres præfecerunt reducendis annis, & sæculis. Ouidius 1. Fastorum.

Ecce tibi faustum, Germanice, nunciat annum:
Iane biceps, anni tacite labentis origo:
Solus de superis qui tua terga vides.

Causam ibidem habes.

Bruma noui prima est, veterisq; nouissima solis:
Principium capiunt Phœbus, & annus idem.

ET REVOCES VVLTV SECVLA LONGA TVO] qui biformis, & bifrons fingebatur, quod præterita, & futura videret, & iungeret, hoc est, quia esset finis præcedentis, & sequentis principium anni. TE PRIMVM PIA THVRA ROG. TE VOCE SALVT.] Causam, cur primum Iano supplicaretur, quærit Ouid. 1. Fast. & reddit.

Mox ego: cur quamuis aliorum numina placem,
Iane tibi primum thura, merumq; fero?
Vt possis aditum per me, qui limina seruo,
Ad quoscunq; voles, inquit, habere Deos.

TE VOCE SALVTENT.] Ouidius.

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas, accipimusq; preces? &c.

Gruterus ex variis CC. emendat PIA TVRBA ROGET ET SALVTET, quod placeret, nisi poeta ad ritum placandi Iani alluderet, quod ture & mero libato fiebat, vt ex Ouidio docui. conuenit etiam vox:

Et damus alternas accipimusq; preces.

Arridet tamen magis lectio noua, pia turba, videtur enim vt sæpe tres ordines populi Romani complecti, plebem, senatum, equites. PVRPV. TE FELIX, ET COLIT OMNIS HONOS.] Tunc designati consulatum ineunt. Ouid. 1. Fastorum.

Iamq; noui præeunt fasces: noua purpura fulget,
Et noua conspicuum pondera sentit ebur.

Vestibus

Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus fisto concolor ipse suo est.

Et lib. 4. de Ponto. Et 9. ad Græcinum.

Spectarem, qualis purpura te tegeret, &c.

PVRPVRA TE FELIX] Videtur totum senatum intelligere, quod postea subiiciat, *te colit, omnis bonos,* equestris . . . ope, vel potius totus magistratus. Statius appellat senatum, *purpureos patres,* vel à parte, quod Consules purpurati, vel quod prætextatus magistratus, vel propter latum clauum. Nam senatus illo æuo nondum purpuratus. Lipsium testor lib. 1. Elect. c. 13. Statii verba coniurant cum Martiale lib. 4. Silu. 1.

Moribus atq; tuis gaudent turmaq; tribusq;,
Purpureiq; patres, lucemq; à consule ducit
Omnis bonos——

TV TAMEN HOC MAVIS] Conclusio per adulationem. Tu non tam tibi plaudis, quod anno des initium, & consules crees, quam quod mense Ianuario redire Domitianum videris.

REDVCEM DEVM.] An excitatum Domitiano templum nomine Iouis Reducis, de quo est inscriptio:

PRO. SALVTE. ET. REDITV. D. N. IMP. CÆSARIS
VOTIS ———— PIO. FELICI. VOTIS
X. ANNALIB. INVICTO. AVG. DOMITIVS. BASSVS. T. FR. AGENS. XX. ANNALIB.
FELICITER. VICE. PRINCIPIS. PEREGRINORVM. TEMPLVM
IOVIS REDVCIS. C. P. O. FELICITER
CVLTV. DE. SVO EXORNAVIT.

Ad Quinctum.

IX.

Soluere dodrantem, nuper tibi, Quincte, volebat
Lippus Hylas: luscus vult dare dimidium.
Accipe quamprimum: breuis est occasio lucri.
Si fuerit cæcus, nil tibi soluet Hylas.

Præstare docet paruum lucrum nullo. Quinctus Hylæ pecuniam crediderat. Hylas cum lippire inciperet, tantum dodrantem, hoc est, nouem vncias de libra volebat soluere, morbum excusans, quod non posset solidum reddere. Quincto recusante, factus est Hylas luscus, & ob eandem causam, selibram tantum iam dicebat soluturum. Monet poeta Quinctum vt quamprimum dimidium accipiat, ne perdat totum. periculum enim esse, ne Hylas cæcus fiat, nihilq; omnino reddat. Possis Quinctum etiam pro ophthalmico accipiendum putare, sed errabis, cum dodrans (nona pars vnciæ) ex vsura esset soluendus. Quinctus lib. 1. Bibliopola fuisse scribitur. Q. Pollius Valerianus dictus, fuit & Q. Ouid. lib. 9. & aliis.

De Basso.

150 Philippus.

X.

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi: lucri fecit.
Adeo bene emit? *inquis: imo non* * *soluit:*

*V. Soluit. ἀξίως τῆ χειρώσει.

Bassum furem vestiarium prodit. NON SOLVIT] quia furatus est. BENE EMIT] vili pretio, aut iusto saltem & æquo. *Bene emitur.* Cicero ad Atticum lib. 1. Seneca lib. 6. de Ben. c. 15. Ouid. lib. Amor. 1. *Nunc bene dives emit.* Extat inde iocus Ciceronis apud Suetonium, & Macrobium 2. Saturn. c. 2. in Iulium Cæsarem. Qui cum Seruiliæ amplissima prædia minimo addixisset, mirantibus plerisq; vilitatem, facete Cicero. *Quo melius,* inquit, *emptum sciatis, Tertia deducta est.* Tertia Seruiliæ filia erat, per matrem, vt credebatur, Cæsari conciliata. Iocus est in verbis Tertia deducta, quasi tertia pars pretii adhuc de priore sit detracta, cum Cicero nomen proprium fœminæ intelligat. Contrario sensu dicitur *male emere*, id est, iniquo grauique pretio. EMIT] antequam venderentur, aut venales essent. Emit, furatus est, aut pluris emit, quam esset soluendo.

Ad Cæsarem Domitianum.

XI.

Perueniſſe tuam iam te ſcit Rhenus in vrbem;
Nam populi voces audit & ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Iſtrumq; Getaſq;
Lætitiæ clamor terruit ipſe noua.
Dum te longa ſacro venerantur gaudia Circo,
Nemo quater miſſos currere ſenſit equos.
*Nullum Roma ducem, * nec te ſic, Cæſar, amauit:*
Te quoq; iam non plus, vt velit ipſa, poteſt.

* nec te miſſe. Marcilius ad Perſium legit, nec te.

Fauſtas populi, & inuſitatas acclamationes Cæſare redeunte poeta deſcribit, quas ipſis audi-
tas, vnde profectus erat, Sarmatis affirmat. indeque Cæſaris aduentum in vrbem etiam à remotiſſi-
mis gentibus cognitum eſſe, adeoque omnium occupatos in Cæſare ſpectando oculos fuiſſe, vt
nemo, quid in Circo ageretur, animaduerteret. Rhenvs iam scit te pervenisse in tvam
vrbem] Iam audiuit Germania (nam Rhenus notus Germaniæ fluuius eſt) te Romam rediiſſe.
tuam vrbem dixit, vt magnificis operibus à Domitiano ornatam, & quaſi denuo exædificatam. O-
mnia enim & fratris, & patris fabricas ſibi adſcribebat Domitianus. de hac re etiam ſupra lib. 1. di-
ximus. & Martialis.

Taliter exuta eſt veterem noua Roma ſenectam,
Et ſumpſit vultus præſidis ipſa ſui.

Nam popvli voces avdit et ille tvi.] Vnde cognouerit Germania, reditum Cæſaris
in Vrbem, exponit. tantus erat & clamor, & applauſus populi in Circo, vt illum orbis terrarum
exaudiret. de more vero applaudendi in aduentu Cæſaris, lege Briſſonii Formulas. Sarmati-
cas etiam gentes, Istrvmqve, Getasqve Lætitiæ clamor terrvit ipse novæ.]
Expolitio, & amplificatio eſt applauſus, quem tantum ait fuiſſe, vt etiam accolis Iſtri Sarmatis, &
Gothis, ſiue Getis audiretur. Dvm te longa sacro venerantvr gavdia Circo] Dum
populus applauſus, & acclamationes geminat, & frequentat, longa etenim gaudia cum Domitio
interpretor plauſus, ſeu clamores diuturnos populi, qui ad duas horas aliquando, vt vel ex litteris
diuinis, & profanis conſtat, durabant. Nemo qvater missos cvrrere sensit eqvos.] O-
mnium ora, oculique ſic in te vnum conuerſa fuêre, ô Cæſar, itaque intenta, vt nemo aduerteret ad
ludos Circenſes, & equorum decurſus, & aurigationes. Qvater missos] Vicies & quinquies è
carceribus mittebantur, & ſepties circum metas flectere debebant ad victoriæ palmam obtinen-
dam. Quater miſſos equos Panuinius interpretatur quadrigas, ſeu quatuor equos currui iunctos.
lib. 1. de Lud. Circenſ. c. 9. p. 16. Non videtur idonea loco interpretatio. Domitianus tamen, ſeptem
curricula, ſeu ſpacia ad quinq; corripuit, ſeu contraxit, vt miſſus centum perficere poſſet. Tranquil-
lus in Domit. c. 4. De ſeptenis curriculis eſt illud Propertii lib. 2. Eleg. 25.

Aut prius infecto depoſcit præmia curſu,
Septima quam metam triuerit arte rota.

Ouid. in Halieuticis.

Seu ſeptem ſpaciis Circo meruêre coronam.

Apud Græcos duodecimo ſpacio finitum curſum verba Pindari Olympiorum hymno ſecun-
do docent. Ἀνθεμιδ' ἐπιπων δώδεκα δρόμων ἀγαγεν, hoc eſt, ait Scholiaſtes Triclinius. Τὰς νίκας τῶ δώ-
δεκα δρόμων τῶ ἁρμάτων. Δωδεκάκις γὰρ περιελίχετο τὸ δρόμον τὸ τέλειον ἅμαξα. Erat autem ea parte, qua
carceres erant, locus continendis, emittendiſque, equis, biiugibus, triiugibus, quadriiugibus, ſeiu-
gibus etiam, & decemiugibus curribus curſu certaturis, qui locus & oppidum dicebatur, ſi Sexto
Pompeio credimus: erat, inquam, aliquando in modum forficum apertus, vt Dionyſius Halicar-
naſſeus tradit, & Circi Maximi fundamenta demonſtrant. alibi aliter. Locus autem in Circo erat
duplex, alter hippodromus alter catadromus dicebatur. In hippodromo de equorum pernicitate
certabatur; ſiue puris equis ſiue bigis, trigiſue, aut quadrigis, circum metas duas, pari interuallo, in
extremis fere collocatas decurrerent. In catadromo Troia ſeu Troianus ludus, Equitia, ſeu, vt bar-
bari dicunt, Torneamenta exercebantur. Plura habes apud Philandrum ad lib. 5. Vitruuii c. 3 vbi &
formis expreſſas habes metas. Alexandrum Neapolit. lib. 5. c. 8. Tiraq. ibid. Muretum ad epiſt. 108.
Senecæ. Iſidor. lib. 18. c. 34. *qui ſeptem*, inquit, *ſpacia quadrigæ currunt, quorum finis eſt creta.* Lact. lib. 7. c.
27. Caſſiodorum, Var. lib. 3. Seruium ad 3. Georgicorum.

Con-

Centum quadriiugas agitabo ad flumina currus.

Optimè nuper iconibus expressa imago Circensium aurigationum prodiit Venetiis ex Panuinij designatione, qui hunc ipsum Martialis versum lib. 1. Circens. cap. 9. adducit. Bulengerus quoque diligenter de Circo scripsit, ex quo non pauca ad hunc locum deprompta leges.

Cicer. alludit in oratione pro Cælio. & in lib. de Orat. *in hoc flexu ætatis*, &c. Horatius agit de eodem loco. Ode 1. lib. 1. Vide Lambinum, & alios. Turneb. Hic locus Martialis etiam de puris equis intelligi potest. cuius hodie aliqua imago est apud Monachienses, ad nundinas Iacobæas, vbi extra portam Neœceanam, ad quatuor millia passuum puris equis decurritur. Certatur ibidem cursu pedum à iunioribus. Olim & fœminæ decurrebant stadium, præsente semper aliquo principum Bauariæ. NVLLVM ROMA DVCEM, NEC TE SIC, CÆSAR, AMAVIT] Conclusio. Ex quo populi desiderio tui & videndi, & salutandi, facilè coniectare potes Cæsar, quantoperè te P.R. amet. Ego coniicio nullum vnquam principem sic amatum fuisse, nec te ipsum quidem, antequam redires. Legunt alij nec te, alij nisi te, vero quoque intellectu, sed arbitror primam scripturam retinendam, nec te, hoc sensu; quamuis populus Romanus multos principes vehementer amauit, tamen hactenus nullum tam ardenter amauit ac te, nec te prius tantopere vt nunc amat, amauit: modò verò ita amat, vt si velit magis amare, non possit. TE QVOQVE IAM NON PLVS, VT VELIT IPSA, POTEST] Pulchrum quidem, & venustum acumen, sed parum verum. Populus quidem indifferenter postea occisum tulit. Senatus adeò lætatus est, vt mortuum contumeliosissimo, & acerbissimo acclamationum genere lacerauerit. Tranquillus cap. 23. quem si tantoperè amasset, necem eius vehementer doluisset. Nomen eius, ex omnibus monumentis erasit, vt hodie etiam inscriptiones ostendunt apud Smetium.

Ad Priscum.

XII.

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter * fuerint fœmina, virque pares. * *fiunt.*

Imparia connubia, infausta. Acutè verò poëta: si vis, vt par sit connubium, sit impar; nam si par fuerit, impar erit. QVÆRITIS] Tu prisce cum tuis. NVBERE] proprium est fœminarum. viri ducunt; fœminæ nubunt. Caper Grammaticus lib. orthographiæ, & de latinitate verborum. Dicitur tamen etiam quandoque de viris, vt auctor est Nonius Marcellus: & Suetonius, Tacitusque nonnunquam ità loquuntur; quanquam videantur hi duo aliò respexisse, quando de Nerone narrant. Tiraquellus docet etiam ducere ad fœminas referri. Martialis hoc loco alio sensu vsurpat nubere. quare, inquit, non duco locupletem vxorem? ne illi subsim, illa me regat. Etenim vt Sat. 6. dicit Iuuenal. *Lib. 2. L. connubial.*

Intolerabilius nihil est, quàm fœmina diues.

Et.

——veniunt à dote sagittæ
Libertas emitur (à fœmina nempe.)

Sic Anaxandrides apud Stobæum.

Ἢν γὰρ πένης ὤν, τὴν γυναῖκα χρήματα
Λαβὼν, ἔχει δέσποιναν, οὐ γυναῖκ᾽ ἔτι,
Ἢ ἐστὶ δοῦλος, καὶ πένης.

Nam si quis pauper pecuniosam vxorem
Duxerit, non vxorem, sed dominam habet,
Cuius est famulus, & seruus.

Super hac re multa apud Senecam declamatorem controuersia 6. lib. 2. Et philosophum filium, & sexcentos alios, quos leges apud Tiraquellum in 1. legum connubial. glossæ primæ, parte 5. matrona est quæ nupta γαμετή. NON FIVNT ALITER FŒMINA, VIRQVE PARES] concordes non erunt, nisi vxor pareat marito. nam vbi vxor par marito, iam impar est coniugium; vxoris enim est parere, viri imperare. Ouidius in Deianira ad Herculem.

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Innumera huius rei sapientum, Oratorum, Poëtarum, Græcorum, Latinorum testimonia, & oracula reperies apud Tiraquellum loco iam adducto.
nobis liceat esse breuibus.

Ad Gargilianum.

XIII.

*v. Mulio.

** Morio dictus erat: viginti millibus emi.*
Redde mihi nummos, Gargiliane: sapit.

Vix habuit Martialis rem in bonis.

Quingentis Philippæis ait se emisse morionem à Gargiliano, fuisseque deceptum ab emptore, sapere enim morionem, cuius proprium sit, vt ipsum docet nomen, desipere. MORIO DICTVS ERAT] Morionem alij à morte, quasi non vigeat intellectu, alij à Græco deducunt. de quo lib. 14. Adhibebantur olim, Plinio Secundo teste, vti & hodie, mensis diuitum exhilarandorum conuiuarum caussâ. B. Augustinus lib. contra Pelag. *Ipsos quoq; fatuos videmus, quos vulgo moriones vocant, ad cordatorum delicias adhiberi, & in mancipiorum æstimatione pretiosiores esse cordatis.* Idem lib. contra Donatistas. Sapit] eâ gratiâ magis emendus erat, cùm poëta contrarium concludat. SAPIT] non excitatur, nec conuiciis irritari potest, non insanit, nec furit, cùm vexatur. Vide lib. 14. lemma. Morio.

Xenophontis symposium Philippus quidam γελωτοποιὸς exhibuerat lacrymis suis.

In crudelem amicum.

XIV.

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus.
Hibernis obiecta notis specularia puros
Admittunt soles, & sine fece diem.
At mihi cella datur non totâ clausa fenestrâ,
In qua nec Boreas ipse manere velit.
Sic habitare iubes veterem crudelis amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hospes ero.

Calidus intus de frigore.

Melius arbores tegi ab amico, quàm amicum queritur amicus Martialis. CILICVM POMARIA] vox (Cilicum) ambiguè posita est, potestque vel ad brumam, vel ad pomaria referri. de pomario Cilicum accipio. potius, quòd arbores è Cilicia translatas coluerit amicus ille, eisq; seruandis per hyemem locum specularibus tectum instruxerit, vt simul tempestas hyemis arceretur, & simul purus admitteretur. sic epig. 68.

Inuida purpureos vrat ne bruma racemos, &c.
Condita perspicuâ viuit vindemia gemmâ
Et tegitur felix, nec tamen vua latet.

Speculares lapides intellige. Plinius li. 36. c. 22. & 37. c. 5. & 15. c. 16. Legatur & Salmuthius lib. 1. Memorab. cap. de specularib. Brissonius lib. 17. de verb. signif. Idem epist. 91. & de prouid. c. 4.

PALLIDA] vel ob maturitatem, vel ob hyemem, ad quam pallescunt folia. TENERVM NEMVS] nemus arborum, & stirpium teneriorum, & nobilium. MORDEAT] vrat. HIBERNIS NOTIS OBIECTA SPECVLARIA] vt tutæ sint arbores, teguntur specularibus, & tectis, vt defendant hyemem, & solem admittant. apud nos etiam hypocausta stirpibus conseruandis fiunt. SPECVLARIA] Seneca sua tempestate ait vsum specularium inualuisse. Plinius Iunior lib. 2. epist. 17. *Deinde porticus in O litteræ similitudinem circumacta, quibus paruula, sed festiua area includitur, egregium aduersus tempestates receptaculum; nam specularibus, ac multò magis imminentibus tectis muniuntur.* ad quem locum Catanæus. *Sicut nostra*, inquit, *tempestate vitreis orbibus conglutinatis frigus, & ventos arcemus, sic olim lapidibus specularibus, in quamlibet tenues crustas fissis. Hispania & Cappadocia multitudine, & magnitudine Cyprum, & Ciliciam superant, sunt tamen obscuriores, vt in agro Bononiensi breues & maculosi, Candido speculari mira natura inest, cùm neq; senescat, facileq; solem, & frigus sustineat.* Vsus specularium præter dictum varius. Seneca de balneorum luxuria. *Pauper*, inquit, *sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes magnis, ac pretiosis orbibus refulserint. quanta nunc aliquis rusticitatis damnat Scipionem, quòd non caldarium suum latis specularibus diem admiserat?* In sellis etiam agnoscit Iuuenalis.

Qui vehitur clauso latis specularibus antro.

Et Vlpianus ornamenti caussâ sæpè adhibita ait, putatque specularia esse partem domus, siue sint affixa ædificia, siue ad tempus detracta. Arbores porrò, vuæ, rosæ, cucumeres, & id genus alia hac ratione per hyemem custodiebantur. Columella cucumeres præmaturos fieri ostendit, si vasis maioribus rotulæ subdantur, quò tecti specularibus, hyeme serenis diebus tutò producantur ad solem, rursumque intra tecta recipiantur. Sic Tiberio ferè toto anno cucumis oblatus.

Plinius lib. 19. c. 5.

tus. Et Palladius iubet cellam olearem contra frigus specularibus, vt lumen admittat, muniri. De specularibus ita lib.1. p.32. Pancirolus: *Specularia seu speculares lapides materia quadam lucida erant, vt S. Basilius scribit, & instar aëris transparens. Hanc veteres fenestris imponebant, vt nos vitrum. De his specularibus apud Plinium extat, & in iure ciuili. Nero sacellum siue templum Fortunæ ex specularibus construxit: in quo qui erat, extrinsecus absq; vllo obstaculo conspiciebatur: at, vt Plinius scriptum reliquit, portis etiam clausis, lux ibi inclusa, non transmissa videbatur. Speculares hodie non reperiuntur. Deposita apud me quondam fuit crystallus, ex simili materia, altior digitos duos, adeò translucens, vt aer quodammodò videretur, extremis solùm partibus visui exposita. Continebat in se Chelydrum, qui ore aperto agnellum quasi deglutiturus erat: sed ab hoc ei Crux opponebatur. Erat affabrè effigiata. Acceperam à Dn. Martino Gerstman, nunc quidem Episcopo Vratislauiensi. atq; etiamnum me habere credo.* Senecam lege ep.91. qui suo æuo vsum specularium repertum ait. ET SINE FECE DIEM] legendum docet Cuiacius (*Et sine sole diem*) Nescio an ad membranas. ego nusquam legi, sine sole; *Vide Cuiacium.*

SINE FECE] purus, absque pulueris, & venti turbine, sine atomis, pluuia, niue. Martialis lib.6. de Etrusci thermis. *Nusquam tam nitidum, &c.*

IN QVA NEC BOREAS IPSE, &c. Elegans auxesis, tam frigidum mihi cubiculum designasti, adeoque omnibus ventis peruium, vt ipse ventus, imo ventorum acerrimus, & gelidissimus Aquilo seu Boreas, qui à Septemtrione spirat, ibi frigeat, nec manere possit. ARBORIS TVÆ] specularibus tectæ, & vndequaque munitæ, nec brumâ mordeatur, quæ magna est non modò inhumanitas, sed crudelitas, non dico in amicum, sed in hostem, vt mitius tractes arborem, & truncum, quàm hominem, & hominem notum, & veterem amicum. Omnia enim verba vim habent.

Ad Domitianum.

XV.

Dum noua Pannonici narratur* gloria belli,*
Omnis & ad Reducem dum litat ara Iouem:
Dat populus, dat gratus eques, dat tura Senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus.*
Hos quoq; secretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor ista tuæ laurea pacis erit.
Quid tibi de sancta credis pietate tuorum?
Principis est Virtus maxima, nosse suos.

** numeratur.*
** clariga, id est, recuperatio rerum ablatarum, vel eriga, itaquè.*
** v. Latia. lege Vitelium contra Merulam.*

Epigramma est de laurea Domitiani, quam Ioui Capitolino ex bello Sarmatico intulit, de quibus triumphare noluit. Hanc parem ait fuisse poëta triumpho, ob P. R. singularem lætitiam, & applausum. Dum Romæ noua celebratur victoria belli Sarmatici. OMNIS ARA LITAT AD REDVCEM IOVEM] In omnibus templis supplicatur sacrificaturque, & ob Domitianum ex bello Sarmatico in vrbem reuersum, gratiæ Diis aguntur. An tantum in templo Domitiano vt Reduci Ioui condito? DAT POPVLVS, DAT GRATVS EQVES, DAT TVRA SENATVS] Ab enumeratione partium ostendit totam vrbem, & Rempub. effusam in vota, ob principis aduentum, & victoriam. Populus Romanus à scriptoribus modo in tres, modo quatuor, modo plures diuiditur ordines; hic in quatuor, quod his verbis doctus notauit Casaubonus ad Suetonium: Ne illud quidem nouum, quòd tribus appellat Suetonius vel Augustus potius, populi vilissimam partem, quam Tacitus plebem *sordidam*. Obseruare enim licet cùm pop. Rom. à scriptoribus modò in tres ordines distinguatur, modò in quatuor, modò in plures, appellatione tribuum persæpe vltimum ordinem notari. Statius Syluarum lib.4.

Primum, Diis gratiæ aguntur, deinde epulum & liberalitas principis laudatur. De votis ob reditū Principis persolutis paulò ante suspensum.

Moribus atq; tuis gaudent turmæq; tribusq;
Purpureiq; patres——

Vult dicere, senatus populusque Rom. & equester ordo. populum appellat tribus. Sic Florus lib. II. c.6. aliique. alij plebem à populo separant, & illam tribuum appellatione notant. Extat vetus inscriptio quæ hoc manifestò docet: ita autem habet.

IMP. T. CÆSARI
DIVI. F.
VESPASIANO. AVG.
PLEBS. VRBANA
QVÆ FRVMENTVM
PVBLICVM. ACCEPIT
ET. TRIBVS

Martialis libro 8. *Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus,*
Et ditant Latias tertia dona tribus.

Inde est quod tribulis pro paupere & egeno ac capite censo sumitur. Horatius.

Vt cum pileolo soleat conuiua tribulis.

Martialis. *Nam anus & tremulo vix accipienda tribuli.*

Idem: *Nec pallens toga mortua tribulis.*

Manilius eleganter istos tribules turbam sine nomine vocat sub finem lib. 5.

Vtq; per ingentem populus describitur vrbem,
Praecipuumq; Patres retinent, & proximum equester
Ordo locum, populumq; equiti populoq; subire
Vulgus iners; videas etiam sine nomine turbam.

Vulgus iners, plebs est: sine nomine turba, sunt tribus.

DAT TVRA SENATVS] Ita Val. Maximus l. 1. cap. 2. loquitur, adi copiosum hic Heraldum.

ET DITANT LATIAS TERTIA DONA TRIBVS] Ad ferias Latinas refert haec Domitius, quem Merula refutat. Ego neque Merulam nec Domitium sequor. Sed expono cum doctioribus à Domitiano datum populo epulum, post depositam in gremio Iouis laurum, de quo epulo poëtam cursum infrà canere censeo ep. 50.

Tanta tuas celebrant, Caesar, conuiuia laurus.
Vescitur omnis eques tecum, populusq; patresq;
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.

TERTIA DONA] tertiam laurum, bis in triumpho, semel sine triumpho. Propter triplicem victoriam reportatam à Cattis, Dacis, Sarmatis, quae extrema fuit. Ita suprà.

Fractaq; cornu iam ter improbus Rhenus.

Et infrà: *Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri,*

HOS QVOQVE SECRETOS MEMORABIT ROMA TRIVMPHOS] Noluit de Sarmatis iustum triumphum agere, sed lauream tantùm Ioui Capitolino inferre, quam lauream vocat secretum triumphum à P. R. non minùs celebrem semper futurum, atque si iustum triumphum egisset. NEC MINOR ISTA TVAE LAVREA PACIS ERIT] Nec minùs celebris haec tua erit laurea, qua pacem populo Romano attulisti, ac si magnificentissimum triumphum egisses. QVID TIBI DE SANCTA CREDIS PIETATE TVORVM?] Quàm bene sentis de ciuibus tuis, & ciuium erga te amore, cùm credis te non minore admiratione, fore apud tuos, laureâ tantum relatâ, ac si plenum triumphum egisses? sciebas enim, quid de te Roma sentiret. PRINCIPIS EST VIRTVS MAXIMA, NOSSE SVOS] Conscientia benefactorum, & virtus Caesaris, amorque in ciues amabilem reddit principem populo, efficitque, vt vicissim populus amet principem, ac tueatur. vt rectè praecepit ille apud Isocratem & Xenophontem, regnum beneuolentia ciuium stabiliendum esse. NOSSE SVOS] animos erga se suorum, & amorem. nam erga odiosum principem nemo aperit animum sincere, quàmuis beneuolentia saepe simuletur.

In * Ciperum.

XVI.

Pistor qui fueras diu, Cipere,
*Nunc caussas agis, & * ducenta quaeris:*
Sed consumis, & vsque mutuaris.
A pistore, Cipere, non recedis,
Et panem facis, & facis farinam.

Fictum nomen Ciperi. Ciperus olim pistor, postea Caussidicus; Caussidicus idem fecit, quod pistor, hoc est, omnes suas opes contulit in panem & farinam, siue in epulas, conuiuia, ganeam. Ludit poëta in verbis facere farinam, & panem, quâ pistor Ciperus, faciebat, seu pinsebat; qua Caussidicus faciebat, id est, consumebat panem, & farinam. erat enim decoctor. DVCENTA QVAERIS] sestertia seu ducenta millia HS. 5000. Philippaeos, certus numerus, pro incerto. quaeris, mutuaris. CONSVMIS] non sufficiunt tibi ducenta: A PISTORE NON RECEDIS] Idem enim Caussidicus facis, quod fecisti pistor, nempe: ET PANEM FACIS, ET FACIS FARINAM] pecuniam tuam totam absumis in culinam, lautè accumbis. Videtur argutè simul in ordine verborum ludere. pistor enim prius farinam, deinde panem facit. Sed Ciperus panem conficiebat,

Marginalia: Merulam vbi moror. — * Syperum. — * v. ducenta.

ciebat, & dentibus molebat, farinamque comedendo faciebat. Tantùm farinam olim pistores faciebant, vnde illud, in pistrino molere, panem ipsi ciues, seu Quirites pinsebant; postea vtrumque idem pistor factitabat, vt rectè Domitius ex Atteio Capitone docet. ET PANEM FACIS] Refer ad tertium versum. Consumis & mutuaris. Ita enim non recedit à pistore Ciperus, quia rem facere non potest, quamuis Caussidicus factus; adhuc enim mutuatur, seu farinam facit; & consumit, id est, panem facit. Ita alij intelligunt, sed fortè rectiùs panem facis, dentibus frangis & consumis. farinam facis, in minutas partes panem dentibus conficiendo. Vel; panem facis, caussis agendi tibi victum quæris, sed lautius viuendo panem & opes minuis in farinam, vt cogaris etiam mutuum sumere. Hæc tamen vltima explanatio maximè arridet; vt sit panem facis, lucrum facis; farinam facis, sumtum facis.

Ad Sextum.

XVII.

Egi, Sexte, tuam pactus duo millia caussam;
*Misisti nummos * quot mihi? mille. quid est?*
Narrasti nihil, *inquis, & à te * prodita caussa est.*
Tanto plus debes, Sexte, quòd erubui.

* quòd mihi mille.
* v. perdita.

Plus sibi deberi ait Martialis ob amissam caussam, quàm obtentam, quia, inquit; tua caussa erubui, quod grauius est, quàm si vicissem & fuissem laudibus mactatus. DVO MILLIA] HS. 50. philipp. NARRASTI NIHIL] malè caussam egisti, imo prodidisti. nihil narras, nihil dicis, idem hoc loco. PRODITA CAVSSA EST] Etsi legant alij perdita caussa est, tamen seruandam puto vsitatam lectionem; neque enim præuaricatores solùm caussam produnt, sed etiam ij, qui caussas agendas suspiciunt, quas vel non intelligunt, vel ad agendum propter imprudentiam, & inscitiam inepti sunt. vt Antonius secundo de Orat. & Crassus in primo queruntur. ERVBVI] aliis enim ridendus & miserandus propinatur, (vt Cicero. 1. de Orat. docet) ineptus Orator.

Ad Cirinium.

XVIII.

** Sic tua, Cirini, promas epigrammata vulgò;*
** Vt mecum poßis, vel prior ipse legi.*
Sed tibi tantus inest veteris respectus amici,
Carior vt mea sit, quàm tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentauit carmina Flacci,
*Pindaricos * posset cùm superare modos.*
Et Vario ceßit Romani laude cothurni,
Cùm posset tragicò fortius ore loqui.
Aurum, & opes, & rura frequens donabit amicus:
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

* si.
* vel.
* posset.

Summa amicitia Cirinij, qui Martialis caussâ sua non edebat epigrammata, ne starent æmula epigrammatis Martialis. Poëta, ede modò, inquit, tua, vt vel mecum legaris, vel mihi etiam anteponaris. nullum adhuc vidi amicum, qui stupidior, & impudentior aliis cuperet videri. SIC] bene precantis dictio, vt suprà sæpius. Pal. Cod. apud Gruterum habet si tua, &c. promas, &c. Vel possis, sensu certe planiore: Si tu Cirini ederes tua epigrammata, vel mihi par esses, vel me etiam superares. SED TIBI] qui mea caussa dicis te tua non edere. quasi pluris faceres meum honorem, ac nomen, quàm tuam ingenij existimationem. SIC MARO] quemadmodum tu mea caussa non edis epigrammata cùm possis, ita Virgilius non scripsit odas, nec tragœdias, cùm posset Varium, Horatium, & Pindarum superare. VARIO] Epicus fuit & Tragicus, de quo Horat. Macrob. Quintilianus, Tacitus, alij. sunt, qui putent hunc esse; de quo Virgilius 9. Ecloga. Gyraldus duos fuisse affirmat, Quintilium Varum, seu Varium seu Varum, seu Varrum illum, qui in Germania periit, lege ep. 56. infrà. Et L. Varum poëtam, & Grammaticum. Cum hic de Vario loquatur, Martialis, non de Varo, nisi cod. omnes mendo sint non reor illum esse Varum de quo Virgilius Ecloga IX:

Torrentij commentarium vide ad Horatium lib. 1. Ode 6.

Nam neq; adhuc Vario videor, nec dicere Cinnâ
Digna——

Hunc autem Varium arbitror de quo Horatius Ode VI. ad M. Vipsanium Agrippam ad quem locum de hoc Vario plura Læuinus Torrentius. QVI VELIT INGENIO CEDERE, RARVS ERIT] gnome. nemo stultus vult haberi. & ingenij opes, omnibus fortunæ bonis præstabiliores sunt, quibus ægrè ceditur, tu tamen Cirini vis mihi vltro cedere.

De Cinna.

XIX.

Pauper videri Cinna vult, & est pauper.

Argutè, & breuiter. Cinna pauper ita se gerebat, quasi dissimularet opes, & tamen esset diues. Poëta nihil est, inquit, quod simules, cùm id reuera sis, quod simulas, id est, pauper. vt is, qui naturâ simplex diu quærebat, an liceret simulare stultititiam, cui nescio quis, *nihil est*, inquit, *quod simules: dissimula potiùs.* An propterea vult videri pauper, ne cogatur soluere creditoribus, & tamen vult credi pauper, quod credendum affirmat Martialis.

Ad Varum.

XX.

*Cùm facias versus nulla non luce * ducentos,*
Vare, nihil recitas: non sapis, atq; sapis.

* v. ducenos.

Varum schediasten simul ait sapere, & desipere. desipere, quòd frustrà laboret, & quotidie effundat ducentos versus; sapere, quòd eosdem non recitet, quos si recitaret, ineptus haberetur. nihil enim dignum auditu, memoriaque scribi potest tam breui tempore tanto numero. vt rectè Euripides Alcestidi Tragico obiicienti, quòd vno die tria tantùm carmina composuisset, ipse verò centum, responderit: ipsius centum carmina vix tres dies durare; sua tria, in centum secula duratura. Elegans extat oratio nostri Bencij, quæ magnam partem consumitur in præcepto de non properando scribendi labore. Et Horatij oraculum in Arte:

——*vos ô*
Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit atq;
Perfectum decies non castigauit ad vnguem.

Et nostri Martialis iudicium de schediasmatis, aut versibus ex tempore fusis lib. 9.

Lege nimis durâ conuiuam scribere versus
Cogis, Stella, licet scribere, nempe malos.

† Ad Luciferum.

† v. De Cæsare.

XXI.

Phosphore, redde diem. quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat. placidi nunquid te pigra Boota
Plaustra vehunt, lento quòd nimis igne venis?
*Ledæo poteras * abducere Cyllaron astro.*
*Ipse suo cedet * nunc ibi Castor equo.*
Quid cupidum Titana tenes? iam Xanthus, & Æthon
Fræna volunt: vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt sidera luci,
Et cupit Ausonium Luna videre ducem.
*Iam, Cæsar, vel nocte veni: * sint astra licebit:*
Non deerit populo te veniente dies.

* v. adducere.
* v. tunc.
* v. stent modò.

Pridie

Pridie quàm ingrederetur Vrbem Cæsar, Martialis meditatus alloquitur sidera, vt noctem præcipitent: tantum enim esse desiderium, & expectationem populi, vt longissima ei nox videatur. Tandem acutè, & venustè concludit, nil opus fore die, sub mediam etiam noctem fore lucem meridianam Cæsare ingrediente, nam ipsum esse solem. PHOSPHORE REDDE DIEM] Phosphorus planeta est, & Venus dicitur, ac vesperus, seu vesper, & Lucifer, & vesperugo. Græcè φωσφόρος, καὶ ἕσπερος. Vitruuius lib. 9. *Et stationibus propter eam circinationem morantur in spaciis signorum. Id autem ita esse, maximè cognoscitur ex Veneris stellá, quòd ea, cùm solem sequatur, post occasum eius apparens in cœlo, clarissimeq́; lucens vesperugo vocatur: aliis autem temporibus eum antecurrens, & oriens ante lucem, Lucifer appellatur.* Manilius lib. 1.

Et Venus accenso cùm ducit vespere noctem.

Lucifer magno spacio à sole recedens secundum latitudinem, vna eademq́; die matutina, & vespertina fit. Vnde vesperus, & Lucifer dicitur. Scaliger, Hyginus lib. 2. Astron. pag. extrema. Philander ad cap. 4. lib. 9. Vitruuij, &c. MORARIS] à Circo tractum. Morator enim erat qui ludis Circensibus præerat carceribus ne equi citius tardiusue mitterentur aut prosilirent, vt docet vetus inscriptio.

Q. RAPIDIO. Q. F. LEM. MVLIONI. MORATORI
LVDI. CIRCEN. ET. AGITATORI. FACTIONIS
VENETÆ.

REDDE DIEM] solem enim semper anteuertit, & cum aurorâ oritur. GAVDIA NOSTRA] Cæsarem. CÆSARE VENTVRO PHOSPHORE REDDE DIEM] Caussam adiungit, cur optet diem mox à Lucifero reuehi, quia Cæsar nocte peracta venturus est. REDDE DIEM] repetitio poëtica, quæ in pluribus epigrammatis frequentanda non est. rarior nec elegantiâ, nec gratia caret. huiusmodi est illud,

Rumpitur inuidiâ quidam, charissime Iuli, &c.

Quod quidem venustissimè concluditur.

Rumpatur, quisquis rumpitur inuidiâ.

ROMA ROGAT] vt diem, & Cæsarem reducas. PLACIDI NVNQVID TE PIGRA BOOTÆ PLAVSTRA VEHVNT] Maior arctos, vocatur Græcè ἅμαξα, Latinè plaustrum. Hyginus lib. 2. Astron. *Sed maiorem arcton complures plaustro similem dixerunt, & ἅμαξαν Græcè appellarunt.* Gellius lib. 2. cap. 21. BOOTÆ] qui bubulcus Latinè, & Græcè Arctophylax dicitur, quòd quasi seruet, & custodiat arcton. seu pastor sit boum, vnde Bootes. Septem enim stellæ triones, quasi teriones, id est, boues dicebantur. vide Gell. Fabulam de Boote habes apud Hyg. lib. 2. Astron. & lib. 3. eiusdem positus. Aratus in Phænom.

Inde Helicen sequitur senior, baculoq́; minatur,
Siue ille Arctophylax, Bacchi munere cæsus
Icarus ereptam pensauit munere vitam.
Non illi obscurum caput est non tristia membra,
Sed proprio tamen vna micat sub nomine flamma.

Bootes, qui & Arcturus fertur esse custos plaustri, eo, quòd plaustrum sequatur, id est, Septemtriones. German. ad Arat. Hunc Ouidius lib. 1. El. 10. frequenter nominat custodem Erimantidos vrsæ. Ad eundem sensum Manilius lib 1.

A tergo nitet Arctophylax, idemq́; Bootes,
Qui similis iuncti instat de more iuuencis,
Arcturumq́; rapit medio sub pectore secum.

Arcturum vocant Vitruuius lib. 9. Plinius. Firmicus Bassus. lege Philandrum ad Vitruuium. PIGRA] tarda, tardius enim mouentur, nec magnum circulum efficiunt. Ouid. 2. Met.

Te quoque turbatum memorant fugisse Boote,
Quamuis tardus eras, & te tua plaustra tenebant.

LENTO QVÒD NIMIS IGNE VENIS?] sic apud Plautum miratur Sosias noctis longitudinem.

Credo ego (inquit) hac noctu Nocturnum obdormiuisse ebrium.
Nam neq́; se septemtriones quoquam in cœlo commouent,
Neq́; se luna quoquam mutat, atq́; vbi exorta est semel,
Nec iugula, neq́; vesperugo, neq́; Vergiliæ occiduunt.
Ita statim stant signa, neq́; nox quoquam concedit die.

LENTO] tardo, serò exorienti, & venienti, Ouidius.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlysse.

IGNE] stella. sæpè apud poëtas stellæ vocantur ignes. LEDÆO POTERAS ABDVCERE CYLLARON ASTRO] Cyllarus equus à Mercurio Dioscoris donatus. Castori, & Polluci geminis, posses abducere, seu eripere equum Cyllarum Castori, vt hoc vehens citiùs diem reduceres. Papin. Sil. 1.

Castor equestris, Pollux pugil. equum Castoris astris inferunt, Cyllarumq́; dictum.

Et pauet aspiciens Ledam ab æde propinqua
Cyllarus——

Vbi sciendum Romæ stellatum equum fuisse dicatum in æde Castoris ad forum. sæpius enim Romani ope Geminorum victores euasisse crediti sunt. Cic. de natura Deorum. Plut. in Paullo. Lact. lib.2.c.8. Dion.6. Val. Maximus lib.1.c.8. LEDÆO] Ledes natis, Ledæo sideri, id est, geminis. Sunt qui Castorem & Clytemnestram dicant Ledæum astrum, nec pingi nisi equiculum supra Aquarium, quod quidem in sphæra cælesti apparet. Extat nobile ingenij exercitamentum, super funere Oribatis equi, in quo generosissimi quique equi celebrantur, quorum omnium parens Cyllarus fuisse fertur. IPSE SVO CEDET NVNC TIBI CASTOR EQVO] Ipse Castor suum Cyllarum, suum equum tibi interim dabit mutuum, vt citiùs exoriatis. Obseruandum & Lucifero suum à veteribus equum assignatum, eumque singularem, vt Castori. Stat.2. Theb.

——alienumq; æthera tardo
Lucifer exit equo. Et lib.6.
——Luna praeuenerat ignes
Mutato Nocturnus equo—— Ouid.15.Met.
——cumq; albo Lucifer exit
Clarus equo.——

QVID CVPIDVM TITANA TENES?] Quid solem properantem retardas? Pausanias in Corinthiacis Titanem Astronomiæ peritum fuisse scribit, quare frater Solis est dictus, & pro ipso Sole à poëtis vsurpatur. Sic Minerua noctem prorogat apud Hom. lib. ψ. IAM XANTHVS, ET ÆTHON FRÆNA VOLVNT] Equi solis sunt. Ouid 2. Transfor. lib. enumerat.

Interea volucres Pyroeis, & Eous, & Æthon
Solis equi, quartusq; Phlegon.——

Et Euripides τεθρίππευμα, quadriiugum. vide Spondanum. Homerus 23. Odyss. non quarto, vt falsò citat Natalis, duos tantùm recenset Lampum & Phaëtontem. nec soli eos attribuit, sed aurotæ. Versus apud Homerum sunt hi.

Ῥύσατ' ἐπ' ὠκεανῷ χρυσόθρονον, οὐδ' ἔα ἵππους
Ζεύγνυσθ' ὠκύποδας φάος ἀνθρώποισι φέροντας
Λάμπον, καὶ Φαέθονθ' οἵ τ' ἠῶ πῶλοι ἄγουσι.

Certè extrema verba disertè Lampum, & Phaëtonta ad auroram referunt. οἵ τ', inquit, ἠῶ πῶλοι ἄγουσι, hi pulli auroram vehunt. Cur autem Martialis Xanthum memorat, de quo alij nihil? An quòd Sol flauum, seu aureum colorem imitetur? hæc sententia carminis. iam equi solis cursum parant, iam volare gestiunt. VIGILAT MEMNONIS ALMA PARENS] Aurora iam expergefacta, iam orta solem reducere conatur. quam Homerus bigis inuehentem, alij vt Lycophron μονόπωλον faciunt, & Pegaso vtentem. Virgilius modò bigis, modò quadrigis imponit. de hac Hesiod. in Theog. Orpheus in Aurora. Memnon Auroræ & Tithoni filius. lege Natalem lib.6.c.3. TARDA TAMEN NITIDÆ NON CEDVNT SIDERA LVCI] Enimuero tam illustris, & clara est nox, vt videatur dies, sidera & astra tam clarum micant, vt solem æquare possint, certè Luna est clarissima. Vel. Astra nolunt cedere soli; eoque nusquam videntur commoueri, vt & ipsa possint Romanum Principem spectare, quem velut immota expectant. ET CVPIT AVSONIVM LVNA VIDERE DVCEM] Luna nobis propinquissima desiderat Cæsarem videre, venientem patrem patriæ, & orbis Dominum. IAM CÆSAR VEL NOCTE VENI] Conclusio plena adulationis. Vbicunque Cæsar, ibi dies, nam Cæsar noster Sol est. Etsi adhuc astra in cœlo fulgeant, te tamen veniente omnia lucebunt, & videberis non minùs, ac si ipso meridie ingrederere. (stent astra) probo, vt apud Plautum Amphit. & alios, vt sit, nusquam commoueantur ita cælum stare dicitur.

In Gallicum.

XXII.

Inuitas ad aprum: ponis mihi, Gallice, porcum.
Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi.

Gallicus, vt Martialem ostenderet esse hybridam, hoc est, ciuem Bilbilitanum & Romanum, vel propter obscurum ius ciuitatis dictus Hybrida, vt Q. Varius apud Valer. Max. lib.8. cap.6. vel aliam similem ob caussam nobis ignotam, vocato apposuit porcum, cùm ad aprum inuitasset. Poëta ait se intelligere iocum, si tamen alter voluit iocari. Si das, inquit, verba, si me voluisti decipere & irridere, intelligo. Est enim lepos, leporem deprendere. Non placet hæc admodum interpretatio, accipe alteram. Hybrida, propriè est canis ex venatico, & gregario natus, aut fœtus ex apro, & porco. aut quodcunque animal ex fero & mansueto natum. Plinius lib.8. cap.53. deriuatur vox, à Græco ὕβρις contumelia, vt sit hybrida quasi per contumeliam natus; à bestiis ad homines ex diuersa conditione, & impari statu procreatos transfertur, vt si quis ex Græco patre, Romana matre, vel patre libero, matre serua sit editus. Hic poëta alludit ad semiferum animal. Tu, inquit, Gallice,

lice, si mihi verba dederis, & apposueris porcum pro apro, facies me hybridam seu semiferum, vt tangam & lacerem te carmine. iam enim spe, & animo deuoraram aprum, te autem ipsa porcum. Ita ego quasi ex apro & porco compactus te inuadam. Vsurpant hanc vocem Cic. in Antonium, Horatius lib. 1. ser. Sat. 7. Val. Max. lib. 8. cap. 6. Suetonius Augusto cap. 19. & Martialis noster lib. 6. ep. 39.

Iamq; hybridarum grex tibi foret plenus,
Si Spado Coreulus, Dindimusq; non esset.

Plinius lib. 8. cap. 53. de M. Antonio Ciceronis in consulatu collega.

Hirtius de bello Africano vocat Hybridas è libertinis seruisque prognatos Numidas. Gallicum hunc putant nonnulli esse illum vrbi præfectum Cæsar. Domitiano Iuuen. Sat. 14. Stat. Syl. Soteria Gallici.

Ad Rusticum.

XXIII.

Esse tibi videor sæuus, nimiumq; gulosus,
Qui, propter cœnam, Rustice, cædo cocum?
Si leuis ista tibi flagrorum caussa videtur;
Ex qua vis caussâ vapulet ergo cocus?

Artificem quemque castigandum, cùm peccat in suam artem. VAPVLET COCVS] illius enim officium est rectè apparare cœnam. Miseram conditionem cocorum fuisse ex Martiale suprà didicisti, cùm serui essent, non item, si conductitij. Apud priscos magno honore habiti, nec indocti. Athenæus de cocis fusè. lib. 9. & 14. vbi celebres cocos laudat. Sed quare propter cœnam & non prandium cædebantur? Cœnabant semper, prandebant aut raro aut nunquam.

Nec cocorum, sed omnium seruorum miserabilis status legatur epist. 47. Seneca. Et Lipsii Electa.

Ad Cæsarem Domitianum.

XXIV.

Si quid fortè petam timido, gracilíq; libello,
Improba non fuerit si mea charta, dato.
Et si non dederis, Cæsar, permitte rogari:
Offendunt nunquam tura, precesque Iouem.
Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

Blandissimè mendicat. IMPROBA] Si libellus meus non impudenter magna petiuerit, si non fuerit aut sit importunus vt alibi dixit improba vota. QVI FINGIT SACROS AVRO, VEL MARMORE VVLTVS, NON FACIT ILLE DEOS: QVI ROGAT, ILLE FACIT] par est, vt mihi des, quod peto, quia ego te facio Deum. Nam vt non ille, qui statuas ædificat, siue aureas, siue marmoreas, sed ille, qui ædificatas adorat, facit Deos, ita ego, Domitiane, ostendo te esse Deum, qui te pecuniam rogo, & adoro, non ille, qui nihil petit, nec adorat. Ergo Martialis potiùs pecuniam Domitiani, quam Domitianum adorabat; si enim illa non caruisset, hunc non adorasset. Deos enim sibi quisque vtiles cudit, vt Petronius.

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua cælo
Fulmina cum caderent, discussaq; mœnia flammis.

De origine Idololatriæ Sap. 14. & 15.

Iam sibi quisq; Deos auido certamine fingit.

OFFENDVNT NVNQVAM] immo vero conciliant:

Munera crede mihi placant hominesq; Deosq;.

In

In Oppianum.

XXV.

Vidisti semel, Oppiane, tantùm
Ægrum me malè: sæpe te videbo.

Si tu gaudes, quòd me semel ægrum videris, quantoperè ego gaudebo, qui te sæpe vidi ægrotantem, qui semper æger es, nunquam sanus? De hoc d. sæpius. Nihil singulare hic video, nisi quid latet in hoc morbo mihi ignoto. Semel ægrum: referunt nonnulli ad paupertatem Martialis, qui nihil rogans etiam à Domitiano tum acceperat. Martialis Oppianum sæpe ait hoc morbo laborasse & laboraturum. Sed hoc diuinare est, an *διφίχει* non satis dispicio.

Ad Cæsarem Domitianum.

XXVI.

Non tot in Eois timuit Gangeticus aruis
Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo,
Quot tua Roma nouas vidit, Germanice, tigres:
Delicias potuit nec numerare suas.
Vicit Erythræos tua, Cæsar, arena triumphos,
*Et victoris opes, diuitiasq; * Dei.*
Nam cùm captiuos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

* Bacchi nempe.

Tigrides plures in spectaculum adduxerat Domitianus, à qua re Martialis illum laudandi occasionem arripit, ipsique Baccho, qui duabus tigribus triumphauit, anteponendi. NON TOT IN EOIS] Non tot in Asia, Indiaque venator Indus timet tigres, cùm venatur earum catulos, quot nuper tuo munere Romæ sunt visæ. EOA ARVA] periphrasis Indiæ. Orientis arua syluæ & nemora. GANGETICVS RAPTOR] eques venator Indus, vel Asiaticus dictus à Gange nobilissimo flumine Asiæ. Ptolemæus auctor. Plutarchus libello de fluminibus, olim Chiliarum appellatum docet. de eodem Mercator in tabula generali. Plinius lib. 6. cap. 18. Ouidius 4. Metam.

Decolor extremo qua cingitur India Gange.

In Scythicis montibus ortum tradunt alij, in quem 19. amnes influunt. RAPTOR IN HIRCANO QVI FVGIT ALBVS EQVO] qui captis catulis tigrium celerrimè fugit plenus timoris, & pallidus, ac albus præ terrore, cùm audit fremitum sequentis feræ. qua de re sic Plinius lib. 8. cap. 18. *Tigrim Hircani & Indi ferunt, animal velocitatis tremendæ, & maximè cognitæ, dum capitur. Totus enim fœtus, qui semper numerosus est, ab insidiante rapitur, equo quàm maximè pernici, atque in recentem subinde transfertur. At vbi vacuum cubile reperit fœta (maribus enim cura non est sobolis) fertur præceps odore vestigans. Raptor appropinquante fremitu abiicit vnum è catulis. Tollit illa morsu, & pondere etiam ocyor acta remeat, iterumq; consequitur, ac subinde donec in nauem regresso irrita feritas sæuit in littore.* Hæc Plinius. Ælianum & Oppianum vide. Elegantissimè Valerius Flaccus lib. 1.

——haud aliter saltus vastataq; peruit
Venator cùm lustra fugit, dominóque timentem
Vrget equum, teneras complectens pectore tigres,
Quas astu rapuit pauido, dum sæua relictis
Mater in auerso catulis venatur Amomo.

Addit Pierius lib. 10. de tigride, equum à raptore in littore relinqui, eumq; à fera redeunte totum discerpi, vnde natum est, vt qui vltionem significare volunt, tigridem & equum ab ea laceratum pingant. IN HYRCANO EQVO] quia in India & Hyrcania sunt tigres, inquit Domitius: quod quidem non inficiamur, sed cur Hyrcano equo? quia Hyrcanus venator in Hyrcania vtebatur Hyrcano equo, Indus Indo, nisi fortè celeritatem velit notare. Sed videtur Hyrcano equo vti in India, cùm hic de venatione tigrium Indarum agat. QVOT TVA ROMA NOVAS] Augustus tigrim primus cicurem in dedicatione theatri Marcelli ostendit in caueâ. Claudianus quatuor. Quot Domitianus exhibuerit, adhuc quæro; quin maximus numerus fuerit, dubitari non potest, cùm poëta dicat in hoc disticho numerari non potuisse. quod etsi hyperbolicoteron dictum est, tamen copiam significat non vulgarem. plura lib. spectaculorum ad illum versum. *Lambere securi, &c.* VICIT ERYTHRÆOS] tuum amphitheatrum superauit triumphum Bacchi apud Indos, qui victis

Indis geminis tantùm inuectus tigribus triumphauit. Tertium autem Bacchus triumphauit. De mari rubro seu Erythræo disputat Strabo lib.6. Idem est, quod Æthiopicum, Indicum, Persicum mare. Inter Africam & Taprobanam insulam, & Asiæ meridionalem partem alluit. Diodorus Siculus Bacchum elephanto reuectum in patriam, omniumq; primum egisse triumphum scribit. Plinius lib 8. cap.2. NAM CVM CAPTIVOS AGERET] Cum triumpharet. SVB CVRRIBVS] De captiuis in triumphum ductis, Alexander ab Alexandris ex varijs auctoribus, & Tiraquellus ostendit lib.6. cap.6. Tunc reges, & captiui nobiles, & si qui bello capti insignes forent, præcipuè hostium duces, contra quos indictum fuisset bellum, ex tanto fastigio deiecti in vehiculis aut ferculis, cæteri verò catervatim vincti catenis in seruitij notam præcedebant. Blondus lib.10. triumphantis Romæ. Iosephus in triumpho Titi & Vespasiani. Plinius varijs locis. Dionysius, Dio, Ouidius, atq; plures alij. Triumphum Romanum iconibus descriptum exhibet nobis Panuinius. CONTENTVS GEMINA TIGRIDE BACCHVS ERAT] Concludit maiorem esse Domitianum Deum Baccho, qui in triumpho Indico tantùm duas habuerit tigrides. de vecto curru à tigribus Virgil.6.

> *Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis,*
> *Liber agens celso Nysæ de vertice tigres.*

Ouid.lib.1. de Arte.

> *Iam Deus in curru, quem summum texerat vuis,*
> *Tigribus adiunctis aurea lora dabat.*

Et idem in epist. Phyllidis. *Inq; capistratis tigribus alta dabat.*

Idem 4. Metamorph. lyncibus vectum tradit Bacchum.

> *——tu biiugum pictis insignia frenis*
> *Colla premis lyncum. Bacche, Satyriq; sequuntur.*

Idem Virgilius. *Quot lynces Bacchi variæ,——*

De lyncibus & tigribus Statius.

> *——effrena dextrâ, læuaq; sequuntur*
> *Lynces, & vda mero lambunt retinacula tigres.*

Vnde discis lynces quidem comites currus fuisse, tigres autem traxisse. quanquam Ouidius expressè dicat tractum etiam à lyncibus, sed hoc fortè in sacris, non in illo triumpho.

Ad Gaurum.

XXVII.

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, senique:
Si sapis, & sentis, hic tibi ait; morere:

Captatores testamentorum insidiabantur diuitibus ægris, viduis, & senibus, illisque munera mittebant, vt hæredes scriberentur. de hac fraude monet Gaurum poëta, vt sibi ab huiusmodi vulturum insidiis caueat. De captatoribus testamentorum multa Seneca lib.6. de Ben. cap.38. Martialis lib.6. *Scis te captari.* Plinius epist. lib.2. Quintilianus, vt vulgo putatur declam. vltima. Gruterus ad Senecam, &c. Petronius plurima Satyrico. Lucianus in Mercurio & Plutone, de Eucrate, aliisque compluribus locis. Brissonius 13. de verborum signif. MORERE] vt ipse statim succedat in bona tua. M. Tullius in Paradoxis: *Quis nutum senis orbi locupletis non obseruat?* Seneca Consol. ad Marc. *In ciuitate nostra plus gratiæ orbitas confert, quàm eripit.*

De Partheniana toga.

XXVIII.

Dic toga, facundi gratum mihi munus amici,
Esse velis cuius fama, decusq; gregis?
Appula Ledæi tibi floruit herba Phalanti,
Qua saturat Calabris culta, Galesus aquis?
An Tartesiacus stabuli nutritor Iberi
Bœtis, in Hesperiâ te quoque lauit aqua?
An tua multifidum numerauit lana Timauum,
*Quem * prius astrifero Cyllarus ore bibit?*
Te nec Amyclæo decuit liuere veneno:
Nec Miletus erat vellere digna tuo.

* pius.

Lilia

Lilia tu vincis, nec adhuc dilapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiaq; columba:
Cedet Erythrais eruta gemma vadis.
Sed licet hæc primis niuibus sint æmula dona,
Non sunt Parthenio candidiora suo.
*Non ego prætulerim * Babylonica picta † superbè*
Texta, Semiramia quæ variantur acu.
Non Athamanteo potius me mirer in auro.
*Æolium dones si mihi Phryxe, * decus.*
O quantos risus pariter spectata mouebit
*† Trita palatinâ * vestra lacerna togâ.*

* V. Babylonos. † V. superba. * V. pecus molione. † V. Cum. alij culta. * V. nostra. vestius Lipsius probat cum. * nostra lego.

Donatus à Parthenio præfecto cubiculi Domitiani nobili togâ Martialis, petit rectè meliorem etiam lacernam, alioqui se ludibrio fore populo, si nobilissima, candidissimaque togâ incedat, & vilem, tritamq; lacernam togæ nouæ iniiciat. DIC TOGA] prosopopœiâ togam alloquitur. FACVNDI] Parthenius enim, de quo suprà copiosè, & doctus erat, & poëta, & infrà lib.9.epig.50. de hac eadem togâ. *Partheniana fuit, quondam memorabile vatis*
Munus.——

CVIVS GREGIS] cuius lanæ, & velleris gloria, quando sunt varia genera lanarum, aliud crassius, aliud nobilius, &c. APPVLA LEDÆI] enumerat præstantissima genera vellerum, inter quæ primum Tarentinum, de quo lib.14.epigr.155.

Velleribus primis Appulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ouis.

Torrentius ad Horat. lib.2. Od.6.

APPVLA] Apulia, in quâ Tarentum. LEDÆI] Lacedæmonij, Leda mater Castoris & Pollucis Lacedæmonia. PHALANTI] Tarentinæ vrbis conditoris lib.5.epig.38.

Agna Galesi mollior Phalantini.

Quo loco plura de Phalanto. FLORVIT HERBA] quam oues Tarentinæ depastæ sunt: caussa remota pro effectu συνεκδοχικῶς; herbæ enim ouibus detonsæ vertuntur in naturam ouis, & tandem in vellera. Quanquam philosophorum senatus hoc fortè negabit, qui capillos & crines censet non augeri, &c. sed poëtæ non semper ad amussim philosophantur. QVA SATVRAT CALABRIS CVLTA GALESVS AQVIS] vbi Galesus flumen à Calabris ortum, culta irrigat, id est, agrum Tarentinum, per Tarentum enim Galesus labitur. AN TARTESSIACVS BŒTIS] Bœtis fluuius Hispaniæ, à quo Bœtica dicitur, Plinio Hispania vlterior. Bœtis Straboni, alio nomine Tartessus. Stephano Perce dicitur. Linius ait Circen incolis appellari. extat ad Bœtim Martialis carmen lib.12. vltimum. STABVLI NVTRITOR IBERI] fluuius, qui bibitur Hispanis ouibus. MVLTIFIDVM TIMAVVM] Timauus seu fluuius, seu fons maris in diuortia abit, vt canit lib.4. poeta noster, hoc multifidum, siue diuisum in multa ostia,

Hic vbi septenas Cyllarus haurit aquas.

Est in Venetûm agro ad forum Iulij, ponit & noster iuxta Aquileiam. Hic ergo rectè meo animo Merula contra Domitium Altinam lanam, non Patauinam intelligendam docet. nam & poëta lib.13. dat huic lanæ tertias, & Altini littora describit lib.4.epig.25. vbi Timaui meminit.

Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo.

CYLLARVS] Equus Castoris donatus à Mercurio, lege, quæ suprà hoc libro, & ad lib.4. diximus. ASTRIFERO] quia relatus in astra, vel potiùs astrum ferens, vt suprà epig.21.

Ledæo poteras abducere Cyllaron astro.

Id est, Castori poteras auferre. Vide Stesichorum. LIVERE] Laconico colore, quem alij coccinum, alij purpureum, alij viridem, alij denique cæruleum existimant. Purpureum Horatius & Papinius, qui virides nominat Amyclas. De viridi hoc loco interpretor. Statius 6.Theb.

——*hunc virides non excipietis Amyclæ.*

Ideo dicit Martialis togam Parthenianam non fuisse infectam Amyclæo colore, quia viridis, color muliebris, vt suprà docuimus. togæ candidus virorum. LIVERE] succo imbui; liuor enim succus; metaphora ab exulcerato, & liuente vulnere. NEC MILETVS] Oppidum Asiæ, & caput Ioniæ, in quo periit Pompei filius, tingebantur ibidem lanæ, Virgilio teste. Georg.3. *quamuis Milesia magno Vellera mutentur.* Cic.3. in Verrem. Columella lib.7. cap.2. Generis eximij Milesias,

Calabras

Calabras, Appulas nostri existimabant, earumq; optimas Tarentinas Virgil. 4. Georg. Tertull. de Pallio, cap. 3. & de habitu mul. VELLERE DIGNA] lanæ Milesiæ Plinius tertium locum tribuit. lib. 8. c. 48. LILIA TV VINCIS] candore. LIGVSTRA] ligustrum arbor est oleæ foliis circum ramos similis, vt Dioscor. li. 1. c. 107. docet eodem nomine florem gignit candidum, odoratum. plura de has Matthiolus ad Dioscoridem. Seruius ad secundam Eclogam Virgilii. *alba ligustra cadunt.* & omnes Virgilii interpretes. NEC ADHVC DELAPSA] decerpta enim subito flaccescunt, ad quod Virgilius respexit, cum cecinit alba ligustra cadere, ac si diceret, candida sunt quidem ligustra ramis hærentia, simul ac vero cadunt, languent, marcescuntque. TIBVRT. NON ALBET EBVR] cœlum Tiburtinum frigidum, eoq; ebori candefaciendo seruiebat, vt alibi exposuimus. De fossili ebore Theophrastus. Et Plin. li. 36. c. 18. SPART. OLOR] Intelligit cygnum, quem Iupiter induit omnium candidissimum, Spartanum autem vocat, quod Leda Iouis pellex Spartana esset, eadem ratione Amyclæi, & Lacones appellantur. PAPHIÆQ. COL.] Veneris columbæ. Columbas enim Veneri consecrauit antiquitas, vt pauonem Iunoni, Cygnum Apollini, alias aliis. Hinc Cytheriacæ, & Paphiæ à poetis appellantur. Sacras autem esse Veneri Martialis etiam lib. 13. docet.

Ne violes teneras perjuro dente columbas,
Tradita si Cnidiæ sunt tibi sacra Deæ. Vide Satyr. Petronii.

PAPHIÆ] à Papho insula Veneris, vbi colebatur. Virg. 1. Æn.

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesq; reuisit
Læta suas, vbi templum illi, centumq; Sabæo
Ture calent aræ, sertisq; recentibus halant.

ERYTHRÆIS VADIS ERVTA GEMMA] vniones, margaritas nobilissimas ait ex mari rubro extrahi. Plin. lib. 9. epist. 35. copiose. vbi & in sinu Persico Arabiæ, maris rubri ait laudatissimas reperiri. PRIMIS NIVIBVS] non calcatis, intactis. DONA] vestis, toga. PARTHENIO SVO] ad animum & pectus refer Parthenii. BABYLONIS PICTA TEXTA] Babylon Plin. lib. 8. c. 48. teste docuit diuersos colores picturæ intexere. summi pretii erant triclinaria Babylonica. Silu. lib. 14.

——fuluo certaret vt auro
Vestis spirantes referens subtegmine vultus
Quæ radio celat Babylon.

Apul. 1. Flor. *Habebat cinctum baltheum quod genus picturâ Babylonica miris coloribus variegatur.* Rufin. li. 7. belli Iud. c. 24. Plura suppeditabit Brisson. l. 2. de verb. signif. Picta ergo, coloribus variis distincta accipe. SEMIR. ACV] id est, Babylonica. Semiramis regina Babylonis. nota res, & vbiq; clara, de picta veste, & triumphali alibi disputauimus. ATHAM. AVRO] non tam grata mihi foret vestis ex aureo Phryxi vellere confecta, quam tua toga Partheni. Athamas pater Phryxi & Helles fuit. ÆOLIVM * DECVS] auream vestem aui. Æolus Athamantis pater, Phryxi auus, de quibus fabulæ. O QVANT. RISVS MOVE.] Varie legitur hoc distichon. mihi arridet vetus liber, qui sic habet postremum versum. CVM PALAT. NOST. LACER. TOGA] Et intellectus existit ipso sole clarior. Quantopere ridebunt me spectatores, cum me noua, & plane nobili togâ ornatum, simulq; vili superiniecta lacerna indutum, & contemptum videbunt? simul enim apparebo Crœsus & Irus, Cæsar & nihil. Ita recte petit à Parthenio etiam nouam lacernam, vt munus sit perfectum. Si scribas (culta Palatina) sensus erit, nostra lacerna vilis & trita, sed noua toga conspicua, me videndum populo exponet, cum simul pulchram induero togam, & pannosam lacernam. Iunius legit. * TRITA PALAT. VESTRA LAC. TOGA] parum emendate, & plane. vetus scriptura placet, vt legatur, nostra.

*V poemat. ubi male de areo aureâ vellus habente. Ita Lipsius ex veteris lectione docet legendum. Et ex Suetonij Augusto c. 40 constat lacernas togis mitti solitas. Noster hunc morem sæpius notauit lib. 5. & alius locis.
* Trita culta. V. com. V. nostra.

De distichis.

XXIX.

Disticha qui scribit, puto vult breuitate placere:
Quid prodest breuitas, dic mihi, si liber est?

Epigrammata laudantur à breuitate, eoque promptius leguntur, quo breuiora, & argutiora sunt. poeta ridet hanc breuitatem in libro epigrammatum. Liber enim epigrammatum, quamuis distichis conscriptus, æque liber est, atq; aliorum poematum volumina. Sidonius lib. 8. epist. Lampridium quendam oratorem laudat à breuitate. *Præterea*, inquit, *quod ad epigrammata spectat, non copia, sed acumine placens, quæ nec breuius disticho, nec longius tetrasticho finiebantur.* Extat de eadem re in Anthologia epig. lib. 1. c. 44. Cyrilli.

Πᾶν καλὸν ἐς' ἐπίγραμμα τὸ δίστιχον, ἢν δὲ παρέλθῃς
Τὰς τρεῖς, ῥαψῳδεῖς, κοὐκ ἐπίγραμμα λέγεις.

Et primum eod. c. 44. Anthologiæ Parmenionis tetrastichon. Hinc Martialis longitudinem suorum epigrammatum sæpius nunc excusat, nunc excusatam dicit. lib. 1. epig. 111. lib. 2. epig. 72. lib. 3. epig. 82. lib. 6. epig. 65. & aliis locis. de breuitate epigrammatis plura in prolemmatis.

De spectaculo Scæuolæ,

XXX.

*Qui nunc Cæsarea lusus * spectantur arena.*
Temporibus Bruti gloria summa fuit.
Aspicis, vt teneat flammas, pœnaq; fruatur
Fortis, & attonito regnet in igne manus.
Ipse sui spectator adest, & nobile dextra
Funus amat: totis pascitur illa sacris.
Quod nisi rapta foret nolenti pœna, parabat
Sæuior in † laxos ire sinistra focos.
Scire piget post tale decus, quid fecerit ante:
Quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum.

* *spectatur.*

† *V. lassos. eleganter, quasi iam victos & languentes.*

Vt in lib. spect. tribus epigrammatis, rei ac damnati personas egêre Dædali, Laureoli, & Orphei, ita ficititius hic Scæuola ad exemplum C. Mutii Scæuolæ dextram foco iniectam in amphitheatro exussit. Cuius fortitudinem celebrat hoc epigrammate poeta. Sed inf. à lib. 10. epig. 25. ait coactum fecisse, putat non nemo hunc fuisse Christianum, sed nullo argumento. QVI NVNC LVSVS SPECT.] tempore Domitiani fortiores affirmat esse viros, quam Bruti (quo quidem Dominum palpat) sæculo. quod enim olim vix in re seria, & necessaria ausi fuêre omnium iudicio fortissimi, id nunc per ludum in iocum passim faciunt homines. CÆSAREÆ ARENÆ] in amphitheatro Cæsaris, quod συνεκδοχικῶς arena vocatur. TEMP. BRVTI GLORIA SVM. FVIT.] Quo tempore Lars Porsena Clusinus Rex à Tarquiniis exactis solicitatus, cum infesto exercitu Romam venit, Vrbiq; tantum terrorem iniecit, quantum ante nunquam Roma experta fuerat. In quo bello tria æternæ virtutis & memoriæ exempla edita sunt à Romanis. Horatius enim Cocles vnus & solus totum exercitum sustinuit, dum pons sublicius rescinderetur. Clælia virgo vna ex obsidibus inter tela hostiu Tiberim tranauit. Et C. Mutius solus in castra hostium penetrauit, ipsumq; Regem occisurus, dextram in regis persona errantem, & scribam pro rege mactantem foco iniecit & exussit. Quod factum hic personam Scæuolæ agens in amphitheatro repræsentauit. Liuius lib. 1. de primæ Dionysius Halicar. lib. 5. Valerius Max. lib. 3. c. 2. & 3. Martialis lib. 1.

Multa super hoc l. 1. 22. ex Tertulliano & aliis d.

Dum peteret Regem decepta satellite dextra, &c.

Virgilius lib. 8 Æn. de Mutio tamen tacet. TEMP. BRVTI] Brutus iam interierat ab Arunte, & Aruns à Bruto interfectus. Liuius li. 2. Dionys. l. 5. Porsena autem sequenti anno, qui fuit A. V. C. C. C. XL V. Romam obsedit. Vide Sigonium in fastis & triumph. Rom. anno vero CC XLVI. pacem cum Romanis fecit. Dionysius tamen lib. 5. quem Sigonius sequendum putat, obsidionem in CC XLVII. annum reiicit. GLORIA SVMMA FVIT.] sic de Meleagro & Carpophoro superius est locutus.

Summa tua Meleagre fuit quæ gloria famæ.

Et de gloria huius Scæuolæ lib. 1. epig. 22.

Maior decepta fama est & gloria famæ,
Si non errasset fecerat illa minus.

Ita Valerius Max. lib. 3. cap. 2. *Cuius clementiam non adulatam Mutius, tristior Porsena salute, quam sua lætior, vrbi se cum æterna gloria cognomine Scæuolam reddidit.* ASPICIS VT TENEAT FLAMMAS: PŒNAQ; FRVATVR.] Patientiam describit eius, qui Scæuolam imitabatur, quam patientiam lib. 1. vocat læua miracula. & de contempto igne à Mutio eodem lib. FRVA. FORTIS] patiendo illustrior fiat. Ita fere locutus Seneca in Hercul. Furente.

——superat & crescit malis
Iraq; nostra fruetur.

Et Iuuenal. Sat. 1. *Exul ob actaua Marius bibit & fruitur Diis*
Iratis.——

REGNET] superior igne & contemptrix ignis, quam ipse ignis attonitus stupuerit. IPSE SVI SPECT. ADEST.] Ita fuit idem & spectator, & spectaculum. sic loquitur de cygno.

Cantator cygnus funeris ipse sui.

NOBILE DEXTRÆ FVNVS AMAT] funera rogo inferebantur. Mutius manum iniecit, vitium funus. TOTIS PASCITVR ILLA SACRIS.] Exuritur in foco. QVOD NISI RAPTA FORET NOLENTI PŒNA]

POENA] Iussit Cæsar ad imitationem Porsenæ damnatum ab igne remoueri. sic enim Liuius de Porsena. *Quam cum velut alienato ab sensu torreret animo, prope attonitus miraculo Rex, cum ab sede sua prosiluisset, amoueriq; ab altaribus iuuenem iussisset*, &c. Et Martialis lib. 2. *Et raptum flammis iussit abire virum*. SCIRE PIGET POST TALE DECVS, QVID FECERIT ANTE; QVAM VIDI, SATIS EST HANC MIHI NOSSE MANVM.] Conclusio à comparatione præteritorum & præsentis facti. Non certo constat hunc, qui Scæuolam egit, fuisse facinorosum, fortean ipse vltro tale specimen patientiæ, gloriæ causa spectante Domitiano edere voluit. extremus hic versus est ambiguus. Non lubet, inquit, in priorem vitam inquirere, quæ scelera (si reus & scelerosus) ediderit; hoc enim vno facto omnia priora facta, seu bona seu mala obliterauit; aut si egregia, tamen cum hoc non conferenda. si damnata, facile hac pœna voluntaria deleta. SAT. EST HANC MI. NOS. MAN.] fortiore igne. Ita [illegible] hunc locum Lips. *Non inquiro, cur ille damnatus in arenam fuerit ad tam tristem pœnam.* (haud dubie scelus aut parricidiū ea dextra patrauerat; *sed sufficit vidisse hanc manum in igne illo sic constantem, & merito purgatam.*

Vltro enim se nonnunquā ad ignes ambulabant, vt Tertullianus ad Martyres narrat. Reum tamē fuisse existimo cum Lipsio in notis, quod etiam ex li. 10. colligas vbi de molesta tunica agit ep. 25.

In Dentonem.

XXXI.

Nescio quid de te non belle, Dento, fateris;
Coniuge qui ductâ iura paterna petis.
Sed iam supplicibus dominum lassare libellis
Desine, & in patriam serus ab vrbe redi.
Nam dum tu longe deserta vxore, domoq;
Tres quæris natos, quattuor inuenies.

Dento maritus à Cæsare trium liberorum ius petiuit, vel quod ipse liberos procreare non posset, vt Plinius minor, vel nescio, qua alia de causa. poeta, vt ex vrbe maturius in patriam redeat, (nec enim erat Romanus) monet, non impetrato iure trium liberorum, quatuor Domi repertum iri ex adulterio vxoris susceptos. De iure trium lib. disputauimus superius. epigramma est venustum & acutum.

Conclusio arguta quid quæris foris, quod domi, inuenies amplius?

De columba Aretullæ.

XXXII.

Aera per tacitum delapsa sedentis in ipsos
Fluxit Aretullæ blanda columba sinus.
Luserat hoc casus: nisi inobseruata maneret,
*Permissaq; * sibi nollet abire fuga.*
Si meliora piæ fas est sperare sorori,
Et Dominum mundi flectere vota valent:
Hæc à Sardois tibi forsitan exulis oris,
Fratre reuersuro, nuncia venit auis.

* Da.

Ominatur Aretullæ fratris ab exilio reditum. AERA PER TACITVM.] Existimat Domitius in Theatro id factum, quando missilia & direptionem populo Domitianus dedit. Ego aliter iudico. Primum in Circo & Amphitheatro potissimum missilia dabantur. Deinde maximus inter direptionem clamor excitabatur, cum noster poeta dicat tacitum per aera. Præterea dicit inobseruatam mansisse in sedentis gremio. Nihil horum in spectaculis: vbi sedebant quidem, sed in rapinam oculis, & mente, & manibus incumbebant. Nec sedisse reor diripientes. Ergo probabile est extra spectacula alicubi seu foris accidisse hoc Aretullæ. Insuper nec casus omnino videri poterat, si præda captabatur, vt in direptione solebat. Sed de missilibus nos plura lib. hoc ep. 78. de ludis stellæ. LVSERAT HOC CASVS] sæpius aues ominis causa ad homines vltro aduolasse leguntur. ad Priscum Tranquinium, aquila. Liuius. plura Valerius Maxim. lib. 1. c. 4. Sensus est. casu factum videri poterat, nisi etiam non retenta in gremio Aretullæ mansisset. SI MELIORA SPERARE FAS EST] non fuit ergo casus, sed omen fratris ab exilio reuocandi. HÆC A SARDOIS] videtur hæc columba è Sardinia, vbi frater exulabat, tibi nuncia venisse. Sardinia autem grauis insula, in quam exules, vt & in Gyaros mittebantur. Martialis.

——*in medio Tibure Sardinia.*——

NVNCIA VENIT AVIS.] Lege Frontinum l. 3. Stratagematum de columbis per Hircium cum

litteris ad Brutum Mutinæ obsessum missis. vbi plura de mittendo & recipiendo nuncio. Morrhes Ægyptiorum Rex cornicem nunciam habuit. Ælianus lib. 6. Animal. c. 7. Suidas, Alexander Neapol. lib. 1. cap. 27. Et Plinius refert Cecinnam hirundines habuisse victoriæ nuncias. Alexander Neapol. de columbis, & hirundinibus. Lipsius lib. 2. Satur. cap. 6. Elegantissimum est Anacreontis carmen de columba nuncia, cuius hoc est initium. Ἐρασμίη πέλεια. amabilis columba, &c. Quam varie apud diuersos auctores literarum mittendarum artes sint repertæ, non est huius loci exponere. De columba addo Honorio II. Pontifice exercitus Christianorum Tyrum vrbem, in mari, natura fere Venetiarum, sitam quintum mensem obsidebat, nec spes erat eius tum occupandæ; cum animaduersum est columbam sæpius per aerem commeare, quod cœpit obsidentibus esse suspectum. Obseruatam ergo cum super castra ferretur, ingenti fremitu & clamore excitato, fragore tormentorum attonitam deiecerunt, vt in ipsa castra deflueret. Habebat ad pedes appensam chartam a Rege Damasci Tyriis inscriptam, qua rex firmabat animos obsessorum; rem fortiter gererent, nec despondérent animos, nec vlla se ratione dederent, mox suppetiatum se venturum. Erat epistola Arabico charactere exarata; Nostri, illa oppressa, scr. plere Regis nomine eadem lingua aliam, quasi significarunt Tyriis, nullam esse spem auxilii à Damasco, consulerent ipsi rebus suis. Quod vbi responsum Tyrii per remissam columbam acceperunt, se & vrbem, rebus desperatis, nostris dediderunt. Auctor Antonius Ciccanellus in vitis Pontificum. Itaque falluntur qui morbo comitiali columbas laborare ex hac causa suspicantur. Nec taceo columbam Achitæ ligneam de qua sic Gellius: *Sed id quod Archytam Pythagoricum commentum esse atque fecisse traditur, neque minus admirabile, neq; tamen vanum aque videri debet: Nam & plerique nobilium Græcorum, & Fauorinus philosophus memoriarum veterum exequentissimus affirmatissime scripserunt, simulacrum columbæ è ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaq; mechanica factum volasse. Ita erat scilicet libramentis suspensum, & aura spiritus inclusa atq; occulta concitum. Libet Hercle super re tam abhorrenti à fide ipsi Fauorini verba ponere:* Ἀρχύτας Ταραντῖνος, φιλόσοφος ἅμα καὶ μηχανικὸς ὤν, ἐποίησε περιστερὰν ξυλίνην, πετομένην, ὅτε σήσειε καθίσειεν, οὐκέτι ἀνίστατο, μέχρι γὰρ τούτου. Etiam quæ sequuntur non minus admiranda. Cum ferretur à Gabinio lex de Imperio Pompeii aduersus piratas Plutarchus ait vsque adeo populum succlamasse, vt forte Fortuna superuolitans coruus decideret in forum, quod potuit ex concusso tantis clamoribus aere accidisse, vt quasi fluctibus agitaretur, vnde vertigo coruum occupauit. Mirius est quod Lucianus de scribenda historia narrat, quemdam in prælio adeo vociferatum esse, vti primum decem redderet attonitos, mox eosdem in terram deiiceret. Quæ vero de columbis nunciis affirmauimus docet etiam Tibullus libro 1.

Quid referam volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro.

Ad Paullum de phiala.

XXXIII.

De prætoricia folium mihi, Paulle, corona
Mittis, & hoc phialæ nomen habere iubes.
Hac fuerat nuper nebulâ tibi pegma perunctum,
*Pallida * quam rubri diluit vnda croci.*
An magis astuti derasa est vngue ministri
Bractea, de fulcro († quod reor esse) tuo?
Illa potest culicem longe sentire volantem,
Et minimi penna papilionis agi.
Exiguæ volitat suspensa vapore lucernæ,
Et leuiter fuso rumpitur icta mero.
Hoc linitur sputo Iani caryota Kalendis,
*Quam fert cum * paruo sordidus asse cliens.*
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo,
Plena magis nimio lilia sole cadunt.

* quod. Sic refertur ad pegma, sed retineo, quam, quia dicit finsse vndam croco dilutā vt ruberet. † quam præfero hanc.

* V. parto.

Non

Non vaga tam tenui † discursat aranea telâ: † *Discurrit mollius.*
Tam leue nec bombyx pendulus vrget opus.
Craßior in facie vetulæ stat creta Fabullæ:
Craßior offensæ bulla tumescit aquæ.
*Fortior * intortos seruat vesica capillos,* * *& tortos.*
Et mutat Latias spuma Batauа comas.
Hac cute Ledæo vestitur pullus in ouo:
Talia lunatâ splenia fronte sedent.
*Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere * poßis?* * *possis.*
*Mittere cum * poßis vel cochleare mihi?* * *possis.*
*Magna nimis loquimur: * cochleam cum mittere poßis:* * *v. cochlear.*
Denique cum poßis mittere, Paulle, nihil.

Extenuat Pauli munus sibi missum. Phiala gentis poculi est, de quo lib. 3. epig. 42. diximus. DE PRÆTOR. FOLIVM CORONA.] Victores in ludis coronatos, testantur Latini & Græci scriptores. Ludis porro post Reges prætores præfuêre, vnde prætoriciæ coronæ appellantur. Editores autē non sunt soli prætores, sed & ædiles, quæstores, consules, sacerdotes, ærarii, Imperatores Lips. lib. 1. Sat. c. 9. Bullengerus libro de Circo, c, 42. Quod autem Martialis folium appellet, intellige coronas fuisse argenteas in foliorum seu florum, seu arborum formas fictas, audi Plin. lib. 21. c. 2. de corona aureis foliis & argenteis facta sic loquentem. *Crassus*, inquit, *diues, primus argento auroq; folia imitatus, ludis suis coronas dedit*, &c. bracteæ igitur vel aureæ vel argenteæ flores & folio exprimebant: fuisse autem laminas tenuissimas, hic Martialis versus docet, quo confert phialam Paulli non solidam & crassam, sed subtilem, & instar paginæ tenuem. folium, inquit, coronæ, non phialam misisti mihi. De coronis plurima leges apud Bullengerum de Circo c. 54. Coronarum originem ex Tertull. lib. de corona militis intelliges. HAC NEB. FVE. TIBI PEGMA PERVNCT.] pegmata, de quibus lib. spect. dictum, erant ornata & inducta auro, vel argento, sed tenui, vt solent apud nos statuæ DD. & aræ inaurari, quanquam Imperatores nonnunquam magnam in iis vim argenti consumpserint. Sic enim Plinius de Caio. *Pegma duxit, in quo fuere argenti pondo centum viginti quatuor.* plura de pegmatibus Faber in Semestribus: & Lipsius lib. de Amphitheatro c. 22. PALL. QVAM VNDA RVBRI CROCI DIL.] In theatris, & spectaculis, & conuiuiis miro artificio crocus dulci vino mixtus è fistulis, vel statuis, vel aliis machinis exprimebatur. vt ex Apuleio, Plinio, aliisq; auctoribus lib. spect. declaratum est: Hinc vocat pallidam vndam croci. tritum enim crocum vino colorem pallidum & flauescentem, simulq; odorem largiebatur. Hic dubites, an imber hic ex ipso pegmate fuerit missus, an ex altiori loco theatri in pegma inciderit. DILVIT] quia inductum pegmati aurum vel argentum erat tenue; ait dilutum fuisse ab illa sparsione, id est, ablutum, aut certe mixtum. AN DER. VNG ASTV. MINIST. BRACT. DE FVLC. TVO] pedes, quibus fulciebantur lecti, seu fulcra ex ligno, ære, argento, auro etiam fiebant. de ligneis habes apud Terentium in Adelphis. *Lectulos in soles ligneis pedibus faciendos dedit, vbi potetis vos.* De æreis Plin. lib. 32. c. 11. & Lampridius in Heligabalo, à quo, solido argento factos habuisse lectos affirmat triclinares & cubiculares. Neq; lecti tantum, sed statuæ, sellæ gestatoriæ, lacunaria sunt olim imbracteata. De statuis Ammianus Marcell. lib. 14. *Easq; auro curant imbracteari.* & 17. *Facis imitamentum in figura areum, itidem auro imbracteatum.* De sellis & gestatoriis Sid. lib. 8. epist. 8. Idem de Lacunari lib. 2. epist. 10. Sauaro plura ad Sidonium. Hos lectos vocabant Græci κλίνας ἀργυρόποδας. Suetonius in Caligula narrat seruum in publico conuiuio ob detractam lectis argenteam laminam seu lamnam carnifici traditum. De aureis Virg. 6 Æneid.

—— lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris. ——

Et Plinius libro 37. cap. 2. Quæres, quo pacto vngue potuerit deradi argentum? Bracteis argenteis vestita erant fulcra, & lecti. primus argentum Caruilius Pollio dicitur à Plinio, lectis addidisse. Vt autem lignum ebur, testudines in bracteas sunt secta, ita & argentum. bracteæ autem erant tenuiores, & facilius abradi poterant, præsertim cum operirentur lecti argento, tam tenui lamina. bracteæ autem tam sunt tenues, vt plicari possint, lamina crassiora. de hoc more fulcrorum ornandorum lege Petrum Ciaconium de triclinio. fures huius notæ & rasores laudat Iuuenal. Sat 13. etsi de statuis ibi: Flinderle.

Hæc ibi si non sunt, minor extat sacrilegus qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam

Neptuni. qui bracteolam de Castore ducat
An dubitet solitus totum conflare Tonantem.

Apud Senecam ep. 41. leo bracteatus est aurata iuba. putant bracteam à βράχειν clamo quod sit stridula & tinniat, diduci. Poeta vero phialam Paulli bracteis hisce argenteis tenuissimis comparat. QVOD REOR ESSE.] Ita potius existimo, nempe de fulcro esse tuo bracteam. si legas, (quam) tollenda est parenthesis. ILLA POTEST CVLICEM LONGE SENTIRE VOLANTEM] incredibilis extenuatio. tam, inquit, est tua phiala subtilis & tenuis, vt moueatur & crepet, cum culex aut papilio, quamuis procul inde, transuolet; quouis enim vento, vt charta, vel bracteola, impellebatur. EXIGVÆ LVC. VAP. SVSP. VOL.] velut charta paullo altius candelæ imminens mouetur calore, sic ob tenuitatem tua phiala, quæ nec modicum vini sustinet, quin rumpatur. HOC LINITVR SPVTO IANI CARYOTA CALEN.] Caryota est palmarum fructus, qui operiebatur tenuissimis auri tunicis seu bracteolis, vt hodie saccarum, mittebaturq; Xenii loco patronis ad Calendas Ianuarias à clientibus. Martialis lib. 13.

Multa ad hunc locum Heraldus.

Aurea porrigitur Iani caryota Calendis,
Et tamen hoc munus pauperis esse solet.

Vbi de caryotis ex Tertulliano, Merula, Ioseph. Scaligero, ad lib. 1. Tibull. *Quid fuco splendente genas onerasse.* multa leges. putat enim Scaliger non fuisse auream bracteam, sed succum ex madido pane, quem sputorum vmbilicos appellat Tertullianus. Itaq; corium seu crustam fuisse caryotarum ait, ex pane madido & tincto factam. QVAM FERT CVM PARCO ASSE CLIENS] patrono, muneris loco, vt diximus. Fuse super hoc more & causa Heraldus ad hunc versum. LENTA MINVS GRACILI CRESCVNT COLOCASIA FILO] Colocasia, vt Plinius loquitur, vel colocasium, vt Virgilius, * & Martialis, est faba Ægyptia, vel potius radix fabæ Ægyptiæ, quam Græci κύαμον vocant, de qua Martialis lib. 13.

** Ecl. 4. Mistaq; ridenti colocasia fundet acantho.*

Niliacum ridebis olus, lanasq; sequaces,
Improba cum morsu fila manuq; trahes.

Multa super colocasiis Athenæus lib. 3. Casaubonus cap. 1. ad eundem. LENTA] flexilia, cocta enim colocasia, vt fila tenduntur. lege plura apud Dioscoridem lib. 2. cap. 99. Plinium lib. 21. c. 15. Theophrastum lib. 4. c. 10. de plantarum historia Ruellium lib. 2. c. 39. nos quæ videbantur, ad lib. 13. attulimus. PLENA LILIA] liliorum folia cadentia sunt crassiora tua phiala. ARANEA TELIS] quæ sunt tenuissimæ: ita vt fila sæpe videri non possint, vti & bombycum, quæ sericum vomunt. de bombycum labore scripsit elegans poema Hieronymus Vida, non ignobilis poeta. Plinius lib. 1. c. 22. *Telas, inquit, araneorum modo texunt ad vestem luxumq; fœminarum, quæ bombycina appellantur prima eas redordiri, rursusq; intexere inuenit in Ceo mulier Pamphila Plateæ filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis.* plura sequenti capit. CRASSIOR CRETA FABVLLÆ] Cretam Chiam intelligit, & Selinusiam, de quibus lib. 36. c. 16. Plinius. *Est, inquit, in medicaminibus & Chia terra candicans. effectus eius, qui Samia, vsus ad mulierum maxime cutem. idem & Selinusiæ.* OFFENSÆ AQVÆ BVLLA] eleganter causam bullientis aquæ vno verbo exprimit, cum offensam ait, id est, percussam. alia bullæ significata nihil huc faciunt. FORTIOR VESICA SERVATINI ORTOS CAPILLOS] reticulum capillorum, seu vittam tenuis, de qua in Anthologia.

** ſῶνεχ.*

Πορφύρεον χαίτης * ἐκνεχ κεκρύφαλον.
Purpuream vittam, qua coma vincta manet.

Et in eadem. Ἡδὲ φιλοπαίγμονι κόμας σφιγκτῆρα φιλαινὶς
Βασσὸν ἁλὸς πολιῆς ἄνθεσι κεκρύφαλον.
Atq; coma implexa retinaclum, murice tinctam
Ceruleo vittam lauta Philenis habet.

Lege de hac seu vitta, seu retinaculo, seu reticulo, tæniaue commentarium Iunii de coma. Martialis translate vesicam appellat. nisi vesicam pro fascia acceperit, qua crinem aggestum, & in modum turris ædificatum retinebant, quod mihi fere vero propius iudicatur. Hanc Græci ἀναδεσμίδα vocant. Iuuenalis Sat. 6. Et Papinius, Nazianzenus, Tertullianus, qui quam Martialis vesicam, ille vaginam appellat. Iunius ibidem. ET MVTAT BATAVA SPVMA LATIAS COMAS] lib. 14. Martial.

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.

MVTAT LATIAS COMAS] in flauas & rutilantes; ruffabant enim Germani & Batavi crines lixiuio & smegmate. lege Batauiam Iunii c. 7 quod totum est de hac re, & hoc versu Martialis exponendo, nos plura lib. 14. HAC CVTE] phiala tua non est densior tunica oui cygnei, qua pullus inclusus vestitur. Ledæum ouum est ouum cygni à Lede, ad quam Iupiter, vt fabulæ narrant, specie cygni venit. Exclusit illa oua duo, & ex altero prodiit Pollux & Helena; ex altero Castor & Clytemnestra. plura mythologi. Oua autem tenuissimas secundum putamina tunicas habent, quod nemo nescit. hic vel de ip a cute pulli, vel oui potest intelligi. LVNATA FRONTE SPLENIA SEDENT] lunata frons dicitur, quod hemicyclon à geminis temporibus efficiat. SPLENIA] splenium à splenis, siue lienis forma dictum. de quo li. 2. epig. 29. fascia longiuscula arcendis doloribus fronti impacta, σπληνίον ἐπίθεμα Græcis dicitur. multa super hoc lib. 2. ad illum versum.

Ignoras,

Ignoras, quis sit? splenia tolle, leges.

Adde illis, quæ Philander lib. 1. ad Vitruuium cap. 4. scribit; meminit & Martialis lib. 1. epigram. 22.

Cur spleniato sæpe prodeam mento.

Vbi pro emblastro videtur accipi. cuiuis enim parti læsæ splenion adhibebatur, vt Philander scribit. LIGVLAM CVM MITTERE POSSIS] triplicem significatum habet ligula; vel enim pro gladiolo accipitur, vt auctor est Gellius pro spatha, siue rudicula, vt Plinius, & Celsus appellant; vel pro genere poculi, siue cochleari potus, aut mensuræ liquidæ, quæ cyathi quarta pars est. cauam fuisse iuniores putant ad modum retractæ ad palatum linguæ, vnde nomen accepit à lingendo, & certe hauriri poterat aliquid ligulà quemadmodum ex Columellæ lib. 10. cap. 15. & Plinii lib. 21. c. 14. verbis non coniectas, sed plane vides. plura lib. 14. Fannius ligulæ mensuram Græce vocat mystrum. Dioscorides, Chemen. lib. 5. plura, & 14. COCHLEARE] eiusdem mensuræ liquidæ aiunt scriptores cochleare, & ligulam. Philander in Agricolæ epitoma. Lucas Pætus lib. 3 de mensuris liquidorum & aridorum, & alii. Et Pætus similia hæc fuisse putat instrumenta, quod Martialis ea coniungat lib. 14. sed hic locus videtur aliud docere. si enim idem cochlear & ligula, poeta inepte duo eiusdem magnitudinis instrumenta coniunxit, cum tamen à phiala ad ligulam, à ligula ad cochlear, à cochleari ad nihil descendat. Apud Fannium cochlear est pars 4 cyathi; sed Fannius ibi de Græco cochleari loquitur, quod & noster poeta potuit intelligere. cochlear enim esse idem Latinis, quod ligula, non nego. cum ex Columellæ lib. 12. cap. 21. id planum fiat. vbi cochlear cum aliis quartam cyathi partem continentibus vasis comparat. COCHLEAM] cochlea limacis testa est, sæpius pro ipso limace capta. cochlear autem à cochleis nomen accepit. Mart. li. 14. epig. 121.

Sum cochleis habilis, sed nec minus vtilis ouis:
Numquid scis, potius cur cochleare vocer?

Quis vero non videat cochleam esse minorem cochleari? cum vnum plures contineat. NIHIL] vides, pallatim à phiala, velut maiore poculo, ad minimum, imo ad nihil descendi? Nam media illa de nebula, bractea, sputo, filo, tela aranei, serico, creta bulla, vesica, spuma, tunica pulli, splenio, non ad paruitatem phialæ, sed tenuitatem labri, seu laminæ argenteæ referuntur.

In iactatorem.

XXXIV.

Archetypum Myos argentum te dicis habere;
Quod sine te factum est, hoc magis archetypum est.

Iactabat se nescio quis te poculorum suorum antiquitate; poeta affirmat illud antiquius esse, quod sine illo factum sit, quod ego sic interpretor. Iactatorem illum solitum adulterare nobilia vasa, & adulterata pro sinceris vendere, magis ergo archetypa sunt, quæ tu non attigisti, nec curasti fieri, illa enim non sunt corrupta. solitos autem quosdam eandem fraudem facere, legis apud Vitruuium lib. 9. cap. 3. de redemptore Hieronis aurum adulterante, cuius dolum deprehendit Archimedes. Architypa porro dicuntur, quæ à primo auctore facta sunt vt archetypa carmina, id est, scripta manu ipsius auctoris. Archetypa Myos, pocula cælata manu Myos. Fuit autem Mys, vt tradit Plinius lib. 33. cap 12. proximus arte Mentori, cuius Myos opera, Silenum, & Cupidines extitisse suo tempore narrat in Rhodiorum insula Plinius. Turnebus lib. 21 c. 24. Argutiam ponit in vocabulo (factum) hoc sensu. Dicis te habere toreumata argentea operis antiqui, quæ quidem magni ab omnibus olim æstimabantur: Iocans Martialis ait; tu ista verbosa ostentatione argenti tui, & iactatione ventosa multum detrahis pretio, & efficis, vt vasa tua conuiuis molestiæ & tædio sint, adeo vt argentum factum, id est, vasa, (argenti enim facti nomine vasa censentur argentea) si sine te sit, & si absis, sit magis archetypum, pluris censeatur, antiquiusq; videatur. Ergo archetypa sunt, quæ tu archetypa non vocas, quæ tu pro archetypis obtrudis, archetypa non sunt. Vel argentum, quod sine te factum est. quamuis recens sit, tamen propius accedit ad antiquum & incorruptum, quam tuum Archetypum à te adulteratum. Legunt nonnulli: Quod Sene te factum est; Quasi illa tua quæ iactas archetypa Myos non sint, sed archetypa sint tua quæ te sene facta sint, senilia nempe. Sed nescio an huic enarrationi germanus insit genius.

In pessimos coniuges.

XXXV.

Cum sitis similes, paresque vitâ
Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror, non bene conuenire vobis.

In discordes coniuges est hoc tristichon. cum pares paribus, similesque similibus gaudeant, miror, vos non esse concordes, cum sitis simillimi moribus, vitâ, vitiis, id est, vterque pessimus. CONVENIRE VOBIS.] Ita Catulla dixit.

Pulchre conuenit improbis Cynadis.

Cicero de Finibus. Petronius Satyr.

Intelligo vobis conuenire non posse.

Alioqui mirandum magis fuisset si inter se mali conuenissent.

Ad Cæsarem Domitianum.

XXXVI.

Regia Pyramidum, Cæsar, miracula ride:
Iam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiæ labor est Mareoticus aulæ,
Clarius in toto nil videt orbe dies.
Septenos pariter credas assurgere montes:
Thessalicum breuior Pelion ossa tulit.
Æthera sic intrat, nitidis vt conditus astris,
Inferiore tonet nube serenus apex.
*Et prius * arcano satietur lumine Phœbi,*
Nascentis Circe quam videt ora patris.
Hæc Auguste tamen, quæ vertice sidera pulsat,
Par domus est cœlo: sed minor est Domino.

* Auricomi.

Geminum planè huic est omnium primum lib. spect. nam & hæc domus Palatina Cæsaris, digna erat spectatu, vt quæ inter nobiliores orbis fabricas referri posset, quam poeta Pyramidibus, aulisque Ægypti anteponit; atque altitudine etiam altissimis Thessaliæ montibus præfert, postremo argute concludit. Et quanquam tam vasta ampla, & excelsa est domus, tamen est minor Domino, Cæsare. REGIA MIRACVLA PYRAMIDVM] de his 1. epist. lib. Spect. diximus. Vocat autem Regia, quod Reges Ægypti pyramidas condiderint. vt Chemmis, Chabræus, Mycerinus, & qui duodecim simul quindecim annis, concordibus animis, regnum administrarunt. RIDE] præ tuo enim palatio sunt contemnendæ, velut puerorum campestres casæ, & lusus. IAM TACET EOVM] orientem enim Ægyptus spectat, ἠώς, oriens, ἠῷος. Quanquam introrsus ad meridiem recedat. MEMPHIS.] Illa vetus tota præter pyramides occubuit, noua Cair dicta surrexit, quam curiosissime & diligentissime spectauit Illustrissimus Princeps Nicolaus Christophorus Radziuilus, Olycæ & Niesluisiæ dux, Vilnensis Palatinus, & in suo itinerario accuratissime descripsit. PARS QVOTA] celebratur quidem Mareotica fabrica, Ægyptia; sed ad tuum palatium collata vanescit, & aut nihil, aut minima pars est. PARRHASIÆ AVLÆ] Cæsaris domus, seu palatium, forte Parrhasium, quod aurum, seu smaragdi è Scythia allati illam totam aulam mirifice exornarint, Martialis lib. 12. epigram. 15.

Quicquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, Deisque nostris,
Miratur Scythicas virentis auri,
Flammas Iupiter.——

Rectius,

Rectius, opinor, dicetur, Parrhasia aula ab Euandro Arcadiæ rege, qui primus palatium ædificauit à Pallante dictum. Nam vt quodcunq; principis palatium ab Euandri Pallante, ita quamcunq; regiam, Parrhasiam aulam appellari puto, ab eodem Euandro, qui ex Parrhasia seu Arcadia, in Italiam venit, atq; in Pallatino monte, pallantium, seu palatium condidit Parrhasiæ vrbs Arcadiæ. CLAR. IN TOTO NIL VIDET ORBE DIES] Papinius de eod Silu. 4.

Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
Sed quanta Superos, cœlumq́; Atlante remisso,
Sustentare queant. stupet hoc vicina tonantis
Regia, teq; pari lætatur sede locatum.

SEPTENOS PARITER CREDAS ASSVRGERE MONTES] an turres palatii intelligit? THESSALICVM PELION] alludit gygantum fabulam, qui montibus viam in cœlum extruebant. Ouid. 1. Metam.

Altaq; congestos struxisse ad sidera montes.

Ibi tamen Pelion Ossæ fuisse subiectum scribit Ouidius, contra ac Martialis. ÆTHERA SIC INTRAT] se inter nubila condit, imo nubes altitudine superat, vt tempestates infra coquantur, & fastigium sit extra tempestatem omnem. TONET] quasi Iupiter in cœlo, infra tonat, supra serenat. *sub pedibusq; videt nubes & sidera Daphnis.* Statius lib. 4 Silu

—— Fessis vix culmina prendas
Visibus, auratiq; putes laquearia cœli.

ET PRIVS ARCANO] & Phœbus, seu sol oriens prius aspicit apicem palatii, quam cacumen montis Circes, quæ filia Phœbi credita est. Ouid. Met. 14.

En ego cum Dea sim, nitidi cum filia solis.

Virgilius. *Atq; hic Æneas ingentem ex æquore lucem Prospicit.*

Horatius O. K. *Ἀμφω (Æneas & Circe) δ' ἐκ [illegible] φαεσιμβρότου ἠελίοιο.*

Orphe' in Argonauticis. *Κίρκη ὁμογνήτη μεγαλόφρονος αἰήτο*
Ἡελίου θυγάτηρ κίρκην [illegible]

Alii filiam solis affirmant, vt Dionysius Milesius. Apollinius Rhodius. ARCANO] priusquam hominibus appareat, sol iam aspicit domum tuam, & ideo arcano. emendant aliqui *in arcano*, & rescribunt auricomo. placet *arcano* quod illi sol oriatur ante communem ortum propter operis altitudinem, altissima enim prius aspicit sol nascens, vti celsas turres & montes, vti apud Iustinum primus vidit solem ortum qui se ad occidentis montes conuertit. HÆC AVGVSTE] conclusio & epiphonema. Hæc ô Cæsar tua domus quamuis culmine sidera tangat, & cœlum æquet amplitudine, tamen te non capit, nec est satis ampla pro dignitate nominis & numinis tui. Miror tamen ab aliis scriptoribus huius aulę Parrhasię Domitiani non fieri speciatim mentionem, vti odei, stadii, &c. Noster infra 29. huius libri, & lib. 12. eadem memorat. Et Statius.

Æthereo & tantum Domino minor, ille penates
Implet & ingenti genio iuuat ——

Sic Odyss. 4. contendit Homerus domum Menelai cum cœlo Iouis, sed non vt Martialis præfert, audax enim facinus, inquit Eustathius, erat comparare humanum opus cum diuino, ne dicam præponere.

Ad * Polycarmum.

* al. Polycarmum.

XXXVII.

Quod Caietano reddis Polycarme, tabellas,
*Millia * te centum * non tribuisse putas?*
Debuit hæc, inquis: tibi habe, Polycarme, tabellas,
Et Caietano millia crede tuo.

* te centil.
* num. probatur.

Creditor Caietani Polycarmus remisit Caietano nomen centum millium HS. atque tabulas seu syngrapham & chirographum, donatæ pecuniæ symbolum, Caietano reddidit, vnde Polycarmus volebat prædicari liberalis; poeta negat esse liberalis æs, quod soluere alter non possit, remittere. sed ad priora debita tantum adiicere, vnde nihil speres, hoc esse liberalitatis. MILLIA CENTVM] bis mille supra quingentos Philippæos. NVM] donasse putas? non donat ei qui soluendo non est. siue legas NVM, siue NON pro. NONNE erit idem sensus. DEBVIT] mihi Polycarmo debuerat centum millia. CREDE] da altera mille, quæ non reddat, & tu pro pecunia, serua tabulas.

* * *

Ad Meliorem.

XXXVIII.

Qui præstat pietate pertinaci
Sensuro bona liberalitatis,
Captet forsitan, aut vicem reposcat.
At si quis dare nomini relicto
*Post manes, tumulumq́; * perseueret,*
Quærit quid nisi parcius dolere?
Refert sis bonus, an velis videri.
Præstas, hoc, Melior, sciente fama:
Qui sollemnibus anxius sepulti
Nomen non sinis interire Blæsi,
Et de munifica profusus arca,
Ad natalitium diem colendum
Scribarum memori; piæq́; turbæ
Quod donas, facis ipse Blæsianum.
Hoc longum tibi vita dum manebit,
Hoc & post cineres erit tributum.

*perseuerat.

Celebrat pietatem Melioris erga Blæsum scribam, cuius defuncti natalem quotannis reuocabat. Et festum Blæsianum appellabat. Melior autem est is, de quo lib. 6. epigr. 28. & 9. meminimus. Cui Papin. lib. 2. Siluarum dedicauit, in quo non tacet hunc Blæsum Glauciæ apud inferos occurrentem. An hic Blæsus poeta minus fuerit, de quo Stephanus de Vrb. verbo καπελιών, & Quintil. lib. 6. cap. 3. de risu, incertum est; mihi non videtur fuisse idem. Velleianus autem nihil ad rem. QVI PRÆST. SENS. BONA] ostendit argumento veram Melioris pietatem. Qui, inquit largitur viuis munera, aut captat hæreditatem alterius, certe maiora ab eodem munera vel officia expectat. Tu largiris, & nihil inde speras, quia mortuo præstas; vere igitur pius es, qui his donis tuis tantum lenis dolorem Blæsi defuncti. Qui præstat beneficium defuncto, vere præstat, quia nihil inde sperat. *Nam qui mittit beneficium in quæstum, non dat beneficium, facit auctionem. Qui beneficium dedit, vt reciperet, non dedit.* Seneca multa super his li. 4. c. 11. 12. 13. 14. Qui mortuis dant, aut morituri viuis, non captant. Plin. epist. 17. lib. 1. *Est adhuc cura hominibus fides & officium. sunt, qui defunctorum quoq; amicos agant.* Vide & li. 9. ad Colonem. NOM. RELICTO] mortuo. REF. SIS BON. AN VELIS VID.] gnome. solus enim vere bonus qui recte facit, non vt facere videatur, sed quia sic faciendum est. sic Velleius lib. 2. laudat Catonem. *qui*, inquit, *nunquam recte fecit, vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat*, & quæ sequuntur. refert, plurimum interest inter eum qui bonus est, & tantum bonus vult videri. Communem hunc locum copiose explanat Heraldus. PRÆSTAT HOC] posuerat primo genus, nunc subiicit formam. Ille vere bonus, &c. Sed tu is es. Quid ergo agis? iam exponit factum. QVI SOLLEMN.] Qui memoriam Blæsi tui defuncti renouas quotannis instaurando natalitia illius. SCRIBA. MEMO. PIÆQ. TVRBÆ] de scribarum forte Blæsus erat, quem prius lugebant omnes defunctum, & mortui postea natalem, non secus ac suum celebrabant, quo natali Melior, scribas Blæsi causa prosequebatur muneribus. De consuetudine celebrandi diem natalem multa ad hunc locum ex multis scriptoribus collegit Heraldus, quem, si vacabis leges. QVOD DONAS FACIS IPSE BLÆSIANVM] quod scribis Blæsi nomine largiris, id facis Blæsianum, hoc est, nullam inde beneficii compensationem expectas, & quasi totum Blæso tribuis. HOC LONG. TIBI ERIT TRIB.] huius Blæsiani festi nomen erit immortale. Ita μετοχικῶς expono tributum, vt ad Blæsum referatur. Aut tributum sit nomen, non epitheton, vt censum intelligat, quem percepturus sit Melior ex donis, hoc est gratam, & sempiternam sui memoriam. solæ enim quæ dantur amicis, inquit alibi, *non moriuntur opes.* Hoc ergo, quod donas, erit tibi longum, & post cineres tributum, inde recipies non aurum, non argentum, sed nomen pietatis, liberalitatisque nunquam intermoriturum.

Ad Domitianum.

XXXIX.

Qui Pallatinæ caperet conuiuia mensæ,
Ambrosiasque dapes, non erat ante locus.
Hic haurire licet sacrum, Germanice, nectar,
Et Ganymedeâ pocula mixta manu.
Esse velis, oro, seruus conuiua tonantis.
At tu si properas Iuppiter, ipse veni.

Laudat regiam Domitiani à Rabirio extructam, de qua supra epigramma. 56. Ante ædificatum palatium hoc Domitiani, non poterant in aulâ celebrari solemnia populi conuiuia, nunc accumbimus omnes, & diuina Domitiani munera bibimus. SACRVM NECTAR] Vide Statium idem canentem. GANYMEDEA] ministrata conuiuis ab ephebis Domitiani similibus pulchritudine Ganymedi.
Statius. *Idaos totidem putes ministros.*

ESSE VELIS, ORO, SERVS CONVIVA TONANTIS] precor Domitiane, vt sero cœlum adeas, id est, æuum in multos annos propages. Formula prope solennis precantium, vt princeps sero cœlum adiret. Seneca ad Polyb. libro 1. Plinius. Ouid. 15. Met. & alii, quos Brissonius libro 1. Formul. adducit.

AT TV IVPITER SI PROPERAS, IPSE VENI.] At si Domitianum citius euocas in cœlum, tu ad Domitianum in terras descende potius, & cum illo cœna, æque enim Deus est, ac tu, & æque lauta apparat conuiuia nobis, atque tu superis. Ita lib. 9. epig. 93.
Ad cœnam si me diuersa vocaret in astra, &c.

Hoc idem conuiuium infra libro hoc ipso epig. 49. celebrat.

Ad Priapum.

XL.

Non horti, neque palmitis beati
Sed rari nemoris, Priape, custos,
Ex quo natus es, & potes renasci,
Furaces moneo manus repellas,
Et siluam Domini focis reserues.
Si defecerit hæc, & ipse lignum es.

Minatur Priapo hortorum & siluarum custodi flammas, nisi custodiat, flammarum alimenta, siluam suam. NON HORTI, NEQVE PALMITIS BEATI.] Non excultum & nobilem hortum vel vineam (palmes enim in vite) hîc custodis sed siluulæ non densæ, & paucarum arborum, è quibus & tu fictus, & sculptus es. arce fures, & foco meo materiam reserua, quod nisi feceris, te ipsum vram, nam & ipse truncus es. O pium poetam hic cultus omnibus impiorum Numinibus debebatur. CVSTOS] Virgilius 4. Georg. Horat. sermon. de Priapo. Priapæa. alii. LIGNVM ES] Horatius.

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,
Cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum: Deus inde ego furum auiumq;
Maxima formido: nam fures dextra coercet, &c.

Plura de hoc Deo Gyraldus Syntag. 8. Natal. alii.
Xerxes male tractauit Deos. Et Sinæ mulcant. Maffæus.

Ad Faustinum.

XLI.

Tristis Athenagoras non misit munera nobis,
Quæ medio brumæ mittere mense solet.
An sit Athenagoras tristis, Faustine, videbo:
Me certe tristem fecit Athenagoras.

Queritur nil sibi muneris ab Athenagora Saturnalibus missum. Bruma solstitium hibernum, vt solstitium simpliciter, æstiuum valet. Ipsa autem die brumæ etiam munera commeabant. Tertull. de Idol. cap. 14. TRISTIS ATHENAGORAS] videtur, inquit, tristis Athenagoras, quia lætissimo anni tempore nihil læti misit. Sed tamen, an vere tristis sit, nescio; hoc scio, me tristem ab eo factum, quod nil acceperim. res aperta. Fuit hic Athenagoras Chirurgus, vt ipse poeta lib. 9. epig. 97. docet.

Alphicus ante fuit, &c.

Videtur simulasse tristitiam, vt nihil donaret amico, vt solent irasci nonnunquam amici ditiores.

Ad Mathonem.

XLII.

Si te sportula maior ad beatos
Non corruperit, vt solet: licebit
De nostro, Matho, centies laueris.

Licet, toties mecum laueris, quoties voles, si non affectas, vt soles, lautiores balneas, & cœnas. Multa sunt de hoc Mathone epigrammata. Fuit non ignobilis Caussidicus eo tempore Romæ Matho, de quo Iuuenalis.

——nam quis iniquæ
Tam patiens vrbis, tam ferreus, vt teneat se,
Caussidici noua cum veniat lectica Mathonis.

De sportula, quæ decem numis, aut 100. quadrantibus constabat, sæpius dictum supra.

In Fabium & Christillam.

XLIII.

*Effert vxores Fabius, * Christilla maritos,*
Funereaḿq; toris quassat vterq; facem.
Victores committe Venus, quos iste manebit
Exitus, vna duos vt Libitina ferat.

* Chrestilla vt alibi in Chrestum.

In parricidas est epigramma. Fabius vxores mactabat, Christilla maritos; poeta hos matrimonio iungendos ait, sic enim futurum, vt se mutuo interimant, & vna efferantur. id quod iam sæpe noster sæpius alibi. Accidisse refert ex nescio quo scriptore Domitius temporibus Augusti, vt vna septem viros, & vnus septem vxores efferret, qui duo connubium iniêre. Sic Bitus & Bacchus gladiatores multos sustulerant, qui ipsi postea mutuis vulneribus occubuerunt. Sed hoc nihil erat, Martialis infra lib. 9. ep. 16. de Chloe. S. Hieronymus * Romæ vidit maritum, qui viginti sepeliuerat vxores, & vxorem, quæ viginti duos maritos: hos demum copulatos, & vxorem à marito sepultam. Vide Scholiastas ad 2. Sat. Persii & 6. Iuuenalis. FACEM] morem funus prosequentium, facesque gestantium scio notum; funeream autem dixit Martialis, quod aliæ faces essent nuptiales. Vnde.

* ad Gerontiam.

Viximus insignes inter vtramq; facem.

LIBITINA] mors. Romanis Dea mortuorum, præses dicta à libendo, de qua ex variis scriptoribus digna lectu Rhodiginus lib. 29. cap. 18. & aliis locis. nos alibi plenius.

Ad

Ad Titullum.

XLIV.

Titulle moneo viue. semper hoc serum est,
Sub pædagogo cœperis licet, serum est.
At tu miser Titulle, nec senex viuis:
Sed omne limen conteris salutator,
Et mane sudas vrbis osculis vdus,
Foroq; triplici sparsus ante equos omnes,
Ædemq; Martis, & colosson Augusti
Curris per omnes tertiasque, quinctasque.
Rape, congere, aufer, posside; relinquendum est.

* * *

Titullum iubet viuere genialiter, nec hæredibus ingratis multa relinquere. SVB PÆDAGOGO] à pueris licet incipias indulgere genio, tamen serò incipis. SALVTATOR] mane omnibus adfers AVE, & totam vrbem percurris. hoc prius generatim, deinde speciatim varia loca subiicit. D. Hieronymus importunum quendam ex hoc genere salutatorum describit ad Eustochium ep. 22. *Cùm*, inquit, *festinus exurgit; salutandi ei ordo disponitur, viarum compendia requiruntur* (nota studium & morem salutatorum) *& pene vsq; ad cubicula dormientium senex importunus ingreditur. si puluillum viderit, si mantile elegans si aliquid domesticæ supellectilis laudat, miratur, attrectat, & se his indigere conquerens non tam impetrat, quàm extorquet, quia singula metuunt veredarium vrbis offendere.* Plura Victor. ad hunc locum.

FORO TRIPLICI] de quo superiùs. ANTE EQVOS] ante equites. iudices enim equestris ordinis potissimùm. ÆDEM MARTIS] ad forum Augusti sitam. COLOSSON AVGVSTI] ad bibliothecam Apollinis, hunc situm scribit Marlianus lib. 3. cap. 6. alij. additur Augusti, ne Neronis intelligas. TERTIASQVE QVINCTASQVE] hoc est, curris ad omnia Iudicum subsellia, omnesque decurias, quarum erant principio tres. Augustus adiecit quartam. Caius Caligula quinctam. Compendio rem totam de decurii iudicum accipe ex optimis scriptoribus, Cicerone, Plinio, Tranquillo, &c. Primò ad Gracchi tempora soli senatores iudicia tenuerunt, vsque ad annum Iↄ. CXXX. ab V. C. Deinde Gaius Semp. Gracchus iudicia ad solos equites transtulit. Auctores Appianus lib. 1. Bell. Ciu. Ascon. Diuin. Velleius lib. 2. Tacitus 12. Varro, &c. Nec te Plutarchus & Florus turbent, qui equites senatoribus non rectè miscent. Nam Seruilius Cœpio. A. V. C. Iↄ. CXLVII. iudicia cum senatoribus communicauit. sic tamen, vt maior numerus esset equitum. M. postea Liuius Trib. pl. numerum æquauit, vt CCC. equites, & totidem senatores iudicarent. Huius leges antiquauit, Philippus Consul: Philippi Sulla, qui rursus iudicia ad senatores solos transtulit, quæ lex XI. annos durauit. Mox enim Aurelius Cotta tres decurias instituit, vt senatores, equites, & tribuni Ærarij iudicarent. A. V. C. Iↄ. CXXCIII. Tertiam decuriam C. Iulius Cæsar sustulit, Tranquillo teste, Pompeius tertiam rursus adiecit tribunorum Ærarij, ex amplissimo tamen censu. Antonius postea tertiæ decuriæ adiunxit centuriones Antesignanos, manipulares ex Alaudarum legione. hoc est, vt Cic. 5. Philipp. interpretatur, Saltatores, Cytharistas, Aleatores, exules, Græcos. Augustus quartam adiecit Ducenariorum, id est, qui haberent ducenta sestertia. Quintam Caligula. Sextam Galba rogatus tamen non addidit. Suet. Iulio Augusto. Cal. Galba. Vna decuria postremis temp. minimum mille continebat iudices. Plin. An Quinctas & Tertias seu Tertias ac Quinctas tabernas numulariorum publicas intelligit diuersis temporibus extructas? Carminis sensus vtramque explicationem admittit.

RAPE] ad opes congerendas refert. per vim, congere, accumula, acerua, aufer, extorque, officiis accipe, oblata ab amicis posside, retine accepta. RELINQVENDVM EST] volenti nolenti. nudi enim descendimus ad vmbras, vt præter prophetas canunt poëtæ, & res ipsa loquitur. Quod sequitur in Martiale de centum paginis Calendarum, accipe pro tabulis centum debitorum, & papyrum pro rogo. Calendis autem vsuræ exigebantur: vide Gruterum ad epist. Senecæ 4. calendarium continebat rationes mensium singulorum.

Ad Flaccum.

XLVI.

Priscus ab Ætneis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.
Defluat, & lento splendescat turbida limo,
Amphora centeno consule facta minor.
Continget nox quando meis tam candida mensis?
Tam iusto dabitur quando calere mero?
Cùm te, Flacce, mihi reddet Cythereia Cypros,
Luxuriæ fiet tam bona caussa meæ.

* *Huic Prisco Terentio inscribit lib. 12. ad eund. est carmen primum & quartum lib. 12.*

Celebrat reditum e Sicilia * Prisci Terentij, Martialis familiarissimi amici. an ex administratione prouinciæ decesserat? precatur, vt tam lætè mox etiam Flacci redeuntis è Cypro diem agat. ÆTNÆIS] è Sicilia. Ætna enim in Sicilia. LACTEA GEMMA] albus calculus, qui felix est, & vitam, ac salutem notat, vt contra niger mortem, & infausta omnia. Huius originem alij à Scythis, alij à Thracibus deriuant. Scythæ certè omnes anni dies missis totidem in vrnam, aut pharetram calculis signabant, quemque putabant prosperum abiisse, candido calculo, aut cretâ notabant; quem contra inauspicatum, atro lapillo, aut carbone signabant; quem feli.issimum vnione, seu gemma ornabant. De Thracibus, & aliis Plinius lib. 7. cap. 40. *Vana*, inquit, *mortalitas, & ad circumscribendam se ipsam ingeniosa computat more Thraciæ gentis, quæ calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in vrna condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de vnoquoque pronunciat.* Vnde natum existimo, vt Thraces mortuos cum triumpho efferrent, quòd tot incommoda vitæ superassent. Ad hunc ergo gentium morem sæpè alludunt scriptores. Iuuen.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo.

Martialis lib. 9. ep. 53. *Felix vtraque lux, diesque nobis*
Signandi melioribus lapillis.

Horatius. *Thressâ neu careat pulchra dies notâ.*

Iterum Mart. lib. 11. ep. 73. *Cùm hanc lucem gemmâ mihi Iulius albâ*
Signat.——

Sed clarissimus locus est lib. 12. ep. 34. ad Iulium, vbi de vitâ præteritâ loquitur.

Et si calculus omnis huc & illuc
Diuersus, bicolorque digeratur,
Vincet candida turba nigriorem.

Atque vt in diebus notandis atro, alboque calculo vtebantur, ita in iudiciis damnabant atro, absoluebant albo. Ouid. 15. Met.

Mos erat antiquis niueis, atrisque lapillis
His damnare reos, illis absoluere culpâ.

Et lib. 6. Anthol. Leonidas Alexandrinus.

εἷς πρὸς ἕνα ψήφοισιν ἰσάζεται, οὐ δύο δοιοῖς.
Vnus, non geminus respondet calculus vni.

Hinc est illud Græcorum. λευκὴν ψῆφον προσθεῖναι. Vide adagiographum, *album calculum addere.* Et Brodæum ad lib. primũ Anthol. c. εἰς λογοχαρίαν. ad illa verba. Δίστιχα γὰρ ψήφοισιν ἰσάζεται.——

DEFLVAT, ET LENTO SPLENDESCAT TVRBIDA LIMO, AMPHORA] splendescat, poliatur, inquit Domitius. quid? poliatur fictilis amphora? cur? aliter intelligo Martialem. apertam enim amphoram centenorum annorum, ex motu primùm turbidam fluxisse, paullatimque, vt solet fieri, cùm vena inciditur, lucidiorem & clariorem vini laticem exiisse puro. nisi malis saccatam & percolatam fuisse; minor autem, quia detractis aliquot congiis numerus vini reliquus minor fiebat, donec exhauriretur. Nisi capias de interiore amphora, in qua apparebat hærens limus, effuso vino tam annoso. amphoras illas fictiles fuisse non nego, vnde sunt appellatæ testæ, Martialis lib. 1. ep. 106.

Exuit annosa mores, nomenque senecta,
Et quicquid voluit, testa vocatur anus.

CENTENO CONSVLE] vinum sæculare, siue ante centum annos conditum. MINOR] quia subinde aliquid detractum maioribus celebritatibus anni, vt natali die suo & suorum, &c. CONTINGET] quando iterum tam lætè cœnabo? TAM IVSTO] Quando erit caussa tam iusta, & vera instruendi conuiuium? CVM TE, FLACCE] cùm Flaccus redibit ex Cypro Veneri sacra, caussam expo-

exponit Diodorus Siculus, Phurnutus, Lactantius, Hesiodus, Iustinus, & Marcus Velserus ad historiam B. Afræ M. fusè pleneque. LVXVRIÆ] festæ accubationi.

In variè se tondentem.

XLVI. XLVII.

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est: vnum quis putet esse caput?

Bellè in huius temporis capita hoc caput conuenit. Iunius in commentario de coma cap. 1. obseruat senos antiquis vsitatos tondendi modos: *Aut, inquit, tondebant forpiculâ, aut radebant nouaculâ, aut digitis vellebant, aut volsellis eradicabant, aut deglabratoriis medicamentis extinguebant, aut denique picē, resinaq; extirpabant.* Martialis tres, imo omnes sex radendi modos complexus est disticho; vulsura enim aut digitis aut volsellis, aut medicamentis, aut pice, resinaque fiebat. VNVM CAPVT] referebant enim fœminas vel adolescentes vulsurâ, iuuenes tonsurâ, rasura viros. Sic comptum Suetonius tradit Iulium Cæsarem, vt & tonderetur, & raderetur, & velleretur. Cuius discipulus in hoc genere fuit Otho Siluius, de quo Iuuenalis, & idem Suetonius. Ita referunt antiquitatum volumina Maxias populos, dextram capitis partem capillatam gessisse, læuam rasisse, vti & Eubenses sinciput radebant, occipite comato. de quibus Homerus.

Τῷ δ' ἅμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοὶ ὄπιθεν κομόωντες.
Crinitiretro, atq; agiles comitantur Abantes.

Et Statius. ——— *non ego Abantiadas in terga comantes.*

Ὀπισθοκόμαι dicuntur. plura apud Iunium, Iulium, Sinesium de caluitio, & alios. Wouerius multa de rasura ad Petronij Satyricon.

De abolla Crispini.

XLVII. XLVIII.

Nescit, cui dederit Tyriam, Crispinus, abollam,
Dum mutat cultus, induiturq; togam.
Quisquis habes, humeris sua munera redde, precamur:
Non hoc, Crispinus, te, sed abolla rogat.
Non quicunq; capit saturatas murice vestes,
Nec nisi deliciis conuenit iste color.
Si te præda iuuat, fœdiq; insania lucri,
Quo possis meliùs fallere, sume togam.

Furem hortatur, vt ablatam Crispino abollam nobilem reddat, & togam potiùs subducat; alioqui deprehensum iri. TYRIAM] purpuream à Tyriis inuectam & infectam. Abollam) de hoc genere vestis dictum est suprà lib. 4. ep. 53. ad Cosmum.

Cerea quem nudum tegit vxor abolla grabati.

CRISPINVS] de hoc lib. 7. ep. 98. ad Crispinum plura. MVTAT CVLTVS] vestem. abollam. In plurium conuentu, cùm fortè vni dedisset seruandam, dum indueret togam, ille cum abolla abolitus euanuit. SATVRATAS MVRICE VESTES] rubras, ardentes purpura. de murice diximus alibi. Sensus est, non cuiusuis est gestare purpuram, lautiores tantùm vtuntur hoc colore nobili. Itaque si indueris pauper, exuêris. FŒDI LVCRI] furti. TOGAM] furare omnes enim togati incedunt, in omnibus vnus facilè latebis.

Vxor abolla, sicut pellex culcita.

Ad Cæsarem Domitianum.

XLVIII. L.

Quanta Gigantei memoratur mensa triumphi,
Quantaq; nox superis omnibus illa fuit,

Qua bonus accubuit genitor cum plebe Deorum,
Et licuit Faunis poscere vina Iouem;
Tanta tuas celebrant, Cæsar, conuiuia laurus:
Exhilarent ipsos gaudia nostra Deos.
Vescitur omnis eques tecum, populusque, patresque,
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitus quanto maiora dedisti?
Promissa est nobis sportula, recta data est.

Epulum dedit populo Domitianus, post lauream à Sarmatis Ioui illatam, quod hoc carmine celebrat Martialis, & confert cum epulo Iouis, vti & Papinius lib. 1. siluarum, & quarto, quanquam videantur diuersa fuisse, de quibus Papinius. Dio. Suetonius cap. 4. alij. QVANTA MENSA GIGANTEI TRIVMPHI MEMORATVR] Quantum, & quàm magnificum, lætumque fuit conuiuium, quod Iupiter dedit omnibus Diis, reportato de gigantibus triumpho. de gigantomachia Hesiod. in Theog. Ouid. 1. Met. Horatius lib. 3. Carm. 4. Claudianus singulari carmine eandem descripsit, quam in Phlegræo campo pugnatam alij affirmant. QVANTAQVE NOX SVP. OMNIBVS ILLA FVIT] Quam læta & grata, cùm Fauni etiam accumberent. QVA BONVS ACCVBVIT GENITOR CVM PLEBE DEORVM] Genitorem vocat Iouem, qui aliis à poetis Diuûm pater, atque hominum Rex appellatur, quàm bonus, facilis, & mitis posito fulmine, lætus, & lautus. PLEBE] Ouid. 1. Met. Plebs habitat diuersa locis —— Et in Ibin explicat, qui de plebe sint:

Vos quoq; plebs superum Fauni, Satyrique, Laresque,
Fluminaq; & Nymphæ, semideumq; genus.

ET LICVIT FAV. P. V. IOVEM] Cùm in conuiuio Fauni semicapri, Satyri, numina siluestria, à Ioue vinum peterent, cum Ioue potarent, Ioui propinarent. TANTA TVAS CELEBRANT, CÆSAR, CONVIVIA LAVRVS] Alterum comparationis membrum, quo par Iouis epulo fuisse dicit, conuiuium datum populo à Domitiano. EXHILARENT IP. G. N. DEOS] Tanta est hilaritas, & lætitia huius conuiuij, vt ipsi Dij cupiant interesse, ac iam nobiscum rideant. VESCITVR OMNIS EQVES TECVM, POPVLVSQVE, PATRESQVE] Ita Papinius lib. 1. siluarum, enumerat triplicem ordinem P. R. ET CAPIT AMBROSIAS CVM DVCE ROMA DAPES] Genus subiicit partibus. Roma tota tecum accumbit. hoc est, plebs, equites, & senatus. AMBROSIAS] nam & Domitianus volebat videri, & dici Deus, Dij autem vescuntur ambrosia. Homerus, Hesiodus, Virgilius, Ouidius testantur. GRANDIA POLLICITVS QVANTO MAIORA DEDISTI?] Epiphonema est à liberalitate Cæsaris, qui plura præstet, quàm promittat. PROMISSA EST NOBIS SPORTVLA, RECTA DATA EST] Suetonius in Domit. cap. 7. *Sportulas publicas sustulit. reuocata cœnarum rectarum consuetudine*; sub Nerone enim cœnæ publicæ ad sportulas redactæ. Sportulæ & sportellæ à sportis dicuntur. sportulæ autem calathi erant viminei, quibus ad rem pecuniariam vtebantur. Vlpianus lib. 3. de penu legata. Hinc dictæ sportulæ, quæ pro salutationis officio, clientibus erogabantur. siue id opsonij, siue stipes, siue quadrantes essent. Martialis.

Centum miselli iam valete quadrantes
Anteambulonis congiarium lassi.

Papinius Silu. D. Cyprianus epist. 34. Sportulas vocat, quæ Christianorum consuetudine sacerdotibus distribuebantur, his verbis: *Presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis ijsdem cum presbyteris honorentur, & diuisiones menstruas æquatis quantitatibus partiantur.* Vnde *sportulantes* dicti ab eodem Cypriano, quibus dabantur sportulæ. ep. 66. De aliis sportularum diuisionibus, Plinius epist. 120. lib. 10. *Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, vel opus publicum dedicant, solent totam Bulen* (senatum) *atq; etiam à plebe non exiguum numerum vocare, binosq; denarios, vel singulos dare.* Lege Iureti notas ad epist. 55. lib. 4. Symmachi. Vbi fusè de his sportulis. Et Brissonium lib. 17. de verb. signif. Veterem Aristophanis interpretem ad illa in Nub. Θεῖς κατ̓ πευ[illegible]. Glossas veteres ex Biblioth. Regia. De origine & ipsis sportulis multa lib. 1.

De phiala Rufi.

XLIX. LI.

Quis labor in phiala? docti Myos, ánne Myronis?
Mentoris hæc manus est, an Polyclete tua?
Liuescit nulla caligine fusca, nec odit
Exploratores nubila massa focos.
Vera minùs flauo radiant electra metallo,
*Et * nimium felix pustula vincit ebur.*
Materiæ non cedit opus: sic alligat orbem,
Plurima cùm tota lampade Luna nitet.
Stat caper Æolio Thebani vellere Phryxi
Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror.
Hunc nec Cinyphius tonsor violauerit, & tu
Ipse tua pasci vite Lyæe velis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis:
** Palladius tenero * lotos ab ore sonat.*
Sic Methymnæo gauisus Arione delphin
Languida non tacitum per freta vexit onus.
Imbuat egregium digno mihi nectare munus,
*Non * grege de domini, sed tua * Ceste manus.*
Ceste decus mensæ, misce setina: videtur
Ipse puer nobis, ipse sitire caper.
Det numerum cyathis Instantis littera Rufi:
Auctor enim tanti muneris ille mihi.

* * *

Laudat munus sibi à Rufo C. V. missum. LABOR] ingenium, artificium. MYOS] De Mye & cælatore Mentore leges Plinium lib. 33. cap. 12. Myronis statuarij, & Polycleti, vti & Myos suprà ex eod. Plinio mentionem fecimus. LIVESCIT] aurea phiala instar electra liuescit. NVLLA CALIGINE FVSCA] pura, sincera, velut iam è fornacibus extracta, purgata igni, & explorata. NON ODIT] vt adulterinum aurum exploratorem ignem, in quo vanescit, vt chrysopœi non ignorant. VERA ELECTRA MINVS RADIANT] Tam fulget hæc phiala, quàm electrum, imo superat electrum. Phialas ex electri crustis factas insinuat Iuuenalis Sat. 5.

Heliadum crustas & inæquales beryllos
Virro tenet phialas.——

Aureas, & argenteas, argyridas, & chrysidas phialas leges apud Athenæum lib. 11. cap. 18. sanè variè & obscurè differentem de phiala, vbi affirmat phialam quasi pialam dictam, quòd bibenti sufficiat. quòdque maior sit poculo. Ibidem phialarum multa recensentur nomina, formæque. Hoc loco velim aduertas, triplex esse electrum. primum, quod ex lacryma populi stillat, quòd succinum appellatur Latinis, cuius sunt varia genera, de quibus Matthiolus medicorum clarissimus in commentario ad Dioscoridem disputat. Alterum auri genus est, de quo Plinius lib. 33. c. 4. in hæc verba, quæ paullò altiùs repeto, vt res clarius intelligatur. *Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte. In vno tantùm Galliæ metallo, quod vocant Albicratense, trigesima sexta portio inuenitur, ideo cæteris præest. Vbicunq. quinta argenti portio est, electrum vocatur. Scrobes eæ inueniuntur in Canaliensi.* Tertium est factitium ad naturam secundi, de quo item ibidem Plinius. *Fit & curâ electrum argento addito. Quod si quintam portionem excessit, incudibus non resistit.* Ex hoc tertio electri genere phialam hanc factam credas. Vnde subiicit Martialis. VERA MINVS FLAVO RADIANT ELECTRA METAL-

* v. nimium. rectè, nam ad ebur refertur.

* al. palladis & * totus.

* v. non rego des dominus.
* Certa, placet aliis, mihi Ceste. sequitur enim Ceste decus mensæ, vt apud Virgil. ---sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens--- Si liber certè rescribere vosse ad fidem dextra, quæ Martiali optimum vinu erat mixtura, alij forte sequimus.
Ioannes Stephanus Durantus annulam interpretatur.

METAL-

METALLO] Hæc enim phiala non ex vero electro, sed factitio constabat. cùm tamen radiorum fulgore verum superarit electrum, quod aurum habet quintam portionem argenti. Ita vt vera electra vocet natiuum aurum, adiecta quinta argenti portione, non succinum. nisi verba (flauo metallo) auferendi casu posita excessum, non materiam significent; tum enim hic sensus esset. vera electra, seu succinum minùs radiant, atque huius phialæ flauum metallum, id est, aurum, quod tali modo electrum vocatur. Ex quo Helena calicem Mineruæ in Lindio Rhodiorum consecrauit. Fulget hoc ad lucernarum lumina clarius argento. Iuuenalis locus mihi de succino videtur intelligendus, quòd vocet Heliadum crustas, potuit tamen καθ' ὑπαλλαγὴν locutus fuisse. De factitio electro Tertullianus lib. aduersus Hermog. & Praxeam. B. Gregorius ad 38. cap. Iob. 2. *Electrum ex auri argentiq; metallo miscetur, in qua permixtione argentum quidem clarius redditur, sed tamen fulgor auri temperatur.* Idem ad Ezech. cap. 1. hom. 2. Brisson. lib. 5. de verb. sign.

ET NIVEVM FELIX] malim cum vetere codice, Et niueum, legere. Componit enim argentum cum candore eboris. PVSTVLA] argenti optimi igne excocti, quod pustulas seu pusulas habet, de quo lib. 7. epig. 85. diximus. Scaliger pustulam niueam ait materiam ex auro & argento compositam, non succinum. in Festum. An hoc ad emblemata phialæ referam? an labrum? an potiùs tota phiala argenti colore fuit? quæ aurum artificio excoctum habet. Quo sensu dicerem illa Martialis, *Veraminùs flauo, &c.* referri non ad succinum auro comparatum, sed aurum, quod electrum dicitur, cum hoc fictitio compositum. FELIX] feliciter, & ingeniosè facta, vel me facit felicem, vel quia aurea seu argentea. aurum felicius cæteris metallis, quia carius. EXPLORATORES FOCOS] Iudices veri auri, & indices. Exploratores ignes dixit Claudianus 4. Cons. Honorij. MATERIÆ NON CEDIT OPVS] Ouidius in descriptione regiæ Solis,

Materiam superabat opus ———

Quanquam nobilissima sit phialæ materia, tamen ars, & ingenium, quo facta est phiala, superat aurum. quod autem sit phialæ artificium, ipse mox exponit. SIC ALLIGAT ORBEM] fronti plenam lunam. respicit figuram planetæ. Luna enim bigis vehens in vertice gestat simulacrum lunæ. vt apud Hyginum lib. 4. de planetis adspicies. an potius claudit orbem phialæ circulo eleganti que emblemate? an implet & circinat? STAT CAPER] emblemata & incrustationes describit. Capri frequenter cælabantur in calicibus, quòd sacri essent Baccho, cuius vineam læserant. Ouid. 1. Fast. Et noster alicubi. Iuuenalis.

Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

Anacreon in suis Lyricis describit, quæ solita fint fingi in poculis, sidera nempe, vel arma, vel vites, vel botri, vel mille aliæ figuræ. ÆOLIO VELLERE] caper aureo vellere ornatus. Æolus Athamantis pater, Athamas Phryxi & Helles, quos aries per pontum, deiecta tamen Helle, transuexit. AB HOC] affabrè facto capro maluisset Helle Phryxi soror vecta fuisse. nec enim in mare fuisset excussa. HVNC NEC CINYPHIVS TONSOR VIOLAVERIT] Cinyps Garamantum flumen est, ad quod multi pascunt hirci. Martialis lib. 7. ep. 94.

Dependet glacies, rigetq; barba,
Qualem forficibus metit supinis
Tonsor Cinyphio Cilix marito.

Et lib. 14. ep. 140. ———*sed olentis barba mariti:*

Cinyphio ———

PASCI LYÆE VELIS] quamuis caper alioqui sit victima Bacchi. Martialis lib. 5. ep. 24.

Vite nocens rosea stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.

Ouid. Fast. AMOR AVREVS] Cupido capro vehens. PALLADIVS LOTVS] iuxta tritonem lacum Palladis in Africa nascitur lotos, vnde Palladius lotus. Est lotus tibiæ genus, quo & epithalamium canebatur, quod epigramma Græcum docet.

———λωτοὶ

λωτοὶ δ' ἤχευν καὶ θαλάμων ἐπὶ τὰς ὑμεναίους.
Insonuit lotus, ianua concrepuit.

Sunt qui primam breuem etiam efferant, vt [illegible]

———λωτοῦ καὶ ...

Lotumque calamiscum dicunt, vnde lotages, qui lotum exercent, dicuntur. Lege Cælium Rhodig. lib. 9. cap. 6. Athenæus lib. 4. cap. 24. *Tibiæ, inquit, quæ lotinæ dicuntur, eædem sunt, quæ ab Alexandrinis Photinges nominantur, atq; ex dicta loto conficiuntur, quod lignum nascitur in Libya,* de fistula ex loto facta legitur epigramma nobile Philippi, cuius est initium.

ἵμερον αὐλήσειν ———

SIC METHYMNÆO ARIONE GAVISVS DELPHIN] præter Strabonem lib. 16. cap. vlt. Gellium, Herodotum lib. 1. Lucianum, Solinum, Plutarchum in Sympoſio. Ouid. 2. Fast. leges elegans hac de re lib. 1. Anthol. Bianoris epigramma cap. 40.

εἰς ἰχθύας,

Φύσις

Φῶρες ὅτ' εἰνάλιοι, &c.———
Praecipuem e naui, &c.———

Tractauit eandem seu fabulam, seu historiam Oppianus lib. 5. Halieut. Plinius lib. 9. cap. 8. vbi plurimae & memorandae res de delphinibus referuntur. Est & nobile emblema Alciati in auaros, in quem locum Claudius Minos plura. *Emb. 89.* METHYMNAEO] Methymna patria Arionis citharoedi, & Pitaci sapientis, quae Ptolaemeo, Plinio, Stephano, Ouid. Philostrato, & Parthenio Lesbi insulae vrbs. Cretae vrbs Aeliano. NON TACITVM ONVS] Cecinit enim inter delphinas Arion, vt fabulae docent. IMBVAT] hanc phialam, hoc munus Rufi, nectar, id est, nobilissimum vini genus. NON GREGE DE DOMINI] non quiuis ex seruis, & administris. Sed Cestus reliquis scitior, &c. De his pueris Seneca epist. 35. *Transeo agmina*, &c. Paedagogia vocabant hos coetus puerorum per colores, nationes, aetates distinctos, quòd sub paedagogi cura. Vlpianus l. 12. ff. de instru. Plinius lib. 33. Tacitus 15. Annal. Tertullianus, alij. MISCE SETINA] vinum in agro Setino natum, de quo lib. 13. dictum. IPSE PVER] Cupido. CAPER] gestans puerum. DET NVMERVM CYATHIS] hunc morem ad numerum literarum, quem amicorum nomina habebant, bibendi, suprà tetigimus. INSTANTI] Quod nomen in primo & quinto casu septem continet litteras; hoc loco pro quinto accipias Instans Rufe. Rufe enim continet trientem, seu quatuor cyathos, & Instans septem: sequitur enim

Si Telethusa venit, promissaq; gaudia portat:
Seruabor domina Rufe triente tuo.
Si dubia est; septunce trahar; si fallit amantem
Vt iugulem curas, nomen vtrumq; bibam.

Proinde Gruterus non explicat se, sed implicat magis cum hoc loco rescribit Instanti Rufe. Instantius enim quocunque casu plures habet quàm septem literas. Quin tamen Rufus dictus sit Instantius non eo inficias, cum & ex septimo & duodecimo libro constet; Fuêre ergo vel duo diuersi Instans Rufus, & Instantius Rufus; vel Rufus appellabatur Instans Instantius Rufus. meliora suggerenti libenter cedam. AVCTOR] Illius enim est munus, ille me donauit phialâ.

In Catullam.

L. LIIII.

Formosissima quae fuêre, vel sunt,
Sed vilissima quae fuêre, vel sunt.
O quàm te fieri Catulla vellem,
Formosam minùs, aut magis pudicam.

Rara est concordia formae atq; pudicitiae. Hinc poëta Catullam optat, vel minùs formosam, vel magis pudicam, hoc, ne tam vilis habeatur, illud, ne tam turpis, ob formam omnibus prostitutam existat. Ita pudiciorem ait fore minùs formosam, aut honestiorem magis pudicam. Formam porrò emendatissimam elegantissimè depingit Arbiter Sat. his verbis: *Crines ingenio suo flexi per totos se humeros effuderant: frons minima, & quae radices capillorum retro flexerat. supercilia vsq; ad malarum scripturam currentia, & rursum confinio luminum pene permixta: oculi clariores stellis extra lunam fulgentibus, nares paullulum inflexa, & osculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit. Iam mentum, iam ceruix, iam manus, iam pedum candor intra auri gracile vinculum positum, Parium marmor extinxerat.* Amissi verò pudoris infamia, omnem elegantiam oris, & venustatem oblitterat, vti pudor magis commendat, quemadmodum canit Val. Catullus.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis
Ignotus pecori, nullo contusus aratro
Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multae optauere puellae;
Idem cum tenui carptus defloruit vngui
Nulli illum pueri, nullae optauere puellae:
Sic virgo dum intacta manet, tum cara suis. sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.

Noster hic poëta praesenti epigrammate exprimit Catullum ad M. Tullium Ciceronem:

Disertissime Romuli nepotum
Quot sunt, quotq; fuere Marce Tulli, &c.

Ad Cæsarem Domitianum.

LIV. LI.

Magna licet toties tribuas, maiora daturus
Dona ducum victor, victor & ipse tui:
Diligeris populo non propter præmia, Cæsar,
Propter te populus præmia, Cæsar, amat.

ἀντιμετάϐολὴ conuersio Auct. ad Her. l. 4. Singulis viritim decem argenteos florenos. Si legas tricenorum singulis dedit vnum florenum. alij codices habent trecentorũ. De congiariis passim historici & Augustæ scriptores.

Laudat congiarium Domitiani, quod populo ter dedit. sic enim Tranquillus: **Congiarium populo nummorum trecenorum ter dedit, atq; inter spectacula, & munera, largissimum epulum, &c.** Poëta argutè, cùm imperatores largiendis donis studuerint sibi populum conciliare, ait munera amari propter Domitianum, non Domitianum propter munera; hic enim amor est auarorum, ille ingenuorum & liberalium animorum. DVCVM VICTOR] κολακικῶς, quasi liberalitate superet reliquos imperatores. respicit simul forte ad Cattos, Sarmatas, & Dacos. IPSE TVI] quæ summa laus est, & conuenit in eos, qui suis cupiditatibus temperant, vt Alexander, cùm cœpisset Darij vxorem, intactam seruauit, quo se ipsum vicit. notus est vulgaris versus: *Fortior est, qui se, &c.*

Ad eundem de leone.

LV. LIII.

Auditur quantum Massyla per auia murmur,
Innumero quoties silua leone furit,
*Pallidus attonitos ad * Pœna mapalia pastor*
Cùm reuocat tauros, & sine mente pecus:
Tantus in Ausoniâ fremuit modò terror arenâ.
Quis non esse gregem crederet? vnus erat.
Sed cuius tremerent ipsi quoq; iura leones,
*Cui diadema * daret marmore picta Nomas.*
*O quantum per colla decus, quem * sparsit honorem,*
*Aurea lunatæ cùm stetit * vnda iubæ?*
Grandia quàm decuit latum venabula pectus,
Quantaq; de magna gaudia morte tulit?
Vnde tuis, Libye, tam felix gloria siluis?
*A Cybeles nunquid venerat ille * iugis?*
An magis Herculeo, Germanice, misit ab astro,
Hanc tibi vel frater, vel pater ipse feram?

** al. plena, sed Pœna verius, id est, Punica [illegible] rectè Pendarus appellatur.*

** v darent marmora picta comas.*
** spargit.*
** v. vmbra.*
** G. iugo.*

Numidicum & immanem leonem à Cæsare in arenam missum & occisum laudat. Domitius, quem olim secuti sumus, affirmat Romæ in amphitheatro ab ipso Cæsare interemtum. negant alij, & Romæ quidem aiunt cæsum sed non à Domitiano: Ego verè anceps hæreo; Romæ tamen in arena à bestiario confectum puto, nusquam enim lego, nec in Tranquillo nec Dione Domitianum ipsum in arenam Romæ descendisse. proinde à Carpophoro aliquo fuisse collocatum. Romæ autem prostratum docere videtur Martialis:

Tantus in Ausonia fremuit modò terror arenâ.

Quod si contendas ex illo Martialis versu ab ipso Domitiano interemtum:

Quantaq; de magna gaudia morte tulit,

dicendum erit in Albano fuisse, vel à Domitiano, vel à Glabrione consule mactatum, ita vt Ausonia arena pro Albana accipiatur. In Albano autem plerisque spectantibus, vt Tranquillus narrat, centenas varij generis feras sæpe confecit, sed non nisi sagittis quibus certum destinabat ictum. De Glabrione Dio testis. Glabrionem quoque, qui cum Traiano magistratum gesserat, accusatum

præter

præter cætera superioris criminis, & quod cum bestiis pugnasset, interfici iussit, cui præsertim propter inuidiam infensus erat. Nam cum eum consulem in Albanum vocasset ad Iuuenalia, coëgissetque immanem Leonem expugnare, Glabrio non solum à Leone læsus non est, sed etiam cum egregiè confecit. potes ergo magnam mortem ad consularem manum, nisi inuidia Cæsaris obstat, transferre. Sed vt dixi, mihi vero propius videtur Romæ confixam esse venabulo à nobili aliquo bestiario. quamuis *magnam mortem* de fera magna & immani, & in publico cum bestiario valido pugnante possis interpretari.

AVDITVR QVANTVM] à comparatione incipit, & ostendit vnum illum leonem Cæsaris tantum edidisse rugitum in arena, quantum vix omnes in Libya leones simul edere possint. MASSYLA] per saltus Massyliæ, quæ pars Libyę, equorum & leonum feracissima. INNVMERO LEONE] incertus numerus pro certo, vt significet multitudinem, sicut Oratores solent: *infinita haberem, quæ dicerem, nisi me dies deficeret.* SILVA FVRIT] continens pro contento. leones in silua furunt, fremunt, rugiunt. PALLIDVS ATTONITOS] ordo est. Quantus auditur fremitus leonum in Massylia, cùm timidi pastores pecus reducunt domum, tantus nuper fremitus est ab vno leone, in Cæsaris arena, auditus. PALLIDVS] metu exanimatus, metonymia, signum pro re, pallor arguit timorem. ATTONITOS TAVROS] metu perculsos, sine mente, ob rugitum leonum. Tanta ferarum aliarum trepidatio est, cùm audiunt rugientem leonem, vt (D D. Basilio & Ambrosio testibus) multa animantium, quæ eius impetum alioqui pernicitate pedum euaderent, ad indignantis fremitum percussa attonitaque sistantur, nulloq; negotio capiantur. Pierium vide lib. 1. p. 4. in Leone. SINE MENTE PECVS] ἄφρον. Heraldum lege. MAPALIA] casæ paruæ Punicæ. Festum adi, & ad eum Scalig. TANTVS IN AVSONIA] ad magnitudinem leonis, & præstantiam declarandam vtitur hyperbole. SED CVIVS] tantus erat, vt iure Rex inter leones videri posset. CVI DIADEMA DARET] quem Regem leonum crearet Numidia. NOMAS] Græcè νομὰς latinè Numidiam valet. PICTA MARMORE] quia maculoso marmore abundat Numidia, quod M. Lepidus quondam Romæ ostendit. O QVANTVM] hactenus generatim totum laudauit leonem. nunc partes eius celebrat. DECVS] iubam insignem vocat decus. sunt autem iubati leones præstantissimi. Plinius lib. 8. cap. 16. Oppianus lib. 3. Cyneg. QVEM SPARGIT HONOREM] expolitio est. exponit enim, quod sit illud decus. AVREA] flaua, qui color imitatur aurum, inauratam alicubi vocat Seneca. LVNATÆ] tortæ, inquit Domitius. Sed fortè melius in modum lunæ curuæ erectæ, cùm dicat stetit, intelligo igitur iubam vtrinq; erectam stetisse ad formam lunæ, stetit enim, inhorruit. Leo enim sibi certandum videns iubam erexit, vti homines per timorem erigunt comam. Virgil. Æn. 3.

Virg. 4. Georg. varia habitata mapalia tectis. Vide Salustium bello Iugurthino.

Obstupui, steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit.

Vel LVNATÆ] qui de luna missus erat. Vide Hyginum, & Cæsarem Germanicum ad Aratum. GRANDIA CVM DECVIT] Iam hoc ad Domitiani vel Glabrionis, vel bestiarij nobilis laudem referendum, laudat simul ingens pectus leonis quod docuit grandia venabula, vt ingentia vulnera facerent. QVANTAQVE DE MAGNA MORTE GAVDIA TVLIT] quod manu magna ceciderit, gaudia tulit, triumphare debuit leo, se tam nobili morte perfunctum; de hac re alio loco, de lepore. l 1.

Desperanda tibi est ingentis gloria fati.

Possis, vt dixi, etiam de ipsa fera accipere.

VNDE TVIS] Apostrophe ad Libyam leonum feracem, quam beatam prædicat, ob tam eximiam feram. A CYBELES NVNQVID] ab Ida monte Phrygiæ, vnde Cybele dicta est Idæa. habuit varia nomina, vocabatur Rhea, Proserpina, & Isis, Berecynthia, Tellus, Vesta, Pandora, Pessinuntia, &c. Fabulati sunt poëtæ hanc Deorum matrem, à quatuor leonibus in curru vehi solitam, & corona turrita coronari, &c. ad quam solutam alludit hic poëta, cùm interrogat, an leo iste ex iugis Cybeles quasi missus à Dea ad Deum Domitianum venerit. Quid soluta significet, leges apud Lucretium. lib. 2.

Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
Sedibus in curru biiuges agitare leones,
Aëris in spacio.

Epigrammaton 7. Anthol. Trismegistis u Orphei.

Εἰ δὲ κεκινηκότο λέοντ᾽ ... ἰόντ᾽, &c.

De eadem passim Mythologi. Fulgentius lib. 3. Mythologicon. Natalis Comes lib. 9. cap. 5. & poëtæ prope omnes tam Græci, quàm Latini. AN MAGIS HERCVLEO] astrum Herculeum est leo ab Hercule interfectus, vt suprà docuimus. is relatus est in astra Zodiaci, seu signiferi, & fulget stellis septem & viginti. illustrem, & primæ notæ vnam in pectore, alteram in cauda gestat. de hoc Aratus in φαινομένοις. Manilius. Virgilius. GERMANICE] Germanicus dici voluit, à victis Germanis, de quibus & triumphauit, vt suprà dictum. Ita vocat lib. 9. Rheni domitorem.

HANC TIBI VEL FRATER] Titus, vel pater Vespasianus, mortui, & in Deos relati. μιμητικῶς.

Ad

Ad Flaccum.

LVI. LIII.

Temporibus nostris ætas cùm cedat auorum,
Creuerit & maior cum duce Roma suo.
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quemquam tantâ bella sonare tuba?
Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones;
Virgiliumq; tibi vel tua rura dabunt.
Iugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ.
Flebat & abductas Tityrus æger oues,
Risit Tuscus eques, paupertatemq; malignam
*Reppulit, & * celeri iussit abire fugâ.*
*Accipe diuitias, * & vatum maximus esto,*
Tu licet, & nostrum, dixit, Alexin ames.
** Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,*
Marmoreâ fundens nigra falerna manu.

* * *

Excidit attonito pinguis Galatea poëtæ
Thestylis, & rubras messibus vsta genas;
*Protinus Italiam concepit, & ** arma, virumque,
Qui modò vix culicem fleuerat ore rudi.
*Quid Varos, Marsosq; loquar, * ditataq; vatum*
Nomina, magnus erit quos numerare labor?
** Ergo ero Virgilius, si munera Mæcenatis*
*Des mihi? Virgilius non ero: * Marsus ero.*

Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo.

** Celebri legunt alij eod. sensu. celebri gradu apud Accium reperitur in Aegystho, sed noster agrè admittit Accium & quicquid eaccumiusq; vomunt.*

** Abstabat Gruterus ex Pal. C. quod non valde placet.*

** Vides exordium Æneidos?*

** v. dictataque.*

** al. Ipse ero.*

** Marcus ero. Heraldus legit. nobis Marsus placet, supra enim lib. 7. ep. 98. dixerat: Nec Marso nimium minor. Ergo si dederis mihi ampliora munera, dabo operam vt sim ipse Marsus, hoc est, par Marso.*

Nullos ait suo tempore Virgilios, quòd nulli sint Mæcenates. tale est lib. 5. epig. 19. Videtur Flaccus de Martiale questus, quod nunquam ita se laudasset vt Parthenium, Paullum & Rufum, qui dona miserant poëtæ, & poëta vicissim carmen. Si vis inquit à me laudari da munera Mæcenatis & ero tuus, si non Virgilius, certè Marsus. ÆTAS AVORVM] Qui fit, vt nostro æuo, quo maximè floret Roma, nulli floreant vates? CVM DVCE ROMA] cum Domitiano. lib. 5. epig. 19.

Dialog. Quinctil. lege de Orat. Iuuen. Sat. 7.

Pulchrior, & maior, quo duce Roma fuit?

Et libro spect. *——reddita Roma sibi est.*

SINT MÆCENATES] qui foueant poëtas. Nam & Virgilius antequam haberet Mæcenatem, non prælia, sed pascua tantùm, & rura, culicesque cecinit. IVGERA PERDIDERAT] Cremona, haud procul Mantua, partes Cassij & Bruti secuta, contra Octauium tandem victorem, multata agro suo, quem militibus Cæsar assignarat, etiam in societatem mali trahebat vicinam Mantuam, cùm ager Cremonensis non sufficeret veteranis, quibus præmij loco Cremonensis vicinia erat attributa. Cæsar, vt Mantuani agri Cremonensibus adderentur imperauit, itaque spoliatus est Virgilius suo peculio, & fundo, cuius recipiendi gratia Romam profectus, per Mæcenatem, & alios patronos commendatus Augusto, impetrauit non tantùm suos agellos, sed ingentia etiam munera, quæ hic commemorat Martialis. Et hinc ait factum, vt arma, virumque conciperet, qui antea pinguem Galateam cecinisset. TITYRVS ÆGER AVES] In prima ecloga sustinet personam Virgilij Tityrus, sicut aliorum Mantuanorum Melibœus. De hac re Sidonius epist. 5. lib. 1.

Lege Virgilij vitam ab interpretibus copiosè enarratam.

Atq;

Atque obiter Cremonam peruectus adueni, cuius est olim Tityro Mantuano larium suspirata proximitas. Focas Grammat. de ead.

> *Proscripsit misera florentia rura Cremona*
> *Totaq; militibus pretium concessa laborum,*
> *Præda fuit violenta manus bacchata per agros,*
> *Non flatus non tela Iouis, non spumeus amnis,*
> *Non imbres rabidi, quantum manus impia vastat.*
> *Mantua tu coniuncta loco, sociata periclis.*

RISIT TVSCVS EQVES] Mœcenatis regia Etruscorum stirpe oriundi laudes, ingenium, vitam leges in Albinouani elegia, qua obitum deplorat Mœcenatis. Et apud Horatium lib.1. car. Od.20.lib.3.Od 16. & proxima ab vltima. Apud Velleium lib.2. Lucanum in Mœcenatis Panegyrico ad Pisonem. Martialem lib.12.epig.4.lib.11.ep.4. lib.1.ep.108.lib.10.ep.73. lib.7.ep.28. Vide Mureti annot. ad Od.1.lib.1. Lambinum & alios Horatij interpretes. Huic Virgilius Georgica inscripsit. ALEXIN AMES] quem tamen Apuleius Apol.1. affirmat Pollionis, non Mœcenatis puerum fuisse. qui ipsum Augustum appellatum à poëta Alexin putant, male carmen & poëtam exputant, quos merito refellit doctissimus vir & Socius noster Io. Ludouicus de la Cerda ad Eclog.2. Virg. ADSTABAT DOMINI] Mœcenatis. MARMOREA MANV] candida. Petronius. *Iam mentum, iam manus, &c. Parium marmor extinxerat.* vide ep. ad Gatullam paullò suprà Arnob. lib.4. *Vlnarum niuei marmoreiq; candoris.* EXCIDIT] oblitus est Galateam suam, quæ hoc loco pro agresti carmine accipitur. alias alios habet significatus, quos apud interpretes Virgilianos ad 1.eclogam leges. THESTYLIS] & hæc excidit agrestis puella, in agris & ruri versata. de qua Virgilius eclog.2. & Theocritus. PROTINVS ITALIAM CONCEPIT, ET ARMA, VIRVMQVE] periphrasis Æneidos, cuius initium ponit pro toto opere, vt in græcis epigrammatis, *Μῆνιν ἄειδε θεά*, &c. Hinc intelligas initium hoc esse Æneidos, non: *Ille ego*, &c. Idem lib.14.

> *Ne nugis positis arma, virumq; legas.*

Et apertè pro initio ponit Persius Sat.1.

> *Arma virûm: nónne hoc spumosum & cortice pingui,*
> *Vt ramale vetus vegrandi subere coctum.*

Sidonius idem sentit de principio.

> *Hinc Maro post audet Arma virumq; loqui.*

CVLICEM] paruum, & rude collatum cum Æneide, sed per se spectatum nobile poëmatium. QVID VAROS] duos Varos seu Varros fuisse docet Gyraldus poët. histor. dial.4. prior Quintilius Varrus, rem in Germania, vt tradunt historici, infeliciter gessit. de quo est illud Virgilij Ecloga 6.

> *Nunc ego, namq; super tibi erunt qui dicere laudes*
> *Vare tuas cupiant, & tristia dicere bella.*

Et Manilius. *Cum fera ductorem rapuit Germania Varum.*

Alter est Lucius Varus, qui cum Plotio & Tucca Æneidem emendauit, de quo puto hunc locum intelligendum; fuit enim & poëta & Grammaticus. Tertius est quidam Varius epicus. MARSOSQVE] de Marso suprà sæpius dictum, Epigrammatarius fuit, quem imitatus est Martialis, vt ipse hoc epigrammate * testatur. *Virgilius non ero, Marsus ero.* lege Gyraldum dialog.10. DICTATA] ita legendum censeo, quòd hic agat de poëtis à suis Mœcenatibus locupletatis. ERGO ERO VIRGILIVS, SI MVNERA MŒCENATIS DES MIHI?] Interrogatio. Tun' te Virgilium futurum putares, si haberes, quem ille, Mœcenatem? quæ isthæc confidentia est? Respondet poëta, ero Virgilius in meo genere. hoc est, præstans epigrammatarius, vti Marsus fuit, quo non ero inferior. Heraldus legit Marcus, & refert ad ipsum Martialem. Marcus ero Martialis, cui nomini non minùs conciliabo nomen, quàm olim Maro suo. Vtraque lectio non aliena poetæ sensu. Marsum tamen probo.

Margin notes: *Poeta pueris & puellis quos versu celebrant aliena nomina fingunt. Apul. Apol. 1. prosa.* — *Tacitum lego.* — * *Et lib.3. ep.5. Qua Pedo, qua Marsus, quaq; Catullus erit. Et lib.7. ep.98. Nec Marso nimium minor est.*

De Picente.

LIV. LVII.

> *Tres habuit dentes, pariter quos expuit omnes,*
> *Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum,*
> *Collegitq; sinu fragmenta nouissima * fracti*
> *Oris, & aggestâ contumulauit humo.*
> *Ossa licet quondam defuncti non legat hæres:*
> *Hoc sibi iam Picens præstitit officium.*

* *v. laxi.*

Picens

Picens se ipsum sepeliuit. OSSA NON LEGAT HÆRES] Etiamsi hæres, Picentis filius, aut propinquus non colligat cinere. Picentis, non tamen erit inhumatus, iam enim ipse sui partem, suaque ossa terræ mandauit. An ita decoxit vt neque dentes ei superessent, quos hæredes legerent? Attingit veterum morem in reliquiis vstulati corporis legendis. Virg. 6. Æn. de Miseno. Maurus, Hom. Seruius, Tacitus, Suetonius, alij. Gyraldum adi lib. de Vario sepulturæ ritu. Tiraquellum ad Alex. ab Alex. Birckmannum & Meursium. Lepos est in eo, quòd videtur *αὐτοκαμνεῖν*, vt quisquam seipsum sepeliat, simulq; viuat, & simul sit sepultus. Similis est locus apud Quintilianum lib. 8. c. 5. & Senecam Consol. ad Marciam c. 22. vide Heraldum.

In Artemidorum.

LVII. LV.

Cùm tibi tam crassæ sint, Artemidore, lacernæ,
** Poßim te † sagarum iure vocare * meo.*

** Possum.*
† Sagarim meum habet Manut.
** meum. al.*

Ludit in ambigua voce sagari. Artemidorus tam crassam gestabat lacernam, vt sagum videri posset. Vocat ergo illum sagarum quasi sagatum, cùm tamen sagarus esset, vt Lipsius lib. 1. epist. 5. ex inscriptionibus docet, qui curaret theatrum. Est & in vallo ciuitatis, vt Appianus monet, inscriptio huiusmodi. I. O. M. VOLVVIO. TERTVLLO NEGOCIATORI SAGARIO EX. APVLIA: Et in Capitolio. *Terentio Pamphilo Sagario.* sed aliud est sagarus, aliud opinor sagarius, qui saga vendit. Est apud Athenæum deliciosus quidam & inertissimus Sagaris. Est apud Virgilium famulus quidam trilicem loricam gestans 5. Æneid. In Delphinorum domo vetus est inscriptio, qua vocantur sagari cultores theatri Marcelli. Et lego, meo, non meum, sagarum non sagarim. Sagaris fuit fluuius Phrygiæ, quem alij sagarim, alij sagarum, alij sangarium, alij aliter, vt Brodæus docet, appellant. Est & genus teli Persici apud Strabonem lib 15. & Herod. lib. 1. Sed nondum lux in hoc epigrammate, quod altius ingenium requirit, aut potiùs scientiam vocis, & officij sagari. Interim diuinare placet, dum ænigma liqueat. Artemidorus in spectaculis, reor, ante poëtam Martialem stabat crassa & distenta lacerna, ita vt officeret spectanti poëtæ. Et quia Sagarorum fuit, vt coniicio, officium, vela suspendere, diducere, adducere. Artemidorus Martiali quasi pro velo fuit crasso nimis, per quod ludos spectare commodè non poterat. Hinc suum Sagarum appellauit Artemidorum. Quod si ad Virgilianum Sagarim (vt aliàs solet, vti & ad Homerum sæpe) respexit, sensus erit ex contentione Sagaris & Artemidori eliciendus. Tu Artemidore videris mihi alter ille Maronianus Sagaris, qui vnà cum Phegeo connixus humero loricam hamatam, auroque consertam, ac trilicem, ægrè tamen sustinere ac ferre potuit. Tam enim crassa est grauis tua lacerna, vt conferri possit cum Sagaris lorica, nec à te ferri, qui propè oneri succumbis. Sed friget, vt mihi videtur, iocus parum salsus & piperatus. Itaque multa potius hic conamur quàm explicamus. Sunt qui hic somnient agi de paupertate Artemidori philosophi, & Martialis, quod ego vigil non video.

Quid si genus scuti sit apud Herodotum. Sagarim enim alij pugionem, alij securim, malim scuti interpretari quod optimè conueniat Martiali: quasi Artemidorus tam crassam gestarit lacernam vti loco scuti esse potuerit.

In Luscum furem.

LIX. LVI.

Adspicis hunc vno contentum lumine, cuius
*Lippa sub attrita fronte lacuna * patet:*
Ne contemne caput, nihil est furacius illo.
Non fuit Autolyci tam piceata manus.
*Hunc tu conuiuam cautus * vitare memento:*
Tunc furit, atq; oculo luscus vtroq; videt.
Pocula soliciti perdunt, ligulasq; ministri,
Et latet in tepido plurima mappa sinu.
Lapsa nec à cubitu subducere pallia nescit,
Et tectus lænis sæpe duabus abit:

** sedet.*

** Seruare melius. obseruare ne aliquid legat de tuo.*

Lege Ciaconium & Vrsinum de triclinio.

Nec

*Nec dormitantem * vernam fraudare lucernâ*
Erubuit fallax, ardeat illa licet.
Si nihil inuasit, † puerum tunc arte dolosa
Circuit, & soleas surripit ipse suas.

Nobilem & exercitatum furē monophthalmum seu vnoculum celebrat, qui plus vno, quàm alij duobus videant oculis. CONTENTVM] quasi sufficiat illi oculus vnus, nec requirat plures ad furta. sed, *contentum*, hoc loco significatu simplici accipitur, pro eo, qui habet vnum oculum. LIPPA LACVNA] stillans hiatus, & cauea oculi amissi. an deprehensus in furto aliquo, oculum pro pignore reliquit? turpe corpus, turpe ingenium, vt de Vatinio Paterculus: In quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenij, adeo vt animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur. Sed non respondebat ingenio Æsopi infame corpus. ATTRITA] perfricta. NE CONTEMNE CAPVT] luscum: est enim caput malorum. aliâs pro toto homine caput, noto tropo vsurpatur. vnde carum caput, impium caput, audax caput apud optimos scriptores. hîc vtroque intellectu accipias licet. AVTOLYCI PICEATA MANVS] Hunc furem laudat Homerus Iliad. κ.

Τήν ῥά ποτ' ἐξ Ἐλεῶνος ἀμύντορος Ὀρμενίδαο
Ἐξέλετ' Αὐτόλυκος πυκινὸν δόμον ἀντιτορήσας,
Quam quondam ex Eleone Amyntoris Ormenidæ
Rapuit Autolycus ædibus sordidis perfractis.

Fuit, vt Eustathius scribit, Mercurij filius, patris quàm simillimus, furta doctus aliis induere coloribus, ne vendita deprehenderentur. Vlysis auus maternus. Homerus Odyss. 11. &c. Ouid. Met. 11. *Nascitur Autolycus furtum ingeniosus ad omne.*

Plato lib. 1. de legibus Autolyci mentionem facit, & Columella lib. 1. cap. 3. abigeum, seu abactorem fuisse dicit, vt Cacum. PICEATA MANVS] cui adhærent omnia tacta. sic Catullus ad Thallum. *Quam nunc tuis ab vnguibus reglutina, & remitte.*

LIGVLASQVE] de ligulis & lib. 5. & hoc epig. 33. dictum. aliâs cochlear, aliâs spathidam significat, in cœnis adhibebatur. Parthius mauult aliam ex MS. lectionem vt pro *piceata* scribatur, *pirata*: nobis placet vsitata scriptura valde ad sensum commodata: quamuis nouitia vox sit ad analogiam facta vt à trabea trabeatus. Martialis iam sequiore latinitatis sæculo natus non fuit tam religiosus in verbis, vti nec Seneca, Plinius, Quintilianus, æquales. LÆNIS] læna genus vestis militaris quam & chlamydem vocant. Virgilius 4. Æneid.

——Tyrioq; ardebat murice læna.

Leucoppus in Bacchis eiusdem facit mentionem. Persius Sat. 1. Rhodiginus lib. 16. cap. 10. Bayfius de re vestiaria. alij sagum aiunt villosum, Græcis χλαῖνα, vel χλανίς dicta. SOLEAS] soleæ, quæ tegunt solum pedis seu vestigia, vt sunt crepidæ apud nos, & calones, &c. plura lib. *14. Pueri ad pedes has soleas custodiebant, quod non ignotum, heri verò exsoleati accubabant.

* Vernam seruum præsolantē commouentemq;, dum herus cœnat.
† Puerum suum, cuius cura heri solea committebantur, vt alibi d.
Græcè θεῖα ἢ ἱερὰ κεφαλή.
De ligula multa lib. 14. loco cochlearia etiam præfatis.
De læna sius lemmate lib. 14.
* Et ibid. de solea lanata.

In Claudiam.

LVII. LX.

Summa Palatini poteras æquare Colossi,
*Si fieres breuior, Claudia, * sesquipede.*

* sesquipedem.

Claudiam irridet, quæ cùm esset breuis, tamen longa videri cupiebat, & surrectis ceruicibus incedebat. Martialis ait illam sesquipede longiorem colosso Palatino. An fuit longissima potius & modum fœminæ excessit, vt aliqui volunt? quam Martialis hyperbolicôs contendit cum altissimo Romæ colosso. SVMMA] summum verticem colossi. An hic equum Domitiani intelligis? in quem est Papinij 1. lib. Silua. carmen primum. fuit altissimus. Papinius.

——vix lumine fesso
Explores, quàm longus in hunc despectus ab illo.

In Latino foro seu Romano fuit hic equus inauratus, vt idem canit. de quo Marlianus lib. 3. cap. 18. An Colossum Neronis, quem Titus transtulit? lib. A. epig. 2. SESQVIPEDE] pede sesquialtero, id est, vno & dimidio. Domitius ait fuisse longissimam fœminam, & poëtam voluisse hyperbolicôs eius longitudinem exprimere. cùm auctoritas desit, an longa nimis, an nimis breuis fuerit, vtraque sententia constare potest, Propè tamen in Domitij partes eo, quòd Claudia longior plerisque insolentissimè se propterea efferret nimiumque sibi placeret. An simul alludit Ciceronis iocum 2. de Orat. in Memmium, qui ad fornicem Fabij caput demittebat? Claudia verò tanto insolentior apparebat, quanto maiorem se & colosso ipso longiorem existimabat. Longas porrò fœminas priscis laudatas ostendit longè ex Homero, Virgilio, Ouidio, Propertio, Statio, Tiraquellus in leg. 2. Connub. 74.

In Carinum.

LXI. LVIII.

Liuet Carinus, rumpitur, furit, plorat,
Et quærit altos, vnde pendeat, ramos.
Non iam, quòd orbe cantor, & legor toto.
Nec vmbilicis quòd decorus, & cedro.
Spargor per omnes, Roma quas tenet gentes:
Sed quòd sub vrbe rus habemus æstiuum,
Vehimurq; mulis non, vt antè, conductis.
Quid imprecabor, ô Seuere liuenti?
Hoc opto, mulas habeat, & suburbanum.

Carino inuidenti rus suburbanum poëtæ, optat Martialis, vt ipse ea habeat, quibus inuidet, id est, vt sit tam pauper, ac ipse poëta & mulas quas per vrbem agat oleribus onustas. Carini nomen legitur in Inscriptionibus M. Gauius Karinus de quo, reor, nihil cogitauit Martialis, quamuis Domitiani æuo sit facta, cum nihil huc faciat, etsi fuit qui hoc putaret. N[illegible] IAM, QVÒD ORBE] vt alter Zoilus. SVB VRBE RVS] fallitur Marhanus, & alij, qui hortos Iulij vel Tullij Martialis in Ianiculo nostro Martiali adscribunt, alios habuit, de quibus & lib. 9. e. 99. HOC OPTO] vt sit tam pauper, ac ego, nihilque habeat præter meas mulas, quas alere vix possit, & meum suburbanum sterile & malè extructum, vt lib. 5. ep. [illegible]3. scribit. Huius epigrammatis sensus etiam videtur interior quidam esse, quem expono. Dolet Carinus poëtæ rus suburbanum & mulas, quibus gestandi caussa vehebatur, seu donatas seu paratas. Poëta vicissim prima fronte imprecatur Carino easdem mulas & idem suburbanum. sed tectè optat mulas, non quibus gestetur, sed quas agat per mediam vrbem suoque ex suburbano, hoc est, olitorio horto, non amplo prædio aut prætorio, sed paupertino hortulo, oleribus duntaxat consito, quæ mulis in vrbem vehat, & vendat aut ipse absumat: hinc mulas optat nec proprias, sed mercede conductas, non quibus gestetur, sed quas agat, vt ille apud Horat.

—aut olitoris aget mercede caballum,

Olus autem tenuium victum docet idem Horatius epist. 5. lib. 1.

Nec modica cœnare times olus omne patella.

Et lib. 1. Sat. 6. *lachaníq; catinum.*

Ad quos locos, Interpretes adi. Plura ad hanc sententiam H. Steph. animad. ad illud Adagiographi. Agas asellum. Alij ponunt vim epigrammatis in eo, quod præter expectationem bene precetur inuidenti, sed illam ego imprecationem bonam nemini inuideo.

De Picente.

LXII. LIX.

Scribit in auersa Picens epigrammata charta,
Et dolet, auerso quòd facit illa Deo.

Picentem tam malum, quàm longum, seu loquacem poëtam irridens carpit. Etsi non deest qui censeat Picentem tam pauperem fuisse, qui nec chartam puram habuerit, in qua scriberet. Mihi nihil de paupertate videtur poëta cogitasse, quod multi in auersa scripserint charta minimè pauperes. IN AVERSA] quod genus scripti opisthographum vocarunt veteres. Ex vna quippe parte, hoc est, intus tantùm, vt hodie epistolia solemus, scribebant. deinde voluebant chartas; vnde volumina à voluendo nomen habent: cùm autem scribendi calor traheret auctorem, deficiente paginâ, vtramque partem subinde exarabant. Audi de opisthographis Alex. Neap. lib. 2. c. 30. super his differentem. *Dixi, inquit, satis liquere verbi originem è Græco deductam, & quantum assequi poteram opisthographum dici chartam, quæ vtraq; facie, & diuerso latere scripturæ admonebatur, hoc est, intus & à tergo, quæ plerumq; non specie libelli erat, sed voluminis instar torquebatur, quo more prisci edidisse feruntur; deductum nomen ἀπὸ τοῦ ὄπισθεν, quod post & retro significat, καὶ γραφή, quod est scriptura. Qui igitur tam à facie, quàm à tergo scripta exarabant, in opisthographo scripsisse ferebantur.* Plinius Iunior. *Electorum commentarios sexaginta mihi reliquit opisthographos*, hoc est, etiam à tergo scriptos. De his auersis scriptis est illud Iuuen. Sat. 1. *Scriptus, & in tergo nondum finitus Orestes,-*

Et nostri vatis lib. 4. e. 81. *Si damnauerit, ad salariorum.*

Curras scrinia protinus licebit, Inuersa pueris arande charta.

Accedunt huc Sidonius lib. 7. Lucianus in philosophorum vitis, alio sensu auersam & aduersam exponit copiosè Guilandinus de papyro pagina 185. vbi de aduersariis libris ex Cicerone, sed poetæ mens hic, ipso Guilandino teste, intus & foris scripta epigrammata. Obserua, quæ Posthumus Scaliger Animaduersione in Guilandinum notauit. Cicero, inquit Guilandinus, nuncupare videtur aduersaria, quod scripta sint nō solum superficie auersa, sed etiam aduersa. Cōtra venit Scaliger. Pulchrum, inquit, commentum sane. Nam quæ charta vnquam auersa scripta fuit, quæ non prius aduersa scripta fuerat? Nam rariores opistographæ chartæ, quàm aliæ. Itaque quid esset opistographum, quid Aduersaria, minus intellexit. Aduersaria dicuntur, quæ in aduersa parte scribuntur, qualia erant quotidiana vitæ, & ephemerides. At in auersa, hoc est, à tergo solebat & scribi. Vnde opistographorum nomen. Sed in aduersa rationes dati & expensi perscribebantur, in auersa accepti. Quando auersa pars conueniebat aduersæ, hoc est, cùm rationes accepti, congruebant cum rationibus dati, & expensi; tum hoc dicebatur vtramque paginam facere. Quòd si ipse Guilandinus supra pag. 172. perperam interpretatur, putat enim alludi ad duas paginulas, ex quibus, vt ait ille, charta compingebatur. Quod tam falsum est, quam chartam necessariò compingi ex duabus paginis. Sed vtramque paginam facere dicitur, cùm rationes accepti quadrant cum rationibus expensi. Quod & dicitur pariari. Cui contrarium reliquari. Nam villicus, qui non pariat, reliquari dicitur. Id et paria facere dicunt etiam. Aduersaria igitur quanquam & opistographa erant, tamen nomen ab vsitatiore pagina acceperunt. Ea potissimum erant in charta deletitia, quæ scilicet delebatur spongia, quæ ab eo à Varrone dicitur spongia deletilis; & Æschylus allusit ὑγρώσσ σπογγίῳ βολαῖς. Huc pertinent etiam libri liturarij apud Ausonium, & palimpsestus Catulli. AVERSO DEO] Appolline lib. 2. e. 89. in Gaurum.

Carmina quòd scribis Musis, & Apolline nullo, &c.

Quæ fiunt inuita Minerua; vt Horatius.

Tu nihil inuita facies, dicesq; Minerua.

Dicuntur autem illa coacta carmina, ingrataqua, quæ genio carent poetico. de quibus Horat. Et Seneca affirmat coacta ingenia malè respondere, carmina nimirum quæ repugnante natura, & refragante ingenio fiunt. Supra noster.

Nescio quid plus est, quod donat secula chartis:
Victurus genium debet habere liber.

Et noster lib. 6. epig. 60.

In Clytum.

LX. LXIV.

Vt poscas, Clyte, munus, exigasq;,
Vno nasceris octies in anno,
Et solas, puto, tresúe, quatuorúe
Non natalitias habes Kalendas.
Sit vultus tibi læuior licebit
Tritis litoris aridi lapillis,
Si moro coma nigrior caduco,
Vincas mollitie tremente plumas,
Aut massam modò lactis alligati,
Tu nobis, Clyte, iam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamiúe, Nestorisue?
Sit tandem pudor, & modus rapinis.
Quòd si ludis adhuc, semelq; nasci,
Vno iam tibi non sat est in anno,
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

Clytus, vt sæpius ab amicis natalitia munera reciperet, ferè quot calendis celebrabat suum natalem. poeta impudentiam hominis arguit, & monet, vt semel agat genethliaca, alioqui se nihil missurum.

De natalitio lib. 11. simile epig.

56. in Polycarmum ægrū sæpius.

missurum, sed neglecturum, perinde ac si natus non fuisset vnquam. VT POSCAS] consuetudo mittendi natalitia munera variarum nationum exponitur à Stuckio lib. 1. conuiual. c. 16. fusè, quem adibis. Et durat ea res etiam hodie apud omnes gentes. VNO NASCERIS] tibi agitas tua genethlia, loquendi modus est ridiculus, cùm nemo nisi semel nascatur. Sed facilè intelligitur, celebrari memoriam natalis octies, aut nouies per annum, & hoc est quasi denuo nasci, cùm nouum annum ingrediaris. Magna fuit in amicos veterum benignitas. dabantur munera à morbo restituto, quæ soteria nominabant. Statius Soteria pro Rutilio Gallico vouit. de quibus & Martialis lib. 12. 56.

Nam quoties surgis, Soteria poscis amicos,
Sit pudor ægrota iam, Polycarme, semel.

Dabatur & redactis vel per incendium, vel aliud infortunium ad paupertatem Mart. lib. 3. 51.

Collatum est decies, rogo, non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

Hanc enim artem adhibebant, cùm malè materiatas haberent ædes, vt incensas sumptuosius restituerent, sed amicorum γνώριμα. Nam γνώριμον Græci id genus munus vocitabant, quod amico in paupertatem delapso conferebant. Iam hæc quorundam etiam Græcorum auaritia fuit, vt opes suas pro aliis expenderet, vt ab aliis maiores reciperent, sæpe etiam damnum fingerent, vt verum inde commodum perciperent. id quod Dionysius tyrannus Speusippo philosopho obiecit. Casaubonum ad Athen. lib. 7. c. 5. consule. SIT VVLTVS.] iam, inquit, toties celebrasti natalem, vt mihi, quamuis iuuenis sis, atque adeo adolescens, tamen Priamo, & Nestore senior videaris. VVLTVS LEVIOR] quamuis penitus iuuenis atque imberbis sis, nullosque canos in vertice geras, sed moto nigriores habeas capillos. SIT TANDEM PVDOR] desine tandem nasci, & incipe mori. NATVM TE NEC SEMEL PVTABO] nihil amplius mittam donorum perinde ac si nunquam fuisses natus. An rectè spurium notat, de cuius natali non constet?

Incipe demori.

Ad Domitianum.

LXV. LXI.

Hic vbi Fortunæ reducis fulgentia latè
Templa nitent, felix area nuper erat.
Hic stetit Arctoi formosus puluere belli
Purpureum fundens, Cæsar, ab ore iubar.
*Hic lauro redimita comas, & candida * cultu*
Roma salutauit voce, manuq; ducem.
Grande loci meritum testantur & altera dona:
*Stat sacer † edomitis gentibus arcus * ouans.*
Hic gemini currus numerant elephanta † frequenter.
Sufficit immensis aureus ipse iugis.
Hæc est digna tuis, Germanice, porta triumphis:
Hos aditus vrbem Martis habere decet.

* Vultu habet communis editio. cultu vetus C. & melius, vt illud nimeos ad frena Quirites. † V. & domitis, è domitis. * V. ouat. † frequenti, mallem legere.

Post victoriam Sarmaticam arcum triumphalem sibi poni iussit maximum Domitianus, quem præter alia illius opera celebrat hoc epigrammate Martialis. Arcus statim à morte eius sunt disturbati. tam multi erant per vrbem conditi, vt cuidam Græcè fuerit inscriptum, ἀρκεῖ sufficit. Tranquillus c. 13. Dio in Nerua. FORTVNÆ REDVCIS] Fortunæ Deæ plurima templa Romæ, alibique variis nominibus erant extructa. Fortunam Masculam Ancus Martius condidit. vt Plutarchus libro de Fortuna Romanorum tradit, Paruam Fortunam Seruius Tullius, vt idem Plutarchus problem. 74. testatur. Ita alia Fortuna Fortis fuit, alia Primigenia, Prospera, Obsequens, Virilis, Muliebris, Viscata, Equestris, Seia, Conuertens, Calua, Respiciens, Fors Fortuna, Propitia, Mala, Bona, Euelpis, Atrophea, Beneprosperans, Virgo, Prænestina, Antiana, &c. totque templa, quot nomina, & his plura. Ad rationem horum templorum Domitiano templum Fortunæ Reduci est ædificatum, quod saluus & incolumis à bello Sarmatico esset in vrbem à Fortuna reductus. de hoc templo Fortunæ Reducis hic Martialis (nam & Iouem reducem se appellari passus est impius) Et Claudianus.

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores,
Ob reditum verere Ducum—

Lege

Lege Alex.Neap.lib.1.cap.13.Tiraquellum ad idem caput. Extant & hodie Romæ inscriptiones ararum Fortunæ Reduci dicatarum Vespasiani, quas apud Smetium fol. 50. reperies in 5. & 4. inscriptione. FELIX AREA NVPER ERAT] Felicem vocat, vel quòd illa Fortunæ erat destinata, vt templum ibi conderetur: vel quòd, vt Martialis insinuare videtur, ibi Princeps à populo salutatus, exceptusque sit in vrbem primùm reuersus. HIC] vbi nunc templum Reduci Fortunæ conditum. ARCTOI BELLI] Nam Sarmatia sub Arcto. FORMOSVS PVLVERE] quin turpatus, & sordidatus? puluis non reddit formosum, sed inquinat. Metonymia est; puluis bellicus, ornat non turpat; significat enim fortitudinem, & certamen pugnantis. PVRPVREVM FVNDENS] Vel ex itinere, cuius crebra agitatio calorem, & ruborem excitat, vel natura. Suet.cap.18. *Statura fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno. ita vt à verecundia, & pudore & commendaretur & commendari se sciret. quod ipse in senatu quondam attigit. Vsq, adhuc, inquit, certè animum meum probastis & vultum.* Et Mart. lib. 8. epist. ad Domitianum, *Cælestis verecundia tua, &c.* Et quanquam, vt Tranquillus scribit, pulcher ac decorus fuerit, tamen poëta vel eum pulchriorem fingit, vt suum Æneam Virg. 1. Æn.

> *Restitit Æneas, claraq, in luce refulsit*
> *Os, humerosq, Deo similis, namq, ipsa decoram*
> *Cæsariem nato genitrix, lumenq, iuuentæ*
> *Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.*

Sed fortè ibi, cùm triumpharet, contigerat, vt P. R. salutaret. triumphantis autem facies minio illini solebat ad similitudinem Iouis. Seruius ad 10 Eclogam Virgilij. *Facie rubea pingitur Pan propter ætheris similitudinem: æther autem est Iupiter: vnde etiam triumphantes habent omnia Iouis insignia. sceptrum, palmatā togam, qua vtebantur illi, qui palmam merebantur; faciem quoq, de rubrica illinunt instar coloris ætherii.* Isid. testatur idem lib. 18. *triumphantes colore rufo liniebantur, quasi imitarentur diuini ignis effigiem.* Eundem Domitiani vultum sæpius commendat Papinius. Plinius in Panegyrico aliter sentit. *Superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.* Et Tacitus in extrema Agricolæ vita. *Cùm denotandis tot hominum palloribus sufficeret sæuus ille vultus & rubor, à quo se contra ruborem muniebat.* Philostratus lib. 7. μεστὸς δὲ πικρᾶς χολῆς, ταυτὶ γάρ μάλιστα ἐπιφαίνει Ruborem ex ira natū ostendit, cuius sedes in genis, vt Plinius lib. 11. c. 37. auctor est. HIC LAVRO REDIMITA COMAS, CANDIDA CVLTV ROMA SALVTAVIT VOCE, MANVQVE DVCEM] De populo laureato. & candidato iam suprà egimus, cùm de triumpho ageremus. Epigram. *Nunc hilaris si quando, &c.* Huc refer, quæ scribit Herodianus in Commodo vrbem ingrediente, vt δαφνοφόρος populus illum exceperit. Si (vultu) legas, expones læta vultu ob reditum Domitiani. GRANDE LOCI MERITVM TESTANTVR ET ALTERA DONA: STAT SACER EDOMITIS GENTIBVS ARCVS OVANS] Ergo Fortunæ Reducis templum, & arcus Domitiani stabant iuncta in eadem area. De arcu triumphali hæc Marlianus lib. 6. cap. 16. *Triumphalis arcus mutilatus, suisq, spoliatus ornamentis, & titulis inter S. Syluestri & Laurentij in Lucina sacras ædes viam amplexus Flaminiam, Domitiano Imperatori adiudicatur. Qui verò nunc extat arcus, vulgo tripholi quasi tripolis, vt quibusdam placet ob victoriam trium vrbium appellatus.* GRANDE MERITVM] Quòd ibi Cæsar P. R. salutantem humaniter exceperit, Martialis pro grandi merito accipit, eoque nomine ibi Fortunæ Reduci templum, & arcum triumphalem ait Domitiano excitatum. ALTERA DONA] arcus triumphalis. primum donum, templum Fortunæ intellige. STAT ARCVS OVANS] de victis gentibus, vel ob victas gentes Sarmatarum, Dacorum, Cattorum, Germanorum. OVANS] triumphans. etsi de Sarmatis non triumpharit. Vsitatum genus honoris arcus excitare victoribus. plures enim etiam aliis ædificati fuêre. Legimus de arcu Romuli, Vespasiani, Septimij, Traiani, Coclitis, Fabiani, Constantini, Gordiani, Galieni, Tiberij Cæs. Theodosij, Camilli, & fortè plurium. HIC GEMINI CVRRVS NVMERANT ELEPHANTA FREQVENTER] supra arcum quadrigæ geminæ erant collocatæ propter geminam è Dacis palmam, & victoriam relatam. Suet. cap. 13. *Ianos, arcusque cum quadrigis, & insignibus triumphorum per regiones vrbis tot ac tantos extruxit, &c.* NVMERANT ELEPHANTA] elephanti enim illum arcum triumphalem vehebant; an ad sellas in curru eburneo hoc retulit? Tradunt scriptores Imperatorem cultu regio, armillisque ornatum, omnia Iouis insignia in sella eburnea gestantem resedisse. Valtrinus lib. 7. cap. 9. SVFFICIT IMMENSIS IVGIS IPSE] Hinc intelligo elephantos ad quadrigas iunctos fuisse, quòd dicat Martialis immensis iugis; vasta enim bellua elephas, & plures erant iuncti, vt iuga immensa, id est, maxima spectarentur. De iugo eruditam Wackerij disputationem libro de furcâ expectamus. AVREVS] Quamuis gemini ut sicurrus, vnus tamen triumphator est Domitianus, qui facile sua maiestate vtrumque currum implet, & explet. AVREVS] non nisi aureas vel argenteas sibi statuas erigi permisit. Suet. cap. 15. Xiphilinus. *Quamobrem ei tot & tanta decreta facta sunt, vt in omni ferè orbe terrarum, qui sub ditione eius erat, statuæ aureæ atque argenteæ posita sint.* HÆC EST DIGNA TVIS, GERMANICE, PORTA TRIVMPHIS] Epiphonema, & acclamatio in conclusione. talem arcum tuus triumphus & victoria merebatur Cæsar, & talis porta Martiam vrbem, Martique sacram, & à Martis progenie conditam decebat.

Sic Horatius puluerem Olympicum dixit.

Plurima ad hunc locum Heraldus ex Græcis & Latinis scriptoribus annotauit.

Arcus enim aliud nihil erat, quam ingens & arcuata porta, qualis in variorū pictura hodie extat, quam & triumphantes subibant & transibant.

De

De consulatu Silij.

LXVI. LXII.

Augusto pia tura, victimasque
Pro nostro date Silio Camœnæ.
Bis senos iubet en redire fasces
Nato consule, nobiliq; virga
*Vatis * Castaliam domum sonare.*
Rerum prima salus, & una Cæsar,
Gaudenti superest adhuc, quod optet
Felix purpura, tertiusque consul.
Pompeio dederit licet senatus,
Vt Cæsar genero sacros honores,
Quorum pacificus ter ampliauit
Ianus nomina: Silius frequentes
Mauult sic numerare consulatus.

* V. Castalij.

Consulatum filij, non Patris Silij ornat carmine Martialis, & optat, vt quondam & alter filius consul creetur, sicque consulares fasces ter ad domum Silij redeant, non vti ad Pompeim, qui binos item habuit liberos mares, sed neuter illorum consulatum gessit, cum Pompeius pater tertium consul esset dictus. AVGVSTO) Domitiano Cæsari sacrificate, vt Deo, nomine Silij, cuius filium Cæsar creauit consulem. Errat hic Domitius, qui Silium ter consulem fuisse dicit, & cum Domitio Gyraldus, & Onuphrius, & qui vitam Silij conscripserunt, tertium eidem consulatum adscribentes, cum pater semel duntaxat, semel filius natu maior consulatum sit adeptus. minor, hoc est, Seuerus, nunquam. Plinius Iunior, qui eadem ætate vixit, & Silium filiosq; Silij familiariter nouerat, epist. 7. lib. 3. qua mortem vitamque narrat, tantum vnum consulatum eius, & alterum filij refert, & patris quidem ait incidisse in mortem Neronis, quod & Fasti Siculi, & Capitolini testantur. filius cum Sextilio Laterano ex Kal. Iulij XVI. consulatu Domitiani, cui successit ex Cal. Iulij vel Aprilis vt nonnulli suspicantur, Non tacuisset trigeminum Silij consulatum Plinius, qui etiam filij fasces laudauit, & patris proconsulatum Asiæ omnesque honores curiose notauit. Accedit, in nullis Fastis nec Consularibus, nec Capitolinis Silij Italici nomen, nisi semel expressum. Nam P. Silius P.F.P.N. Nerua non fuit hic noster C. Silius Italicus. Quod ergo sequitur (frequent. cons. mauult sic numerare) expone; non vt Pompeius & Agrippa, qui ter consules, filiis nunquam consulibus, extitêre. Silius contentus est vno, vt gemini filij etiam singulos consulatus gerant. imò & ipse Martialis noster lib. 7.

aliique. (margin)

Postquam bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit,
Emeritos Musis, & Phœbo reddidit annos,
Proq; suo celebrat nunc Helicona foro.

Ex quo loco facile existimabit Lector, Silium post gestum consulatum se à Reip. negotiis remouisse. Sed ex hoc epigrammate non probe intellecto reor acceptam erroris occasionem (redire fasces) non patri, sed nato; nam & ipsemet subiungit, NATO CONSVLE) non patre. At quo pacto redire? in domum, inquam, eandem, non ad eundem hominem: sic enim sequitur. NOBILIQVE VIRGA VATIS CASTALIAM DOMVM SONARE) Magistratus quoties suam aut alienam domum ingrediebatur, lictor præcedens virga fores percutiebat, quasi ad significandum eius aduentum. Liuius lib. 6. Plinius 7. Statius de nuptiis Stellæ. *multâ pulsantur limina virgâ.* Fuit autem hæc virga diuersa à fascibus, vt contra Manutium euincit Lipsius lib. 1. Elect. cap. 23. vbi multa super virga hac lictorum. RERVM PRIMA SALVS) Cæsarem rogat, vt tertium etiam consulatum alteri filio conferat. Ita vt domus illa Silij triplici consulatus dignitate condecoretur. TERTIVS CONSVL) superest Silio patri, vt optet tertiam purpuram consularem minori filio Seuero, qui consul non est factus. POMPEIO DEDERIT LICET SENATVS) Confert Pompei triplicem consulatum cum triplici, quem sperabat Silius, consulatu. Pompeius item duos habuit filios Gn. P. & Sextum

Sextum. sed consulatus ipse rapuit pater. Silius autem MAVULT SIC NUMERARE CONSULATUS) vt singuli semel consulatum gerant. ter autem consul fuit Pompeius; primum cum M. Licinio Crasso Olymp.176. † V.C.684. deinde cum eodẽ Crasso A.V.C.699. Olympiade 191. postremo cum Q. Cælio Metello.Pio Scipione.A.V.C.702. Olymp. 182. Ter quoque Agrippa. Lipsium ad Panegyricum Plinij do testem, probe testatum. Pompei filij nunquam fuêre consules. Sextus tamen designatus erat, sed hostis iudicatus, antequam consulatum iniret: nec est, quod te moueat Seneca lib.4. cap.30. de Ben. cum nominat Sextũ Pomp.& alios Pompeios consules: Sextos Pompeios, Sextorum filios intelligit Seneca. lege Sigonij Fastos, & triumphos. ET CÆSAR GENERO.) Octauianus Augustus M. Vipsanio Agrippæ Iuliam, post M. Marcelli mortem in matrimonium locauit, ex qua tres omnino stirpis virilis liberos (Iuliam & Agrippinam taceo) suscepit, Caium & Lucium Cæsares, & Agrippam Posthumum. C. & L. consularem honorem nunquam consecuti diem obierunt. Posthumi ratio à Poëta non habetur. cum de triplici consulatu patris M. nempe Agrippæ, nondum nato Posthumo, loquatur. Ter autem M. Agrippam consulari honore fuisse ornatum ostendit Velleius his verbis: *Quem vsq; in tertium consulatum amicitia principis euexerat.* Ad quem locum Lipsius contra Sigonium & Onuphrium Panuinium docet, tres duntaxat, non quatuor consulatus Agrippæ gestos, refertque hoc ipsum Martialis dictum, *Et Cæsar genero*, ad Agrippã: vere. Nam ad Pompeium generum C. Iulij Cæsaris, superiore versu nominatum inepte refeeretur. QUORUM PACIFICUS TER AMPLIAVIT IANUS NOMINA) Octauiani & Agrippæ nomina illustrauit ter pacificus Ianus, hoc est, tertio clausus (anno enim priore Augusto V. consule cum Sexto Apuleio, post victum Antonium pace P. R. terra marique parta clausus erat, nec dum apertus sequenti anno, Augusto VI. & M. Agrippa. II. consulibus) cum ante Augusti æuum bis omnino clusus legatur. Primo imperante Numa (à quo mos claudendi acceptus) XLIII. annos portæ Iani clausæ manserunt, vt Liuius & Plutarchus tradidêre. Deinde A.V.C. D.XIX.T. Manlio Torquato, C.Atilio Bulbo II.coss. iterum clausus, eodemque anno, vt multi testantur, reclusus. Tertio ab Augusto, vt dictum primum. Quarto ab eodem IX. & M.Iunio Silano. coss. post bellum Cantabricum A.V.C.DCC.XXIX.Dione & Orosio auctoribus. Quinto ab eodem circa natalem Domini principis pacis. Casaubonum lege ad cap.22. Suet.

† 177. vt Panuinius anno 2.

In Cæcilianum.

LXIII. LXVIII.

Horas quinq; puer nondum tibi nunciat, & tu
Jam conuiua mihi, Cæciliane, venis.
Cùm modò distulerint raucæ vadimonia chartæ,
Et Floralitias lasset arena feras:
Curre, age, & illotos reuoca, Calliste, ministros:
Sternantur lecti: Cæciliane, sede.
Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit:*
Alget adhuc nudo clausa culina foco.
Mane veni potius: nam cur te quincta moretur?
Aut cur non serò, Cæciliane, venis?

* nondũ, mi.

Cæcilianum conuiuam præmaturè ad cœnam ventitantem iubet aut maturius aut serius adesse, hoc est, omnino abesse. PUER NUNCIAT] hora quinta veterum Romanorum iam vndecimæ fere respondet; nam hora sexta est sine controuersia ipse meridies, qui duodecima apud Germanos, Romanis hora quinta hodie erit 11. præpropere ergo ad cœnam veniebat ante meridiem, cum hora nona æstate, hyeme decima esset cœna (vt supra ad Euphemum lib. 4. epist. 8. exposuimus.)

Imperat extructos frangere nona toros.

Puerorum autem siue seruorum fuit munus, pronunciare horas. Quanquam à primis originibus ad primum bellum Punicum ortus tantum, & occasus dierum, postea meridiem Accenso pronunciante notarint. Accensi mentio est in carmine à Varrone adducto.

Vbi primum Accensus clamarit meridiem.

Suet. Domit.c.16. Plin.lib.7.de Cn. Bæbio locutus Seneca de breuitate Vitæ.c.12. Vbi sane illistris locus de lauatione, cœna, natatione, &c. Sidonius lib.2. epist. 9. Heraldus ad hunc locum. Lipsius lib.2. Elect. Adde ex Hieronymo Magio c.5. & 6. de tintinnabulo æuo Luciani iam horas

per aquam & sonitum fuisse demonstratas; machinæ formam inspicies ibidem cum descriptione Magij, quia tamen pauci librorum copiam habent, apponam ipsum caput Magij, est non longum. *Existimant nonnulli apud antiquos, dici noctisque horas tintinnabuli vatorii sono distingui & significari consueuisse, ea solum auctoritate innixi, quod Lucianus litteris prodiderit, horas per aquam & sonitum sua ætate demonstratas. in quorum ego aliquando sententiam pedibus discessi. Verùm postea factum est vt aliud sentirem, quod esset absq; dubio probabilius. Primum enim cœpi mecum addubitare quod Plinius, qui res huiusmodi multas exequitur, & Vitruuius, descriptis antiquorum solariis, id est, horologiis, quæ in sole, vmbrâ horas (quod etiam hodie fieri videmus) distinguebant, ac transeuntibus demonstrabant, nihil omnino de sonoro horologio loquantur, nullaq; eiusmodi arte non vulgari instrumenti fabrefacti mentio apud antiquos scriptores reperiatur. Mox accidit vt Ioannes Nicolaus Iustus affinis meus, ac vir doctus, libri veteris mihi copiam faceret, in quo præter alia multa instrumenta horologium, quod per aquam & sonitum constaret, Luciani horologio non absimile, graphice esset delineatum: cuius formam vtcunq; hic apponendam esse duxi, vt quisq; Luciani locum nullo negotio cognoscat.*

CVM MODÒ DISTVLERINT RAVCÆ VADIMONIA CHARTÆ] cùm modò dimissa sint vadimonia, & caussæ forenses, quæ hora tertia agebantur. lib. 4. epig. 8.

Exercet raucos tertia caussidicos. Quartæ legit non nemo, seruo chartæ.

VADIMONIA] generatim accipiuntur pro iudiciis; vnde apud Iurisconsultos veteres ad vadimonia occurrere, id est, iudicio se sistere. & vadimonium obire, iudicio adesse, vadimonium promittere, velle adesse ad iudicii tribunal. Propriè verò vadimonia sunt sponsiones priuatis seu publicis in iudiciis. vades promittunt cum iudicio adtore, vas ille est, qui reo spondet, reum vadimonia obiturum. De his Budæus annot. in Pand. Otas. Sunt & illa verba iuris, vadimonium promittere, vadimonium obire, vadimonium deserere, vadimonium differre. ad vadimonium occurrere. Vadimonium est sponsio sistendi in iudicio. Varro lib. 3. de lingua latina. *Vas*, inquit, *dictus est qui pro altero promittebat.* Inde vadari verbum, pro vadimonio obstringere. testimonia sunt ex Cic. Plauto, Demosthene, qui κυαδιῶσαι δίκην & ἐγγυᾶσθαι, id est, iudicium recipere, & sponsorum fide promittere. & ἀπαντᾶν ἐπὶ τὴν δίκην, καὶ ἀπαντᾶν ἐπὶ τὴν κυρίαν. occurrere ad vadimonium. DISTVLERINT] non verè Domitius exponit peregerint. aliud est peragere, aliud differre vadimonia. peragere est decidere, absoluere caussas. differre in aliud tempus proferre, quod non fiebat nisi graues & publicas ob caussas, in luctu, iustitio, ludis publicis, aut alio simili casu, aut caussâ. de quibus exempla sunt apud Iuuenalem.

Si magna Asterij cecidit domus: horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor.

Poëta noster tamen hic videtur dicere vadimonia, id est, iudicia tertia hora fieri, quæ si expediri non possint, differri in alterum diem. Etsi hic posit esse intellectus eo die, quo Cæcilianus venerat ad Martialem, dilata fuisse iudicia propter ludos Floralicios. ET FLORALICIAS LASSET ARENA FERAS] In ludis Floralicijs Floræ Deæ institutis multa indignia gerebantur, quæ Lactantius lib. 1. cap. 20. Macrobius lib. 1. cap. 4. D. August. lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 8. & lib. 6. cap. 7. aliique narrant. Inter cætera Ædiles cicer, fabas, & missilia plebi spargere assuerant, leporesque & capreas, aliaque multa animalia ludis admittere, quos in vico patricio, aut proximo celebrabant. Alexand. Neapolit. ex Plinio & Varrone. celebrantur IV. Cal. Maij. De his ergo feris hic loquitur Martialis. CVRRE. AGE ILLOTOS REVOCA MINISTROS] Illotos. hora octaua lauabant primùm, & Cæcilianus hora quincta venerat. STERNANTVR LECTI] triclinares, quibus cœnaturi accumbebant, quem morem apud Ciaconium de Triclinio, & Vrsinum explicatum habes. CALDAM POSCIS AQVAM] vino miscebant veteres aquam. Martialis lib. 1. epig. 12.

Iam defecisset portantes calda ministros.

De varia aquæ cum vino mistione legendus Athenæus, & Mercurialis lib. Variorum 1. cap. 18. & lib. 1. cap. 10. plura nos ad lib. 1. Bibebant etiam calidam vomitus caussa, vt alibi exposuimus. CALDAM POSCIS] proprium & vsitatum in hac re verbum. Plinius epist. 53. lib. 7. Seneca epist. 122. Petron. Sat. Sauaro ad Sidonium epist. 11. lib. 1. De calidi potus vsu apud Veteres ex instituto singularibus libellis scripsit Pierus Casinius vti se appellat, & Iosephus Castalio, hic Romæ, ille Bononiæ editus. A.C. M.DC. VI. & VII. quamuis inter se non conueniant. Non malè sentire videtur Casinius. NONDVM FRIGIDA VENIT] Nondum allata frigida, non focus excitatus. MANE VENI POTIVS] cur expectasti quinctam? poteras hora prima venisse, imo poteras hora 12. venisse, poteras omnino abfuisse. SERÒ] post cœnam vtpote inuocatus nec inuitatus. Habet hæc vox, sero, etiam alium intellectum, valetque idem, quod pridie. Apuleius lib. 3. *Et conuiuij, cui te serò desponderas appropinquantis admonet.* Et lib. 1. *Vnde autem scio an conuentore illo cum quo serò aduneras iugulato fuga mandes præsidium.* legesis Isaacum Pontanum ad Macrobium. Hic certè sensus magis intempestiuum notat Cæciliani aduentum, qui inuitatus ad sequentis diei cœnam, pridie venerit, ne cœnam negligeret.

Ad

Ad Entellum.

LXIV. LXVIII.

Qui Corcyrei vidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
Inuida purpureos vrat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat,
Condita perspicua viuit vindemia gemma,
Et tegitur felix, nec tamen vua latet.
Fœmineum lucet sic per bombycina corpus:
Calculus in nitida sic numeratur aqua.
Quid non ingenio voluit natura licere?
Autumnum sterilis ferre iubetur hyems.

Vindemiam Entilli etiam hyeme florentem, miroque artificio conseruatam laudat. CORCYRÆI] Corcyra maris Ionij insula, Homero Phæacia, & Scheria dicta, vbi laudatissimos scriptoribus hortos coluit Phæacum Rex Alcinous, cuius regiam & hortos ex Homero descripsimus lib. 4. epig. 64. & lib. 7. epig. 41. de hoc & lib. 1. epig. 94.

Regius Alcinoi nec mihi seruit ager.

Confert rus Entelli cum Alcinoi pomariis. VRAT] de frigore, vt Virgilius.

——aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Mordeat, dixit suprà. RACEMOS] hoc loco propriè de botryone, seu botro, vnde pendent in strobili modum acini seu vuæ, accipe; aliâs etiam Plinio teste de alijs plantis dicitur. BACCHI MVNERA] Virg. 1. Æneid. Lib. 16. c. 34.

Munera lætitiamq; Dei——

FRIGVS EDAT] perdat; viti enim inimicum frigus. PERSPICVA GEMMA VIVIT VINDEMIA] perspicuam gemmam suprà vocauit specularia, pellucidos lapides. Epig. 14.

Hibernis obiecta notis specularia puros
Admittunt soles.——

FELIX] tempore etiam alieno ferax, aut quia tecta & munita contra hyemes. FOEMINEVM CORPVS PER BOMBYCINA LVCET] Tam tenui serico velabantur matronæ quondam Romanæ, vt queritur Seneca lib. 7. de Benef. cap. 9. *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut pudor possit, &c.* Petronius ventum textilem appellat, & nebulam lineam, qualis est apud Horatium & Propertium, Plinium, Coa. Adi Hieronymum ad Lætam. Heluidium, Marcellæ epitaphium. Clem. Alexand. ἱμάτια διαφαίνοντα. Seneca pellucida. Tertullianus textum pellucidum. Fulgentius syrma nebulosum. Tibullus Carbaseos ventos nominat. Claudianus vitream vestem, Rallam dixere veteres. Cic. in Catil. vela. QVID NON] claudit epigramma cum exclamatione per admirationem humanæ industriæ, & solertiæ ingenij, quod nil possit arte efficere. AVTVMNVM] quo colligitur vua hyemem vertit in autumnum, anni tempora mutare didicit.

In Vacerram.

LXV. LXIX.

Miraris veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos poëtas.
Ignoscas petimus, Vacerra: tanti
Non est, vt placeam tibi, perire.

Mortuos tantùm laudabat poëtas Vacerra. Martialis argutè: non tanti facio tuas laudes, vt tuâ caussa velim ante diem mori, quò abs te laudari possim. Geminum est huic, de iis, qui tantùm admirantur antiquos, lib. 5. epig. 10. ad Regulum.

Hi sunt inuidia nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos semper vt illa nouis.

Ad

Ad quem locum ibi leges plurima. Si tamen pluria plurimis desideras, adeas licet Iuretum ad lib. 1. epist. 23. Symmachi, pag. 21. Sidonij Interpretem epist. 8. lib. 3. qui doctè multa ex Vellei. 2. de Sentio Saturnio, Tacito de Oratorib. Horatij lib. 2. epist. 1. Phædro præfat. lib. 5. Plinium Secundum supra laudaui. TANTI NON EST, VT PLACEAM TIBI, PERIRE] verbum pro recto, vt apud Persium.

Vsq; adeóne scire tuum nihil est.———

Non tanti facio laudem tuam, vt eâ gratiâ velim mori, & veteribus adscribi, quo laudari possim.

De Nerua.

LXX. LXVI.

Quanta quies placidi, tanta est facundia Neruæ:
Sed cohibet vires, ingeniumq; pudor.
*Cùm siccare * sacrum largo Permeßida posset*
Ore, verecundam maluit esse sitim:
Pieriam tenui frontem redimire corona
Contentus, famæ, nec dare vela suæ.
Sed tamen hunc nostri scit temporis esse Tibullum,
*Carmina qui * docti nota Neronis habent.*

* *V. sacram. haud dubiè malim. Has enim, nō his Permessis, permessidos, fons Musarum.*

* *V. nostri docta.*

Sic potsim illum infrà laudat lib. 8. epig. 17.

Laudat Neruam Imperatorem ab ingenio poëtico, qui etiam puer à carminis dulcedine Tibullus appellabatur. QVANTA QVIES] tam miti fertur ingenio fuisse, vt scribat Aurelius Victor, neque in coniuratos & confessos quosdam durius consuluisse. Cùm enim Calpurnius Crassus ingentibus promissis militum animos pertentaret, & Nerua resciret, illum cum vxore Tarentum remouit, patribus lenitatem eius increpantibus. Missos in exilium reuocauit, inter quos D. Ioannem Euangelistam, vt Suidas testatur. taceo alia mansueti ingenij indicia, quæ apud Victorem tute leges. De eodem Baptista Egnatius, summæ ciuilitatis, & clementiæ in eos, qui in illum coniurarunt fuisse dicit, quod ex Dione, Eutropiique breuiario sumpsit, qui Neruam æquissimum, & ciuilissimum vocat. In senatu iurauit nullum suo iussu senatorem interfectum iri. Epitome Dionis. TANTA] placidus animo, tam disertus, & facundus lingua, sed minimè omnium se ostentabat. VERECVNDAM SITIM] cùm superare omnes carmine posset, & exhaurire fontem Caballinum, tamen abstinuit pudore, & verecundia, modestiaque impeditus. TENVI CORONA] hedera, cùm posset querna corona. Scripsit enim non heroica, sed elegidia, & epigrammatia quædam. Elegiographi autem, & epigrammatarij hedera coronabantur. Magni vates querna corolla, vt noster poëta de Colino scripsit.

O cui Tarpeias licuit contingere quercus.

Idem infrà insinuat ad Domitianum de laurea Domitiani.

Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi,
Fiat & ex hedera ciuica nostra tibi.

De hac quid eruditè Scaliger ad Ausonium lib. 1. cap. 10.

Sic Propertius sibi folia hederæ exposcit. FAMÆ SVÆ VELA] non colligere omnem, quam possit, nominis celeritatem. SED TAMEN HVNC NOSTRI SCIT TEMPORIS ESSE TIBVLLVM] De hoc ita Gyraldus dial. 5. p. Hist. *Connumeratus quoq; est inter poetas Nerua Cæsar Imperator, quod & Plinius in epistolis ostendit, qui cùm puer esset, à carminis dulcedine Tibullus vocabatur. id quod clarè docet hoc versu Martialis.* Plinius Iunior lib. 5. epist. 3. inter poëtas hunc ponit. Huic Nero suum poëma commisit, suumque Tibullum appellauit. DOCTI NERONIS] Neronem poëtam fuisse præter Suetonium Dio, Seruius, & Cornutus, ac Philostratus affirmarunt. Tacitus tamen eum parum in poetica valuisse putauit. lege Gyraldum dialogo 5. p. hist.

In

In Postumianum.

LXVII.

Quatuor argenti libras mihi tempore brumæ
Misisti ante annos, Postumiane, decem.
*Speranti plures (*nam stare, aut crescere debent
Munera*) venerunt plúsue minúsue dua:*
Tertius, & quartus multo inferiora tulerunt.
Libra fuit quincto Septitiana quidem.
Bessalem ad scutulam sexto peruenimus anno.
Post hunc in cotula rasa selibra data est.
Octauus ligulam misit sextante minorem:
Nonus acu leuius vix cochleare tulit.
Quod mittat nobis, decimus iam non habet annus:
Quatuor ad libras, Postumiane, redi.

Suprà ad [illegible] lib. 4. epist. 7[illegible].

Quotannis ad saturnalia Postumianus poëtam donis coluit, sic vt quò magis crescerent anni, eò minus donaret, iamque post decimum annum adeo minuerat munera, vt nisi nihil mitteret, non posset dignum poëta munus comparare. Monet ergo hunc Martialis, vt incipiat à primo rursus anno, rursúmque mittat quatuor argenti libras, atque ita deinceps pergat. QVATVOR ARGENTI LIBRAS] 40. Philippæos. nam argenti libra 10. Philippæis æstimatur, vt supra docuimus. Philippæum pro 80. cruciferis accipio. siue 40. HS. NAM STARE AVT CRESCERE DEBENT] alioqui subuertis. Eleganter Iunior Plinius lib. 3. epist. 4. *Est enim ita comparatum, vt antiquiora beneficia subuertas, nisi illa posterioribus cumules. Nam quamlibet sæpe obligati, si quid vnũ neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est.* Idem ferè sententiosus Seneca lib. 2. de beneficiis cap. 11. *Perdes*, inquit, *agricola, quod sparsit, si labores suos destituat in semine. Multa cura sata producuntur ad segetem. Nihil in fructum peruenit, quod nõ à primo vsq; ad extremum æqualis cultura prosequitur. Eadem beneficiorum est conditio, &c.* ac tandem concludit, *nisi illa adiuueris, perdes. Parum est dedisse. fouenda sunt.* LIBRA SEPTITIANA] Est libra octo vnciarum cum semuncia, ratione primæ libræ & maximæ. Nam primum libra Romana, siue pondo, siue as, duodecim vncias complectebatur. deinde primo bello Punico propter Reipub. difficultates, sextans de iusta libra detractus est, ita vt dextans remaneret, & haberet idem pretium cum integra libra. Vnde apud Plinium legis, percussos asses dextantario pondere, id est, detracto sextante à iusta & prima libra, vt cum Alciato mihi Plinius videtur exponendus. Deinde vrgente & premente Rempub. Annibale, de sextante rursum detracta est vncia, ita vt libra Romana dodrantem, id est, 9. vncias contineret. Denique Papyriana lege vnciales asses, siue dodrantales rursum imminuti percussos asse semunciali, quæ libra nouem vnciis, & semuncia constabat, quam nos septitianam putamus, aut certè non iustum primæ libræ pondus 12. vnciarum, sed vel dextantem, vel dodrantem. Ita enim conuenit huic loco, cùm poëta à quatuor libris descendat ad dipondium, seu binas libras, tertio anno ad libram, quarto ad dextantem, quinto ad septitianam, id est, dodrantem, vel dodrantem cum semuncia, sexto ad bessalem scutulam, quæ octo vnciis æstimabatur, septimo selibram, siue cotylam sex vnciarum, octauo ligulam duarum, aut minus vnciarum. Nono cochlear acu leuius; sic plane legendum ratio & sententia, & alia exemplaria suadent. Nam vt communis habet scriptura (aculeolos in cochleare) nescio quid in sententiam diuinari debeat. Non improbo etiam illam lectionem. NONVS PERMODICVM VIX COCHLEARE TVLIT] quæ eundem reddit cum priore sensum. Sed redeo ad septitianam, & locum Plinij, de quo grauis concertatio est inter scriptores. Budæus enim, Cælius Rhodiginus, Georgius Agricola, Hostus (quamuis hic non definiat) & alij plerique omnes sextantarium pondus assis seu libræ aiunt fuisse sextantis, siue duarum vnciarum pondus, non dextantis, id est, decem vnciarum. Sed Alciatus tam commodè, & verè, & acutè super hac re disputat libro de ponderibus, & mensuris, vt ime trahat in sententiam; duos tamen in illam paginam errores credo irrepsisse, chalcographi potius, quàm ipsius auctoris culpâ, præsertim alterum. priorem, cùm dicit quatuor sextarios nummos in denario esse. vbi legendum 4. HS. nummos. Alterum, cùm septem vncias, & semunciam pro libra ex putatione ipsius Alciati putem. Sed vnde septitiana libra? an à

Septitio auctore? NL. amplius pronuncio. Aurifabrum aut argentarium coniectant alij, nec optimæ fidei seu nominis. Alioqui si vera esset lectio de septem vnciis, & semuncia, coniectarem dictam esse septitianam, quasi septuncianam. Sed hæc interpretatio non conueniret loco Martialis, qui disertè docet Septitianam continere vncias 8. & semis. BESSALEM AD SCVLTVLAM] vas cauum, ac rotundum à scuto dictum, vnde & scutella apud Ciceronem. Scutula 8. vnciarum dicitur bessalis à besse, bes octo constat vnciis. quod omnes, qui de ponderibus, mensuris, & re nummaria scribunt, contestantur. In COTYLA] Cotyla genus est poculi profundo labello, de quo Aristophanes apud Athenæum. & Zenodotus.

*calicem.

*Multa cadunt inter * cotylam, supremaq; labra.*

Et *Vt soles ex cotyla, de corpore sanguis abibat.*

Simoristus auctor est, cotylam appellari altum poculum. Diodorus putabat idem esse cotylum, & cotylam, cotyli verò vnam tantùm aurem habent, cotylæ nullam. Plura de hoc genere poculi apud Athenæum lib. 11. cap. 18. Appollodotus altum ac profundum genus poculi vocat cotylam, & manus concauæ idem fert nomen, & ludus quidam Encotyle dictus. Est & cotyla mensuræ genus, quod sex vncias, siue cyathos capit, id quod nemo negat. IN COTYLA RASA SELIBRA] ambiguus sensus. vel cotylam ait fuisse tantùm sex vnciarum, vel, in cotyla selibram argenti positam, & vna cum cotyla donatam. Sed cùm addit (rasam) intelligit poculum seu calicem rasum, id est, politè factum, qui fuerat 6. vnciarum, nisi malis rasam selibram rude argentum intelligere. LIGVLAM] genus item mensuræ, quarta parte cyatho minus, cyathus enim, vt supra dixisse memini, quatuor accipit ligulas. ACVLEOLOS] lego cum V V. D D. acu leuius, qua lectione nihil ad sententiam accommodatius. Et hoc rursum loco discis cochlear distingui à ligula, quod multi negant. QVATVOR AD LIBRAS REDI] lepidum consilium, & vtile sibi, dat alteri, simulque scitissimè mendicat. Incipe rursum à quatuor libris, & ita progredere per decennium, vt soles.

Ad Librum suum.

XXXII. LXVIII.

Nondum murice cultus, asperoque
Morsu pumicis aridi politus
**Artanum properas sequi libelle,*
Quem pulcherrima iam redire Narbo,
Docti patria Narbo Votieni
Ad leges iubet, annuosq; fasces:
Votis quod paribus tibi petendum est,
*Continget locus * ille, & hic amicus.*
Quàm vellem fieri meus libellus.

*Arcanum. al. Montanum.

*V. hinc & hinc. al. hic & hoc.

Artano Narbonem redeunti comitem donat libellum vices auctoris obeuntem, qui vellet ipse esse libellus, id est, comes Artani. MVRICE] libros purpureis ornatos coloribus, titulos minio scriptos, vmbilicis cultos, frontes pumice rasas, ex Ouidij lib. 1. de Trist. Eleg. 1. Catulli primo carmine, & multis locis poetæ nostri, iam sæpius est occentum. NARBO] Ciceroni & Ausonio dicitur Martius Narbo. poëta nomen commune respexit. À Narbone celeberrimo Galliæ Braccatæ emporio tota prouincia dicta est Narbonensis, vnde Allobroges erupêre. Legatur Ausonij carmen de Narbone in claris vrbibus. Vbi celebrat vrbem à nominis celebritate, coloniæ principatu, situ, fluminibus, portubus, lacubus, templis, amplitudine, quæ prima Romanorum in Gallis fuit prouincia. Extant & Sidonij nobiles de eadem hendecasyllabi. *Salue Narbo potens salubritate.* Et quæ sequuntur. Varia eius nomina habes apud Ortelium. DOCTI VOTIENI] poëtæ nobilis. lege Gyraldum lib. 4. d. al. H. P.

AD LEGES, ANNVOSQVE FASCES] Quia Narbo fuit colonia Romana, Respub. quoque aliqua ad formam vrbis administrabatur. Nam vt Romæ erat populus, & senatus, sic hi nouos colonos in decuriones, & plebem diuidebant; decuriones senatus, plebs populi Romani effigiem referebant. Ex decurionibus singulis annis duo vel quatuor viri pro coloniæ magnitudine, vel paruitate creabantur, qui II. viri, vel IV. viri, I. D. id est, iuridicundo vocabantur. Hi consulum Romanorum speciem repræsentabant. lege Gellium, & Panuinium de imperio Romano, & iure coloniarum, quod studiosissimè Marcus Velserus II. vir Augustanus, Mœcenas noster in anti-

quitatibus Augustanis exponit. Hinc ergo poëta ad leges & ius dicendum, ad fasces & magistratum gerendum, dicit. Artanus enim II. vir, vel IV. vir erat.

VOTIS QVOD PARIBVS TIBI PETENDVM] an vt redeat Artanus, an liber sit comes, an vtrumque fiat?

CONTINGET LOCVS ILLE] malim, vt vetus codex habet [CONTINGET LOCVS HINC ET HINC AMICVS] quod dicit, vt vtrumque fiat, & vt ille redeat Narbonem, & tu cum illo locum attingas amicum amico.

QVAM VELLEM FIERI] quàm cuperem ipse pro libello comes ire Artano. Sic Leander apud Ouidium Heroni.

Mittit Abydenus, quam mallet ferre salutem.

Et: *Ah quanto mallem, quàm scriberet, (dextra nempe) illa nataret,*

Interea pro me pernoctet epistola tecum, &c.

Et 1. Trist. *Heu mihi, quòd domino non licet ire tuo.*

In malum medicum.

LXIX. LXXIV.

Hoplomachus nunc es, fueras ophtalmicus antè:
Fecisti medicus, quod facis Hoplomachus.

Imperitum medicum irridet ex vicina vocum cognatione capto ioco. HOPLOMACHVS OPHTALMICVS] tale epigramma lib. 1. epig. 43.

Nuper erat medicus, nunc est Vespillo Diaulus,
Quod Vespillo facit, fecerat & medicus.

Et de eodem. *Chirurgus fuerat, nunc est Vespillo Diaulus,*
Cœpit, quo poterat, Clinicus esse modo.

HOPLOMACHVS] vniuersè sonat quemuis gladiatorem, qui pugnat armatus, vti Græca docet originatio. ὅπλα enim arma, μάχη pugnam valet. Et Græci gladiatores ὁπλομάχους & μονομάχους vocitare amant. Apud Latinos, Senecam patrem, Suetonium, & alios. Hoplomachus est certa species gladiatorum; priores Samnitem vocauêre; hunc enim putat eruditionis antistes Lipsius dictum Imperatorum temporibus Hoplomachum, quem antè dixerant Samnitem. ὅπλα sunt thorax ferreus, scutum, hasta, gladius, galea, ocreæ ferreæ, lorica. Hoplomachos diceres hodie cataphractos, olim etiam loricatos, erat tamen in gladiatoribus, vt dixi, is qui armatus non nudus pugnabat. FECISTI] occidisti. FACIS] occidis. OPHTHALMICVS] opthalmia est mala oculi affectio seu lippitudo & delacrymatio cum inflammatione tunicæ, quam corneam medici appellant. Medici inde ophthalmici seu ocularij dicti. Ocularìorum expressa mentio in veteribus Smetij inscriptionibus, quas inter & hæc legitur. P. DECIMIVS. P. L. EROS. MERVLA. MEDICVS. CLINICVS. CHIRVRGVS. OCVLARIVS. VI. VIR, &c. De oculorum morbis & vitiis curandis Celsus lib. 6. cap. 6.

*De Gallo Lingono.

* Ad Lucanum, de quo lib. 1.

LXX. LXXV.

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus a rectâ, Flaminiaq; * via.*
Expulit offenso vitiatum pollice talum,
Et iacuit toto corpore fusus humi.
Quid faceret Gallus, qua se ratione moueret?
Ingenti domino seruulus vnus erat;
Tam macer, vt minimam posset vix ferre lucernam:
Succurrit misero casus, opemque tulit.
Quatuor inscripti portabant vile cadauer,
Accipit infelix qualia mille rogus.

* Tecta Grut. in Inst. recens.

Hos comes inualidus submissa voce precatur,
Vt quocunq; velint corpus inane ferant.
Permutatur * *onus, stipataq; tollitur altè*
Grandis in angusta sarcina sandapila.
Hic mihi de multis vnus, Lucane, videtur,
Cui meritò dici, mortue Galle, potest.

* G. opus.

Historicum epigramma de sacerdote Cybel: s, qui offenso pede eliserat talum, quem iacentem vespillones à seruulo vnico, & macro rogati, retulerunt domum in sandapila. Hunc Gallum æquè mortuum potuisse dici affirmat poëta, quàm illud cadauer, quod illud esset exanime, hic euiratus. CONDVCTOS PENATES] conductam ære cellam; paupertinum fuisse docet, qui ædibus caruerit, vt fuerit opus conducere precio, & cellam tantùm, non domum, sed domus partem. LINGONVS] patria. Lingones populi inter Celtas finitimi Æduis, Sequanis, & Tullensibus. ciuitas Lingonum, hodie *Lingres* indigenis dicitur, in ditione Lugdunensi Francorum Regum sita, patria Statij Papinij, vt aliqui existimant. Quanquam Gyraldus vel Neapolitanum, vel ex Sellis Epiri oppido oriundum fuisse contendat. Tolosanum alij, vt idem Gyraldus tradit, memorant. A RECTA, FLAMINIAQVE VIA] viâ rectâ, proxima Flaminiæ fuit. Panuinius, *via*, inquit, *ducebatur per longitudinem campi Martij*. Seneca in Lusu de morte Claudij. *Trahit*, inquit, *capite obuoluto, ne quis possit eum agnoscere, per campum Martium, & inter Tiberim, & viam rectam descendit ad inferos.* Idem Marlianus lib. 6. cap. vlt. Sed quorsum spectat ille Ouidij versus de templo Martis?

Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
Appositum recta porta capena via.

Porta capena planè auersa est à Flaminia. Viæ rectæ nulla mentio nec apud Victorem, nec Rufum, nec in Notitia veteris imperij. De Flaminia nobilissima suprà sæpè dictum. Lege Marlianum lib. 6. c. 19. *incipit hæc*, vt Pauinius scribit, *à porta Populi, & Ariminum vsq; progreditur.* EXPVLIT OFFENSO POLLICE VITIATVM TALVM] Elisit talum, læsit pollicem pedis. talum in homine Aristoteles, & Plinius negant, agnoscunt Seneca in epistolis, & Herodotus lib. 3. Est autem talus rectum in articulo pedis os ventre eminens concauo in vertebra ligatum, cuius intima Græci vocant cola. legendus Cælius Rhodiginus lib. 4. cap. 11. INGENTI DOMINO] *ἀντιφραστικῶς*, nempe qui vix vnum haberet seruum, & eum macrum, exsuccum, & exanguem. Aut quod verius est, ingenti domino, id est, præpingui, obeso, vastaque mole corporis, sequitur enim *Grandis in angusta sarcina sandapila.* TAM MACER] tenuis, macilentus, gracilis. Multa sunt lib. 2. Anthol. cap. [illegible] nobilia & planè ridicula Lucillij epigrammata, quæ tute videbis. Hic planè cum Roberto Titio lib. 7. cap. 11. legerim lucerna, non lacerna, quòd præcedat, Dum r. sera cond. nocte pen. SVCCVRRIT CASVS MISERO] seruo misero, qui dominum portare non poterat, casu occurrerunt vespillones, qui cadauer efferebant.

QVATVOR INSCRIPTI] quatuor serui, vespillones, stigmatiæ. Inscripti dicuntur, quòd frontibus improborum inurerentur litteræ, vnde & litterati serui vocabantur. Iam superiùs de hac re disputatum est. Adde his & superioribus, apud Romanos etiam liberos homines, qui calumniæ damnati erant, notis inscriptos esse, nota fuit K littera, quoniam prisci ita Kalumniam scribebant. Erant hi serui litterati publica mancipia ad cadauera exportanda destinata. Adi Lipsium libro Electorum secundo copiosè super his disserentem. & Wouerium ad Petronij Satyricum. ACCIPIT INFELIX QVALIA MILLE ROGVS] tale cadauer tulerant, qualia mille solent pauperum efferri. Plures autem ex hac tribu simul in vnum rogum coniiciebantur, vt Heraldus copiosè probat. PRECATVR.] Hos vespillones. VT QVOCVNQVE VELINT, CORPVS INANE FERANT] ambiguè. cadauer est corpus inane, quod exanimum sit. Gallus item inanis, quia castratus. Refero tamen ad cadauer. rogat seruus, vt cadauer in quemcunque angulum deponant, & tollant dominum suum, domumque ferant, & deinde cadauer porro efferant. INANE] mortuum Cic. de legibus. Ouid. de Tibullo. Statius lib. 1. Theba. Albinouanus ad Liuiam. Heraldus ad Martialem ex P. Fabro. Bernartius ad Statium. PERMVTATVR ONVS] cadauer cadauere. Sequitur enim (mortue Galle) viuo tamen mortuum permutatur. STIPATA] à quatuor inscriptis, seruis libitinariis, aut stipata sarcina, iniecta, insertaquè lectica, quæ vix capiebat Gallum, vt per vim intrudendum fuerit illius corpus, ita videntur declarare, quæ sequuntur.

GRANDIS SARCINA IN ANGVSTA SANDAPILA] stipatum igitur, & arctè compactum erat corpus, propter sandapilam angustiorem. Gallus autem bene saginatus, vt capones. Sandapila vilium hominum feretrum fuit. Hinc Suetonius in Domitiano popularem vocat.

Cadauer eius populari sandapila per vespillones exportatum. fecerunt has fabri ipsis vespillonibus viliores. Iuuenalis Sat. 8.

Permixtum nautis, aut furibus, aut fugitiuis,
Inter carnifices, & fabros sandapilarum.

Idem testatur Fulgentius, qui plebeiorum & damnatorum ait esse feretrum.

HIC MIHI DE MVLTIS VNVS] adagium est protritum εἷς ἐκ πολλῶν, pro vili, ignoto. apud Herodianum in prooemio. Sunt qui perinde viuunt, ac si non viuerent, perinde sunt, quasi non essent, quos nemo natos, nemo nouit mortuos. MORTVE GALLE] ad obscuritatem, & paupertatem hominis, & naturam Galli semiuiri aspicit. Non est vir, non est notus, mortuo igitur similis. Vt illa est philosophi sententia, Clari, doctique viri distant tantùm ab indoctis, quantùm à viuis mortui.

In Gallicum.

LXXI. LXXVI.

Dic verum mihi, Marce, dic amabo:
Nil est, quod magis audiam libenter.
Sic & cùm recitas tuos libellos,
Et caussam quoties agis clientis,
Oras, Gallice, me, rogasq́ semper.
Durum est me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo quid sit, audi:
Verum, Gallice, non libenter audis.

Argutissimè tangit Gallicum de suo ingenio, scriptisque sententiam poëtæ requirentem, & aliquid laudis aucupantem. Nullo modo credendum est hunc ipsum Gallicum fuisse præfectum vrbi. Tam stultus enim Martialis nunquam fuit, vt tam grauiter notaret principes, vti mirer quid aliis in mentem fuerit, cum ex solo nomine coniectant hunc fuisse vrbi præfectum quem Iuuen. Sat. 13. laudat:

Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus vrbis
Vsq; à Lucifero donec lux occidat audit.

Quasi tantum vnus Gallicus fuerit tum in vrbe, aut vnus Karinus, &c.

DIC VERVM] Inquit Gallicus, verum amo, dic verum. Respondet poëta, dicam verum, vero verius. verum inuitus audis. Ex quo dicto facilè coniiciebat, quid sentiret poëta. Inuiti audimus nostra reprehendi. si reprehendero tua scripta, verum dixero, sed ægrè hoc audies; omnes enim laudari amamus. Vide interpretes ad 1. Satyr. Persij. Et verum inquis amo——

Ad liberum amicum.

LXXII. LXXVII.

Liber amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber in æterna viuere digne rosa:
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea serta caput.
*Qui sic vel medio finitus * vixerit æuo,*
Longior huic facta est, quàm data vita fuit.

Sunt plura ad hunc Liberum.

** vixit in æuo.*

Ad Epicuream vitam hortatur amicum. ASSYRIO AMOMO] vnguento ex Assyrio amomo expresso. Lege Athenæum, Plinium, Dioscoridem; diffluebant Romani vnguentis. Cic. in Catilinam, vnguento delibutos notat iuuenes barbatulos. sed vberiùs de vnguentis superiùs. FLOREA SERTA] In conuiuiis coronati potabant, quod iam decies iteratum. LONGIOR HVIC FACTA EST, QVAM DATA VITA FVIT] Bis vixit; imo nunquam vixit, qui sic viuendo periit.

Fusè de vnguentis libris superioribus in Lauternum & alios dictum.

**
*

De ludis Stellæ.

LXXVIII. LXXIII.

Quos cuperet Phlegræa ſuos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa, Lyæe, tuos,
Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi,
O pudor, ô pietas, & putat eſſe parum.
Non illi ſatis eſt turbato ſordidus auro
Hermus, & Heſperio qui ſonat orbe Tagus.
Omnis habet ſua dona dies, nec linea diues
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt ſubitis laſciua numiſmata nimbis:
Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras.
Nunc implere ſinus ſecuros gaudet, & abſens
Sortitur dominos, ne laceretur auis.
Quid numerem currus, ter denaq; præmia palmæ,
Quæ dare non ſemper conſul vterq; ſolet?
Omnia ſed, Cæſar, tanto ſuperantur honore,
*Quòd ſpectatorem te tua laurus * habet.*

* v. aute.

Laudat Stellam, à quo præter triumphum Domitiani carmine celebratum, etiam ludi ad honorem Principis, & victoriæ memoriam ſunt dati, quem tamen honorem præſentia Cæſaris ſuperauit, quòd his Stellæ ludis intereſſe non ſit dedignatus. QVOS LVDOS PHLEGRÆA VICTORIA CVPERET ESSE SVOS] Phlegræa victoria Herculana, non Iouis, & Deorum: quamuis ope Deorum dicatur Hercules viciſſe. Cùm enim ad Cumeam planitiem veniſſet, (Phlegræam vocatam ob ſcatentem ignem antiquitus) gigantes illic inuenit, qui audito eius aduentu in vna caſtra conuenerant, prælioque ingenti commiſſo Diis adiuuantibus vicit. Natalis Comes in Mythol. lib. 7. cap. 2. Strabo de eadem, & Silius. Plinius lib. 18. *Quantum autem vniuerſas terras campus Campanus antecedit, tantum ipſum pars eius, quæ Laboria vocantur, quem Phlegræum Græci appellant. Finiuntur Laboria via ab vtroq; latere conſulari, quæ à Puteolis, & quæ à Cumis Capuam ducit.* INDICA QVOS CVPERET POMPA, LYÆE, TVOS] Quos ludos à Stella cantatos, à Domitiano ſpectatos, cuperet Bacchus in triumpho ſuo Indico factos. De geminis tigribus, aut elephantis Bacchum vehentibus, dictum lib. 1. Indica pompa eſt Indicus triumphus. Lyæus, Bacchus, ἀπὸ τοῦ λύειν, quòd curas ſoluat vinum, vnde Liber à Latinis eſt appellatus, quod animum à curis liberet. de Triumpho Silius.

Montem Veſuuium nonnulli exiſtimant fuiſſe, vt Gyraldus docet in Hercule.

Qualis odoratis deſcendens Liber ab Indis,
Egit pampineos frenata tigride currus.

Plura lib. 1.

Aut cùm Phlegræos confecta mole gigantes
Inceßit campis tangens Tyrinthius aſtra.

FECIT HYPERBOREI CELEBRATOR STELLA TRIVMPHI] Fecit ludos Sarmatici triumphi, quem & carmine deſcripſit Stella. Nec tamen iuſtus is fuit triumphus, cùm lauream tantùm Ioui intulerit, vt Suet. cap. 6. narrat. Sed Stella celebrauit etiam triumphum de Dacis reportatum, vt Papinius canit:

—— Dacas (quæ eſt gloria maior)
Exuuias, laurosq; dabit celebrare recentes,

O PVDOR, Ô PIETAS, ET PVTAT ESSE PARVM] Quamuis in gratiam principis ludos celebrauerit Stella tam nobiles, ſumptuoſos & magnificos, vt ille Hercules deuictis gigantibus, & Bacchus ſubactis Indis, inuidere poſſet, quorum triumphum ſuperauit Stella; tamen, quamuis ſatisfecerit omnibus, ſibi velut parum amplo & ſumptuoſo diſplicuit, minimeque ſatisfecit. NON ILLI SATIS EST] Stellæ nempe non ſatis ad liberalitatem aurum ſparſiſſe in populum. Nam Hermus & Tagus flumina, auri ramenta, & arenas aureas vehunt. Tagus quidem Hiſpaniæ,

natus

natus in Celtiberis, diuidit Lusitaniam, & vltra Vlysipponem in Oceanum exoneratur, Ptolemæus & alij auctores. Hermus Straboni Lydiæ flumen, Asiæ fluuium alij scribunt. Virgilius 2. Georg. *15. l.*

Nec pulcer Ganges, atq́, auro turbidus Hermus.

Turbidus dixit, quod noster sordidus. OMNIS HABET SVA DONA DIES] Stella in ludis Circensibus, & Amphitheatralibus, magnam vim opum effudit in spectatores & gladiatores, venatores, aurigatores, aliosque ludiones. nec id semel, sed dum durarent ludi. instaurabantur verò sæpius & aliàs nouem, aliàs decem, aliàs paucioribus, aut pluribus diebus agitabantur, vt ex Cicerone, Liuio, & alijs discimus. Votiuos verò hosce Stellæ ludus fuisse existimo pro Domitiano. (quanquam Stella postea fuerit consul) & Romanos, qui sæpè vouebantur, multaque in iis congiaria populo dabantur, ita vt nonnulli sua patrimonia in ludos & munera gladiatoria effuderint, * qua de re vbertim Bullengerus lib. de Circo cap. 8. Et de Venatione. cap. 13. 14. 15. & de Circo cap. 55. de missilibus. Suetonius Tito, Domitiano, Nerone & aliis, & ibid. Torrentius, Lipsius, Adm. cap. 11. l. 2. Bulengerus iterum. de Ven. c. 24. de Venatione direptionis. OMNIS DIES] Suet. Nerone. *Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies &c.* vides mo em. quod tamen non lego ab omnibus factum semper. NEC CESSAT LINEA DIVES] Mirum dictu, quàm multi multa super hac lineâ & sæpè extra lineam. Bulengerus libro de Circo, cap. 11. *Lineam diuitem, interpretor ordinem dierum, quo missilia dabantur populo ab imperatore, de quibus agit Martial. lib. 8. epig. 77.* Hic de imperatore non agitur, sed de Stellæ ludis & missilibus. Deinde non reor ordinarium fuisse, vt per omnes dies missilia darentur, alioqui nec Suetonius, nec Martialis hoc velut singulare prædicarent. Postremò, quis ad dierum ordinem vnquam retulit lineam diuitem, an qui dixit: *mors vltima linea rerum?* vbi pro morte & fine vitæ ponitur. Vidit hoc ἄκων Bulengerus, hinc transiit ad sententiam Turnebi, qui lineam diuitem exponit, contextam è gemmis lineam, de quo Symmachus lib. 6. ep. 80. Cælius Rhodiginus lib. 5. c. 14. & Iureconsulti. Calderinus ad ipsa refert spectacula, ita vt dona, non pro missilibus, sed pro ludis ipsis (quibus non corpus, & ventrem, aut marsupium, sed oculos pascerent) accipiat. Diues pro cuneo diuitum ponit, qui spectabat dona; quasi non perinde populus & pauperes vsurparint eadem spectacula. Rursum Bulengerus ad totum populum refert intra cuneos per lineam redactum, qui, antequam à lineatoribus regulâ dirigeretur, in intermetio vagabatur. nec in hoc sensu sensus vllus; quorsum enim diues? Rhodiginus lib. 5. cap. 14. etiam duplicem, imò triplicem adfert interpretationem, ex Seruij sententia primum pro regulâ, limine, signo, cretâ, facta. *Ex cuius,* inquit, *interpretatione facilè percipi licet, cur in ludis ab eruditis persæpe linea nuncupetur alba, quàm significasse Martialis videri potest illis versibus lib. 8.*

Titus centũ diebus consecrauit Amph.

** Cic. de Milone, qui tria patrimonia effuderat in ludos. Idem de Messala Vopiscus.*

Refutatur Bulengerus. Si tamẽ seriem donorũ ordine metitur, non refragor Bulengero, quod poeta ipse videtur docere. Omnis habet sua dona dies. Lib. 19. c. 9. Plinius itẽ.

——— nec linea diues cessat ———

Quo refert & Ouidij versum Cælius,

Et bene te cogit, si nolit, linea iungi,
Qua tibi tangenda est lege puella loci.

Deinde ad longum sedendi ordinem. Sicut & illud in Amoribus.

Quid frustra refugis? cogit nos linea iungi.

Postremò pro lineâ margaritarum ex Vlpiano D. 9. ad l. Aquil. & lib. 47. de furtis. Doctorum optimus iustus Lipsius in notis ad nos missis, *Mihi,* inquit, *videbatur linea pro ordine subselliorum capienda, & interpretabar non solùm populum habere, quod caperet in missilibus, sed & senatum. Diues igitur linea orchestra.* Hæc placet eximo sententia. videtur enim poëta consilio distinxisse popularia ob orchestra, cùm subiecit. *Et in populum multa rapina cadit.* Possit fortasse linea diues etiam accipi pro perpetua serie donorum, sic vt dicat, non cessasse lineam diuitem, seu dona & munera ac missilia Stellæ, totis ludis. Lipsio tamen malo subscribere. De immensis porrò largitionibus Cæsarum, & magistratuum minorum, vt Consulum, Prætorum, Ædilium, Quæstorum, Lipsius Admir. l. d. Et Saturnal. Bulengerus de Ven. cap. 24. Legatur & Lactantius lib. 6. Inst. *Magnis viribus sufficturas opes exhibendis muneribus impendunt.* Ambros. 81. serm. Magistratus, &c. *totum patrimonium suum largitur, &c.* Hadrianus Imperator per ludos eiuscemodi in adoptione Ceionij Commodi quater millies HS. hoc est, decem milliones perdidit. ET IN POPVLVM MVLTA RAPINA CADIT] Direptionem intelligit, de qua in Prolemmatis d. Rapina autem ea fuit auium potissimum. Stat. 1. Sil. [illegible]

Inter quæ subito cadunt volatu,
Immensa volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusq́, Phasis,
Quas vdo Numida legunt sub austro.
Sortitur dominos, nec laceratur auis.

Martialis mox.

Præter aues alij alia quoque missitabant. Nero apud Sueton. 11. aues, tesseras frumentarias, vestes, aurum, argentum, gemmas, margaritas, tabulas pictas, mancipia, iumenta, mansuetas feras, naues, insulas, agros. Sed hæc per tesseras, de quibus infra subiiciam. Gordianus sine tesseris diripiendas omnis generis animantes dedit. Struthiones mille vno spectaculo, mille ceruos,

mille apros, mille damas, ibices, oues feras, & alia herbatica animalia, quanta vel ali, vel inueniri potuerunt. Immissi populares, rapuit quisque, quod voluit. &c.

NVNC VENIVNT SVBIT L. N. NIMBIS] Nunc è loco superiore in subsellia, & gradus magna vis nummorum sestertiorum spargitur. Hinc supra. *Non satis est illi Hermus, &c.* numisma idem, quod sestertius, quando argenteum est, de quo lib. I. in Sextilianum.

Heraldus plura de tesseris. Tessera missilis rotunda, frumentaria quadrata. Videatur Marcilius ad Sat. Persii. Suet. Dom. cap. 4.

NVNC DAT SPECTATAS TESSERA L. F.] Tesseræ ligneæ, aut sphærulæ è loco superiore in theatrum, & populum spargebantur, quibus signa inscripta erant ferarum productarum in caueam, vel aliarum rerum, quas editor volebat populo largiri; cuiusmodi erant vestes, aurea & argentea vasa, equi, vehicula, mancipia, aliaque id genus munera. Tesseras autem & sphærulas, seu globulos populus rapiebat, cùm iactarentur, & quod quisque in tesserâ signum habebat, illud accipiebat ab imperatore, vt si tesseræ esset inscriptus ceruus, equus, domus, domum, equum, ceruum à Cæsare, vel munerario accipiebat. De huiusmodi tesseris hic poëta loquitur. Iuuen. Sat. I. Suetonius Nerone, Domit. Tito, Capitol. Gordianis. Dio, Tito, Caligula, Domitiano. Adriano. Plutarch. Lipsius, Bulengerus, alij.

NVNC IMPLERE SINVS S. G.] Nunc viritim distributa dona, sine direptione, quæ contentiones & turbas ciebat. & tesseræ sorte datæ rerum & auium absentium, vt quod cuique euenisset in signo, id postea à Stella peteret. Opponit ergo poëta spectatas feras & absentes. QVID NVMEREM CVLTVS] an aurigatores vel gladiatores insinuat? quos videtur vario habitu, & veste in spectacula misisse. An vestes populo datas, & coronas victorum triginta? CONSVL VTERQVE] cum collatis symbolis edunt ludos & spectacula. quod ex more fiebat. legatur Suet. Iulio, cap. 10. Vbi M. Bibulus Ædilis cum Cæsare communibus impensis ludos fecit, nihil tamen inde honoris tulit. OMNIA SED, CÆSAR] Quæ etsi magna sunt per se, tamen illa summa facis tua præsentia, quæ te absente nulla essent.

Ad Domitianum.

LXXX. LXXIV.

Sanctorum nobis miracula reddis auorum;
Nec pateris, Cæsar, sæcula cana mori.
*Cùm veteres Latiæ ritus * renouantur arenæ,*
*Et * pugnat virtus simpliciore manu.*
Sic priscis seruatur honos, te præside, templis,
Et casa tam culto sub Ioue numen habet.
Si noua dum condis, reuocas, Auguste, priora;
Debentur, quæ sunt, quæq; fuêre tibi.

** renouentur.*
** pugnet.*

Pugilatum exercuêre Lacedæmonij, eiusque pugnæ auctorem Pollucem tradunt. lege de pugillatu Petri Fabri agonistica. Pugiles hosce Romani in Circum deduxêre. & Domitianus iam desitum pugillatum reuocauit, à quo facto poëta laudat Cæsarem, & affirmat illi in acceptis referenda & antiqua, & recentia spectacula, templa, &c.

SANCTORVM AVORVM MIRACVLA] quæ mirabatur antiqua simplicitas, illa reuocasti. Nec enim gladiatorum cruenta spectacula priores Romani edidere, nec venationes tam feras, vt cum feris cogerentur pugnare homines. Primi gladiatores Romæ dati publicè A. V. C. CCCCXC. Appio Claudio, & M. Fuluio consulibus. Epitome Liuiana XVI. Ausonius Lipsius I. Sat. cap. 8. Romulus ipse Circenses instituit, in quibus & pugiles. Et Tarquinius Priscus locum diuisit. Lege Liuium lib. I. dec. I. SÆCVLA CANA] Metaphora ab homine. sic cana fides, antiqua, Prisca. CÙM VETERES LATIÆ RITVS RENOVANTVR ARENÆ, ET PVGNAT VIRTVS SIMPLICIORE MANV] Olim pugiles in Circensibus committebantur, tu reuocas illam consuetudinem. *renouantur* & *pugnat* tam iustè legitur, quàm *renouentur* & *pugnet*. Tu Cæsar reddis nobis maiorum nostrorum spectacula, cùm seu quando pugnet, quando veteres ritus renouantur. Nulla hic striblig o aut mendum orationis. Sic Cicero, Terentius & alij locuti. cùm Romam veni, cùm huc respicio. SIMPLICIORE MANV] pugnis tantum, & cæstibus. non ferro, tridente, &c.

Pugilũ varia spectacula proposuit Panuinius in tabulis Circensibus.

SIC PRISCIS SERVATVR HONOS, TE PRÆSIDE, TEMPLIS] Vt ludos veteres instauras, ita templa quamuis humilia colis, magnaque ob sanctam vetustatem in veneratione habes. Plurima templa & opera vel incendio, vel vetustate corrupta restituit. Martial. lib. 9. epigr. 4. Suet. Domit. ET CASA TAM CVLTO SVB IOVE NOMEN HABET] Iupiter antiqua in casa humili, id est, humili, & vili templo colebatur, illam restituisti. De humili Iouis templo sic Ouidius I. Fastorum.

Iupiter

Iupiter angusta vix totus stabat in æde,
Inq; Iouis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis, &c.

TAM CVLTO SVB IOVE] Quamuis iam diues, & auro, gemmisque onetatus sit in Capitolio Iupiter, tamen nunc etiam casa prisca, & ædicula Iouis venerationem à te Cæsar instauratа habet. TAM CVLTO SVB IOVE] tam diuite, & magnifico templis. SIC NOVA DVM CONDIS, REVOCAS, AVGVSTE, PRIORA; DEBENTVR, QVÆ SVNT, QVÆQVE FVERE TIBI] templa plura condidit Domitianus, vt iam sæpè dictum, plura restituit vetera. concludit ergo poëta, sub Domitiano omnia tempora Reipub. Romanæ recurrere, & sub vno aspectu poni, quando Domitianus acta priora reuocat, & noua condit, &c. Quicquid singuli per se reliqui seu Reges, seu consules, seu dictatores, seu Imperatores præstitêre in Vrbe, hæc vnus tu omnia solus agis.

In Gelliam.

LXXV. LXXXI.

Non per mystica sacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bouem iuuencæ,
Nullos deniq; per Deos, Deasq;
Iurat Gellia: sed per vniones.
Hos amplectitur, hos deosculatur,
Hos fratres vocat, & vocat sorores,
Hos natis amat acrius duobus.
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam.
Eheu quàm bene nunc, Papiriane,
Annæi faceret manus Sereni.

Gellia vita sua chariores habebat gemmas, sine quibus negabat se posse viuere. poëta precatur, vt à fure Sereno gemmæ clepantur, Gelliaque moriatur. MYSTICA SACRA DINDYMENES] Dindymene eadem Dea, quæ Rhea Deûm mater, Cybele, Berecynthia mater, Pesuntia, Dea Phrygia, aliis affecta nominibus, cuius historiam ex variis scriptoribus delibatam leges à Gyraldo, syntagmate 4. & Natali Comite, aliisque mythologis. Dyndimene vocatur, Hesychio, & Strabone auctoribus, à montibus Phrygiæ, vel, vt Stephanus sentit, Troadis, Dindymis. Hinc Catullo Dindymi domina, & Dindymena domina dicitur, Horatius lib. 1. car. *Non Dindymene, non adytis, &c.* Apollonius in Argonauticis.

Μητέρα Δινδυμίην πολυπότνιαν ἐγκαλέοντες.
Dindymiæ matris venerabile numen adorant.

Hesychius etiam Dindymen appellat. Diodorus Siculus, à matre Dindymene, Dindymenen dictam insinuat. MYSTICA SACRA] Initia & mysteria Deæ Dindymenes Catullus crotalum, & tympanum fuisse canit. Sed clariùs omnia Claudianus in raptu Proserpinæ, vbi describit templum Cybeles.

Terribiles intus thyasi, vesanaq; mixto
Conuentu delubra gemunt, vlulatibus Ida
Bacchatur, timidas inclinant Gargara syluas.
Postquam visa Ceres, mugitum tympana frenant,
Conticuêre chori, Corybas non impulit ensem,
Non buxus, non æra sonant, blandiq; leones.
Submisêre iubas. ——

Fortè an possint hîc mystica sacra accipi pro sacris Bonæ Deæ, quæ solæ fœminæ curabant. Plura de his Arnobius. Ouid. 4. Fastorum. Lactantius in diuinis institutionibus contra gentes, Augustinus de ciuit. Dei. Lege Gyraldum, & Natalem. NON PER NILIACÆ BOVEM IVVENCÆ] Isidem, quæ versa in bouem culta est Ægyptijs pro Dea. Propertius 1. lib. *Apuleius de asino.*

Atq; vtinam Nilo pereat quæ sacra repentè
Misit matronis Inachis Ausoniis. Et 2.
Io versa caput primos mugiuerat annos,
Nunc Dea, quæ Nili flumina vacca bibit.

Ouidius primo Metam.

Coniugis (Iunonis) *aduentum præsenserat, inq; nitentem*
Inachidos vultus mutauerat ille iuuencam.

Eadem Iouis imperio reuersa in pristinam formam pro Dea culta est. Ouidius.

vultus capit illa priores.
Cornua decrescunt, fit luminis arctior orbis,
Contrahitur rictus, &c. Et mox:
Nunc Dea Linigera colitur celeberrima turba.

Qui plura desiderat, mythologos adeat. PER DEOS DEASQ; IVRAT GELLIA] Fœminas per Deas, viros per Deos olim deierasse refert Alex. Neapolit. lib. 5. cap. 10. A. Gellius lib. 11. c. 6. affirmat mulieres nunquam per Herculem, neque viros per Castorem, iurasse, Fœminas tamen per Deos Castorem & Pollucem, viros per Castorem nunquam. Varro per Pollucem affirmasse quicquam tradit viros. Apuleius per Herculem iurantem in 4. Metam, introducit Socratem. Idem contra apud Platonem in Gorgia per Iunonem iurauit. PER VNIONES] gemmas, margaritas, velut Diis, Deabusque, & suis liberis chariores; per charißima enim iurare soliti sunt veteres, cuius testimonia mille apud Brissonium de priscis Romanorum loquendi formulis. E HEV QVÀM BENE FACERET MANVS ANNÆI SERENI] Vtinam Annæus Serenus fur notus & nobilis subduceret Gelliæ suos vniones. Sic enim futurum esset, vti nec horam, vt ait, viueret. argutè hoc poëta, dignã enim morte ait eam, quæ gemmas plus Diis, plus suis liberis, plæs sua vita, & seipsa diligat. Vide quæ lib. 7. ep. 44. de hoc Annæo Sereno dicta sint. Furem certè Serenum nusquam legi, quamuis affirmet hunc furacem Domitius, quem secutus sum, quod suspicari pronum esset aliquid huiusmodi designatum esse olim à Sereno. Sed postquam Senecam legi, & epist. 63. expendi, non possum suaderi hunc Serenum vnquam malè audisse, quod alioqui Seneca tali amico non erat vsurus, nec mortem familiariter laturus. Nec tacitus, nec Plinius quicquam ad furta pertinens loquuntur, cum huius mentionem inferunt. vt vel de alio locutus videatur poeta, vel si de hoc, alia sententia verbis illis suberit,

quàm bene
Annæi faceret manus Sereni. De alio diuerso reor poeta scripsit.

Ad Domitianum.

LXXXII. LXXVI.

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoq; qui domino carmina parua damus.
Posse Deum rebus pariter, Musisq; vacare
Scimus, & hæc etiam serta placere tibi.
Fer vates, Auguste, tuos: nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior, deliciæq; sumus.
Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi:
Fiat & ex edera ciuica nostra tibi.

Laudat Domitianum, quòd faueat poetis, nec summis, & epicis tantùm, sed epigrammatariis etiam. AVGVSTE, DANTE TIBI TVRBA QVERVLOS LIBELLOS] Per libellos supplices adibat populus principes, & Imperatores, nec aliter accedere moris erat. Tacitus. & l. 33. ff. de re iudic. Libellorum supplicium fit etiam mentio l. 15. de in ius vocand. & multis aliis. Vide Brissonium. de formulis lib. 3. Sueton. in Augusto cap. 53. *Promiscuis, inquit, salutationibus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium desideria excipiens, vt quendam ioco corripuerit, quòd sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem.* Idem in Domitiano cap. 17 *legenti traditum à se libellum, & attonito suffodit inguina.* Lampridius in Commodo. *Ipse Commodus in subscribendo tardus, & negligens, ita vt libellis vna forma multis subscriberet.* Sed iuuat vnum, alterumue exemplum huiusmodi libellorum subiicere. ex lapide Romano. QVOM ANTE HOS DIES CONIVGEM ET FILIVM AMISERIM, OPPRESSVS NECESSITATE, CORPORA EORVM FACILI SARCOPHAGO COMMENDAVERIM: DONEC IIS LOCVS, QVEM EMERAM, ÆDIFICARETVR VIA FLAMINIA, INTER MIL. II. ET III. EVNTIBVS AB VRBE PARTE LÆVA. ROGO, DOMINE [IMPERATOR] PERMITTAS MIHI IN EODEM LOCO IN MARMOREO SARCOPHAGO, QVEM MIHI MODO COMPARAVI, ET CORPORA COLLIGERE, VT QVANDO EGO ME ESSE DESIERO, PARITER CVM EIS PONAR.

SECRETVM FIERI PLACET, IVBENTIVS CELSVS PROMAGISTER SVBSCRIPSI III. NON. NOVEMBREIS ANTIO POLLIONE ET OPTIMO COSS.

Habes formulam precum Latinam: accipe Græcam cum responso. l. 9. de L. Rhod.

ἀξίωσις.

Εὐδαίμονος Νικομηδέως πρὸς Ἀντωνῖνον βασιλέα. Κύριε βασιλεῦ Ἀντωνῖνε, ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν τὰς κυκλάδας νήσους οἰκούντων.

Ἀντωνῖνος εἶπεν Εὐδαίμονι.

Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. τῷ νόμῳ τῶν ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων ἐναντιοῦται. τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν. id est,

Libellus supplex.

Eudæmonis Nicomediensis ad Antoninum Imperatorem. Domine Imperator Antonine. Naufragium in Italia fecimus, & ab incolis Cicladum spoliati sumus.

Antoninus Eudæmoni.

Ego quidem mundi sum Dominus. Lex autem de mari, lege Rhodiorum nautica iudicatur, cui nemo nostrum repugnabit: Idem enim D. iudicauit Augustus. QVERVLOS] de casu & infortunio, vel iniuria aliqua quiritantes, vel auxilium petentes. Vocabantur iidem libelli, *desideria, & preces.* l. 5. eodem de ædif. priu. *Si is, contra quem preces fundis,* & l. 19. cod. *de donationibus. In eum, contra quem preces fundis, & aliis innumeris,* & in l. 2. cod. de errore aduoc. *Errores eorum, qui desideria, id est, preces subscribunt.* Plura vide apud Brissonium loco citato.

NOS QVOQVE QVI DOMINO CARMINA PARVA DAMVS] Vt populo licet preces fundere, & libellos supplices tibi offerre, ita nobis poëtis, Cæsar, licet carmina porrigere, & dedicare. Et hic mos erat priscorum poëtarum, vt epigrammata imperatoribus præberent, quod ex Macrobio intelligas lib. 2. Satur. cap. 4. *Solebat descendenti, inquit, à palatio Cæsari honorificum aliquod epigramma porrigere Graculus. Id cum frustra sæpe fecisset, rursusq; eum id facturum vidisset Augustus, breue manu sua in charta exarauit Græcum Epigramma, pergenti deinde ad se obuiam misit. Ille legendo laudare, mirari, tam voce, quàm vultu. Cumq; accessisset ad sellam, demissa in fundam pauperem manu, paucos denarios protulit, quos principi daret. Adiectus hic sermo,* μὴ κατὰ τὴν τύχην σου σεβαστέ, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν. *Non secundùm fortunam tuam, Auguste. si plus haberem, plus darem. Secuto omnium risu, dispensatorem vocauit Cæsar, & HS. centum millia Graculo numerari iussit.* CARMINA PARVA] Epigrammata, sic ad * Neruam, vocat paruam Musam.

Duo millia quingentos Philippæos.
** Lib. 9. ep. 27.*

Sed tamen & parua nonnulla est gratia Musæ.

Et se modicum vatem ibidem appellat. Et lib. 10. epig. 1.

Terq; quaterq; mihi finitur carmine paruo
Pagina facta tibi, quam cupis esse breuem.

Dicuntur etiam parua carmina, quæ materiam non illustrem complectuntur. Horat. lib. 2. epist. ad Augustum.

—— sed neq; paruum
Carmen Maiestas recipit tua, nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.

Hinc miratur Ouidius lib. 2. Tristium sua carmina ab Augusto fuisse lecta.

Scilicet imperij princeps statione relicta,
Imparibus legeres carmina facta modis:
Non ea te moles Romani nominis vrget;
Inq; tuis humeris tam leue fertur onus,
Lusibus vt possis aduertere numen ineptis:
Excutiasq; oculis otia nostra tuis.

Et Virgilius 1. Æneidos.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena.

Et Ecloga 1. *Siluestrem tenui Musam meditaris auena.*

Eiusdem sunt generis gracilis Thalia, tenuis versus, & similia. Tibullus vocat parua munera, lib. 3. Eleg. 1.

—— & accipias munera parua, rogat.

POSSE DEVM REBVS PARITER, MVSISQ; VACARE SCIMVS] Haud ignoramus te velut Deum cœlestis & diuini ingenij principem pluribus simul rebus vacare, hoc est, & orbem terræ administrare, & tamen litteris, litteratisque operam dare posse. Porrò tam fuerunt litteratorum studiosi imperatores, vt prope inter prodigia relatus sit Iustinianus ἀναλφάβητος. Alexander Magnus Iliadem sibi ab Aristotele expositam edidicit, & scrinio Darij custoditam circumtuli, noctu cum pugione sub puluino posuit. Plinius. Gyrald. poët. histor. illamque suum viaticum appellauit. Iulij Cæsaris Iter, Oedipum, Herculis laudes, celebrat Tranquillus. alia poëmata Plutarchus in eiusdem vita. Plinius, & Donatus alia. Octauius verò Augustus quantus & amator poëtarum, & ipse poëta fuerit. testantur Suetonius, Horatius, Macrobius, Giraldus lib. 5. histor. poët. Idem Suetonius, & Plinius de Tiberio affirmant. Germanicus ille dignissimus & imperio

imperio, & longiore vita à Tranquillo, Plinio, & Ouidio poëta laudatur, qui de hoc, non de Tiberio cecinit.

Quod nisi te nomen tantum ad maiora vocasset,
Gloria Pieridum summa futurus eras. Et:
Nam modò bella geris, numeris modò verba coërces,
Quodq; aliis opus est, hoc tibi lusus erit.

Vide Gyraldum lib. 5. dialogo 5. ac plura de aliis, Claudio, Nerone, Tito, Adriano, Ælio Vero, qui Martialis epigrammata ita amauit, vt suum Virgilium vocaret. Sed quid de Domitiano præsente, quem tantoperè laudat noster Poëta? Tacitus lib. 4. hist. ait eum simulasse studium carminum, quo velaret animum, & fratris æmulationi subduceretur. Idem Suetonius cap. 2. *Simulauit & ipse mirè modestiam: in primisq; poeticum studium tam insuetum antea sibi, quàm postea spretum & abiectum, recitauitq; etiam publicè.* & cap. 20. *Nunquam tamen aut historia, carminibusq; cognoscendis operam vllam, aut stilo vel necessario dedit.* Longè diuersa ab his Quintilianus adulationis suspectus lib. 10. cap. 1. refert. *Hos*, inquit, *nominauimus, quia Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit cura terrarum, parumq; Diis visum est esse eum maximum poetarum. Quid tamen his ipsis operibus, in qua donatus imperio iuuenis successerat, sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius? quis enim caneret bella melius, quàm qui sic gerit? quem præsidentes studiis Deæ propius audirent? cui magis suas artes aperiret familiare numen Minerua? dicent pleniùs futura secula, nunc enim cæterarum fulgore virtutum laus ista perstringitur. Nos tamen sacra litterarum colentes feres Cæsar, si non tacitum hoc præterimus, & Virgiliano certè versu testamur.*

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Alloquitur Domitianum, vt vides, eique blanditur, vt sæpè Martialis. nec referenda sunt hæc, vt multi viri non eruditi censuerunt, ad Germanicum Cæsarem Drusi filium, vno ferè sæculo ante extinctum. Mineruam verò præcipuè cultam à Domitiano quis ignorat, cùm se eius Deæ filium appellari voluerit? Vide Gyraldum lib. de poët. hist. dial. 5. scripsisse verò Domitianum poëmata testatur eiusdem æui Valerius Flaccus lib. 1. Argon.

——— versam proles tua pandet Idumen,
Namq; potest Solymo nigrantem puluere fratrem,
Spargentemq; faces, & in omni turre furentem.
Illa tibi cultusq; Deûm, delubraque genti
Instituet.

Vides hæc de Domitiano affirmari, qui Flauiæ genti templum amplissimum erexit. Dictum autem, & dici voluisse Germanicum testantur poëtæ, & historici. Suetonius in Domit. c. 13. *Post autem duos triumphos Germanici cognomine assumpto, Septembrem mensem, & Octobrem ex appellationibus suis Germanicum, Domitianumq; transnominauit, &c.* Martialis lib. 2. epig. 2.

Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.

Lib. 5. ep. 19. *Iam dudum tacito rides, Germanice, naso.*
Et 7. e. 60. *Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos.*
Et 8. e. 4. *Nam non hæc hominum, Germanice, gaudia tantùm.*
Et 8. e. 26. *Quot tua Roma nouas vidit, Germanice, tigres.*
Et eod. e. 39. *Hic haurire decet sacrum, Germanice, nectar.*

Et multis aliis locis, vt lib. 8. ep. 55. 56. lib. 5. e. 2. 3. lib. 13. e. 4. & Silius.

At tu transcendens, Germanice, facta tuorum,
Iam puer auricomo performidate Batauo.

POSSE DEVM] sic quoque se Deum & appellauit, & appellari voluit. de quo supra egimus. ET HÆC ETIAM SERTA PLACERE TIBI] simulauit enim, vt diximus Domitianus poëticum studium, poëtæ vero hedera coronabantur, vt paulò pòst docebimus. FER VATES AVGVSTE, TVOS: NOS GLORIA DVLCIS, NOS TVA CVRA PRIOR, DELICIÆQVE SVMVS] Ita loquitur Quintilianus lib. 10. c. 1. quem supra citauimus. Amas poëticam Cæsar: amas & poëmatis declaras, dum te illis totum tradis; sic enim simulabat æmulatione Titi. Tranquillus cap. 4. in Domitiano. NON QVERCVS TE SOLA DECET] ob seruatos ciues suos, domitis Germanis, Dacis, fuso Antonio præside superioris Germaniæ. De querna corona sic Virgilius lib. 6.

Atq; vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.

Ciuili, id est, ciuica, vt interpretatur Seruius, qui reddit rationem, quare hæc corona ex quercu fuerit. nempe quia ante vita in hac arbore hominibus fuit, qui glandibus vescebantur. Plinius Secundus, si is est de viris illustribus cap. 26. *Ob hoc*, inquit, *ab exercitu ciuica corona de quercu, qua dabatur ei, qui ciues seruasset, donatus est.* Valerius Maximus lib. 2. cap. 5. vbi de Sylla meminit Plutarchus in vita Coriolani, & problemat. cap. 92. Gellius lib. 5. cap. 6. Lucanus lib. 1. Pharsaliæ.

Vide Lipsii ad eund. locum.

Lege Carrionis notas ad hunc locum.

Generatim his multa fusè Heraldus, & Ios. Scal. lib. 1. ad Auson. cap. 9.

——— summè

——summi tum munera Pirí
Lelius, emeritiq́, gerens insignia doni
Seruati ciuis referentem præmia quercum.

Claudianus in Panegyrico Olibrij.

Sæpè duces meritis bello tribuêre coronas.
Hunc cingit muralis honos, hunc ciuica quercus
Nexuit.

Et in Panegyrico ad Stilicon.

Mos erat in veterum castris, vt tempora quercu
Velaret validis, fuso qui viribus hoste,
Casurum potuit morti subducere ciuem.
At tibi qua poteris pro tantis ciuica reddi
Mœnibus.——

Sidonius Appollinaris ex lauro, in Panegyrico Maiorani paullò ante finem.

Nectat muralis, vallaris, ciuica laurus.

Plinius lib. 16. cap. 4. scribit, huiusmodi coronam primò fuisse Ilignam, postea magis placuisse ex Esculo Ioui sacra, variatamque esse cum quercu: vbique tamen custodito honore glandis. Nec puto quercum referendam ad carmen heroicum hoc loco, vt Domitius dubitat, quamuis enim poëtis epicis data sit querna corona, tamen huc non quadrat; Martialis enim comparat Cæsaris res, & victorias cum studiis, & docet illum esse lauro, & quercu, propter seruatos ciues, & victos hostes: hedera verò propter studia, & Musas donandum. Præterea Virgilius epicus de suo carmine heroico locutus, rogat principem, vt suum hederam, id est, carmina misceat reliquis triumphis, vbi epicis tribuit hederam. Ecl. 8. Propertius tamen de Ennio sic.

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona,
Mi folia ex edera porrige, Bacche, tua.

De querna corona epicis data à Domitiano, vide Scaligerum ad Ausonium. Iacobum Pontanum ad Eclogam 7. Virgilij. Non repugno tamen etiam hunc sensum videri posse, vt dicat, non quercus te sola decet, imperator, propter carmen heroicum, & laurea Phœbi. forsitan addidit (Phœbi) vt significaret se de carmine loqui. vt quasi magis explicaret, quod dixerat; NON QVERCVS TE SOLA DECET, NEC LAVREA PHŒBI] ob victoriam de Germanis, & Dacis partam. triumphantes enim lauro coronabantur, vel quòd in monte Parnasso laurus sit spectatissima, vel quòd fulmine non tangatur. Plinius lib. 15. cap. 30. Gellius lib. 5. cap. 6. *Triumphales, inquit, corona aurea sunt, qua imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id vulgo dicitur aurum coronarium. Ha antiquitus ex lauro erant, post fieri ex auro cœptà*, & huc pertinet Virgilius eclog. 8.

Phœbo sacra laurus. Prius ex ... coronabantur, vide Tiraquellum loco infra citato.

——atq́, hanc sine tempora circum,
Inter victrices ederam tibi serpere lauros.

Et Horatius lib. 2. Od. 1.

Cui laurus æternos honores,
Dalmatico peperit triumpho.

Hæc ex Tiraquello ad lib. 4. Alexandri. cap. 18. Sed hoc Tiraquellus non rectè, quòd ex solo hoc versu Martialis coronam triumphalem etiam hederaceam fuisse dicat. nam id minimè videtur Martialis velle dicere, sed hoc potiùs. Non quercus te, ô Imperator, sola decet ob seruatos à te ciues, nec sola Phœbo sacra laurus ob victos hostes, & partum triumphum. sed tertia etiam hederacea, quia poëta es, & poëtas amas. ad quam sententiam facit plurimum illud Virgilij Ecloga 8.

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Hoc est, vt Seruius rectè exponit. Debet etiam carmen meum florere inter plures tuos triumphos; nam victores imperatores lauro, hedera coronantur poëtæ. ad quod videtur quasi Martial. allusisse. FIAT ET EX EDERA] Et coronam poëticam mereris, vel quia ipse poëta, vel quia faues poëtis, illosque primus quercu ornasti ad exemplum Olympiorum. hedera verò, seu edera sertum est poëticum. Virgilius Ecloga 7.

Pastores hedera crescentem ornate poëtam.

Seruius poëtas hedera coronari dicit, quòd sacri Baccho, cui edera sacra, vnde & ipsi velut Bacchæ insanire dicuntur, vel quia semper virent ederæ, quemadmodum carmina æternitatem & merentur, & aliis pariunt. Horatius lib. 1. car. Od. 1.

Me doctarum edera præmia frontium
Diis miscent superis.——

Et lib. 1. Epod. ad Iulium Florum.

——seu condis amabile carmen,

Primâ

Prima feres edera victricis praemia. ——

Lucretius de Ennio lib. 1.

—— *qui primus amoeno*

Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Persius in Prologo Satyrarum.

Scazon.

Heliconidasq́, pallidamq́, Pirenen

Illis relinquo, quorum imagines lambunt

Hedera sequaces. ——

Sed vnde ista hedera poëtarum, cur tam frequens omnibus in ore, quibus item de caussis se vel ipsi coronis huiusmodi induerent, vel ab aliis induerentur, copiosissimè Iacobus Pontanus noster exposuit ad illum versum Virgilij, *Pastores hedera*, &c. Ecloga 7. ad quem te locum hinc, ad Ausonium Ios. Scaliger. remittimus. Et Alciatus Emblema. C C. I V. & Claudius Minos ad idem. CIVICA NOSTRA TIBI] Quæ nobis ciuibus tuis datur, illa etiam te decet. Aut fiat corona tibi, Imperator, ex edera, quia poëtas minorum gentium, seu minores etiam amas, seruas, & ornas. De vario coronarum genere, & forma, lege Tertullianum de corona militis. Liuium lib. 7. Polyb. lib. 6. Zonaram lib. 2. Suetonium in Caligula cap. 45. Plutarchum in Mario. Plinium lib. 7. cap. 28. & lib. 22. cap. 3. & sequentibus aliquot. Gellium lib. 5. cap. 6. Stevvechium ad lib. 2. Vegetij. Tiraquellum loco citato. de poëticis vero coronis Iacobum Pontanum. Petrum Fabium Agonisticon, variis locis. de corona non dignis collata poëtis, vide epigramma apud Gyraldum.

* * *

MATTHÆI RADERI

AD

M. VALER. MARTIALIS EPIG. LIBRVM NONVM

Commentarius.

AVe mi Toranti, frater charissime. Epigramma, quod extra ordinem paginarum est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus, qui imaginem meam ponere in bibliothecâ sua voluit. De quo scribendum tibi putaui: ne ignorares, Auitus iste quis vocaretur. Vale, & para hospitium.*

* al. Toranni, ad quem lib. 1. ep. 79. et 100r ost scriptum. Vt sunt ea epigrammata programmata quædam ad libros præfixa.

EXTRA ORDINEM] separatum à reliquis epigrammatis, ita vt primum fuerit de templo Flauiæ gentis. STERTINIVM] plura sunt ad hunc epigrammata poëtæ, quę videbis in Epigrapharum indice. QVI IMAGINEM MEAM IN BIBLIOTHECA SVA] Hoc more fiebat, vt bibliothecas statuis doctorum virorum, aut Musarum & Apollinis exornarent. Plinius Iun. de Silio. Et Cic. lib. 4, ad Attic. ep. 9. Et vel ex hoc epistolio, & proximo epigrammate constat, cùm dicit: *Quam non obscuris iungis, Auite, viris.*

De L. Actij poëtæ breuis, statuà maximâ in Camœnarum æde posita, lege Plin. l. 34. c. 5. De hoc more idem Plinius exertè l. 35. c. 2. Alter Plin. epist. 28. l. 4. Seneca l. 1. de Tranquill. Titæ. c. 9. Iuuen. Sat. 1. Suetonius. Tib. c. 70. Euseb. l. 2. hist. Eccl. c. 18. Quorum verba recitat Heraldus, qui plura. Et poëtis statuas etiam publicè erectas constat ex lib. 4. Anthologiæ, εἰς εἰκόνας ποιητῶν Homeri, Pindari, Anacreontis, Stesichori, Sapphûs, Hesiodi & aliorum. Mantuani Virgilio statuam erexere, quam prope adorarunt, postea iussu Caligulæ deiectam. Virgilij item Mantuani, & Homeri effigies numismatis Chij impresserunt. Posteris vero temporib. statuæ nobilissimis poëtis in æde Camœnarum erigebantur, quo honore multi ad poëticæ studium excitabantur, quòd coronatas hederis statuas affectarent, de quibus Persius in prologo. & Iuuenalis Sat. 7.

Ad Auitum.

I. — I.

* *Non te celabis, sublimi pectore vates,*
Cui referet serus præmia digna cinis,
Hoc tibi sub nostra breue carmen imagine viuat:
Quam non obscuris iungis, Auite, viris.
Ille ego sum nulli nugarum laude secundus:
Quem non miraris, sed, puto, lector amas.
Maiores maiora sonent: *mihi parua loquuto*
Sufficit, in vestras sæpè redire manus.

* Nota litera bis Græc. al. Lat.

AVITVM] Auitus tamen eod. tempore verus Romæ vixit, fuere & alij Auiti, de quib. li. 1. ep. 17. ad quē sunt aliquot Plinij epistolæ. Poëta nomen Stertinij mutauit, quod hoc illi gratius nosset. In Eclogis ita ἀλληγορικῶς alia pro aliis nomina substitui solét. Martial. plurima finxit nomina aliena, quib. tamen certorū subinde vel laudes, vel vitia prædicat. Postumi certè nomine putarunt etiam tum fuisse certū designatū. VATES] Hunc in catalogo poëtarum Gyraldus, quod miror, omisit. Nominis tui memoria erit sempiterna. Imagini suæ vult adscribi hoc tetrastichon, *Ille ego sum nulli, &c.* SECVNDVS] Catullū tamen sibi & Brutianum præponit. NON MIRARIS] velut magnum & nobilem poëtam, sed vt epigrammatarium amas. Nugas, iocos, & sales appellat. vt sæpè supra infraque.

Tetrastichō à priore separatum. scribis enim hoc in se ipsum.

De templo Flauiæ gentis.

II. — II.

Dum Janus hyemes, Domitianus autumnos,

 Autumnos

Augustus annis commodabit æstates:
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux calendarum:
Tarpeia summi saxa dum patris stabunt:
Dum voce supplex, dumq́ thure placabit
*Matrona diues dulce * Julium * numen:*
Manebit altum Flauiæ decus gentis,
Cum sole & astris, cumq́ luce Romana.
Inuicta quicquid condidit manus, cælum est.

* *Iulia.* * *V. G. nomen.*

De hoc templo Suet. in Domit. c. 1. 5. & 17. Papinius in siluis, Martial. l. 6. c. 17. Hoc iuxta [illegible] chiá collocat Marlian. Blondus ait se quadratos lateres amplissimos ex ruinis, quæ Ecclesiã S. Siluestri, eiusq; sacrarũ virginũ monasteriũ sepiunt, extractos vidisse. quorũ multi literas haberent in hæc verba. DOMITIANA MAIOR PARS. DOMIT. MINOR. DVM IANVS HYEMES] Ianus dat nomen Ianuario, qui medius inter hibernos mẽses. Ita sæpè apud poëtas Decẽber, & Decẽbres ponuntur pro hyeme. DOMIT. AVTVMNOS.] Septembrẽ enim Germanicum, Octobrem Domitianũ appellauit. Ita Statius eid. adulatur lib. 4. Sil. in consulatu 17. Domitiani. ---- *nondum omnis honorum.*

Annus habet, cupiuntq; decem tua nomina menses.

Iam enim Septembrẽ & Octob. occuparat, restabant adhuc decẽ menses quos insigniret nouis nominib. De mutatis mensiũ nominib. prolixè Biciola lib. 4. c. 8. AVGVSTVS ANNIS COMMODABIT ÆSTATES] Sextilem, vt iam dictum, Augustum appellauit, vt Iulius Quintilem Iulium, quod eo mense victorias insignes obtinuerit. DVM GRANDE FAMVLI, &c. Sententia 4. versuum est ab inductione, dum Ianuarius hyemẽ, Domitianus autumnũ, Augustus æstatẽ, Germanicus Septembrem dabit, aut tempora ab his nominabuntur, stabit templum Flauiæ gentis. Sed duorum postremorum hic est ordo. Dũ magna, seu prima dies Septembris, q. Germanicus dicitur, hoc n. [illegible] Germanicarum Calendarum) grande nomen famuli Rheni asseret, dum Germanico Cæsari nomen à Germania subacta & victa, quam Rhenus fluuius interfluit, tribuet. TARPEIA SVMMI SAXA DVM PATRIS STABVNT] dũ capitoli immobile saxũ, vt Virgil. loquitur, durabit. DVM VOCE SVPPLEX, &c. Iuliã Neptẽ, Titi filiã, q̃ Domit. viuã perditè amauerat, vt Suet. testatur in Domit. c. 22. mortuamq; cõsecrationis honore affecit. Huic vt deæ, matres Romanæ tus adolebant, & supplices votis placabant. MATRONA DIVES] hoc ad dignitatẽ Iuliæ, q. eius ope etiã potẽtes & nobiles matronæ indigerent atq; supplicarent. DVLCE IVLIVM NVMEN] charũ ad amores Domitiani respicit, aut dulce ciuib. etiã Romanis, gratũ & optabile Numen. MANEBIT ALTVM FLAVIÆ GENTIS DECVS] Concludit inductionẽ. Quãdiu Sextilis vocabitur Augustus, Germanicus Septẽber, Domitianus October. & quãdiu dea coletur Iulia, tamdiu durabit templũ, illustre, & magnif. regale gentis Flauiæ, Flauij Vespasiani, Flauij Titi & Flauiæ Iuliæ. Ouid. *Cum sole & luna semper Aratus erit.* CVM SOLE ET ASTRIS, CVMQ; LVCE ROMANA] Veluti ipse sol, & sidera, & Imperiũ Romanũ semper durabũt. Ita cum sole, &c. etiã hoc templũ Cæsaris Flauiæ gentis. INVICTA QVICQVID CONDIDIT MANVS, COELVM EST] Extremũ epiphonema. Quicquid inædificat Cæsar inuictus, illud vinci vetustate nõ potest. COELVM EST] immortale & æternum est, vt cœlum, quod nulli mutationi est obnoxium.

Iulia nomen lege vt V. G. habes. & Titi filiam Iuliam intellige.

Ad Domitianum.

IIII.

IV.

Quantum iam superis, Cæsar, cœloq́ dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis:
Grandis in ætherio licet auctio fiat olympo,
Coganturq́ Dei vendere, quicquid habent:
Conturbabit Atlas, & non erit vncia tota,
Decidat tecum qua pater ipse Deum.
Pro Capitolinis quid enim tibi soluere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas.

Quid

Quid loquar Alcidem, Phœbumq́, piosq́, Laconas,
Addita quid Latio Flauia templa polo?
Exspectes, & sustineas, Auguste, necesse est.
Nam tibi quod soluat, non habet arca Iouis.

QVANTVM IAM SVPERIS] Plura eiusdem templa celebrat Ioui, Iunoni, Palladi, Phœbo, Castori & Polluci Flauiis excitata, de quib. & alij Historici meminere, non tamē omnib. Mirificè verò tollit opera Domitiani, dicitq; nec Iouem, nec superos omnes soluendo futuros, si nomina ab illis Cæsar exigat. An vlla adulatio huic par vspiam legitur? Ouid. muniuit viam 2. Fast. *Nec satis est homines: obligat illa Deos.* SI REPETAS, ET SI CREDITOR ESSE VELIS] Si quod superis donasti templis excitandis, putare velis & exigere, opprimentur superi debitis, nec ære tuo poterunt exire. CREDITOR] si donare nolis, sed exspectas, dum satisfaciat. GRANDIS IN ÆTHERIO [Quamuis hastæ subiiciantur omnes deorum dearumque fortunæ & opes. AVCTIO] est, cum quis seu obæratus, seu sponte animi, præconi seu hastæ bona subiicit, aut à creditore subiiciuntur ea lege, vt ei, qui adiecto pretio licitatione vincit, tes empta addicatur, duo enim pluresue licebantur. Ab augendi adiiciendique negotio appellatur. Plaut. Menæch. rogat præconem, vt sibi detur.

Mes. Vis conclamari auctionem fore quidem
Men. Die septimi ——
Auctio fiet. & mox.
Die septimi
Venibunt serui, suppellex, fundi, ædes, omnia.
Venibunt: quique licebunt præsenti pecunia.

De formulis auctionum, & priuatis publicisque auctionibus lege Brissonium lib. 6. COGANTVRQVE DEI VENDERE, QVICQVID HABENT] Etiamsi cœlū & terrā vendiderint, & omnia, quæ cœli cōplexu continēturm, atq; seipsos præterea, tamē nomina sua non dissoluent. CONTVRBABIT ATLAS] Atlas, vbi viderit Iouē non esse soluendo, coniiciet se in pedes & cedet foro, vt mercatores solent ex notis Terentij Conturbare, decoquere, & pecuniā suam dissipare significat, & propriè de his dicitur, qui rationib. dominicis paria nō faciunt. plena est autē locutio, conturbare rationes, vt in Eunucho Terentius: *Ita conturbasti mihi rationes omnes.*

Vel conturbare fortunas, vt Cic. ad Cælium in 8. epist. lib. significat & conturbare quasi versuram facere, & postremis satisfacere præteritis prioribus. Ergo, Conturbabit Atlas cælū vendet, sū decoquet, sic in 10. *hoc pretiosa fames conturbatorq́, Macellum.* Conturbatorem Macellum dixit, vt in 7. conturbatorem aprum. —— *noster te non capit ignis,*
Conturbator aper, vilius esurio.

Qui enim ex Macello viuebant Romæ, & cupediis mensas & apro onerabant, ad extremum patrimonia vorabant & decoctores vel inopes certè fiebāt. Iuuen. 7. *Sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic est Tongilli, &c.* Hæc Iud. in Pandectas. Atlas, qui cœlum gestat, proscribet & vendet cœlum, nec tamen expediet debita. Conturbo igitur intelligo, quod Germani dicunt banckrodt machen/ proscribere bona sua. ET NON ERIT VNCIA TOTA] An ad vsuram alludit, vt dicat tantum debere superos Domitiano, vt non sortem, sed nec fœnus nec vsuram vnciæ possint soluere. Vncia significat duodecimam partem assis, cuius hæc erat nota; — mensuræ quoque primus gradus est. vncia pedis, &c. Hic, ergo sensus erit, etiam conturbauerit Atlas, tamen ex vncia non soluet, id est, non duodecimam partem debitorum soluet, reddet. Nam vnciarum hæres ex vncia scriptus, hoc est, qui duodecimam partem bonorum capit. Lege Brissonium lib. 7. DECIDAT TECVM QVA PATER IPSE DEVM] Atlas, vt præco, venale proponat cœlum, & Iupiter tecum decidat, seu rationes conferat, vter alteri plus debeat, & non erit vncia tota, & duodecimam partem non expediet. PRO CAPITOLINIS QVID ENIM TIBI SOLVERE TEMPLIS] Capitolium conflagratum restituit, & nouam ædem in Capitolio excitauit. Suet. cap. 5. QVID PRO TARPEIÆ FRONDIS HONORE POTEST?] Ostendit à partib. quantū debeat Iupiter. Heraldus plenior ad hunc locum. *Quinquennale certamen instituit Domit. Ioui Capitolino triplex, musicum, equestre, gymnicū & aliquanto plurium, quam posthac trans coronatorum.* coronarum legit Torrentius. *Certabant etiam & prosa oratione græcè, latineq́,* &c. Suet. c. 4. coronas verò victoribus ipse imperator imponebat, vt Martialis lib. 4. epig. 1. testatur. cum dicit. *Perq́, manus tantas plurima quercus eat.* quanquā ibi de quinquatriis Mineruæ loquitur, sed lib. 4. epist. 54. de hac eadem quercu Capitolina. *O cui Tarpeias licuit contingere quercus.*

Quem versum non puto ad quinquatria Mineruæ, sed ad certamen Capitolinum triplex referendum, de quo hoc loco poëta loquitur, qui hîc affirmat ob ludos quinquennales Ioui Capitolino instrutos, in quibus, victoribus laureæ & coronæ quernæ dabantur, non habiturum Iouem, quod reponat. tanta esse merita Cæsaris. de hac corona consule Iacobum Pontanum nostrum ad Eclog. 7. Virgilij. Durasse videtur certamen Capitolinum vsque ad Constantinum M. qui cum Licinio sexagesimum celebrauit si verus Onuphrius. TARPEIÆ FRONDIS] laurea & querna corona victo-

na victores insigniebantur, vt dictum. An referenda sint hæc verba ad laurum? non opinor. QVID PRO CVLMINIBVS GEMINIS MATRONA TONANTIS?] Quid Iuno Iouis & soror, & coniunx tibi pro geminis delubris rependet? De his templis tacent historici, nec apud alios, quod sciam, est verbum vllum nisi dicas in restituto Capitolio restitutum quoque sacellum Iunonis, quod Iouis templo adhærebat, vt ex altera parte Palladis seu Mineruæ. lege Marlianum lib. 2. c. 3. & lib. 5. c. 23. Sacellum cum ara, Ioui Conseruatori posuit adhuc viuente patre, vbi fuerat domus Cornelij Primi, quo loco delituerat bello Vitelliano. Ioui item custodi templum in Capitolio adeptus imperium. Suet. & Tacit. 19. Hic tamen, vt mecum Torrentius sentit, videtur Iunoni duo templa consecrasse. PALLADA PRÆTEREO] Domitianus Minerua Chalciœcæ templũ erexit, vt testatur Cassiodorus lib. 6. c. 11. An propter statuam hoc dicit, quam habebant in cubiculo, an ob quinquatria in monte Albano? RES AGIT ILLE TVAS] Addictum ita tibi Numen est, vt olim Vlyssi. aliud nihil cogitat, quàm vt te familiarem suum omni genere honorum & bonorum afficiat. de hac alibi plura, quam superstitiose coluit. QVID LOQVAR ALCIDEN] Herculi in via Appia templũ & statuam posuit, de qua supra. PHŒBVMQVE] De Appollinis templo nihil scriptores, nisi intelligat Odeum, de quo Eutropius lib. 7 credo restituta fuisse hæc templa ab illo. sic enim Suet. c. 5. *Plurima & amplissima incendio absumpta restituit.* PIOSQVE LACONAS] pios, quod vicissim viuant mortales & immortales. Templum Castoris & Pollucis, quod restitutum puto. ADDITA QVID LATIO FLAVIA TEMPLA POLO] De hoc templo superiùs singulari carmine dictum. Quid memorem, inquit, Italiæ, & vrbis, quæ sub Latio polo, id est, cœlo ornamentum & decus Flauiæ gentis, quid pro hoc Iupiter soluet? Latium polum appellat eam veluti poli partem, cui Latinorum Romanorumque Dij transcripti fuerunt, eosque inter Vespasianus. Titus patrem Vespasianum consecrauit. Læu. Tor. ad cap. 1. Suet in Domit. Et Plinius Iun. in Paneg. Dicauit cœlo Tiberius Augustum, vt maiestatis numen induceret, Claudium Nero, vt irrideret, Vespasianum Titus, Domitianus Titum, ille, vt Dei filius, hic, vt frater videretur. POLO] fuit qui putaret legendum foro, sed non fuit Flauium templum in foro. Polo dixit propter operis altitudinem vt lib. 10.

Nec capitolini summum penetrale tonantis

Quaque nitent cœlo proxima templa suo.

Et hoc lib. ep. 35. *Dum videt augusti Flauia templa poli.*

Quanquam alij hic tholi non Poli scribant.

EXPECTES ET SVSTINEAS, AVGVSTE, NECESSE EST, NAM TIBI QVOD SOLVAT, NON HABET ARCA IOVIS] Conclusio. Ergo cum tot tantaque opera Diuis & Ioui exercris, Iupiter etiamsi cœlum vendat, soluere statim non potest, oportet, vt exspectes, dum ditior fiat, aut donec te mortuum cœlo ipso recipiat, & cœlum pro tot promeritis tradat.

In Paullam.

VI. IV.

Nubere vis Prisco: non miror, Paulla: sapisti.

Ducere te non vult Priscus: & ille sapit.

NVBERE VIS PRISCO] Diuiti & nobili Paulla infamis mulier cupiebat nubere: ille vt impuram reiecit. Tu, inquit, Paulla, haud stultè agis, dum affectas nuptias diuitis, sed æquè sapienter ille, qui te contemnit. De hac ipsa Paulla lib. 1. 75.

Mœchus erat, poteras tamen hoc tu, Paulla negare,

Ecce vir est, nunquid, Paulla, negare potes?

Et eadem lib. 10. epist. 8. *Nubere, &c.* Et lib. 11. epist. 7.

An per illa verba *Sapisti* & sapit, insinuat Priscum & Paullam veneficos fuisse, & alterum sibi ab altero timuisse?

In Afrum.

VIII. V.

Dicere de Libycis reduci tibi, gentibus, Afer,

Continuis volui quinque diebus, Aue.

Non vacat, aut, Dormit, dictum bis, terq; reuerso.

Iam satis est: non vis, Afer, auere. vale.

Afer superbus, ex Africa redux non admittebat poetam ad gratulandum aduenienti. Indignabundus poeta, vel potius iocabundus, si non vis, inquit, saluere, vale. Et τὸ vale simul amicitiæ solutum fœdus notat. quo pacto eos valere iubemus, quos à nobis abigimus, aut potius à quibus nos discedimus. Cicero de natura deorum. *Si maximè talis est Deus, vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat*, id est, nihil mihi cum illo negotij, abeat in malam rem. Sic Ouid. *Valeant*

refferam frangere.

[illegible] mendacia vatum. Ita hoc loco vsurpatur. quod tamen ex priore auere videtur aliud sonare, cùm seuera hoc dicat. Qui Cæcilium classicum ex Plinio huc transferunt, poëtas agunt.

Ad Bithynicum.

VI. X.

Nil tibi legauit Fabius, Bithynice: cui tu
Annua, si memini, millia sena dabas.
Plus nulli dedit ille: queri, Bithynice, noli.
Annua legauit millia sena tibi.

Fabio Bithynicus quotannis sex millia H S. donauit, vt tandem hæres scriberetur à Fabio. [illegible]od Fabius artem captandi notans, illa sena millia consumpsit, & Bithynico moriens nil legauit. [illegible] Bithynicum solatur poëta irridendo captatorem. Noli, inquit, queri tibi nil legatum: [quo]tannis enim tibi legauit sex millia, quæ solebas antea dare Fabio, & posthac non dabis. PLVS [N]VLLI] nemini quicquam, nec tibi aliquid. ANNVA SENA] quæ dabas antea, non dabis posthac, [er]gò sex millia H S. legauit.

Huius ferè ingenij est lib. 9. epig. 10. in Philomusum. 6000. H S. 106. Philippeos.

In Cantarum.

VII. XI.

Cœnes, Cantare, cùm foris libenter:
Clamas, & maledicis, & minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes, & gulosus esse.

Cœnipetam, esse seruum dicit. LIBER ET GVLOSVS] Si liber fueris, non eris gulosus, si [gu]losus, non eris liber. Liberi liberè de aliorum vitiis loquuntur, nemini blandiuntur. hinc ne[mi]ni inuitantur: gulosi, nisi adulentur & rideant cum ridentibus, non vocantur, vt parasitus apud [P]lautum in Capt. Tale supra est, lib. 2. epig. 53. ad Maximum.

Liber eris, cœnare foris si Maxime, nolis.

Horatius conuiuatorem nec aqua vel per iocum aspergendum, nedum dictis mordendum det.

De Earino Domitiani.

VIII. XII.

Nomen cum violis, rosisq́ natum,
Quo pars optima nuncupatur anni,
Hyblam quod sapit, Atticosq́ flores,
Quod nidos olet alitis superbæ:
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti:
Quod si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres, Cupidinesq́,
Nomen nobile, molle, delicatum
Versu dicere non rudi volebam:
*Sed tu syllaba contumax * repugnas.*
Dicunt, Earinon tamen poëta;
Sed Græci, quibus est nihil negatum:
Et quos ἆρες ἄρες decet sonare.

* rebellas.

 Nobis

Nobis non licet esse tam disertis,
Qui musas colimus seueriores.

Ludit in nomine Earini, Domitiani Eunuchi, & nomen quidem dulce esse, quod à vere sit deductum, Græcis enim ἔαρ ver sonat, sed contumacibus syllabis constare, syllabasq; repugnare. Statius in epistola ad Pollium, quem mox infra de coma ad testimonium citamus *Earinum præterea Germanici Dei nostri (ô miseros deos & homines) libertus fuit, quamdiu desiderium eius moratus sum.* Dion. in Domitiano. καὶ διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐαρινοῦ πρὸς ἐντεύξει ἱερῶν, ὅμως ἐπειδὴ καὶ ὁ πρὸς ἰσχυροῖς ... ἐκτομίας ... QVO PARS OPTIMA] Veris laudes habes apud Virgilium lib. 2. Georgic.

Ver adeò frondi, &c.

Et apud Ouid Fast. 1. *Omnia tunc florent* ———

Et Lucretium qui primus erat laudandus lib. 1. initio & alibi sæpius. Non opus pluribus. CVM VIOLIS ROSISQVE NATVM] nomen vernum, scilicet ver significans, ἐαρινὸς vernus. violæ enim ineunte, rosæ adulto vere nascuntur. HYBLAM] melle in Hybla monte Siciliæ lecta. ATTICOS FLORES] quos apes delibant in Hymetto. ALITIS SVPERBÆ NIDOS] phœnicis, de quo lib. 5. epist. 7 *Qualiter Assyrius, &c.* NOMEN NECTARE DVLCIVS BEATO] Multa super nectare & succo nectaris lureti ad epistolam 26. lib. 1. Symmachi. CYBELES PVER] Atys. lege epigramma lib. 2. 86. QVI TEMPERAT POCVLA TONANTI] Ganimedes. PARRHASIA] Pallatina. in palatio Domitiani. Parrhasia dicitur ab Euandro, qui ex Arcadia, quæ & Parrhasia dicitur, in monte pallatino pallatium seu palatium primus excitauit. SI SONES] loquaris, loqueris mulsa: vt Plautus in Pœnulo, aut vt viderentur Sirenes canere, & Veneres, Cupidines, Charitesque respondent, tanta gratia inest verbis, vt videantur loqui ipsæ Charites & Veneres. Petronius. *Hæc ipsa cùm diceret, tanta gratia conciliabat vocem loquentis, tam dulcis sonus pertentabat auras mulcebat aëra, vt putares inter auras canere Sirenum concordiam.* RESPONDENT] hoc loco valet idem, ac si dicas, cùm tu loqueris, ori tuo conciliant gratiam omnes Veneres & Cupidines, id est, omnis elegantia & suauitas inest ori tuo. VERSV NON RVDI] elegans nomen eleganti volebam carmine celebrare. SED SYLLABA CONTVMAX REPVGNAT] tres enim priores, imò omnes quatuor in recto breues. DICVNT EARINON TAMEN POETÆ] En quàm scitè nominat, quem in carmine nominari posse negabat, vt Ouidius Tuticanum 4. de Ponto el. 12.

Et pudeat, si te qua syllaba parte moretur,
Arctius appellem Tuticanumq; vocem.
Et potes in versum Tuticani more venire,
Fiat vt è longa syllaba prima breuis.

SED GRÆCI] imò etiam Latini. exemplum sunt Priamides, Italia, Arabia, apud Virgilium, Propertium, & alios. Et in mediis, tulerunt, steterunt, dederunt, media breui. Græci tamen licentiores, qui versus habent ἀκεφάλους, qualis est ille apud Homerum Iliad. ...

——— ... ἐξικόμην
Ἰστὶ λέγειν ... μούνοις. Athen. 6.

ET QVOS ἄρες ἄρες) Mars, quintus casus ab ἄρης prima communi variato accentu. lege dus Eustathius ad 5. Odyss. sic apud Theocritum καλὸς, & Homerum ... prima ambiguè nunc tenditur, nunc contrahitur. Hic allusit Homeri versum, qui est Il. ad 5. & aliis lib. Ἆρες ἄρες βροτολοιγὲ μιαιφόνε τειχεσιπλῆτα. * NOBIS] Latinis non eadem potestas audendi, quæ Græcis, qui in vocibus propriis & repugnantibus legi poëticæ, dicunt Iulianos Lucianos. Claudianos proxima ab vltima correpta. testimonia sunt in Anthologia epigrammatum. lib. 4. 5. 7. lib. tamen 11. ep. 104. primam rapuit in voce Sophroni, & secundam extendit cùm ex originatione Græca contra fieri oporteat, σωφρόνιος enim à σώφρων descendit.

* Lucil. lib. 9. Scribemus pacem, placidè lumam, auidam, aetum APEC APEC Græci vt faciunt —

De eodem.

XIII. IX.

Si daret autumnus mihi nomen, ὀπωρινὸς essem,
Horrida si brumæ sidera, χειμερινός.
Dictus ab æstiuo θερινὸς mihi mense vocarer,
Tempora cui nomen verna dedere, quis est?

SI DARET AVTVMNVS] idem argumentum, nec carmen obscurum; nomen à gratissimo anni tēpore acceptū dicit. ὀπωρινὸς autumnalis, χειμερινὸς hibernus, θερινὸς æstiuus, ἐαρινὸς vernus.

En

En quam scite nomen Earini sine Earino exprimit. Obserua hîc Martialem secutum esse ἀναλογίαν in voce ὀπωρινὸς. quæ apud Homerum tertiam semper tendit Iliad. φ.

οἷς δ' ὅτ' ὀπωρινὸς βορέης νεοαρδέ' ἀλωήν. &c.

Atq; alibi Iliad. π. ἦμαρ' ὀπωρινῷ ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ ζεύς ——

χειμερινὸς autem & θερινὸς proximam ante vltimam rapiunt, ad quorum imitationem poeta etiam ὀπωρινὸς quamuis longam contraxit.

De eodem.

X. XIV.

Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Cum breue Cecropiæ ver populantur apes.
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,
Quod Cytheræa sua scribere gaudet acu.
Nomen, Erythræis quod littera facta lapillis,
*Gemma quod Heliadum pollice trita * notet.*
*Quod penna scribente grues ad sidera * tollant,*
Quod decet in sola Cæsaris esse domo.

* [illegible]
* [illegible]

NOMEN HABES] idem superiori argumentum, nomen à vere deductum dulce, & delicatum habere dicit Earinum. ACIDALIA ARVNDINE] an columbæ calamo? illæ enim sunt aues Acidaliæ: an cygni penna? an Gnidio nodo? Nam Gnidus sacra Veneri insula. De calamo Gnidio reliquis probatiore Plinius lib. 16. cap. 36. Persius, & alij. CITERÆA SVA ACV] qua varios pingit flores, nam ipsa præsidet veri. NOMEN ERYTHRÆIS] sensus & ordo verborum est. Nomen dignum quod notet littera facta (seu scripta) Erythræis lapillis, id est, nomen gemmeum gemmis scribendum. HELIADVM GEMMA] succinum dicit, quod digitis attritum aut frictum gratum odorem exhalet. de Heliadibus, sororibus Phaetontis, in populos seu alnos versis, supra sati. diximus. PENNA SCRIBENTE] penna stridente alij codices, scribente tamen scribente, sensu penitiores grues enim litteram Y gregatim volando exprimunt. *Turbabis versus nec littera tota volabit, Vnam perdideris si Palamedis auem*, littera autem Y affinitatem & formæ similitudinem cum Latinorum vltima vocali V. à qua nomen veris inchoat. lib. 13. diximus Palamedis litteram videri Δ Græcum fuisse potius, quam Y vel V. Ad Δ ergò si referas, legas velim *stridente penna* hoc sensu: Vt grues altissime volantes, nomen Earini inter sidera ponant. Δ enim stella est supra caput arietis posita, vel quia aduentu suo ver nobis denunciant. Auolant enim hyeme, æstatis initio reuolant. Si ad V litteram putas respexisse poetam, omnino ver intellige. Grues enim venientes veris nunciæ, vt hyemis abeuntes. vide Hieroglyph. Pierij in grue. QVOD DECET IN SOLA CÆSARIS ESSE DOMO] clarum in clara domo.

In fictos amicos.

XI. XV.

Hunc, quem cœna tibi, quem mensa parauit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, & mullos, & sumen, & ostrea, non te;
Tam bene si cœnem, noster amicus erit.

HVNC] cœnipetam ait esse πάρασιτον, id est, omnium assentatorem, & nulli vere, & sancte amicum. Tales amicos celebrat lib. 1. cum Selium describit. lege Heraldum. Seneca epist. 3. *Errat ille qui amicum in atrio quærit, in conuiuio probat.* Huc Græcum facit distichon.

Μὴ τραπεζώους μάλιστα ποιεῦ ἑταίρους,
Πολλοὶ γὰρ πίνειν καὶ βρώσιος οἷον ἑταῖροι.

APRVM ET MVLLOS] hæc omnia sigillatim libro 13 exposita leges.

Nobis non licet esse tam disertis,
Qui musas colimus seueriores.

Ludit in nomine Earini, Domitiani Eunuchi, & nomen quidem dulce esse, quod à vere sit deductum, Græcis enim ἔαρ ver sonat, sed contumacibus syllabis constare, syllabasq; repugnare. Statius in epistola ad Pollium, quem mox infra de coma ad testimonium citamus *Earinum præterea Germanici Dei nostri (ô miseros deos & homines) libertus fuit, quamdiu desiderium eius moratus sum.* Dion. in Domitiano. καὶ διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς ἠράσθη παιδὸς εὐνούχου, Ἐαρίνου ... ἐκώλυσεν ... μηδένα ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ ἐκτέμνεσθαι. QVO PARS OPTIMA] Veris laudes habes apud Virgilium lib. 2. Georgic.

Ver adeò frondi, &c.

Et apud Ouid Fast. 1. *Omnia tunc florent* ———

Et Lucretium qui primus erat laudandus lib. 1. initio & alibi sæpius. Non opus pluribus. CVM VIOLIS ROSISQVE NATVM] nomen vernum, scilicet ver significans, ἐαρινὸς vernus. violæ enim ineunte, rosæ adulto vere nascuntur. HYBLAM] melle in Hybla monte Siciliæ lecta. ATTICOS FLORES] quos apes delibant in Hymetto ALITIS SVPERBÆ NIDOS] phœnicis, de quo lib. 5. epist. 7 *Qualiter Assyrios, &c.* NOMEN NECTARE DVLCIVS BEATO] Multa super nectare & succo nectaris lureta ad epistolam 26. lib. 1. Symmachi. CYBELES PVER] Atys. lege epigramma l. 2. 86. QVI TEMPERAT POCVLA TONANTI] Ganimedes. PARRHASIA] Pallatina. in palatio Domitiani. Parrhasia dicitur ab Euandro, qui ex Arcadia, quæ & Parrhasia dicitur, in monte pallatino pallatium seu palatium primus excitauit. SI SONES] loquaris, loqueris musa: vt Plautus in Pœnulo, aut vt viderentur Siren. canere, & Veneres, Cupidines, Charitesque respondent, tanta gratia inest verbis, vt videantur loqui ipsæ Charites & Veneres. Petronius. *Hæc ipsa cùm diceret, tanta gratia conciliabat vocem loquentis, tam dulcis sonus pertentatum mulcebat aëra, vt putares inter auras canere Sirenum concordiam.* RESPONDENT] hoc loco valet idem, ac si dicas, cùm tu loqueris, ori tuo conciliant gratiam omnes Veneres & Cupidines, id est, omnis elegantia & suauitas inest ori tuo. VERSV NON RVDI] elegans nomen eleganti volebam carmine celebrare. SED SYLLABA CONTVMAX REPVGNAT] tres enim priores, imò omnes quatuor in recto breues. DICVNT EARINON TAMEN POETÆ] En quàm scitè nominat, quem in carmine nominari posse negabat, vt Ouidius Tuticanum 4. de Ponto el. 12.

Et pudeat, si te qua syllaba parte moretur,
Arctius appellem Tuticanumq́; vocem.
Et potes in versum Tuticani more venire,
Fiat vt è longa syllaba prima breuis.

SED GRÆCI] imò etiam Latini. exemplum sunt Priamides, Italia, Arabia, apud Virgilium, Propertium, & alios. Et in mediis, tulerunt, steterunt, dederunt, media breui. Græci tamen licentiores, qui versus habent ἀκεφάλους, qualis est ille apud Homerum Iliad. 23. ἐπειδὴ λίην γε καὶ ἐπίσταντο ...

——— εἰς ἱξυΐαν
Ἴσι λίγειν ἅπαντα καὶ πάντα μόνοις. Athen. 6.

ET QVOS ἆρες ἆρες) Mars, quintus casus ab ἄρης prima communi variato accentu. legendus Eustathius ad 5. Odyss. sic apud Theocritum καλὸς, & Homerum ἀνὴρ prima ambiguè nunc tenditur, nunc corripitur. Hic allusit Homeri versum, qui est Il. ad 5. & aliis lib. Ἆρες ἄρες βροτολοιγὲ μιαιφόνε τειχεσιπλῆτα. * NOBIS] Latinis non eadem potestas audendi, quæ Græcis, qui in vocibus propriis & repugnantibus legi poëticæ, dicunt Iulianos, Lucianos, Claudianos proxima ab vltima correpta. testimonia sunt in Anthologia epigrammatum. lib. 4. 5. 7. lib. tamen 11. ep. 104. primam rapuit in voce Sophroni, & secundam extendit cùm ex originatione Græca contra fieri oporteat, σωφρόνιος enim à σώφρων descendit.

* Lucil. lib. ... Porthaonis ... placidi ... auidum, ... ΑΡΕΣ ΑΡΕΣ Græci ... vt fu... ——

De eodem.

XIII. IX.

Si daret autumnus mihi nomen, ὀπωρινὸς essem,
Horrida si brumæ sidera, χειμερινός.
Dictus ab æstiuo θερινὸς mihi mense vocarer,
Tempora cui nomen verna dedere, quis est?

SI DARET AVTVMNVS] idem argumentum, nec carmen obscurum; nomen à gratissimo anni tempore acceptum dicit. ὀπωρινὸς autumnalis, χειμερινὸς hibernus, θερινὸς æstiuus, ἐαρινὸς vernus.

En

En quam scite nomen Earini sine Earino exprimit. Obserua hic Martialem secutum esse ἀναλογίαν in voce ὀπωρινὸς, quæ apud Homerum tertiam semper tendit Iliad. φ.

ὡς δ' ὅτ' ὀπωρινὸς Βορέης νεοαρδέ' ἀλωὴν. &c.

Atq; alibi Iliad. π. ἤματ' ὀπωρινῷ ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεὺς ——

χειμερινὸς autem & θερινὸς proximam ante vltimam rapiunt, ad quorum imitationem poeta etiam ὀπωρινὸς quamuis longam contraxit.

De eodem.

X. XIV.

Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Cum breue Cecropiæ ver populantur apes.
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,
Quod Cytheræa sua scribere gaudet acu.
Nomen, Erythræis quod littera facta lapillis,
*Gemma quod Heliadum pollice trita * notet.*
*Quod penna scribente grues ad sidera * tollant,*
Quod decet in sola Cæsaris esse domo.

* notat. * tollunt.

NOMEN HABES] idem superiori argumentum, nomen à vere deductum dulce, & delicatum habere dicit Earinum. ACIDALIA ARVNDINE] an columbæ calamo? illæ enim sunt aues Acidaliæ: an cygni penna? an Gnidio nodo? Nam Gnidus sacra Veneri insula. De calamo Gnidio reliquis probatiore Plinius lib. 16. cap. 36. Persius, & alij. CITERÆA SVA ACV] qua varios pingit flores, nam ipsa præsidet veri. NOMEN ERYTHRÆIS] sensus & ordo verborum est. Nomen dignum quod notet littera facta (seu scripta) Erythræis lapillis, id est, nomen gemmeum gemmis scribendum. HELIADVM GEMMA] succinum dicit, quod digitis attritum aut frictum gratum odorem exhalet. de Heliadibus, sororibus Phaetontis, in populos seu alnos versis, supra sati. diximus. PENNA SCRIBENTE] penna stridente alij codices, seruo tamen scribente, sensu penitiore: grues enim litteram Y gregatim volando exprimunt. *Turbabis versus nec littera tota volabit, Vnam perdideris si Palamedis auem*, littera autem Y affinitatem & formæ similitudinem cum Latinorum vltima vocali V. à qua nomen veris inchoat. lib. 13. diximus Palamedis litteram videri Δ Græcum, fuisse potius, quam Y vel V. Ad Δ ergo si referas, legas velim *stridente penna* hoc sensu: Vt grues altissime volantes, nomen Earini inter sidera ponant. Δ enim stella est supra caput arietis posita, vel quia aduentu suo ver nobis denunciant. Auolant enim hyeme, æstatis initio reuolant. Si ad V litteram putas respexisse poetam, omnino ver intellige. Grues enim venientes veris nunciæ, vt hyemis abeuntes. vide Hieroglyph. Pierij in grue. QVOD DECET IN SOLA CÆSARIS ESSE DOMO] clarum in clara domo.

In fictos amicos.

XI. XV.

Hunc, quem cœna tibi, quem mensa parauit amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, & mullos, & sumen, & ostrea, non te;
Tam bene si cœnem, noster amicus erit.

HVNC] cœnipetam ait esse πάμφιλον, id est, omnium assentatorem, & nulli vere, & sancte amicum. Tales amicos celebrat lib. 1. cum Selium describit. lege Heraldum. Seneca epist. 3. *Erret ille qui amicum in atrio quærit, in conuiuio probat*. Huc Græcum facit distichon.

Μὴ τραπέζης [illegible] ἑταίρους,
Πολλοὶ γὰρ [illegible] εἰσιν ἑταῖροι.

APRVM ET MVLLOS] hæc omnia sigillatim libro 13 exposita leges.

De Chloë

XVI. XII.

*Inscripsit tumulo septem * celebrata virorum*
Se fecisse, Chloë: quid pote simplicius?

* scelerata V. C. & Lipsius.

Fr. Pulsius Chresfilla l. 8. 43. & l. 6. epigr. 7. Thelesina.

INSCRIPSIT TVMVLO] Chloe mulier septem viris maritis fato functis, epitaphium communi titulo his verbis inscripsit. Chloë fecit, intellige epitaphium & tumulum septem maritis. poeta alioversum inscriptionem trahit, & insinuat verba illa Chloë fecit, significare Chloë interfecit. septem enim viros veneno sublatos à Chloe dicit. Qui pote, inquit, simplicius, candidius, apertius? simpliciter & candidè fatetur se fecisse. Argutia est in verbis, *se fecisse*.

De coma Earini.

XVII.

Consilium formæ speculum, dulcesq; capillos
Pergameo posuit dona sacrata Deo.
*Ille puer * tanto * domino gratissimus aula,*
Nomine qui signat tempora verna suo.
Fælix, quæ tali censetur munere tellus.
Nec Ganimedeas mallet habere comas.

* toto. * tanta domino. * tota aula.

Comam suam detonsam Earinus Domitiani eunuchus, paulo ante, quam lex vetaret, sectus, misit cum speculo Pergamon Aesculapio, deo patrio, nam & Earinus, vt libro 3. Sil. ait Papinius, erat Pergamenus. Hanc comam venusto carmine Papinius, & hic Martialis immortalem reddunt. CONSILIVM FORMÆ SPECVLVM] Eodem modo dixit Tertullianus libro de velandis Virg. *Iam & consilium formæ à speculo petunt.* Seneca lib. 1. Quæst. Nat. *Multi ex hoc (speculo) consecuti primo sui notitiam: deinde & ad quedam consilium: formosus vt vitaret infamiam: deformis vt sciret redimenda esse virtutibus, quicquid deesset corpori: iuuenis vt flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex vt indecora canis deponeret, & de morte aliquando cogitaret.* Cur speculum appellat formæ consilium? quod de forma sua iudicaturi consulant speculum, quod cuiusque formam vel is coloribus & imaginibus impressam refert. de hoc mox infra. *Quo (speculo) felix facies iudice facta fuit.* speculum vero vna cum Cæsarie puer Earinus miserat. Papinius accinit.

Tum puer, è turba manibus qui forte supinis
Nobile gemmato speculum portauerat auro,
Hoc quoq; demus, ait.——

Noster in proximo epig. DVLCESQVE CAPILLOS PERGAMEO POSVIT DONA SACRATA DEO] flagella comarum resecta gemmata pyxide, auroque inuoluta cum speculo misit Papinius.

Ite coma, facilemq; precor transcurrite pontum,
Ite coronato recubantes molliter auro.
Ite——

PERGAMEO] Pergamus est Ptolemæo Troadis vrbs in Asia minore, quam Pausanias lib. 4. quondam ait Teuthraniam dictam, Galeni medicorum optimi patria, & chartarum quæ pergamenæ dicuntur, inuentrix. In hac nobile fanum Aesculapij visebatur, qui inde Pergameus & Pergamenus est dictus. Papinius.

Pergameas intrasse domos, vbi maximus ægris
Auxiliator adest, & festinantia sistens
Fata, salutifero mitis Deus incubat angui.

Q. Serenus Santonicus; *Tuq; potens artis, reduces qua tradere vitas*
Nosti, atq; in cœlum manes reuocare sepultos,
Qui colis Aegeas qui Pergama, quiq; Epidaurum, &c.

Siue Sammonicus vt alij.

Multa super hoc Deo Pergameo Bisciola lib. 2. c. 5.

POSVIT] hoc more fiebat gentico, de quo placet παρέργως subiicere, quæ Iunius de coma scripsit. *Loquitur*, inquit, *istud abunde mos antiquissimus, quo adolescentes ad consistentem vsque ætatem intonsam nutrire solent, subsequenti deinde tëpore patriis eam fluminibus detõsam cõsecrabãt, tribuẽtes hunc honorem aquæ, vt alimoniæ parenti, vitæq; conseruatrici, vnde & κουρότροφοι epitheto dicti fuere patrii fluuij. Sic Achil-*

lus

lem Sperchio Thessaliæ amni rasilem crinem vouisse, & Memnonem Auroræ filium Nilo ex Philostrato constat. Sic Apollini, cognomento κυροτρόφῳ, votiuam Cæsariem pubertatis annos ingressi adolescentes appendebant. Cato de liberis educandis Ambraica primum capillum puerilem demptum, item cirros ad Apollinem ponere solere ait. Refert & Plutarchus temporibus Thesei morem fuisse, vt excedentes ex Ephebis Delphos profecti, detonsa coma primitias Phœbo consecrarent. Testatur hoc & epigramma.

> Ὥρᾳσιν ἀνθήσαντας ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους
> * Χειράμενος γενύων ἄρσεν ἀγγελίας
> Φοίβῳ θῆκε Λύκων πρῶτον γέρας, &c.
> *Tempora succingens vultus lanugo virilis*
> *Nuncia maturè florida tonsa cadit.*
> *Phœbo hanc primitias sacrat Lyco.*

Martialis quoque eam fuisse Romanis consuetudinem indicat lib. 1. ep.

> *Hos tibi, Phœbe, vouet totos à vertice crines*
> *Encolpus, domini Centurionis amor.*

Eam ob caussam cirratos appellat pueros Persius, qui crines numini detondendos in ipso pubertatis limine nutriebant. Testatur Festus Pompeius capillarem arborem Romæ appellatam, in qua tonsum capillum deo consecratum suspendebant adolescentes. Sic Vestalium virginum crinis ad Loton arborem Romæ vetustissimam, cognomento Capillatam (si enim à Plinio Polyhistore litterarum monumentis proditum est) deferebatur consecrandus. Qui de hoc more variarum gentium auet scire pluria, quæ porro subiunxit, legat. Christianæ verò pietatis mysteria qui capit, impie facit, nec caussas rationesque diuini Numinis exploratas habet. Adde his, quæ de prima barbæ lanugine posita tradunt scriptores. Martialis enim lib 3. ep. 6. eos etiam dies fuisse celebres docet ad Marcellinum.

> *Libat florentes hæc tibi prima genas.*

Super quo versu, quæ sunt ibi cogitata, lege, quem item locum eruditè Lipsius ad Tacitum lib. 14. Ann. tractat. ILLE PVER] Earinus domino Domitiano Cæsari gratissimus aula, aulico officio, obsequio, ministerio. miscebat enim pocula Domitiano. Papinius.

> ——— *hæc pocula magno*
> *Prima duci, myrrhasque graues, chrystallaque portat.*

NOMINE QVI SIGNET] dignus, qui Maio det nomen à suo nomine, vt pro Maio dicatur Earinus aut nomine qui signet ver, quando Earinus vernum valet. FELIX] Pergama tellus beata tanto munere, palpat poëta. GANYMEDÆOS] Iouis administri Ganymedis.

Consule Hesychium, Plutarchi Theseum, Callimachum εἰς Δῆλον, Scholiasten Pindari, Homeri Iliad. ψ Lucianum de Dea Syria Tertullianum de anima c. 40. Pollucis lib. 3. Statii Theb. 6. Varios aliquos, qui, Diis consecrabant, Herculi, Apolloni, Æsculapio & fluminibus. Hinc Petronius. Cui Deo crinem vouisti?

Ad Æsculapium.

XIII. XVII.

> *Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis*
> *Parcarum exoras pensa, breuesque colos:*
> *Hos tibi laudatos * dominorum voce capillos,*
> *Ille tuus Latia misit ab vrbe puer.*
> *Addidit & nitidum sacratis crinibus orbem,*
> *Quo felix facies * iudice * tota fuit.*
> *Tu iuuenile decus serua, ne pulchrior ille*
> *In longa fuerit, quàm breuiore coma.*

* *vatis voto* * *domino suo voto* * *al. indice* * *tuta*

LATONÆ] de eodem argumento octostichon est, nisi quòd & roget Pergameum deum, vti Earinum tonsum tam formosum seruet, quàm fuerat intonsus. LATONÆ NEPOS] Apollinis filius, Apollo Latonæ. Matrem Homerus in hymnis ait Coronidem fuisse, Ex ouo corniculæ Lucianus exclusum narrat ex falso vate, sed fabulas mythologis mittimus QVI MITIBVS HERBIS] periphrasis medici. Fuit enim medicinæ inuento. Æsculapius. Hom. in hymnis.

> Ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιὸν ἄρχομ' ἀείδειν.

Ab hoc autem aiunt poëtæ Hippolytum vitæ restitutum, Virgil. 7. Natalem adi lib. 4. cap. 11. mihi non est propositum fabulari. EXORAS PENSA BREVESQVE COLOS] Parcæ præsides humanæ vitæ, cuiusque æuum, & fata moderantur stamine, quod de colo detrahunt; ad quam fabulam respicit poëta, & affirmat Æsculapij arte pensa breuia tendi. EXORAS] extorques. qui impetras à Parcis longiorem mortalibus vitam, Mythologiam Parcarum intelliges ex lib. 3. Nat. Comitis. ILLE TVVS] Pergaminatus, vt supra. DE LATIA VRBE] Roma. NITIDVM ORBEM] speculum. lege superius epigramma. SACRATIS] quia Deo consecrauit, comam. QVO IVDICE FELIX FACIES TVTA FVIT] supra consilium formæ vocauit, hic iudicem formæ & faciei

al. indice. vtsi verius.

faciei appellat. Speculum autem, iud: x est incorruptus, neque mendax, reddit formam, vt accipit; hominum iudicia sæpè, qualia cæcorum, sunt, præsertim amantium. Hinc poëta docet, verè pulchrum fuisse, ita pronunciasse speculum. Grutero lis est cum Iunio de voce *tuta* & *tota*, me iudice tutior erit Gruteri ex Palatinis scriptura, cui suffragatur Petronius: *Quod ad me attinet non timeo ne quis inueniatur, cui minus placeam. nec speculum mihi, nec fama mentitur.* Tertullianum adde lib. de velandis Virg. cap. 12. *Iam & consilium forma à speculo petunt.* TV] Æsculapi da, vt tam sit elegans tonsus, quàm pulcher erat intonsus.

Ad Cæsarem Domitianum.

XIX. XIV.

Est mihi sitq; precor longum, te præside, Cæsar,
Rus minimum, parui sunt & in vrbe lares.
Sed de valle breui quas det sitientibus hortis,
*Curua laborat as antlia * tollit aquas.*
Sicca domus queritur nullo se rore foueri,
Cùm mihi vicino Martia fonte sonet,
Quam dederis nostris, Auguste, Penatibus vndam,
Castalis hæc nobis, aut Iouis imber erit.

*al. curuis. al. cura laborantes * ducit.*

EST MIHI] ait se rusculum habere suburbanum & vrbanam domum, vtrumque sitire, & rus, & domum, sed agellum ait se irrigare, hausta de vicina valle aqua, domum non posse: petit venulam aquæ Martiæ non procul inde salientis. EST MIHI RVS MINIMVM] Ita lib. 8. epig. 61.

Sed quod sub vrbe rus habemus æstiuum.

Et infra lib. hoc ep. 99. *Rumpitur inuidia, quòd rus mihi dulce sub vrbe est,*
Paruaq; in vrbe domus: rumpitur inuidia.

Nomentana viâ; an præter villam aliud rus intelligit? non censeo, Nomentani frequens vbique mentio, vti & de domo. SED DE VALLE BREVI] ex valle, inquit, subiecta haurio aquam horto irrigando. ANTLIA CVRVA] absit hinc *cura, curua*, lego. antlia propriè sentina est, vti & ἄντλον, & ἄντλος. hic accipio pro machinâ aquariâ, qua hauritur aqua, nisi velis haustrum interpretari, siue modulum & cadum rotæ, quæ haurit, & largitur. antlare, latinis est haurire, Græcis ἀντλεῖν. Linius *florem antlabant Liberi ex carchesiis.* Lipsius 2. Elect. c. 15. *Antlia nō tam vas, quàm instrumentum ad hauriendum: siue aquaria quadam machina, quæ pedum nisu & agitatu aquas per modiolos & haustra tollit.* LABORATAS AQVAS] opere aquario libratas. vel cum labore hauriendas. MARTIA] hanc aquam Plinius commendat lib. 31. c. 2. In via Valeria excepta per portam Exquilinam ad thermas Diocletiani deducta est, & in Cælium & Auentinum montem deriuata. plura Frontinus libro 1. de aquæductibus. CASTALIS] putabo cœlestem esse fontem, aut Castilium è Musis.

Aquā Martiam pro domo, nō Rure petit.

In Sabellum.

XX. XV.

Laudas balnea versibus trecentis,
Cœnantis bene Pontici, Sabelle,
Vis cœnare Sabelle, non lauari.

LAVDAS] cœnipetam parasitum, & assentatorem carpit Sabellum, qui balnea laudabat, cœnam petebat. huius ingenij erat Selius lib. 2. epig. 14. Aliorum suspiciones hic nihil moror.

Ad Domitianum.

XXI. XVI.

Hæc, quæ tota patet, tegiturq; & marmore & auro,
Infantis domini conscia terra fuit.
** Fœlix, quæ tantis sonuit vagitibus, & quæ*
Vidit reptantes, sustinuitq; manus.
Hic steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
Quod Rhodos, astrifero quod pia Creta polo.

** O felix, quantis s. &c quam.*

Curetes

Curetes texêre Iouem crepitantibus armis,
Semiuiri poterant qualia ferre Phryges.
At te protexit superum pater, & tibi, Cæsar,
Pro iaculo, & parma, fulmen & ægis erat.

HÆC, QVÆ TOTA PATET, TEGITVRQVE ET MARMORE ET AVRO] Hoc epigrãma est de templo Flauiæ gentis ad Malum punicum in 6. reg. V. nõ sept. testes Suet. c. 1. P. Victor in reg. vrbis. Hoc templũ felix prædicat, quòd antea, quàm conditũ esset, ibi natus fuerit Domit. vt testatur Suet. c. 1. Non videtur hic celebrare templũ Iouis Seruatoris, in quo loco Domit. bello Vitelliano seruatus est, apud Cornel. I. HÆC QVÆ TOTA PATET] terra hæc, quæ nunc tota patet, quæ nunc publicũ habet templũ, quod adire possunt omnes mortales, cùm antea priuata esset domus. TEGITVRQVE ET MARMORE ET AVRO] Magnificum & regiũ opus fuit; sed quomodo tectũ marmore & auro? An tholus & tectũ huiusmodi, an totum templum ex marmore confectũ & inauratũ ex parte? An aureæ fuêre statuæ? Aut columnæ pictæ, an tholus? INFANTIS DOMINI CONSCIA TERRA FVIT]. Hæc terra Domit. natũ excepit, nascentẽ vidit. FELIX, QVÆ TANTIS SONVIT VAGITIBVS] Beata tellus, quæ primá excepit vocem Iulæam. ET QVÆ VIDIT REPTANTES SVSTINVITQVE MANVS] pulchre puerilis conatum gressus exprimit. Infantes enim cùm nondũ didicere pedibus insistere, manib. humi quadrupedũ instar reptãt. Vnde sphingis ænigma de homine primũ quadrupede, deinde bipede, & tripede postremũ. HIC STETERAT VENERANDA DOMVS] In reg. 6 ad Malũ punicũ. vt d. in qua domo natus est Domit. QVÆ PRÆSTITIT ORBI, QVOD RHODVS] Quæ suscepit Domit. vt Rhodus Nepthunũ, vt Creta Iouẽ, in quib. ea numina nata dicuntur. Rhodũ alij ad Iouẽ sicut Cretá referunt, quod Rhodij olim Telchines iidem qui Curetes & Phryges siue Troiani. Statius in Vindicis Hercule: *Tale nec Idæis quicquam Telchines in antris.*

Hi Rhodum & Phrygiam coloniis auxerunt. ET PIA CRETA] quia Iouem aluit. CVRETES TEXERE IOVEM CREPIT. ARMIS] Fabulam copiosissime describit collectam ex illustribus auctoribus Nat. lib. 9. cap. 7. dicti sunt Curetes ἀπὸ τῶν κορύντων quod caput inter saltandum quaterent. alij ἀπὸ κουρῶν à tondendo. lege Ouid. 4. Fast. *Hoc curetes habent, &c.* Curetes cum Rheâ Iouem Saturno subduxerunt, eumque in Cretam educandum deportarunt. Editi è terra, vel dactylis Idæis, qui Iouem in antro Istirantem, ne à Saturno deuoraretur, lacte & melle nutrierunt. Diodorus Siculus. de his ita Lucretius 2.

Hic armata manus, Curetas nomine Graij,
Quos memorant Phrygios, inter se forte catenas
Ludunt, in numerumq; exultant sanguine læti.
Terrificas capitum quatientes numine cristas.
Dictæos referunt Curetas, qui Iouis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Cùm pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra.

Horum meminit Virg. 3. Æn. & Cretam vocat insulam Iouis. SEMIVIRI POTERANT QVALIA FERRE PHRYGES] Semiuiri Phryges hoc loco Corybantes, sacerdotes Cybeles euirati & castrati intelliguntur, vti & illo car. lib. 3. epig. 90.

Semiuiro Cybiles cum grege iunxit iter.

Cur autem castrati essent sacerdotes Cybeles, leges apud Mythologos. ab his deinde Troiani omnes per conuitium, quòd victi à Græcis essent, & imbelles, semiuiri appellati. Turnus apud Virg. 12. de Ænea.

——— da sternere corpus
Semiuiri Phrygis ———

Et 4. Æn. *——— Semiuiro comitatu.*

QVALIA] iaculum & scuta ferebant, & inter se, dum saltarent Pyrrichicam, complodebant, easdem & scutum significat ipse Martialis in hoc extremo pro iaculo & scuto. AT TE PROTEXIT SVPERVM PATER] Hic quidem versus, si seorsum accipiatur à reliquis, possit videri de Ioue custode accipi posse, cui iuxta hoc nomine templum condidit, cum bello Vitelliano apud Cornelium quendam iuxta Velabrum delituit. sed ego omnia ad Flauianam ædem refero, cùm eo loci natus sit. ET TIBI, CÆSAR, PRO IACVLO ET PARMA] Pro ense & scuto; hæc enim arma erant Corybantum præter sistra, tympana, & cymbala, &c. iaculum dixit pro gladio aut hasta. Parma genus erat scuti parui, vnde dicti parmularij, qui sæpe vincebantur, vt alibi ex Martiale docuimus. FVLMEN ET ÆGIS ERAT] hæc enim Iouis arma sunt. de Domitiani & Palladis ægide supra diximus. Iouis Ægis alia erat & dicebatur à græco αἴξ, id est, capra, à qua educatus erat, quam mortuam inter astra retulit Iupiter, eiusque pellem ad perpetuam rei memoriam ad suum scutum accommodauit, scutumque ægis à græcis appellatum est, de quo Virg. 8.

——— Arcades ipsum
Credunt se vidisse Deum, cùm sæpè nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimbosq; cieret.

Et Iupiter inde dictus est Ægiochos Hom. Iliad. 2.

Κλῦθί μευ Αἰγιόχοιο Διὸς τέκος [illegible]
Audi me Iouis Ægiochi Tritonia nata.

Fulmen

Tacitus 19.

Lib. 7. ep. 2.

Fulmen est ignis in sublime elatus, qui, cùm à circumstante frigore comprimitur, vi erumpit. eius famuli sunt βροντὴ, καὶ ἀστραπὴ, καὶ πῦρ αἰκμάζον, Brontes tonitru, Astrape fulgur, Pyracmon ignis multus. De fulmine, & eius vi lege Aristot. lib. meteor. Est autem telum Iouis, cum quo pingitur & fingitur. Indeque Iupiter fulminator dicitur. lege Nat. lib. 2. c. 1. græcis, ni fallor, κεραύνιος. His igitur armis, id est, ægide & fulmine te defendit Iupiter.

Lucretium. Iouinianum Pontanum. Vide.

Ad Pastorem.

XXIIII. XVII.

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
Propter quod vulgus, crassaq́; turba rogat?
Ut Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager.
Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
Et crepet in nostris aurea lamna toris:
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna niues:
Vt canusinatus nostro Syrus assere sudet,
Et mea sit culto sella cliente frequens:
Vt lutulenta linat Tyrias mihi mala lacernas,
Et Massyleum virga gubernet equum?
Est nihil ex istis: superos, ac sidera testor,
Ergo quid? vt donem, Pastor, & ædificem.

al. Et nobis Massylum, quod probo.

CREDIS OB HOC] Liberalis animi argumenta prodit. multa enim se petere, vt multa dare possit, & ædificare, hoc enim est magni & liberalis animi signum. An hic Iulius Pastor? de quo Plinius Iunior lib. 1. epist. 18. *quanquam vetus exemplum Iulius Pastor.* An eius frater quem impius Caligula interfecit, vt est apud Senecam lib. 2. de Ira. c. 33. Elegans est historia de dissimulanda ira, vti fecit pater, ne amitteret & alterum filium. Sunt qui Hispanos fuisse pastores hosce credant ex inscriptione ibi reperta: DOMITIO. PASTORI. VETERANO LEG. SEPT. GEM.] Ex ead. familia putant fuisse Pastorem Christianum Presb. qui vitam Pudentis, Pudentianæ, Nouati, & Praxedis perscripsit, quod nondum affirmo. PROPTER QVOD VVLGVS] qui diuitias in luxum & voluptates effundit, aut in fastum absumit. SETINA] Setia ciuitas Latij, vnde setinum vinum, de quo, lib. 13. & supra iam sæpius dictum lib. 4. epig. 64. GLEBA] Metonymicôs, Non peto, inquit, opes vt ingentes colam vineas. SONET INNVMERA COMPEDE THVSCVS AGER] nec vt mille serui in Tuscano agro & vinea occupentur, infra.

Multa hic Heraldus.

Nec Tusca ligo vinea politur,

Et lib. 4.

Conteno gelidum ligone Tibur.

De misera seruorum conditione, qui in compedibus vincti opus faciebant in agris fuse disseruimus lib. 4. epig. 46. Et Lipsius El. 2. cap. 15. TVSCVS] in Etruria, quæ & Tuscia. VT MAVRI] mensas ingenti pretio factas & ex Atlante Mauritaniæ monte allatas, quas citreas vocabant, eburneis pedibus impositas. Vberiù. lib. 14. ORBES] mensæ. DENTIBVS] eburneis ex Elephanti dentibus factis. AVREA LAMNA] bracteis aureis argenteisque triclinia fuisse cooperta supra lib. 8. epig. 33. d.

Iuuenalis Sat. 14. Ouid. de Ponto ad Græcinum.

Bractea de fulcro (quod reor esse) tuo.

Lamna dixit Horatius carm. 2. l. 2.

Nullus argento ———

NEC LABRIS] vasa crystallina in luxu adhibebantur, narrauimus supra ex Seneca de crudeli domino, qui puerum Murenæ iussit obiici ob vas crystallinum confractum. NIGRAS NIVES] niuibus enim refrigerabant aquas, vt lib. 13. & supra docuimus. NIGRAS] quia falernum nigrum cui miscebantur niues colatæ. VT CANVSINATVS] vt serui mei (nam Syrus pro seruo accipitur, quòd plerumque vel è Syria vel è Cappadocia mitterentur) vestibus è canusiana lana nobili & rufa culti sudent sub assere, lectica, inquam, qua gestabantur veteres; lectica autem compacta erat ex asseribus, vt nostrum propè feretrum. legatur Lipsius in Elect. CVLTO CLIENTE] nec peto diuitias, vt habeam multos anteambulones, stipatores, comites clientes togatos & candidatos.

Vt

VT MVLA LINAT LACERNAS TYRIAS] Nec vt ardeam murice, purpuratusque inuehar inquinatus à sordidis cœno mulis. Idem dicit Iuuen. Sat. 7. *Balnea sexcentis, &c.* ET MASSYLEVM] Numidæ infrenis vtebantur equis, quos virga regebant. Virg. 4. Aen. *Et Numidæ infreni cingunt.* Idem Lucanus canit lib. 4.

Et gens, quæ nudo residens Massylia tergo
Ora leui flectit frenorum nescia virga.

Et Silius: *Hinc passim exultans Numidæ gens nescia freni,*
Queis inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedum flectit non cedens virga lupatis.

Oppianus lib. 4. Κυνηγετ. V. 45. illustrem habet locum, quem adscribam.

——ὁπποτὲ δ' αὖτε
Καὶ μούνοις ἵπποισιν ἄνευ κυνῶν ἄγρη ἰθὺς ἐλαύνει,
Ἵπποισιν κείνοισιν ὅσοι περὶ Μαυρίδα γαῖαν
Φέρβοντ', ἢ Λιβύεσσιν, ὅσοι μὴ καρτεῖ χειρῶν
Ἀρχοῦνται φαλίοισι βιαζομένοιο χαλινοῦ:

——*interdum verò contra*
Et iam solis equis, sine canibus, rectà ad agitandum:
Equis (inquam) *illis, qui per Mauritaniam terram*
Pascuntur, aut Africanis, qui non robore manuum
Cohibentur lupatis violenti freni;
Sed obtemperant virgis, quoquò homo duxerit.

MASSYLEVM VIRGA GVBERNET EQVVM] Numidæ seu Massyli, qui populi sunt Lybiæ, virga non frænis regebant equos, vt Liu. lib. 35. Strabo lib. vlt. Virgil. 4. Aen. Silius, & alij tradiderunt. Et Ausonius in consulatu. *Mirabamur poëtam, qui infrenos dixerat Numidas.* VT DONEM, ET ÆDIFICEM] quæ sunt magni & honesti animi, donare & ædificare. hoc enim potissimum est principum, illud amicorum vere fidorum.

Ad * Charum.

XVIII. XXIV. * Carum.

O cui virgineo flauescere contigit auro,
Dic, vbi Palladium sit tibi, Care, decus?
Adspicis & domini fulgentes marmore vultus.
Venit ad has vltrò nostra corona comas.
*Albana * liuere potest pia quercus oliuæ,*
Cinxerit inuictum quòd prior illa caput.

* al. libera...

O CVI VIRGINEO] Dialogismo constat hoc epigramma. In primo disticho poëta alloquitur Carum, & interrogat, vbi sit illa corona oleaginea ex auro facta, qua donatus erat à Domitiano, in quinquatriis. Domitius putat Carum fuisse centurionem Domitiani, quod oleaginea tantum donaretur triumphum procurantibus; sed nulla hic de centurione mentio, & oleaginea etiam aliis de caussis data, Crediderim potius Caussidicum fuisse, de quo Iuuen. Sat. 1.

Doctor insignem erat temporibus Domitiani, vt alibi d. est immenalis.

——*quem munere palpat*
Carus——

Et ipse Martial. *Ecce reum Carus te detulit, adsit agellus*

Sunt qui medicum & statuarium & aulicum Domitiani faciant, sed absque tabulis. nomen *Mesio* fuisse lego, vnde forsan alij *medico* legere. statuarium faciunt ex sequenti epigrammate, sed non reor inde cogi posse à Caro factam statuam Domitiani, sed Caro locatore & cultore statuæ.

Fuit & Carus quidam cognatus poëtæ, ad quem infra ep. 55. scribit, quanquam inscriptio variat. In altero respondet Carus, se statuam Domitiani marmoream ea coronasse. Concludit extremo disticho rursum poëta per comparationem. Merito, inquit, huic oleagineæ tuæ coronæ potest inuidere querna qua alias solebat Domitiani statua ornari, quod nunc præcipuè fit illi honorem. O CVI VIRGINEO AVRO CONTIGIT FLAVESCERE] virgineum aurum vocat coronam. Pallas virgo. hinc & virginem & Palladium aurum. Corona vero hæc in similitudinem foliorum oliuæ expressorum erat facta, quæ conferebatur iis, qui triumphum victo procurabant, quamuis ipsi prælio non adfuerint, quemadmodum Gellius lib. 5. cap. 6. est auctor; quanquam & virtutis caussa donatas oleagineas Dio Cassius c. 49. tradit. Victo enim Sexto Pompeio

alii in quibus ... Carus victor ... in Capitolinis in quinquennalibus ...

militibus suis Augustus Cæsar oleagineas distribuit. Καὶ πᾶσι, inquit Dio, πεντακοσίας δραχμάς, τοῖς δὲ ναυμαχήσασι καὶ στέφανον ἐλαίας ἔδωκε. *Et omnibus quidem* (militibus) *quingentas drachmas, iis vero, qui nauali prælio vicissent, etiam coronam oleagineam dedit.* Idem bello Mutinensi ante à senatu factum est, ... τοῖς μὲν στέφανον ἐλαίας ἐν ταῖς πανηγύρεσι φορεῖν δόντες, *bis coronas oleagineas, quas in ludis ferrent, donauere.* Plura de coronis Tertullianus de corona militis & Pamelius eius scholiastes: Vegetius & eius interpres. Lipsius de militia Romana, Plinius, A. Gellius, & alij. PALLADIVM DECVS] coronam oleagineam; olea enim Palladi sacra, de qua non pauca superioribus libris. ASPICIS EN DOMINI FVLGENTES MARMORE VVLTVS] Carus ait se coronam imperatoris imperatori reddidisse, cuius statuam coronauit. Sic apud Suetonium lego Iulij Cæsaris statuam laurea corona ornatam. Cæsarum statuæ formabantur ad habitum principis, cum corona, quam princeps gestare solebat. Hinc videmus omnium prope imperatorum statuas & sigilla laureata. COMAS] Cæsareas. ALBANÆ LIBARE] scribe potius, liuere, vt meliora habent exempla; quid enim libare? Liuere sensum habet, imperator quernam solebat ferre, vt supra lib. 8. epist. 82.

Sed videtur hæc ad certamina oratoria Capitolina & Albana referenda; à Pallade enim donatam Caro scribit in proximo epig.

Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi.

Querna siue iligna ob seruatam Remp. laurea ob victorias de hostibus partas. Inuidere, inquit poëta, potest quercus oleæ, quod hæc prior caput imperatoris contigerit, cum alioqui querna coronari soleat. Vt, libare legas; expones, sacrificare.

Ad eundem.

XXV. XIX.

Quis Pallatinos imitatus imagine vultus
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Hæc mundi facies, hæc sunt Iouis ora sereni:
Sic tonat ille Deus, cùm sine nube tonat.
Non solùm tribuit Pallas, tibi, Care, coronam,
Effigiem domini quam colis, illa dedit.

QVIS PALLATINOS IMITATVS] Idem argumentum de statua Domitiani, quam in ædibus suis factam colebat Carus. huius elegantiam artemque prædicat. QVIS] statuarius vicit Phidiæ Iouem Olympium, ex ebore factum, quem laudat Plinius, Pausaniasque cum alijs. Huius vt dixi statuæ auctorem putant aliqui ipsum Carum, ego nondum. HÆC MVNDI FACIES] sole illustratus; sic nitet & fulget hoc marmor, vt meridianus mundus, id quod sequentia verba declarant. HÆC SVNT IOVIS ORA SERENI] sic pingitur & fingitur Iupiter serenus, & nulla tempestate nubilus, adulatorie hoc, semper enim Cæsarem, qui Deus dici volebat, confert cum Ioue. SIC TONAT SINE NVBE] placidus, non vltor scelerum, quæ sunt optima auguria. Ouidius docet in Fast. *Ter tonuit sine nube Deus, tria fulmina misit.* SINE NVBE] *sine ira, quæ frontis serenitatem turbat.* NON SOLVM PALLAS] In quinquatriis victori, siue in venatione, siue scena, siue poesi, siue oratione Suet. cap. 4. non solum Pallas tibi contulit oleagineam, sed etiam donauit hanc ipsa tibi statuam, cuius artificium non potest nisi in Palladem referri, cum mortales superet manus.

De Nerua

XXVII. XX.

Audet facundo qui carmina mittere Neruæ,
Pallia donauit glaucina, Cosme, tibi.
Pæstano violas, & cana ligustra colono.
Hyblæis apibus Corsica mella dabit.
Sed tamen & paruæ non nulla est gratia Musæ,
Appetitur posito vilis oliua lupo.
Nec tibi sit mirum, modici quòd conscia vatis,
Iudicium metuam nostra Thalia tuum,
Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Lasciuum iuuenis cùm tibi lusit opus.

In lauto conuiuio non omnia semper lauta.

Loschianus E. C.

Neruæ

Neruæ poesim supra lib. 8. ep. 70. laudauimus, vbi Neruam alterum diximus appellatum Tibullum. PALLIA GLAVCINA] Glaucinus color imitatur oculos noctuinos & equinos, vnde Virgilio dicuntur equi Glauci, vlua item palustris. Paulò latius patet hæc vox, quam cæsius. quidquid cæsium glaucum, nec contrà. legatur Antonius Thylesius de coloribus. quanquam non omnino probamus, quæ ille in illo libello disputat. COSME] Myropolam fuisse credam illum, cuius supra frequens mentio, an potius nobilem lanæ infectorem? hoc reor cum Torentio nisi malis vtrumq; eundem & vnum fuisse. PÆSTANO] ager Pæstanus rosis, & omni genere florum abundauit, quem alibi depinximus. Ligustra item supra lib. 8. ep. 28. ad illum versum exposuimus.

Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra

SED TAMEN ET PARVÆ NONNVLLA EST GRATIA MVSÆ, APPETITVR POSITO VILIS OLIVA LVPO] ab exemplo docet gratam esse gratiam epigrammatum; vt in lautis & genialibus conuiuiis, tamen oliuæ appetuntur, ita inter magnificas & heroas poematum tubas tenuis epigrammatum auena nonnunquam delectat. LVPO] pisce nobis ignoto, nec enim est idem cum lucio, quem Hechten appellamus. plura lib. 13. ep. 89. NEC TIBI] nec est, quod miteris meam Musam pallere ad iudicium tuum, quando ipse Nero, quamuis egregius poeta, tamen censoriam tuam limam pertimuit. de Nerone supra ex Neruæ carmine plura.

Epitaphium Latini.

XXI. XXIX.

Dulce decus scenæ, ludorum fama Latinus,
Ille ego sum plausus, deliciæq; tuæ:
Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Soluere qui Curios, Fabriciosq; graues,
Sed nihil à nostro sumpsit mea vita theatro,
Et sola tantum scenicus arte feror.
Nec poteram gratus domino sine moribus esse,
Interius mentes suspicit ille Deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Iouis.

DVLCE DECVS SCENÆ] Latinum arte mimica nobilem emortualem laudat à morum innocentia, & vita procul à scenicis ludis distante, actum de hoc eod. lib. 1. ep. 5. ipse Latinus fingitur loqui. DECVS SCENÆ] idest, ornamentum & voluptas ludorum scenicorum sui. SPECTATOREM CATONEM] omnium grauissimum, de quo lib. 1. in epistola. *Non intret Cato theatrum nostrum, aut si intrauerit, spectet.* Et ep. 3.

Vide de Latino & Thymele: quam negat eum vxorē fuisse Politianus.

Cur in theatrum, Cato seuere, venisti?
An ideo tantum veneras, vt exires?

Nota res est fœminas Floralia celebraturas præsentem Catonem erubuisse, nec antea ludos cœpisse, quam Cato exiret. legatur D. Augustus de ciuit. Dei, præter auctores profanos. CVRIOS FABRICIOSQVE] veteres Romanos frugales, graues & honestos, de quibus Liuius, & alij rerum Romanorum scriptores. SED NIHIL A THEATRO SVMPSIT MEA VITA] vt poetæ se excusant, qui dicunt, *Lasciua est nobis pagina, vita proba.* & *Lasciuus versu, mente pudicus erat:* Atque Catullus.

Qui me versiculis meis putatis.
Quod sint molliculi parum pudicum
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, Versiculos nihil necesse est.

Sic Latinus, qui mores hominum improbos exprimebat gestu in scena, non referebat moribus suis, quos ait (si Diis placet) sanctos fuisse. ET SOLA TANTVM SCENICVS ARTE FVI] non animo, vita, moribus, sed leuis & lasciuus gestu, animo sanctus. Enimuero cuius ars est improba, quomodo vita proba est, cum per omnem vitam nihil exerceat, nisi artem suam quæ sepelienda erat vna cum artifice. NEC POTERAM GRATVS DOMINO SINE MORIBVS ESSE] Domitiano probari, nisi probus, non poteram. INTERIVS] γνωμικῶς si generatim loquare, mentem non frontem Deus inspicit. VOS ME LAVRIGERI PARASITVM DICITE PHŒBI] parasitos Apollinis, seu Phœbi, poetarum Dei; vocabant olim mimos & histriones, qui poetarum carmina

recitabant in scena, vt auctor est Verius Flaccus. Inscriptiones veteres M. AVR. LIB. AGILIO SEPTENTRIONI PANTOMIMO SVI TEMPORIS. PRIMO SACERDOTI SYNHODI APOLLINIS PARASITO.

Et alia

L. ACILIO L. F. POMCVTICLÆ NOBILI ARCHIMIMO COMMVNI. AD LECTO DIVRNO PARASITO APOLLINIS. TRAGICO COMICO. Vide Ioannis Meursij Exercit. Critic. parte. 2. c. 6. vbi de his grassatoribus, cœnipetis, parasitis Deorum & opulentiorum plura. Latinus histrionem & mimum se Phœbi seu Apollinis profitetur, interim tamen ait se Domitiani famulum & aulicum Palatinum. Et lateat forte etiam hic sensus. Ego quidem in scena facio mimicam, sed hanc, quia Domitiano placet; illius enim, non veller sum famulus, Non tibi, sed Domino. Iudo A Critone comico Delij dicuntur parasiti Phœbi, seu familiares & amici, quod ex donariis viuerent, quæ in Delij Apollinis templo largissimè offerebantur. plura Bisciola lib. 6. 11. capite. 11. ROMA SVI IOVIS FAMVLVM] Domitiani, quem sæpe Iouem appellat. *Me meus in terra Iuppiter ecce tenet.* Quare aut. m Lauriger? auctor ipse poeseos; & poetæ Laureati; coronabantur enim laurea velut victores. Vnde natum verbum, *multi laureati, pauci Phœbi.* Turnebus Aduersus lib. 21 cap. 24.

Epitaphium Philænis, seu Philænidis

XXX. XXII.

Secula Nestoreæ permensa, Philæni, senecta
Rapta es ad infernas tam citò Ditis aquas.
Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora, maior erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua silet, non illam mille catastæ
Vincebant, nec quæ turba Seraphin amat.
Nec matutini cirrata caterua magistri,
Nec quæ Strimonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo?
Quæ sciet hos, illos vendere lena toros?
Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

SÆCVLA NESTOREÆ SENECTÆ PERMENSA] Epitaphium sagæ, lenæ, & lupæ, cui terram tam leuem precatur, vt illius corpus à canibus effossum deuoretur. TAM CITO] ironice cum aiat trisæclem fuisse. RAPTA] velut adolescentula ante iustum æuum, & exactam ætatem. EVBOICÆ SIBYLLÆ TEMPORA] Eubœa insula Aegæi maris, in qua Chalcis ciuitas. Chalcidici coloniam Cumas (vti & alias multas auctore Libanio Rhetore) deduxere, vnde & ipsæ Cumæ Euboicæ dictæ. Virgil. 6. *Et tandem Euboicis Cumarum allabimur oris.* Ouid. 4. Metam. *Sedibus Euboicam Stygiis emersit in vrbem*, Papinius *Gaudent Euboica domum Sibyllæ.* SIBYLLÆ] Cumanæ, de qua Virg. *Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.* Non disputabo hic de numero, patria, nominibus, libris auctoritate Sibyllarum, quando id copiosissimè fecit Ludouicus Viues ad D. Augustini lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 23. & Virgilij interpretes ad Eclogam *Sicelides Musæ.* Onuphrius in libro de Sibyllis etiam vultus & habitum sculptura expressit decem Sibyllarum, quamuis doceat plures. edita proximè sunt oracula Sibyllina (si tamen vera illa & germana sunt priscarum) Parisiis Anno M.D.XCIX. cum notis Opsopæi & Sebast. Castalionis interpretatione: de annis Sibyllæ Cumææ tantum disputabo. cum ab æuo Sibyllæ huius dicta sit paræmia, Sibylla viuacior quanquam adagiographi nullos annos exponant. Ouidius 14. Met. nobis planam rem faciet qui de hac Sibilla, & eius Senecta fusius scribit. Primum enim ait sibi immortalitatem promissam à Phœbo si pudorem vellet abiicere. *Lux æterna mihi caritura que, &c.* Deinde fecit illi copiam optandi, quid vellet: p. tit. *Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.* illa vt tot annos viueret, quot manu habuisset corpuscula

—————arenarum.
—————ego pulueris hausti
Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulueris,
Tot mihi natales contingere vana rogaui.

Indulsit hoc illi annos Phœbus, plura indulturus, si & ipsa Phœbo indulsisset, sed illa, Contempto munere Phœbi, inquit,

Innuba permaneo, sed iam felicior ætas
Terga dedit, tremuloq; gradu venit ægra senectus,
Quæ patienda diu, non iam mihi sæcula septem
Acta vides, superest, numeros vt pulueris æquem,
Tercentum messes, tercentum musta videre.

Ex quibus illi Chiliadem annorum, id est, mille annos definitum fuisse intelligis. MENSIBVS] Ergo Philænin nongentos annos mensesque nouenos fingit exegisse, ex quo intelligis quam annosam fingat poeta Philænin. HEV QVÆ LINGVA SILET] loquacissimam fuisse docet, dum catastis & ergastulis seruorum vnam illius vocem comparat. Vna, inquit, Philænis tantum garriebat, quantum mille carceres & ergastula seruorum. Catasta proprie locus est, vbi serui compedibus vincti venales exponuntur, lib. 6. ep. 29. nec auaræ verna catastæ. Casaubonus ad 6. Persij de originatione eius & vsu his verbis constat: *Catasta vox Romana, sed Græca vel potius Sicula originis, vt alia non pauca, quæ ab istis ad Romanos corrupta & semibarbara transierunt, reliquis Græcis omnino incognita. Siculorum linguam Græcam multis modis vitiatam fuisse, etiam illi norunt, qui solum Plautum attigere. à verbo καθίστημι, & maxime voce καταστάσεως facta est vox catasta. ita dixerunt pegma ligneum, in quo suos venales collocabant cum illos vendebant, aut ad venditionem parabant. publice mancipia fuisse in catasta vendi solita indicat locus Plinij lib. 35. de Chrysogono Syllæ liberto. Talem in catasta videre Chrysogonum Syllæ. Sed erant etiam in ædibus catastæ, vt quas arcanas vocat Martialis epigrammate in Mamurram:*

Inspexit molles pueros, oculisq; comedit:
Non hos quos primæ prostituere casæ:
Sed quos arcana seruant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

quo ex loco discimus eximia forma pueros quibus hedera non erat opus, non fuisse in publicum productos: sed domi apud mangones ipsos facile emptores inuenisse. ibi igitur catastam conscendebant, non in foro. etiam illud discimus ligneam fuisse catastam è tabulatis constructam. quare etiam machinas vocabant catastas. Q. Cic. de petitione cōsulatus, loquens de Catilina: quo in magistratu amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit. Cur imponerētur catastæ mancipia docet vetus scholiastes Persij: apud antiquos venales gladiatores in catasta ponebātur, vt in eis possent omnia membra inspici. solebant enim qui seruos emebant, nudare illos, & diligenter efficere vt omnia membra integra & valida perspicere. Suetonius libro 11. qui matres familias & adultas ætate virgines denudarēt atq; perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente. & lib. 4. illustriores fœminas præter pedes suos transeūtes diligenter ac lente mercatorum more considerabat. Seneca pater Controuersiarum lib. 1. Nuda in littore stetit ad fastidium emptoru, omnes partes corporis & inspectæ & contrectatæ sunt. tangit & filius Seneca epist. 89. neq; hoc solum, sed etiam saltare iubebant, vt ostendunt Menandri locus & Propertij, & alio modo agilitatis specimen dare. quare Martiali eques de catasta dicitur qui ibi fuerat venditus:

Nec de Cappadocis eques catastis.

vt mirari nemo debeat quod machinam ad torquendum paratam, quæ vulgo equuleus dicebatur, catastam etiam appellarint. in Martyrologiis sæpe legas in catastam martyres fuisse impositos. Prudentius de Romano martyre:

Emitto vocem de catasta celsior.

& sæpius alibi. nec solum pro equuleo vsurpat: sed pro quouis pegmate ligneo cui imponi solent qui variis suppliciis afficiuntur. ita accipe catastas igneas in Peristephanon hymno primo, & similes locos in historiis martyrum. Scimus longe alia de hac voce hactenus prodita esse à magni nominis viris: verum quæ ita fere absurda sunt, vt refutationis non egeant. Sed enim horum error longe tolerabilior illorum obstinata pertinacia, qui catastos nescio quos contra liquidissimam veritatem apud Vitruuium comminiscuntur. ὧν ἰατρεῦσαι τὴν ἄγνοιαν, κἂν Ἀσκληπιάδαις τῶν νῦν νομιζομένων δεδόσθαι. Agunt de eodem Hieron. Mugius in postumo de eculeo, & Gallonius de tormentis martyrum. NEC QVÆ TVRBA SERAPIN AMAT] Nec Isidis sacerdotes tātopere clamant, vt hæc anus. Strabo l. 17. scribit Canopi templum fuisse Serapidis & cultu & religione excellens, ad cuius solennia per fossam ex Alexandria ingens turba descendebāt. Nam die ac nocte plena erat nauiculis virorum & mulierum per omnem leuitatem frementium & saltantium. De Serapide & Iside Plutarchus libellum scripsit, fabulam & sacra cùm Isidis, tum Serapidis lege apud Gyraldum in Syntagmatis 6. hist. Deorum. Plinium lib. 8. aliosque scriptores. Hic ego cum Domitio facio, & non Isidis sacra, nec inuentum Osirin, nec lymphatos puerorum greges intelligendos puto, sed, vt ex Strabone recitaui, Serapidis cultum in fossa &c. Serapidem Plutonem Græci dixere, colebatur vulgo quod à malo genio occupatos curare crederetur. Rhodiginus l. 2. cap. 13. de Iside suo loco referemus. Apuleius in Miles. de Iside & sacris copiose cum interpretibus. CIRRATA CATERVA] in scholis eruditi solita. Pueri cirros alebant, dum eos ponerent, & Phœbo suæ pubertatis annos consecrarent. Cirratos & Persius Satyr. 1. appellat. STRYMONIO DE GREGE] Strymon est fluuius Thraciæ grue frequens, est enim Thracia natale solum gruis, vt Herodotus lib. 2. tradit. Virgil. 1. Georg. *Strymoniæq; grues.* & 11. Aratus, Gruunt autem & mire garriunt, præsertim cum tempestas imminet. Sed nihil attinet hic esse copiosum. adi Gesnerum l. 3. de grue. Videtur poeta comparationem ab Homero mutuatus esse, qui 3. Iliad. componit Troianorum ad pugnam exeuntium clangori gruum contra Pygmæos euolantium. QVÆ NVNC

THESSALICO LVNAM DEDVCERE RHOMBO] quæ saga nunc tuo loco, Philænis, excantabit lunam: Rhombus est vertigo magica, quam turbinem Horatius in Epodis appellat. Rotam ferream seu æream dicunt, cui fila & stamina, quibus se viros illigare credebant sagæ torquebant, vti Propertius, Theocritus & Virgil. docent. Vtebantur hoc instrumento veneficę, & filis impletum in orbem agebant. Theocritus in Pharmaceutria, χ' ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος. Vt verticur iste turbo ęneus, &c. Ouid. 1. Am. & 8. egregie Dipsadis magæ artes his versibus describit.

Est quædam, quicunq; volet cognoscere lenam,
Audiat, est quædam nomine Dipsas anus.
Ex re nomen habet. nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.
Illa magas artes Æeaq; carmina nouit,
Inq; caput liquidas arte recuruat aquas.
Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equa.
Cum voluit, toto glomerantur nubila cælo,
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.

Quibus subiungit sanguine lunam imbui, illam magica pluma tectam volitare per auras, & nocturnas vmbras, euocare manes tumulis, aliaque infanda patrare, quæ solent etiam hodie pestes hominum, & odia Dei, Diuûmque, fœminæ sagæ. Sic Pindari Scholiastes Od. 4. Pyt. λαμβάνουσαι φαρμακίδες τὴν ἴυγγα δεσμεύουσιν ἐν τροχῷ τινὸς, ὃν περιστρέφουσιν ἅμα ἐπᾴδουσαι, &c. Horatius Epod. 17.

Candida parce vocibus tandem sacris
Citumq; retro solue solue turbinem.

Et noster Martialis lib. 12. ep. 57.

Dicet quot æra verberent manus vrbis,
Cum secta Colcho luna vapulat rhombo,

Propert. lib. 2. *Deficiunt magico torti sub carmine rhombi.*
Et lib. 3. *Staminea rhombi ducitur ille rota.*

An libet apud Petronium audire sagam de vi carminis sui gloriantem?

Quicquid in orbe vides, paret mihi: florida tellus,
Cum volo, spissatis arescit languida succis.
Cum volo, fundit opes, scopulíq; atq; horrida saxa
Niliacas iaculantur aquas, mihi pontus inertes
Submittit fluctus: Zephyriq; tacentia ponunt
Ante meos sua flagra pedes. mihi flumina parent,
Hyrcanæq; tigres & iussi stare dracones.
Quid leuiora loquor? Lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis, trepidúsq; furentes
Flectere Phœbus equos reuoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. Taurorum flamma quiescit
Virgineis extincta sacris, Phœbeia Circe
Carminibus magicis socios mutauit Vlyssis:
Proteus esse solet, quicquid libet. his ego callens
Artibus Idæo frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluuios in summo vertice ponam.

Et Tibullus his gemina canit lib. 1. eleg. 2. Apollonius lib. 3. Argon, Lucianus Philospeude Apuleius Miles 11. Euphormio & alij.

LVNAM DEDVCERE] quod tum credebant fieri, cum obiectis vmbris eam videbant deficere. quod cum fieret, pulsabant æra, quod antidotum habuere contra artes sagarum. Theocritus τὸ δὲ χαλκεῖον ὡς τάχος ἄχει, simul ac æs sonat. Seneca in Hyppolyto.

At nos sollicite lumine turbido
Tractam Thessalicis carminibus rati
Tinnitus dedimus.

Scoliastes Lycophronis, θύουσι δὲ αὐτῇ τοῖς κυσὶν, ὡς φησι Σώφρων ἐν μίμοις, ὅτι γὰρ μίαν βασκάνου λύει τὰ φάρματα, ὡς καὶ χαλκὸς προτιθείς.

Horat. Epod. 17. *—— & polo*
Deripere lunam vocibus meis.

Iuuenalis Sat. 6. *—— nemo æra fatiget*
Vna laboranti poterit succurrere lunæ.

Ouid. 7. Met. *Te quoq; luna traho, quamuis Themesæa labores*
Æra tuos minuant ——

Et

Et Tibullus eleg. 8. lib. 1. ——— *è curru lunam deducere tentat,*
Et faceret, si non ara repulsa sonent.

THESSALICO] Thessalia (quæ & Æmonia ab Æmone Deucalionis filio dicta) magiis & veneficiis olim insignis fuit, vt Apuleius, Plinius, Ouidius, Propertius, & alij docent. LENATOROS VENDERE] lena conciliatrix amorum, quæ turpi ex re quæstum alieno etiam corpore facit, quales sint, à Plauto disces in cuius plerisque comœdiis lena suas agit partes. SIT TIBI TERRA LEVIS] De hac formula precandi supra lib. 5. in epitaphio Erotij fusissimè diximus. Et lib. 1. de Antullâ. NE TVA NON POSSINT ERVERE OSSA CANES] precationem vertit in diram imprecationem; sit tibi terra tam leuis, vt ossa tua à canibus effossa rodantur. sic dum videtur bene precari, pessimè imprecatur. Idem Ammianus Græcè in Nearchum.

Kupleriu.

Εἴη σοι κατὰ γῆς κουφὴ κόνις οἰκτρὲ Νέαρχε
Ὄφρα σε ῥηϊδίως ἐξερύσωσι κύνες.

De Antistio Rustico.

XXIIII. XXXI.

Cappadocum sæuis Antistius occidit oris
Rusticus. ô tristi crimine terra nocens.
Rettulit ossa sinu chari Nigrina mariti,
Et questa est longas non satis esse vias:
Cumq; daret sanctam tumulis, quibus inuidet vrnam,
Visa sibi est rapto bis viduata viro.

CAPPADOCVM] Mortem Antistij, lacrymas vxoris describit. An verò sit hic Rusticus, ad quem Plinius Iunior scripsit. an alius, vt puto non ausim confirmare. CAPPADOCVM] De Cappadocum ingenio suprà satis multa sunt relata. Cappadocia est pars Armeniæ. SÆVIS] alludit fortè versum *Vipera Capadocem, &c.* RETTVLIT OSSA SINV] More id fiebat, quo de more plurima Heraldus. LONGAS NON SATIS VIAS] quamuis longissimum sit iter ex Armenia in vrbem, tamen quia cogebatur domi terræ mandare viri reliquias, cupiebat semper in itinere versari, nec vnquam domum redire. QVIBVS INVIDET] quasi se felicioribus, vt qui condant amores suos, quos ipsa desiderabat. BIS MORI] primò cum vir moreretur, illa exanimis propè vnà est extincta, deinde renouabat dolorem, cùm etiam ossa cogeretur deserere, vt illa apud Petronium Ephesia Matrona. De Nigrinæ amore in maritum plura lib. 4. ep. 75. *O Felix animo, &c.*

* De Vibij voto.

*Ad Cæsarē de ansere.

XXIV. XXXII.

Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis
Vibius, hanc Marti pro duce vouit auem.
Luna quater binos non tota pergerat orbes,
Debita poscebat iam sibi vota Deus.
Ipse suas anser lætus properauit ad aras,
Et cecidit sanctis hostia parua focis.
Octo vides patulo pendere numismata rostro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ litat argento pro te, non sanguine, cæsa
Victima, iam ferro non opus esse docet.

DVM COMES] Vibius Crispus in expeditione Sarmatica comes Domitiani vouit Marti anserem, velut custodem Cæsaris; hunc laudat poëta, & simul auctorem pacis esse Cæsarem ex numismatum symbolo ostendit. Nihil hic poëta de placando Cæsare cogitauit propter dictum Vibij nec constat Domitianum resciuisse. ARCTOIS] Sarmaticis. Sarmatica enim sub arcto, quod suprà iam dictum sæpius, vti & de pugna ex Suetonio & aliis. VIBIVS] hic est ille Vibius Crispus, qui rogantibus, quis esset cum Cæsare, respondit, *ne musca quidem.* Tranquillus cap. 3. Est eiusdem apud Iuuenalem mentio Sat. 4.

Ad iconem anseris est epigramma. Anserem, quia anser fuit auis Capitolium.

——venit & Crispi iucunda senectus.
Cuius erant mores, qualis facundia, mite

Ingenium. Causidicum fuisse omnes docent. Quintil. lib. 10. vbi virtutes huius enumerat Tacitus libro 2. & 4. vt delatorem notat. Xiphilinus eiusdem iocum refert de Vitellij conuiuiis. HANC AVEM] anserem Romani imperij custodem vti libro 13. ex variis scriptoribus ostensum. MARTI] vt seruaret Domitianum in bello Sarmatico, quod spacio octo mensium confecit. QVATER BINOS OR...ES] octo menses. DEVS] Mars, parta ex Sarmatis laurea redeunte Cæsare. PROPERAVIT] faustum omen; nam renitens aut euadens hostia, infausti euentus omen erit. ET CECIDIT HOSTIA] solenne verbum in sacris. Brissonius multa lib. 1. Form. pag. 17. OCTO VIDES] quibus octo menses in bello patrando consumptos puto significari. Erat autem eiusdem anseris effigies argentea ad basim Martis posita, rostro nummos octo porrigens. ALTIS HÆC EXTIS CONDITA NVPER ERANT] singulari prodigio, quo tempus belli continebatur: Capiebantur auspicia ex victimarum extis potissimum, vt Græci latinique auctores prodidere. QVÆ LITAT ARGENTO PROTE, NON SANGVINE CÆSA VICTIMA, IAM FERRO NON OPVS ESSE DOCET] Videtur insinuare argenteam ætatem rediisse temporibus Domitiani, illa porrò tempestate pax opima terras occupabat, nec vlla adhuc bella foris gerebantur, vt Hesiodus & Ouidius canunt. Sensus est. Iam non ferro, id est, cæde & sanguine opus esse portendit victima, quæ pro sanguine argentum fundit. Poterat obliquè poëta insinuasse pacem non sanguine & bello iusto, sed auro redemptam à barbaris, quod antea libro 5. ex Dionis fragmento factum ostendimus. Et hoc fortè portendebat victima. Sed hic intellectus carminis, & Vibio, & Martiali mortem attulisset, si tyrannus fuisset assecutus. Itaque non videtur hoc voluisse poëta, vel ausus etiam fuisse notare.

Argentum sæpe veteres Diis litarūt. quod Herodus confirmat.

** Ad Cæsarē de ansere.*

* In laudem Domitiani.

XXXV. XXV.

** tholi.*

Iupiter Idæi risit mendacia busti,
*Dum videt Augusti Flauia templa * poli.*
Atque inter mensas largo iam nectare fusus
Pocula dum Marti traderet ipse suo.
Respiciens Phœbum pariter Phœbiq; sororem,
Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat:
Gnosia vos, inquit, nobis monumenta dedistis;
Cernite, quàm plus sit, Cæsaris esse patrem.

Laudat templum Flauiæ gentis. IDÆI BVSTI] Cretensis sepulchri, vbi mortuus fertur Iupiter. Callim. in hymnis.

De sepulchro Iouis in Creta Scholiastes Callimachi. Ἐν Κρήτῃ ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ Μίνωος ἐπιγέγραπτο. ΜΙΝΩΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑΦΟΣ, &c. Et quæ sequuntur.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο. σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.
Cretes mendaces semper rex alme sepulchrum
Erexere tuum: tu viuis semper & usque es.

Lucianus. Οἱ Κρῆτες οὐ γενέσθαι μόνον παρ' αὐτοῖς οὐδὲ ταφῆναι μόνον τὸν Δία λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ τάφον αὐτοῦ δεικνύουσι. Lactantius libro 1. de falsa religione. *Ennius in sacra historia descriptis omnibus, quæ in vita sua gessit, ad vltimum sic ait. Deinde Iupiter postquam terram quinquies circuiuit, omnibusque amicis & cognatis suis imperium diuisit: reliquitque hominibus leges, mores frumentaque parauit, multaque alia bona fecit, immortali gloria, memoriaque affectus, sempiterna monimenta sui reliquit, ætate pessumata in Creta vitam commutauit, & ad Deos abiit. huncque Curetes filij sui curauerunt, decorauerunique eum. Et sepulchrum eius est in Creta, in oppido Gnoso: & dicitur Vesta hanc vrbem creauisse. In quo sepulchro eius scriptum est antiquis literis Græcis* ὁ Ζεὺς τοῦ κρόνου, *id est, Iupiter Saturni. Hoc certè non poetæ tradunt, sed antiquarum rerum scriptores: quæ adeo vera sunt, vt Sibyllinis versibus confirmentur, qui sunt tales.*

Δαίμονας ἀψύχους νεκύων εἴδωλα καμόντων
Ὧν Κρήτη καύχημα τάφος ἡ δύσμορος ἴσχει.

Et Cicero de Natura Deorum. Cùm tres Ioues à Theologis enumerari diceret, ait tertium fuisse Cretensem Saturni filium: cuius in insula illa sepulchrum ostenditur. Hæc Lactantius. DVM VIDET] ita suprà. *Adduc quid Latio Flauia templa polo.* Augusti poli, dum videt mirabundus cœlum, aut cœlo æmulum templum Flauiæ gentis; dum videt polum, quem condidit Domitianus patri. malim tamen cum Schotto tholi, qui summa pars templi. POCVLA DVM MARTI] inter conuiuium deorum, iam probè appotus, cùm posceret Martem poculo, eique hauriendum nectar porrigeret. ALCIDES] Hercu-

Hercules. ARCAS] Mercurius in Cyllene (vnde Cyleniusdicitur) monte Arcadiæ natus. Virgilius.

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum culmine fudit,

PIVS ARCAS] Mercurius enim prior deorum immortalium cultus & sacra instituit, hominesque ad humaniorem vitam reuocauit. Horat. lib. 1. Carm.

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decoræ,
more palestræ &c.

GNOSIA VOS, INQVIT] Tumulum mihi vos in Creta condidistis mortuo, sed non augustum & magnificum. CERNITE, QVAM PLVS SIT] En quale & quam splendidum ac diuinum opus condiderit patri suo Vespasiano Domitianus: vtinam Cæsaris potius quam vester, ô Dij, genitor fuissem. adulatio non occulta

In Philomusum.

XXVI. XXXVI.

Artibus his semper cœnam, Philomuse, mereris;
Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.
Scis, quid in Arsacia Pacorus deliberet aula,
Rhenanam numeras Sarmaticamq; manum.
Verba ducis Daci Cattis mandata resignas,*
Victricem laurum, quàm venit, ante vides.
Scis, quoties Phario madeat Ioue fusca Syene:
Scis: quota de Libyco littore puppis eat.
Cuius Iulææ capiti nascantur oliuæ,
Destinet ætherius cui sua serta pater.
Tolle tuas artes, hodie cœnabis apud me;
Hac lege, vt narres nil, Philomuse, noui.

*Getici.

ARTIBVS] Cœnipetas describit, quibus artibus soleant aucupari cœnas. FINGIS semper aliquid noui, seu veri narras, seu falsi; quorum hodie magna copia, qui lambunt aulas Principum. SCIS QVID IN ARSACIA] quod vniuersè dixerat more suo, speciatim per partes exponit. Adscribam geminum huic ex Plauti Trinummo locum, vbi exagitat eos, qui sciunt, quæ nesciunt; vt occlusiorem habeant stultiloquentiam.

Nihil, inquit, est profecto stultius, neque stolidius
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius.
Quam vrbani assidui ciues, quos scurras vocant, &c.
Et mox:
Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt.
Idq; quod in aurem rex regina dixerit,
Sciunt. quod Iuno fabulata est cum Ioue.
Quæ neque futura, neq; facta sunt tamen ij sciunt,
Falson' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant.

ARSACIA] Pro Parthia hoc loco accipe alias Arsacia Mediæ oppidum est à Nicanore conditum, Straboni ῥάγεια Stephano Raga, dictum. Parthi Arsaciam nominant. Ptolemæus ait Arsacæ in omnia tria oppida contineri, vt docet Hermolaus. Dicta autem est Arsacia ab Arsace, rege Parthorum, de quo pluria Lambertus Hortensius ad illum Lucani versum lib. 1.

Plus illa vobis acie, quam creditis actum est;
Arsacidæ ——

Arsacidæ ergo Parthi, quia reges Parthiæ sequentes plerique Arsaces dicti; vt Mithridates Ponti, Darij vel Xerxes, Persæ; &c. Tigranes Armeni. PACORVS] Parthorum Rex. Tacitus hist. lib. 5. *Rex Parthorum Pacorus Iudæa potitus interfectusque, &c.* Hic Pacorus pro quouis rege Parthiæ est positus

positus. De eodem Pacoro Iosephus de bello Iudaico multa. & Plutarchus in Antonio. Vidi apud amplisſ. V. M. Velſerum, quem iure antiquitatis theſaurū dicas, numum, qui Arſacis os præfert cum hac ab altera facie, inſcriptione circum oram ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. ſed numum inſpice.



RHENANAM NVMERAS] In Cattos enim & Sarmatas bellum mouit Domitianus, numeras, recenſes copias Germanicas, & Sarmaticas, noſti, quot ſint in vtriuſque gentis exercitu capita. RHENANAM] Miror eſſe qui Perſij Sat. 6. verſum illum:

——ingenteſq; locat Cæſonia Rhenos.

Rhenos exponant Rhenanos, vt ſi Danubio: dicat Germanos, Rhodanos, Gallos. Rhenos ergo intellige tres Rheni alueos à Cæſonia locatos artificibus vt ficti & effigiati in triumpho more veterum portarentur. VERBA DVCIS DACI] legerim cum MSS. Pal. & Guilielmo chartis mandata, ſequitur enim, reſignas, nec eſt imperfecta, ad quemcunque enim miſſa ſint, ſiue ad Cattos, ſiue alios tu velut à ſecretis omnibus regibus & ducibus aperis. Sic legendum manuſcripti libri, & res ipſa docet. Tu adeo impudenter garrulus es, Philomuſe, vanuſque, vt principum toto orbe diſtantium arcana litteris commiſſa noſſe videri cupias. Cattos quamquam hoſtes Romanorum, tamen non memini ſocietatem coiſſe cum Dacis. VICTRICEM LAVRVM] à Sarmatis laurum eſſe reportatam vides, antequam videas. MADEAT IOVE FVSCA SYENE] vbi aut nulla aut rariſſima pluuia. Curtius lib. 4. Alexandri per Ægyptum interiorem profectionem deſcribens & alij. Syene autem inſulæ & oppidi nomen eſt, Strabone auctore. de oppido Plinius libro 2. capite 72. *Simili modo tradunt in Syene oppido, quod eſt ſupra Alexandriam quinq; millia ſtadiorum, ſolſtitij die medio nullam vmbram iaci, puteumq; eius rei experimenti gratia factum totum illuminari. Ex quo apparet ſolem illi loco ſupra verticem eſſe, quod etiam in Italia ſupra flumen Hypoſim fieri eodem tempore Oneſicratus ſcribit.* Lucanus de eadem re.

——calida medius mihi cognitus axis
Ægypto atq; vmbras nuſquam flectente Syene.

De feruore cœli huius etiam alibi Lucanus. *nam quis cancro feruente Syenem Ibit.* PHARIO] à Pharo inſula Ægypti. Pharius Iupiter, Ægyptius. FVSCA] colorantur ibi ſole homines: Syene enim adſita Æthiopiæ. DE LIBYCO LITTORE PVPPIS EAT] Ex Africa. Noſti, quot ſint naues in claſſe Carthaginenſi, cum ſoluerint Carthagine, quotiesque ſoluant. Varro & Plinius libro 7. capite 21. ex Varrone refert Strabonem quendam ſolitum bello Punico, à Lilybæo Siciliæ promontorio exeunte claſſe Carthaginis portu, etiam numerum nauium dicere: idem Solinus. CVIVS IVLÆÆ CAPITI] Noſti, qui coronandi ſint à Cæſare in quinquatriis Albanis oleagina corona auro facta. qua de corona ſupra lege epig. 22. ad illum verſum. *O cui virgineo flaueſcere contigit auro.* IVLÆÆ] Cæſareæ à Iulio, qui à Iulo, Iulææ. DESTINET ÆTHERIVS] Refero huc certamina capitolina, de quibus alibi dictum. ÆTHERIVS PATER] Iupiter Capitolinus. Suet. cap. 4. *Inſtituit & quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex muſicum, equeſtre, gymnicum, & aliquanto pluribus, quam nunc eſt, coronarum.* TOLLE TVAS ARTES] aliorum cœnas garriendo capta, meam captabis tacendo.

Ad Agathinum.

XXXIX. XXVII.

Summa licet velox, Agathine, pericula ludas,
Non tamen efficies, vt tibi parma cadat.
Nolentem ſequitur, tenueſq; reuerſa per auras,
*Vel pede, vel tergo, * clune, vel vngue ſedet.*
Lubrica Corycio quamuis ſint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres vela negata Noti,
Securos pueri neglecta perambulat artus,
Et nocet artifici ventus, & vnda nihil.

Dictū alibi de pluuia.

* crine, placet, plurimū ad hyperbolem facit.

Vt

Vt peccare velis, cùm feceris omnia, falli
Non potes: arte opus est, vt tibi parma cadat.

SVMMA LICET] ex Pila iis ac ventilatoribus optimum dicit Agathinum, qui parmam in altum iaciebat recipiebatque, sic, vt numquam falleretur. Agathinum, vt Lipsius Saturnalibus ex variis scriptoribus fidem facit, tam certum ait, vt non tam arte indigeat, ne erret, quàm vt erret, id est, difficilius illi esse errare, quàm non errare. De his Quintilianus lib. 10. cap. 7. *Quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, vt ea, quæ miserint, vltro venire in manus credas, & qua iubent decurrere.* PERICVLA LVDAS] ludo periculum, idem, quod ludo cum periculo, & fortè sit argutior sensus, si dicas Agathinum ludere pericula, contemnere, & perinde ludere parma, ac si nullum esset casus periculum. Alioqui nunquam periculum sine periculo vincitur. Gladiatores parmas, aut clypeos in altum iaciebant, recipiebantque cum venustate, quin & hastas, fortasse & gladios. Id propriè vocabant ventilare. Seneca pater lib. 3. contr. Aliud est ventilare, aliud pugnare, Seneca filius. ep. 118. *Quàm stultum est, cùm signum pugnæ acceperis, ventilare?* Lipsius 2. Sat. cap. 19. NON TAMEN EFFICIES] quamuis ita ludas, vt ipsum ludum ludere videaris, & negligere, tamen numquam potes errare, vt in terram cadat iactata parma siue clypeus. est enim genus clypei minuti, vt alibi dictum. fusiùs lib. 14. exponetur. eius formam habes apud Lipsium lib. 2. Sat. cap. 9. SEDET] hæret parmula. LVBRICA CORYCIO] Etsi croco aut crocea adorataque vada siue sparsionibus omnia madeant in theatro, & ipsa parmula aspergatur lubricaque reddatur, tamen in Agathini corpore, quamcunque partem attingit, hæret. Porrò sparsiones theatricas & amphitheatricas copiosiùs libro spectaculorum & aliis locis declaratas leges. CORYCIO] Corycus est portus, oppidum, & antrum eodem nomine in Cilicia, & si verus Plinius, copia croci in eadem regione Martial. lib. 5. & 2.

Ep. 2.

Lucanus.
Et Cilices nimbis hic maduere suis.
Vtq; solet pariter totis se effundere signis
Corycij pressura croci, sic omnia membra
Emisere simul rutilum pro sanguine virus.

Et Ouidius.
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

PVLPITA] in theatro erant pulpita, in quibus recitabantur carmina poëtarum, & orationes, vt alibi dictum. Fuit in proscenio pulpitum altius orchestra, è quo tibicines & cytharœdi musica actione populum detinebant Græcis θυμέλη dictum. & λογεῖον in quo saltabat chorus tragœdorum. Multa super hoc Bulengerus de Theatro cap. 21. ET RAPIANT CELERES] Quamuis magna vi ventorum vela hinc inde rapiat, aperiantque theatrum velis vndequaque tectum, tamen non sic abripit parmulam, vt non incidat & insideat vel tergo, vel manibus pedibusue Agathini. Vt autem fuerint extensa, his verbis describit lib. Amphit. Lipsius. *Foramina in lapidibus summis ad illigandos velorum funes fuisse, per quæ foramina coniicimus,* inquit, *trajici & in altum dirigi antennas solitas, velorum funes sustinentes. At ipsæ antennæ siue mali per foramina ea immissæ & demissæ mutulis quibusdam excipiebantur, firmitatis caussa. Ad antennas autem subrectas funes transuersim ligati, & extensi super quos deducta vela.* Mox varia scriptorum testimonia subiicit ibidem. Inuentor velorum Plinio & Valerio Maximo testibus fuit Q. Catulus, cùm capitolium dicaret, Carbasina vela primus Lentulus Spinter in theatro ludis Apollinaribus adhibuit. Mox, *Cæsar*, D. inquit Plinius, *totum forum intexit, &c.* Fuere variis coloribus, vt præter alios Lucretius ait:

Et vulgo faciunt id lutea russaq; vela,
Et ferruginea, &c.

Nemo purpurea stellis aureis distincta suspendit, auctor Dio. Vento autem vehementiore velis vti non poterant, sed eorum loco vel pileis vel vmbraculis tegebantur. Eadem vela poterant contrahi & explicari. testimonia lege apud Lipsium lib. de Amphit. cap. 17. SECVROS PVERI] In theatro ludentis. Agathinus puer, non gladiator. NEGLECTA] parma non cum cura excepta. VENTVS ET VNDA] quamuis parmam in aëre lubricam sparsionibus & agitatam turbine in diuersas rapiant partes, ille tamen ita feliciter excipit, ac si summa cœlo tranquillitas foret. VT PECCARE] Epiphonema ab incredibili, qui hyperbolicōs extollit artem Agathini. Cùm aliâs arte opus sit, ne erretur, hic artem adhibet, cùm vult errare, alioqui non potest. Ita quod aliis ars, huic natura est. Agilium genituram in lepore describit Manilius lib. 5.

De

De natali Cæſoniæ.

XL. XXVIII.

Prima Palatino lux eſt hac orta tonanti,
Optaſſet Cybele qua peperiſſe Iouem.
Hac & Santonici genita eſt, Cæſonia, Rufi,
Plus debet matri nulla puella ſua.
Lætatur gemina votorum ſorte maritus,
Contigit hunc illi quòd bis amare diem.

al. ſancta mox. al. Rufo.

PRIMA] celebrat natalem vxoris Rufi, qui incidit in natalem Domitiani. PRIMA LVX HÆC] Domitiani nono Cal. Nouembres nati. patre Veſpaſiano conſule deſignato A. V. C. 804. Suet. Domitiano. PALATINO TONANTI] Domitiano, qui Cæſareum palatium occuparat. CYBELE IOVEM] Cybele ſiue Rhea mater Iouis, lege Higyn. & Mythol. CÆSONIA] an ex ſtirpe Cæſoniæ Caligulæ coniugis? de qua Tranquillus in Caligula & Perſius Sat. 6.

—ingenteſq́; locat Cæſonia Rhenos.

An Rhetos. non arbitror. De aliis Cæſoniis Inſcriptiones. SANCTA] altera impia, & perditæ luxuriæ. alij legunt Sanctonici. Sunt autem Sanctones Galli inter Aquitanos, populi finitimi Toloſatibus; & propinqui Petrocoriis, Engoliſmenſibus, Pictauis, ac Galliæ prouinciæ. Romanorum ciuitas eſt, in prouincia Burdegalenſi, in Francorum regione ſita, nomen retinens. De Santonibus Cæſar lib. 1. de bello Gallico. Hac eadem die, qua natus Domitianus 9. Cal. Nou. PLVS MATRI] quòd ab ea, tali ſit edita luce. GEMINA SORTE] natalem geminum vno die celebrat Cæſaris & vxoris.

Ad Appollinem.

XLIII. XXIX.

Campis diues, Apollo, ſic Murinis,
Sic ſemper ſenibus fruare cygnis,
Doctæ ſic tibi ſeruiant ſorores,
Nec Delphis tua mentiatur vlli,
Sic pallatia te colant, amentq́;:
Bis ſenos citò me rogante faſces
Det Stella bonus annuatq́; Cæſar.
Fœlix tunc ego, debitorque voti
Caſurum tibi ruſticas ad aras
Ducam cornibus aureis iuuencum.
Nata eſt hoſtia, Phœbe, quid moraris?

V. Myrinis. al. Semarinis. al. marinis à mari & littore Aſiatico.

CAMPIS] vouet Stellæ conſulatum, implorat Apollinem, vt in Siluis Papinius, vt votis ſuis annuat. CAMPIS DIVES, APOLLO, SIC MYRINIS] ſenſus eſt, ſic Apollo colaris in campis Myrinis, ſic tibi canant ſacri cygni, ſic præſis Muſis, &c. ſic tua oracula Delphica numquam fallant: ſic Cæſares te colant; per hæc omnia rogo, da, vt Cæſar creet Stellam conſulem. CAMPIS MYRINIS] Scio Domitium & Sipontinum diuerſos abire in huius verſus explanatione, quorum controuerſias non compono. Ego campos Myrinos ſeu Murinos, expono Grynæos campos. dictos Martiali à Grynis vel Gryneo oppido Myrinorum, de quo ſic Strabo lib. 13. ἔστι πολίχνιον Μυριναίων Γρύνιον, καὶ ἱερὸν Ἀπόλλωνος, καὶ μαντεῖον καὶ νεὼς πολυτελὴς λίθου λευκοῦ. Et prope eiſdem verbis Stephanus Γρύνοι πολίχνιον Κυρηναίων (emendo Μυριναίων) ὅπου καὶ ἱερὸν Ἀπόλλωνος, καὶ μαντεῖον ἀρχαῖον, καὶ ναὸς πολυτελὴς λευκοῦ λίθου ἐν ᾧ τιμᾶται. Eſt Myrina ipſa etiam vrbs Æolica, vt ſuſpicer Gryneum fuiſſe Myrinorum coloniam, cùm Myrinorum oppidulum Strabo nominet. Vnde Myrinus Apollo & Gryneus idem. Stephanus Myrinam vrbem in Lemno ponit. Idem tamen Æolidis oppidum fatetur à Myrna vel Myrino dictam. gentile format cum Strabone, Myrnæus, non Myrnus. Sed poëta contraxit tetraſyllabon, in triſyllabon. Nam quod de muribus (ex Strabone & Euſtha-

Eustathio) & Smynthio Apolline affirmat Domitius, durius mihi videtur, cum prima naturâ tendatur, & poeta noster sit admodum religiosus poeticarum legum custos. Quod vero ad campos attinet, didicimus ex Pausania in Atticis, propter templum Apollinis Grynæi fuisse nemus & campos. Pausaniæ verba sunt. θέαμα δὲ λευκὸς ἰδεῖν τῷ ἄλλοις ἱεροῖς ἀνακειμένοις, καὶ ἐν Γρυνείῳ (sic vocem subiicit hanc Pausanias) ἔνθα ἀπόλλωνος κάλλιστον ἄλσος δένδρων, καὶ ἡμέρων καὶ ὅσα τῶν καρπὸν ὀσμὴν παρέχεται τινὰ ἢ θέας ἡδονήν. Grynæum Apollinem celebrant Latini quoque vates, quos hic prætermitto. Turnebus legit Semurinis à Semurio campo vrbi vicino: sed cum nullum ibi reperiatur templum Apollinis, & poeta Apollinem laudet à celeberrimis oraculis, non possum in Turnebi sententiam descendere. An legendum *marinis* à mari & littore Actiaco vbi Antonium vicit Augustus Apollinis ope Augusto præsentis? de quo Virgil.

Vide Alciatum par. 5. & 12. Turneb. lib. 11. c. 25.

Actius hoc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus & Indi
Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.

Ad quos versus hæc Turnebus de templo Apollinis Actij: *Significatur, inquit, Apollo ille, qui in* Leucadio littore colebatur, atque ita vt littoralis vocabatur, & ludis triennalibus, & gymnicis, & circensibus natalibusque celebrabatur. Nam Apollini grata esse littora ostendit Homerus in eius hymno scribens: ἀκταί τ' εἰς ἅλα κεκλιμέναι, λιμένες τε θαλάσσης. Vbi plura Turnebus ex Apollonio, & Higino de templo Apollinis Actiaco ab Argonautis condito.

Lib. 21. c. 5.

SENIBVS FRVARE CYGNIS] Cygnum Phœbo sacrum Plato his verbis testatur. ἅτ' ἄν οἶμαι τῷ Ἀπόλλωνος ὄντες, μαντικοί τε εἰσι καὶ προειδότες τὰ ἐν ἅδου ἀγαθὰ ᾄδουσι καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως ἢ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ. Quod Cicer. in Tusc. prima pœne verbatim expressit. *Itaque commemorat, vt cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo diuinationem habere videantur, qui prouidentes, quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur.* Idem alibi Plato, sed vnius vnum sufficit testimonium. Alciatus emblem. 183.

Hic Phœbo sacer, & nostra regionis alumnus
Rex olim, veteres seruat adhuc titulos.

Et Octauius Cleophilus.

Hanc volucrem Phœbo fertur sacrasse vetustas,
Quod referat cantus, Delphice magne tuos.

Hinc quia vatum Deus Apollo, ipsi vates cygni dicuntur. Virg.

Cantantes sublime ferunt ad sidera cygni.

Theocrito μουσᾶν ὄρνιθες. & Horatius Pindarum Dircæum cygnum appellauit. SENIBVS] ante mortem enim canere feruntur. Mart. 13.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Super quâ re plura libro 13. DOCTÆ SIC TIBI SERVIANT SORORES] Domitius sorores Prænestinas putat intelligendas, quarum nos alibi oracula exposuimus. Ego nihil video, cur non ad nouensilenses Deas, seu Musas, quarum præses Apollo, possint referri. cum sæpe dicantur sorores lib. 2. ep. 24. *Quid mihi vobiscum est, ô Phœbe nouemque sorores.* lib. 4. ep. 14. *Sili Castalidum decus sororum.* & alijs locis. NEC DELPHIS MENTIATVR VNQVAM] Delphis Pythia sacerdos Apollinis, Phœbas hæc primitus virgo erat, postea anus habitu puellari, notissimum est oraculum Delphicũ, & omnium scriptis celebratum, præ cæteris veridicum, vt etiam de Christo seruatore sit vaticinatum. Delphis autem dicitur, Phœbas illa, à Delphico oraculo. Apollo Delphicus apud Delphos edidit oracula. Legatur Apollodorus lib. 1. & Mythologi. Oracula Delphica extant hodie coniuncta cum Sibyllinis in editione Lutetiana Opsopæi inter quæ & datum Augusto de Christo. PALATIA] Cæsares in palatiis habitantes. ME ROGANTE] fiat Stella consul. libro 12. epigram. 3. scribit hunc Stellam consulem fuisse. BIS SENOS] consulatum. metonymia. DEBITOR VOTI] reus voti, si impetraro. RVSTICAS AD ARAS] in villa & prædio meo suburbano CORNIBVS AVREIS] Hic ritus fuit * maiorum victimarum, vt cornibus aureis procederent. Iuuenalis Sat. 6.

* Plin. l. 33. cap. 3.

—— & auratam Iunoni cade iuuencam.

Et Virgil. lib. 9. *Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum*, ad quem locum plura Donatus, Seruius & alij Virgilij interpretes. Idem firmant testimonia Plinij lib. 33. cap. 3. Macrobij lib. 3. Sat. cap. 5. Athenæi lib. 9. IVVENCVM] primo sacer taurus fuit Apollini. Virg. 6. *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.* Deinde mutata consuetudo, & bos seu iuuencus immolatus. Pausanias in Bœoticis. Fuerunt & aliæ Apollinis victimæ, quas hic prætereo. NATA EST] mihi in agro suburbano. MORARIS] conferre consulatum Stellæ.

faciei appellat. Speculum autem, iudex est incorruptus, neque mendax, reddit formam, vt accipit; hominum iudicia sæpè, qualia cæcorum, sunt, præsertim amantium. Hinc poëta docet, verè pulchrum fuisse, ita pronunciasse speculum. Grutero lis est cum Iunio de voce *tuta* & *tota*, me iudice tutior erit Gruteri ex Palatinis scriptura, cui suffragatur Petronius: *Quod ad me attinet non timeo ne quis inveniatur, cui minus placeam. nec speculum mihi, nec fama mentitur.* Tertullianum adde lib. de velandis Virg. cap. 12. *Iam & consilium formæ à speculo petunt.* TV] Æsculapi da, vt tam sit elegans tonsus, quàm pulcher erat intonsus.

Ad Cæsarem Domitianum.

XIX. XIV.

Est mihi sitq́; precor longum, te præside, Cæsar,
Rus minimum, parui sunt & in vrbe lares.
Sed de valle breui quas det sitientibus hortis,
*Curua laboratas antlia * tollit aquas.*
Sicca domus queritur nullo se rore foueri,
Cùm mihi vicino Martia fonte sonet,
Quam dederis nostris, Auguste, Penatibus vndam,
Castalis hæc nobis, aut Iouis imber erit.

*al. curtâ. al. cura laborantes * ducit.*

EST MIHI] ait se rusculum habere suburbanum & vrbanam domum, vtrumque sitire, & rus, & domum, sed agellum ait se irrigare, hausta de vicina valle aqua, domum non posse: petit venulam aquæ Mariæ non procul inde salientis. EST MIHI RVS MINIMVM] Ita lib. 8. epig. 61.

Sed quod sub vrbe rus habemus æstiuum.

Et infra lib. hoc ep. 99. *Rumpitur inuidia, quòd rus mihi dulce sub vrbe est,*
Paruaq; in vrbe domus: rumpitur inuidia.

Nomentana viâ; an præter villam aliud rus intelligit? non censeo, Nomentani frequens vbique mentio, vti & de domo. SED DE VALLE BREVI] ex valle, inquit, subiecta haurio aquam horto irrigando. ANTLIA CVRVA] absit hinc *curta*, *curua*, lego. antlia propriè sentina est, vti & ἄντλον & ἄντλος. hic accipio pro machinâ aquariâ, qua hauritur aqua, nisi velis haustrum interpretari, siue modulum & cadum rotæ, quæ haurit, & largitur. antlare, latinis est haurire, Græcis ἀντλεῖν. Liuius *florem antlabant Liberi ex carchesiis.* Lipsius 2. Elect. c. 15. *Antlia nō tam vas, quàm instrumentum ad hauriendum: siue aquaria quadam machina, quæ pedum nisu & agitatu aquas per modiolos & haustra tollit.* LABORATAS AQVAS] opere aquario libratas. vel cum labore hauriendas. MARTIA] hanc aquam Plinius commendat lib. 31. c. 2. In via Valeria excepta per portam Exquilinam ad thermas Diocletiani deducta est, & in Cælium & Auentinum montem deriuata. plura Frontinus libro 1. de aquæductibus. CASTALIS] putabo cœlestem esse fontem, aut Castilium è Musis.

Aquã Martiam pro domo, nō Rure petit.

In Sabellum.

XX. XV.

Laudas balnea versibus trecentis,
Cœnantis bene Pontici, Sabelle,
Vis cœnare Sabelle, non lauari.

LAVDAS] cœnipetam parasitum, & assentatorem carpit Sabellum, qui balnea laudabat, cœnam petebat. huius ingenij erat Selius lib. 2. epig. 14. Aliorum suspiciones hic nihil moror.

Ad Domitianum.

XXI. XVI.

Hæc, quæ tota patet, tegiturq́; & marmore & auro,
Infantis domini conscia terra fuit.
** Fœlix, quæ tantis sonuit vagitibus, & quæ*
Vidit reptantes, sustinuitq́; manus.
Hic steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
Quod Rhodos, astrifero quod pia Creta polo.

** O felix, quantis s. & quam.*

Curetes

Curetes texêre Iouem crepitantibus armis,
Semiuiri poterant qualia ferre Phryges.
At te protexit superum pater, & tibi, Cæsar,
Pro iaculo, & parma, fulmen & ægis erat.

HÆC, QVÆ TOTA PATET, TEGITVRQVE ET MARMORE ET AVRO] Hoc epigrãma est de templo Flauiæ gentis ad Malum punicum in 6. reg. V. nô sept. testes Suet. c. 1. P. Victor in reg. vrbis. Hoc templũ felix prædicat, quòd antea, quàm conditũ esset, ibi natus fuerit Domit. vt testatur Suet. c. 1. Non v detur hic celebrare templũ Iouis Seruatoris, in quo loco Domit. bello Vitelliano seruatus est, apud Cornel. l. HÆC QVÆ TOTA PATET] terra hæc, quæ nunc tota patet, quæ nunc publicũ habet templũ, quod adire possunt omnes mortales, cùm antea priuata esset domus. TEGITVRQVE ET MARMORE ET AVRO] Magnificum & regiũ opus fuit; sed quomodo tectũ marmore & auro? An tholus & tectũ huiusmodi, an totum templum ex marmore confectũ & inauratũ ex parte? An aureæ fuêre statuæ? Aut columnæ pictæ, an tholus? INFANTIS DOMINI CONSCIA TERRA FVIT]. Hæc terra Domit. natũ excepit, nascentẽ vidit. FELIX, QVÆ TANTIS SONVIT VAGITIBVS] Beata tellus, quæ primã excepit vocem Iulæam. ET QVÆ VIDIT REPTANTES SVSTINVITQVE MANVS] pulchre puerilis conatum gressus exprimit. Infantes enim cùm nondũ didicere pedibus insistere, manib. humi quadrupedũ instar reptãt. Vnde sphingis ænigma de homine primũ quadrupede, deinde bipede, & tripede postremũ. HIC STETERAT VENERANDA DOMVS] In reg. 6 ad Malũ punicũ. vcd. in qua domo natus est Domit. QVÆ PRÆSTITIT ORBI, QVOD RHODVS] Quæ suscepit Domit. vt Rhodus Nepthunũ, vt Creta Iouẽ, in quib. ea numina nata dicuntur. Rhodũ alij ad Iouẽ sicut Cretã referunt, quod Rhodij olim Telchines iidem qui Curetes & Phryges siue Troiani. Statius in Vindicis Hercule: *Tale nec Idæis quicquam Telchines in antris.*

Hi Rhodum & Phrygiam colonis auxerunt ET PIA CRETA] quia Iouem aluit. CVRETES TEXERE IOVEM CREPIT. ARMIS] Fabulam copiosissime describit collectam ex illustribus auctoribus Nat. lib. 9. cap. 7. dicti sunt Curetes ἀπὸ τῶν κορῶν quod caput inter saltandum quaterent. alij ἀπὸ κείρειν à tondendo. lege Ouid. 4. Fast. *Hoc curetes habent, &c.* Curetes cum Rheâ Iouem Saturno subduxerunt, eumque in Cretam educandum deportarunt. Editi è terra, vel dactylis Idæis, qui Iouem in antro latitantem, ne à Saturno deuoraretur, lacte & melle nutrierunt. Diodorus Siculus. de his ita Lucretius 2.

Hic armata manus, Curetas nomine Graij,	*Dictæos referunt Curetas, qui Iouis illum*
Quos memorant Phrygios, inter se forte caterua	*Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,*
Ludunt, in numerumq; exultant sanguine læti.	*Cùm pueri circum puerum pernice chorea*
Terrificas capitum quatientes numine cristas	*Armati in numerum pulsarunt æribus æra.*

Horum meminit Virg. 3. Æn. & Cretam vocat insulam Iouis. SEMIVIRI POTERANT QVALIA FERRE PHRYGES] Semiuiri Phryges hoc loco Corybantes, sacerdotes Cybeles euirati & castrati intelliguntur, vti & illo car. lib. 3. epig. 90.

Semiuiro Cybiles cum grege iunxit iter.

Cur autem castrati essent sacerdotes Cybeles, leges apud Mythologos. ab his deinde Troiani omnes per conuitium, quòd victi à Græcis essent, & imbelles, semiuiri appellati. Turnus apud Virg. 12. de Ænea. *——— da sternere corpus*
Semiuiri Phrygis ———

Et 4. Æn. *——— Semiuiro comitatu.*

QVALIA] iaculum & scuta ferebant, & inter se, dum saltarent Pyrrhichicam, complodebant, eisdem & scutum significat ipse Martialis in hoc extremo pro iaculo & scuto. AT TE PROTEXIT SVPERVM PATER] Hic quidem versus, si seorsum accipiatur à reliquis, possit videri de Ioue custode accipi posse, cui iuxta hoc nomine templum condidit, cum bello Vitelliano apud Cornelium quendam iuxta Velabrum delituit. sed ego omnia ad Flauianam ædem refero, cùm eo loci natus sit. ET TIBI, CÆSAR, PRO IACVLO ET PARMA] Pro ense & scuto; hæc enim arma erant Corybantum præter sistra, tympana, & cymbala, &c. iaculum dixit pro gladio aut hasta. Parma genus erat scuti parui, vnde dicti parmularij, qui sæpe vincebantur, vt alibi ex Martiale docuimus. FVLMEN ET ÆGIS ERAT] hæc enim Iouis arma sunt. de Domitiani & Palladis ægide supra diximus. Iouis Ægis alia erat & dicebatur à græco αἴξ, id est, capra, à qua educatus erat, quam mortuam inter astra retulit Iupiter, eiusque pellem ad perpetuam rei memoriam ad suum scutum accommodauit, scutumque ægida à græcis appellatum est, de quo Virg. 8.

——— Arcades ipsum
Credunt se vidisse Deum, cùm sæpè nigrantem
Aegida concuteret dextra, nimbosq; cieret.

Et Iupiter inde dictus est Ægiochos Hom. Iliad.

Κλῦθί μευ Αἰγιόχοιο Διὸς τέκος Ἀτρυτώνη.
Audi me Iouis Aegiochi Tritonia nata.

Fulmen

Tacitus 13.

Lib. 7. ep. 1. & 2.

Lucretium. Iouinianum Pontanum. Suida.

Fulmen est ignis in sublime elatus, qui, cùm à circumstante frigore comprimitur, vi erumpit. eius famuli sunt βροντὴ, καὶ ἀστραπὴ, καὶ πῦρ ἀκμάζον, Brontes tonitru, Astrape fulgur, Pyracmon ignis multus. De fulmine, & eius vi lege Aristot. lib. meteor. Est autem telum Iouis, cum quo pingitur & fingitur. Indeque Iupiter fulminator dicitur. lege Nat. lib. 2. c. 1. græcis, ni fallor, κεραύνιος. His igitur armis, id est, ægide & fulmine te defendit Iupiter.

Ad Pastorem.

XXIIII. XVII.

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
Propter quod vulgus, crassaq́; turba rogat?
Vt Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager.
Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
Et crepet in nostris aurea lamna toris:
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna niues:
Vt canusinatus nostro Syrus assere sudet,
Et mea sit culto sella cliente frequens:
Vt lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Massyleum virga gubernet equum?
Est nihil ex istis: superos, ac sidera testor,
Ergo quid? vt donem, Pastor, & ædificem.

al. Et mihi Massyleum, quod probo.

CREDIS OB HOC] Liberalis animi argumenta prodit. multa enim se petere, vt multa dare possit, & ædificare, hoc enim est magni & liberalis animi signum. An hic Iulius Pastor? de quo Plinius Iunior lib. 1. epist. 18. *quanquam vetus exemplum Iulius Pastor*. An eius frater quem impius Caligula interfecit, vt est apud Senecam lib. 2. de Ira. c. 33. Elegans est historia de dissimulanda ira, vti fecit pater, ne amitteret & alterum filium. Sunt qui Hispanos fuisse pastores hosce credant ex inscriptione ibi reperta: DOMITIO. PASTORI. VETERANO LEG. SEPT. GEM.] Ex ead. familia putant fuisse Pastorem Christianum Presb. qui vitam Pudentis, Pudentianæ, Nouati, & Praxedis perscripsit, quod nondum affirmo. PROPTER QVOD VVLGVS] qui diuitias in luxum & voluptates effundit, aut in fastum absumit. SETINA] Setia ciuitas Latij, vnde setinum vinum, de quo, lib. 13. & supra iam sæpius dictum lib. 4. epig. 64. GLEBA] Metonymicῶs, Non peto, inquit, opes vt ingentes colam vineas. SONET INNVMERA COMPEDE THVSCVS AGER] nec vt mille serui in Tuscano agro & vinea occupentur, infra.

Multus hic Heraldus.

Nec Tusca ligo vinea politus,

Et lib. 4.

Contenogelidum ligone Tibur.

De misera seruorum conditione, qui in compedibus vincti opus faciebant in agris fusè disseruimus lib. 4. epig. 46. Et Lipsius El. 2. cap. 15. TVSCVS] in Etruria, quæ & Tuscia. VT MAVRI] mensas ingenti pretio factas & ex Atlante Mauritaniæ monte allatas, quas citreas vocabant, eburneis pedibus impositas. Vberiùs lib. 14. ORBES] mensæ. DENTIBVS] eburneis ex Elephanti dentibus factis. AVREA LAMNA] bracteis aureis argenteisque triclinia fuisse cooperta supra lib. 8. epig. 33. d.

Iuuenalis Sat. 14. Ouid. de Ponto ad Græcinum.

Bractea de fulcro (quod reor esse) tuo.

Lamna dixit Horatius carm. 2. l. 2.

Nullus argento ——

NEC LABRIS] vasa crystallina in luxu adhibebantur, narrauimus supra ex Seneca de crudeli domino, qui puerum Murenæ iussit obiici ob vas crystallinum confractum. NIGRAS NIVES] niuibus enim refrigerabant aquas, vt lib. 13. & supra docuimus. NIGRAS] quia falernum nigrum cui miscebantur niues colatæ. VT CANVSINATVS] vt serui mei (nam Syrus pro seruo accipitur, quòd plerumque vel è Syria vel è Cappadocia mitterentur) vestibus è canusiana lana nobili & rufa culti sudent sub assere, lectica, inquam, qua gestabantur veteres; lectica autem compacta erat ex asseribus, vt nostrum propè feretrum. legatur Lipsius in Elect. CVLTO CLIENTE] nec peto diuitias, vt habeam multos anteambulones, stipatores, comites clientes togatos & candidatos.

Vt

VT MVLA LINAT LACERNAS TYRIAS] Nec vt ardeam murice, purpuratusque inuehar inquinatus à sordidis cœno mulis. Idem dicit Iuuen. Sat. 7. *Balnea sexcentis, &c.* ET MASSYLEVM] Numidæ infrenis vtebantur equis, quos virga regebant. Virg. 4. Aen. *Et Numidæ infreni cingunt.* Idem Lucanus canit lib. 4.

Et gens, quæ nudo residens Massylia tergo
Ora leui flectit frenorum nescia virga.

Et Silius:

Hinc passim exultant Numidæ gens nescia freni,
Queis inter geminas per ludum mobilis aures
Quadrupedum flectit non cedens virga lupatis.

Oppianus lib. 4. *Κυνηγετ.* V. 45. illustrem habet locum, quem adscribam.

——ὁπηνίκα δ' αὖτε
Καὶ μούνοις ἵπποισιν κυνῶν ἄτερ ἰθὺς ἐλαύνειν,
Ἵπποισιν κείνοισιν ὅσοι περὶ Μαυρίδα γαῖαν
Φέρβοντ', ἢ Λιβύεσσιν, ὅσοι μὴ καρτεϊ χειρῶν
Ἄρχονται ψαλίοισι βιαζομένοιο χαλινοῦ:

——*interdum verò contra*
Et iam solis equis, sine canibus, rectà ad agitandum:
Equis (inquam) *illis, qui per Mauritaniam terram*
Pascuntur, aut Africanis, qui non robore manuum
Cohibentur lupatis violenti freni;
Sed obtemperant virgis, quoquò homo duxerit.

MASSYLEVM VIRGA GVBERNET EQVVM] Numidæ seu Massyli, qui populi sunt Lybiæ, virga non frænis regebant equos, vt Liu. lib. 35. Strabo lib. vlt. Virgil. 4. Aen. Silius, & alij tradiderunt. Et Ausonius in consulatu. *Mirabamur poëtam, qui infrænos dixerat Numidas.* VT DONEM, ET ÆDIFICEM] quæ sunt magni & honesti animi, donare & ædificare. hoc enim potissimum est principum, illud amicorum vere fidorum.

Ad * Charum.

XVIII. XXIV.

*Carum.

O cui virgineo flauescere contigit aurò,
Dic, vbi Palladium sit tibi, Care, decus?
Adspicis & domini fulgentes marmore vultus.
Venit ad has vltrò nostra corona comas.
*Albanæ * liuere potest pia quercus oliuæ,*
Cinxerit inuictum quòd prior illa caput.

* al. liberæ.

O CVI VIRGINEO] Dialogismo constat hoc epigramma. In primo disticho poëta alloquitur Carum, & interrogat, vbi sit illa corona oleaginea ex auro facta, qua donatus erat à Domitiano, in quinquatriis. Domitius putat Carum fuisse centurionem Domitiani, quod oleaginea tantum donaretur triumphum procurantibus; sed nulla hic de centurione mentio, & oleaginea etiam aliis de caussis data, Crediderim potius Caussidicum fuisse, de quo Iuuen. Sat. 1.

Delator insignis erat temporibus Domitiani, vt alibi d. ex Iuuenale.

——*quem munere palpat*
Carus——

Et ipse Martial. *Ecce reum Carus te detulit, adsit agellus*

Sunt qui medicum & statuarium & aulicum Domitiani faciant, sed absque tabulis. nomen *Mesio* fuisse lego, vnde forsan alij *medico* legere. statuarium faciunt ex sequenti epigrammate, sed non reor inde cogi posse à Caro factam statuam Domitiani, sed Caro locatore & cultore statuæ.

Fuit & Carus quidam cognatus poëtæ, ad quem infra ep. 55. scribit, quanquam inscriptio variat. In altero respondet Carus, se statuam Domitiani marmoream ea coronasse. Concludit extremo disticho rursum poëta per comparationem. Merito, inquit, huic oleagineæ tuæ coronæ potest inuidere querna qua alias solebat Domitiani statua ornari, quod nunc præcipue sit illi honorem. O CVI VIRGINEO AVRO CONTIGIT FLAVESCERE] virgineum aurum vocat coronam. Pallas virgo. hinc & virginem & Palladium aurum. Corona vero hæc in similitudinem foliorum oliuæ expressorum erat facta, quæ conferebatur iis, qui triumphum victo procurabant, quamuis ipsi prælio non adfuerint, quemadmodum Gellius lib. 5. cap. 6. est auctor; quanquam & virtutis caussa donatas oleagineas Dio Cassius c. 49. tradit. Victo enim Sexto Pompeio

[marginal note, partly illegible:] ... qua ... natus erat Carus ... Imperator Capitolinus in quinquennalibus ...

militibus suis Augustus Cæsar oleagineas distribuit. Καὶ πᾶσι, inquit Dio, ... *Et omnibus quidem (militibus) quingentas drachmas, iis vero, qui nauali prælio vicissent, etiam coronam oleagineam dedit.* Idem bello Mutinensi ante à senatu factum ... τοῖς μὲν στέφανον ἐλαίας ἐν ταῖς πανηγύρεσι φορεῖν δόντες, *his coronas oleagineas, quas in ludis ferrent, dantes,* etc. Plura de coronis Tertullianus de corona militis & Pamelius eius scholiastes: Vegetius & eius interpres. Lipsius de militia Romana, Plinius, A. Gellius, & alij. Palladivm decvs] coronam oleagineam; olea enim Palladi sacra, de qua non pauca superioribus libris. Aspicis en domini fvlgentes marmore vvltvs] Carus ait se coronam imperatoris imperatori reddidisse, cuius statuam coronauit. Sic apud Suetonium lego Iulij Cæsaris statuam laurea corona ornatam. Cæsarum statuæ formabantur ad habitum principis, cum corona, quam princeps gestare solebat. Hinc videmus omnium prope imperatorum statuas & sigilla laureata. Comas] Cæsareas. Albanæ libare] scribe potius, liuere, vt meliora habent exempla; quid enim libare? Liuere sensum habet, imperator quernam solebat ferre, vt supra lib. 8. epist. 82.

Sed videtur hæc ad certamina oratorum Capitolina & Albana referenda; à Pallade enim donatam Caro scribit in proximo epig.

Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi.

Querna siue iligna ob seruatam Remp. laurea ob victorias de hostibus partas. Inuidere, inquit poëta, potest quercus oleæ, quod hæc prior caput imperatoris contigerit, cum alioqui querna coronari soleat. Vt, libare si legas; expones, sacrificare.

Ad eundem.

XXV. XIX.

Quis Pallatinos imitatus imagine vultus
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Hæc mundi facies, hæc sunt Iouis ora sereni:
Sic tonat ille Deus, cùm sine nube tonat.
Non solùm tribuit Pallas, tibi, Care, coronam,
Effigiem domini quam colis, illa dedit.

Qvis Pallatinos imitatvs] Idem argumentum de statua Domitiani, quam in ædibus suis factam colebat Carus. huius elegantiam artemque prædicat. Qvis] statuarius vicit Phidiæ Iouem Olympium, ex ebore factum, quem laudat Plinius, Pausaniasque cum aliis. Huius vt dixi statuæ auctorem putant aliqui ipsum Carum, ego nondum. Hæc mvndi facies] sole illustrata; sic nitet & fulget hoc marmor, vt meridianus mundus, id quod sequentia verba declarant. Hæc svnt Iovis ora sereni] sic pingitur & fingitur Iupiter serenus, & nulla tempestate nubilus, adulatorie hoc, semper enim Cæsarem, qui Deus dici volebat, confert cum Ioue. Sic tonat sine nvbe] placidus, non vltor scelerum, quæ sunt optima auguria. Ouidius docet in Fast. *Ter tonuit sine nube Deus, tria fulmina misit.* Sine nvbe] *sine ira, quæ frontis serenitatem turbat.* Non solvm Pallas] In quinquatriis victori, siue in venatione, siue scena, siue poesi, siue oratione Suet. cap. 4. non solum Pallas tibi contulit oleagineam, sed etiam donauit hanc ipsa tibi statuam, cuius artificium non potest nisi in Palladem referri, cum mortales superet manus.

De Nerua

XXVII. XX.

Audet facundo qui carmina mittere Neruæ,
Pallia donauit glaucina, Cosme, tibi.
Pæstano violas, & cana ligustra colono.
Hyblæis apibus Corsica mella dabit.
Sed tamen & paruæ non nulla est gratia Musæ,
Appetitur posito vilis oliua lupo.
Nec tibi sit mirum, modici quòd conscia vatis,
Iudicium metuam nostra Thalia tuum,
Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Lasciuum iuuenis cùm tibi lusit opus.

In lauto conuiuio non omnia semper lauta.

Pæstano] V. C.

Neruæ

Neruæ poesim supra lib 8, ep. 70. laudauimus, vbi Neruam alterum diximus appellatum Tibullum. PALLIA GLAVCINA] Glaucinus color imitatur oculos noctuinos & equinos, vnde Virgilio dicuntur equi Glauci, vlua item palustris. Paulò latius patet hæc vox, quam cæsius. quidquid cæsium glaucum, nec contrà. legatur Antonius Thylesius de coloribus. quanquam non omnino probamus, quæ ille in illo libello disputat. COSME] Myropolam fuisse credam illum, cuius supra frequens mentio, an potius nobilem lanæ infectorem? hoc reor cum Torentio nisi malis vtrumq; eundem & vnum fuisse. PÆSTANO] ager Pæstanus rosis, & omni genere florum abundauit, quem alibi depinximus. Ligustra item supra lib. 8. ep. 28. ad illum versum exposuimus.

Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra

SED TAMEN ET PARVÆ NONNVLLA EST GRATIA MVSÆ, APPETITVR POSITO VILIS OLIVA LVPO] ab exemplo docet gratam esse gratiam epigrammatum; vt in lautis & genialibus conuiuiis, tamen oliuæ appetuntur, ita inter magnificas & hetoas poematum tubas tenuis epigrammatum auena nonnunquam delectat. LVPO] pisce nobis ignoto, nec enim est idem cum lucio, quem Hechten appellamus. plura lib. 13. ep. 89. NEC TIBI] nec est, quod mireris meam Musam pallere ad iudicium tuum, quando ipse Nero, quamuis egregius poeta, tamen censoriam tuam limam pertimuit. de Nerone supra ex Neruæ carmine plura.

Epitaphium Latini.

XXI. XXIX.

Dulce decus scenæ, ludorum fama Latinus,
Ille ego sum plausus, deliciæq; tuæ:
Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Soluere qui Curios, Fabriciosq; graues,
Sed nihil à nostro sumpsit mea vita theatro,
Et sola tantum scenicus arte feror.
Nec poteram gratus domino sine moribus esse;
Interius mentes suspicit ille Deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Iouis.

DVLCE DECVS SCENÆ] Latinum arte mimica nobilem emortualem laudat à morum innocentia, & vita procul à scenicis ludis distante, actum de hoc eod. lib. 1. ep. 5. ipse Latinus fingitur loqui. DECVS SCENÆ] id est, ornamentum & voluptas ludorum scenicorum fui. SPECTATOREM CATONEM] omnium grauissimum, de quo lib. 1. in epistola. *Non intret Cato theatrum nostrum, aut si intrauerit, spectet.* Et ep. 3.

Vide de Latino & Thymele: quam negat eundem fuisse Politianus.

Cur in theatrum, Cato seuere, venisti?
An ideo tantum veneras, vt exires?

Nota res est fœminas Florali a celebraturas præsentem Catonem erubuisse, nec antea ludos cœpisse, quam Cato exiret. legatur D. Augustus de ciuit. Dei, præter auctores profanos. CVRIOS FABRICIOSQVE] veteres Romanos frugales, graues & honestos, de quibus Liuius, & alij rerum Romanorum scriptores. SED NIHIL A THEATRO SVMPSIT MEA VITA] vt poetæ se excusant, qui dicunt, *Lasciua est nobis pagina, vita proba.* & , *Lasciuus versu, mente pudicus erat:* Atque Catullus.

Qui me versiculis meis putatis.
Quod sint molliculi parum pudicum
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, Versiculos nihil necesse est.

Sic Latinus, qui mores hominum improbos exprimebat gestu in scena, non referebat moribus suis, quos ait (si Diis placet) sanctos fuisse. ET SOLA TANTVM SCENICVS ARTE FVI] non animo, vita, moribus, se leuis & lasciuus gestu, animo sanctus. Enimuero cuius ars est improba, quomodo vita proba est, cum per omnem vitam nihil exerceat, nisi artem suam quæ sepelienda erat vna cum artifice. NEC POTERAM GRATVS DOMINO SINE MORIBVS ESSE] Domitiano probari, nisi prob⁹, non poteram. INTERIVS] γνωμικῶς si generatim loquare, mentem non frontem Deus inspicit. VOS ME LAVRIGERI PARASITVM DICITE PHŒBI] parasitos Apollinis, seu Phœbi, poetarum Dei; vocabant olim mimos & histriones, qui poetarum carmina

recitabant in scena, vt auctor est Verius Flaccus. Inscriptiones veteres M. AVR. LIB. AGILIO SEPTENTRIONI PANTOMIMO SVI TEMPORIS. PRIMO SACERDOTI SYNHODI. APOLLINIS PARASITO.

Et alia

L. ACILIO L. F. POMCTINA NOBILI ARCHIMIMO COMMVNI. AD LECTO DIVRNO. PARASITO APOLLINIS. TRAGICO COMICO. Vide Ioannis Meursij Exercit. Critic. parte. 2.c.6. vbi de his grassatoribus, cœnipetis, parasitis Deorum & opulentiorum plura. Latinus histrionem & mimum se Phœbi seu Apollinis profitetur, interim tamen ait se Domitiani famulum & aulicum Palatinum. Et lateat forte etiam hic sensus. Ego quidem in scena facio mimicam, sed hanc, quia Domitiano placet; illius enim, non vellem sum famulus, Non tibi, sed Domino ludo A Critone comico Delij dicuntur parasiti Phœbi, seu familiares & amici, quod ex donariis viuerent, quæ in Delij Apollinis templo largissimè offerebantur. plura Bisciola libro. 11. capite. 12. ROMA SVI IOVIS FAMVLVM] Domitiani, quem sæpe Iouem appellat. *Me meus in terris Iupiter ecce tenet.* Quare autem Lauriger? auctor ipse poeseos; & poetæ Laureati; coronabantur enim laurea velut victores. Vnde natum verbum, *multi laureati, pauci Phœbi.* Turnebus secundus lib. 21 cap. 24.

Epitaphium Philænis, seu Philænidis

XXX. XXII.

Sæcula Nestoreæ permensa, Philæni, senecta
Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas.
Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora, maior erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua silet, non illam mille catasta
Vincebant, nec quæ turba Seraphin amat:
Nec matutini cirrata caterua magistri,
Nec quæ Strimonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo?
Quæ sciet hos, illos vendere lena toros?
Sit tibi terra leuis; mollique tegaris arena,
Ne tua non poßint eruere ossa canes.

SÆCVLA NESTOREÆ SENECTÆ PERMENSA] Epitaphium sagæ, lenæ, & lupæ, cui terram tam leuem precatur, vt illius corpus à canibus effossum deuoretur. TAM CITO] ironicè cum aiat trisæclem fuisse. RAPTA] velut adolescentula ante iustum æuum, & exactam ætatem. EVBOICÆ SIBYLLÆ TEMPORA] Eubœa insula Aegæi maris, in qua Chalcis ciuitas. Chalcidici coloniam Cumas (vti & alias multas auctore Libanio Rhetore) deduxere, vnde & ipsæ Cumæ Euboicæ dictæ. Virgil. 6. *Et tandem Euboicis Cumarum allabimur oris.* Ouid. 4. Metam. *Sedibus Euboicam Stygiis emersit in vrbem,* Papinius *Gaudent Euboicæ domum Sibyllæ.* SIBYLLÆ] Cumanæ, de qua Virg. *Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.* Non disputabo hic de numero, patria, nominibus, libris auctoritate Sibyllarum, quando id copiosissimè fecit Ludouicus Viues ad D. Augustini lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 23. & Virgilij interpretes ad Eclogam *Sicelides Musæ.* Onuphrius in libro de Sibyllis etiam vultus & habitum sculptura expressit decem Sibyllarum, quamuis doceat plures. edita proximè sunt oracula Sibyllina (si tamen vera illa & germana sunt priscarum) Parisiis Anno M.D.XCIX. cum notis Opsopæi & Sebast. Castalionis interpretatione. de annis Sibyllæ Cumææ tantum disputabo. cum ab æuo Sibyllæ huius dicta sit parœmia, Sibylla viuacior quanquam adagiographi nullos annos exponant. Ouidius 14. Met. nobis planam rem faciet qui de hac Sibilla, & eius Senecta fusius scribit. Primum enim ait sibi immortalitatem promissam à Phœbo si pudorem vellet abiicere. *Lux æterna mihi carituraque &c:* Deinde fecit illi copiam optandi, quid vellet: petiit. *Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.* illa vt tot annos viueret, quot manu hausisset corpuscula

——arenarum.
——ego pulueris hausti
Ostendens cumulum; quot haberet corpora puluis;
Tot mihi natales contingere vana rogaui.

Indulsit hos illi annos Phœbus, plura indulturus, si & ipsa Phœbo indulsisset, sed illa, Contempto munere Phœbi, inquit,

tamubs

Innuba permaneo, sed iam felicior ætas
Terga dedit, tremuloq; gradu venit ægra senectus,
Quæ patienda diu, non iam mihi sæcula septem
Acta vides, superest, numeros vt pulueris æquem,
Tercentum messes, tercentum musta videre,

Ex quibus illi Chiliadem annorum, id est, mille annos definitum fuisse intelligis. MENSIBVS] Ergo Philænin nongentos annos mensesque nouenos fingit exegisse, ex quo intelligis quam annosam fingat poeta Philænin. HEV QVÆ LINGVA SILET] loquacissimam fuisse docet, dum catastis & ergastulis seruorum vnam illius vocem comparat. Vna, inquit, Philænis tantum garriebat, quantum mille carceres & ergastula seruorum. Catasta proprie locus est, vbi serui compedibus vincti venales exponuntur, lib. 6. ep. 29. nec auaræ verna catastæ. Casaubonus ad 6. Persij de originatione eius & vsu his verbis constat: *Catasta vox Romana, sed Græcæ vel potius Siculæ originis, vt alia non pauca, quæ ab istis ad Romanos corrupta & semibarbara transierunt, reliquis Græcis omnino incognita. Siculorum linguam Græcam multis modis vitiatam fuisse, etiam illi norunt, qui solum Plautum attigere. à verbo* καθίστημι *& inde voce* κατάστασις *facta est vox catasta. ita dixerunt pegma ligneum, in quo suos venales collocabant cum illos vendebant, aut ad venditionem parabant. publice mancipia fuisse in catasta, vendi solita indicat locus Plinij lib. 35. de Chrysogono Syllæ liberto. Talem in catasta videre Chrysogonum Syllæ. Sed erant etiam in ædibus catastæ, vt quas arcanas vocat Martialis epigrammate in Mamurram:*

Inspexit molles pueros, oculisq; comedit:
Non hos quos primæ prostituere casæ:
Sed quos arcanæ seruant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

quo ex loco discimus eximia forma pueros quibus hedera non erat opus, non fuisse in publicum productos: sed domi apud mangones ipsos facile emptores inuenisse. ibi igitur catastam conscendebant, non in foro. etiam illud discimus ligneam fuisse catastam è tabulatis constructam. quare etiam machinas vocabant catastas. Q. Cic. de petitione cōsulatus, loquens de Catilina: quo in magistratu amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit. Cur imponerētur catastæ mancipia docet vetus scholiastes Persij: apud antiquos venales gladiatores in catasta ponebātur, vt in eis possent omnia membra inspici. solebant enim qui seruos emebant, nudare illos, & diligenter essentne omnia membra integra & valida perspicere. Suetonius libro 11. qui matres familias & adultas ætate virgines denudarēt atq; perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente. & lib. 4. illustriores fœminas præter pedes suos transeūtes diligenter ac lente mercatorum more considerabat. Seneca pater Controuersiarum lib. 1. Nuda in littore stetit ad fastidium emptoris, omnes partes corporis & inspecta, & contrectatæ sunt. tangit & filius Seneca epist. 89. neq; hoc solum, sed etiam saltare iubebant, vt ostendunt Menandri locus & Propertij, & aliis modis agilitatis specimen dare. quare Martiali eques de catasta dicitur qui ibi fuerat venditus:

Nec de Cappadocis eques catastis.

vt mirari nemo debeat quod machinam ad torquendum paratam, quæ vulgo equuleus dicebatur, catastam etiam appellarint. in Martyrologiis sæpe legas in catastam martyres fuisse impositos. Prudentius de Romano martyre:

Emitto vocem de catasta celsior.

& sæpius alibi. nec solum pro equuleo vsurpat: sed pro quouis pegmate ligneo cui imponi solent qui variis suppliciis afficiuntur. ita accipe catastas igneas in Peristephanon hymno primo, & similes locos in historiis martyrum. Scimus longe alia de hac voce hactenus prodita esse à magni nominis viris: verum quæ ita fere absurda sunt, vt refutationem non egeant. Sed enim horum error longe tolerabilior illorum obstinata pertinacia, qui catastos nescio quos contra liquidissimam veritatem apud Vitruuium comminiscuntur ... Agunt de eodem Hieron. Mugius in postumo de eculeo, & Gallonius de tormentis martyrum. NEC QVÆ TVRBA SERAPIN AMAT] Nec Isidis sacerdotes tātopere clamant, vt hæc anus. Strabo l. 17 scribit Canopi templum fuisse Serapidis & cultu & religione excellens, ad cuius solennia per fossam ex Alexandria ingens turba descendebāt. Nam die ac nocte plena erat nauiculis virorum & mulierum per omnem leuitatem frementium & saltantium. De Serapide & Iside Plutarchus libellum scripsit, fabulam & sacra cùm Isidis, tum Serapidis lege apud Gyraldum in Syntagmatis 16. hist. Deorum. Plinium lib. 8. aliosque scriptores. Hic ego cum Domitio facio, & non Isidis sacra, nec inuentum Osirin, nec lymphatos puerorum greges intelligendos puto, sed, vt ex Strabone recitaui, Serapidis cultum in fossa &c. Serapidem Plutonem Græci dixere, colebatur vulgo quod à malo genio occupatos curare crederetur. Rhodiginus l. 2. cap. 13. de Iside suo loco referemus. Apuleius in Miles. de Iside & sacris copiose cum interpretibus. CIRRATA CATERVA] in scholis eruditi solita. Pueri cirros alebant, dum eos ponerent, & Phœbo suæ pubertatis annos consecrarent. Cirratos & Persius Satyr. 1. appellat. STRYMONIO DE GREGE] Strymon est fluuius Thraciæ grue frequens, est enim Thracia natale solum gruis, vt Herodotus lib. 2. tradit. Virgil. 1. Georg. *Strymoniaq; grues.* & 11. Aratus, Gruunt autem & mire garriunt, præsertim cum tempestas imminet. Sed nihil attinet hic esse copiosum. adi Gesnerum l. 3. de grue. Videtur poeta comparationem ab Homero mutuatus esse, qui 3. Iliad. componit Troianorum ad pugnam exeuntium clangori gruum contra Pygmæos euolantium. QVÆ NVNC

THESSALICO LVNAM DEDVCERE RHOMBO] quæ ſaga nunc tuo loco, Philænis, excantabit lunam: Rhombus eſt vertigo magica, quam turbinem Horatius in Epodis appellat. Rotam ferream ſeu æream dicunt, cui fila & ſtamina, quibus ſe viros illigare credebant ſagæ torquebant, vt Propertius, Theocritus & Virgil. docent. Vtebantur hoc inſtrumento veneficę, & filis impletum in orbem agebant. Theocritus in Pharmaceutria, χ' ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος. Vt vertitur iſte turbo æneus, &c. Ouid. 1. Am. & 8. egregie Dipſadis magæ artes his verſibus deſcribit.

Eſt quadam, quicunq; volet cognoſcere lenam,
Audiat, eſt quadam nomine Dipſas anus.
Ex re nomen habet. nigri non illa parentem
Memnonis in roſeis ſobria vidit equis.
Illa magas artes Ææaq; carmina nouit,
Inq; caput liquidas arte recuruat aquas.
Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.
Cum voluit, toto glomerantur nubila cælo,
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.

Quibus ſubiungit ſanguine lunam imbui, illam magica pluma rectam volitare per auras, & nocturnas vmbras, euocare manes tumulis, aliaque infanda patrare, quæ ſolent etiam hodie peſtes hominum, & odia Dei, Diuûmque, fœminæ ſagæ. Sic Pindari Scholiaſtes Od. 4. Pyt. λαμβάνουσαι φαρμακίδες τὴν ἴυγγα δεσμεύουσιν ἐν τροχῷ τινὸς, ὃν περιδρομεύουσιν ἅμα ἐπάδουσαι, &c. Horatius Epod. 17.

Candida parce vocibus tandem ſacris
Citumq; retro ſolue ſolue turbinem.

Et noſter Martialis lib. 12. ep. 57.

Dicet quot æra verberent manus vrbis,
Cum ſecta Colcho luna vapulat rhombo,

Propert. lib. 2. *Deficiunt magico torti ſub carmine rhombi.*
Et lib. 3. *Staminea rhombi ducitur ille rota.*

An libet apud Petronium audire ſagam de vi carminis ſui gloriantem?

Quicquid in orbe vides, paret mihi: florida tellus,
Cum volo, ſpiſſatis areſcit languida ſuccis.
Cum volo, fundit opes, ſcopuliq; atq; horrida ſaxa
Niliacas iaculantur aquas, mihi pontus inertes
Submittit fluctus: Zephyriq; tacentia ponunt
Ante meos ſua flagra pedes. mihi flumina parent,
Hyrcanæq; tigres & iuſſi ſtare dracones.
Quid leuiora loquor? Lunæ deſcendit imago
Carminibus deducta meis, trepidusq; furentes
Flectere Phœbus equos reuoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. Taurorum flamma quieſcit
Virgineis extincta ſacris, Phœbeia Circe
Carminibus magicis ſocios mutauit Vlyſſis:
Proteus eſſe ſolet, quicquid libet. his ego callens
Artibus Idæo frutices in gurgite ſiſtam,
Et rurſus fluuios in ſummo vertice ponam.

Et Tibullus his gemina canit lib. 1. eleg. 2. Apollonius lib. 3. Argon, Lucianus Philoſpeude Apuleius Miles 11. Euphormio & alij.

LVNAM DEDVCERE] quod tum credebant fieri, cum obiectis vmbris eam videbant deficere. quod cum fieret, pulſabant æra, quod antidotum habuere contra artes ſagarum. Theocritus τὸ δὲ χάλκεον ὡς τάχος ἄχει, ſimul ac æs ſonat. Seneca in Hyppolyto.

At nos ſollicite lumine turbido
Tractam Theſſalicis carminibus rati
Tinnitus dedimus.

Scoliaſtes Lycophronis, θύουσι δὲ αὐτῇ καὶ κύνας, ὡς φησι Σώφρων ἐν μίμοις, ὁ γὰρ μίαν βοηθεῖν λύειν τὰ φάσματα, ὡς καὶ χαλκὸς προστεθείς.

Horat. Epod. 17. *—— & polo*
Deripere lunam vocibus meis.

Iuuenalis Sat. 6. *—— nemo æra fatiget*
Vna laboranti poterit ſuccurrere lunæ.

Ouid. 7. Met. *Te quoq; luna traho, quamuis Temeſæa labores*
Æra tuos minuant. ——

Et

Et Tibullus eleg. 8. lib. 1. —— *è curru lunam deducere tentat,*
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

THESSALICO] Thessalia (quæ & Æmonia ab Æmone Deucalionis filio dicta) magiis & veneficiis olim insignis fuit, vt Apuleius, Plinius, Ouidius, Propertius, & alij docent. LENATOROS VENDERE] lena conciliatrix amorum, quæ turpi ex re quæstum alieno etiam corpore facit, quales sint, à Plauto disces in cuius plerisque comœdiis lena suas agit partes. SIT TIBI TERRA LEVIS] De hac formula precandi supra lib. 5. in epitaphio Erotij fusissimè diximus. Et lib. 1. de Antullâ. NE TVA NON POSSINT ERVERE OSSA CANES] precationem vertit in diram imprecationem; sit tibi terra tam leuis, vt ossa tua à canibus effossa rodantur. sic dum videtur bene precari, pessimè imprecatur. Idem Ammianus Græcè in Nearchum.

Rupleria.

Εἴη σοι κατὰ γῆς κουφὴ κόνις οἰκτρὲ Νέαρχε
Ὄφρα σε ῥηιδίως ἐξερύσωσι κύνες.

De Antistio Rustico.

XXIII. XXXI.

Cappadocum sæuis Antistius occidit oris
Rusticus. ô tristi crimine terra nocens.
Rettulit ossa sinu chari Nigrina mariti,
Et questa est longas non satis esse vias:
Cumq́; daret sanctam tumulis, quibus inuidet vrnam,
Visa sibi est rapto bis viduata viro.

CAPPADOCVM] Mortem Antistij, lacrymas vxoris describit. An verò sit hic Rusticus, ad quem Plinius Iunior scripsit. an alius, vt puto non ausim confirmare. CAPPADOCVM] De Cappadocum ingenio suprà satis multa sunt relata. Cappadocia est pars Armeniæ. SÆVIS] alludit fortè versum *Vipera Capadocem, &c.* RETTVLIT OSSA SINV] More id fiebat, quo de more plurima Heraldus. LONGAS NON SATIS VIAS] quamuis longissimum sit iter ex Armenia in vrbem, tamen quia cogebatur domi terræ mandare viri reliquias, cupiebat semper in itinere versari, nec vnquam domum redire. QVIBVS INVIDET] quasi se felicioribus, vt qui condant an ores suos, quos ipsa desiderabat. BIS MORI] primò cum vir moreretur, illa exanimis propè vnà est extincta, deinde renouabat dolorem, cùm etiam ossa cogeretur deserere, vt illa apud Petronium Ephesia Matrona. De Nigrinæ amore in maritum plura lib. 4. ep. 75. *O Felix animo, &c.*

* De Vibij voto.

*Ad Cæsarē de ansere.

XXIV. XXXII.

Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis
Vibius, hanc Marti pro duce vouit auem.
Luna quater binos non tota pergerat orbes,
Debita poscebat iam sibi vota Deus.
Ipse suas anser lætus properauit ad aras,
Et cecidit sanctis hostia parua focis.
Octo vides patulo pendere numismata rostro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ litat argento pro te, non sanguine, cæsa
Victima, iam ferro non opus esse docet.

DVM COMES] Vibius Crispus in expeditione Sarmatica comes Domitiani vouit Marti anserem, velut custodem Cæsaris; hunc laudat poëta, & simul auctorem pacis esse Cæsarem ex numismatum symbolo ostendit. Nihil hic poëta de placando Cæsare cogitauit propter dictum Vibij nec constat Domitianum resciuisse. ARCTOIS] Sarmaticis. Sarmatica enim sub arcto, quod suprà iam dictum sæpius, vti & de pugna ex Suetonio & aliis. VIBIVS] hic est ille Vibius Crispus, qui rogantibus, quis esset cum Cæsare, respondit, *ne musca quidem.* Tranquillus cap. 3. Est eiusdem apud Iuuenalem mentio Sat. 4.

Ad laudem anseris est epigrammata. Anserum, quia anser seruauit Capitolium.

——*venit & Crispi iucunda senectus.*
Cuius erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Causidicum fuisse omnes docent. Quintil. lib. 10. vbi virtutes huius enumerat Tacitus libro 2. & 4. vt delatorem notat. Xiphilinus eiusdem iocum refert de Vitellij conuiuiis. HANC AVEM] anserem Romani imperij custodem vti libro 13. ex variis scriptoribus ostensum. MARTI] vt seruaret Domitianum in bello Sarmatico, quod spacio octo mensium confecit. QVATER BINOS ORBES] octo menses. DEVS] Mars, parta ex Sarmatis laurea redeunte Cæsare. PROPERAVIT] faustum omen; nam renitens aut euadens hostia, infausti euentus omen erat. ET CECIDIT HOSTIA] solenne verbum in sacris. Brissonius multa lib. 1. Form. pag. 17. OCTO VIDES] quibus octo menses in bello patrando consumptos puto significari. Erat autem eiusdem anseris effigies argentea ad basim Martis posita, rostro nummos octo porrigens. ALITIS HÆC EXTIS CONDITA NVPER ERANT] singulari prodigio, quo tempus belli continebatur: Capiebantur auspicia ex victimarum extis potissimum, vt Græci latinique auctores prodidere. QVÆ LITAT ARGENTO PRO TE, NON SANGVINE CÆSA VICTIMA, IAM FERRO NON OPVS ESSE DOCET] Videtur insinuare argenteam ætatem rediisse temporibus Domitiani, illa porrò tempestate pax opima terras occupabat, nec vlla adhuc bella foris gerebantur, vt Hesiodus & Ouidius canunt. Sensus est. Iam non ferro, id est, cæde & sanguine opus esse portendit victima, quæ pro sanguine argentum fundit. Poterat obliquè poëta insinuasse pacem non sanguine & bello iusto, sed auro redemptam à barbaris, quod antea libro 5. ex Dionis fragmento factum ostendimus. Et hoc fortè portendebat victima. Sed hic intellectus carminis, & Vibio, & Martiali mortem attulisset, si tyrannus fuisset assecutus. Itaque non videtur hoc voluisse poëta, vel ausus etiam fuisse notare.

Argentum sæpe veteres Diis litarūt. quod Herodotus confirmat.

* In laudem Domitiani.

XXXV. XXV.

** Ad Cæsarē de ansere.*

Iupiter Idæi risit mendacia busti,
*Dum videt Augusti Flauia templa * poli.*
Atque inter mensas largo iam nectare fusus
Pocula dum Marti traderet ipse suo.
Respiciens Phœbum pariter Phœbiq; sororem,
Cum quibus Alcides, & pius Arcas erat:
Gnosia vos, inquit, nobis monumenta dedistis;
Cernite, quam plus sit, Cæsaris esse patrem.

** tholi.*

Laudat templum Flauiæ gentis. IDÆI BVSTI] Cretensis sepulchri, vbi mortuus fertur Iupiter. Callim. in hymnis.

De sepulchro Iouis in Creta Scholiastes Callimachi. Ἐν Κρήτῃ ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ Μίνωος ἐπιγέγραπτο. ΜΙΝΩΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑΦΟΣ, &c. Et quæ sequuntur.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο. σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.
Cretes mendaces semper rex alme sepulchrum
Erexere tuum: tu viuis semper & vsque es.

Lucianus. Οἱ Κρῆτες οὐ γενέσθαι παρ' αὐτοῖς οὐδὲ ταφῆναι μόνον τὸν Δία λέγουσιν, ἀλλὰ καὶ τάφον αὐτοῦ δεικνύουσι. Lactantius libro 1. de falsa religione. *Ennius in sacra historia descriptis omnibus, quæ in vita sua gessit, ad vltimum sic ait. Deinde Iupiter postquam terram quinquies circuiuit, omnibus amicis & cognatis suis imperium diuisit: reliquitque hominibus leges, mores frumentaque parauit, multaque alia bona fecit, immortali gloria, memoriaque affectus, sempiterna monimenta suis reliquit, ætate pessumata in Creta vitam commutauit, & ad Deos abiit. huncque Curetes filij sui curauerunt, decorauerunt que eum. Et sepulchrum eius est in Creta, in oppido Gnoso: & dicitur Vesta hanc vrbem creauisse. In quo sepulchro eius scriptum est antiquis literis Græcis,* ὁ Ζεὺς τοῦ Κρόνου, *id est, Iupiter Saturni. Hoc certè non poëtæ tradunt, sed antiquarum rerum scriptores: quæ adeo vera sunt, vt Sibyllinis versibus confirmentur, qui sunt tales.*

Δαίμοσιν ἀψύχοις νεκύων εἴδωλα καμόντων
Ὧν Κρήτη καύχημα τάφους ὁ δύστηνος ἴσχει.

Et Cicero de Natura Deorum. Cùm tres Ioues à Theologis enumerari diceret, ait tertium fuisse Cretensem Saturni filium: cuius in insula illa sepulchrum ostenditur. Hæc Lactantius. DVM VIDET] ita supra. *Additâ quod Latio Flauia templa polo.* Augusti poli, dum videt mirabundus cœlum, aut cœlo æmulum templum Flauiæ gentis; dum videt polum, quem condidit Domitianus patri. malim tamen cum Schotto tholi, qui summa pars templi. POCVLA DVM MARTI] inter conuiuium deorum, iam probè appotus, cùm posceret Martem poculo, eique hauriendum nectar porrigeret. ALCIDES]

Hercu-

Hercules. ARCAS] Mercurius in Cyllene (vnde Cyleniusdicitur) monte Arcadiæ natus. Virgilius.

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum culmine fudit,

PIVS ARCAS] Mercurius enim prior deorum immortalium cultus & sacra instituit, homines que ad humaniorem vitam reuocauit. Horat. lib. 1. Carm.

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decoræ,
more palestræ &c.

GNOSIA VOS, INQVIT] Tumulum mihi vos in Creta condidistis mortuo, sed non augustum & magnificum. CERNITE QVAM PLVS SIT] En quale & quam splendidum ac diuinum opus condiderit patri suo Vespasiano Domitianus: vtinam Cæsaris potius quam vester, ô Dij, genitor fuissem. adulatio non occulta.

In Philomusum.

XXVI. XXXVI.

Artibus his semper cœnam, Philomuse, mereris,
Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.
Scis, quid in Arsacia Pacorus deliberet aula,
Rhenanam numeras Sarmaticamq; manum.
Verba ducis Daci Cattis mandata resignas,*
Victricem laurum, quàm venit, ante vides.
Scis, quoties Phario madeat Ioue fusca Syene:
Scis: quota de Libyco littore puppis eat.
Cuius Iulææ capiti nascantur oliuæ,
Destinet æthereus cui sua serta pater.
Tolle tuas artes, hodie cœnabis apud me;
Hac lege, vt narres nil, Philomuse, noui.

*tiam.

ARTIBVS] Cœnipetas describit, quibus artibus soleant aucupari cœnas. FINGIS semper aliquid noui, seu veri narras, seu falsi, quorum hodie magna copia, qui lambunt aulas Principum. SCIS QVID IN ARSACIA] quod vt in se dixerat more suo, speciatim per partes exponit. Adscribam geminum huic ex Plauti Trinummo locum, vbi exagitat eos, qui sciunt, quæ nesciunt, vt occlusiorem habeant stultiloquentiam.

Nihil, inquit, est profecto stultius, neque stolidius
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius.
Quam vrbani assidui ciues, quos scurras vocant, &c.
Et mox:
Qui omnia se simulant scire, nec quidquam sciunt.
Idq; quod in aurem rex regina dixerit,
Sciunt. quod Iuno fabulata est cum Ioue.
Quæ neque futura, neq; facta sunt tamen ea sciunt,
Falson' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubeat, sciant.

ARSACIA] Pro Parthia hoc loco accipe alias Arsacia Mediæ oppidum est à Nicanore conditum, Straboni ῥάγεια Stephano Raga, dictum. Parthi Arsaciam nominant. Ptolemæus ait Arsacein omnia tria oppida contineri, vt docet Hermolaus. Dicta autem est Arsacia ab Arsace, rege Parthorum, de quo pluria Lambertus Hortensius ad illum Lucani versum lib. 1.

Plus illa vobis acie, quam creditis actum est,
Arsacidæ ——

Arsacidæ ergo Parthi, quia reges Parthiæ sequentes plerique Arsaces dicti, vt Mithridates Ponti, Darij. vel Xerxes, Persæ, &c. Tigranes Armeni. PACORVS] Parthorum Rex. Tacitus histor. lib. 5. *Rex Parthorum Pacorus ludaa potitus interfectis que*, &c. Hic Pacorus pro quouis rege Parthiæ est

positus

positus. De eodem Pacoro Iosephus de bello Iudaico multa. & Plutarchus in Antonio. Vidi apud ampliss. V.M. Velserum, quem iure antiquitatis thesaurū dicas, numum, qui Arsacis os præfert cum hac ab altera facie, inscriptione circum oram ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. sed numum inspice.



RHENANAM NVMERAS] In Cattos enim & Sarmatas bellum mouit Domitianus, numeras. recenses copias Germanicas, & Sarmaticas, nosti, quot sint in vtriusque gentis exercitu capita. RHENANAM] Miror esse qui Persij Sat. 6. versum illum:

——ingentesq; locat Cæsonia Rhenos.

Rhenos exponant Rhenanos, vt si Danubio dicat Germanos, Rhodanos, Gallos. Rhenos ergo intellige tres Rheni alueos à Cæsonia locatos artificibus vt ficti & effigiati in triumpho more veterum portarentur. VERBA DVCIS DACI] legerim cum MSS. Pal. & Guilielmo chartis mandata, sequitur enim, resignas, necesse imperfecta, ad quemcunque enim missa sint, siue ad Cattos, siue alios tu velut à secretis omnibus regibus & ducibus aperis. Sic legendum manuscripti libri, & res ipsa docet. Tu adeo impudenter garrulus es, Philomuse, vanusque, vt principum toto orbe distantium arcana litteris commissa nosse videri cupias. Cattos quamquam hostes Romanorum, tamen non memini societatem coisse cum Dacis. VICTRICEM LAVRVM] à Sarmatis laurum esse reportatam vides, antequam videas. MADEAT IOVE FVSCA SYENE] vbi aut nulla aut rarissima pluuia. Curtius lib. 4. Alexandri per Ægyptum interiorem profectionem describens & alij. Syene autem insulæ & oppidi nomen est, Strabone auctore. de oppido Plinius libro 2. capite 73. *Simili modo tradunt in Syene oppido, quod est supra Alexandriam quinq; millia stadiorum, solstitij die medio nullam vmbram iaci, puteumq; eius rei experimenti gratia factum totum illuminari. Ex quo apparet solem illi loco supra verticem esse, quod etiam in Italia supra flumen Hypasim fieri eodem tempore Onesicratus scribit.* Lucanus de eadem re.

——calida medius mihi cognitus axis
Ægypto atq; vmbras nusquam flectente Syene.

De feruore cœli huius etiam alibi Lucanus. *nam quis cancro feruente Syenem Ibit.* PHARIO] à Pharo insula Ægypti. Pharius Iupiter, Ægyptius. FVSCA] colorantur ibi sole homines: Syene enim adsita Æthiopiæ. DE LIBYCO LITTORE PVPPIS EAT] Ex Africa. Nosti, quot sint naues in classe Carthaginensi, cum soluerint Carthagine, quotiesque soluant. Varro & Plinius libro 7. capite 21. ex Varrone refert Strabonem quendam solitum bello Punico, à Lilybæo Siciliæ promontorio exeuntem classem Carthaginis portu, etiam numerum nauium dicere: idem Solinus. CVIVS IVLÆÆ CAPITI] Nosti, qui coronandi sint à Cæsare in quinquatriis Albanis oleagina corona auro facta. qua de corona supra lege epig. 22. ad illum versum. *O cui virgineo flauescere contigit auro.* IVLÆÆ] Cæsareæ à Iulio. qui à Iulo, Iulææ. DESTINET ÆTHERIVS] Refero huc certamina capitolina, de quibus alibi dictum. ÆTHERIVS PATER] Iupiter Capitolinus. Suet. cap. 4. *Instituit & quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex musicum, equestre, gymnicum, & aliquanto pluribus, quam nunc est, coronarum.* TOLLE TVAS ARTES] aliorum cœnas garriendo captas, meam captabis tacendo.

Dictū alibi de pluuia.

Ad Agathinum.

XXXIX. XXVII.

Summa licet velox, Agathine, pericula ludas,
Non tamen efficies, vt tibi parma cadat.
Nolentem sequitur, tenuesq; reuersa per auras,
*Vel pede, vel tergo, * clune, vel vngue sedet.*
Lubrica Corycio quamuis sint pulpita nimbo,
Et rapiant celeres vela negata Noti,
Securos pueri neglecta perambulat artus,
Et nocet artifici ventus, & vnda nihil.

*crine, placet, plurimū ad hyperbolam facit.

Vt peccare velis, cùm feceris omnia, falli
Non potes: arte opus est, vt tibi parma cadat.

SVMMA LICET] ex Pila iis ac ventilatoribus optimum dicit Agathinum, qui parmam in altum iaciebat recipiebatque, sic, vt numquam falleretur. Agathinum, vt Lipsius Saturnalibus ex variis scriptoribus fidem facit, tam certum ait, vt non tam arte indigeat, ne erret, quàm vt erret, id est, difficilius illi esse errare, quàm non errare. De his Quintilianus lib. 10. cap. 7. *Quo constant miracula illa in scenis pilariorum ac ventilatorum, vt ea, quæ miserint, vltro venire in manu credas, & qua iubent decurrere.* PERICVLA LVDAS] ludo periculum, idem, quod ludo cum periculo, & fortè sit argutior sensus, si dicas Agathinum ludere pericula, contemnere, & perinde ludere parma, ac si nullum esset casus periculum. Alioqui nunquam periculum sine periculo vincitur. Gladiatores parmas, aut clypeos in altum iaciebant, recipiebantque cum venustate, quin & hastas, fortasse & gladios. Id propriè vocabant ventilare. Seneca pater lib. 3. contr. Aliud est ventilare, aliud pugnare, Seneca filius. ep. 118. *Quàm stultum est, cùm signum pugnæ acceperis, ventilare?* Lipsius 2. Sat. cap. 19. NON TAMEN EFFICIES] quamuis ita ludas, vt ipsum ludum ludere videaris, & negligere, tamen numquam potes errare, vt in terram cadat iactata parma siue clypeus. est enim genus clypei minuti, vt alibi dictum, fusiùs lib. 14. exponetur. eius formam habes apud Lipsium lib. 2. Sat. cap. 9. SEDET] hæret parmula. LVBRICA CORYCIO] Etsi croco aut crocea adorataque vnda siue sparsionibus omnia madeant in theatro, & ipsa parmula aspergatur lubricaque reddatur, tamen in Agathini corpore, quamcunque partem attingit, hæret. Porrò sparsiones theatricas & amphitheatricas copiosiùs libro spectaculorum, & aliis locis declaratas leges. CORYCIO] Corycus est portus, oppidum, & antrum eodem nomine in Cilicia, & si verus Plinius, copia croci in eadem regione Martial. lib. 5. & 2. Ep. 2.

Lucanus.
Et Cilices nimbis hic maduere suis.
Vtq; solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci, sic omnia membra
Emisere simul rutilum pro sanguine virus.

Et Ouidius.
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

PVLPITA] in theatro erant pulpita, in quibus recitabantur carmina poëtarum, & orationes, vt alibi dictum. Fuit in proscenio pulpitum altius orchestra, è quo tibicines & cytharœdi musica actione populum detinebant Græcis θυμέλη dictum. & λογεῖον in quo saltabat chorus tragœdorum. Multa super hoc Bulengerus de Theatro cap. 21. ET RAPIANT CELERES] Quamuis magna vis ventorum vela hinc inde rapiat, aperiantque theatrum velis vndequaque tectum, tamen non sic abripit parmulam, vt non incidat & insideat vel tergo, vel manibus pedibusúe Agathini. Vt autem fuerint extensa, his verbis describit lib. Amphit. Lipsius. *Foramina in lapidibus summis ad illigandos velorum funes fuisse, per qua foramina coniicimus,* inquit, *traiici, & in altum dirigi antennas solidas, velorum funes sustinentes. At ipsæ antennæ siue mali per foramina ea immissa & demissa mutulis quibusdam excipiebantur, firmitatis caussa. Ad antennas autem subrectas funes transuersim ligati, & extensi super quos deducta vela.* Mox varia scriptorum testimonia subiicit ibidem. Inuentor velorum Plinio & Valerio Maximo testibus fuit Q. Catulus, cùm capitolium dicaret. Carbasina vela primus Lentulus Spinter in theatro ludis Apollinaribus adhibuit. Mox, *Cæsar*, D. inquit Plinius, *totum forum intexit, &c.* Fuere variis coloribus, vt præter alios Lucretius ait:

Et vulgo faciunt id lutea russaq; vela,
Et ferruginea, &c.

Nemo purpurea stellis aureis distincta suspendit, auctor Dio. Vento autem vehementiore velis vti non poterant, sed eorum loco vel pileis vel vmbraculis tegebantur. Eadem vela poterant contrahi & explicari. testimonia lege apud Lipsium lib. de Amphit. cap. 17. SECVROS FVERINT] In theatro ludentis. Agathinus puer, non gladiator. NEGLECTA] parma non cum cura excepta. VENTVS ET VNDA] quamuis parmam in aëre lubricam sparsionibus & agitatam turbine in diuersas rapiant partes, ille tamen ita feliciter excipit, ac si summa cœlo tranquillitas foret. VT PECCARE] Epiphonema ab incredibili, qui hyperbolicùs extollit artem Agathini. Cùm aliàs arte opus sit, ne erretur, hic artem adhibet, cùm vult errare, alioqui non potest. Ita quod aliis ars, huic natura est. Agilium genituram in lepore describit Manilius lib. 5.

Eustathio) & Smynthio Apolline affirmat Domitius, durius mihi videtur, cum prima naturæ tendatur, & poeta noster sit admodum religiosus poeticarum legum custos. Quod vero ad campos attinet, didicimus ex Pausania in Atticis, propter templum Apollinis Grynæi fuisse nemus & campos. Pausaniæ verba sunt. Θύογενας δὲ λευκὴ ἰδοῖεν τ' ἄλλοις ἱεροῖς ἀνακειμένοις, καὶ ἐν Γρυνείῳ (sic vocem subiicit hanc Pausanias) ἔνθα Ἀπόλλωνος κάλλιστον ἄλσος δένδρων, καὶ ἡμέρων καὶ ὅσα τῶν οὐκ ἔστιν ὀσμὴν παρέχεται ἢ θέας ἡδονήν. Grynæum Apollinem celebrant Latini quoque vates, quos hic prætermitto. Turnebus legit Semurinus à Semurio campo vrbi vicino: sed cum nullum ibi reperiatur templum Apollinis, & poeta Apollinem laudet à celeberrimis oraculis, non possum in Turnebi sententiam descendere. An legendum *marinis* à mari & littore Actiaco vbi Antonium vicit Augustus Apollinis ope Augusto præsentis? de quo Virgil.

Vide Alciatum par. 5. c. 12. Turneb. lib. 15. c. 15.

Actius hoc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus & Indi
Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.

Ad quos versus hæc Turnebus de templo Apollinis Actij: *Significatur*, inquit, *Apollo ille*, qui in Leucadio littore colebatur, atque ita vt littoralis vocabatur, & ludis triennalibus, & gymnicis, & circensibus natalibusque celebrabatur. Nam Apollini grata esse littora ostendit Homerus in eius hymno scribens: Ἀκταί τ' εἰς ἅλα κεκλιμέναι, λιμένες τε θαλάσσης. Vbi plura Turnebus ex Apollonio, & Higino de templo Apollinis Actiaco ab Argonautis condito.

Lib. 22. c. 9.

SENIBVS FRVARE CYGNIS] Cygnum Phœbo sacrum Plato his verbis testatur. οἱ δ' ἅτε οἶμαι τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες, μαντικοί τέ εἰσι καὶ προειδότες τὰ ἐν ᾅδου ἀγαθὰ ᾄδουσι καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως ἢ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ. Quod Cicer. in Tusc. prima pœne verbatim expressit. *Itaque commemorat, vt cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo diuinationem habere videantur, qui prouidentes, quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur.* Idem alibi Plato, sed vnius vnum sufficit testimonium. Alciatus emblem. 183.

Hic Phœbo sacer, & nostræ regionis alumnus
Rex olim, veteres sumit adhuc titulos.

Et Octauius Cleophilus.

Hanc volucrem Phœbo fertur sacrasse vetustas,
Quod referat cantus, Delphice magne tuos.

Hinc quia vatum Deus Apollo, ipsi vates cygni dicuntur. Virg.

Cantantes sublime ferunt ad sidera cygni.

Theocrito μουσῶν ὄρνιθες. & Horatius Pindarum Dircæum cygnum appellauit. SENIBVS] ante mortem enim canere feruntur. Mart. 13.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Super quâ re plura libro 13. DOCTÆ SIC TIBI SERVIANT SORORES] Domitius sorores Prænestinas putat intelligendas, quarum nos alibi oracula exposuimus. Ego nihil video, cur non ad nouensilenses Deas, seu Musas, quarum præses Apollo, possint referri. cum sæpe dicantur sorores lib. 2. ep. 24. *Quid mihi vobiscum est, ô Phœbe nouemque sorores.* lib. 4. ep. 14. *Sili Castalidum decus sororum*. & alijs locis. NEC DELPHIS MENTIATVR VNQVAM] Delphis Pythia sacerdos Apollinis, Phœbas hæc primitus virgo erat, postea anus habitu puellari, notissimum est oraculum Delphicū, & omnium scriptis celebratum, præ cæteris veridicum, vt etiam de Christo seruatore sit vaticinatum. Delphis autem dicitur, Phœbas illa, à Delphico oraculo. Apollo Delphicus apud Delphos edidit oracula. Legatur Apollodorus lib. 1. & Mythologi. Oracula Delphica extant hodie coniuncta cum Sibyllinis in editione Lutetiana Opsopæi inter quæ & datum Augusto de Christo. PALATIA] Cæsares in palatiis habitantes. ME ROGANTE] fiat Stella consul. libro 12. epigram. 3. scribit hunc Stellam consulem fuisse. BIS SENOS] consulatum. metonymia. DEBITOR VOTI] reus voti, si impetraro. RVSTICAS AD ARAS] in villa & prædio meo suburbano CORNIBVS AVREIS] Hic ritus fuit * maiorum victimarum, vt cornibus aureis procederent. Iuuenalis Sat. 6.

* Plin. l. 33. cap. 3.

—— & auratam Iunoni cæde iuuencam.

Et Virgil. lib. 9. *Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum*, ad quem locum plura Donatus, Seruius & alij Virgilij interpretes. Idem firmant testimonia Plinij lib. 33. cap. 3. Macrobij lib. 3. Sat. cap. 5. Athenæi lib. 9. IVVENCVM] primo sacer taurus fuit Apollini. Virg. 6. *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.* Deinde mutata consuetudo, & bos seu iuuencus immolatus. Pausanias in Bœoticis. Fuerunt & aliæ Apollinis victimæ, quas hic prætereo. NATA EST] mihi in agro suburbano. MORARIS] conferre consulatum Stellæ.

De statua Herculis.

XLIV. XXX.

Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone
Mitigat exiguo magnus in ære Deus,
Quæq; tulit, spectat resupino sidera vultu,
Cuius læua calet robore, dextra mero.
*Non est * fama recens, nec nostri gloria cæli:*
Nobile Lysippi munus opusq; vides,
Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
Qui cito perdomito victor in orbe iacet.
Hunc puer ad Libycas iurauerat Hannibal aras:
Iusserat hic Syllam ponere regna trucem.
Offensus varia tumidis terroribus aulæ,
Priuatos gaudet nunc habitare Lares.
Vtq; fuit quondam placidi conuiua Molorchi,
Sic voluit docti Vindicis esse Deus.

* forma le- gis Vindic.

HIC QVI DVRA SEDENS] Elegans & plenum eruditionis epigramma. de Hercule Vindicis epitrapezio, hoc est, Deo conuiuiali. Hoc enim te scire volo, vt epigrammatis intima sensa penetres, morem fuisse priscis hominibus (quod Arnobius, Papinius, Martialis, aliique docent) statuas & simulachra deorum in mensa collocandi, velut tutelam geniumque mensæ. sic enim Papinius de hoc Hercule epitrapezio:

——casta genius tutelaq; mensæ, Et,
——Pellæus habebat
Regnator lætum numen venerabile mensis.

Et noster Martialis. *Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni.*

Hanc ergo statuam mensæ illatam, vt Papinius, ita & Martialis laudat & describit. HIC QVI DVRA SEDENS PORRECTO SAXA LEONE MITIGAT DEVS] Hic Deus Hercules, quem statua refert, leonis pelli saxo instratæ & extensæ mollis insidet. PORRECTO LEONE] synecdochicôs totum pro parte. porrecta pelle mitigat saxum. durius enim est nudum insidere. de eiusdem exuuiis Papinius.

Sustinet occultum Nemeæo tegmine saxum.

MAGNVS DEVS] ærea illa statua parua erat, ferme pedalis, Statius.

——paruusq; videri
Sentiriq; ingens, & cum mirabilis intra
Stet mensura pedem.

Et infra:

Quis modus in dextra quanta experientia docti
Artificis curis pariter gestamina mensæ
Fingere, & ingentes animo versare colossos

Tamen artificio ita expressus, vt omnia lineamenta maximi Herculis haberet. magnitudinem refert ad molem corporis maiorem humanâ. Et ingentia Dei facta. QVÆQVE TVLIT SPECTAT] Quæ sidera seu cœlum olim ab Atlante sibi impositum tulit, illud reiecto in tergum capite resupino vultu, qui habitus est sublimia spectantium, suscipit. Fabula extat apud Mythologos. Sic ære formatus erat Hercules, vt oculis cœlum spectaret, quod fieri non potest, nisi vertice in tergum vergente. CVIVS LÆVA CALET ROBORE] clauam sinistra, dextra poculum gestabat. Papinius.

tenet hæc (dextra) marcentia fratris, Bacchi,
Pocula, adhuc sæua meminit manus altera clauæ.

Clauam etiam Statius robur appellat:

—— hæc exitiale ferebat
Robur, & Argoos frangebant brachia remos.

Non

NON EST F. R. N. N. G. C.] Est archetipum opus, non hodie factum. Forma an fama legam? si fama: intelligas operis antiqui celebritatem. Si forma, quadrat omnino etiam ad carmen. Non est opus hodie fusum, nec ab hodierno artifice factum sed Lysippi, &c. prætulerim tamen fama cui optime respondet gloria. CŒLI] cælatorum instrumentum & statuariorum, quo scalpunt & sculpunt materiam. NOBILE LYSIPPI MVNVS] Videntur vtrique poetæ, Papinio & Martiali videtur lemma carminis dictitasse, ita respondent versus versibus, vt etiam hoc loco Papinius.

certe tu muneris auctor
Non aliis malles oculis Lysippe probari.

Et supra:

——Deus ille, Deus seseq; videndum
Indulsit Lysippe tibi.

Lysippus statuarius temporibus Alexandri Magni fuit, illudque Alexandro dedicauit. Cic. lib. 5. epistolarum, Plinius, alij. munus dicitur, quod heroes ab heroibus illud velut dono acceperint. HOC HABVIT NVMEN] hunc Herculem, vel hanc Herculis statuam ad mensam Alexander adhibuit. Statius:

——Pellæus habebat
Regnator lætis numen venerabile mensis.

Pellæus autem dicitur Alexander, quod pater Alexandri Philippus è Pelle oppido, quemadmodum Demosthenes scribit, fuerit oriundus. Iuuenalis eodem epitheto hunc afficit.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

TYRANNI] regis. vox τύραννος olim etiam in bonam partem capiebatur. Virg.

——dextram tetigisse tyranni.

QVI CITO PERDOMITO] Intra duodecim annos totam Asiam & Indiam victor peragrauit, & Babylone veneno extinctus est. Hercule autem, vt Curtius, & Plutarchus, aliique tradunt, se prosatum iactabat. HVNC ANNIBAL IVRAVERAT] hunc Herculem Libycas ad aras. PVER] nouem annorum, vt Liuius lib. 21. & Probus in vita Annibalis Polyb. lib. 2. & 3. scriptum reliquere. Florus tantum vocat puerum, Auctor de viris illustribus vndecim annorum fuisse contendit, quamquam ibi Magius existimet mendum inesse libro. Iurauerat autem puer Annibal se, cum primum posset, Romanos terra marique bello persecuturum. Et iurauerat, vt Silius ait, Martem non Herculem. poeta noster hoc poetice dixit, quo dicendi modo significabat Annibalem postea hanc Herculis statuam possedisse, vti & Papinius.

Mox Nasamoniaco decus admirabile regi
Possessum, fortiq; Deo libauit honores
Semper atrox dextrâ, periuroq; ense superbus
Annibal.

IVSSERAT HIC SYLLAM] hunc eundem possedit sequenti tempestate Sylla dictator: qui tamen dictaturam posuit. poeta fingit Syllam iussum ab Hercule deponere imperium dictaturæ: trucem vocat ob crudelitatem, quam in victos ciues & marianas partes exercuit, de qua sic alius poeta:

Excessit medicina modum, nimiumq; secuta est,
Qua morbi duxere manum.

Lucan. l. 2. Lege D. August. de ciuit. Dei l. 3. cap. 27. & 28.

Et Cicero, *quos potuit, occidit, quos non potuit eiecit.* Nam recuperata Republica pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum vnquam fuit, inquinauit, de qua Plutarchus, Appianus, Velleius, Epitome, pluresque alij. Quod Herculem Sulla postea acceperit, canit & Papinius.

Nec post Sidonij lethum ducis ære petita
Egregio plebeia domus contingat Sylla
Ornabat semper claros intrare penates
Adsuetum & felix dominorum stemmate signum.

Et inferius:

Nec te regnator Macedum, nec barbarus vnquam
Annibal, aut saui posset vox horrida Sylla
His celebrare modis.

REGNA] dictaturam, qua prius per summam crudelitatem abusus est, nec tam regiam, quá tyrannicam potestatem exercuit. OFFENSVS TERRORIBVS AVLÆ] Hercules hactenus in regum & principum mensis versatus cœpit tyrannidem, & fastum aulicum auersari, voluitque in priuatis mensis coli. Sic & Papinius.

Hic igitur tibi læta quies fortissime Diuûm
Alcide: nec bella vides, pugnasq; feroces, &c.

CONVIVA MOLORCHI] Molorchus pastor Nemees, cuius indicio Hercules ab eo hospi-

 tio

tio exceptam feram Nemeæam interfecit, memini dixisse plura libro 4. epigrammate 64. ad illum versum.

Aut facti modo diuitis Molorchi.

Papinius eundem sæpius commendat. In hoc primum Hercule Vindicis:

Sed qualem parci domus admirata Molorchi.

Et lib. 3. Sil. in Hercule Surrentino.

Non te Lerna nocens, nec pauperis arua Molorchi.

DOCTI VINDICIS] etiam Papinius celebrat chelin, & vittas, & lauros Vindicis. An hic Vindex è statu Iulij Vindicis proprætoris à Virginio Rufo in Galliis victi? Illius meminit Plutarchus, Tacitus, Plinius iunior, Suetonius in Nerone, Dionis epit. Nulla significatio apud Papinium vel Martialem.

De eadem statua.

XLV. XXXI.

Alciden modo Vindicis rogabam,
Esset cuius opus, laborq; fælix,
Risit: nam solet hoc: leuiq; nutu,
Græce nunquid, ait, poeta nescis?
Inscripta est basis, indicatq; nomen.
Λυσίππου, *lego, Phidiæ putaui.*

ALCIDEN MODO] elegantiam & artem eiusdem statuæ laudat artifex poeta. ALCIDEN] optimus eruditionis auctor Lipsius putat legendum Alcides in recto, vt sit hic ordo verborum & sententia: rogabam, cuius opus & labor Alcides iste Vindicis esset, seu statua Herculis? sed retineo constantem omnium librorum scripturam. Quanquam idem sensus esse potest, quem vult noster Lipsius, siue legas Alcides siue Alciden. Itaque expono, Interrogabam ego Alciden Herculem qui modo est Vindicis in ære statua, à quo esset artifice factus? risit, inquit, Deus, & vt hoc de Deo credibile videretur, ait, Herculem id solere, nam facies statuæ non erat torua, sed hilaris & epulis apta, ad quam poeta potuit respexisse. placidam autem fuisse, & serenam frontem statuæ Papinius testatur.

Non torua effigies, epulisq; aliena remissis.

Et mox.

Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens
Hortetur mentes——

Immo infantis læti vultum habuisse testatur. Si legas Alcides, erit hæc mens: Alcides (vt in quinto casu appellet Herculem) modo Vindicem (sic enim alia refert scriptura, non indicem) interrogaui quis esset auctor tuæ statuæ? risit Vindex, vt solet, & Græce inquit nescis? lege inscriptam basim statuæ & leges Λυσίππου & auditur ἔργον. ALCIDEN] Alcides dictus est ab Alcæo auo suo, patre Amphitrionis. Λυσίππου LEGO PHIDIÆ PVTAVI] In basi statuæ, id est, infima parte, cui statua insistit, quæ erat forma saxi in hac effigie. lege ergo nomen græcis litteris expressum Λυσίππου intellige opus. Basis autem statuis subiicebatur, cui artificis, aut locatoris nomen caussaque inscribebatur. Cic. in Verrem Plinius ep. 7. lib. 3. PHIDIÆ] putabam, inquit poeta, Phidiam statuarium principem & nobiliorem Lysippo esse auctorem, tam egregie factum erat opus.

Ad Marcellinum.

XLVI. XXXI.

Miles Hyperboreos modo, Marcelline, Triones,
Et Getici * *tuleris sidera pigra poli.*
Ecce Promethea rupes, & fabula montis,
Quam propé sunt oculis nunc adeunda tuis.
Videris immensis cum conclamata querelis
Saxa senis, dices, durior * *ille fuit.*

* *toleras.*

Pal. * *ipse modus.*

Et

Et licet hoc addas; potuit qui talia ferre,
Humanum meritò finxerat ille genus.

MILES HYPERBOREOS] ad Sarmatas & Scythas iturum Marcellinum filium admonet fabulæ Prometheæ. de hoc Marcellino lib. 3. ep. 6. lib. 6. ep. 25. multa leges. TRIONES] quasi teriones boues, auctore Gellio. Septemtrionem describit. Scythia sub polo & plaustro sita. ET GETICE T. S. P. P.] visas & Booten tarde mouentes. GETICI] Scythiæ. ECCE PROMETHEÆ] Prometheus ob ignem Ioui ferula subductum, hominemque formatum affixus Caucaso præbuit aliti iecur identidem recrescens laniandum. Fabula est apud Aeschylum, qui de vno hoc Prometheo tria scripsit dramata, quibus hæc nomina. *Προμηθεὺς δεσμώτης, Προμηθεὺς πυρφόρος, Προμηθεὺς λυόμενος*. Prometheus vinctus, Prometheus ignifur, Prometheus solutus. nobis tantum vinctus est traditus, cæteri fugêre. copiosi sunt in hoc Prometheo Mythologi, & poëtæ plerique omnes. Lucianus item; Historici etiam, Pausanias variis locis. Strabo lib. 15. & 11. Herodorus de vinculis Promethei. Diodorus Siculus 1. & 5. lib. Philostratus lib. 7. in vita Apollonij, & alij. QVAM PROPE SVNT] Caucasi vertices describit Strabo l. 11. cuius est principium. *Caucasus vtriq; suppositus mari Euxino & Caspio, &c.* VIDERIS IMMENSIS] cum rupes Caucaseas aspexeris lachrymas Promethei conscias, & clamoribus attonitas. CONCLAMATA] lege Aeschylum & epigramma lib. 4. Anthol. *εἰς εἰκόνας ἀρχαίων τινῶν*. Imo lege orationem Aeschyli, qua Prometheus cœlum & terras, & omnia testatur elementa se indigna perpeti à Ioue. *ὦ δῖος αἰθὴρ, &c.* DVRIOR ILLE FVIT] saxis durior Prometheus, qui talia ferre potuit, tam incredibilia. HVMANVM GENVS FINXERAT] æque enim duri homines, quam Prometheus auctor hominum, qui tam durum supplicium tulit: *Nempe inde genus durum sumus, Et documenta damus, qua simus origine nati.* Elegans est controuersia apud Senecam l. 10. 5. *Parrhasius pictor Atheniensis cum Philippus captiuos Olynthios venderet, emit vnum ex his senem, perduxit Athenas, torsit, & ad exemplar eius pinxit Promethea. Olynthius in tormentis periit, ille tabulam in templo Mineruæ posuit, accusatur religionis læsæ.* Hoc thema controuersiæ. Eleganter dixit Argentarius contra Parrhasium: *Hoc Promethea facere est, non pingere.*

Tertullianus quem lib. ... Aldanamus.

In Gellium.

XXXIIII. XLVII.

Gellius ædificat semper: modò limina ponit,
Nunc foribus claues aptat, emitq; seras:
Nunc has, nunc illas mutat, reficitq; fenestras.
*Dum * tamen ædificat, quidlibet ille facit.*
Oranti nummos vt dicere possit amico,
Vnum illud verbum Gellius, ædifico.

*al. reficit mutaque. * tantum.*

GELLIVS ÆDIFICAT] sordidum & illiberalem taxat Gellium, qui vt nihil cogeretur amicis donare, fingebat se semper aliquid ædificare. AEDIFICO] quid ædificarit, describit poëta, limina, fores, seras, fenestras, aliaque minuta, quæ irridendi caussa ponit. AEDIFICO] hinc opus est mihi præsenti pecunia, quam tibi nec mutuam dare, multo minus donare possum. sed nil ædificat, qui nil donat.

In Gallicum.

XXXV. XLIX.

Hæredem cùm me partis tibi, Gallice, quartæ
Per tua *iurares* sacra, caputque tuum.
Credidimus, (quis enim damnet sua vota libenter?)
Et spem muneribus fouimus vsque datis:
Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Misimus, Ætola de Calydone putes.
At tu continuò populumq; patresq; vocasti:
Ructat adhuc aprum callida Roma meum:

Ipse ego (quis credat?) conuiua nec vltimus hæsi:
Sed nec costa data est, caudaue missa mihi.
De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla
De nostro nobis vncia venit apro.

In ingratum Gallicum est hoc epigramma, qui per fraudem spoliauit poëtam apro, cum ei promisisset ex quadrante hæreditatem. HÆREDEM PARTIS QVARTÆ] hæredem ex quadrante, quadrans enim quarta pars libræ, quot enim libras æris habebat Gallicus, tot quadrantes erat habiturus Martialis, id est, quartam partem bonorum omnium. de his loquendi modis Budæus, Brissonius, & alij. PER TVA SACRA] per deos, credo, penates, quos priuatim domi colebat Gallicus. PER CAPVT TVVM] formula iurandi priscorum, per caput, de qua Brissonius multa iurata & testata adfert lib. 8. p. 713. CREDIDIMVS] peieranti: sed in posterum nec iuranti credemus. DAMNET SVA VOTA] facile enim mortales, quod optant, credunt. Quis desperet quod maxime sperat? SPEM MVNERIBVS FOVIMVS] spem hæreditatis donis aluimus, misimus tibi aprum. LAVRENTEM APRVM] ingentem aprum in Laurente saltu captum. Horatius laudat Marsum & Lucanum, Catius Laurentem etiam reprehendit.

Vide Eumolpū Petronij, quomodo ducti lusi hæredipetæ.

Nam Laurens malus est, vlua & vligine pinguis.

AETOLA DE CALYDONE] Calydon ciuitas Aetoliæ, vnde aper Meleagro cæsus Calydonius dictus, vt supra. tantus fuit, quanti in siluis Aetolis capiuntur. de hoc supra lib. 7. epig. 26.

Tusca glande aper populator, & ilice multa
Iam piger Aetolæ fama secunda feræ.

AT TV CONTINVO POPVLVMQVE PATRESQVE VOCASTI] missum accepisti, inuitasti (me tantum excluso) totam Romam, quę adhuc non decoxit aprum meum. Valde dolet poëta, se spem & rem, id est, & hæreditatem, & aprum amisisse. CALLIDA ROMA] respicit ingenium Gallici, qui, vt cæteri plerique Romani, spe bonorum legandorum captabat simplicium munera & conuiuia. IPSE EGO] dolenter sane dicit hoc infelix poëta, qui velut canis Aesopicus, dum captaret vmbram, carnes amisit. QVIS CREDAT?] tantum nefas, tantumque crimen in ingratos cadere mortales. NEC VLTIMVS] nec imus assedi. exclusus sum penitus à conuiuio. DE QVADRANTE TVO] Concludit à comparatione minorum. si tu minora & de meis nil dedisti mihi, quid maiora de tuis dabis? In sua persona tangit hæredipetas, & artes Romanorum qui spe hæred. multos exhæredabant.

Alij forte rectius legunt pallida. Mar cedo luxu & conuiuiis.

De Partheniana toga.

L. XXXVI.

Hæc est illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector amatq; togam.
Partheniana fuit, quondam memorabile vatis
Munus: in hac ibam conspiciendus eques
Dum noua, dum nitida fulgebat splendida lana,
Dumq; erat auctoris nomine digna sui.
Nunc anus, & tremulo vix accipienda tribuli,
*Quam possis niueam dicere iure * tuo.*
Quid non longa dies, quid non consumitis anni?
Hæc toga iam non est, Partheniana: mea est.

* togam.

Togam lib. 8. ep. 28. missam à Parthenio detritam ait, tacite que petit nouam. VATIS] Parthenij. Lib. 12 ep. 11. laud. it illum multis versibus à studio poëtico. EQVES] Martialem equestri dignitate donatum in vita poëtæ diximus, non censu, sed munere principis, iure equestri affectum. AVCTORIS NOMEN] Parthenij, alludit nomen quasi Partheniana toga sit Virg., hoc est, recens & intacta, seu noua. παρθένος Græcis virginem sonat. Ita latine parthenianam diceres Virgineam. TREMVLO TRIBVLI] seni sordido, & pauperi. Tribulis prima notione ex tribu ciuem Romanum significat qui domicilium Romæ habet, sicut contribulis, qui ex eadem tribu est. deinde tribulis paullo largius pro ciue Romano Romæ non degente, sed municipe aliquo, cuius rei exempla habes apud Cic. in epistolis ad Fam. Q. F. atrem epist. 1. lib. 3. & aliis locis. postremo pro tenui paupereque, capite censo vel proletario, vt & hoc loco vsurpat Martialis, infra epig. 58.

Præfectus cubiculi Domitiani & percussor illius.

Nec pallens toga mortui tribulis,

NIVEAM] attritam, vti cùm abrasa vel deflocata lana, fila nuda parent & albent. QVID NON LONGA DIES] γνωμικῶς de quo multa ex variis Iacobus Pontanus ad 9. Ecl. Virgilij. *Omnia fert ætas.* HÆC TOGA IAM NON PARTHENIANA, MEA EST] aulica, nobilisque. MEA EST] iam fortunæ respondet meæ, detrita pauperi.

In Gaurum.

XXXVII. LI.

Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
Carmina quòd faciam, quæ breuitate placent:
Confiteor: sed tu bis * *denis grandia libris,*
Qui scribis Priami prælia, magnus homo es.
Nos facimus Bruti puerum, nos * *Lagona viuum*
Tu magnus luteum, Gaure, Giganta facis.

* *finis vt annalem Virgilij.*

* *Langona MSS. Gruteri.*

INGENIVM] comparat poëta poëmata sua, & epigrammatia gratis, & viuis pueris, & nanis opera Gauri immensa luteis & mortuis gigantibus. cui parœmia accinit græca μέγα βιβλίον, μέγα κακόν, de quo lib. 1. epig. vlt. INGENIVM PVSILLVM] in nugis & epigrammatiis occupatum. MAGNVS HOMO] tu putas te magnum poëtam, quòd res magnas viginti libris Priami bella sones, sed magnus homo stolidus homo est. Lucilius apud Varronem lib. 6. *Nequam & magnus homo, laniorum immanis canes vt.* Martialis sæpiculè eodem sensu. lib. 2. epig. 32. lib. 7. epig. 99. lib. 51. Eadem vi Catullus dixit:

Longus homo est, magnus cui lites intulit olim,
Falsum mendaci ventre puerperium.

NOS FACIMVS BRVTI] PVERVM, NOS LAGONA VIVVM] Fateor, inquit, ego parua opera, sed grata & viua condo, tu magna & mortua fingis idola. BRVTI PVERVM] de hoc lib. 14. lemmate βρύτου παιδίον.

Gloria tam parui non est obscura sigilli,
Istius pueri Brutus amator erat.

Nihil hiemali cogita. Strongilon auctore Plinio lib. 34. cap. 7. nobilis statuarius finxit sigillum pueri tam artificiosè, vt puerum fictum Brutus amarit, & suo cognomine affecerit & ornarit. LAGONA] Luciscus, eodem teste Plinio, & ipse nobilis artifex, Lagona faciebat ex pane dulciario, qui in Saturnalibus spargebatur. Papinius lib. 1. Sil.

Molles Caioli, Lagunculiq;

Hic tamen crediderim de sigillo seu statua ahenea agi.

TV MAGNVS LVTEVM, GAVRE, GIGANTA FACIS] tu magnam molem, sed luteam mortuamque ædificas, quæ simul vt nata est, cadit & interit. parua opera alibi plurimus laudauimus. Gigantes autem è luto & terrà geniti, vt ipsum etymon do.et, γηγενῆς & πηλογόνοι.

De Lucano & Tullo.

XXXVIII. LII.

Quod semper superos inuito fratre rogasti,
Hoc, Lucane, tibi contigit ante mori.
Inuidet ille tibi. Stygias nam Tullus ad vndas
Optabat, quamuis sit minor, ire prior.
Tu colis Elysios, nemorisq; habitator amœni,
Esse tuo primum nunc sine fratre cupis.
Et si iam nitidis alternus venit ab astris,
Pro Polluce mones Castora, ne redeat.

QVOD SEMPER] Epitaphium Lucani, non poëtæ illius, sed Tulli fratris natu minoris, de quo lib. 1. epig. 37. *Si Lucane tibi.* &c. vbi hos comparat Castori & Polluci, vt etiam hoc loco: singularem enim pietatem vtriusque erga alterum commendat. Extat de his epist. 18. apud Plinium iuniorem lib. 8. quæ tota est de testamento & morte vtriusque, & Lucani, & Tulli, moribusque vitæ prioris. INVITO FRATRE] Tullo, qui quamuis iunior, tamen optabat prior mori. ESSE

Apud Xenoph. lib. 1. Cyrpad.

TVO PRIMVM NVNC SINE FRATRE CVPIS] Viuus tam amabas fratrem, vt ὅσον σπαδαμύτιον tibi longum videretur tempus. nunc quia mori tibi ante fratrem contigit, gaudes te potuisse priorem mori, optasque fratri, quem ex asse hæredem reliquisti, vitam maximè diuturnam, vtque & pro te viuat semper, qua pietate ipsos Laconas Castorem & Pollucem superas, qui vicissim mortales sunt & immortales. ET SI IAM NITIDIS ALTERNVS VENIT AB ASTRIS] confert pietatem Tulli & Lucani. Castor cum Polluce vices viuendi quot diebus mutat, vt alter hodie apud superos viuat, alter altero die. Sed Lucanus est tam pius in Tullum suum, vt non solùm ipse semper cupiat pro se fratrem viuere, sed etiam moneat loco Pollucis Castorem ex viuis venientem, ne redeat amplius. Iam Pollucem exemplo suo motum nolle redire in vitam. Fabula lib. 1. exposita.

Quam sæpe fuit moriendum Castori & Polluci?

Ad Quintum.

LIII. XXXIX.

V.C. ne meruris. melior vulgo. quod mereris.

Si credis mihi, Quincte, quod mereris,
Natales, Ouidi, tuos Apriles,
Ut nostras amo Martias Kalendas,
Fœlix vtraque lux, diesq́; nobis
Signandi melioribus lapillis.
Hic vitam tribuit, sed hic amicum:
Plus dant, Quincte, mihi tuæ Kalendæ.

Natalem Q. Ouidij celebrat, eumque suo præfert. MELIORIBVS LAPILLIS] vnde nata sit hæc loquendi formula, suprà enarrauimus lib. 8. epist. 45. ad Flaccum. HIC VITAM TRIBVIT SED HIC AMICVM] amicitiam ait vita ipsa meliorem. Sic Philippus Rex non tam sibi gratulabatur de nato filio, quàm nato Aristotelis philosophi tempestate. extat illa apud Gellium lib. 9. cap. 3. se enim filio vitam dedisse, & Aristotelem, vt bene & cum virtute viueret, daturum, id quod ipsa vita sit præstantius. Plinius epist. 30. l. 6. *Debemus mehercule natales tuos perinde ac nostros celebrare, cum lætitia nostrorum ex tuis pendeat, cuius diligentia & cura hic hilares, istic securi sumus.*

Ad eundem.

LIV. XL.

Natali tibi, Quincte, tuo dare parua volebam
Munera, tu prohibes: imperiosus homo es.
*Parendum est monitis; fiat quod vterque * iubemus.*
Et quod vtrumque iuuat; tu mihi, Quincte, dato.

* V. volemus.

NATALI] munera diebus natalitiis missitabantur amicis, immò & petebantur natalitia, quod poëta suprà lib. 8. epig. 64. in Clytum docuit.

Vt poscas, Clyte, munus exigasq́;,
V no nasceris octies in anno.

Poëta parabat Q. Ouidio genethliaca, Ouidius recusabat. Poëta festiuè, quando, inquit, non vis, vt dem tibi, tu mihi dato. ego promptus accipiam. obserua elegantiam mendicandi.

Ad Carum cognatum.

LV. XLI.

Aut. Quals Picena populator turdus oliua.
* lenis.
* Cara al. Clara.
* mihi.
* nobis.

Si mihi Picena turdus palleret oliua,
Tenderet aut nostras silua Sabina plagas;
*Aut crescente * vadis traheretur arundine præda,*
Pinguis & implicitas virga teneret aues;
** Cara daret solenne * tibi cognatio munus,*
*Nec frater * vobis, nec prior esset auus.*

Nunc

*Nunc sturnos inopes, fringillarumq́ querelas
Audit, & arguto passere vernat ager.
Inde salutatus pica respondit arator:
Hinc prope summa rapax miluus in astra volat.
Mittimus ergo tibi parua munuscula cortis,
Qualia, si recipis, sæpe propinquus eris.*

SIMIHI] Χαρίστια Cari celebrat, & agrestia munera excusat. Mortem obsecutus priscorum. Charistia dicebantur, cùm propinqui solenne adornarunt conuiuium, cui tantum cognati aderant, litium ponendarum, & amoris instaurandi gratia institutum. de quo Valerius Max. lib. 2. cap. 1. *Conuiuium etiam solenne maiores instituerunt, idq́ Charistia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensa & inter hilaritatem animorum fautoribus concordia adhibitis tolleretur.* Celebrabantur hæc 11. Cal. Martias. Ouid. 2. Fast.

*Proxima cognati dixere charistia Cari,
Et venit ad socios turba propinqua deos.*

Et mox de conciliandis animis.

*Dis generis date thura boni, Concordia fertur.
Illa præcipuè mitis adesse die.
Et libate dapes, vt grati pignus amoris, &c.*

Græcorum similia fuêre φιλητικὰ amica. Germanis prope quotidiana Freundtmal. de quibus Stuckius lib. 1. cap. 32. SI MIHI PICENA] si esset mihi copia pinguium (hoc est enim pallere) turdorum oliua Picena pastorum, aut in Sabinorum siluis liceret venari. AVT CRESCENTE VADIS TRAHERETVR ARVNDINE PRÆDA] Ad piscationem ante hac ista Martialis verba retuli, sed monentibus amicis, nunc ad aucupium tantum refero, describitur enim turdorum aucupium vel per retia priore pentametro, vel visco in proximo versu, aitque *præda*, nempe turdorum, *traheretur arundine* nempe viscata: *arundine crescente vadis*, quæ prouenit locis vliginosis; vnde, *fluuialis arundo*. Petronius Arbiter in Sat. *Ecce etiam per antennam pelagia considerans volucres quas textis arundinibus peritus artifex tetigit. Illæ viscatis illigatum viminibus deferebantur ad manum.* Apul. lib. XI. Metam. vtrumque vsum arundinis, & ad piscatum, & ad aucupium iungit: *Nec qui diuersis arundinibus, alter aucupem, alter piscatorem cum hamo induerat.* Describit aucupem & D. Augustinus lib. de Magro cap. 10. *Si quisque ignarus deceptionis alitum, quæ calamis, & visco affectatur*, &c. *Nec tamen in his omnibus idem significatur modus, qui per viscum exercetur.*

PRÆDA] piscium vel potius auium. IMPLICITAS] aucupij periphrasis. viscosis enim virgis capitur auis. CARA DARET SOLENNE TIBI COGNATIO MVNVS] Cara cognatorum, dicebantur Latinis Charistia, voce à Græcis accepta. NVNC STVRNOS INOPES] nota vel infantibus auis, quam Græci ψάρα vel ψάρον, vt est apud Aristotelem, indigitant: nobis Starus, sturnello Italis dicitur, Latinis etiam ardea, lege Gesnerum lib. auium de sturno. FRINGILLARVMQVE] æquè pueris nota fringilla ac sturnus. dicitur frigilla seu fringilla, quòd frigore cantet, vt Festus originatur, Fincken/Rotfincken/Buchfincken/Græcis σπίνος, vt Arato placet, σπίζα, Gaza ex Aristotele vertit fringillam, al j alia adferunt nomina, quæ plura recenset Gesnerus. Taceo, qui sequuntur, passeres, picas, miluos ipso nomine cognitos. MITTIMVS ERGO] cors vel cortes alit gallinas, anseres, gallos, & domesticas aues, de ipsa voce alibi ex Lipsio disputauimus. SÆPE PROPINQVVS ERIS] si non, vt vilia, contempseris, sæpe mecum cœnabis, cui sæpe tibi velut propinquo talia mittam.

* Horum
* Aliud est genus Rotfincken/ de phæni cuporis.

Ad Flaccum.

LVI. XLII.

*Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales,
Dum Stella turdos, dum tibi, Flacce, paro:
Succurrit nobis ingens, onerasq́ turba,
In qua se primum quisq́ meumq́ putat.*

Deme-

Demeruisse duos, votum est: offendere plures
Vix tutum: multis mittere dona, graue.
Qua possum sola veniam ratione merebor:
Nec Stella turdos, nec tibi Flacce dabo.

LVCE PROPINQVORVM] facetè excusat in Charistiis nulla Flacco aut Stellæ mitti munera, caussam adfert, ne offendat plures, dum paucis tantùm paret munera. Igitur nulla, inquit, dabo, vt nullus ægrè ferat, credo poëtam nulla habuisse, imò desiderasse ab aliis. LVCE PROPINQVORVM] de qua celebritate in superiori epigrammate satis fuimus copiosi, eandem hic intelligit. STELLÆ] V. C. & N. ad quem multa extant epigrammata Martialis superioribus, & sequentibus libris. Flaccus etiam poëta poëtæ familiaris, qui scripsit Argonautica. INGENS TVRBA] quæ amicitiam vtilitate probet, omnis certatim se amicos meos iactant. cùm illis paro dona. VOTVM EST] voluntas, animus est. volo, opto, &c. DEMERVISSE DVOS] duobus tamen cogitabam dona mittere, tibi nempe & Stellæ. demeruisse mihi, beneficio deuincere, sed ea re offendam plures, quos indonatos dimisero, sin autem omnibus aliquid impertiar, me ipsum spoliabo. Itaque concludit. QVA POSSVM] nulli igitur mittam quicquam, vt nullus queratur. facetè hoc & ridiculè, quod sciebat in rem poëta suam.

Ad Nympham.

LIX. XLIII.

Nympha sacri regina lacus, cui grata Sabinus,
Et mansura pio munere templa dedit.
Sic montana tuos semper colat Vmbria fontes,
*Nec tua Baianas * Sarsina malit aquas:*
Excipe solicitos placidè mea dona, libellos:
Tu fueris Musis Pegasis vnda meis.
Nympharum templis quisquis sua carmina donat,
Quid fieri libris debeat, ipse monet.

* *Sassina, al. Farsina.*

NYMPHA SACRI] Mittit librum ad censorium tribunal Cæsij Sabini Vmbri, Auli Pudentis municipis, cui librum quoque septimum transmisit, vt est lib. 7. epig. 96. Et mittit velut ad fontem Cæsij. De hoc Cæsio Sabino dictum fuse lib. 7. epig. 96. Fonteium de gente Cæsia adi. Fontes autem sacri erant priscis, quibus præerant, vt aliàs memini dicere, nymphæ, velut amnibus, lacubus, siluis, montibus. Monet, vt carmina si displiceant, vti sibi displicere ait, mergat vndis, eo enim missa ad Nympham. TEMPLA] fontem egregio opere ædificauit in ædibus suis. SIC] precatur, vt Sarsinates frequentent & colant hunc fontem, præferantque Baianis aquis. SARSINA] ciuitas Vmbriæ seu municipium in fide Cæsiorum positum, patria Cæsij Sabini; Sassina alibi, non Sarsina lib. 3. epig. 57. Hoc epigramma verbose exponit Fonteius lib. de gente Cæsia cap. 20. *Farsina* rescribunt alij, præsertim Volaterranus, qui ex Lapidibus & Plinio id conuincere contra scriptorum reliquorum torrentem nititur. legendus Leander in Romanula p. 461. patria fuit Plauti, nequaquam S. Francisci, vt quidam somniant, cuius fuit natale solum Asium seu, vt Catoni placet Esium. Colonos Plinius Asisinates appellat. Leander p. 136. in Vmbria. SOLICITOS EXCIPE LIBELLOS] solicitos ob iudicium Cæsij. Nam scriptores cùm suas curas Orbiliis, Criticis, & Aristarchis, tradunt censendas & corrigendas, solicitè iudicium censorum expectant. Ouid. 1. Fast.

Pagina iudicium docti subitura magistri, Pallet, &c.

PEGASIS VNDA] Græca compositio, nomen pro apposito numinis, vt Virgil. *& pelle Libystidis vrsa.* Pegasis à Pegaso equo fontis Caballini fossore, vt fabulantur poëtæ. lege Mythologos. NYMPHARVM TEMPLIS] sua carmina aquis delenda & mergenda ait. Nymphæ enim pro aqua συνεκδοχικῶς accipiuntur. QVID FIERI DEBEAT] abiiciendos in vndas esse libros, aqua delendos.

In Mamurram.

XLIV. LX.

In septis, Mamurra, diu multumq; vagatus
*(Hic, vbi Roma suas aurea * vexat opes.*
** * **
Expendit veteres calathos, & si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu;
Et virides picto gemmas numerauit in auro,
Quicquid & † in niuea grandius aure sonat.
*Sardonychas veros * mensa quæsiuit in omni,*
Et precium magnis fecit iaspidibus.
Vndecimâ lassus cùm iam discederet horâ,
Asse duos calices emit, & ipse tulit.

* rispe.
† à niuea.
* mensas quæs. in omni.

Mamurram, aut in Mamurra paupertatis dissimulatores describit & irridet, qui in nundinis licebantur perinde quasi omnia empturi, cum vix haberent, quod domi cœnarent. Id hodie nimium quam frequenter experiuntur mercatores. IN SEPTIS] Septa describit Panuinius lib. 2. de lud. cir. cap. 1. p. 65. Septa fuere 9 Reg. in campo Martio, inter columnam Antonini postea, & aquam virginem. P. V. & S. Rufus. Circo flaminio fuerunt loca tabulis inclusa & vallata, in quibus P. R. suffragia laturus includebatur. Ead. dicta Ouilia. Lucanus & Iuuen. Sat. 6. Ead. describit accuratè Alex. ab Al. lib 2 cap. 18. Seruius ad 1. Ecl. Marlianum vide lib. 6. cap. 13. Et de his suprà lib. 2. epig. 14. de Se io, dictum.

Mamurra præfectus Fabrûm Iulij Cæsaris. Plinius, hic fictitium.

ROMA AVREA] tantum in septis auri laborati exponebatur, vt meritò ipsa Roma aurea diceretur. VEXAT] emendo licitando, litigando, ostentando, non, vt aliqui vexat, id est, conuehit, illic venalia ingentis precij exposita lib. 10. ep. 80. EXPENDIT VETERES CALATHOS] calathi vel fuêre vasa viminea, quibus muliebria instrumenta lana, flores, &c. ferebantur; vel ærea, quibus lactis humor vel caseus seruabatur, vel calices sacris destinati. volue 18. epig. 107. lemmate, *calathi*. videtur hic calices intelligere vinarios. MENTOREA MANV] De hoc nobili cælatore scripsimus lib. 3. epig. 41. de lacerta Mentoris manu cælata. VIRIDES GEMMAS] smaragdus. PICTO AVRO] vario, elaborato, fulgente, vt lib. 1. picta colla Pardorum appellauit, non coloribus distincta, sed naturâ maculosa. Nisi velis, auro per artem colores alios inductos. IN AVRE SONAT] gemmas ab auribus suspendi solitas dicit. SARDONYCHAS VERAS] sunt enim adulterini, vt Plinius docet, qui fiunt arte. qua de re dictum sæpius. PRETIVM FECIT] licitando, æstimari iussit. quasi empturus. VNDECIMA HORA] paulò ante noctem. nam duodecima est vltima diei, qua de lib. 4. ad Euphemum. IPSE TVLIT] quod seruo & puero careret, quæ enim in foro emebant puero vel seruo vel familiari domum ferenda tradebant. vnde lepidum Laconi factum narratur qui pullos sibi commissos tulit ad sepulchrum seu conditorium illius à quo domum ferendos acceperat, quod tumulum verè nostram domum diceret. legis hoc in nostri Viridarij altera parte. Qui videbatur tota catastas, & mensas, omneque aurum, & argentum empturus, luteos fortè & saguntinos calices emit, qui nec cœnasse videtur ob paupertatem, cùm hora nona accumberetur, summum decima.

De corona rosea.

XLV. LXI.

Seu tu Pæstanis genita es, seu Tiburis aruis,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo:
Seu Prænestino te villica legit in horto,
Seu modò Campani gloria ruris eras,
Pulcrior vt nostro videare corona Sabino,
De Nomentano te putet esse meo.

ad consulem Sabinum, de quo priore carmine.

Mittit Cælio Sabino coronam. quam vult credi in suo Nomentano prædiolo natam. SEV] nominat agros rosarum fertilissimos Pæstanum, Tiburtinum, Tusculanum, Campanum.

PVLCHRIOR] vt gratior ſis Cæſio miſſa à poëta, dic te natum in ipſius poëtæ horto Nomentano. Coronis vtebantur veteres, vt ſæpius diximus, in conuiuiis.

De Platano Cordubenſi.

LXII. XLVI.

In Tarteſiacis domus eſt notiſſima terris,
*Qua diues * placidum Corduba Bœtin amat:*
Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo,
Et linit Heſperium bractea viua pecus.
Ædibus in mediis totos amplexa penates
Stat platanus denſis Cæſariana comis.
Hoſpitis inuicti poſuit quam dextera fœlix,
Cœpit & ex illa creſcere virga manu.
Auctorem, dominumq; † nemus ſentire videtur:
Sic viret, & ramis ſidere celſa petit.
Sæpe ſub hac madidi luſerunt arbore Fauni,
** Sæpe ſub hac latuit ruſtica fronde Dryas.*
Dumq; fugit ſolos nocturnum Pana per agros,
† Terruit, & tacitam fiſtula ſerua domum.
Atque oluere Lares commiſſatore Lyæo,
Creuit & effuſo lætior vmbra mero,
*Heſternisq; rubens * delecta eſt herba coronis,*
Atque ſuas potuit dicere nemo roſas.
O dilecta deis, ô magni Cæſaris arbor,
Ne metuas ferrum, ſacrilegosque focos.
Perpetuos ſperare licet tibi frondis honores:
Non Pompeiana te poſuere manus.

* placitum V.C.

† ſtatim V.C. ſi à places nemus quod per auxeſin appellas propter magnitudinem arboris, quæ vna quaſi nemus efficit.
* Terruit & tacitam fiſtula ſerua domum.
† ſæpe ſub hac latuit ruſtica fronde Dryas.
* detecta.

Explicat platanum, Cæſaris manu ſatam Cordubæ, de qua nihil alij ſcriptores, cùm paſsim celebrentur platani Socratis apud Platonem in Phædro, Ciceronis primo de Oratore, Xerxis Regis Perſarum in Lydia apud Ælianum lib. 2. cap. 14. Licinij Mutiani ciuis Romani, cùm legatus præeſſet Liciæ, Cortyniana Cretæ fabula Europæ nobilitata. Hermocreontis epigramma extat in Platanum lib. 1. Anthol. εἰς δένδρα cuius initium eſt.

Ἵζευ ὑπὸ [illegible] ξένε τῇδε [illegible]
Sede ſub vmbroſa hac platano, hoſpes adrepe.

Hortenſij quoque apud Macrobium. De decem variis platanis leges apud Biſciolam c. 21. lib. 9. IN TARTESSIATIS] Tarteſſum ſuprà diximus vocatum Bœtin, à quo Bœtica Hiſpaniæ interioris prouinc a flaua lana nobilis. CORDVBA] Senecarum & Lucani patria. VELLERA NATIVO] vbi greges ouium aureum ſeu rutilum habent vellus, lib. 12.

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

BRACTEA VIVA] aureus color: bractea lamina auri leuiſsima. LINIT] inaurat. TOTOS AMPLEXA PENATES] maior fuit illa Liciniana Mutiani. CÆSARIANA] ſata manu Cæſaris Dictatoris, vt ſuperius. DRYAS] Nympha montana. Hoc autem de luſu Faunorum & Dryadum poëticè dictum. Ipſi verò ciues gaudebant vmbra platani, & conuiuia curabant, quod de Liciniana refert Plinius. Et Horatius lib. 2. Car. Od. 11. *Cur nō ſub alta vel platano, vel pinu, &c. potemus vncti?* Virg. 4. Georg. *Iamq; miniſtrantē platanum potantibus vmbram.* Ad quem locum latè noſter Pontanus,

TACITAM] somno sopitam excitauit fistula Panis & Dryadis. COMISSATORE LYÆO] Etiam Bacchus ibi se inuitauit. CREVIT ET EFFVSO LÆTIOR VMBRA MERO] φίλοινος est platanus, nutriebatur à Romanis vino. lege Macrobij lib. 2. cap. 13. de Hortensij platanis. Lubet adscribere Philippi epigramma lib. 1. Anthol. εἰς οἶνον, vbi Platanus ait, se ventorum prostratam turbine vino perfusam & imbutam aliis arboribus iacentibus, resurrexisse, creuisseque.

> Εὐθαλέα πλάτανόν με νότου βαρυλαίλαπες αὖραι
> Ῥίζης ἐξ αὐτῆς ἐστόρεσαν δαπέδῳ,
> Λουσαμένη Βρομίῳ δ', ἔστην πάλιν ὀμβρονίχχυσι
> Χείματι καὶ θάλπει τοῦ διὸς ἡδύτερον.
> Ὀλλυμένη δ' ἔζησα. μόνη δὲ πιοῦσα Λυαῖον,
> Ἄλλων κλινομένων ὀρθοτέρη βλέπομαι.

Sic verto:

> *Me lætam platanon validi vis turbinis haustam,*
> *Radice ex ima, flamine strauit humi.*
> *Tincta tamen Bromio surrexi lætior imbre*
> *Bacchi, quàm nimbis atque vapore Iouis.*
> *Arida gustato Lenæi rore reuixi,*
> *Hinc stratis reliquis rectior aspicior.*

HESTERNISQVE RVBENS DELECTA EST] placet Gruteri ex Palatino C. scriptura, deiecta est herba nempe vel à pedibus vel à coronis à Faunis relictis & abiectis quæ deiecerunt etiam gramen. NE METVAS FERRVM] est enim sacra Cæsari. NON POMPEIANÆ] victæ, sed Cæsareæ victrices manus.

De Philænide.

XLVII. LXIIII.

> *Tinctis murice vestibus quòd omni*
> *Et nocte vtitur, & die Philænis,*
> *Non est ambitiosa, nec superba:*
> *Delectatur odore, non colore.*

TINCTIS] purpuratam ait incedere Philænidem non ob fastum, sed vt odore vehementi purpuræ, fœtorem impuri corporis obruat. De purpura bis tincta & olente Martialis lib. 4. ep. 4. in Bassam.

> *Quod bis murice vellus inquinatum.*

De statua Domitiani.

XLVIII. LXV.

> *Herculis in magni vultus descendere, Cæsar,*
> *Dignatus Latiæ dat noua templa viæ,*
> *Qua Triuiæ nemorosa petit dum regna viator,*
> *Octauum domina marmor ab vrbe legit.*

Cæsar passus se ad imaginem & formam Herculis fingi, ornauit statua & templo viam Appiam. quod templum ad octauum est ab vrbe lapidem, seu octauum milliarium. HERCVLIS IN MAGNI] cur id factitarint. ex Dione & Lampridio docet Heraldus. in illius enim specie se fingi pingique volebant cui se similes videri cupiebant. QVA TRIVIÆ NEMOROSA PETIT DVM REGNA VIATOR] qua per nemus Dianæ fit iter, donec ad templum Herculis siue Domitiani veniatur. NEMOROSA REGNA] Dicato ab Hippolyto (postquam eum Aesculapius in vitam restituerat) Dianæ Aricianæ templo, cui lucus adiacet & lacus, hodie quoq; Nemorensis dictus, vulgo speculum Dianæ; postea barbarico Scytharum more introductum fuit, vt inter seruos fugitiuos, is, qui singulari certamine victor, primus hostiam immolasset, Deæ sacerdos fieret, quem & Regem appellabant. & Sacerdotij regnum tantisper obtinebat, dum vertente anno fortior aliquis superueniens pugna eum superaret, qualem C. Caligula ei, qui iam multos annos sacerdotio præfuerat, submisit, Ouid. 3. Fast. describit lacum & lucum.

De via Appia & templo infra s. pag. 104. Sexto à monte Albano.

> *Vallis Aricinæ silua præcinctus opaca*
> *Est locus, antiqua relligione sacer.*
> *Hic latet Hippolytus loris distractus equorum,*
> *Vnde nemus nullis illud aditur equis.*
> *Licia dependent longas velantia sepes,*
> *Et posita est meritæ multa tabella Deæ,*

Sæpe potens voti frontem redimita coronis,
Fœmina lucentes portat ab vrbe faces.
Regna tenent fortes manibus, pedibusq; fugaces,
Et perit exemplo postmodo quisque suo.

Plura ad hos versus Antonius Mancinellus. Idem Ouidius libro de Arte amandi.

Ecce suburbana templum nemorale Dianæ,
Partaq; per gladios regna nocente manu.

De historia hac copiose Strabo libro 5. quem attingit Tranquillus in Cal. cap. 35. Papinius lib. 3. Siluarum in Hercule Surrentino Valerius Flaccus lib. 2. Argo.

——Et soli non mitis Aritia regi.

Pausanias in Corinthiacis. Lucanus lib. 3.

Qua sublime nemus, Scythicæ quà regna Dianæ.

Idem lib. 6. *Parua Mycenæa quantum sacrata Diana*
Distat ab excelsa nemoralis Aritia Roma.

Seruius ad illud è 6. Virgil.

Aureus & foliis, & lento vimine ramus.

Beroaldus. Gregorius Gyraldus syntag. 12. Læuinus Torrentius ad Calig. Suetonij, Tiraquellus ad lib. 2. Alex. Neap. cap. 8. Regna igitur dicũtur Dianæ, quia sacerdos Rex appellabatur, nemorosa, quia templum in nemore. TRIVIÆ] de hoc epig. lib. spect. diximus. VIATOR] pedes, non licebat equiti accedere, Ouid. 3. Fast.

Nec triuia templo, &c.

Vnde nemus nullis illud aditur equis.

OCTAVVM MARMOR] octauum lapidem, seu limitem & notam itineris. LEGIT] viator petit, adit. DOMINA AB VRBE] Ita sæpe Martialis de vrbe lib. 1. epig. 4. X. epig. 103. XII. 21. &c.

De eadem statua.

LXVI. XLIX.

*Ante * colebatis votis, & sanguine largo;*
Maiorem Alciden, nunc minor † iste colit.
Hunc magnas rogat alter opes, rogat alter honores;
Illi securus vota minora facit.

* colebatur. † ipse V. C. ἐμφατικώτερον.

ANTE COLEBATVR] Hoc epigramma recte coniungitur cum 65. Herculis in magni, &c. alioqui & hoc & illud est elumbe. Iterum præfert Domitianum Herculi, sensus est. Antea colebatur Domitianus vt Deus precibus & sacrificiis, pecudumque cæde & victimis. At nunc etiam ipse Hercules Deus velut inferior Domitianum adorat, vt se maiorem. HVNC MAGNAS] hunc Domitianum, ab hoc Domitiano maiore Hercule, alius petit pecunias & opes, alius dignitates & honores, alius felicitatem, alius alia. ILLI SECVRVS VOTA] Minori, à minore minora petuntur, non maiora, vt à Domitiano, quæ minor Hercules præstare non posset. SECVRVS] non indignabitur minor, si minora poscetur, vt qui fateatur se non posse maiora dare.

Ad Herculem de eadem statua.

LXVII. L.

Alcide Latio nunc agnoscende tonanti,
Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris.
*Si tibi tunc isti * cultus, habitusq; fuissent,*
Cesserunt manibus cùm fera monstra tuis,
Argolico famulum non te seruire tyranno
Vidissent gentes, sæuaque regna pati.
Sed tu iussisses Eurysthea, nec tibi fallax
Portâsset Nessi perfida dona Lichas.
Oetæi sine lege rogi securus adisses,
Astra patris summi, quæ tibi pœna dedit.

* Vultus, emendatius.

Lydia

Lydia nec dominæ traxisses pensa superbæ
Nec styga vidisses, Tartareumq́; canem.
Nunc tibi Iuno fauet, nunc te tua diligit Hebe:
Nunc te si videat Nympha, remittat Hylan.

ALCIDE LATIO] Nullum facit adulendi finem poeta. Herculemque à Cæsaris facie tantam dignitatem capere dicit, vt si illum vultus honorem & elegantiam mortalis habuisset olim, nullum omnino periculum aditurum fuisse dicat. LATIO] Hercules enim Græcorum Thebanus, vt Pindarus Isthm. 4. aut Argiuus, vt Diotimus epig. 2. lib. 1. Anthol. aut Ægyptius, vt Herodotus. Varro infinitos facit Hercules. Nunc dicit poeta, Latio agnoscende Ioui capitolino, quãuis tu Græcus, sed quia nunc Latij Cæsaris ora, induis facile à Ioue Latio cognosceris. ALCIDE NVNC LATIO AGNOSCENDE TONANTI, POSTQVAM PVLCHRA DEI CÆSARIS ORA GERIS] Hercule, vt olim probares te Iouis ex Alcmena filium, orbis terrarum tibi peragrandus, & à monstris purgandus fuit. nunc facile agnosceris progenies Iouis, postquam effictus es ad imaginem & formam Cæsaris: Cæsar enim simillimus Ioui. PVLCHRA ORA] Tranquillus capite 18. de Domitiano. *Præterea pulcher* (erat) *maxime in iuuenta.* SI TIBI TVNC ISTI CVLTVS HABITVSQVE FVISSENT] Si de Romano Hercule, triumphalis: per triumphi enim dies Hercules cultu triumphali ornabatur. CESSERVNT MANIBVS CVM FERA MONSTRA TVIS] Si habuisses tum ora, & vultum, & habitum Cæsaris, cum pugnares in feras. ARGOLICO FAMVLVM NON TE SERVIRE TYRANNO] Argolicum Græcum ab Argis tyrannum vocat Euristheum Stheneli & Archippes filium, Regem Argiuorum. Cur autem imperium in Herculem habuerit Eurysteus, Iupiter & Iuno caussa fuêre. Iupiter enim iurarat illum alteri imperaturum, qui prius in lucem ex aluo prodiisset, quod Iuno cum audisset, Eurysteum septimestrem exire iussit, & Herculis ortum in primum diem mensis decimi vsque propagauit, vt ait in paruo Hercule Theocritus. lege Natal. lib. 7. cap. 1. Ergo quia ope Iunonis prior natus erat Euristeus, Herculi natu minori præcepit, vt atrocissima pericula subiret, & orbem terræ à monstris repurgaret, & hæc erat seruitus, de qua hic Martialis. SÆVA REGNA] cum toties mortis adire discrimen cogeretur, quoties certamen iniret. hinc vocat Eurysteum tyrannum. SED TV IVSSISSES EVRYSTEA] nulli imperasses, si ora & vultum gessisses Cæsaris. NEC TIBI FALLAX PORTASSET NESSI PERFIDA DONA LICHAS] Lichas seruus Herculis erat, quem Echalia in potestatem redacta Hercules ad coniugem Deianiram nuncium victoriæ misit. Huic Lichæ Deianira vestem Nessi Centauri sanguine imbutam eo animo ad Herculem ferendam dedit, vti Hercules non amaret Iolen pellicem, de qua inaudiuerat Deianira. Nessi enim sanguis vires amoris habebat. Hercules indutus tunicam, igne sacro & furore correptus Licham in flumen ad Thermopylas præcipitauit, ipse in rogum se, ad Oeteam montem coniecit. Deianira gulam sibi laqueo fregit: habes exemplum vesani amoris Ouid. in Deianira ad Herculem.

Idem Plinius sæpe de forma Tacitus negat.

Nessus vt est auidum percussus arundine pectus,
Hic, dixit, vires sanguis amoris habet.
Illita Nesseo misi tibi texta veneno,
Impia quid dubitas Deianira mori?

PERFIDA DONA] Nessi perfida, qui suum sanguinem, seu venenum potius Deianiræ muneris loco reliquerat, quo decepta ipsa decepit Herculem, dum interfecit.

OETÆI SINE LEGE ROGI, SECVRVS ADISSES ASTRA PATRIS SVMMI, &c.] de hoc rogo Ouidius in Deianira. Apollodorus tradit pyram à Pæante fuisse succensam, quam Hercules conscenderit in monte Oeta. vnde vocatur Oeteus rogus. in quo quicquid mortale erat in Hercule, concrematum est, quicquid diuinum, cœlum conscendit. Lucianus in Hermotino inde nata molesta tunica cum Herculem Oeteum in arena gesserunt noxij. QVÆ TIBI POENA DEDIT] Astra non per ignem perque supplicium ob vestem Nessæam occupata intrasses, sed si vultum Cæsaris habuisses, absque rogo in cœlum conscendisses. LYDIA NEC DOMINÆ TRAXISSES PENSA SVPERBÆ] Omphalæ regis Lydorum filiæ Hercules amore percussus. Ouidius in Deianira.

Non pudet Alcide, victricem mille laborum
Rasilibus calathis imposuisse manum.
Crassaq; robusta deducis pollice fila,
Æquaq; formosæ pensa rependis heræ.
Diceris infelix scutica tremefactus habenæ,
Ante pedes dominæ pertimuisse minas.

En tibi Herculem: *Quem non mille feræ, quem non Stheneleius hostis,*
*Non potuit Iuno vincere, * vincit amor.*

* vicit

In

In huius Omphalæ gratiam etiam ad inferos descendisse fertur, quare subiungit Martialis NEC STYGA VIDISSES, &c.] etsi alij iussum ab Eurystheo scribant. De Cerbero educto ex inferis, & ad Eurystheum adducto infra.

NVNC TIBI IVNO FAVET] Iuno nouerca Herculis omni ratione deletum Herculem extinctumque voluit, omniumque certaminum vnica caussa fuit, sed recepto in cœlum reconciliata Heben, id est Iuuentam filiã illi in matrimonium locauit, ad quorum nuptias epithalamion scripsit nobilis poeta Plato Comicus. Nat. lib. 7. cap. 1. Quanquam paulo aliter idem lib. 2. cap. 5. Iam fabulam poeta hic alludit, cum dicit: *nunc tibi Iuno fauet*, quamuis inimica semper, sed postquam induisti Cæsarem, tibi conciliata etiam Heben despondet, vt statim subiungit. NVNC TE DILIGIT HEBE] vxor tua, tibi antea non tam pulchro minus amica. NVNC, SI TE VIDEAT NYMPHA, REMITTAT HYLAM] Nunc si te Cæsaris effigiem referentem videat, Nympha, quæ Hylam rapuit, eundem puerum tibi tam pulchro, quam puer erat, lubens remittet. Nympham Apollonius Amphidatiam nominat. Gyraldum lege in Hercule.

In magistrum ludi.

LXX. XLIX.

*Quæ sibi.

**Quid tibi nobiscum est ludi scelerate magister,*
Inuisum pueris, virginibusq; caput:
Nondum cristati rupere silentia galli:
Murmure iam sæuo verberibusq; tonas.
Tam graue percussis incudibus æra resultant,
Caussidicum medio cum faber aptat equo.
Mitior in magno clamor furit amphiteatro,
Vincenti parmæ cum sua turba fauet.
Vicini somnum non tota nocte rogamus:
Nam vigilare leue est, peruigilare graue.
Discipulos dimitte tuos: vis, garrule, quantum
Accipis, vt clames, accipere, vt taceas?

Vt libro 12. epig. 57.

QVID TIBI NOBISCVM EST] Irascitur clamoso ludimoderatori somnum poetæ matutinum interrumpenti. didactron ait se soluturum, non, si doceat, sed taceat. INVISVM PVERIS] ferulam & verbera timentibus. qui autem timent, non amant, sed oderunt præsertim plagosos Orbilios. Et sæpe fit, vt immanitate magistri, tenella ætas à studiis terreatur. Lege Vidæ librum de arte poetica. Plutarchum de educandis liberis. blandos magistros illa ætas desiderat. GALLI RVPERE SILENTIA] Idem Iuuenal. Sat. 7. Dummodo non pereat, &c. Media fere nocte scholam aperire incipiebant. magna mihi dicendi esset copia de galli cantu, sed epigrammata non nisi necessaria, aut vulgo non intellecta reor explicanda. Lege feriatæ Alciati emblema 15. cuius lemma est vigilantia & custodia. Plinium lib. 10. Aelianum 4. Animalium capite 29. Lucianum in Gallo, Plutarchum libro de oraculis Pythiæ. Apuleium lib. 2. M. Ouid. Fastorum. Lucretium lib. 4. Heliod. Aethiopicarum histor. lib. 4. Ausonium Idylliis. Anytes epigramma lib 4. Anthol. εἰς ὄρνις. Gesnerum lib. 3. de Gallinaceo plurima scribentem, Æsopi fabellam. Pier j hieroglyphica, præter SS. Patres, qui passim de galli vigilantia scripserunt, & Physicos. NONDVM] hora tertia secundum mediam noctem primum dicuntur canere. CAVSIDICVM MEDIO CVM FABER APTAT EQVO] Domitius ad equestrem statuam honoris caussa caussidico poni solitam, refert. sed alij trahunt ad pœnam & ignominiam præuaricationis: A Domitio sto, qui pro se habet Iuuenalem Satyr. 7. *Æmilio dabatur &c.* Multa hoc loco Heraldus, & in sequent. Tacitum de Orat. *Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli & statuæ, &c.* MITIOR C. IN AMPH. F. C. T. P. V. F.] De populi acclamationibus in Circo & amphitheatro variisque factionibus copiose scribit Bullengerus cap. 46. & 47. lib. de Circo. Et Lipsius Saturnalium lib. 2. cap. 24. qui locus proprie totus huc facit. Parma pugnabant Thraces: & hoc genus, & qui his fauebant, parmularij dicti. Domitianus Myrmilloni fauens patrem familias Thraci studentem è spectaculis detractum canibus obiecit. PERVIGILARE] noctem totam insomnem ducere. VT TACEAS] facete è contrario. Et Isocrates à discipulo garrulo duplicem mercedem postulabat, alteram, vt loqui, alteram, vt tacere disceret.

Hora similiter prima quarta vigilia.

Suetonius in Domitiano.

In

In * Cæcilianum.

LII. LXXII.

* Maximianum.

Dixerat; ô mores, ô tempora Tullius olim,
Sacrilegum strueret cùm Catilina nefas:
Cùm gener, atque socer diris concurreret armis,
Mœstaque ciuili cæde maderet humus.
Cur nunc, ô mores, cur nunc ô tempora, dicis?
Quod tibi non placeat, Cæciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri:
Pace frui certa, lætitiaque licet.
Non nostri faciunt, tua quòd tibi tempora sordent,
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

DIXERAT Ô MORES] adulatur Cæsari, dum reprehendit Cæcilianum (non Plinium iuniorem, vt quidam ex nomine Cæciliani falso coniectat) sua tempora vituperantem. Ô MORES] Cic. 1. in Catilinam. verba tironibus nota. Seneca Suas. 6. tuis verbis Cicero vtendum est, *ô tempora, ô mores*. CATILINA] Hunc & Cicero & Sallustius suis coloribus egregie depingunt. historiam plures scripsere. Elegantissime etiam Iuuenalis, vt omnia Sat. 8. *Quis Catilina, &c.* CVM GENER, ATQVE SOCER] tum non dixit hæc verba, sed poterat dicta merito iterare, tanta caussa. GENER] Pompeius ducta Iulia Cæsaris filia. NVLLA DVCVM FERITAS] aliter historici & Iuuenalis scripsere, cum aliis tyrannus, aliis latro, aliis parricida vocetur. In Christi quoque gentem debacchatus est Domitiani furor. MORES] sceleratis omnia tempora metuenda, tuta omnia, & secura innocenti. Omnibus temporibus fuere, sunt, & erunt plures improbi, quam probi, nec est, cur tempora quisquam sua accuset, sed se. Senecam lib. 1. de Ben. cap. 10. fere toto de hac re disputantem lege. Et ad Lucilium epist. 98.

Nero aliis, & Neroniana crudelitatis portio, Tertull.

De leone & ariete.

LIII. LXXIII.

Massyli leo fama iugi, pecorisq; maritus,
*Lanigeri, mirum, * qua posuêre fide.*
Ipse licet videas, cauea stabulantur in vna,
Et pariter socias carpit vterque dapes.
Nec fetu nemorum gaudent, nec mitibus herbis:
Concordem satiat, sed rudis agna † famem.
*Quid meruit terror Nemees, quid * portitor Helles,*
Vt niteant celsi lucida signa poli?
Sidera si possent, pecudesq; feræque mereri,
Hic aries astris, hic leo dignus erat.

* cessêre.

† feram.

* proditor.

MASSYLI LEO FAMA IVGI] Laudat & stupet concordiam leonis & arietis, simul innoxie habitantium. intelligit leonem mansuetum, de quo supra *Verbera*, eaque gratia dignum vtrumque cœlo iudicat æque ac leonem Nemeæum, & Arietem Phrixi vectorem & Helles. MASSYLI] de hac voce superiori epigrammate dictum. FAMA IVGI] propter magnitudinem & præstantiam corporis omnium nobilissimi in Libya. PECORISQVE MARITVS] arietis periphrasis. sic Virg. 3. Georg.

Quem legere ducem, & pecori dixere maritum.

Et Ecloga 7. *Vir gregis ipse caper.* Vide Pontanum ibidem. Sic Horatius, Theocritus, sic Martialis ipse alibi. MIRVM, QVA POSVERE FIDE] id est, feritatem posuere, cicurati, simulque mansueti & pacati, veluti eiusdem generis, vixere. POSVERE] Eleganter, vt Virg. 7. Aeneid.

Cùm venti posuere ——

Statius 2. Silu. *Cùm vadis deponunt fluctus ——*

5. Theb. *Cùm fera ponit hyems,*

Gruterus tamen reiicit hanc scripturam & legit coiere, bene quidem, sed nescio verum non etiam prior commoda. Ipse licet videas] eodem loco, eodemque cibo pariter vtuntur. nec leo desiderat ceruos aut tauros, nec suas herbas aries. Concordem] nec pugnant inter se depestu, quodque datur alteri, vtrique placet. De hac concordia ferarum Bulengerus lib. de Venatione quem alibi adduximus. Meliore fide conueniunt, quam apud Aesopum Asinus, vulpes, & leo, vnde natum prouerbium, leonina societas: & Aelianum, leo, vrsa, & canis. Rvdis agna quod etiam aries vorarit agnam, admiratione dignum; videtur enim leo exuisse feritatem, & aries induisse, famem lege concordem. Qvid mervit terror Nemee] leo Herculis, vt refertur in astra. De leone supra diximus. De ariete Mythologi scribunt Natalis comes lib. 6. cap. 9. Ouid. in epistola ad Leandrum.

Inuidus Phrixo, quem per freta tristia tractum
Aurea corrigero vellere vexit ouis.

Sic Manilius 4. Astron. Sic Apollonius 2. Argon. Hunc arietem Phrixus diis sacrificauit. Dij eundem propter merita in cœlum transtulerunt, ac 13. stellis illustrem reddidere. Hyginum vide. Proditor, emendatius, fuit enim contra fidem excussa in mare. Sidera si possent] ostendit fuisse fabulam de leone & ariete; nam si, inquit, pecudes cœlum mereri possent, debuissent hic leo & hic aries in cœlo reponi. elegans conclusio, in pecudes partus Christi conscias aptior.

Ad Liberum amicum.

LXXIV. LIV.

*Liber Amyclæa frontem * redimite corona,*
Qui quatis Ausonia verbera Graia manu.
Clausa mihi texto cùm prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo si nomine munera ferres,
Scis, puto, debuerint quæ mihi dona dari.

* vittatis elegantior.

Liber Amyclæa] Donatus esculentis à Libero pugile Martialis petit etiam Liberum, seu poculenta. Amyclæa corona] pugilatus auctores Spartani, Pollux enim primus pugilatum inuenit. Coronabantur autem pugiles victores, vti & reliqui; corona enim communis fere omnibus erat victoribus, vt supra docuimus. Et Virgilius 5. Aeneid. inter cætera etiam ponit in medio coronas. disputat multa de coronis Petrus Faber libro 2. cap. 22. Agon. Primum genus erat ex oleastro, deinde ex auro in Olympicis. Athenis ex olea. Bulengerus lib. 2. cap. 54. de Circo. Sensus carminis; Liber, qui pugilatu victor coronatus es, Lacedæmonia corona, id est, corona è pugilatu relata. Qvi qvatis Avsonia verbera Graia manv] Qui Græcorum ludos exerces Latinus. Pugilatus imaginem, initia, auctores, victores, præmia lege apud Mercurialem lib. de arte gymnastica 2. cap. 9. toto. & Petrum Fabrum in Agonisticis. Clavsa t. v. p.] in sportula misisti cibos sine potione. Digna t. n. m.] Liber Liberum debebas addidisse, & munera Bacchi.

Lasinus Terentius ad aurigandi artē refert.

Tertullianus de coro. na militis.

Panuinius lib. de ludis Circensibus eosdem ludos expressit.

In Sutorem.

LXXV. LV.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre, vetusq; solum.
*Prænestina tenes * defuncti rura patroni,*
In quibus, indignor, si tibi cella fuit.
At me litterulas stulti docuere parentes:
Quid cum Grammaticis Rhetoribusq; mihi?
Frange leues calamos, & scinde, Thalia, libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.

* decepti plus hoc quā defuncti.

Dentibvs antiqvas] Dolet sutorem clientem in possessionem domini sui venisse per artem tam vilem, se autem nobilissima disciplina eruditum esurire. Vatinium sutorem Beneuentanum aliqui suspicantur, Neronis quondam aulicum, de quo Tacitus libro 15. Annalium.

DENTIBVS) periphrasis sutoris cerdonis. cerdo enim reficit ruptos calceos, sutor nouos conficit. Hinc poeta dicit solitum putre luto solum mordere. Pro solea autem solum dixit, vt Plautus.

Rapuit currenti cursori solum.

Et Bacchid. *Qui faciat habeat aurum suppactum solum.*

Lucret. 4. *Auia Pieridum peragro loca, nullius ante, Trita solo.*

Quem iocum D. Ambrosius serm. 74. respexit. *At vbi Dominus surrexit, vsita facta, solo attrita est plurimorum.* PRÆNESTINA R. P. T.) legata tibi à Domino tuo. Clientes dominos veterum more patronos appellabant. & sæpe factum, vti, cum patronus sine liberis decederet, cliens aut libertus in bona patroni succederet, vt contra in liberti patronus. CELLA) Cellæ seruorum. An cellam atriensem dicit vbi vinctus ianitor custodiam ianuæ gerebat? Petronius de Trimalcionis domo legendus. Sed venit me reprehensum Georgius Ethardus homo diligens, in symbolis Petronianis pag. 597. quod dixerim: vbi ianitor custodiam ianuæ gerebat: *Memoria*, inquit, *opinor lapsus: Non enim seruus vinctus seruabat, sed canis: ipse seruus liber à vinculis erat, vt ex Plauto discimus.* Ego nulla illic memoria peccaui, sed erraui, si falsum est quod scripsi. De cane primum non sum oblitus diserte dici à Petronio: *Canis ingens catena vinctus non longe à cella hostiarij, &c.* Adieci sciens volens de vincto etiam seruo, qui ex more quoque catenatus erat, quamuis id Arbiter non exprimat, exprimunt alij. Te ipsum tibi testem do quamuis tui met oblitum: Syllogen tuam adi in Petronium, & hunc ipsum locum ex Ioannis VVouvverij interpretatione recognosce, qui ad vocem hostiarij: *Seruus*, inquit, *qui ad limen obseruabat Ianitor aut ostiarius: is erat in cathenis*: Columel. lib. 1. An putem fortunatius à catenato repulsum iri ianitore? Suet. L. Ottacilius seruisse dicitur, atq; etiam hostiarius in cathena fuisse. *idq; prisco instituto, quod ex Ouid. 1. Fastorum claret. Ille apud Plautum Trin. ostiarium allequitur*: Heus ecquis foribus tutelam gerit? *hoc enim eius munus quod Ouid.* egressus introitusq; videt. *Et 3. Am.* Excubui clausam seruus vt ante domum. Hæc Wouwerius. Componit inde, vt reor, Seneca lib. 3. de Ira. cap. 27. ostiarium catenato cani, quod vinctus vterq; allatret ingressuros: *Iratum vidisti amicum tuum ostiario causidici alicuius, aut diuitis, quod intrantē summouerat, & ipse pro illo iratus extremo mancipio fuisti. Irasceris ergo cathenario cani?* pars ædium minima. Indignus eras cella, ne dicam tota domo, & bonis omnibus. AT ME) Ego infelix tracto nobiliores artes. & tamen non inuenio tales patronos: eccur non didici etiam sellulariam? FRANGE LEVES CALAMOS) abiice studia, & literas, nuncium mitte Musis, quando plus prodest calceus quam calamus. Idem Iuuenalis Sat. 7.

Frange miser calamos vigilataq; prælia dele,
Spes nulla vlterior.

Ibidem de Rhetoribus & Grammaticis paupertinis.

De effigie Camoni.

LVII. LXXVII.

Effigiem tantum pueri pictura Camoni
*Seruat, & infantis * prima figura manet.*
Florentes nulla signauit imagine vultus,
Dum timet ora pius muta videre pater.

* parua.

Camonum vicennem pater amissum ex more veterum alioqui non expressit imagine, ne mortui adolescentis aspectu renouaret dolorem, eundem tamen, vt infantem, effigiatum retinuit, ne filij obliuisceretur defuncti, & iucundior esset recordatio tacentis. FLORENTES) viginti annorum. mox infra de eodem.

Creuerat hic vultus bis denis fortior annis.

TIMET ORA MVTA) muta enim pictura. infantes nondum loquuntur: pictura ergo magis infanti conuenit, quam viro.

De balneo Tuccæ.

LVII. LXXVII.

Non silice duro, structiliue cæmento
Non latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit:
Sed strage nemorum, pineaque compage,
Vt nauigare Tucca balneo possit.

Idem beatas lautus extruit thermas,
De marmore omni, quod Caristos inuenit,
Quod Phrygia Sinnas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lauit Eurotas.
Sed ligna desunt: subice balneum thermis.

Irridet balneum Tuccæ ligneum, & thermas marmoreas; cum ordo materiæ vertendus esset. balneum enim hoc loco accepit pro receptaculo aquarum frigidarum, seu cella frigidaria, thermas pro caldaria, in qua erant calefaciendæ aquæ. conueniebat, vt thermæ fierent ligneæ aquis calefaciendis multo aptiores, & marmora frigidæ excipiendæ pararentur. Habebant prisci Romani iuxta thermas etiam cellas frigidas, vt ex Papinio, Martiale, aliisq; doceri potest. Tu Plinij Iunioris locum audi, ex quo de reliquis existimes. *Inde Balinei cella frigidaria spaciosa & effusa, cuius in contrariis parietibus duo baptisteria velut eiecta sinuantur, abunde capacia, si nare in proxima cogites,* & quæ ibidē sequuntur. ad quē locum Cataneus. *Vbi,* inquit, *aqua frigida, si pœnituisset teporis, lauabātur. Nā balinei cellæ tres erāt caldaria, vbi calida, tepidaria, vbi tepida, frigidaria, , vbi frigida seruabatur.* Idē Vitruuius & alij. Hinc ergo iocus Martialis. cum Tuccæ thermæ, vt quæ marmoreæ, admodum frigent, suadet, vt balnei cellam frigidariam ligneam subiiciat thermis, vt calefiant. NON SILICE DVRO) Hinc intelligis, ex qua materia vulgo frigidariæ cellæ fierent, vel ex cemento & latere, vel silice, vel marmore, imo argento lautioribus. Lege, si miraris, & mirare apud Lipsium in admirandis lib. 3. cap. 8. toto. SEMIRAMIS) Iam lib. spect. ep. 1. Babylonem & reginam Semiramidem enarrauimus. SED STRAGE NEMORVM) velut classem ædificaturus, VT NAVIGARE) non lauare, aut natare velle videatur. BEATAS THERMAS) magnificas, sumptuosas, operosas. DE MARMORE OMNI) enumerat ordine genera marmorum præstantissimorum, de quibus supra in balneo Hetrusci diximus. Hic tantum Senecæ locum, hunc mirifice illustrantem adscribo, sic enim epist. 86. de luxu balneorum. *Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis ac pretiosis artibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint, illis vndique & in picturæ modū variata circumlitio prætexatur, nisi vitro condatur camera, nisi Parius & Thasius lapis quondam rarū in tēplo spectaculum, piscinas nostras circūdederint, nisi aquā argētea* epitonia † fuderint. Et adhuc plebeianas fistulas loquor, &c.* CARISTOS) insula in mari Aegeo Plinio, aliis in Laconica, aliis in Eubœa oppidū Ptolomæo. Dryopes condidere, si verus Diodorus. de Caristo sic Plinius, *at nobilis, Caristus, notior tamen marmore Caristio. ante vocitata Chalcedotis, aut Macris vt Dionysius & Ephorus tradunt, vt Aristides, Macra, vt Chalidemus, Chalcis are ibi reperto, vt Menechmus Abātius, vt poeta vulgo Asopis.* Caristio marmore ingētis magnitudinis & tabulæ excindebātur priuatim & publice ad ornatū vrbis Romæ: nā in ripa mōtis Salomini consistit Caristus, tradente Strabone, cui vicina sunt Styra & Marmarium, in quo carystiarum columnarum latomia est. Ad Caristum vero lapis nascitur, quem pectunt, nent, texunt: inde mantilia conficiuntur egregie contexta: ea vbi sordescunt, in flammas proiecta non secus emendantur, quam si maculas elueris. Stephanus duas ponit Caristos: sed hæc multa nimis: lege Catanæum ad Plinium iun. ep, 6, nos supra de eadem. QVOD PHRIGIA, SINNAS) Marmor Sinadicum lib. 6. ep. 42. exposuimus ad illum versum, *Quæ Phryx & Libys cecidit.* Erat purpureum, vt Numadicum seu Africanum, de quo ibid. Papinius Silu.

* epistomia
epithomica.
† fuderunt.

Sola nitet flammis Nomadum decisa metallis
Purpura sola cauo Phrygio quam Sinados antro
Ipse cruentauit maculis lucentibus Atys.

Plura apud Plinium lib. 35. cap. 1.

AFRA NOMAS) Numadicum marmor, vt iam est dictum. ET QVOD VIRENTI FONTE LAVIT EVROTAS) Lacedæmonium marmor viride, quod ad Eurotam fluuium Spartanum reperitur, supra lib. 6. ep. 42. vocauit Taygeti metalla. SED LIGNA DESVNT) vt calefiant thermæ, incende balneum illud genus ligneum, & subiice thermis. sic absurde factum ostendit ex absurdo, à Tucca, quod ligneum frigidarium, & marmoreum caldarium fecerit, cum contra fieri oportuerit. Subice scribendum ne ex Scazonte Vulcanus fiat.

De effigie Camoni.

LXXVIII.

LVIII.

Hæc sunt illa mei, quæ cernitis ora, Camoni:
Hæc pueri facies: primaque forma fuit.
Creuerat hic vultus bis denis fortiter annis:
Gaudebatq; suas pingere barba genas.

Et

*Et libata semel summos modò purpura * cultus*
Sparserat: inuidit de tribus vna soror,
Et festinatis incidit stamina pensis,
Absentemque patri rettulit vrna rogue.
Sed ne sola tamen puerum pictura loquatur,
Hæc erit in chartis maior imago meis.

* cultros

HÆC SVNT ILLA] Ad effigiem Camoni videtur fuisse scriptum, idem argumentum cum tetrasticho 76. Epigrammatis, nisi quod hic paulo explicatius scribat de annis, & morte Camoni. De consuetudine priscorum seruandi imagines defunctorum aut charorum Heraldus. Mos hic hodie magis viget ac olim. PVERI] infantis imago. CREVERAT HIC VVLTVS] vicennis erat. ET LIBATA SEMEL SVMMOS MODO PVRPVRA CVLTVS SPARSERAT] sensus est. Et semel illi barba resecta erat. PVRPVRA] barba forte subrufa, aut prima lanugo, quæ flauescit potius; videtur tamen rufam insinuare. SVMMOS CVLTVS] vestem supremam togæ iniectam abscissa barba inspersetat. Cultros, forfices; quod prætulerim vulgatæ lectioni cultus. INVIDIT DE TRIBVS VNA SOROR] florem iuuentæ inuidit fatum adolescenti. VNA] Lachesin ponit Domitius, alij Atropon, quibus accinit vulgo iactatus versus,

Clotho colum retinet, Lachesis net, & Atropos occat.

Poëta quamuis ex tribus, nullam designate videtur intelligere, vt alibi. *Et semper de tribus vna secat*, seu Clotho, seu Lachesis, seu Atropos. Parcarum fabulam apud Gyraldum habes & Natalē, aliosq; Mythologos, ego propero. HÆC ERIT IN CHARTIS] Vetus poëta, vt & Isocrates in Euagora, qui ceteram pompam funebrem interire, laudes autem oratione celebratas vetustatem non sentire dicit. De eadem Plinius Iun. in epist. Et noster lib. 7. ep. 83. *Certior in nostro carmine vultus erit.*

De conuiuio Prisci.

LIX. LXXIX.

Quod optimum sit, disputat, conuiuium.
Facunda Prisci pagina:
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum sit, quæritis conuiuium?
In quod Choraules non venit.

Omnia præter extremum versum liquent, hunc expono. IN QVOD CHORAVLES NON VENIT] Choraula seu Choraules à græco χοραύλης deductum est. Choraula is dicitur, qui in choro musico tibiam inflat. diximus super hac re lib. 5. ep. 56 Adhibebantur olim ad conuiuia omnis generis fere instrumenta musica, cantabatur, saltabatur, pugnabatur, vt alia taceam. Poeta igitur ait illud esse conuiuium dulcissimum & suauissimum, in quod nullus veniat Choraules, hoc est, à quo absit omnis tumultus clamantium, saltantium, ebriosorum. Ita speciem pro toto posuit genere & tumultu musico, simulque irridet occulte Priscum, tam multis chartis de hac re disputantem, cum verbo dici possit. Faciunt mentionem eiusdem vocis & Plinius, & Suetonius in Nerua. Apuleius in asino aureo. Cæterum de solenni priscorum, nostrorumque temporum vsu musices in conuiuiis copiosissime scribit Stuckius lib. 3. cap. 20. Notum est adagium, *malus Choraules, bonus symphoniacus*. Plura Adagiographus. *Macrobius lib. 2. Saturnal. c. 1. Hæc nobis sit literata lætitia, & docta cauillatio vicem planipedis & fabulonis impudica & prætextata verba iacientis ad pudorem & modestiam versus imitata.* Plura Isaacius Potanus ad hunc Macrobij locum.

V.C. In quo Choraules non erit.

Ad Picentinum.

LX. LXXX.

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,
Picentine: sequi vult puto Galla viros.

Vt supra Fabius & Chrestilla venefici, alter vxores, altera viros extulerat, ita hoc loco Picentinus & Galla post funera vtrinque elata non pauca iuncti sunt matrimonio. Sensus ergo est. Galla venefica post occisos septem viros, tibi Picentino Venefico & parricidæ nupsit. Ergo videtur decresse mori, quod tibi nupserit, qui perinde tollis è medio vxores, vt Galla viros, quos videtur velle sequi dum tibi nupsit, vt occidatur abs te, vt aliæ sunt occisæ.

Ad Domitianum.

LXXX. LXI.

*priorem.

*Oderat antè ducum famulos, turbamq; * minorem,*
Et Pallatinum Roma supercilium.
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Ut sit cuique sua cura secunda domus.
Tam placidæ mentes, tanta est reuerentia † nostri,
Tam placata quies, tantus in ore pudor.
Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsarianus habet.

V.C † vestri.

ODERAT ANTE DVCVM] blanditur Cæsari & Cæsarianis. Priorum Imperatorum familia tam arrogans, & superba fuit, vt intoleranda videretur ciuibus, tua tam est comis & humana, vt plus illam, quam se diligant ciues. An ad Tigellium & Neronis libertos respicit? Iuuenal. Maxima quæque domus famulis est plena superbis. Gruterus ex Pal. CC. rescribit priorem, & refert ad libertos, quod placet. PALATINVM SVPERCILIVM] metaphora aulicum fastum ostendit. CVRA SECVNDA] plus illos, quam se, curant cuncti. DOMINI MORES] *totus componitur orbis Regis ad exemplum. &c.* Cicero lib. 5. ad Att. ep. 11. Si verum est illud ὁποία ἡ δέσποινα, τοῖαι καὶ θεραπαινίδες, qualis hera, tales pedisequæ. Sidonius epist. 9. lib. 4. *Seruat illæsam domino domus par pudicitiam.* Arnobius ad Psal 130. *Vsitata vulgo sententia est, quæ dicit iuxta mores domini, familiam constitutam.* Recte Mœcenas apud Dionem admonet Augustum, πάντως γὰρ, ὅπως ἂν ἢ καλῶς, ἢ κακῶς χρήσωσι, σοὶ προσθήσεται, καὶ τοιοῦτος ὑφ' ἁπάντων νομισθήσῃ, ὁποίοις ἂν ἐκείνοις ἐπιτρέψῃς. CÆSARIANVS] Palatini serui aulicum officium, qui in aulis versantur.

Ad Aulum.

LXXXIII. LXII.

Lector, & auditor nostros probat, Aule, libellos:
Sed quidam exactos esse poëta negat.
Non nimium curo: nam cœnæ fercula nostræ
Malim conuiuis, quàm placuisse cocis.

al. excoctos.

LECTOR, ET AVDITOR] carmina probari sua passim ab omnibus, ab vno tamen aliquo vituperari, velut non satis limata & emendata dicit. Respondet poëta se conuiuis, non cocis, scribere epigrammata, poëtam illum æmulum esse cocum, non poëtam. SED QVIDAM EXACTOS] non nemo putat legendum, excoctos, nescio, num acute magis, an vere. sane ad sequentem versum illa coniectura bellè collineat, quasi cocus à sua arte petita metaphora dixerit, Martialem non satis excoctum esse, cui Martialis, se non cocis, sed conuiuis ludere. Cocum hoc loco putant hominem lautum & nobilem dici, qui vocet parasitos ad cœnam à quibus vt poëta laauderur vt dictum lib. 6. ep. 48.

Quod tam grande sophôs clamat tibi turba togata,
Non tu Pomponi, cœna diserta tua est

Et lib. 12. ep. 48. *Conuiuas alio, &c.*

In Cinnam.

LXXXIV. LXIII.

Nummum. forte Mundi, vt infra li. 16. ep. 36.

Dixerat Astrologus periturum te citò, Cinna:
*Nec puto mentitus dixerat ille * mihi.*
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes.
** Bis quartum decies, non toto tabuit anno:*
Dic mihi, non hoc est, Cinna, perire citò?

*Q. sibi relinea.

Bisq; tuum.

DIXI-

DIXERAT ASTROLOGUS] Astrologus Cinnam diuitem breui moriturum prædixerat. Cinna decoxit subito omne patrimonium, nec mortuus est. Poeta veridicum fuisse ait astrologū, vere enim periisse Cinnam, cum ad incitas redactus sit. Lusit in ambigua voce perire, quæ ad vitā, Astrologi sensu: poetæ, ad fortunas refertur: Lepidum est Lucilij epigramma in 2. Anthol. cap. εἰς ἀστρολόγους de Aulo, qui se quartam dixerat non superuicturum, cum iam quinta adesset, ne mendacij argueretur, seipsum suspendit: ita nec Aulus falsidicus erat. Huius notæ astrologus fuit Michael Stifelius, dignus qui ex gabalo semper aspiciat astra, quem Ecloga nona celebrat Hanardus Gammerius: hic in Saxonum pago Xylodorpij paganis suis in annum Christi M. D. XX XIII. V. Nonas Octobris fatalem & decretorium mundi diem edixerat, eoque rem deduxerat, vt creduli agrestes rem familiarem in tabernis & cauponis dies noctesque pergræcando confringerent. Sed cum destinato die nihil eorum quæ prædixerat Stifelius euenisset, plebs decoctis opibus prope in rabiem acta, vatem suum vinctum ad magistratum rapuit, nec tamen quicquam profecit. Eiusd. farinæ mathematicus fuit Ioannes Campanus præstigiator insignis, qui eod. vltimi diei imminentis vaticinio colonis persuasit ne agros colerent, immo hastæ subiicerent vti Guilelmus Lindanus l. 1. c. 9. de fug. idol. narrat. In eod. ludo versatus est Andreas Osiander edito etiā oraculo, vti ostendit Ioan. Nasus Centuria prima. verit. 2. digni omnes qui Rhodum ad Tiberiū ve idicorum exploratorem mittantur. Bisque tuum decies, lege, id est, vicies centena millia HS. siue 50. millia philippæorum. Bis quartum decies essent octagies HS.

Ad Cæsarem Domitianum.

LXIV. LXXXV.

Inter tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ,
Quæ vincit veterum munera clara ducum,
Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

INTER TANTA] Histrionibus Domitianus scenam interdixit, edictum laudat poeta. sententia totius epigrammatis est, multum tibi omnes debent spectatores, Cæsar, ob spectacula sumptuosissima, & magnificentissima, quibus priorum Principum omnia munera & ludos superasti. sed plurimum histriones, qui antea actores. Multum oculi, id est histriones, qui aures aliorum occupabant recitandis versibus, & spectare non poterant. De eiectis histrionibus lege Suetonium cap. 7. *Interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem iureconcesso.* Verum tota hæc enarratio primum quidem legenti occurrit. Si altius inspicias cum Lipsio, intelliges, hic de Equitibus sermonem esse, quos priores Principes ad operas scenicas adegerant, Domitianus minime, ne clarissimus ordo sordesceret. Errant qui lege Domitiana recitationem poetarum vel oratorum sublatam ex hoc carmine docent.

Equitibus Romanis scenam interdixit, id est, ne equites histrionia exercerent.

Ad Norbanum.

LXV. LXXXVI.

Cum tua sacrilegos contra, Norbane, furores
Staret pro domino Cæsare sancta fides:
Hæc ego Pieria ludebam tutus in vmbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ,
*Me tibi Vindelicis * raptum narrabat in oris,*
Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
O quoties veterem non inficiatus amicum
Dixisti, meus est iste poeta, meus!
Omne tibi nostrum, quod bis trieteride iuncta
Ante dabat lector, nunc dabit auctor opus.

* *mæstum forem raptū.*

CVM TVA SACRILEGOS] lectos olim Norbano seorsim singulos, nunc vno volumine digestos mittit in Vindeliciam libellos. SACRILEGOS FVRORES] Cum L. Antonius Saturninus, superioris Germaniæ præses, contra Domitian. bellum suscepisset, Norbanus hic, vt habet Aurelius

relius victor, Antonium vicit. Epitome Xiphilini à L. Maximo superatum tradit: certe prælio interfuisse constat, & Rhetiæ præfuisse amplissimus & doctissimus Marcus Velserus II. vir libro 6. rerum August. suspicatur. nos caussam huius belli à Saturnino gesti retulimus libro 4. epig. 11. in hunc ipsum Antonium Saturninum. sacrilegos vocat poeta, quod contra sacram Cæs. maiestatem pugnarent. hinc Norbani sanctam appellat fidem pro Cæsare stantem. HÆC EGO PIERIA LVDEBAM TVTVS IN VMBRA] Romæ nempe, aut in suburbana vmbra, poetæ delectantur quiete, nam, Ouidio teste:

Carmina secessum scribentis & otia quærunt.

Virg. *Tityre tu patula recubans sub tegmine fagi*
Siluestrem tenui Musam meditaris auena.

ME TIBI V. IN O.] sensus est. Arctos (cui subiecta Vindelica) non nescia mei nominis narrabat tibi in Vindelicis oris degenti, & pugnanti me defunctum esse, qui rumor, credo, dilatus est ex morbo, quo de lib. 8. ep. 26.

Vidisti semel, Oppiane, tantum
Ægrum me malè, sæpe te videbo.

Et lib. 6. ad Hiantida. VINDELICIS IN ORIS] Vindelicia non continet Augustam tantum, sed quicquid inter Rhetos & Noricos est, de quibus Strabo lib. 4. Velserus primo libro rerum Aug. operose & acurate scripsit. *Constat quidem*, inquit, *inter omnes, sic vt de eo non possit ambigi. Quicquid à Danubij fontibus ad Oeneum inter Italiam & Germaniam iacet, pertinere aut ad solos Rhætos, aut ad Rhætos vna cum Vindelicis, isto ordine, vt Rhæti ad occidentem, Vindelici ad orientem solem vergant. Hi Oeno, illi Danubij fontibus propiores sunt.* Et paulo inferius. *Nam, vt vno verbo absoluam, Quisquis Vindelicorum vnquam meminit, inter Rhætos & Noricos sitos esse sensit.* Hæc Velserus. Vindelicia autem à Vindone & Lyco, seu Lico fluuiis (quos inter velut insula, media sita est Augusta) nomen accepit. Vindelicam & Rhætiam graphice descriptam, & tabulis expressam videbis apud eundem lib. 1. ARCTOS] pro septentrione, cui subiecta Vindelicia, vti & tota Germania, accipitur. Visa seu plaustrum etiam agrestibus nostris haud ignotum sidus. BIS TRIETERIDE IVNCTA] sexennio, vt alibi dictum: trieteris enim triennium continet. ANTE D. L. N. O. D. A. OPVS] Antea qui libros meos sparsim legebant, etiam tibi legendos afferebant: nunc ipse collectos tibi omnes mitto.

De Paullo.

De Paullo ad Atilium. LXXXVII. LXVI.

Languidior noster si quando est Paullus, Atili,
*Non se * conuiuis abstinet ille * suis.*
Tu languore quidem subito, fictoq; laboras,
Sed mea porrexit sportula, Paulle, pedes.

** conuiuas.*
** suos comedantius.*

Perijt nempe mihi sportula.

LANGVIDIOR] ægrum se Atilius simulabat, ne cogeretur amicis impertiri sportulam. hūc morbum non Atilio, sed suæ sportulæ ait lethalem. NON SE CONVIVIS ABSTINET ILLE SVIS] aut, vt alij legunt, conuiuas abstinet ille suos. eodem res redit. cum ægrotat Paullus, non ille se à conuiuiis, nec conuiuis abstinet, vt tu, qui tamen mihi tantum, non tibi moreris, dum morbum fingis, vt mea moriatur sportula. Porrigere pedes dicitur de mortuis, qui depositi ad ianuam versus viam pedes tendebant. Sic Persius Sat. 3.

Hinc tuba candela tandemq; beatulus alto
Compositus lecto, crassisq; litatus amomis
In portam rigidos calces extendit——

Ritus naturæ, inquit Plinius, *capite hominum gigni est, pedibus efferri.* Domitius aliter versum interpunctum legit. Non se: conuiuis abstinet ille suis. Quasi Paullus etiam non admitteret clientes, contrario sensu: sed Paullum laudat Martialis, Atilium reprehendit. Potest tamen & hic sensus elici. Atili, quando Paulus decumbit, abstinet ille quidem se, non tamen à conuiuiis sed à conuiuis. Tu vero etiam cum non laboras, sed tantum fingis morbum. Interim tamen dum vos seu vere seu ficte ægrotatis, mea sportula moritur, quia neuter me ad cœnam vocat, aut sportulam porrigit, vnde sportula porrigit pedes. Vel conuiuas abstinet suos, à cibo nempe vti locutus est Seneca: Vrendus, secandus, abstinendus sum. Et S. Cyprianus abstentus, à sacra communione proscriptus.

Ep. 76.

De

De filio Silij.

LXVII. LXXXVIII.

Festinata sui gemeret cùm fata Seueri
Silius, Ausonio non semel ore potens:
Cum grege Pierio mæstus, Phœboq́; querebar,
Ipse meum fleui, dixit Apollo, Linon.
Respexitq; suam, quæ stabat proxima fratri,
Calliopen, & ait, tu quoq; vulnus habes.
Adspice Tarpeium, Pallatinumq́; tonantem,
Ausa nefas Lachesis læsit vtrumq; Iouem.
Numina cùm videas duris obnoxia fatis,
Inuidia possis exonerare deos.

Funebre carmen, quo deflet minorem natu filium Silij. De hoc Plinius lib. 3. ep. 7. *Beatus & felix* (pater nempe) *nisi quòd minorem è liberis duobus amisit, sed maiorem, melioremq́; florentem atq; etiam consularem reliquit.* Vnde intelligis hunc Seuerum moribus non vndequaque emandatis fuisse, quando maiorem vocat meliorem. SILIVS A. N. S. O. P.] pater Oratorem egit vsque ad consulatum, vltimam ætatem totam consecrauit Musis & carminibus pangendis, quod ipsum ex Plinio iuniore intelligas. CVM G. P. Q.] deflebam Seuerum. & fleuere mecum Apollo & Musæ. Apollo dixit hunc fuisse alterum suum Linum, Calliope Orpheum. Linos apud veteres scriptores varios reperio. Philarchus historicus Lino lamentationes, & fletus elegiaco carmine scriptos memorat. Dio in tertiâ compositione Linum alium ex Apolline & Psamate nympha natum tradit. & à Psamate ad Nemeum fluuium editum Linum appellatum, quod verbum antiquis Argiuis spurium sonat. Alium fabulantur Apollinis & Terpsichores filium, ab Hercule cytharâ occisum, cuius discipulus fertur Orpheus. Postremo Linum Amphimori & Vraniæ gloria musices mortales omnes superantem lego, ab Apolline, cui se conferebat, occisum. Hic alterum ex Apollinis filiis intelligit, quem componit poëta Seuero Silij, vt Silius sit Apollo, Seuerus Linus. Cùm quereret apud Apollinem de morte Seueri immaturo fato defuncti, respondit Apollo, humanè ferendum esse casum Seueri, cùm eundem subire cogantur Deorum filij, inter quos Linus. Locus autem è Virgilio expressus lib. 10.

——Troia sub mœnibus altis
Tot nati cecidêre Deûm; quin occidit vna
Sarpedon mea progenies.

Orpheus suismet scriptis est clarus & nobilis, Calliopes & Apollinis filius. Virgilius de vtroque in Ecloga 4.

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamuis atq; huic pater adsit
Orphei Calliopaa, Lino formosus Apollo.

Alij Æagri & Polymni filium aiunt, alij aliorum. VVLNVS HABES] vterque periit & Linus Apollinis, & Orpheus Calliopes. Linus alter ab Hercule cythara mactatus, alter canibus expositus, & laniatus. Orpheus Bacchi indignatione, cuius apud inferos laudes tacuerat, à Bacchis immissis est laniatus: fabulam habet Ouid. in Met. alij alias mortis causas fingunt. Fulminatum refert in epigrammate Leonidas.

Θρήικα χρυσολύρην τῇδ' Ὀρφέα Μοῦσαι ἔθαψαν
Ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει.
Quem Iouis horrificus percussit fulminis ictus,
Conditus hoc Musis Orpheus est tumulo.

Vulnus habes: elegans metaphora, Seneca ad Polyb. cap. 25. *Omnes scient quomodo te in isto vulnere gesseris*: Et Cicero frequenter, imposita Reip. vulnera sanare, &c.

ASPICE TARPEIVM] si fata immortalium deorum natos tollunt, quid querimur mortales? Iupiter enim ad Troiam Sarpedonem amisit Domitianus alter in terris Iupiter suum filium Domitianum in secundo consulatu, de quo nos suprà lib. 6. ep. 3. ad illud *Nascere Dardanie*, &c. Sarpedon Iouis & Laodamiæ filius Homerus Iliad. 2.

Λαοδαμείη μὲν παρ' ἐλέξατο μητίετα Ζεύς
Ἡ δ' ἔτεκ' ἀντίθεον Σαρπηδόνα χαλκοκορυστήν.

Lyciorum ductor interfectus est à Patroclo Iliad. π. mortis facit mentionem Virgil. 1. Æn. lege Dictyn Cret. lib. 1. Diodorum lib. 5. Triphiodorum. Sarpedonis epitaphium est apud Ausonium, quo simul & parentes, & mortem exponit.

Sarpedon Lycius, genitus Iouis numine patris,
Sperabam cœlum, sed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lachrymis. Prô ferrea fata,
Et patitur luctum, qui prohibere potest?

In eundem Sarpedonem extat lib. 4. Anthol. epigramma, cuius hoc initium [illegible]. NVMINA C. V. D. O. FATIS] non est, quòd superis irascaris. IN P. E. D.] cùm ipsimet non possint à suis natis fata arcere. Non dubito, quin ad imitationem Antipatri scripserit hoc Martialis; sic enim ille post tetrastichon in Orpheum.

Ἄλλο γὰρ οἱ δὲ [illegible] θύγατρες
Μναμοσύνας μάτηρ δ' ἔξοχα Καλλιόπη,
Τί φθιμένοις στοναχεῦμεν ἐφ' υἱάσιν, ἀνίκ' ἀλαλκεῖν
Τῶν παίδων ἀΐδαν οὐδὲ θεοῖς δύναμις.
Mortuus es. nata lacrymis luxere profusis,
Mnemosynes luxit Calliopeq́ parens.
Sed cur legemus natos? nam Ditis auari,
Et natos superûm ferrea fata trahunt.

Ad Lupercum.

LXXXIX. LXVIII.

Septem post calices Opimiani
Denso cùm iaceam triente blæsus,
Adfers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, modò liberum esse iussi:
*** Zenas seruulus est mihi paternus:*
SIGNA. cras melius, Luperce, fiet.
Nunc signat meus annulus lagenam.

**Zonā. Zenam: Nastā.*
**Hæc omnia dicis in persona Luperci. Signa inquis Lupercus. Cras) respondet Martialis.*

SEPTEM] in testamentorum suppositorem est hoc epigramma, qui cum testes iubebat obsignare, cùm iudicare de testamento, rectè, an perperam scriptum esset, ebrij non poterant. Martialis ergo sobriis testamenta signanda docet. SEPTEM POST CALICES] Postquam hausi septuncem optimi, & præstantissimi, vetustissimique vini, Opimio consule conditum, & lingua balbutio, adfers tabulas. malim tamen hic calicem non pro cyatho (quorum duodenos continet sextariu) sed pro triente accipere. vt septem trientes biberit, non septem cyathos. triens autem quatuor cyathos capit; ita septem trientes efficerent duos sextarios, & quatuor cyathos, hoc est, mensuram vini nostratem, & trientem. alioqui non videtur septem cyathis mentis & linguæ vsum amissurus fuisse, dimidio sextario & vno cyatho, nisi dicas vinum tam præstans fuisse, vt vel minima pars, sensus capere potuerit. BLÆSVS] blæsus est, qui litteras non potest omnes ritè exprimere, τραυλότης, inquit Aristoteles in problematis segmento vndecimo, τῷ γράμματός τινος μὴ κρατεῖν εἶναι τυχόν, cùm quis litteræ alicuius non casu, sed vitio, est impotens. ψελλότης balbutiens dicitur, ἰσχνοφωνία, vel ἰσχοφωνία hæsitantia. ADFERS] tabulas supposititias, quibus declaras te manu misisse seruum. ZENAS] Zenam vel Zonam alij legunt cum interpunctione:

——— modò liberum esse iussi
Zonam: seruulus est mihi paternus.

alij Nastam.

SERVVLVS PATERNVS ZENAS] frugi nempe seruus, vt qui diu eidem seruisset domino, quod boni serui argumentum: vt contra improbi, qui sæpè dominos mutabant, qualem Eutropium Claudianus describit. Vide Heraldum. SIGNA] tabulæ emptionum, venditionum, testamentorum, quæcumque vel publici, vel priuati contractus scripturam continebant, obsignari solebant. modum autem obsignandi docet Paullus Iurisconsultus lib. 5. Sententiarum Tit. 25. *Amplissima,* inquit, *ordo decreuit eas tabulas, quæ publici vel priuati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, vt in summa marginis ad mediam partem perforata, triplici lino constringantur, atq; impositæ suprà linum ceræ signa imprimantur, vt exteriores scripturæ fidem interiori seruent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Hos hic cœpit Neronis æuo. Suet. cap. 17. Idem testantur Seneca lib. 3. de Ben. cap. 15. Ausonius ad Paullum ep. 23. Veteres tamen & linum, & ceram etiam adhibere solitos ad signandas

das litteras, & tabulas, ex Plauto, Cicerone, aliis discis. Ad signandum porro amici vocabantur, & Iurisconsulti. Verbum autem solenne dicebatur SIGNA, si vnus esset, aut SIGNATE, si plures, aut SIGNENT LICET, &c. Legatur Brissonius lib. 6. Form. Lupercus ergo quas tabulas, vel testamenta falsa vellet subiicere, ea signanda amicis iam ebriis offerebat, vti tabulas vel non lectas, vel non intellectas signarent. Martialis hanc improbitatem & fraudem notat. CRAS] cum sobrij erimus. εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα, in crastinum seria. NVNC SIGNAT MEVS ANNVLVS LAGENAM] lagenas & vasa signabant veteres, ne serui furaces vinum haurirent, aliasue res escarias furarentur. Cuius rei illustre testimonium est apud Cic. lib. 6. epistola ad Tironem. *Sicut*, inquit, *olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat.* Plautus in Persa. *Nam id demum lepidum est, triparcos homines vetulos auidos bene admordere, qui salinum seruo obsignent cum sale.* Horatius ep. 2. lib. 2.

——posset qui ignoscere seruis,
Et signo læso non insanire lagenæ. Vide Torrentium ad eum locum.

Persius Sat. 6. *Et signum in vapida naso tetigisse lagena.*

Martialis ergo iam semipotus dicit se solicitum esse de lagena sua signanda, ne serui furtim exhauriant, ebrios enim dominos obseruabant. Alij quidam signatam aiunt à Martiale ne Lupercus & Zenas impuri eam contingerent. De annulo signatorio & alijs eiusdem vsibus libro 14. lemmate Annulus.

Simili fraude vsum esse apud Cic. Oppianicum in Asinii testamento. Lege Plin. c. 1 libro 33. Quæ fuit illa priscorum vita, &c. Lips. ad 2. annal. Tac. Plurima Meursius ad Lycophr. Cassandr. Τὰ δ' ἄλλα ἀργυρώνητον.

Ad Rufum.

LXIX. XC

Dum me captares, mittebas munera nobis:
Postquam cepisti, das mihi, Rufe, nihil.
Vt captum teneas, capto quoq; munera mitte,
De cauea fugiat ne male pastus aper.

DVM ME CAPTARES] Amicitiam donis partam, donis alendam & conseruandam docet. CAPTARES] amicitiam meam affectares, aut opes etiam & hæreditatem; nam captare proprium est hæredipetarum. DE CAVEA FVGIAT NE MALE PASTVS APER] à simili, vt aper, aut fera esuriens fugit, sic ego nullo abs te cultus munere, subducam me à tua amicitia. Carcer vel pro antro, vel claustro, vel cubili ferarum accipitur. In circis autem & Amphitheatris ima pars, & ipsa arena vocabatur cauea, in quam ex specubus subterraneis emittebantur feræ, qui specus & ipsi vocabantur caueæ. Liuius lib. 12. Statius Sil. 2.

——stat cardine aperto
Infelix cauea & clausis circum vndiq; portis
Hoc licuisse nefas pauidi timuere leones.

Vopiscus in Probo, *Neque erat bestiarum impetus ille, qui esse caueis egredientibus solet.* idem alij. Lipsius lib. de Amphith. cap. 9. Consuesse autem id fieri, vt feræ caueis nonnunquam elaberentur, docet Tertullianus ad Martyres. *Quotiens feræ in syluis suis, & in mediis ciuitatibus elapsæ caueis homines deuorarunt.* Adde Tertulliano Marcellinum libro 39. de Valentiani Augusti seuissimis vrsis binis.

Ad Stellam.

LXX. XCI.

Apparet & hunc versum ex tempore factum.

Lege nimis dura conuiuam scribere versus
Cogis, Stella: licet scribere, nempe malos.

LEGE NIMIS DVRA] iussus à Stella versum ex tempore condere poeta, negat ex tempore bonum versum fieri posse, & hoc ipsum, quod negat fieri posse, ex tempore facit. Ita Sidonius de se affirmat. *Annuo postulato* (inquit princeps) *si hoc ipsum è vestigio versibus petas, Fiat, inquam, retrorsumq; conuersus, tamquam aquam manibus poscerem, tantumq; remoratus quantum stibadij circulum celerantia ministeria percurrunt, cubitum toro reddidi. Et imperator: spoponderas, te licentiam scribendæ satyræ versibus subditis postulaturum, Et ego:*

Scribere me satyram qui culpat maxime princeps,
Hanc rogo decernas, aut probet, aut timeat.

Secutus est fragor (nisi quod dico iactantia est) per Camillano, quem quidem non tam carminis dignitas, quam temporis breuitas mouit. Epistola est lib. 1. vltima. De Augusto refert Suetonius cap. 88. his verbis. *Sed ex dilectis vnum Masgabam nomine quasi conditorem insulæ κτίστην vocare consueuerat. Huius Masgabæ ante annum defuncti tumulum, cum ex triclinio aduertisset, multis luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronunciauit.*

Κεῖτε δὲ τύμβον ἐσορῶ κυρόμενον.

Conuersúmque ad Thrasyllum Tiberii comitem, contra accubantem & ignarum rei interrogans, cuiusnam poeta putares esse? Quo hæsitante subiecit alium.

Ὀρῶ τι φάεσι μακάρων τρεφόμενον;

De hoc quoque consuluit. Cum ille nihil aliud responderet, quam cuiuscumque essent, optimos esse, cachinnum sustulit, atque in iocos effusus est. Cicero laudat ab hac facultate, & celeritate Archiam. *Quoties ego, ait, hunc Archiam vidi, cum litteram scripsisset nullam magnum numerum optimorum versuum, de iis ipsis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore, quoties reuocatum eandem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis.* Et alibi Antipatrum Sidonium. NEMPE MALOS] nihil hoc verius. vix enim meditati dignum aliquid æuo condimus. sensit idem poeta noster de carminibus, quod de pictis tabulis Apelles. Huc Euripidis, Horatij, Taciti, Quintiliani, omniumque emendati iudicii hominum iudicia recidrunt, subitos versus bullas esse inanes, anteque parentem plerumque mori male natos.

Ad Flaccum.

XCII. LXXI.

*Sic in gramine * floreo reclinis,*
Qua gemmantibus hinc & inde riuis
Curua calculus excitatur vnda,
Exclusis procul omnibus molestis,
** Perfundas glaciem triente nigro,*
Frontem sutilibus ruber coronis:
Infamem nimio calore Cypron
Obserues moneo, precorque Flacce,
Messes area cum teret crepantes,
Et fului iuba sauiet leonis.
At tu diua Paphi remitte nostris
Illæsum iuuenem, remitte votis.
Sic Martis tibi seruiant Kalendæ,
Et cum ture, meroque, victimaque
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

** florido vel elenis. Vide 2. Sat. Horatii*

** Portundas v. frangas.*

SIC] Flaccum amicum in Cypro degentem monet, vt per ardores æstiuos tueatur valetudinem, quo saluus & incolumis possit redire in vrbem. SIC] Quam moneo, vt in omne genus voluptatum te effundas, tam hortor, vt seruias valetudini. RECLINIS] Seneca Theb. act. 4. Hic ferrum abdidit, recliuis hastæ, Delrium adi. PERFVNDAS G. T. N. lib. 13. lemmate niues, super hac re multa satis dicta, h c verbo rem accipe. veteres cõsueuisse per æstatem vinum temperare niuibus, vt frigesceret, & bibitu suauius efficeretur. TRIENS] quatuor capit cyathos. FRONTEM SVTILIBVS] coronati potabant veteres, quod iam sæpe diximus. INFAMEM CYPRON] dictam à Venere cum ante Sphecia & Cerystia, & Maceya vocaretur, vt habent Philostratus in Cypriis, Xenagoras lib. 2. de insulis. Flaccum in Cypro fuisse etiam supra scripsit lib. 8. ep. 46. MESSES CREPANTES] aridas & siccas, tum enim tritæ & excussæ crepant. ET F. IS. L.] mense Augusto, quo leo regnat cum sole ortus. AT TV] Apostrophe ad Venerem, cui Cypros & Paphus insulæ sacræ pro reditu Flacci SIC M. T. S. K. Vitiose scriptum, vbi Matris habes pro Martis. Martiæ Calendæ fœminis sacræ erant. Martialis lib. 5. ep. vlt. ad Gallam.

Idẽ hodie fit cerimonias.

Scis certe puto vestra iam venire
Saturnalia, Martias Calendas.

Quas & Iuuenalis Sat. 9. fœmineas vocat. Ad quem locum super his Calendis Martiis, quæ dicenda erant non tacuimus. ET C. T. M. V.] Explicat ritum & genus sacrificij quo colebãt Venerem Calendis Martiis fœminæ. thure quod quidem in omnibus fere sacris erat solenne, mero non ita & victima: fuere enim multa priscis inuenta sacra. Veneri Cœlesti auctore Polemone ad Timæum, & Nymphis Nephelia sacra, hoc est, sobria, sine vino primum fiebant, deinde iussu

Pythij

tensem, ac popularem. Publicæ seu populari capra candida cædecatur. Hortensi, & Cœlesti iuuencam, alij columbam mactandam putabant, vt Apollodorus libro de Diis scriptum reliquit. Strabo sues etiam Veneri (non absurde sane) mactatas scribit. CANDIDAS AD ARAS] Manibus nigras, superis candidas ponebant aras. SECTA PLVRIMA QVADRA DE PLACENTA] Libum seu placenta in plurimas partes diuisa. Libabitur tibi ô Venus, si saluum reduxeris Flaccum, plurima quadra de secta placenta. In sacris autem libum dicebatur, & secium à secando, culter secespita, cuius formam habes apud Cæsarem Baronium, vt alibi monuimus, & multis expressam nummis antiquis, quam Festus & Paullus describunt, quos inter auctores latinæ linguæ repeties. Moreti auctor.

Et notat impressis æquo discrimine quadris.

Horatius. *Et mihi diuiduo finditur munere quadra.*

Plura Scaliger in Moretum.

Adulatur Domitiano,

LXXII. CXIII.

Ad cœnam si me diuersa vocaret in astra
Hinc Inuitator Cæsaris, inde Iouis.
Astra licet propiùs, pallatia longius essent,
Responsa ad superos hac referenda darem;
Quærite, qui malit fieri conuiua Tonantis,
Me meus in terris Iuppiter ecce tenet.

Coquinarium præconium, de epulo Domitiani. DIVERSA IN ASTRA] videtur palatium Cæsaris hic Cœlum & astra appellare, vt sententia sit, si me Iuppiter ad sua astra, & Cæsar in sua, hoc est palatium, vocaret, mallem ad Cæsarem, quam Iouem promittere. Nam infra de ædificiis Martialis, quicquid condis, inquit, cœlum est. HINC INVITATOR] Inuitator Cæsaris, si per ministrum me vocaret Cæsar, aut Iupiter. ASTRA LICET PROPIVS] Anteponit epulum Cæsaris ambrosiæ superum, & auget comparationem ad contemptum Iouis. Etiamsi cœlum in terris, aut terra vicinior cœlo fieret, & contra Cæsaris domus remotior esset cœlo, tamen ad illam neglecto Ioue properarem. QVÆRITE, QVI MALIT FIERI CONVIVA TONANTIS] Adulatio non ferenda. ME MEVS IN TERRIS IVPPITER ECCE TENET] Malo cœnare cum Cæsare in terris, quam cum Ioue apud superos, meus mihi Iuppiter, Cæsar est. De epulo Domitiani Statius in Sil.

Ad Condylum.

LXXIII. XCIV.

Quæ mala * *sunt domini, quæ serui commoda, nescis* *sint.
Condyle, qui seruum te gemis esse diu.
Dat tibi securos vilis * *lecticula somnos:* * tegeticula. Ita Suetonius in Aug. Lucubratoriam lecticulam appellat.
Peruigil in pluma Caius ecce iacet.
Caius à prima tremebundus luce salutat
Tot dominos. at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Cai, redde, inquit Phœbus, & illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra, cheragraque secatur
Caius, & mallet verbera mille pati.

* * *

QVÆ MALA] dominum sæpe infeliciorem seruo docet in personis Condyli serui, & Caii domini. VILIS LECTICVLA] culcita strata, non mollis pluma, sed curis & angoribus vacua. Alij laudant tegeticula; nec ego improbo: teges, storea seu matta est, vnde diminutum tegeticula. ein Matten. TOT DOMINOS] tot dominos, quot mane salutabat. CONDYLE, NEC DOMINVM] quomodo non dominum, cum seruus esset? accipe dominum eodem intellectu, quo Caius habebat dominos. sic enim nullum habebat, quem Condylus salutaret, nec enim hoc seruorum, sed liberorum & clientium erat muneris. QVOD DEBES, CAI, REDDE, INQVIT] Domini sæpe sunt obærati, serui nunquam. Phœbus & Cinnamus hic pro fœneratoribus aut creditoribus accipiuntur, vt

Nec Condylus seruus dominum suum, vt clientes mane salutabat.

tur, vt alibi Phœbus, Cinnamus tonsor alias. TORTOREM] Lorarium aut carnificem; grauiter enim accipiebantur serui à dominis, quod in eos vitæ & necis potestatem haberent. exempla passim apud scriptores occurrunt, & nobis iam supra dictum. MALLET VERBERA MILLE PATI] Verbera non diuturna sunt, chiragra & podagra totos dies, menses, annos durant. secatur dixit, vt Catullus. *Aut si quem merito tarda podagra secat.*

Ad Calatissum ministrum.

XCV. LXXIV.

Addere quid cessas puer immortale Falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calatisse, deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, vt sit,
Qui posuit sacra nobile gentis opus.

* * *

ADDERE] vsitatum in hac re verbum, quod fundere, miscere χέειν, ministrare valet. vt li. 10. & Xeniis noster loquitur. Tibullus lib. 1. el. 2. & lib. 3.

I puer & liquidum fortius adde merum.

ADDERE QVID CESSAS] Veneratur, vt Deum, & adulatur Domitiano, in cuius gratiam se primum sex cyathos hausturum, postea decem, ad nomen Cæsaris Germanici vel Domitiani exprimendum & colendum. PVER CALATISSE QVID CESSAS ADDERE IMMORTALE] præbe nobis infusum falernum, vt potemus, nosque laute inuitemus in cæsaris gratiam. quod sane multi cupiunt, si de Cæsaris ære aut cella. An hoc in conuiuio, quod præbuit Cæsar, de quo superius, an primato? IMMORTALE FALERNVM] Falerni vini nobilitas celebratur à Plinio lib. 14. cap. 6. Vide lib. 13. Martialis. IMMORTALE] ob generosam eius vim, & quod in multos annos reconditur, vt in sequenti carmine scribit de seniore cado. vel quod cum immortali nectare sit conferendum, dignumque, quod ab ipsis Diis immortalibus bibatur. Quadrantem duplica, petit sex cyathos; totenim litteras habet Cæsar. DE SENIORE CADO] Cadus duplex est, maior & minor. Cadus maior seu amphora Attica sesquiamphoram Romanam capiebat. Apud Latinos cadus & metretes octo congiorum fuit. Ergo cadus sextarios capiebat quadraginta octo. Minor erat idem cum congio, ita vt cadus, & congius 6. tantum sextarios continerent. SENIORE] de meliore; vinum enim vetustas commendat. Plautus in prologo Casin. Aulularia. *Qui vtuntur vino vetere, sapientes puto* Et in Aul. Meg.

Indeuitum.

De quadrante sextario, &c. d. lib. 1.

Hic cadus pro incerta mensura capitur.

— at ego iussero
Cadum vnum vini veteris à me afferrier.

Horatius in epistola ad Aug.

Si meliora dies, vt vina, poëmata reddit, &c.

Pind. Olimp. 9. αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. lauda vinum quidem vetus, sed flores nouorum hymnorum, id est, carmen nouum. Suspendebant Romani è vasis vinariis tabellam, in qua Galeno teste scripta erat ætas, quo tempore, quibusue consulibus conditum esset. Iuuenal. Sat. 5.

— cuius patriam titulumque senectus
Deleuit multa veteris fuligine testæ.

Brod. Misc. lib. 1. cap. 3. Martialis. *Potaui modo consulare vinum.* NVNC MIHI DIC, QVIS ERIT] Solebant prisci in amicorum gratiam tot haurire cyathos, quot litteras illorum nomen continebat. Cæsar autem soluta diphthongo sex habet. proposuit hanc quæstionem ministro Calatisso. Dic puer, cum iubeo te sex mihi porrigere cyathos, quem significo? respondet puer. Cæsar erit. & hoc est, quod dixit ante, quadrantem duplica. huius exempla passim occurrunt in Martiale. CVI DEORVM] Domitianum intelligit, qui se iubebat Deum vocari. SVTILIS APTETVR DECIES ROSA CRINIBVS] Bibituri veteres sumebant coronas, ac toties reponebant, quoties potitum. Vt ergo Martialis ad Cæsaris venerationem rosas caperet, decimam rosam poposcit, vt Domitianum significaret, quod nomen decem habet litteras. de more coronarum alibi Martialis:

In Trimalcionis conuiuio idem docet Petronius.

Germanicus totidē habet litteras & Sarmaticus, &c.

Lassenturque rosis tempora sutilibus.

Nam coronæ sutiles solennes fuere præsertim sacris, Plinius lib. 21. cap. 3. ni fallor. *sutiles sacrorum sacris inuenimus, & solennes cœnis.* de vsu coronarum lege Athenæum, Tertullianum, alios. VT SIT, QVI POSVIT] Vt sit Domitianus, qui ædem Flauiæ gentis condidit & dicauit.

De

De Hippocrate.

LXXV. XCVI.

Santonica medicata dedit mihi pocula virga: al. Sardoa.
Os hominis, *mulsum me rogat Hippocrates.*
Tam stupidus nunquam, nec te puto, Glauce, fuisti,
Chalcea donanti Chrysea qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poscit amaro?
Accipiat, sed si potat in elleboro.

Hippocrates stomachi causa poetæ absynthite misso petebat mulsum. Poeta factum. Hippocratis irridet, & se vicissim sanitatis causa missurum quidem mulsum, sed cum elleboro potandum, quo cerebrum purget. SANTONICA] Absynthium à Dioscoride lib. 3. cap. 23. & 24. *describitur marinum, quod seriphium vocant.* Triplex esse traditur. Ponticum, quod Matthiolus diuersum, à nostrate & vulgari dicit. Marinum seu seriphium, & Santonicum: idem Plinius. *Absynthij genera sunt plura. Santonicum appellatur à Galliæ ciuitate, Ponticum à ponto, vbi pecora pinguescunt illo, & ob id sine felle reperiuntur, neq; aliud præstantius multoq; Italico amarius, sed medulla Pontici dulcis.* Latinis feriis victor absynthium bibebat, vt idem Plinius., *Siquidem* inquit, *Latinorum feriis quadrigæ certant in Capitolio, victorq; absynthium bibit, credo sanitatem præmio dari honorifice arbitratis maioribus. Est & absynthium marinum, quod quidam seriphium vocant,* &c. Ex absynthio fit absynthites vinum, vt Plinius lib. 14. cap. 16. docet, Et Dioscorides, *Vinum ex eo fit, quod absynthiten vocant, præsertim in Propontide & Thracia.* Santones, vt supra diximus, populi Aquitaniæ. Santonum portum hodie Rupellas nominant. SANTONICA VIRGA] Absynthio imbuta Wermutwein / Seneca Suas. pro Cicer. 2. veluti salutarem pueris daturus potionem absynthiaci poculi. Lucret. l. 4. OS HOMINIS] En hominem impudentem, vide os hominis, impudentiam & vecordiam: petit mulsum pro absynthio. Mulsum vinum melle conditum, idem, quod lib. 13. Adagium lege, quo ore, qua fronte, Pierium libro 33. Lambinum ad Horatium epigr. 18. lib. 1. Quintilianus: fiduciam hominis. Absynthium.

Nam veluti pueris absynthia tetra medentes
Cum dare conantur——

TAM STVPIDVS] hoc neque ipse Glaucus Homericus. de quo lib. ζ. Iliad. admisisset stultitiæ, quamuis aurum ferro mutauerit, cum arma sua aurea, cum Vlyssis ferreis cómutauit. DVLCE MVNVS PRO AMARO] pro melle fel? ein Roß vmb ein Pfeiffen. Χρύσεα χαλκείων. Iustinianus in præfatione Digestorum alludit: Nam vestris, inquit, temporibus talis legum inuenta est permutatio, qualem & apud Homerum patrem omnis virtutis Glaucus & Diomedes inter se faciunt dissimilia permutantes: Lib. 6. χάλκεια χρύσεια.

Χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Horatius item Satyr. 1. lib.

Aut si disparibus bellum incidat vt Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior vltro
Muneribus missis——

Legantur & Adagiographi super hoc dicto.

ACCIPIAT, SED SI POTAT IN ELLEBORO] dabo hac lege, vt potet in elleboro, id est, fateatur se insanum, & ingerat elleboro, quod insaniam purgat. Vide Plinium, Horat. Ouid.

De Herode.

LXXVI. XCVIII.

Clinicus, Herodes, trullam subduxerat ægro:
Deprensus dixit, stulte quid ergo bibis?

CLINICVS HERODES] fit medicum furem est. Clinicus qui ægros curat, ἀπὸ τῆς κλίνης, à lecto dictus Clinicus, de quo lib. 1. plura. TRVLLAM SVBDVXERAT] furatus erat trullam. argenteam reor. Trulla vas potorium; hic argenteum, quanquam Frugalis antiquitas argenteam supellectilem non admittebat. Cuiacius legitur libro 10. obser. capite 17. sed Martialis æuo, iam luxus in vrbem migrauerat, immo retro Martialem iam omnia Romæ aurea & gemmea. *Trua* inquit Nonius Narcellus, *veteres à terendo. quam nos trullam: d. cimus, appellari voluerunt.* Pomponius: *Mulier vbi aspexit tam mirifice tutulatam truam.* Titinius: *Sapientiá gubernator torquet nauem, haud valentia. Cocus magnum ahenú, quádo feruit paulla cófutat trua.* Varro de lingua latina. *Trulla, inquit à similitudine*

In huius Omphalæ gratiam etiam ad inferos descendisse fertur, quare subiungit Martialis NEC STYGA VIDISSES, &c.] etsi alij iussum ab Eurystheo scribant. De Cerbero educto ex inferis, & ad Eurystheum adducto infra.

NVNC TIBI IVNO FAVET] Iuno nouerca Herculis omni ratione deletum Herculem extinctumque voluit, omniumque certaminum vnica caussa fuit, sed recepto in cœlum reconciliata Heben, id est Iuuentam filiã illi in matrimonium locauit, ad quorum nuptias epithalamion scripsit nobilis poeta Plato Comicus. Nat. lib. 7. cap. 1. Quanquam paulo aliter idem lib. 2. cap. 5. Iam fabulam poeta hic alludit, cum dicit: *nunc tibi Iuno fauet*, quamuis inimica semper, sed postquam induisti Cæsarem, tibi conciliata etiam Heben despondet, vt statim subiungit. NVNC TE DILIGIT HEBE] vxor tua, tibi antea non tam pulchro minus amica. NVNC, SI TE VIDEAT NYMPHA, REMITTAT HYLAM] Nunc si te Cæsaris effigiem referentem videat, Nympha, quæ Hylam rapuit, eundem puerum tibi tam pulchro, quam puer erat, lubens remittet. Nympham Apollonius Amphidatiam nominat. Gyraldum lege in Hercule.

In magistrum ludi.

LXX. XLIX.

*Quid tibi nobiscum.

**Quid tibi nobiscum est ludi scelerate magister,*
Inuisum pueris, virginibusq; caput:
Nondum cristati rupere silentia galli:
Murmure iam sæuo verberibusq; tonas.
Tam graue percußis incudibus æra resultant,
Caußidicum medio cum faber aptat equo.
Mitior in magno clamor furit amphiteatro,
Vincenti parma cum sua turba fauet.
Vicini somnum non tota nocte rogamus:
Nam vigilare leue est, peruigilare graue.
Discipulos dimitte tuos: vis, garrule, quantum
Accipis, vt clames, accipere, vt taceas?

Vt libro 12. epig. 57.

QVID TIBI NOBISCVM EST] Irascitur clamoso ludimoderatori somnum poetæ matutinum interrumpenti. didactron ait se soluturum, non, si doceat, sed taceat. INVISVM PVERIS] ferulam & verbera timentibus. qui autem timent, non amant, sed oderunt præsertim plagosos Orbilios. Et sæpe fit, vt immanitate magistri, tenella ætas à studiis terreatur. Lege Vidæ librum de arte poetica. Plutarchum de educandis liberis. blandos magistros illa ætas desiderat. GALLI RVPERE SILENTIA] Idem Iuuenal. Sat. 7. Dummodo non pereat, &c. Media fere nocte scholam aperire incipiebant. magna mihi dicendi esset copia de galli cantu, sed epigrammata non nisi necessaria, aut vulgo non intellecta reor explicanda. Lege feriate Alciati emblema 15. cuius lemma est vigilantia & custodia. Plinium lib. 10. Aelianum 4. Animalium capite 29. Lucianum in Gallo, Plutarchum libro de oraculis Pythiæ. Apuleium lib. 2. M. Ouid. Fastorum. Lucretium lib. 4. Heliod. Aethiopicarum histor. lib. 4. Ausonium Idylliis. Anytes epigramma lib 4. Anthol. εἰς ὄρνις. Gesnerum lib. 3. de Gallinaceo plurima scribentem, Æsopi fabellam. Pierij hieroglyphica, præter SS. Patres, qui passim de galli vigilantia scripserunt, & Physicos. NONDVM] hora tertia secundum mediam noctem primum dicuntur canere. CAVSIDICVM MEDIO CVM FABER APTAT EQVO] Domitius ad equestrem statuam honoris caussa caussidico poni solitam, refert. sed alij trahunt ad pœnam & ignominiam præuaricationis: A Domitio sto, qui pro se habet Iuuenalem Satyr. 7. *Æmilio dabatur &c.* Multa hoc loco Heraldus, & in sequente. Tacitum de Orat. *Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli & statuæ, &c.* MITIOR C. IN AMPH. F. C. T. P. V. F.] De populi acclamationibus in Circo & amphitheatro variisque factionibus copiose scribit Bullengerus cap. 46. & 47. lib. de Circo. Et Lipsius Saturnalium lib. 2. cap. 24. qui locus proprie totus huc facit. Parma pugnabant Thraces: & hoc genus, & qui his fauebant, parmularij dicti. Domitianus Myrmilloni fauens patrem familias Thraci studentem è spectaculis detractum canibus obiecit. PERVIGILARE] noctem totam insomnem ducere. VT TACEAS] facete è contrario. Et Isocrates à discipulo garrulo duplicem mercedem postulabat, alteram, vt loqui, alteram, vt tacere disceret.

Hora circiter prima quarta vigilia.

Suetonius in Domitiano.

In

In * Cæcilianum.

LII. LXXII.

Dixerat; ô mores, ô tempora Tullius olim,
Sacrilegum strueret cùm Catilina nefas:
Cùm gener, atque socer diris concurreret armis,
Mæstaque ciuili cæde maderet humus.
Cur nunc, ô mores, cur nunc ô tempora, dicis?
Quod tibi non placeat, Cæciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri:
Pace frui certa, lætitiaque licet.
Non nostri faciunt, tua quòd tibi tempora sordent,
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

* Maximilianum.

DIXERAT Ô MORES] adulatur Cæsari, dum reprehendit Cæcilianum (non Plinium iuniorem, vt quidam ex nomine Cæciliani falso coniectat) sua tempora vituperantem. Ô MORES] Cic. 1. in Catilinam. verba tironibus nota. Seneca Suas. 6. tuis verbis Cicero vtendum est, *ô tempora, ô mores*. CATILINA] Hunc & Cicero & Sallustius suis coloribus egregie depingunt. historiam plures scripsere. Elegantissime etiam Iuuenalis, vt omnia Sat. 8. *Quis Catilina, &c.* CVM GENER, ATQVE SOCER] tum non dixit hæc verba, sed poterat dicta merito iterare, tanta caussa. GENER] Pompeius ducta Iulia Cæsaris filia. NVLLA DVCVM FERITAS] aliter historici & Iuuenalis scripsere, cum aliis tyrannus, aliis latro, aliis parricida vocetur. In Christi quoque gentem debaccatus est Domitiani furor. MORES] sceleratis omnia tempora metuenda, tuta omnia, & secura innocenti. Omnibus temporibus fuere, sunt, & erunt plures improbi, quam probi, nec est, cur tempora quisquam sua accuset, sed se. Senecam lib. 1. de Ben. cap. 10. fere toto de hac re disputantem lege. Et ad Lucilium epist. 98.

Nero aliis, & Neroniana crudelitatis portio, Tertull.

De leone & ariete.

LIII. LXXIII.

Massyli leo fama iugi, pecorisq; maritus,
*Lanigeri, mirum, * qua posuêre fide.*
Ipse licet videas, cauea stabulantur in vna,
Et pariter socias carpit vterque dapes.
Nec fetu nemorum gaudent, nec mitibus herbis:
Concordem satiat, sed rudis agna † famem.
*Quid meruit terror Nemees, quid * portitor Helles,*
Ut niteant celsi lucida signa poli?
Sidera si possent, pecudesq; feræque mereri,
Hic aries astris, hic leo dignus erat.

* coiêre. † feram. * proditor.

MASSYLI LEO FAMA IVGI] Laudat & stupet concordiam leonis & arietis, simul innoxie habitantium. intelligit leonem mansuetum, de quo supra *Verbera*, eaque gratia dignum vtrumque cœlo iudicat æque ac leonem Nemeæum, & Arietem Phrixi vectorem & Helles. MASSYLI] de hac voce superiori epigrammate dictum. FAMA IVGI] propter magnitudinem & præstantiam corporis omnium nobilissimi in Libya. PECORISQVE MARITVS] arietis periphrasis. sic Virg. 3. Georg.

Quem legere ducem, & pecori dixere maritum.

Et Ecloga 7. *Vir gregis ipse caper.* Vide Pontanum ibidem. Sic Horatius, Theocritus, sic Martialis ipse alibi. MIRVM, QVA POSVERE FIDE] id est, feritatem posuere, cicurati, simulque mansueti & pacati, veluti eiusdem generis, vixere. POSVERE] Eleganter, vt Virg. 7. Aeneid.

Cùm venti posuere—

Statius 2. Silu. *Cùm rapidi posuunt fluctus—*

5. Theb. *Cùm fera ponit hyems,*

Gruterus tamen reiicit hanc scripturam & legit coiere, bene quidem, sed nescio vtrum non etiam prior commoda. IPSE LICET VIDEAS] eodem loco, eodemque cibo pariter vtuntur. nec leo desiderat ceruos aut tauros, nec suas herbas aries. CONCORDEM] nec pugnant inter se de pastu, quodque datur alteri, vtrique placet. De hac concordia ferarum Bulengerus lib. de Venatione quem alibi adduximus. Meliore fide conueniunt, quam apud Aesopum Asinus, vulpes, & leo, vnde natum prouerbium, leonina societas: & Aelianum, leo, vrsa, & canis. RVDIS AGNA quod etiam aries vorarit agnam, admiratione dignum; videtur enim leo exuisse feritatem, & aries induisse, famem lege concordem. QVID MERVIT TERROR NEMEE] leo Herculis, vt referatur in astra. De leone supra diximus. De ariete Mythologi scribunt Natalis comes lib. 6. cap. 9. Ouid. in epistola ad Leandrum.

Inuideo Phrixo, quem per freta tristia tractum
Aurea cornigero vellere vexit ouis.

Sic Manilius 4. Astron. Sic Apollonius 2. Argon. Hunc arietem Phrixus diis sacrificauit. Dij eundem propter merita in cœlum transtulerunt, ac 13. stellis illustrem reddidere. Hyginum vide. Proditor, emendatius, fuit enim contra fidem excussa in mare. SIDERA SI POSSENT] ostendit fuisse fabulam de leone & ariete; nam si, inquit, pecudes cœlum mereri possent, debuissent hic leo & hic aries in cœlo reponi. elegans conclusio, in pecudes partus Christi conscias aptior.

Ad Liberum amicum.

LXXIV. LIV.

*Liber Amyclaea frontem * redimite corona,*
Qui quatis Ausonia verbera Graia manu.
Clausa mihi texto cùm prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo si nomine munera ferres,
Scis, puto, debuerint quæ mihi dona dari.

* *vittatis elegantes.*

Laeuinus Torrentius ad aurigandi artē refert.

Tertullianus de corona militis.

Panuinius lib. de ludis Circensibus eosdem ludos expressit.

LIBER AMYCLÆA] Donatus esculentis à Libero pugile Martialis petit etiam Liberum, seu poculenta. AMYCLÆA CORONA] pugilatus auctores Spartani, Pollux enim primus pugilatum inuenit. Coronabantur autem pugiles victores, vti & reliqui; corona enim communis fere omnibus erat victoribus, vt supra docuimus. Et Virgilius 5. Aeneid. inter cætera etiam ponit in medio coronas. disputat multa de coronis Petrus Faber libro 2. cap. 22. Agon. Primum genus erat ex oleastro, deinde ex auro in Olympicis. Athenis ex olea. Bulengerus lib. 2. cap. 54. de Circo. Sensus carminis; Liber, qui pugilatu victor coronatus es, Lacedæmonia corona, id est, corona è pugilatu relata. QVI QVATIS AVSONIA VERBERA GRAIA MANV] Qui Græcorum ludos exerces Latinus. Pugilatus imaginem, initia, auctores, victores. præmia lege apud Mercurialem lib. de arte gymnastica 2. cap. 9. toto. & Petrum Fabrum in Agonisticis. CLAVSA T. V. P.] in sportula misisti cibos sine potione. DIGNA T. N. M.] Liber Liberum debebas addidisse, & munera Bacchi.

In Sutorem.

LXXV. LV.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre, vetusq; solum.
*Prænestina tenes * defuncti rura patroni.*
In quibus, indignor, si tibi cella fuit.
At me litterulas stulti docuere parentes:
Quid cum Grammaticis Rhetoribusq; mihi?
Frange leues calamos, & scinde, Thalia, libellos,
Si dare sutori calceus ista potest.

* *decepti plus hoc quā defuncti.*

DENTIBVS ANTIQVAS] Dolet sutorem clientem in possessionem domini sui venisse per artem tam vilem, se autem nobilissima disciplina eruditum esurire. Vatinium sutorem Beneuentanum aliqui suspicantur, Neronis quondam aulicum, de quo Tacitus libro 15. Annalium.

DENTIBVS) periphrasis sutoris cerdonis. cerdo enim reficit ruptos calceos, sutor nouos conficit. Hinc poeta dicit solitum putre luto solum mordere. Pro solea autem solum dixit, vt Plautus.

Rapuit currenti cursori solum.

Et Bacchid. *Qui socius habeat aurum suppactum solum.*

Lucret. 4. *Auia Pieridum peragro loca, nullius ante, Trita solo.*

Quem iocum D. Ambrosius serm. 74. respexit. *At vbi Dominus surrexit, via facta, solo attrita est plurimorum.* PRAENESTINA R. P. T.) legata tibi à Domino tuo. Clientes dominos veterum more patronos appellabant. & sæpe factum, vti, cum patronus sine liberis decederet, cliens aut libertus in bona patroni succederet, vt cont ain liberti patronus. CELLA) Cellæ seruorum. An cellam atriensem dicit vbi vinctus ianitor custodiam ianuæ gerebat? Petronius de Trimalcionis domo legendus. Sed venit me reprehensum Georgius Ethardus homo diligens, in symbolis Petronianis pag. 597. quod dixerim: vbi ianitor custodiam ianuæ gerebat: *Memoria*, inquit, *opinor lapsus: Non enim seruus vinctus seruabat, sed canis: ipse seruus liber à vinculis erat, vt ex Plauto discimus.* Ego nulla illic memoria peccaui, sed erraui, si falsum est quod scripsi. De cane primum non sum oblitus diserte dici à Petronio: *Canis ingens catena vinctus non longe à cella hostiarij, &c.* Adieci sciens volens de vincto etiam seruo, qui ex more quoque catenatus erat, quamuis id Arbiter non exprimat, exprimunt alij. Te ipsum tibi testem do quamuis tui met oblitum: Syllogen tuam adi in Petronium, & hunc ipsum locum ex Ioannis VVouvverij interpretatione recognosce, qui ad vocem hostiarij: *Seruus*, inquit, *qui ad limen obseruabat Ianitor aut ostiarius: is erat in cathenis*: Columel. lib. 1. An putem fortunatius à catenato repulsum iri ianitore? Suet. L. Ottacilius seruisse dicitur, atq; etiam hostiarius in cathena fuisse. *idq; prisco instituto, quod ex Ouid. 1. Fastorum claret. Ille apud Plautum Trin. ostiarium alloquitur*: Heus ecquis foribus tutelam gerit? *hoc enim eius munus quod Ouid.* egressus introitusq; videt. *Et 3. Am.* Excubui clausam seruus vt ante domum. Hæc Wouwerius. Componit inde, vt reor, Seneca lib. 3. de Ira. cap. 27. ostiarium catenato cani, quod vinctus vterq; allatret ingressuros: *Iratum vidisti amicum tuum ostiario causidici alicuius, aut diuitis, quod intrantē submouerat, & ipse pro illo iratus extremo mancipio fuisti. Irasceris ergo cathenario cani?* pars ædium minima. Indignus eras cella, ne dicam tota domo, & bonis omnibus. AT ME) Ego infelix tracto nobiliores artes, & tamen non inuenio tales patronos: eccur non didici etiam sellulariam? FRANGE LEVES CALAMOS) abiice studia, & literas, nuncium mitte Musis, quando plus prodest calceus quam calamus. Idem Iuuenalis Sat. 7.

Frange miser calamos vigilataq; prælia dele,
Spes nulla vlterior.

Ibidem de Rhetoribus & Grammaticis paupertinis.

De effigie Camoni.

LVII. LXXVII.

Effigiem tantum pueri pictura Camoni
*Seruat, & infantis * prima figura manet.*
Florentes nulla signauit imagine vultus,
Dum timet ora pius muta videre pater.

* paruus.

Camonum vicennem pater amissum ex more veterum alioqui non expressit imagine, ne mortui adolescentis aspectu renouaret dolorem, eundem tamen, vt infantem, effigiatum retinuit, ne filij obliuisceretur defuncti, & iucundior esset recordatio tacentis. FLORENTES) viginti annorum. mox infra de eodem.

Creuerat hic vultus bis denis fortior annis.

TIMET ORA MVTA) muta enim pictura. infantes nondum loquuntur: pictura ergo magis infanti conuenit, quam viro.

De balneo Tuccæ.

LVII. LXXVII.

Non silice duro, structiliue cæmento
Non latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit:
Sed strage nemorum, pineaque compage,
Vt nauigare Tucca balneo possit.

Idem beatas lautus extruit thermas,
De marmore omni, quod Cariſtos inuenit,
Quod Phrygia Sinnas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lauit Eurotas.
Sed ligna deſunt: ſubice balneum thermis.

Irridet balneum Tuccæ ligneum, & thermas marmoreas; cum ordo materiæ vertendus eſſet. balneum enim hoc loco accepit pro receptaculo aquarum frigidarum, ſeu cella frigidaria, thermas pro caldaria, in qua erant calefaciendæ aquæ. conueniebat, vt thermæ fierent ligneæ aquis calefaciendis multo aptiores, & marmora frigidæ excipiendæ pararentur. Habebant priſci Romani iuxta thermas etiam cellas frigidas, vt ex Papinio, Martiale, aliiſq; doceri poteſt. Tu Plinij Iunioris locum audi, ex quo de reliquis exiſtimes. *Inde Balinei cella frigidaria ſpacioſa & effuſa, cuius in contrariis parietibus duo baptiſteria velut eiecta ſinuantur, abunde capacia, ſi nare in proxima cogites,* & quæ ibidẽ ſequuntur. ad quẽ locum Catanæus. *Vbi,* inquit, *aqua frigida, ſi pœnituiſſet teporis, lauabantur. Nã balinei cellæ tres erãt caldaria, vbi calida, tepidaria, vbi tepida, frigidaria, vbi frigida ſeruabatur.* Idẽ Victruuius & alij. Hinc ergo iocus Martialis. cum Tuccæ thermæ, vt quæ marmoreæ, admodum frigerent, ſuadet, vt balnei cellam frigidariam ligneam ſubiiciat thermis, vt calefiant. NON SILICE DVRO) Hinc intelligis, ex qua materia vulgo frigidariæ cellæ fierent, vel ex cemento & latere, vel ſilice, vel marmore, imo argento lautioribus. Lege, ſi miraris, & mirare apud Lipſium in admirandis lib. 3. cap. 8. toto. SEMIRAMIS) Iam lib. ſpect. ep. 1. Babylonem & reginam Semiramidem enarrauimus. SED STRAGE NEMORVM) velut claſſem ædificaturus, VT NAVIGARE) non lauare, aut natare velle videatur. BEATAS THERMAS) magnificas, ſumptuoſas, operoſas. DE MARMORE OMNI) enumerat ordine genera marmorum præſtantiſſimorum, de quibus ſupra in balneo Hetruſci diximus. Hic tantum Senecæ locum, hunc mirifice illuſtrantem adſcribo. ſic enim epiſt. 86. de luxu balneorum. *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis ac pretioſis artibus refulſerint, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint, illis vndique & in picturæ modũ variata circumlitio prætexatur, niſi vitro condatur camera, niſi Parius & Thaſius lapis quondam rarũ in tẽplo ſpectaculum, piſcinas noſtras circũdederint, niſi aquã argẽtea* epitonia † fuderint. Et adhuc plebeianas fiſtulas loquor,* &c. CARISTOS) inſula in mari Aegeo Plinio, aliis in Laconica, aliis in Eubœa oppidũ Ptolomæo. Dryopes condidere, ſi verus Diodorus. de Cariſto ſic Plinius, *at nobilis, Cariſtus, notior tamen marmore Cariſtio. ante vocitata Chalcedotis, aut Macris vt Dionyſius & Ephorus tradunt, vt Ariſtides, Macra, vt Chalidemus, Chalcis ære ibi reperto, vt Menechmus Abãtias, vt poeta vulgo Aſopis.* Cariſtio marmore ingẽtis magnitudinis & tabulæ excindebãtur priuatim & publice ad ornatũ vrbis Romæ: nã in ripa mõtis Salomini conſiſtit Cariſtus, tradente Strabone, cui vicina ſunt Styra & Marmarium, in quo caryſtiarum columnarum latomia eſt. Ad Cariſtum vero lapis naſcitur, quem pectunt, nent, texunt: inde mantilia conficiuntur egregie contexta: ea vbi ſordeſcunt, in flammas proiecta non ſecus emendantur, quam ſi maculas elueris. Stephanus duas ponit Cariſtos: ſed hæc multa nimis: lege Catanæum ad Plinium iun. ep. 6, nos ſupra de eadem. QVOD PHRIGIA, SINNAS) Marmor Sinadicum lib. 6. ep. 42. expoſuimus ad illum verſum, *Quæ Phryx & Libys cecidit.* Erat purpureum, vt Numadicum ſeu Africanum, de quo ibid. Papinius Silu.

* epiſtomia epithemica. † fuderunt.

Sola nitet flammis Nomadum deciſa metallis
Purpura ſola cauo Phrygiæ quam Sinados antro
Ipſe cruentauit maculis lucentibus Atys.

Plura apud Plinium lib. 35. cap. 1.

AFRA NOMAS) Numadicum marmor, vt iam eſt dictum. ET QVOD VIRENTI FONTE LAVIT EVROTAS) Lacedæmonium marmor viride, quod ad Eurotam fluuium Spartanum reperitur, ſupra lib. 6. ep. 42. vocauit Taygeti metalla. SED LIGNA DESVNT) vt calefiant thermæ, incende balneum illud genus ligneum, & ſubiice thermis. ſic abſurde factum oſtendit ex abſurdo. à Tucca, quod ligneum frigidarium, & marmoreum caldarium fecerit, cum contra fieri oportuerit. Subice ſcribendum ne ex Scazonte Vulcanus fiat.

De effigie Camoni.

LXXVIII. LVIII.

Hæc ſunt illa mei, quæ cernitis ora, Camoni:
Hæc pueri facies: primaque forma fuit.
Creuerat hic vultus bis denis fortiter annis:
Gaudebatq; ſuas pingere barba genas.

Et

*Et libata semel summos modò purpura * cultus* *cultros*
Sparserat: inuidit de tribus vna soror,
Et festinatis incidit stamina pensis;
Absentemque patri rettulit vrna rogum.
Sed ne sola tamen puerum pictura loquatur,
Hæc erit in chartis maior imago meis.

HÆC SVNT ILLA] Ad effigiem Camoni videtur fuisse scriptum, idem argumentum cum tetrasticho 76. Epigrammatis, nisi quod hic paulo explicatius scribat de annis, & morte Camoni. De consuetudine priscorum seruandi imagines defunctorum aut charorum Heraldus. Mos hic hodie magis viget ac olim. PVERI] infantis imago. CREVERAT HIC VVLTVS] vicennis erat. ET LIBATA SEMEL SVMMOS MODO PVRPVRA CVLTVS SPARSERAT] sensus est. Et semel illi barba resecta erat. PVRPVRA] barba forte subrufa, aut prima lanugo, quæ flauescit potius; videtur tamen rufam insinuare. SVMMOS CVLTVS] vestem supremam togę iniectam abscissa barbâ insperserat. Cultros, forfices; quod prætulerim vulgatæ lectioni cultus. INVIDIT DE TRIBVS VNA SOROR] florem iuuentæ inuidit fatum adolescenti. VNA] Lachesin ponit Domitius, alij Atropon, quibus accinit vulgo iactatus versus,

Clotho colum retinet, Lachesis net, & Atropos occat.

Poëta quamuis ex tribus, nullam designate videtur intelligere, vt alibi. *Et semper de tribus vna necat*, seu Clotho, seu Lachesis, seu Atropos. Parcarum fabulam apud Gyraldum habes & Natalē, aliosq; Mythologos, ego propero. HÆC ERIT IN CHARTIS] Vetus poëta, vt & Isocrates in Euagora, qui cæteram pompam funebrem interire, laudes autem oratione celebratas vetustatem non sentire dicit. De eadem Plinius Iun. in epist. Et noster lib. 7. ep. 83. *Certior in nostro carmine vultus erit.*

De conuiuio Prisci.

LIX. LXXIX.

Quod optimum sit, disputat, conuiuium.
Facunda Prisci pagina:
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum sit, quæritis conuiuium?
In quod Choraules non venit.

Omnia præter extremum versum liquent, hunc expono. IN QVOD CHORAVLES NON VENIT] Choraula seu Choraules à græco, χοραύλης deductum est. Choraula is dicitur, qui in choro musico tibiam inflat. diximus super hac re lib. 5. ep. 56 Adhibebantur olim ad conuiuia omnis generis fere instrumenta musica, cantabatur, saltabatur, pugnabatur, vt alia taceam. Poeta igitur ait illud esse conuiuium dulcissimum & suauissimum, in quod nullus veniat Choraules, hoc est, à quo absit omnis tumultus clamantium, saltantium, ebriosorum. Ita speciem pro toto posuit genere & tumultu musico, simulque irridet occulte Priscum, tam multis chartis de hac re disputantem, cum verbo dici possit. Faciunt mentionem eiusdem vocis & Plinius, & Suetonius in Nerua. Apuleius in asino aureo. Cæterum de solenni priscorum, nostrorumque temporum vsu musices in conuiuiis copiosissime scribit Stuckius lib. 3. cap. 20. Notum est adagium, *malus Choraules, bonus symphoniacus* Plura Adagiographus. *Macrobius lib. 2. Saturnal. c. 1. Hæc nobis sit literata lætitia, & docta cauillatio vicem planipedis & fabulonis impudica & prætextata verba iacientis ad pudorem & modestiam versus imitata.* Plura Isaacius Pontanus ad hunc Macrobij locum.

V. C. In quo Choraules non erit.

Ad Picentinum.

LX. LXXX.

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,
Picentine: sequi vult puto Galla viros.

Vt supra Fabius & Chrestilla venefici, alter vxores, altera viros extulerat, ita hoc loco Picentinus & Galla post funera vtrinque elata non pauca iuncti sunt matrimonio. Sensus ergo est. Galla venefica post occisos septem viros, tibi Picentino Venefico & parricidæ nupsit. Ergo videtur decresse mori, quod tibi nupserit, qui perinde tollis è medio vxores, vt Galla viros, quos videtur velle sequi dum tibi nupsit, vt occidatur abs te, vt aliæ sunt occisæ.

Ad

Ad Domitianum.

LXXX. LXI.

*priorem.

*Oderat antè ducum famulos, turbamq; * minorem,*
Et Pallatinum Roma supercilium.
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Ut sit cuique sua cura secunda domus.
Tam placidæ mentes, tanta est reuerentia † nostri,
Tam placata quies, tantus in ore pudor.
Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsarianus habet.

V.C † vestri.

ODERAT ANTE DVCVM] blanditur Cæsari & Cæsarianis. Priorum Imperatorum familia tam arrogans, & superba fuit, vt intoleranda videretur ciuibus, tua tam est comis & humana, vt plus illam, quam se diligant ciues. An ad Tigellium & Neronis libertos respicit? Iuuenal. Maxima quæque domus famulis est plena superbis. Gruterus ex Pal. CC. rescribit priorem, & refert ad libertos, quod placet. PALATINVM SVPERCILIVM] metaphora aulicum fastum ostendit. CVRA SECVNDA] plus illos, quam se, curant cuncti. DOMINI MORES] *totus componitur orbis Regis ad exemplum. &c.* Cicero lib. 5. ad Att. ep. 11. Si verum est illud ὁποῖα ἡ δέσποινα, τοῖαι καὶ θεραπαινίδες, qualis hera, tales pedisequæ. Sidonius epist. 9. lib. 4. *Seruat illæsam domino domus par pudicitiam.* Arnobius ad Psal. 130. *Vsitata vulgo sententia est, quæ dicit iuxta mores domini, familiam constitutam.* Recte Mœcenas apud Dionem admonet Augustum, πάντα γὰρ, ὅσα ἂν ἢ καλῶς, ἢ κακῶς χειρίζωσι, σοὶ προσνέμεται, καὶ τοιοῦτος ὑφ' ἁπάντων νομισθήσῃ, ὁποῖα ἂν ἐκείνοις ἐπιτρέπῃς. CÆSARIANVS] Palatini serui aulicum officium, qui in aulis versantur.

Ad Aulum.

LXXXIII. LXII.

al. excellos.

Lector, & auditor nostros probat, Aule, libellos:
Sed quidam exactos esse poëta negat.
Non nimium curo: nam cœnæ fercula nostræ
Malim conuiuis, quàm placuisse cocis.

LECTOR, ET AVDITOR] carmina probari sua passim ab omnibus, ab vno tamen aliquo vituperari, velut non satis limata & emendata dicit. Respondet poëta se conuiuis, non cocis, scribere epigrammata, poëtam illum æmulum esse cocum, non poëtam. SED QVIDAM EXACTOS] non nemo putat legendum, excoctos, nescio, num acute magis, an vere. sane ad sequentem ver. sum illa coniectura belle collineat, quasi cocus à sua arte petita metaphora dixerit, Martialem non satis excoctum esse, cui Martialis, se non cocis, sed conuiuis ludere. Cocum hoc loco putant hominem lautum & nobilem dici, qui vocet parasitos ad cœnam à quibus vt poëta laudetur vt dictum lib. 6. ep. 48.

Quod tam grande sophôs clamat tibi turba togata,
Non tu Pomponi, cœna diserta tua est.

Et lib. 12. ep. 48. *Conuiuas alio, &c.*

In Cinnam.

Numnam, forte Mundi, vt infra li. 26. ep. 36.

LXXXIV. LXIII.

*Q. tibi retulisset.

Dixerat Astrologus periturum te citò, Cinna:
*Nec puto mentitus dixerat ille * mihi.*
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes.
** Bis quartum decies, non toto tabuit anno:*
Dic mihi, non hoc est, Cinna, perire citò?

Bisque tuum.

DIXE-

DIXERAT ASTROLOGVS] Astrologus Cinnam diuitem breui moriturum prædixerat. Cinna decoxit subito omne patrimonium, nec mortuus est. Poeta veridicum fuisse ait astrologũ, vere enim periisse Cinnam, cum ad incitas redactus sit. Lusit in ambigua voce perire, quæ ad vitã, Astrologi sensu: poetæ, ad fortunas refertur: Lepidum est Lucilij epigramma in 2. Anthol. cap. εἰς ἀστρολόγους de Aulo, qui se quartam dixerat non superuicturum, cum iam quinta adesset, ne mendacij argueretur, seipsum suspendit: ita nec Aulus falsidicus erat. Huius notæ astrologus fuit Michael Stifelius, dignus qui ex gabalo semper aspiciat astra, quem Ecloga nona celebrat Hannardus Gammerius: hic in Saxonum pago Xylodorpij paganis suis in annum Christi M. D.XX XIII. V. Nonas Octobris fatalem & decretorium mundi diem edixerat, eoque rem deduxerat, vt creduli agrestes rem familiarem in tabernis & cauponis dies noctesque pergræcando confringerent. Sed cum destinato die nihil eorum quæ prædixerat Stifelius euenisset, plebs decoctis opibus prope in rabiem acta, vatem suum vinctum ad magistratum rapuit, nec tamen quicquam profecit. Eiusd. farinæ mathematicus fuit Ioannes Campanus præstigiator insignis, qui eod. vltimi diei imminentis vaticinio colonis persuasit ne agros colerent, immo hastæ subiicerent vti Guilelmus Lindanus l. 1. c. 9. de fug. idol. narrat. In eod. ludo versatus est Andreas Osiander edito etiã oraculo, vti ostendit Ioan. Nasus Centuria prima. verit. 2. digni omnes qui Rhodum ad Tiberiũ ve. idicorum exploratorem mittantur. Bisque tuum decies, lege, id est, vicies centena millia HS. siue 50. millia philippæorum. Bis quartum decies essent octagies HS.

Ad Cæsarem Domitianum.

LXIV. LXXXV.

Inter tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ,
Quæ vincit veterum munera clara ducum,
Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

INTER TANTA] Histrionibus Domitianus scenam interdixit, edictum laudat poeta. sententia totius epigrammatis est, multum tibi omnes debent spectatores, Cæsar, ob spectacula sumptuosissima, & magnificentissima, quibus priorum Principum omnia munera & ludos superasti. sed plurimum histriones, qui antea actores. Multum oculi, id est histriones, qui aures aliorum occupabant recitandis versibus, & spectare non poterant. De eiectis histrionibus lege Suetonium cap. 7. *Interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem iure concesso.* Verum torta hæc enarratio primum quidem legenti occurrit. Si altius inspicias cum Lipsio, intelliges, hic de Equitibus sermonem esse, quos priores Principes ad operas scenicas adegerant, Domitianus minime, ne clarissimus ordo sordesceret. Errant qui lege Domitiana recitationem poetarum vel oratorum sublatam ex hoc carmine docent.

Equitibus Romanis scenam interdixit, id est, ne equites histrionicã exercerent.

Ad Norbanum.

LXV. LXXXVI.

Cum tua sacrilegos contra, Norbane, furores
Staret pro domino Cæsare sancta fides:
Hæc ego Pieria ludebam tutus in vmbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ,
Me tibi Vindelicis * *raptum narrabat in oris,*
Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
O quoties veterem non inficiatus amicum
Dixisti, meus est iste poeta, meus!
Omne tibi nostrum, quod bis trieteride iuncta
Ante dabat lector, nunc dabit auctor opus.

* *masfum forum rapsil.*

CVM TVA SACRILEGOS] lectos olim Norbano seorsim singulos, nunc vno volumine digestos mittit in Vindeliciam libellos. SACRILEGOS FVRORES] Cum L. Antonius Saturninus, superioris Germaniæ præses, contra Domitian. bellum suscepisset, Norbanus hic, vt habet Aurelius

De filio Silij.

LXVII.

Festinata sui gemeret cùm fata Seueri
Silius, Ausonio non semel ore potens:
Cum grege Pierio mæstus, Phœboq́ querebar,
Ipse meum fleui, dixit Apollo, Linon.
Respexitq́ suam, quæ stabat proxima fratri,
Calliopen, & ait, tu quoq́ vulnus habes.
Adspice Tarpeium, Pallatinumq́ tonantem,
Ausa nefas Lachesis læsit vtrumq́ Iouem.
Numina cùm videas duris obnoxia fatis,
Inuidia possis exonerare deos.

Funebre carmen, quo deflet minorem natu filium Silij. De hoc Plinius lib. 3. ep. 7. *Beatus & felix* (pater nempe) *nisi quòd minorem è liberis duobus amisit, sed maiorem, melioremq́ florentem atq́ etiam consularem reliquit.* Vnde intelligis hunc Seuerum moribus non vndequaque emandatis fuisse, quando maiorem vocat meliorem. SILIVS A. N. S. O. P.] pater Oratorem egit vsque ad consulatum, vltimam ætatem totam consecrauit Musis & carminibus pangendis, quod ipsum ex Plinio iuniore intelligas. CVM G. P. Q.] deflebam Seuerum. & fleuere mecum Apollo & Musæ. Apollo dixit hunc fuisse alterum suum Linum, Calliope Orpheum. Linos apud veteres scriptores varios reperio. Philarchus historicus Lino lamentationes, & fletus elegiaco carmine scriptos memorat. Dio in tertiâ compositione Linum alium ex Apolline & Psamate nympha natum tradit. & à Psamate ad Nemeum fluuium editum Linum appellatum, quod verbum antiquis Argiuis spurium sonat. Alium fabulantur Apollinis & Terpsichores filium, ab Hercule cytharâ occisum, cuius discipulus fertur Orpheus. Postremo Linum Amphimori & Vraniæ gloria musices mortales omnes superantem lego, ab Apolline, cui se conferebat, occisum. Hic alterum ex Apollinis filiis intelligit, quem componit poëta Seuero Silij, vt Silius sit Apollo, Seuerus Linus. Cùm quereret apud Apollinem de morte Seueri immaturo fato defuncti, respondit Apollo, humanè ferendum esse casum Seueri, cùm eundem subire cogantur Deorum filij, inter quos Linus. Locus autem è Virgilio expressus lib. 10.

> *—— Troia sub mœnibus altis*
> *Tot nati cecidêre Deûm; quin occidit vna*
> *Sarpedon mea progenies.*

Orpheus suismet scriptis est clarus & nobilis, Calliopes & Apollinis filius. Virgilius de vtroque in Ecloga 4.

> *Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,*
> *Nec Linus: huic mater quamuis atq́ huic pater adsit*
> *Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo,*

Alij Œagri & Polymni filium aiunt, alij aliorum. VVLNVS HABES] vterque periit & Linus Apollinis, & Orpheus Calliopes. Linus alter ab Hercule cythara mactatus, alter canibus expositus, & laniatus. Orpheus Bacchi indignatione, cuius apud inferos laudes tacuerat, à Bacchis immissis est laniatus: fabulam habet Ouid. in Met. alij alias mortis causas fingunt. Fulminatum refert in epigrammate Leonidas.

> Θρήικα χρυσολύρην τῇδ᾽ Ὀρφέα Μοῦσαι ἔθαψαν
> Ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει.
> *Quem Iouis horrificus percussit fulminis ictus,*
> *Conditus hoc Musis Orpheus est tumulo.*

Vulnus habes: elegans metaphora, Seneca ad Polyb. cap. 25. *Omnes scient quomodo te in isto vulnere gesseris*: Et Cicero frequenter, imposita Reip. vulnera sanare, &c.

ASPICE TARPEIVM] si fata immortalium deorum natos tollunt, quid querimur mortales? Iupiter enim ad Troiam Sarpedonem amisit Domitianus alter in terris Iupiter suum filium Domitianum in secundo consulatu, de quo nos suprà lib. 6. ep. 3. ad illud *Nascere Dardanie*, &c. Sarpedon Iouis & Laodamiæ filius Homerus Iliad. 2.

> Λαοδαμείῃ μὲν παρελέξατο μητίετα Ζεὺς
> Ἡδ᾽ ἔτεκ᾽ ἀντίθεον σαρπήδονα χαλκοκορυστήν.

 Lycio-

Lyciorum ductor interfectus est à Patroclo Iliad. π. mortis facit mentionem Virgil. 1. Æn. lege Dictyn Cret. lib. 1. Diodorum lib. 5. Triphiodorum. Sarpedonis epitaphium est apud Ausonium, quo simul & parentes, & mortem exponit.

Sarpedon Lycius, genitus Iouis numine patris,
Sperabam cœlum, sed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lachrymis. Prô ferrea fata,
Et patitur luctum, qui prohibere potest?

In eundem Sarpedonem extat lib. 4. Anthol. epigramma, cuius hoc initium ἴσσω ἀκερσίκόμ. NVMINA C.V.D.O. FATIS] non est, quòd superis irascaris. IN P. E. D.] cùm ipsimet non possint à suis natis fata arcere. Non dubito, quin ad imitationem Antipatri scripserit hoc Martialis; sic enim ille post tetrastichon in Orpheum.

Ὤλλυτο γὰρ οἱ δὲ καλὸν κατὰ δάκρυον ἔχεε θύγατρες
Μνημοσύνας μήτηρ δ' ἔξοχα Καλλιόπη.
Τί φθιμένοις στοναχεῦμεν ἐφ' υἱάσιν αἰὲν ἀλαλκεῖν
Τῶν παίδων ἀΐδαν οὐδὲ θεοῖς δύναμις.

Mortuus es. nata lacrymis luxere profusis,
Mnemosynes luxit Calliopeq; parens.
Sed cur lugemus natos? nam Ditis auari,
Et natos superûm ferrea fata trahunt.

Ad Lupercum.

LXXXIX. LXVIII.

Septem post calices Opimiani
Denso cùm iaceam triente blæsus,
Adfers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, modò liberum esse iussi:
*** Zenas seruulus est mihi paternus:*
SIGNA. *cras melius, Luperce, fiet.*
Nunc signat meus annulus lagenam.

* *Zonã. Zenam: Nastã.*
* *Hæc omnia dicit in persona Luperci. Signa inquit Lupercus. Cras) respondet Martialis.*

SEPTEM] in testamentorum suppositorem est hoc epigramma, qui cum testes iubebat obsignare, cùm iudicare de testamento, rectè, an perperam scriptum esset, ebrij non poterant. Martialis ergo sobriis testamenta signanda docet. SEPTEM POST CALICES] Postquam hausi septuncem optimi, & præstantissimi, vetustissimique vini, Opimio consule conditum, & lingua balbutio, adfers tabulas. malim tamen hic calicem non pro cyatho (quorum duodenos continet sextariu) sed pro triente accipere. vt septem trientes biberit, non septem cyathos. triens autem quatuor cyathos capit; ita septem trientes efficerent duos sextarios, & quatuor cyathos, hoc est, mensuram vini nostratem, & trientem. alioqui non videtur septem cyathis mentis & linguæ vsum amissurus fuisse, dimidio sextario & vno cyatho, nisi dicas vinum tam præstans fuisse, vt vel minima pars, sensus capere potuerit. BLESVS] blesus est, qui litteras non potest omnes ritè exprimere, τραυλότης, inquit Aristoteles in problematis segmento vndecimo, τὸ γράμματός τινος μὴ κρατεῖν οὐ τὸ τυχόν, cùm quis litteræ alicuius non casu, sed vitio, est impotens. ψελλότης balbutiens dicitur, ἰσχνοφωνία, vel ἰσχοφωνία hæsitantia. ADFERS] tabulas suppositicias, quibus declaras te manu misisse seruum. ZENAS] Zenam vel Zonam alij legunt cum interpunctione:

——— modò liberum esse iussi
Zonam: seruulus est mihi paternus.

alij Nastam.

SERVVLVS PATERNVS ZENAS] frugi nempe seruus, vt qui diu eidem seruisset domino, quod boni serui argumentum: vt contra improbi, qui sæpè dominos mutabant, qualem Eutropium Claudianus describit. Vide Heraldum. SIGNA] tabulæ emptionum, venditionum, testamentorum, quæcumque vel publici, vel priuati contractus scripturam continebant, obsignari solebant. modum autem obsignandi docet Paullus Iurisconsultus lib. 5. Sententiarum Tit. 25. *Amplissima*, inquit, *ordo decreuit eas tabulas, quæ publici vel priuati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, vt in summa marginis ad mediam partem perforatæ, triplici lino constringantur, atq; impositæ suprà linum ceræ signa imprimantur, vt exteriores scripturæ fidem interiori seruent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* mos hic cœpit Neronis æuo. Suet. cap. 17. Idem testantur Seneca lib. 3. de Ben. cap. 15. Ausonius ad Paullum ep. 23. Veteres tamen & linum, & ceram etiam adhibere solitos ad signandas

das litteras, & tabulas, ex Plauto, Cicerone, aliis disces. Ad signandum porro amici vocabantur, & Iurisconsulti. Verbum autem solenne dicebatur SIGNA, si vnus esset, aut SIGNATE, si plures, aut SIGNENT LICET, &c. Legatur Brissonius lib. 6. Form. Lupercus ergo quas tabulas, vel testamenta falsa vellet subiicere, ea signanda amicis iam ebriis offerebat, vti tabulas vel non lectas, vel non intellectas signarent. Martialis hanc improbitatem & fraudem notat. CRAS] cum sobrij erimus. εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα, in crastinum seria. NVNC SIGNAT MEVS ANNVLVS LAGENAM] lagenas & vasa signabant veteres, ne serui furaces vinum haurirent, aliasue res escarias furarentur. Cuius rei illustre testimonium est apud Cic. lib. 6. epistola ad Tironem. *Sicut*, inquit, *olim matrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat.* Plautus in Persa. *Nam id demum lepidum est, triparcos homines vetulos auiles bene admordere, qui salinum seruo obsignent cum sale.* Horatius ep. 2. lib. 2.

Similis fraude vsus est apud Cic. Oppianicus in Asinij testamento.

Lege Plin. c. 1 libro 33.

Quæ fuit illa priscorum vita, &c. Lips. ad 2. annal. Tac.

Plurima Meursius ad Lycophr. Cassandræ.

Τὰ δ᾽ ἄλλα δηπόθρωτα.

——posset qui ignoscere seruis,
Et signo læso non insanire lagenæ. Vide Torrentium ad eum locum.

Persius Sat. 6. *Et signum in vapida naso tetigisse lagena.*

Martialis ergo iam semipotus dicit se solicitum esse de lagena sua signanda, ne serui furtim exhauriant, ebrios enim dominos obseruabant. Alij quidam signatam aiunt à Martiale ne Lupercus & Zenas impuri eam contingerent. De annulo signatorio & alijs eiusdem vsibus libro 14. lemmate Annulus.

Ad Rufum.

LXIX. XC

Dum me captares, mittebas munera nobis:
Postquam cepisti, das mihi, Rufe, nihil.
Vt captum teneas, capto quoque munera mitte,
De cauea fugiat ne male pastus aper.

DVM ME CAPTARES] Amicitiam donis partam, donis alendem & conseruandam docet. CAPTARES] amicitiam meam affectares, aut opes etiam & hæreditatem: nam captare proprium est hæredipetarum. DE CAVEA FVGIAT NE MALE PASTVS APER] à simili, vt aper, aut fera esuriens fugit, sic ego nullo abs te cultus munere, subducam me à tua amicitia. Carcer vel pro antro, vel claustro, vel cubili ferarum accipitur. In circis autem & Amphitheatris ima pars, & ipsa arena vocabatur cauea, in quam ex specubus subterraneis emittebantur feræ, qui specus & ipsi vocabantur caueæ. Liuius lib. 11. Statius Sil. 2.

——stat cardine aperto
Infelix cauea & clausu circum vndique portis
Hoc licuisse nefas pauidi timuere leones.

Vopiscus in Probo, *Neque erat bestiarum impetus ille, qui esse caueis egredientibus solet.* idem alij. Lipsius lib. de Amphith. cap. 9. Consuesse autem id fieri, vt feræ caueis nonnunquam elaberentur, docet Tertullianus ad Martyres. *Quotiens feræ & in syluis suis, & in medijs ciuitatibus elapsæ caueis homines deuorarunt.* Adde Tertulliano Marcellinum libro 29. de Valentiani Augusti feruissimis vrsis binis.

Ad Stellam.

LXX. XCI.

Apparet & hunc versum ex tēpore factum.

Lege nimis dura conuiuam scribere versus
Cogis, Stella: licet scribere, nempe malos.

LEGE NIMIS DVRA] iussus à Stella versum ex tempore condere poeta, negat ex tempore bonum versum fieri posse, & hoc ipsum, quod negat fieri posse, ex tempore facit. Ita Sidonius de se affirmat. *Annuo postulatò* (inquit princeps) *si hoc ipsum è vestigio versibus petas, Fiat, inquam, retrorsumque conuersus, tamquam aquam manibus poscerem, tantumque remoratus quantum stibadij circulum celerantia ministeria percurrunt, cubitum toro reddidi. Et imperator: spoponderas, te licentiam scribendæ satyræ versibus subditis postulaturum, Et ego:*

Scribere me satyram qui culpat maxime princeps,
Hanc rogo decernas, aut probet, aut timeat.

Secutus est fragor (nisi quod dico iactantia est) par Camillano, quem quidem non tam carminis dignitas, quam temporis breuitas mouit. Epistola est lib. 1. vltima. De Augusto refert Suetonius cap. 88. his verbis. *Sed ex dilectis vnum Masgabam nomine quasi conditorem insulæ κτίστην vocare consueuerat. Huius Masgabæ ante annum defuncti tumulum, cum ex triclinio aduertisset, multis luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronunciauit.*

[illegible]

Conuersusq́; ad Thrasyllum Tiberii comitem, contra accubantem & ignarum rei interrogauit, cuiusnam poeta putaret esse? Quo hesitante subiecit alium.

[illegible]

De hoc quoq́; consuluit. Cum ille nihil aliud responderet, quam cuiuscumq; essent, optimos esse, cachinnum sustulit, atq; in iocos effusus est. Cicero laudat ab hac facultate, & celeritate Archiam. *Quoties ego, ait, hunc Archiam vidi, cum litteram scripsisset nullam magnum numerum optimorum versuum, de iis ipsis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore, quoties reuocatum eandem rem dicere, commutatis verbis atq; sententiis.* Et alibi Antipatrum Sidonium. Nempe malos] nihil hoc verius. vix enim meditati dignum aliquid æuo condimus. sensit idem poeta noster de carminibus, quod de pictis tabulis Apelles. Huc Euripidis, Horatij, Taciti, Quintiliani, omniumque emendati iudicii hominum iudicia recurrunt, subitos versus bullas esse inanes, anteque parentem plerumque mori male natos.

Ad Flaccum.

XCII. LXXI.

** florido recliuis. Vide 2. Sat. Horatii*

** Perfundas i. frangas.*

*Sic in gramine * floreo recliuis,*
Qua gemmantibus hinc & inde riuis
Curua calculus excitatur vnda,
Exclusis procul omnibus molestis,
** Perfundas glaciem triente nigro,*
Frontem sutilibus ruber coronis:
Infamem nimio calore Cypron
Obserues moneo, precorq́; Flacce,
Messes area cum teret crepantes,
Et fului iuba sæuiet leonis.
At tu diua Paphi remitte nostris
Illæsum iuuenem, remitte votis.
Sic Martis tibi seruiant Kalendæ,
Et cum ture, meroq́;, victimaq́;
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

Idē hodie fieri cernimus.

Sic] Flaccum amicum in Cypro degentem monet, vt per ardores æstiuos tueatur valetudinem, quo saluus & incolumis possit redire in vrbem. Sic] Quam moneo, vt in omne genus voluptatum te effundas, tam hortor, vt seruias valetudini. Religtis] Seneca Theb. act. 4. Hic ferrum abdidit, recliuis hastæ, Delrium adi. Perfundas g. t. n. lib. 13. lemmate niues, super hac re multa satis dicta, hoc verbo rem accipe. veteres cōsuesse per æstatem vinum temperare niuibus, vt frigesceret, & bibitu suauius efficeretur. Triens] quatuor capit cyathos. Frontem sutilibus] coronati potabant veteres, quod iam sæpe diximus. Infamem Cypron] dictam à Venere cum ante Sphecia & Cerytia, & Maceya vocaretur, vt habent Philostratus in Cypriis, Xenagoras lib. 2. de insulis. Flaccum in Cypro fuisse etiam supra scripsit lib. 8. ep. 46. Messes crepantes] aridas & siccas, tum enim tritæ & excussæ crepant. Et f. i. l.] mense Augusto, quo leo regnat cum sole ortus. At tv] Apostrophe ad Venerem, cui Cypros & Paphus insulæ sacræ pro reditu Flacci Sic M. t. s. K. Vitiose scriptum, vbi Matris habes pro Martis. Martiæ Calendæ fœminis sacræ erant. Martialis lib. 5. ep. vlt. ad Gallam.

Scis certe puto vestra iam venire
Saturnalia, Martias Calendas.

Quas & Iuuenalis Sat. 9. fœmineas vocat. Ad quem locum super his Calendis Martiis, quæ dicenda erant non tacuimus. Et c. t. m. v.] Explicat ritum & genus sacrificij quo colebāt Venerem Calendis Martiis fœminæ. thure quod quidem in omnibus fere sacris erat solenne, mero non ita & victima: fuere enim multa priscis inuenta sacra. Veneri Cœlesti auctore Polemone ad Timæum, & Nymphis Nephelia sacra, hoc est, sobria, sine vino primum fiebant, deinde iussu

Pythij

rensem, ac popularem. Publicæ seu populari capra candida cædebatur. Hortensi, & Cœlesti iuuencam, alij columbam mactandam putabant, vt Apollodorus libro de Diis scriptum reliquit. Strabo sues etiam Veneri (non absurde sane) mactatas scribit. CANDIDAS AD ARAS] Manibus nigras, superis candidas ponebant aras. SECTA PLVRIMA QVADRA DE PLACENTA] Libum seu placenta in plurimas partes diuisa. Libabitur tibi ô Venus, si saluum reduxeris Flaccum, plurima quadra de secta placenta. In sacris autem libum dicebatur, & secium à secando, culter secespita, cuius formam habes apud Cæsarem Baronium, vt alibi monuimus, & multis expressam nummis antiquis, quam Festus & Paullus describunt, quos inter auctores latinæ linguæ reperies. Moreti auctor.

Et notat impressis æquo discrimine quadris.

Horatius. *Et mihi dimidio findetur munere quadra.*

Plura Scaliger in Moretum.

Adulatur Domitiano,

LXXII. CXIII.

Ad cœnam si me diuersa vocaret in astra
Hinc Inuitator Cæsaris, inde Iouis.
Astra licet propiùs, pallatia longius essent,
Responsa ad superos hæc referenda darem;
Quærite, qui malit fieri conuiua Tonantis,
Me meus in terris Iuppiter ecce tenet.

Coquinatium præconium, de epulo Domitiani. DIVERSA IN ASTRA] videtur palatium Cæsaris hic Cœlum & astra appellare, vt sententia sit, si me Iuppiter ad sua astra, & Cæsar in sua, hoc est palatium, vocaret, mallem ad Cæsarem, quam Iouem promittere. Nam infra de ædificiis Martialis, quicquid condis, inquit, cœlum est. HINC INVITATOR] Inuitator Cæsaris, si per ministrum me vocaret Cæsar, aut Iupiter. ASTRA LICET PROPIVS] Anteponit epulum Cæsaris ambrosiæ superum, & auget comparationem ad contemptum Iouis. Etiamsi cœlum in terris, aut terra vicinior cœlo fieret, & contra Cæsaris domus remotior esset cœlo, tamen ad illam neglecto Ioue properarem. QVÆRITE, QVI MALIT FIERI CONVIVA TONANTIS] Adulatio non ferenda. ME MEVS IN TERRIS IVPPITER ECCE TENET] Malo cœnare cum Cæsare in terris, quam cum Ioue apud superos, meus mihi Iuppiter, Cæsar est. De epulo Domitiani Statius in Sil.

Ad Condylum.

LXXIII. XCIV.

*Quæ mala * sunt domini, quæ serui commoda, nescis*
Condyle, qui seruum te gemis esse diu.
*Dat tibi securos vilis * lecticula somnos:*
Peruigil in pluma Caius ecce iacet.
Caius à prima tremebundus luce salutat
Tot dominos. at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Cai, redde, inquit Phœbus, & illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra, cheragraq́ue secatur
Caius, & mallet verbera mille pati.

* sunt.

* tegeticula. Ita Suetonius in Aug. Lucubratoriam lecticulã appellas.

* * *

QVÆ MALA] dominum sæpe infeliciorem seruo docet in personis Condyli serui, & Cai domini. VILIS LECTICVLA] culcita strata, non mollis pluma, sed curis & angoribus vacua. Alij laudant tegeticula, nec ego improbo: teges, storea seu matta est, vnde diminutum tegeticula. ein Maten. TOT DOMINOS] tot dominos, quot mane salutabat. CONDYLE, NEC DOMINVM] quomodo non dominum, cum seruus esset? accipe dominum eodem intellectu, quo Caius habebat dominos. sic enim nullum habebat, quem Condylus salutaret, nec enim hoc seruorum, sed liberorum & clientium erat munus. QVOD DEBES, CAI, REDDE, INQVIT] Domini sæpe sunt obærati, serui nunquam. Phœbus & Cinnamus hic pro fœneratoribus aut creditoribus accipiuntur, vt

Nec Condylus seruus dominũ suũ, vt clientes mane salutabat.

tur, vt alibi Phœbus, Cinnamus tonsor alias. TORTOREM] Lorarium aut carnificem; grauiter enim accipiebantur serui à dominis, quod in eos vitæ & necis potestatem haberent. exempla passim apud scriptores occurrunt, & nobis iam supra dictum. MALLET VERBERA MILLE PATI] Verbera non diuturna sunt, chiragra & podagra totos dies, menses, annos durant. secatur dixit, vt Catullus. *Aut si quem merito tarda podagra secat.*

Ad Calatissum ministrum.

XCII. LXXIV.

Addere quid cessas puer immortale Falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calatisse, deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, vt sit,
Qui posuit sacra nobile gentis opus.

* * *

ADDERE] vsitatum in hac re verbum, quod fundere, miscere χεῖν, ministrare valet. vt li. 10. & Xeniis noster loquitur. Tibullus lib. 1. el. 2. & lib. 3.

I puer & liquidum fortius adde merum.

ADDERE QVID CESSAS] Veneratur, vt Deum, & adulatur Domitiano, in cuius gratiam se primum sex cyathos hausturum, postea decem, ad nomen Cæsaris Germanici vel Domitiani exprimendum & colendum. PVER CALATISSE QVID CESSAS ADDERE IMMORTALE] præbe nobis infusum falernum, vt potemus, nosque laute inuitemus in cæsaris gratiam. quod sane multi cupiunt, si de Cæsaris ære aut cella. An hoc in conuiuio, quod præbuit Cæsar, de quo superius, an priuato? IMMORTALE FALERNVM] Falerni vini nobilitas celebratur à Plinio lib. 14. cap. 6. Vide lib. 13. Martialis. IMMORTALE] ob generosam eius vim, & quod in multos annos recondatur, vt in sequenti carmine scribit de seniore cado. vel quod cum immortali nectare sit conferendum, dignumque, quod ab ipsis Diis immortalibus bibatur. Quadrantem duplica, petit sex cyathos, totenim litteras habet Cæsar. DE SENIORE CADO] Cadus duplex est, maior & minor. Cadus maior seu amphora Attica sesquiamphoram Romanam capiebat. Apud Latinos cadus & metretes octo congiorum fuit. Ergo cadus sextarios capiebat quadraginta octo. Minor erat idem cum congio, ita vt cadus, & congius 6. tantum sextarios continerent. SENIORE] de meliore; vinum enim vetustas commendat. Plautus in prologo Casin. Aulularia. *Qui vtuntur vino vetere, sapientes puto* Et in Aul. Meg.

Indemnitum.

De quadrã. te sextario, &c. d. lib. 1.

Hic cadus pro incerta mensura capitur.

——at ego inferro
Cadum vnum vini veteris à me afferriet.

Horatius in epistola ad Aug.

Si meliora dies, vt vina, poëmata reddit, &c.

Pind. Olimp. 9. αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. lauda vinum quidem vetus, sed flores nouorum hymnorum, id est, carmen nouum. Suspendebant Romani è vasis vinariis tabellam, in qua Galeno teste scripta erat ætas, quo tempore, quibusue consulibus conditum esset. Iuuenal. Sat. 5.

——cuius patriam titulumq; senectus
Deleuit multa veteris fuligine testæ.

In Trimalchionis conuiuio idem docet Petronius.

Brod. Misc. lib. 1. cap. 3. Martialis. *Potaui modo consulare vinum.* NVNC MIHI DIC, QVIS ERIT] Solebant prisci in amicorum gratiam tot haurire cyathos, quot litteras illorum nomen continebat. Cæsar autem soluta diphthongo sex habet. proposuit hanc quæstionem ministro Calatisso. Dic puer, cum iubeo te sex mihi porrigere cyathos, quem significo? respondet puer. Cæsar erit. & hoc est, quod dixit ante, quadrantem duplica. huius exempla passim occurrunt in Martiale. CVI DEORVM] Domitianum intelligit, qui se iubebat Deum vocari. SVTILIS APTETVR DECIES ROSA CRINIBVS] Bibituri veteres sumebant coronas, aut toties reponebant, quoties potarent. Vt ergo Martialis ad Cæsaris venerationem rosas caperet, decimam rosam poposcit, vt Domitianum significaret, quod nomen decem habet litteras. de more coronarum alibi Martialis:

Germanicus totidẽ habet litteras & Sarmaticus, &c.

Lassentur q; rosis tempora sutilibus.

Nam coronæ sutiles solennes fuere præsertim sacris, Plinius lib. 21. cap. 3. ni fallor. *sutiles sacerdotum sacris inuenimus, & solennes cœnis.* de vsu coronarum lege Atheneum, Tertullianum, alios. VT SIT, QVI POSVIT] Vt sit Domitianus, qui ædem Flauiæ gentis condidit & dicauit.

De

De Hippocrate.

LXXV. XCVI.

Santonica medicata dedit mihi pocula virga:
Os hominis, mulſum me rogat Hippocrates.
Tam ſtupidus nunquam, nec te puto, Glauce, fuiſti,
Chalcea donanti Chryſea qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poſcit amaro?
Accipiat, ſed ſi potat in elleboro.

al. Sardon.

Hippocrates ſtomachi cauſa poetæ abſynthite miſſo petebat mulſum. Poeta factum Hippocratis irridet, & ſe viciſſim ſanitatis cauſa miſſurum quidem mulſum, ſed cum elleboro potandum, quo cerebrum purget. SANTONICA] Abſynthium à Dioſcoride lib. 3. cap. 23. & 24. *deſcribitur marinum, quod ſeriphium vocant.* Triplex eſſe traditur. Ponticum, quod Matthiolus diuerſum, à noſtrate & vulgari dicit. Marinum ſeu ſeriphium, & Santonicum: idem Plinius. *Abſynthij genera ſunt plura. Santonicum appellatur à Galliæ ciuitate, Ponticum à ponto, vbi pecora pingueſcunt illo, & ob id ſine felle reperiuntur, neq; aliud præſtantius multoq; Italico amarius, ſed medulla Pontici dulcis.* Latinis feriis victor abſynthium bibebat, vt idem Plinius., *Siquidem* inquit, *Latinorum ferijs quadrigæ certant in Capitolio, victorq; abſynthium bibit, credo ſanitatem præmio dari honorifice arbitratis maioribus. Eſt & abſynthium marinum, quod quidam ſeriphium vocant,* &c. Ex abſynthio fit abſynthites vinum, vt Plinius lib. 14. cap. 16. docet, Et Dioſcorides, *Vinum ex eo fit, quod abſynthiten vocant, præſertim in Propontide & Thracia.* Santones, vt ſupra diximus, populi Aquitaniæ. Santonum portum hodie Rupellas nominant. SANTONICA VIRGA] Abſynthio imbuta Wermutwein/ Seneca Suaſ. pro Cicer. 2. veluti ſalutarem pueris daturus potionem abſynthiaci poculi. Lucret. l. 4. OS HOMINIS] En hominem impudentem, vide os hominis, impudentiam & vecordiam: petit mulſum pro abſynthio. Mulſum vinum melle conditum, idem, quod lib. 13. Adagium lege, quo ore, qua fronte, Pierium libro 33. Lambinum ad Horatium epigr. 18. lib. 1. Quintilianus: fiduciam hominis.

Abſynthium.

Nam veluti pueris abſynthia tetra medentes
Cum dare conantur——

TAM STVPIDVS] hoc neque ipſe Glaucus Homericus. de quo lib. ζ. Iliad. admiſiſſet ſtultitiæ, quamuis aurum ferro mutauerit, cum arma ſua aurea, cum Vlyſſis ferreis cõmutauit. DVLCE MVNVS PRO AMARO] pro melle fel: ein Roß vmb ein Pfeiffen. Χρύσεα χαλκείων. Iuſtinianus in præfatione Digeſtorum alludit: Nam veſtris, inquit, temporibus talis legum inuenta eſt permutatio, qualem & apud Homerum patrem omnis virtutis Glaucus & Diomedes inter ſe faciunt diſſimilia permutantes:

Libr. 6.

χάλκεια χρύσεια.

Χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Horatius item Satyr. 1. lib.

Aut ſi diſparibus bellum incidat vt Diomedi
Cum Lycio Glauco, diſcedet pigrior vltro
Muneribus miſſis——

Legantur & Adagiographi ſuper hoc dicto.

ACCIPIAT, SED SI POTAT IN ELLEBORO] dabo hac lege, vt potet in elleboro, id eſt, fateatur ſe inſanum, & indigere elleboro, quod inſaniam purgat. Vide Plinium, Horat. Ouid.

De Herode.

LXXVI. XCVIII.

Clinicus, Herodes, trullam ſubduxerat ægro:
Deprenſus dixit, ſtulte quid ergo bibis?

CLINICVS HERODES] ſic medicum furem eſt. Clinicus qui ægros curat, ἀπὸ τῆς κλίνης. à lecto dictus Clinicus, de quo lib. 1. plura. TRVLLAM SVBDVXERAT] furatus erat trullam. argenteam reor. Trulla vas potorium; hic argenteum, quanquam frugalis antiquitas argenteam ſupellectilem non admittebat. Cuiacius legitur libro 10. obſer. capite 17. ſed Martialis æuo, iam luxus in orbem migrauerat, immo retro Martialem iam omnia Romæ aurea & gemmea. *Trua* inquit Nonius Marcellus, *veteres à terendo. quam nos trullam: diminutiuo, appellari voluerunt.* Pomponius: *Mulier vbi aſpexit tam mirifice tutulatam truam.* Titinius: *Sapientiâ gubernator torquet nauem, haud valentia. Coquus magnum ahenũ, quãdo feruit paulla cõfutat trua.* Varro de lingua latina. *Trulla, inquit à ſimilitu-*

 dine

dine trua, qua quod magna & hac pusilla, vt trula. Hinc Graci τρυβλίον. nos trullam, qua ex culina in lauatrinam aquam fundit. Trua quod transuolat ea aqua, ab eodem est appellatum Truellum. simile enim figura, nisi quod latius concipit aquam, & quod manubrium cauum non est, nisi vinaria trulla accesserit. Aliam significationem in ædificiis habet Isid. DEPRENSVS] elegans est Apologus apud Phrygem de fure item medico, qui quoties ad viduam cæcam ventitabat, semper secum aliquid è supellectile auferebat, quæ curata, cum videret omnia ex ædibus ablata. *Iam*, inquit, *minus video quam antea.* STVLTE QVID ERGO BIBIS] Ingenium medici, imo furis subitum & promptum. In furto deprehensus simulauit se tantum remouere ab ægro trullam voluisse, ne biberet, quod illi mortiferum esset. Locus est in responso furis promptissimo.

Ad Iulium.

XCIX. LXXVII.

Rumpitur inuidia quidam, charissime Iuli,
Quod me Roma legit, rumpitur inuidiâ.
Rumpitur inuidiâ, quod turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur inuidiâ
Rumpitur inuidia, tribuit quod Cæsar vterque
Ius mihi natorum, rumpitur inuidiâ.
Rumpitur inuidiâ, quod rus mihi dulce sub vrbe est,
Paruaq; in vrbe domus, rumpitur inuidiâ.
Rumpitur inuidiâ quod sum iucundus amicis,
Quod conuiua frequens, rumpitur inuidiâ.
Rumpitur inuidiâ, quod amamur, quodq; probamur:
Rumpatur, quisquis rumpitur inuidiâ

Videtur Martialis hoc Virgilii amasse ecl. 7 inuidia rumpatur vt ilia Codro.

RVMPITVR INVIDIA] ad Iulium Martialem illum, de cuius hortis lib. 4. & bibliotheca lib. 7. dictum. contra Inuidum, qui vt magis inuideret, doleretque, omnia sua prædicauit Martialis. ROMA LEGIT] idem supra sæpius. MONSTRAMVR DIGITO] vt nobilis poeta. lib. 1. epig. 1. poteram hic multa ex Plinio iuniore, & aliis adferre, sed non abutar in re clara tuo, lector otio. Lege & Heraldum otiosus. De digito moneo, indicem intelligendum, non medium digitum quo stulti monstrabantur, & si Stoicis etiam stulti, qui aliis sapientes, monstrabantur indice, non raro & ipsi Stoici medio monstrandi. Plura Marcilius seu Musambertius contra Ramires. lib. 1. epigr. 1. CÆSAR VTERQVE] Titus & Domitianus lib. 3. epig. 49.

Præmia laudato tribuit mihi Cæsar vterque,
Natorumq; dedit iura paterna trium.
Ore legor multo, notumq; per oppida nomen
Non expectato dat mihi fama rogo.

IVS TRIVM LIBERORVM] quamuis careret liberis, tamen maritorum iure fruebatur poeta beneficio Cæsaris, qui illud munus, vt ex Plinio iuniore intelligo, solus conferebat: quæ autem iura maritorum fuerint, iam supra copiose enarratum. RVS DVLCE SVB VRBE] intelligunt plerique hortos Martialis in Ianiculo sitos, cum illi non fuerint Martialis poetæ, sed Iulii Martialis de quo lib. 4. & 7. de suo autem rure sæpicule supra meminit in non dissimili argumento. Reor Nomentanum accipiendum. RVMPATVR] Inuidia hoc boni habet, quod in se mala sit. Anthol. libro 1. εἰς φθόνον.

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστος, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ,
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.
Pessima res liuor, sed habet tamen ille, quod optes,
Liuentis tantum corq; oculosq; vorat.

Et ibidem:

Ὁ φθόνος αὐτὸς ἑαυτὸν ἑοῖς βελέεσσι δαμάζει.
Liuor se telis conficit ipse suis

RVMPATVR] non inuideo inuidenti, plus plusque, donec rumpatur.
Translatum pene ad verbum notauit Parthius ex Diogenis comici apud Stobæum Sermone XXXVI.

Ad Ouidium.

LXXVIII. C.

Ad Q. Ouidium.

Vindemiarum non vbique prouentus
Cessauit, Ouidi. pluuia profluit grandis.*
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

* *V. profluit. melius.*

Coranum perfidum cauponem notat, qui in magna vini caritate amphoras aqua miscuit, atque ita reduxit vilitatem & copiam vini, vt etiam aquam venderet pro vino, supra libro 1. epigram. 57.

Continuis vexata madet vindemia nimbis,
Non potes, vt cuperes, vendere caupo merum.

Ad Atticum.

LXXIX. CI.

Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas,
Charta salutatrix si modo vera refert,
Marcus Palladiæ non inficianda Tolosæ,
Gloria, quem genuit pacis alumna quies.

MARCVS AMAT] Amicum suum M. Antonium Tolosanum Gallum laudat, cui placebat poëta. Hic est ille M. Antonius Primus, quem describit Tacitus lib. 2. Histor 3. 4. qui Vespasiano, præter Mucianum, peperit Imperium. De eodem Suetonius Vitellio cap. vlt. *Siquidem ab Antonio Primo aduersarum partium duce oppressus est, cui Tolosæ nato, cognomen in pueritia Becco fuerat*: id valet gallinacei rostrum. Plura Dio, & Hegesippus lib. 3. CHARTA SALVTATRIX] charta epistolaris, de qua lib. 14. hic pro ipsa epistola salutem continente. Notauit Iosephus Scaliger in Guilandinum, nomē τοῦ χάρτου recẽtius esse quam βίβλου, & tum demum epistolari biblo chartæ nomen inditum, cum cœptum est in frontibus epistolarũ apponi χαίρειν, vnde chartam epistolarem inquit Martialis vocat chartam salutatricem. VERA REFERT] si non blanditur, aut inuidet laudando. PALLADIÆ TOLOSÆ] Tolosæ amantis & colentis Palladem, & litteras. Quod hic de Auro Tolosano refert Domitius ex Gel. lib. 3. c. 9. extra chorum est. Tolosa oppidum Galliæ Narbonensis. PACIS AMICA QVIES] Vt ostendat esse alium Antonium, non ex familiâ Antonij Triumuiri, aut Antonij Saturnini, &c. seditiosi hominis, & hostis Reip. adiungit patriam, tempus, studia. PACIS] An tempora Augusti extrema notat? Ipse profecto homo minime quietus fuit. Pace pessimus, bello non spernendus. Est de huius Antonij (infrà lib. 10.) imagine elegans epigramma 32. & 23.

Ad Librum.

LXXX. CII.

Tu qui longa potes dispendia ferre viarum,
I liber absentis pignus amicitiæ.
Vilis eras, fateor, si te nunc mitteret emptor;
Grande tui precium muneris auctor erit.
Multum, crede mihi, refert à fonte bibatur,
Qui fluit, an pigro quæ stupet vnda lacu.

TV QVI LONGA POTES] Mittit librum à se correctum ad Antonium in Galliam. SI TE NVNC MITTERAS TENTO] manifesta labes, nullus sensus. emenda, ex codice Lutetiano. (MITTERET EMPTOR) & sole clariora omnia. gratior enim liber est ab ipso auctore & gratis missus, quam è foro emptus. MVLTVM CREDE] gnome. fons semper purior, dulcior

nam dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Vnde illa parœmia, *ex fontibus haurire.*

In

Accusat Bassum officia prope gratis exigentem.

In Bassum.

CIII. LXXXI.

Denariis tribus inuitas, & mane togatum
Obseruare iubes atria, Basse, tua;
Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam,
*Ad * vetulas tecum plus minus ire decem.*
*Trita quidem nobis togula est, vilisq; * putrisq;*
Denariis tamen hanc non emo, Basse, tribus.

* viduas.
* vetusq;

Denarius Romanus argenteus erat nummus, & decem assibus (vnde denarius dictus) primum æstimabatur, quatuorue HS. seu. 8. cruciferis, qui Græcis drachmam efficiunt. deinde per bella ciuilia aucto auri, & argenti precio denarius cœpit 16. assibus æstimari, seu XII. cruciferis & 4. quadrantibus. itemque HS. 4. assibus, siue tribus crucife is, & quadrant. Tandem 12. assibus æstimatus denarius tempore Augusti, stetit aliquandiu hoc precio, & sequentibus imperatoribus. Ita s stertius tribus assibus valebat. Et denarius 9. cruciferis, & dodrante; siue, tribus quadrantibus. quinque autem quadrantes accipio pro crucifero nostra e. Et hoc precium sestertij numi, pro tribus assibus seu XII. quadrantibus Paulus Manutius in commentariis suis ad Epistolas & Orationes Ciceronis vsurpat semper, vnde fit vt eius summa nunquam cum aliis conueniat, sed semper superet. Exempli caussa Epistola 6. ad Famil. narrat Cicero se domum de Crasso emisse XXXV. H-S. tricis nempe quinquies centenis millibus sestertium qui numerus æstimatur Manutio centum quinque millibus scutatorum (hoc est philippæorum seu coronatorum, vt singuli scutati 80. cruciferis sint) aliis qui primam sestertij æstimationem non posteriorem seruant, tantum octoginta septem millibus philip. & quingentis. Ita superat communem æstimationem septendecim mill b. quingentis phil ppæis in hac sorte; sestertium enim æstimat Manutius XII. vt dixi quadrantibus, cætera tantum decem. Ego communi semper via ingredior hoc commentario. & 8. cruciferis æstimo denarium, quemadmodum Græci drachmam. Cæterum super hoc mutato identidem pretio denarij, lege Lipsium in Electis, & ad Tacitum. p. 38 & 39. MANE TOGATVM] togati salutabant patronos clientes, togati comitabantur, togati adstabant. PRÆCEDERE SELLAM] anteambulonis vice. de quo sæpe dictum. sellam, qua gestabantur domini. AD VETVLAS] ad dominas & matronas Romanas. TRITA QVIDEM NOBIS] Tu quanquam me ex veste trita æstimes, & velut contempto tantum des tres denarios, tamen hanc vestem non emo tribus denariis, quam lacero te comitando, itaque non dicam posthac AVE & SALVE, sed vale quia plus tibi do, quam tu mihi. Formam denarii ex numis expressam spectasti lib. primo, vti & quinarij & sestertij numi.

Denarius recto numero drachmā seu 8 cruciferis valet & ita accipitur à scrip oribus passim. Tres denarij sex vel ...s seu vicena quater me tres efferre.

Adulatur Domitiano.

CIV. LXXXII.

Appia, quam simili venerandus in Hercule, Cæsar,
Consecrat Ausoniæ maxima fama viæ,
Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
*Disce: Libyn domuit: * aurea poma tulit:*
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo:
Addidit Arcadio terga leonis apro.
*Æripedem siluis * ceruum, Stymphalidas * vndis*
Abstulit: à Stygia cum cane venit aqua.
Fecundam vetuit reparari mortibus Hydram:
Hesperias Tusco lauit in amne boues.

* raraque, malum aurea, nisi religio obstet versus, domuitz aurea, quam non facit Martial.
* ceruam.
* astris.

Hæc

Hæc minor Alcides. maior quæ gesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
Asseruit possessa malis Pallatia regnis:
Prima suo gessit pro Ioue bella puer.
Solus Iuleas cum iam retineret habenas,
Tradidit, inq́ue suo tertius orbe fuit.
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri:
Sudantem Getica ter niue lauit equum.
Sæpe recusato Parthos duxisse triumphos
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit.
Templa deis, mores populis dedit, otia ferro,
Astra suis, cælo sidera, serta Ioui.
Herculeum tantis numen non sufficit actis:
Tarpeio Deus hic commodet ora patri.

APPIA QVAM SIMILI VENERANDVS] Domitiani facta cum gestis Herculis contendit, & Domitianum maiorem Hercule facit, Herculemque maiorem appellat. APPIA] ipsam viam Appiam alloquitur *προσωποποιητικῶς*. Appia via (quæ maxima es Ausoniæ viæ, seu quæ regina es, vt Papinius vocat, viarum latinarum.) QVAM SIMILI IN HERCVLE VENERANDVS CÆSAR CONSECRAT] Quam viam Appiam consecrat, sacram & religiosam reddit Cæsar adorandus sub imagine Herculis, in templo ibi ad octauum ab vrbe lapidem à Domitiano extructo, vt Martialis infrà.

Herculis in magni, &c.
Octauum domina marmor ab vrbe legit.

Appia versum affinato. *Papinius in via Domitiana.* *De hoc in admirandis Lipsius quod infra descripsimus. 8. M. P. ab vrbe.*

Hanc viam (teste Papinio, qui illam Domitianam appellat) strauit Domitianus, qua paludes inter. ludebantur vel arenæ. *Et quæ nunc solidum diem terebat.* Appia autem vocatur, quòd eam Appius cæcus strauerit. *bonarum via facta vix duarum.* SI CVPIS ALCIDÆ COGNOSCERE FACTA PRIORIS, DISCE] Appia, si cupis Herculis minoris, seu veri Herculis labores & ærumnas cognoscere, exponam tibi. LYBIN DOMVIT] Anteum intelligit, de quo lib. 1. copiose dictum. AVREA POMA TVLIT] interfecto dracone, qui aurea mala custodiebat, ex Hesperidum horto illa decerpsit. PELTATAM SCYTHICO DISCINXIT AMAZONA NODO] Baltheum Hippolytæ Amazonum reginæ bello victæ detraxit, alij Dylicæ ereptum baltheum affirmant. An fuerit gens Amazonum & quæ eius origo nos ad lib. VI. Q. Curtij c. XII. Interim succurret Bisciola libro 16. c. 9. & 10. PELTATAM] pelto scuta vtentem. de pelta lege Manutium de quæsitis per epistolam & interpret. Virgilij ad illum versum. *——lunatis agmina peltis.*
SCYTHICO NODO] periphrasis balthei, seu zonæ, cingulive. ADDIDIT ARCADIO TERGA LEONIS APRO] De leone & apro occisis iam supra libro 1. narratum. ÆRIPIDEM SILVIS CERVVM] Ceruа aurea habebat cornua, Dianæ apud Oenium sacra erat in monte Mænalo vagabatur, quam Hercules cepit, & Dianæ Taygetæ consecrauit. STYMPHALIDAS VNDIS ABSTVLIT] De his Apollonius 2. Argon. qui vocat eas Ploïdas.

Ploïdas inde lacu volucres Stymphalidas illa
Pellere vi potuit: namq́ue hoc quoque lumine vidi.
Ast idem vt manibus crotalum pulsaret in alta
Existens specula prospectans, protinus illa
Cum clamore procul linquentes littus ierunt.

Hæ ad Stymphalum lacum, vbi Iuno educata fuerat, erant, & humanis carnibus vescebantur. alij ab Heroë Stymphalo dictas Stymphalidas docent. Plura Nat. lib. 7. Myth. cap. 1. Gruterus pugnat pro astris, *deprehensa enim*, inquit, *in aëre Harpia non in lacu sicuti latius ostendi in Seneca tragœdiis. Sed quid ad Apollonium?* A STYGIA CVM CANE VENIT AQVA] Cerberum Hercules apud inferos cepit, & ad Eurystheum Mycenas adduxit. Nat. eodem loco. Herculis labores Quintus Smyrnæus græcus ordine recensuit: de eodem ferè omnes poëtæ. FECVNDAM VETVIT REPARARE MORTIBVS HYDRAM] De hac lib. 1. centum capita, quorundam sententia, aliorum 50. habuit, &c. VETVIT] Hercules non dedit spatium hydræ renouandorum capitum, sed igne adussit. HESPERIAS TVSCO LAVIT IN AMNE BOVES] Boues Geryonis dicit, quas ex Hesperia siue Hispania in Italiam egit, atque in Tiberi lauit; hunc enim amnem Tuscum dicit. de Geryone lib. 1.

lib. 1. plura. Lege Alciati emblema de Geryone. HÆC MINOR ALCIDES.] hi sunt labores veri Herculis, quem, vt dixi, assentandi caussa minorem Herculem vocat. MAIOR QVÆ GESSERIT, AVDI] Nunc audiamus, quid gesserit Domitianus maior Hercule Hercules. SEXTVS AB ALBANA QVEM COLIT ARCE LAPIS] Quem Domitianum octauo ab vrbe, sexto ab arce Albana lapide, hoc est, octauo vel sexto milliario ab vrbe, sub effigie Herculis in templo ibidem structo, mortales pro Deo & Hercule venerantur. ASSERVIT POSSESSA MALIS PALATIA REGNA] Bello Vitelliano Domitianus capitolium defendit cum Sabino patruo, qui hoste victore captus & occisus ad Gemonias est raptatus. Domitianus, vt suprà exposuimus, euasit habitu tectus Isiaco. Lege Xiphilinum in Vitellio, Suetonium in Domitiano, Tacitum, & alios. Et Martialis lib. 2. epig. 2. PRIMA SVO GESSIT PRO IOVE BELLA PVER] Cùm defendit capitolium, & victus apud æditum latuit, quam postea casam in templum vertit, Iouique custodi ædem consecrauit. Vicit igitur Domitianus Herculem; ille enim infans serpentes elisit, hic ipsum Iouem bello Vitelliano periclitantem defendit, & liberauit, sed ita liberauit, vt conflagrauerit capitolium. SOLVS IVLEAS CVM IAM RETINERET] Cùm Mutianus, Vespasiani dux, ante Vespasianum in vrbem venisset, Vitellium occidit, & Vitellianas partes dissipauit, Domitianum ex latebris extraxit, Cæsarem consalutauit, atque omnia cum Domitiano administrauit, non secus ac si ipse imperator esset, vt hoc nomine ad filium Vespasianus scripserit. *Ago tibi gratias, fili, quòd me sinas principatum tenere, quodq; me nondum ex eo expuleris.* Xiphilinus, Vespasianus & Suetonius in Domitiano cap. 13. Principatum verò adeptus, neque in senatu iactari dubitauit, & patri se, & fratri imperium dedisse, illos sibi redidisse. Ad hanc vocem Domitiani refert Martialis, cùm dicit: *Solus Iuleas cùm iam retineret habenas*; nam absente adhuc patre se pro imperatore gerebat. Iuleas habenas, Cæsareas, imperatorias, à Iulio Cæsare primo imperatore dictas. TRADIDIT] nolens volens patri, qui Tito; cui Domitianus vt se æquaret, expeditionem in Galliam & Germaniam non necessariam inchoauit. Suetonius cap. 2. IN QVE SVO TERTIVS ORBE FVIT] Tertius, postremùs in administrando; nam pater imperabat, Titus adiuuabat, Domitianus conceptus ob ambitionem cum patre habitabat, poëticæque studium simulabat. CORNVA SARMATICI TER PERFIDA CONTVDIT ISTRI] Bis in Dacia, semel etiam in Sarmatia; De Dacis triumphauit, de Sarmatis lauream reportauit, vt iam suprà sæpius à nobis dictum. PERFIDÆ ISTRI] perfidis gentibus, quæ ad Istrum colunt, Dacis & Sarmatis. SVDANTEM GETICA TER LAVIT EQVVM] Idem dixit, quod hexametro dixerat. Nam Getæ Daci dicuntur; lege Xiphilinum in Domitiano. Sunt Metonymiæ, signa pro rebus ipsis; sudor enim pugnam & laborem significat. SÆPE RECVSATO PARTHOS DVXISSE TRIVMPHOS] Q. Curtius eundem habet modum loquendi, & Silius. Apuleius, Ammianus, Marcellinus comperto, cognito, audito eum hoc fuisse, cæsum esse exercitum, &c. Sensus est, cùm sæpe negatum esset Domitiano, ne ad Parthicam expeditionem proficisceretur, auxiliatum Vologeso, atque inde triumphum duceret. sic enim Suetonius cap. 2. *Nec tamen eo secius cum Vologesus Parthorum Rex auxilia aduersus Alanos, ducemque alterum ex Vespasiani liberis depoposcisset, omine ope contendit, vt ipse potissimù mitteretur, & quia discussa res est, aliòs Orientes reges, vt idem postularent, donis ac policitationibus solicitare tentauit.* Sæpe recusato, sæpe negato illi ducere Parthicum triumphum. Cum sæpe recusasset Vespasianus petitionem Domitiani Vologeso Parthorum Regi succurrere volentis, Domitianus tamen Germanici nomen à Germanis deuictis tulit. VICTOR HYPERBOREO NOMEN AB ORBE TVLIT] A Sarmatis, Dacis, Batauis, Cattis, Germanis; vnde Germanicus dictus, & hi omnes populi ad Boream & septemtrionem habitant. TEMPLA DEIS] Ioui Custodi & Capitolino, Flauiæ genti, Isidi, Serapidi, Iano, Herculi, &c. Tranquillus cap. 2. Eutropius lib. 7. & alij. Martialis pluribus in locis infrà. MORES POPVLIS] De moribus & legibus Domitiani suprà lib. 6. ep. 4. & 7. alijsque locis scriptum. DEDIT OTIA FERRO] Mart. suprà.

Nec minus ista tua laurea pacis erit,

Rebus in Sarmatia, & Dacia vtrinque compositis; nec enim diuturna pax ea fuit, Decebalo bellum identidem instaurante. DEDIT OTIA FERRO] bello feliciter confecto, pacem reduxit. ASTRA SVIS] patrem, fratrem, vxorem in numerum deorum retulit, & genti Flauiæ templum magnificentissimum ædificauit. hunc honorem ἀποθέωσιν appellabant græci, Suetonius in Domitiano cap. 2. consecrationis honorem interpretatur. COELO SIDERA] cœlum dedit suis, & suos cœlo, intra astra enim retulerat. sic lib. 1. Sed qui sibi dare non potuit, aliis quid daret? A[illegible] ad Thasios. SERTA IOVI] Laurum Sarmaticam, de qua iam ad Cramben, est dictum. HERCVLEM TANTIS NVMEN NON SVFFICIT ACTIS] Conclusio comparationis, qua anteponit gesta Domitiani, gestis Herculis. Odi tam apertas assentationes. TARPEIO DEVS HIC COMMODET ORA PATRI] Domitianus Deus colatur potiùs sub imagine Iouis, vt paria sint acta. Nam *Iupiter in cælis, terris regit omnia Cæsar, Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.* TARPEIÆ PATRI] Ioui Capitolino, qui Tarpeius à monte: Tarpeia Arx à Sp. Tarpeio, qui bello Sabino arci præerat capitolinæ, à cuius filia Tarpeia prodita, & Tarpeia nominata. Liuius lib. 1. Plutarchus in Romulo. Varro, Seruius, & alij. COMMODET] Cæsar effingat imaginem Iouis à suo vultu, Iouis

imaginem

imaginem sibi similem exprimat. Iupiter non Hercules pingatur imagine Domitiani, Hercules enim præ Domitiano nullus est, vix Iupiter illi par est, imo inferior illo, vt supra de conuiuio Iouis & Domitiani. In Christiano hominem cum Deo conferente læsæ maiestatis diuinæ crimen esset.

Ad Phœbum.

LXXXIII.

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas:
Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
Quare alium, cui te tam vano nomine iactes:
Quod tibi non possum soluere, Phœbe, meum est.

Phœbus fœnerator & creditor Martialis, de quo paulò ante dictum, exigebat foenus & sortem. Poëta petit, seque nihil debere ait, quod nihil habeat, vnde soluat. QVADRINGENTORVM] tabulas quadringentorum millium HS. id est, decem millia Philippæorum. CENTVM] da mihi potiùs alia centum millia mutua, vt inde liberalis habeare. QVÆRE ALIVM] putabam donatum esse abs te pecunia, quòd diceres te mihi quadringenta dedisse, sed vanus fuisti. QVOD TIBI NON POSSVM SOLVERE, MEVM EST] lib. 2. idem dicit de Sexto. epig. 3.

Sexte, nihil debes, nil debes, Sexte, fatemur;
Debet enim, si quis soluere, Sexte, potest.

Ad quod ibi plura. Lib. 11. epig. 77. rogat Pætum, vt perdat decem millia sibi mutuò data. Et lib. 1. epig. 76. de Lino aliisque locis.

MATTHÆI RADERI
AD
M. VAL. MARTIALIS
LIBRVM DECIMVM
COMMENTARIVS.

I.

Si nimius † videor, seraque coronide longus
Esse liber: legito pauca, libellus ero:
Terq; quaterq; mihi finitur carmine paruo
*Pagina, fac tibi me, quàm cupis esse, * breuem.*

* Ad coronidem.
† V. Videar.
* breuis.

SI NIMIVS VIDEOR] Omne tulit punctum hic liber, paucissimis inductis; castus dulcis, eruditus est, morum præcepta continet, descriptionibus variis abundat, nullæ aut rarissimæ adulationes, quia mortuus ille Dominus Deusque, hoc est, impius tyrannus seruorum suorum ferro cæsus, cui successit Nerua, & Neruæ mox Traianus, ad quem sunt lecta quędam huius libri Epigrammata. SI NIMIVS VIDEOR] possis hoc tetrasticho finire librum nonum potiùs, quàm inchoare decimum, nisi poëta dicat (legito) quod sequentem laborem, non præteritum spectat. Est autem non longior nono, imò duobus etiam Epigrammatis breuior. Liber Poëtæ longus videtur, qui centesimum Epigrammatum numerum excedit. lib. 1. epig. vlt.

Cui legisse satis non est Epigrammata centum, *Nil illi satis est, Cæciliane mali.*

CORONIDE] fine. Coronida imposuisse, *adagium est*, inquit Cælius, *significans vltimam rei manum admotam, nec affectum opus, sed prorsus completum, finitumq;. Siquidem, coronis, est quandoque montis vertex, aut structura summum. quandoque verò, quod in fine libri ponitur. vnde est adagionis origo. Quod in libro de Alexandri fortuna, manifestum Plutarchus facit: Dionysius*, inquit, *Philoxenum poetam in Latomias coniecit: quod cùm ille tragœdiam à se concinnatam recoquendam, emendandamque tradidisset, totam ὡς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος περιέγραψεν*, id est, *ab initio ad coronidem vsque circumscripsit, quod est, expunxit, deleuitque.* Coronis, quæ in calce libri ponebatur, hanc olim figuram præferebat. V. vel hanc 7. quod idem est signum alarum equestrium. Inscriptio vetus: M. BALLONIO, M. F. PAVLO MVTINA MILITI. COHORTIS X. PRÆFECTO 7. (hoc est alæ) FRONTONIS MILITAVIT. ANNOS VIII. VIXIT ANNOS XXXVI. T. P. I. Nam Aristophanis interpretes scribunt esse lineam breuem, sed ab inferiore parte flexam. Alia coronidis significata, & multa, & varia lege apud Cælium loco dicto. κορωνὶς est ala cornicis, translatione ab ædificio ad librum facta quod sicut domus tum absoluta suis omnibus est numeris; cum in eius fastigio sedet cornix, ita libri & alia cum ala appingitur ad finem finita intelliguntur. TERQVE QVATERQVE] singulis paginis ter aut quater finitur liber, cùm fine tria quatoruе in singulis Epigrammata. FAC TIBI ME] tam breuem quàm ipse cupis, cum possis in singulis Epigrammatis cessare. Emendatius fortasse legeris cum Parrhio *breuis* non breuem, vt ad paginam referatur.

Ad Lectorem.

II.

Festinata prior decimi mihi cura libelli
Elapsum manibus nunc reuocauit opus.
Nota leges quædam, sed lima rasa recenti:
Pars noua maior erit: lector vtrique faue.

Lector

Lector opes nostra, quem cùm mihi Roma dedisset,
Nil tibi, quod demus maius habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,
Et meliore tui parte superstes eris.
Marmora Messalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos.
*At chartis nec furta nocent, nec sæcula * prosunt,*
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

* prosunt.

FESTINATA PRIOR] Sub incudem reuocauit hunc librum præproperè editum. FESTINATA CVRA] Primi fœtus non satis maturi, ὕστεραι φροντίδες σοφώτεραι, curæ secundæ meliores. NOTA QVÆDAM] Primo ardore fusa quædam leges, sed tamen limata & polita. VTRIQVE] nouis & veteribus. MAIVS] Lectore tui amante, cupido, grato. quod pauci habent. FVGIES FLVMINA LETHES] Vindicabis nomen ab hominum obliuione. Lethe flumen infernum rerum omnium præteritarum memoriam abolens. MARMORA MESSALÆ CAPRIFICVS] lib. 8. epigram. 3.

Et cùm rupta situ Messala saxa iacebunt,
Altaq; cùm Licini marmora puluis erunt.
Me tamen ora legent ——

M. Val. Coruinus Messala, Augusti æuo clarissimus orator, ditissimus ciuis, ædes magnificentissimas extruxit. Lege, quæ ibi ad lib. 8. scripsimus. De nomine Messalæ Seneca de breuit. vitæ cap. 13. *Sanè & hoc ad rem pertineat, quòd Valerius Coruinus primus Messanam vicit, & primus ex familia Valeriorum vrbis captæ in se translato nomine Messana appellatus est, paullatimque vulgo permutante literas Messala dictus est.* CAPRIFICVS] est syluestri genere ficus nunquam maturescens. Plinius libro decimo sexto capite decimo nono, è muris & saxis erumpit, sic vt durissimos quoque lapides deiiciat enitendo. Iuuenalis.

Caprificus infausti nominis arbor quam mortuis male imprecabantur. Propertius el. 5. lib. 4. Vrgeat hunc supra vis. Caprifici tua. Turnebus videatur lib. 23. cap. 6.

—— Ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora fici.

Persius Satyr. 1. alludit μεταφορικῶς.

Quid didicisse? nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus.

Obserua hoc. quod παρέργως ex Plinio dico, caprifici tauros quamuis feroces collo eorum circumdata adeò compesci, vt immobiles persistent. Facta mentio huius Epigrammatis lib. 6. ep. 52. ET AVDAX DIMIDIOS CRISPI MVLIO RIDET EQVOS] Crispus fuit Neronis vitricus, ditissimus Romanorum. Alter Vibius Crispus Domitiani æuo. Vtrumque lib. 4. epig. 54. descripsimus ad illum versum.

Diuitior Crispo, Thrasea constantior ipso,

Mulio Crispi, auriga Crispi ridet equos, equestres statuas vetustate, & tempestate corruptas fractasque, vt huic caput, alteri pedes, aliis alia deessent. Eleganter Iuuen. Sat. 8.

Et Curios iam dimidios, nasumque minorem
Coruini & Galbam auriculis nasoque carentem.

Sensus distichi est. Opera quamuis sumptuosa vetustate consumuntur, & pereunt, scripta curæque doctorum virorum nunquam. AT CHARTIS NEC FVRTA NOCENT] Sunt immortalia carmina. Idem Ouidius lib. 1. Am. el. 10. & elegia vltima. Et lib. 3. Amorum, eleg. 8. Horatius lib. 4. car. od. 8. Lucanus lib. 9. Pharsaliæ, rursus Ouidius lib. extremo Metam. confidentissimè de nominis sui immortalitate.

Iamq; opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Cùm volet illa dies, quæ nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spatium mihi finiat æui,
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenq; erit indelebile nostrum,
Quaq; patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi, perq; omnia sæcula fama,
Si quid habent veri vatum præsagia, VIVAM.

Illustris est hic locus. Extant super eadem re emblemata Alciati 134. & 204. Plinius Iunior passim in epistolis. Cicero. Ouid. 4. de Tristibus, Tibullus el. 4. lib. atque alij. Et noster sæpius, quæ iam præterita; sed in primo Anthologiæ elegans est Philippi Epigramma in Homerum, quod huc pertinet.

Οὐρανὸς ἄστρα ταχύον, &c.
Ipsa prius mundo radios prius astra negabunt,
Ante Panomphaeus luce carere queat.
Et mare dulcescet prius, & findetur aratris,
Mortuus ad vitæ munera surget homo,
Quàm simul intereant laudes & nomina vatis,
Cuius perpetuum fluxit ab ore melos.

Æquè elegans est lib. 3. Anthol. in Laërtæ tumulum.

Ψύχει καὶ πέτρην, &c.

Saxa cauat tempus. Claudius Minos ad Alciati emblema. SÆCVLA PRÆSVNT] Nam si tempus edax præesset, consumeret auctores. Legunt alij prosunt, vt videatur ludere in verbis nocent & prosunt, sed si sæcula non prosunt, nocent perdendis & obliterandis libris, quod haud paucis accidit. præfero τὸ præsunt, quod libri, si generatim loquamur, sint supra sæcula, & omnem vetustatem. Quanquam eodem sensu possis retinere prosunt, cum libris vetustas addat reuerentiam & auctoritatem & precium, cui etiam minus inuidetur. Seneca de breuit. vitæ c. 15. *Sapientiæ noceri non potest: nulla delebit ætas præsens, & nulla diminuet sequens, at deinde semper vlterior aliquid ad venerationem conferet, quoniam quidem in vicino versatur inuidia, simplicius longè posita miramur.*

Ad Priscum.

III.

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis,
Quæ sulfurato nolit empta ramento
*Vatiniorum * Proxineta † fractorum*
Poëta quidam clancularius spargit,
Et vult videri nostra. credis hoc, Prisce,
Voce vt loquatur psittacus coturnicis,
*Et concupiscat esse * Canus ascaules?*
Procul à libellis nigra sit meis fama,
Quos rubor albâ gemmeus vehit pennâ.
Cur ego laborem notus esse tam prauè,
*† Cum stare, gratis cum * silentio possim?*

* proxeneta. † flagrorum.
* Galba Imper. tibicen.
* constare. † silentium posse.

VERNACVLORVM DICTA] In clancularium poëtam, & impostorem, qui famosa carmina nomine Martialis spargebat, vt poëtæ periculum crearet, quem multis modis mendacij & imposturæ arguit. VERNACVLORVM DICTA] Scurrilia, illiberalia, inepta, qualia sunt seruorum & vernarum. Planè facem lucet huic epigrammati illud lib. 1. ep. 41. in Cæcilium, & vicissim hoc illi.

Vrbanus tibi, Cæcili, videris,
Non es, crede mihi, quid ergo? verna es.

Vbi verna, sicut hic vernaculi pro Gaditanis, & procacibus pueris accipiuntur, qui contumelias & probra meditata effundebant in homines, ad eamque rem, vt Seneca docet, acuebantur. De hac farina hominum plura ibi. Senecam tamen audi lib. In sap. non cad. iniur. cap. 11. *Eadem caussa est, cur nos mancipiorum nostrorum vrbanitas in dominos contumeliosa delectet. quorum audacia, ita demum sibi in conuiuas ius facit, si cœpit à domino. Vt quisque contemtissimus, & vt maximè ludibrio est, ita solutissima lingua est. Pueros quidam in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, qui probra meditate effundant. Nec has contumelias, sed argutias vocamus.* Ad quem locum Gruterus ex Douså ad Arbitrum multa. Vernaculos & circulatores coniungit Seneca lib. 6. de Ben. *Alter apud proximum circulatorem resedit, & dum vagus, atque erro vernaculis congregatur & ludit transeuntem Platonem, quem non quæsierat, inuenit.* Lege Cuiacium lib. 10. Obser. cap. 17. Casaub. lib. 7. Animad. ad Suet. p. 298. Herald. ad hunc. poëtæ locum. SORDIDVM DENTEM] Sordidam & fœdam dicacitatem. ET FOEDA LINGVÆ PROBRA CIRCVLATRICIS] Lib. 1. Transtiberinum ambulatorem vocauit, circulatorem; possis circumforaneos, errones, impostores, & id genus agirtas etiam interpretari, qui radiculas, lumbricos, succos, fucos & fumos in foro, circulisque, concione aduocata, vendunt, & stentorea voce proclamant, laudantque, quas volunt extrudere merces, vt simpliciores & agrestes hianti rictu attendentes atque attonitos emungant argento. Leue autem, & vanum, &

scur.is

scurris proximum est genus circulatorum. QVÆ SVLFVRATO NOLIT EMPTA RAMENTO VATINIORVM PROXENETA FRACTORVM] quæ dicta non emas pallentibus sulphuratis. ramenta sulphurata Schwebelhöltzlein / cum asserculi in multas partes fissi extremis oris sulphure tinguntur, qui ad ignem ex carbone vel igniario excipiendum opportuni. PROXENETA] Proxenetæ, Apuleio interprete, sunt mediatores, vt ipse loquitur, hoc est, conciliatores, intercessoresque inter emptorem & venditorem. Vnde προμνηστὴς proxeneta amicorum; qui aliquibus est auctor amicitiæ inter se contrahendæ. Hoc loco accipio pro eo, qui inter sulphuratorum & vitreorum fractorum emptores velut sequester, & arbiter est, permutabant enim vitrea fracta sulphuratis, vt ex lib. 1. epig. 42.

Qui pallentia sulphurata fractis
Permutant vitreis ——

Poëta igitur, vilissimos quosque & abiectissimos nominat homines, quorum ioca, dictaq; sunt insulsa, scurrilia, pudenda. Proxeneta eiusdem hoc loco fæcis homo, quem tamen pro emptore videtur posuisse. Proxenetica sunt Proxenetarum præmia vel salaria. Proxeni hospitibus excipiendis præfecti, qui ex ciuitatibus aduenirent, qui & prostatæ, & phrontistæ Græcis dicti. Cælius lib. 11. cap. 10. Fuit apud Lacedæmonios magistratus Proxenorum, qui hospitum curam gerebant, vti Nicolaus Cragius eruditus scriptor docet lib. de Repub. Lacedæm. 2. cap. 10. VATINIORVM FRACTORVM] vitreorum calicum lib. 14. Calices Vatini.

Vilia Sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

Beneuentanus fuit hic Vatinius, vitreorum artifex, & primo sutor, qui ad tantas opes peruenit, vt munus ederet, quemadmodum Iuuenalis, Tacitus, Martialis queruntur. Vitrea fracta, vt lib. 1. docuimus ex Turnebo, & aliis, pro nugis, & gerris ponuntur translatè. Et hic à poëta comparantur clancularij poëtæ carmina & conuitia sulphuratis, vitreis fractis. CLANCVLARIVS] occultus impostor suum suis versibus nomen præfigere non audet. suprà lib. 7. ep. 11. CREDIS HOC PRISCE] Idem lib. 7. ep. 71. queritur, & rogat Paullum, vt clamet. *Non scripsit meus ista Martialis.* PSITTACVS c.] se Psittaco, clancularium cothurnici comparat. Psittacus docilis, & imitator omnium humanarum vocum, cothurnix indocilis, ingratam habet vocem. Psittacum describemus lib. 14. lemmate Psittacus. CANVS Ascaules?] Canus nobilissimus tibicen & choraula, auscaules agrestis vtricularius. Canum laudauimus lib. 4. ep. 5. ad illa verba, *Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro*, vbi ex tranquillo & Philostrato, libauimus multa; gratissimus fuit Galbæ imperatori. ASCAVLES] qui vtrem inflat, Sackpfeiffer / Suetonius in Nerua vtricularium vocat, ἀσκὸς græcis vter, αὐλὸς fistulam tibiamue sonat. NIGRA FAMA] collecta ex aliorum infamia. Famam Deam Deorum cultoribus habitam & cultam suprà diximus, ad illum credo versum, *Crede mihi, verum dicere fama solet.* Hic addo, cur nigra dicatur. quia fama sæpius mala est. Virg. 4. Æn. ait illam volare noctu per vmbras. Claudianus. *Famaque nigrantes succincta pauoribus alas.*

Describit hanc Virgilius, vt dixi elegantissimè & copiosè 4. Æn. Ouid. 12. Met. & 8. Hesiodus ἔργοις καὶ ἡμέραις. Pausanias in Atticis, Plutarchus in Camillo templa famæ extructa referunt. Est & epigramma græcum εἰς φήμην, de bona fama & nominis immortalitate superiore epigrammate dictum. ALBA PENNA] bonam famam describit. RVMOR GEMMEVS] candidus, fœlix, fecundus; optima autem optimis notabantur lapillisue nobilioribus, vt suprà diximus. NOTVS PRAVE] Cur ex infamia aliorum mihi pariam infamiam, cum ex laude aliorum laudari queam? CVM STARE GRATIS] Cur obloquendo aliis peribo, cum tacendo saluus esse possim? Malim alteram scripturam. Constare gratis cum silentio possim; sic enim infra 29. locutus est.

Horatius lib. 2. od. 2. illum aget penna.

Iam constare tibi gratis cœpere puella.

SILENTIO POSSIM] satis multa & egregia scripsi quibus famam secundam merui, quid opus est mihi ad comparandam famam rubiginosis versibus & conuitiis, cum iam tacendo constem & vbique lauder? Non displicet tamen vulgata scriptura *cum stare* sic enim & Horatius: *& recto stet fabula talo*, stare est probari, laudari, commendari. gratis, impunè, cum alioqui famosorum libellorum auctores lege puniantur.

Ad Lectorem.

IV.

Qui legis OEdipoden, caligantemq; Thyesten,
Colchidas, & Scyllas, quid nisi monstra legis?
*Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus & * Atys*
Quid tibi dormitor proderit Endymion?
Exutusque puer pennis labentibus, aut qui
Odit amatrices Hermaphroditus aquas?

* Attis

LlI 3 Quid

Quid te vana iuuant miseræ ludibria chartæ?
Hoc lege,* quod possis dicere iure, meum est.
Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiasque
Inuenies: hominem pagina nostra sapit.
Sed non vis Mamurra tuos cognoscere mores,
Nec te scire: *legas* ἄιτια *Callimachi.*

* V. quod possit dicere quisque Pal. possis dicere vita, meum est.

QVI LEGIS OEDIPODEM] Poëta Epigrammata sua vtiliora omnibus ait fabulis; doceri hic mores, & vitia dedoceri, & eò Mamurras fugere Epigrammata, ne suas labes agnoscant. OEDIPODEM] OEdipum scripsit Æschylus, Sophocles, Seneca. OEdipus autem & OEdipodes idem est, quod οἰδίπους & οἰδιπόδης dicatur. Porrò totam fabulam de OEdipo & OEdipi patre, vxore, liberis, infausta progenie, bello Thebano, inter OEdipi liberos ex Pausaniæ & Calæni sententia, primus Homerus, deinde Antimachus, tertius Ponticus, Æschylus, Sophocles, Euripides composuere. Ex latinis Attius, quod ex Nonio colligas. Seneca seu quis (an Pomponius secundus) ignotus, qui Thebaidem tragœdiam scripsit. Et nobilissimus Papinius, cuius aurea Thebais duodecim libris comprehensa hodie legitur. Diodorus Siculus Græcus soluta oratione, Pausanias, & nonnulli alij rem sunt persecuti. THYESTEN] Atreus Thyestæ filium in cœna apposuit comedendum. Tragœdiam varij scripserunt, quos lib. 3. ep. 45. enumerauimus, vbi plenius fabula exposita. CALIGANTEM] Ad fabulam respexit. Solem enim, tam diro spectaculo viso, tantum facinus execratum refugisse significant poëtæ, Ergo caligantem in vmbra, sole fugiente. Vnde illud est ex Actio *natis sepulchrum est ipse parens.* Seneca.

Hoc est, Deos quod puduit, hoc egit diem
Auersum in ortus.

Et suprà.

Vix lucet ignis: ipse quin æther grauis
Inter diem noctemq; desertus stupet;
Quid hoc? magis magisq; concussi labant
Conuexa cœli. Spissior densis coit
Caligo tenebris, noxq; se in nocte abdidit
Fugit omne sidus ——

COLCHIDAS] Medeam intelligit scriptam tragico cothurno, Græcis ac Latinis. Auctores ordine recenset Deltius noster in notis ad Medeam Senecæ. SCYLLAS] ita emendo, quid enim Syllas, quod monstrum, aut quæ fabula? Scyllam describit in monstrum versam Ouid. lib. 14. Met.

Scylla venit, mediaq; tenus descenderat aluo,
Cùm sua fœdari latratibus inguina monstris
Adspicit, at primo non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitq; abigitq; timetq;
Ora proterua canum, &c. ——

QVID T. R. HYLAS] Hylas Theidamantis filius, ab Hercule, patre cæso, abductus, postea à Naidibus nymphis raptus est. Ouid. lib. 2. de arte. Val. Flaccus, Propertius, & alij. PARTHENOPÆVS] Filius Meleagri, & Atalantæ iuuenis ad bellum Thebanum profectus est, & occisus. de quo Statius Theb. nos plura ex Æschylo & alijs lib. 6. ep. 77. ad illum versum.

Tam iuuenis, quàm nec Parthenopæus erat.

Eiusdem fit mentio lib. 9. epig. 58.

Non iaculo, non ense fuit, læsusq; sagitta,
Casside dum liber Parthenopæus erat.

ATHYS] Cybeles, seu Rheæ puer & sacerdos, qui sacra primus Rheæ colendæ Phrygibus, Lydis, aliisque prodidit. Plenius de hoc scriptum est lib. 2. ep. 86.

Nec dictat mihi luculentus Athys.

DORMITOR ENDYMION] Hunc Cicero scribit 1. Tusc. perpetuò dormientem in Latmo monte Cariæ à Luna adamatum. *Endymion verò, inquit, si fabulas adire volumus, nescio quando in Latmo obdormiuit, qui mons est Cariæ, nondum opinor experrectus, &c.* Idem Lucianus in dialogo Veneris, & Lunæ. Theocritus ecl. 3. Somnum hunc explicat Plinius lib. 2. & refert ad contemplationem siderum. Strabo lib. 13. Sepulchrum huius ait in Latmo monte ostendi: frequens mentio Endymionis apud Poëtas, Propertium lib. 2. Nasonem, lib. Amorum, & Heroidum, & alios EXVTVSVE PVER] pueris notus puer Icarus Dædali filius. Lege Met. & Mythol. ODIT A. H. AQVAS] Hermaphroditus Mercurij & Veneris, vt ipsum docet nomen, filius, Salmacidem ingressus fontem, vtrumque sexum

ſexum induit. Fabula eſt apud Ouidium lib. 4. & varios ibid. interpretes, fontiſque Salmacidis plena deſcriptio. Ennius apud Ciceronem, 1. de off. Salmacida ſpolia ſine ſanguine & ſudore. Ouid. 15. Met.

Cui non audita eſt obſcœna Salmacis vnda?

Ego tantum ex Antholog. a nobile Epigramma ſubſcribam lib. 1. cap. 65. Vbi fons ſe de hac infamia liberat.

* Εἰ μὲν ἀνὴρ ἥκεις ἀρύσαι ξεῖνε τῆς δ' ἀπὸ πηγῆς
Εἰ δὲ φύσει μαλακὸς μή με πίης πρόφασιν.
Ἄρσεν ἐγὼ ποτόν εἰμι καὶ ἄνδρασι μοῦνον ἀρέσκω,
Τοῖς δὲ φύσει μαλακοῖς, ἡ φύσις ἐστὶν ὕδωρ.

Si vir es, hoſpes, aquas noſtris ex fontibus hauri,
Ne bibe, ſi mollis, ne rea dicar aqua,
Maſcula lympha viris potor, placeoque proborque:
Molli, mollities eſt ſua mollis aqua.

* εἰς τὴν σαλμακίδα.

Idem Strabo lib. 14. *Salmacis*, inquit, *fons neſcio quamobrem infamis, tanquam emolliens eos, qui inde bibant. Hominum enim mollities videtur ab aqua vel aere cauſſam trahere, cùm ea minimè ſit cauſſa mollitiei, ſed diuitiæ & victus incontinentia.* Vitruuium lib. 2. adi. In ipſum autem Hermaphroditum epig. lib. 4. Anthol. cap. 12. Cuius initium, Ἀνδράσιν ἑρμῆς εἰμι. *Mas ego ſum maribus*, &c. & lib. 5. cuius initium. ἵστατο δ' Ἑρμαφρόδιτος.

Sed omnium elegantiſſimum eſt illud de Hermaphrodito Pullicis, ſeu Pollucis poëtæ hoc tantùm Epigrammate ſibi nomen immortale colligentis.

Cùm mea me genitrix grauida geſtaret in aluo,
Quid pareret, fertur conſuluiſſe Deos, &c.

Hoc Politianus Græcè eleganter vertit, quod inter Græca eiuſdem Epigrammata reperies. QVID T. V. I.] Quid legis fabulas alienas nihil ad mores facientes? MEVM EST] lege, quæ tua ſunt, lege tuos mores, vitam, vitia, vt inde melior euadas, hoc tuum eſt, hoc ad te Mamurra, legendum ergo pro iure vita. Etenim poëta noſter Satyricus & paſſim vitia carpit, quæ quiſque facile in ſe alius hoc alius aliud deprehendet, cum nemo ſine crimine viuat. CENTAVROS] *Semibouemque virum, ſemiuirumque bouem.* de centauris ſuprà diximus. GORGONAS HARPYIASQVE] Gorgones è Phorco & Ceto natæ monſtra tres ſorores finguntur, quas & Lamias Græcè à cano capillitio vocant. Habitarunt in Scythia, vnum oculum & vnum dentem communem habuerũt, quo vtebantur, cùm domo exibant, domo verò in vaſculo quodam reponebant. Apollodorus lib. 2. ait illas ſquamoſorum anguium ſpinis obſita capita habuiſſe, dentes tantos, quanti ſunt ingentium aprorum. manus cereas, alaſque aureas. Duplices fuere, quarum tres (Enyo, Pephredo, ſeu Piphrado & Erito, quibus alij alias addunt) in Scytia fuere: Aliæ tres in extremis Iberiæ partibus ad Occidentem ab Heſperidibus haud procul diſtantes, quas Heſiodus Sthino, Euryalen, & Meduſam appellauit. Hæc in gratiam Tironum. Teſtimonia ſuppeditabit ampliſſime Nat. Comes lib. 7. Myth. cap 12. Harpyiæ ἀπὸ τοῦ ἁρπάζω, dictæ etiam Stymphalides aues. Taumantis & Electræ filiæ. Nomina & hiſtoriam lege apud Nat. cap. 6. lib. 7. HOMINEM SAPIT] non monſtra & fabulas, ſed ſanctam morum inſtitutionem. MAMVRRÆ] fictum nomen. Etſi hoc nomine olim Romani quidam, de quibus alibi. Hoc loco pro quouis copioſo, nepote perdito. ÆTIA CALLIMACHI] Librum cauſſarum ſcripſit Callimachus, quem imitatus eſt Varro, vt Seruius notauit. Vide Cælium Rhodiginum lib. 7. cap. 1. & lib. 1. Anthol. Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξύλινος νοῦς. Αἴτιος ὁ γράψας αἴτια Καλλίμαχος. Opſopæus putat hoc epigramma non eſſe in Callimachum celebrem, ſed aliquem alium, cauſam nullam adducit, de αἰτίοις Callimachi Gyraldus Dial. 3. hiſt. pen. *Scripſit item*, inquit, *cauſas & ritus ſacrorum, hoc eſt*, τὰ αἴτια. *quod opus cum Latinis cognitum fuit, tum Græcis maximè.* Qua re mirum eſt quoſdam alioqui doctos imprudenter hoc ignoraſſe apud Martialem. Plura de hoc Poëta lib. 4. ep. 23. ad illum verſum.

Palmam Callimachus, Thalia, de ſe,
Facundo dedit ipſe Brutiano.

Domitius αἴτια dixit opuſculum in Ibin, & legit ethea, non ætia. alij. *Nec te ſcire iuuat* αἴτια *Call.* quos emendat Gruterus. ÆTIA CALL.] Laudat hæc & Priſcianus lib. 1. Quod Callimachi quoque auctoritate confirmatur in Ætiis ſicut iam ſupra dictum eſt hoc verſu.

Τοὺς μὲν ὁ Μηκονέχειος ἐσφήκωτο ἄλεισον ἀπινῶς.

In maledicum Poëtam.

V.

Quiſquis ſtolæue, purpuræue contemptor,
Quos colere debet, læſit impio verſu:

 * Pontes

* Erret per vrbem pontis exul & cliui Grut. ex Pal.

* Claususque.

* At.
* venerint, reliquo venerint quam sequitur, diesque tardus.
* al. simplicis melius.

** Pontes per vrbis erret exul, & cliuos,*
Interq; raucos vltimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.
Illi December longus, & madens bruma,
** Claususq; fornix triste frigus extendat.*
Vocet beatos, clamitetq; fœlices,
Orciniana qui feruntur in sponda,
** Et, cùm supremæ fila * venerint horæ,*
Diesq; tardus, sentiat canum litem,
Abigatq; moto noxias aues panno,
*Nec finiantur morte * supplicis pœna:*
Sed modò seueri sectus Æaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
Nunc inter vndas garruli senis, siccus,
Delâsset omnes fabulas poëtarum,
Et cùm fateri Furia iusserit verum,
Prodente clamet conscientia, scripsi.

QVISQVIS STOLÆVE] Diras omnes imprecatur impostori & sycophantæ, qui Martialis nomine vulgabat maledicos versus in claros viros, matron::sque. STOLÆVE] matronarum cultus stola potissimum, quamquam stola, vti vestis, communis vox est ad omne genus vestimenti, cuius rei multos testes adducit Bayfius lib. de re vest. cap. 1. Sumitur tamen metonymicῶs non raro pro fœminâ honestâ matrefamilias. Tibullus.

Sit modò casta, doce, quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Ouid. 1. de Arte. *Este procul vittæ tenues insigne pudoris,*
Quæq; legis medios instita longa pedes.

Instita est limbus stolæ extremæ, vt fasciola assutus. & idem.

Ecquid ab hoc omnes rigida submouimus arte,
Quas stola contingi, sumptaq; vitta vetat.

Marcellus docet matronas vti solitas stola ad imos pedes defluente, quam instita assuta, hoc est, tenuissima fasciola ambibat. Cæterum stola Græcam habet originem, à στέλλομαι induor. Plutarchus in Arato. ὁ δὲ ἐργάτης ἑπτὰ λαβὼν νεανίσκους ἐσταλμένους ὁδοιπορικῶς. Erginus autem assumptis septem adolescentibus viatoria inoutis. Stolam autem rugosam & striatam fuisse vestem ex Mart. lib. 5. ep. 92. disco in Vetustinam.

Rugosiorem cùm geras stola frontem.

Honestarum autem fœminarum fuisse, & pudicarum insigne docet idem lib. ep. 36.

Quis Floralia vestit & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Stolatæ matronæ effigiem expressam apud Bayfium de re vestiaria spectabis. PVRPVRÆVE CONTEMPTOR] Ad Augusti tempora magistratus insigne erat prætexta purpura, nec pattes purpurati incedebant: Labente disciplinâ lautiores homines, & ditior.s extra Magistratum etiam purpureas lacernas, & pœnulas sumebant, quod Seneca ep. 115. queritur, vbi lacernas improbi coloris, purpureas Lipsio interprete intelligit. Martialis confirmat lib. 5. ep. 8. de Phaside, ficto equite.

Phasis purpureis ruber lacernis:
Hæc & talia dum refert supinus,
Illas purpureas & arrogantes
Iussit surgere Lectius lacernas.

Hic ergo purpuræ contemptor, est nobilitatis calumniator, qui famosis scriptis lacerat nobiles viros, quos colendos ait Martialis. PONTES P. V. E.] redigatur ad extremam mendicitatem,

&in

& in pontibus, quos medicabula passim obsident, roget stipem. Eodem sensu dixit lib. 12. ep. 32. in Vacerram.

Hac sarcinarum pompa conuenit ponti. De qua re suprà lib. 1.

PONTES PER VRBIS] Lego orbis, vt habent aliqua exemplaria, rectè enim coniungitur cum sequente vocula exul. Quomodo enim exul, si in vrbe? PONTES] in quibus frequentia mendicorum, quòd ibidem concurrant vltro citroque commeantes homines. Ita cliuos non vrbanos tantùm, sed Aricinos & alios accipio. EXVL] idem Ouid. inimico suo imprecatur in Ibin.

Exul inops erres alienaq; limina lustres,
Exiguumq; petas ore tremente cibum.

Iuuen. Sat. 4. dirusq; à ponte satelles.

CLIVOS] Mendicorum Asylum. quamuis hîc dicat vrbis; cliuus autem Aricinus non est vrbicus, sed ad Ariciam cliuum Virbij. ROGATORES] mendicos lib. 4. ep. 30.

Et nunc sacrilegos perosus hamos
Baianos sedet ad lacus rogator.

PANIS IMPROBI] miseri, infoelicis, multis precibus à viatoribus extorti. CLAVSVSQVE V. T. F. EXTENDAT] Longa sit illi hyems, dieque lateat domi sub frigido fornice, foco sine Vulcano. Cellam intelligit, quam sibi pauperes certa pensione conducebant, de qua ex Iuuenali suprà. VOCET BEATOS, CLAMIT. FOELICES] Beatos & fœlices olim mortuos vocabant. Marcellin. lib. 25. *Quem cùm beatum fuisse Sallustius respondisset præfectus, intellexit mortuum.* Et fuisse, legit emendatius Marcilius. *Fœlices* appellat, Horatius Sat. 9. lib. 1. *Beatos.* Persius Sat. 3. Græcis idem est μακάριος, μακαρίτης, εὐδαίμων. Marcilius plura ad Persium. ORCINIANA SPONDA] Sandapila, feretro, sponda, id est, lectica, qua mortui efferuntur, ab orco dicta, quod mortui ad orcum eant. Cælius Rhod. lib. 10. cap. 18. *Ex eadem item doctrina,* inquit, *Valerio Martiali, Orciniana sponda pro sandapila ponitur, siue feretro. Sunt qui tamen non ab Orco, id est, Plutone, sed ab* ἕρκος, *quo septum significatur, quod & orcana dicitur, ab* ἑρκάνη *nomen id deducant, & capulum siue thecam ex impolitioribus lignis, aut etiam viminibus contextam, compactamq; autument significare, quod si ita est, adspirabimus prima: nisi quod in oratore Cic. aliud est visum. Valerius Probus flatilem admittit.* Orciniana qu sponda.) Hunc locum poterit illustrare Bisciolæ cap. 4. lib. 17. subs. in quo de Orco, Charonte, Charonitis Orcinis Senatoribus, libertis, hæredibus tractat ea, quæ legisse Philippicorum Ciceronis interpretes non pœnitebit. SENTIAT CANVM LITEM] Infaustum omen, quod Plutarchus in Cimonis vita commemorat, quem contra Persas mouentem, canis irata allatrare visa est, & vocem inde ex humano, & canino latratu confusam edere in hæc verba.

Vade, mihiq; meis catulisq; futurus amicus.

Quod Aristophilus illi explicauit, mortemque denunciauit. canis enim allatrans hominem, est hostis illius. SENTIAT C. L.] Id est difficulter moriatur, vnde canina mors. An hoc dicit? Iam morti vicinus, audiat de ossibus suis, & cadauere distrahendo litigantes canes, quorum ventres pro sepulchro sortiatur. Et hoc est, quod dixit (diesque tardus) sentiat summa vitæ tædia, nec tamen possit mori. ABIGATQVE M. N. AVES. P.] bubones, corui, vultures, noctuæ, aues, ominosæ fuêre veteribus; vti corui, qui Ciceroni iamiam interficiendo laciniam togæ vellicarunt. Domitiano cornix apud Suet. ante paucos, quam occideretur, menses, in capitolio elocuta est. ἔσται πάντα καλῶς, &c.

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix,
Est benè, non potuit dicere; dixit, erit.

Agrippæ bubo mortem nunciauit, de bubone Ouid. in Ibin.

Sedit in aduerso nocturnus culmine bubo,
Funereosq; graues edidit ore sonos.

De vulture ibid.

Vnguibus & rostro tardus trahet ilia vultur.

Et de canibus.

Et scindent auidi perfida corda canes.

Tradit Vmbricius auspex biduo aut triduo ante volare ad cadauera vultures, quam exponantur. immo vbi futura sunt. Plinius lib. 10. cap. 6. Canes oderant Romani ossa eruentes, suprà Martialis.

Ne tua non possint eruere ossa canes.

Hircanis sepulchra erant canes, in eumque finem, vt plures scripsêre, alebantur. Sed noctua mortis erat quondam hieroglyphicum, quod reis apud Æthiopes à rege missum mortem denunciabat, vti seipsos interficerent. Pyrrho Epirotarum regi Argos expugnaturo noctua se in itinere hastæ eius insidens ostendit. Plura Pierius in noctua. Charadrius auis alba, vt eum Physiologus describit, morbo laboranti mortis aut vitæ indicia prodit; à moriturо enim prospectum auertit, conualiturum fixis oculis intuetur, quemadmodum D. Epiphanius Cypri Episcopus ad Physiologum cap. 23. scriptum reliquit. Videtur igitur imprecari maledico, vt exhaustus, emaciatusque & desertus iaceat in triuiis, vsque ad eum, tamquam ad olidum, cadauer, discerpendum corui,

corui, vultures, canes lupique accurrant. DIESQVE TARDVS] Planè mihi poëta ex Ouidij Ibide videtur argumentum huius Epigrammatis mutuatus; eodem enim modo imprecatur his versibus ille.

Causaq; cùm desit, desit tibi copia mortis,
Optatam fugiat vita coacta necem:
Luctatusq; diu cruciatos spiritus artus
Deserat, & longa torqueat ante mora.

MOTO PANNO] Pannosus & mendicus infœliciter moriatur. LITEM] Ouidius ad lupos transtulit.

Deq; tuo fiet, licet, hac sis laude superbus,
Insatiabilibus corpore rixa lupis.

NEC F. M. S. POENÆ] Ouidius.

In loca ab Elysiis diuersa fugabere campis,
Quasque tenet sedes noxia turba, coles.

Et idem:

Nec mortis pœnas mors vltima finiet huius,
Horaq; erit tantis vltima nulla malis.

SED M. S. S. Æ. LORIS] ibidem Ouid. de ipso Æaco.

Noxia mille modis lacerabit membra, tuásq;
Æacus in pœnas ingeniosus erit.

Porrò fabulæ apud Ouid. Virg. Homerum & Mythologos extant, quas etiam tirunculi poëticos nôrunt. SECTVS LORIS] Ita locuti Tibullus, Ouidius, Horatius. *Sectus flagellis verbere, & c.* MONTE SISYPHI] Æoli filius saxum in montem subducit, deuolutumque reuocat semper. Ouidius etiam in Ibin.

Sisyphe, cui tradas reuolubile pondus, habebis.

NVNC L. V.] Ouidius Ibin.

Poma pater Pelopis præsentia quærit, & idem,
Semper eget liquidis, semper abundat aquis.

DELASSET OIF P.] Quas Ouidius ibidem commemorat. Et Virg. 6. Ouid. Met. Homerus, & sexcenti alij. ET CVM F. F. I. V.] manifestè ex Ouid. in Ibin.

Sic tibi de furiis scindet latus vna flagello,
Vt sceleris memores consiteare tui.

PRODENTE C. C. S. Ego nomine Martialis vulgaui famosa carmina, non Martialis.

De aduentu Cæsaris.

VI.

Fœlices, quibus vrna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois sideribusq; ducem:
Quando erit illa dies, quo campus, & arbor, & omnis
*Lucebit * Latia culta fenestra nuru?*
Quando moræ dulces, longusq; à Cæsare puluis,
Totaq; Flaminia Roma videnda via?
Quando eques & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis, & populi vox erit vna, venit?

* Socia.

De M. Vlpio Nerua Traiano Cæsare, patria Hispano, primùm ex Germanis, cui præfuerat, auctoribus Plinio iuniore, & Dione, post Neruæ mortem Romam venturo Romanis gratulatur. FOELICES Q. V. D.] Sanè diuersus abeo à Domitio, qui hic vera quidem, sed ἄκαιρα de vrna sortium & iudicum disputat. fuisse illos sorte delectos, reiectos, probatos, vt antea moris erat. Vrnam hic vitam expono, sic vt dicat fœlices eos, qui nondum vrna clausi & mortui, videre poterunt venturum in vrbem Traianum. Alter explicatus est, vt respiciat poëta sortem & vrnam, qua legi legati solebant, ad principem mittendi. Tacitus lib. 4. Hist. *Secundum vetera exempla, quæ sortem legationibus posuissent.* Cicero ad Atticum lib. 1. epist. 17. *Senatus decreuit. vt legati cum auctoritate mitterentur, &c. Hoc non queo præterire, cùm de consularibus mea prima sors exisset, vna voce senatus frequens retinendum me in vrbe censuit.* Dio. lib. 59. [illegible Greek] Legatos his de rebus, alios quidem sorte, Claudium verò suffragiis electum iri erunt. Potest & vrna

hic

hic pro sorte accipi, vt sensus fit. Fœlices, quibus sorte & forte quadam bona continget, vt Traianum videre possent, quod neque viuis omnibus licet, vt oculis suis imperatorem spectent. Et hic sensus fortè planior cæteris & verior. SOLIBVS A. S. D.] E Germania, quæ sub Arctoa plaga ad septentrionem. QVANDO E. I. D.] quo redeunti occurret tota ciuitas in campos, & domi omnes fenestræ spectatricibus erunt plenæ. Vt arbores, fenestræ, tabernæ, ianuæ, viæ, &c. lucernis ornatæ sint, ignesque excitati, cum vel Principes venientes exciperentur, aut dies festi agitarentur, ex Tertulliano & aliis copiosè docet hic Heraldus. fœminæ honestiores ex ædibus prospectabant, quas hic vel Latias vel Socias nurus appellat. MORÆ] dulces vocat, quia exspectatus, & gratus erat, qui expectabatur. MORÆ DVLCES] Tardum etiam & lentum in vrbem ingressum, vocat. Effusa enim in vias multitudo, eas angustas reddebat. Atque inde moræ. Sed dulces, quia spectare plures, & verius diutiusque poterant principem lentè incedentem, quod gratum dulceque populo. TOTAQVE P. R. V. V.] hæc enim via septentrionem spectat, in qua spectatur tota Roma. Q. E. ET P. T. N. MAVRI] tunica acu picta, ala prætoriana erat. eleganter Ægyptij vestes elaborabant. Lucanus lib. 10.

Quod Niloti acus expressum pectine serum
Soluit, & extenso laxauit stamina velo.

Vtebantur Romani luxus causa Mauro equite, quod infrà ep. 13. ad Tuccam ostendit.

Et Libys in longo puluere sudet eques.

Traianus tamen, quem prædicat Plinius iunior Panegyrico, pedes, non eques Romam est ingressus, imò & pedes semper cum milite iter fecit, vt disertè Dio.

Ad Rhenum.

VII.

Nympharum pater, amniumque Rhene,
*Quicunque * Othrysias bibunt pruinas,* [* Odrysias.]
Sic semper liquidis fruaris vndis
Nec te barbara contumeliosi
Calcatum rota conterat bubulci:
*Sic & cornibus * aureus receptis,* [* G. aureis.]
Et Romanus eas vtraque ripa:
Traianum populis suis, & vrbi,
Tibris te dominus rogat, remittas.

NYMPHARVM] Ex hoc Epigrammate intelligis ex Germania venisse. Et Nerua ad Traianum in Germaniam scripsit, vt his verbis Dio in Nerua. Καὶ ἐπέστειλεν αὐτοχειρίᾳ (ἦρχε δὲ τῆς Γερμανίας ἐκεῖνος.)

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.

Atque ad eum sua manu scripsit (is tum præerat Germaniæ;)

Telis Nerua tuis lacrymas vlciscere nostras.

Imò dictus est etiam Germanicus, vti & Dacicus & Parthicus. Eutropij breuiarium disertè affirmat Coloniæ Agrippinæ factum esse Imperatorem. Et Plinius iunior in Paneg. *Eidem, cùm Germaniæ præsideret, Germanici nomē hinc missum, nihil ipsum, vt imperator fieret, agitasse: nihil fecisse, nisi quod meruit, & paruit.* Et mox: *Iam Cæsar, iam Imperator, iam Germanicus absens & ignarus, &c.* NYMPHARVM PATER] Rhenus & Danubius fluuiorum Germaniæ reges, omnibus propè historicis laudati. Omnes amnes fluuijque priscis sacri erant, & pro diis culti, quod nemini ferè ignotum. Laudes Rheni, ingenium, naturam, nomina singulari capite exponit Hadrianus Iunius in sua Batauia cap. 8. toto. Marquardus Freherus part. 2. Orig. Palatinarum c. 2. vbi multa de progenie Rheni & frigore ex Virgilio Eclog. vlt. Claudiano 3. de raptu proserpinæ & hoc ipso loco Martialis. LIQVIDIS] An alludit ad originem nominis? quod Rhenus Germanis à puritate seu toro, cuius fidem explorasse credebatur, seu aquarum argenteo liquore, & nitore dictus videatur? OTHRYSIAS PRVINAS.] Odrysiis alibi ab ὀδρυσῶν Stephano. Plura super hac voce ad illum versum. *Victor ab Odrysio redditur orbe Deus.* Odrysæ autem Thracia est. Poëta largius vim vocis extendit. Rhenus Thraciam non attingit. CONTVMELIOSI BVBVLCI] Ouidius idem de Istro. *Perque nouos pontes subter labentibus vndis, Ducunt Sarmatici barbara plaustra boues.* Sed poëta eruditus hic aliquid ex histo-

ex historiæ memoria repetit. Francorum (quos communi nomine tunc Romani Germanos appellitabant) mos fuit, vt illorum Rex, quocunque iter faceret, carpento iret, quod bubus iunctis, bubulco, rustico more, agente trahebatur. Auctor Eginardus Caroli Magni familiaris & domesticus. Quin & Arminium Germanum, qui Augusto & Tiberio infestus, non parum negotij exhibuit, Ioannes Marius Belga, Francum fuisse affirmat. Contumeliosum ergo bubulcum videtur generatim ipsum regem Francorum appellare Martialis, quod ante me notauit ad Mosellam Ausonij, Elias Vinetus.

VTRAQVE RIPA] Bicornis enim Rhenus. quanquam vtranque ripam, vt infrà dico, Germanicam cis & trans Rhenum sitam appellasse videatur. De cornibus Rheni, seu ostiis in mare decurrentibus, plenè disputat Iunius c. 8. Batau. vbi simul docet, vnde dicantur fluuiorum cornua. Quod Meursius ad Cassandram pag. 259. non minùs diligenter præstat.

VTRAQVE RIPA] rectius, qua pertinet ad Galliam, & cis qua attingit Germaniam, quæ sæpius aliquam partem etiam Romanis Tiberio, Drusoque victoribus paruerat, iterumque defecerat.

CALCATVM] per hyemen gelu duratum. Herodianus in Alexandro de Danubio & Rheno. Μέγιστοι γὰρ δὴ οὗτοι ποταμῶν ὑπ' ἄρκτῳ ῥέουσι Ῥῆνός τε καὶ Ἴστρος, ὁ μὲν Γερμανοὺς, ὁ δὲ Παίονας παραμείβων, οἳ θέρους μὲν ναυσίπορον ἔχουσι τὸ ῥεῖθρον, διὰ βάθος τε καὶ πλάτος. τοῦ δὲ χειμῶνος παγέντες, ὑπὸ τοῦ κρύους ἐν πεδίου σχήματι καθιππεύονται. ἀντίτυπόν τε οὕτω καὶ στερρὸν τὸ ποτὲ ῥεῖθρον γίνεται, ὡς μὴ μόνον ἵππων ὁπλαῖς καὶ ποσὶν ἀνθρώπων ἀντέχειν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀρύσασθαι θέλοντας μὴ κάλπεις ἐπ' αὐτῷ μηδὲ κοῖλα σκεύη φέρειν, πελέκεις δὲ καὶ δικέλλας. ἵν' ἐκκόψαντές τι σκεύους ἄνευ φέρωσι τὸ ὕδωρ ὥσπερ λίθον. Hæc Dio. Plura suprà ex Ouidio ad illum versum, *& vngularum pulsibus calcats Ister*. SIC ET C. A. R.] propter auream arenam nuperus quidam scriptor auriferum quoque appellat.

Rhetia quæ niuibus saxisq; ingentibus horret,
Auriferi Rheni dicitur esse parens.

Et Matthiolus in lib. 5. Dioscoridis cap. 70. *Est etiam auri ferax diuersarum fluminum arena. Siquidem proculdubio constat in Hispania Tagum, in Tracia Hebrum, in India Gangem, & in Lydia Pactolum, in Pannonia Istrum, in Germania Rhenum, in Italia Padum & Ticinum aureas ducere arenas, à quibus arte quadam aurum omnium probatißimum elicitur.* Marquardus Freherus parte altera Orig. Palat. cap. 17. hunc locum illustrabit cuius verba subscribam: Aurum propitij an irati Dij Germaniæ negauerint dubitauit olim Tacitus. Ego magis propitij an irati dederint. Dedisse enim iam constat: sed non sine sudore parandum vel potius algore & frigore. Neque enim terræ venas scrutari necesse est (quamuis & has non deesse nemo dubitat) sed è Rheni patris alueo euertere & expiscari ne soli Tago Iberi, Pactolo Indi superbiant. Non quod in eo aurum generetur, quod rerum naturalium scriptoribus non videtur, sed quod è montium auriferorum fibris radicibusq; abrasum, ille arenis suis inuoluat, & in certos vortices atque caueas (quibus inde nomen natum) congerat; vnde improbo vernantium labore non sine vitæ discrimine, vnà cum ipso sabulo (cui & ipsi nomē inde adhæsit) è profundo haustum & extractum, multaque lotione tandem purgatum in tenuissimis quibusdam grumulis veluti ψάμμον instar compareat: quæ deinceps adhibito hydrargyro in globulos aut lamellas coalita, monetæ aut monilium vsibus seruiant, nihilo quidem quouis alio auro vel Pauonico deteriora. Ideo adeo ius aurifluuialis (vt ita dicam) legendi non minus quam fodinarum subterranearum, Palatinus Princeps inter potiora fastigij sui emolumenta, quæ Regalia vocamus, vsurpat: quod à Manhemio & Rheni Nicrique confluentibus Saletionem vsque diuersis locis per redemptores illos aurilegulos etiamnum exercetur. Æneas certè Syluius alicubi notauit: Rhenus aureas euoluit arenas. In Bohemia fluuij sunt, in queis ad magnitudinem ciceris aurea grana Thaboritæ reperiunt. Quinimo iam tum ante aliquot secula Otfridus Weissenburgensis Monachus, Euangelij interpres rhythmicus, qui sub Hludouico Germaniæ Rege Pij F. Magni N. circa illa loca ætatem egit, testis rei cum primis Idoneus comparet: qui in procemio operis inter Francorum laudes, & regionis dotes, hoc de metallis non omisit:

Germ. cap. 10.

Zi nuzze grebit man ouh thar — *Oub thara zua fuagi*
Er inti Kuphar. — *Silabar ginuagi.*
Ioh bi thia Meina. — *Ioh lesent thar in lante*
Isine steina. — *Gold in iro sante.*

Vt iam non poëtica fide dictum accipiam à Nonno Panopolitano in Dionysiacis lib. 43.

Νηρεὺς μὲν τάδε δῶρα πολύτροπα, δῶκε δὲ κούρῃ
Περσικὰ Εὐφρήτης πολυδαίδαλον εἶδος ἀράχνης,
Χρυσὸν Ἴβηρ πόρε Ῥῆνος, ἐχέκτανον δὲ μετάλλων
Ἤλυθεν ἴκελα δῶρα γέρων Πακτωλὸς ἀείρων.

Neq; aliunde repetenda mihi videtur aureæ illius monetæ origo, cui à Rheno nomen inditum, à quatuor Principibus Electoribus ad Rheni fluenta sedes, habentibus, Moguntino, Treuerensi,

renſi, Colonienſi, Palatino, primitus ea forma & temperatura procuſæ, & cæterorum deinde ordinum imitatione frequentatæ. Non quod ex ſolo auro Rhenano fieri ſoleant (qui enim illud ſuffeceriti?) aut quod aurum illud natura tale ſit, quale in Florenis illis conſpicitur; in quibus iam acceſſione quadam argenti (Ligam & alligamentum monetarij vocant) plus ſatis dilutum, plurimum natiuæ ſuæ præſtantiæ amiſit: niſi malis ad triumphum trahere, cum flumina depicta auro argentoue geſtabantur. ROMANVS V. R.] Cis tranſq; Rhenum ſubiecta ſit Germania Romanis. Trans Rhenum, Gallia eſt veteribus poſita; cis Rhenum Germaniæ vſque ad ripas Danubij. Ita vt Germani intra alueum Rheni & Danubij arcerentur; poſteris temporibus Germani paulatim ſe latius diffuderunt, & vltra Rheni fines, & vltra Danubium imperium propagarunt, quod & hodie tenent. T. T. D. ROGAT] Tiberis, qui tibi, Rhene, imperat, rogat vt remittas Traianum, neque nouo motu aliquo detineas.

De Paulla.

VIII.

Nubere Paulla cupit nobis; ego ducere Paullam
Nolo, anus eſt. vellem, ſi magis eſſet anus.*

NVBERE) Elegans iocus. Nolo, inquit, Paullam ducere vxorem, quia anus eſt; ducerem, ſi magis eſſet anus, tum enim breui moreretur, & me hæredem ſcriberet.

* *quia cito fierem hæres illa mortua.*

De Se.

IX.

Vndenis pedibusq́; ſyllabisq́;,
Et multo ſale, nec tamen proteruo,
Notus gentibus ille Martialis,
Et notus populis, quid inuidetis?
Non ſum Andremone notior Caballo.

Affirmat Valerius ſibi famam ingenij & carminis non inuidendam, quod eandem adepti ſint multo ſe inferiores & indigniores ſiue homines ſiue equi.

VNDENIS] hendecaſyllabis. Phaleucio carmine. ET MVLTO S.] Sidonius. *Et mordax ſine fine Martialis.* Plinius, *qui multum in ſcribendo & ſalis haberet & fellis.* NOTVS GENTIBVS] lib. 1. epig. 1. *Toto notus in orbe Martialis.* NON SVM ANDRÆMONE NOTIOR CABALLO] Seſtius Andræmon Caballus nobilis ſcurra, temporibus Veſpaſiani. Lege, quæ lib. 1. ep. in Cæcilium ad illum verſum diximus. *Qui Galbam ſalibus tuis & ipſum Poſſes vincere Seſtium Caballum.*

Dicit ſe non plus famæ adeptum liberali ſuo ingenio, quam Seſtium ſcurrili & inficeto, quod æuum eſſet tam ſcurrile. Torrentius, nobilis equi circenſis nomen eſſe Andremonis, vt Hirpani, Aquilonis, Incitati putat.

In Paullum.

X.

Cùm tu, laurigeris annum qui faſcibus intras
Mane ſalutator limina mille teras:
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paulle, relinquis,
Qui de plebe Numæ, denſaq́; turba ſumus?
*Qui me * reſpiciat, dominum regemq́; vocabo?*
Hoc tu, ſed quanto blandius ipſe facis?
*Lecticam, * ſellamq́; ſequar? nec ferre recuſo;*
Per medium pugnas, ſed priore ire lutum.
*Sæpius aſſurgam recitanti carmina? * tu ſtas,*
Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet eſſe clienti?
** Diuiſit noſtras, purpura veſtra togas.*

Vide Heraldi ad hunc verſum primum.

* *reſpicitis.*

* *ſellam.*

* *G. ipſis.*

* *G. dimiſit*

CVM TV LAVRIGERIS] diuites & claros æquè seruiles esse, atque pauperes, imò iam patronos ipsos clientium obire partes queritur. INTRAS] aperis, inchoas: ab illis enim, anni nominabantur. Plinius Panegyr. Iuretus ad Symmach. lib. 1. epig. 16. Sauaro ad Sid. epig. l. 8. LAVRIGERIS F.] Cùm tu, qui geris consulatum (consulum enim ante laureati fasces) mane dicas AVE. Q. D. P. NVMÆ] qui de pauperti orum tribu sumus. Numa inter Romanorum reges pauperrimus. Numæ plebs, vt Cice. o dixit, *Romuli fex.* D. REGEMQVE] patronum, quos reges & dominus vocabant, vt suprà sæpe. RESPICIAT] Iuuenal. de Veientione.

Vt te respiciat clauso Veiento libello.

LECTICAM S. S.] comes, aut stipator, aut anteambulo. SÆPIVS ASSVRGAM] De ritu hoc assurgendi & manus tendendi Manilius, fusè ad Sat. 1. Persij. TVSTAS] obserua morem applaudendi recitantibus, cum aliquid placeret, aut cum appellarentur auditores. qua de re fusè infra de recitatione. G. T. IN ORA MANVS] vtraque manu applaudis recitanti. Lege Iuuenal. Sat. DIVISIT] iam non officio, non dignitate, non honore, sed veste tantum distinguuntur clientes à patronis, pauperes, à potentibus; Domitius legit *dimisit*, quasi missione accepta ab officijs clientum, quibus adhibebatur toga cum dominos officij causa stiparent. Si legendum sit *dimisit* interpretabor, dimisit nostras togas purpura vestra, exclusit nos iam nobilitas ab officio clientum, siue salutandi siue comitandi, siue acclamandi. quo intellectu vsurpauit verbum Quintilianus, Seneca, noster sæpius, sed non semper valet ipsum excludere, sed potius relinquere, amandare, negligere, nonnunquam etiam excludere.

A faciem iactare manum, de adulantium gestu.

In Calliodorum.

XI.

Nil aliud loqueris, quàm Thesea, * *Pyrithoumque,*
Teque putas Pyladi, Calliodore, parem.
Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere * Pyrithoi.
Donauit tamen, inquis, amico millia quinque,
Et totam, vt multum, terque quaterque togam.*
Quid, quod nil vnquam Pyladi donauit Orestes?
Qui donat quamuis plurima, plura negat.

* al. Perithoumque.
* Perithoi.
* Et lotam multum.

NIL ALIVD LOQVERIS] In parcum amicum se se tamen Pyladem & Theseam iactare ausum. Poëta veros, ait amicos, non qui aliquid donent, sed qui πάντα κοινὰ habeant. THESEA PERITHOVMQVE] Græcis Πειρίθοος scribitur. Res est peruulgata, vti & de Pylade & Oreste. amicorum paria collegit auctor theatri vol. 3. lib. 7. Theseum laudat Plutarchus & alij. Pyl. & Orestæ certamen Ouid. 4. Trist. el. 4. Pacuuius fabulam de eisdem scripsit. Cic. in Lælio. Orestis corpus auctore Plinio fuit septem cubitos longum, hunc furentem custodiuit Pylades & vomenti caput vel peluim tenuit quod infimorum est munus seruorum, vti & matulam præstare, quod Spartanus puer ne cogeretur facere maluit sibi gulam frangere. PRÆSTAREM.] Parœmia de vehementer inæqualibus. Plura adiographus, vti & sequens, pascere porcos Perithoi. Quia Perithous in vallibus Pindi montis & siluis glandiferis degebat, quæ porco abundabant. MILLIA Q.] H S. centum viginti quinque philippæos. Sed hic numerus certus exempli causa tantum ponitur à poëta. ET LOTAM] prope nouam, rarissime lotam. QVID] quia habuere omnia communia. Q. D. Q. P. NEGAT] non communicat omnia sua cum amico, qui donat, alioqui non posset dare, neque haberet aliquid, quo alter careret.

Ad Domitium.

XII.

Æmiliæ gentes, & Apollineas Vercellas,
Et Phaëthontei qui petis arua Padi,
Ne viuam, *nisi te, Domiti,* permitto libenter,*
Grata licet, sine te, sit mihi nulla dies.
Sed desiderium tanti est, vt messe vel vna
Vrbano releues colla perusta iugo.

* q. admitto. alij permoneo. quid si dimitto sed permitto propugnat Gruterus in Suspic. lib.

I preter

I precor, & totos auida cute combibe soles.
Quam formosus eris, dum peregrinus eris.*
Et venies albis non agnoscendus amicis,
*† Libabitq; tuas pallida turba *genas*
Sed via quem dederit, rapiet cito Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

* G. cum.
† G. Liuebitque.
* G. genis.
Te duce quod dederis.

ÆMILIÆ GENTES] Vouet secessum Domitio fœlicem, & reditum. Æmiliæ vrbs dicitur Apollinea, vel à liberalibus disciplinis, vel ob templum Apollinis, vel ab auro Apollini sacro. Chrysopœi hodie solem appellant aurum, quod sit effector auri; coquitur enim in visceribus terræ à sole, &c. PHAETHONTEI A. P.) Padus, Eridanus Græcis, in quem Phaëthon curru solis excussus cecidit. NE VIVAM] formula priscis iurandi vsitata, de qua alias dictum. MESSE] æstate. VRBANO I.] negotijs, curis vrbicis. I PRECOR] vt hæc tibi secessio bene cedat, & totis diebus cuticulam cures, apriceris, frices. COMBIBE SOLES] Apricationem siue insolationem Græci ἡλιοκαΐαν vocitant, de qua multa ad 5. Sat. Persij Marcilius. QVAM F. E. DVM P. ERIS] quam coloratus peregre redibis, niger, fuscus. ALBIS AMICIS] In vmbra & delitijs enutritis, nisi malis ad togas candidas referre, vt supra *albus in officijs*. NON AGNOSCENDVS] mutato colore; subniger enim & coloratior reuenies, eoque statim non agnoscendus eris tuis. LIBABIT] excipiet te reducem osculo. scribunt alij: Liuebitq; tuis pallida turba genis. Sed non video, cur hic debeat quisquam inuidere Domitio quod è peregrinatione sole adustus nigrior redierit Romam. lib. 9. ep. 24. est: nuidiæ caussa. PALLIDA] alba & pallida ob vigilias, officia, & seruitutem vrbanam. COLOREM] candidum reddet. NILIACO] Ægyptij enim fusci & colorati.

Ad Tuccam.

XIII.

Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros,
Et Libys in longo puluere sudet eques,
Strataq; non vnas cingant triclinia Baias,*
Et Thetis vnguento palleat vncta tuo;
Candida Setini rumpant crystalla trientes,
Dormiat in pluma nec meliore Venus:
Vrere, non miserum cessant suspiria pectus.
Vis, dicam, male sit cur tibi, Tucca? bene est.

* G. tangant, pingant.
* nec.

CVM CATHEDRALITIOS] Tuccam opulentum & fœlicem eo infœlicem prædicat, quod suam fœlicitatem ignoret. quod multis vsu venit, vt tum primum se beatos agnoscant, cum beatitudinis iacturam fecere. CVM CATHEDRALITIOS PORTET TIBI RHEDA MINISTROS] Cum habeas, inquit, pueros fœminis ipsis delicatiores & effœminatiores, cum & equites Mazacas, thermasque plures, & triclinia, & vnguenta, hauriasque è crystallo setinum vinum, molissimumque lectum, tamen velut miser & infœlix gemis & suspiras, quasi tibi male sit. Sane tibi male est, quia nimis bene est, quod non intelligis. CATHEDRALITIOS] teneros, effœminatos. Cathedra enim fœminarum. vnde cathedralitij quasi fœminæ, non viri. Iuuenal. Sat. 6.

Cuius apud molles minima est iactura cathedras.

Et Calpurinus. *Inter fœmineas spectabat turba cathedras.*

Est cathedra eadem sellæ. Iuuenal.

——Cum iam sexta ceruice feratur
Hinc atq; inde patens, ac nudâ pœne cathedrâ.

Quanquam, inquit Lipsius 1. Elect. *ea vox proprie de sella mulíebri, qua discreta fuit à virili.* Plura ibid de sella hac Lipsius. Intelligo igitur cum Turnebo, cathedralitios, formosos, elegantesq; pueros, fœminis magis, quam viris similes. RHEDA] Gallicana vox, currus quatuor rotarum, ciliorum duarum. Isidoro autore Græcis ὄχημα τετράκυκλον, Xiphil. in Adriano, οὐδ᾽ ἰσοτόπον ὄχημα τετράκυκλον ἐπέβη. *Nunquã eo itinere nec currum nec rhedam ascendit.* Corrigit merito Dionis interpretes Causabonus, qui τετράκυκλον quadrigas interpretantur. Dio diserte ὄχημα & τετράκυκλον separat; quamuis ὄχημα commune sit nomen ad omnes currus. Speciatim tamen pro carpento, aut alio maioris artificij curru accipitur. Glossarium ὄχημα vehiculum currumue interpretatur,

 ὄχημα.

ὀχημάτιον rhedam, alioqui & πτεράμαξαν, siue rheda ὄχημα est. Eunapius in Ædesio, διὰ δὲ ἐνδαιμονίαν [illegible] ὀχήματος [illegible]. In codice Theod. de cursu pub. *Statuimus rhedæ mille pondo tantummodo superponi, birotæ ducenta, veredo triginta.* Plura de hac Causabonus ad 57. cap. Suet. in Iulio. PORTET] cum tecum in curru habeas, quoties iter facis, tam nobiles pueros. Sed poë. a more suo speciem ponit, cum tamen velit intelligi genus; hoc est, Tuccam semper habere delicatos secum, de hoc genere puerorum, & rheda Ci.. pro Milone. ET LIBYS IN LONGO PVL. SVD. EQVES] Antiquo more lautioribus ditioribusque Romanis, imo & Cæsaribus Afri & Numidæ equites erant ad iter. Præcurrebant illi, & agmen ducebant heri sequentis, Martialis supra ep. 6.

Quando eques & picti tunicâ Nilotide Mauri
Ibitis? ——

Tacitus 2. hist. de Othone, *Aderat citus equo Numida.* Seneca epist. 87. *O quam cuperem illum nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus cursores & Numidas, & multum ante se pulueris agentem.* Et epist. 124. *Omnes sic iam peregrinantur, vt illos Numidarum præcurrat equitatus, vt agmen cursorum antecedat.* Suetonius eodem modo accipiendus in Nerone cap. 30. *Iter fecisse traditur phaleratis cum Mazacum turba, atq; cursorum.* Claudianus Panegyr. Stilic. [illegible]

——pauidus proiectis missile Macax

Et Nemesianus. *Queimq; coloratus Macax deserta per arua*

Mazaces nobiles Libyæ seu Africæ populi. Lipsium ad 2. Taciti hist. Turnebum lib. 30. cap. 3. Gruterum ad Senecæ epistolas, Dousam lib. 1. cap. 13. Præcid. lege. STRATAQVE NON VNAS CINGANT TRICLINIA BAIAS] Habes lautas & multas thermas, lautasque & multas mensas. Baias iam supra multis locis sigillatim laudauimus lib. 1. epig. 60. & 61. alijsque. Hic Baias accipit ποιητικῶς pro quibuslibet thermis & balneis. Ad thermas autem & balneas ædificabant triclinia, diætas, cœnationes, victoria Gymnasia, quod ex Vitruuio, Plinio iuniore, Sidonio, alijsque notum. legitur tamen pro, non vnas Nolanas. Seneca ep. 90. Hoc quoque parum est, nisi latifundijs vestris maria cinxistis. ET THETIS VNGVENTO PALLEAT VNCTA TVO] Vngebantur veteres secundum balneas, vt supra Martialis docuit. Et vero habebant vnctaria sua, vt ex Plinij lib. 2. epist. 17. pluribusq; intelligitur, vbi oleum, quo vngebantur, seruari solitum. Hic Thetis pro balneo ponitur. Tua balnea, Tucca, vbique vnguentum olent, & pallent à colore vnguenti. Lege nobis scripta lib. 3. ep. 12.

vnguentum fateor bonum dedisti.

CANDIDA SETINI RVMPANT CRYSTALLA TRIENTES] Setinam vitem celebramus lib. 13. in hoc lemmate.

Pendula Setinos quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab vrbe cados.

TRIENS] poculi genus 4. cyathorum. Crystalla συνεκδοχικῶς pro crystallinis dicitur crystallus & crystallum, quod alij ex concreta nasci glacie docent, alij constanter negant, de quo Bernatius ad Syl. Statij. RVMPANT] Lautiorum certe hominum crystallina, quæ calidâ lædebantur, hic opes Tuccæ ostendit, vt qui semper ex crystallinis biberit; & fiebat sæpe, cum temperarent vina, vt calices frangerentur. Sed forte subtilius dixit, rumpant, tralucéant. & splendore suo quodammodo findant crystallum. IN PLVMA] In molli lecto. VENVS] deliciarum domina, quam in pluma olorina cubare somniant poëtæ, vt cui olores sacri. VRERE NEC] Cum sis tam beatus & fœlix, cruciaris tamen, quod nequeas esse adulter, & quas cupis, incestare mœchas, hoc est, doles, quod cogaris esse bonus, nec possis semper esse malus. VIS DICAM] Sortem tuam non intelligis, & tibi male est quia nimis bene est.

Ad Crispum.

XIV.

Cedere de nostris nulli te dicis amicis,
Sed sit vt hoc verum, quid rogo, Crispe facis.
Mutua cum peterem sestertia quinq; negasti.
Non caperet nummos cum grauis arca tuos.
Quando faba nobis modium farrisque dedisti?
Cum tua Niliacus rura colonus aret?
Quando breuis gelidæ missa est toga tempore brumæ?
Argenti quando missa selibra mihi est.

Toga breuis. abscula est. lib. 12. ep. 83. ad vmbram.

Nil

Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere, Crispe, soles.

CEDERE DE NOSTRIS] λέγω, non ἐγώ. Crispum ait amicum, quamuis se de amicitiâ poëtæ iactantem, & impudentiâ cynicâ amicum proclamantem. SESTERTIA Q.] quinque millia HS. centum viginti quinque philippæos. F. MODIVM] continet sextarios senos denos, id est, octo mensuras nostrates, libras XXVI. & bessem. Medimnus senos modios. modius ein Metzen/ Medimnus ein Schaf/ adi Plinium, Lucam Pætum. De modio accurate nuper disputauit Villalpandus ad Ezechielem. FARRISQVE] fabam, & farinam, cum tu in Ægypto multa ares iugera. A. SELIBRA] dimidiata libra. plura supra. PEDERE] quo non meum, sed Diogenis amicum, & canem cynicum te ostendis.

De Apro.

XV.

Dotatæ vxori cor arundine fixit acuta:
*Sed dum ludit Aper, * ludere nouit Aper.*

* f. lædere.

DOTATÆ VXORI] ab Apro per iocum ait factum; serio tamen occisam vxorem, vt illius bona raperet. COR ARVNDINE FIXIT] ludum finxit sagittarium, quo traiecit vxorem, quasi per errorem. SED DVM LVDIT APER] dum simulat errando se non posse ludere, maxime nouit ludere, hoc est, ipsum ludum eludit, & serio agit. Alij (LÆDERE NOVIT APER) scribunt, quæ quidem lectio multo est expeditior, sed haud scio, an argutior, vel etiam arguta satis. quamquam est non inuenusta paronomasia vocibus ludere, & lædere, vt prope magis arrideat superiore.

In Caium.

XVI.

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai:
Vincam te donis, muneribusq; meis;
Accipe, Calliacis quicquid fodit Astur in aruis,
Aurea quidquid habet diuitis vnda Tagi:
Quicquid Erythrææ niger inuenit Indus in algâ,
Quicquid & in nidis vnica seruat auis.
Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno:
Quicquid habent omnes, accipe, quomodo das,

In vanum promissorem. VINCAM TE DONIS] nam *pollicitis diues quilibet esse potest.* G. IN ARVIS] Asturia Hispaniæ vlterioris regio abundat auro. Plinius. *Vicena millia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam, atq; Galleciam, & Lusitaniam præstare quidam tradiderunt, ita vt plurimum Asturia gignat. Neq; in alia parte terrarum tot seculis hæc fertilitas.* Callaicum ergo à Gallecia dicitur, etsi Gallaicum potius scripserimus, quam Callaicum. Gallecia autem & Asturia vicinæ regiones, eoq; altera pro altera posita. Astur oriundus ex Asturia. De Asturia Plinius etiam libr. 4. cap. 22. Lusitaniam cum Asturia & Gallecia patere quingenta quadraginta M. P. longitudine; latitudine quingenta triginta sex. M. P. (TAGI) auri ramenta in fluminibus auriferis reperiuntur, qualia sunt Tagus in Hispania, Padus Italiæ, Hebrus Thraciæ, Pactolus Asiæ, Ganges Indiæ, nec vllum absolutius aurum est. Plinius lib. 33. cap. 4. ERYTHRÆA A.] Littus Erythræorum gemmas habet, vt supra sæpe. QVIDQVID ET IN] Phœnix omnis generis aromata, surculos thuris & casiæ colligit in nidum, vt Ouid. Lactantius, Tacitus, & alij scribunt, & nos li. 5. copiose recensuimus. QVICQVID A. T. I. C. AHENO] omnes purpuras tibi dono. Agenor Tyrum & Sidonem condidit, Q. Curtius & alij. IMPROBA] inuentrix superbiæ. QVIDQVID H. O.] colligit more suo, quod sparsim dixerat. omnium tibi bona dono. ACCIPE QVOMODO D.] nihil das, nihil accipe.

De Macro.

XVII.

Saturnalicio Macrum fraudare tributo
Frustra, Musa, cupis: non licet, ipse petit.
Sollennesq; iocos, nec tristia carmina poscit,
Et queritur nugas obticuisse meas,
Mensorum longis sed non vacat ille libellis.
Appia quid facies, si leget ista Macer?

SATVRNALITIO] Macer occupatus in via Appia sternenda, de qua Papinij silua extat, legebat Geometras, & subinde Martialis epigrammata, quæ ad saturnalia expectabat, intermissa vero petebat. Respondet poëta. Si legeris mea, negliges tua, viam tuam appiam. SATVR. TRIBVTO] munera visitata & solennia, quæ tam stata erant, atque tributum principi pendendum. IPSE PETIT] munerum loco carmina, vt sequitur, solennes iocos, epigrammata. MENSORVM LONGIS] Facit mensoris etiam Plinius iunior mentionem lib 10. ep. 18. ad Traianum. *Dispice, domine, an necessarium putes, huc mittere mensorem, &c.* Vegetius mensores vocat, qui in castris ad podismum demetiuntur loca, in quibus tentoria milites figunt. Catanæus pro calculatore, de impensarum ac litium æstimatore, cum demetiri sit æstimare & æquare. dicuntur & mensores frumenti sitometræ. M. LONG.] legit Geometricos libros. Mensores fuere Dicæarchus Siculus, Plinius lib. 2. cap. 67. qui montes permensus est. Anaximander Milesius qui primus terræ marisque circuitum descripsit. Dionysius de situ orbis, & alij. Alexander Magnus secum habuit in castris, Plinio auctore, Diognetum & Bitonem itinerum mensores. APPIA Q. F.] infecta eris, si hoc faciet Macer, si me legerit. Nihil hic ingenij, nisi in voce ambigua Appiæ quid lateat. De via Appia lege Lipsium, qui in Admirandis, de hac singulare caput conscripsit.

De Mario.

XVIII.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere: sed nec habet.
Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicum,
** Heu quam perfatuæ sunt tibi, Roma, togæ?*

* *Eheu platuæ.*

NEC VOCAT AD C.] Coli volunt à clientibus patroni, & nolunt colere donis clientes. Talem ait esse patronum Marium. NEC SPONDET] pro me creditori. NEC VVLT CREDERE] dare mutuam pecuniam. NEC HABET] cum habere simulet, hoc pauperior, quod nec pauper habeatur, vt haberi velit. HEV QVAM] ab indignatione. PERFATVÆ] metonymicῶs, vestis pro vestito. Quam stolidi estis Romani, qui gratis seruiri vobis cupitis, & multo vecordiores ipsi clientes, qui gratis vobis seruiunt. Scribe: *Eheu quam fatuæ.* Quis ita loquitur: *heu quam perfatua,* heu quam perdoctus est?

Mittit librum ad Plinium.

XIX.

Nec doctum satis, & parum seuerum,
Sed non rusticulum nimis libellum,
Facundo mea Plinio Thalia
I perfer: breuis est labor peractæ
Altum vincere tramitem suburæ.

Illic Or-

Illic Orphea protinus videbis
Udi vertice lubricum theatri,
Mirantesque feras, auemque regis,
Raptum qua Phryga pertulit Tonanti.
Illic parua domus tui Pedonis
Calata est aquila minore penna.
Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam videto.
Totos dat tetrica dies Mineruæ,
Dum centum studet auribus virorum,
** Hoc, quod sæcula, posteriq; possint*
Arpinis quoq; comparare chartis;
Seras tutior ibis ad lucernas.
*Hæc hora est tua, * dum furit Lyæus,*
Cùm regnat rosa, cum madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones:

* Hac, malim hoc.

* cum.

NEC D. S.] *Alloquitur Musam*, (iuuat Plinij verbis argumentum tradere) *mandat, vt domum meam* (Plinij) *in Exquilijs quarat, adeatq; reuerenter.* Addo his laudari Plinium ab eloquentia, quam cum Cicerone contendit. NEC D. S.] ad tam doctum virum difficile est doctum satis librum mittere. SEVERVM] verecundum & castum. NON RVSTICVLVM] elegantem tamen & vrbanum. THALIA] conuiuiorum præses, & hilaritatis arbitra. PERACTÆ] Gruterus recte transposuit versus. Iam enim constat sole clarior sensus, qui antea tortus,

V Regione V. Onuphrium.

I, perfer: breuis est labor peracta
Altum vincere tramitem Subura.

Non est, inquit, longa ad domum Plinij via, quæ statim est post superatam Suburam. I. O. PR. VIDEBIS] Orphei statuam, an picturam? crediderim in vertice, & summo theatro fuisse statuam Orphei, quales erant multæ ornatus causa; lubricum Orphea dixit ex sparsionibus illis odoratis. V. T. SVBVRÆ] à Subura in Exquilias, vt alias docuimus, ascendebatur; Theatrum tamen vertice seu altitudine cliuum superabat; nec tamen hæc constanter, sed πεπεισμένως affirmo. Fieri potest, vt secundum theatrum, Orpheus in domo aliqua fuerit descriptus, ibique stillicidio theatri fuerit tinctus, quemadmodum & Ganymedis tabula, & in domo Pedonis cælata minor aquila. Pedonem, poëtam nobilem, supra ex Ouidio, & alijs laudauimus. Hic non Pedonem poëtam, poëta, sed Oratorem nobilem seu Caussidicum loquitur, de quo Iuuenalis Sat. 7.

Sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic est.

Non propugno tamen pro Caussidico mordicus, potuit vatem intellexisse. PHRYGA] Ganymedem aquila in cœlum euectum. TEMPORE NON TVO] non matutino. Tempus autem libelli sui legendi lib. 4. epig. 8. definit.

Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
Temperat Ambrosias cum tua cura dapes.

Qua hora se lautioribus inuitabant poculis à cœna, quæ nona incipiebat. DISERTAM] Plinij iunioris oratoris, æui sui principis. EBRIA] iocis & salibus referta & lasciua, TOTOS DAT TETRICÆ DIES MINERVÆ] caussis & foro dat operam atque iudicijs, quæ tetrica sunt, rarique risus. Tetricus etiam mons est asper, & difficilis. Verg. 7. Et Tetricæ horrentes rupes. nescio an huc faciat, quemadmodum aliqui trahunt. CAVETO] videto, ait. DVM CENTVM STVDET AVRIBVS VIRORVM] centumuiralibus caussis, quas supra in Reguli carmine copiose explicauimus. ARPINIS COMPARARE CHARTIS] Tulliani scriptis. M. T. C. Arpinas fuit, vti & Marius VII. consul. SERAS] hora nona aut decima, vt iam dictum, ad cœnam. ROSA] coronati enim potabant. Et hoc est, quod existimant aliqui vinum coronare, cum coronati biberent. MADENT] delibuti vnguentis. RIGIDI LEGANT CATONES] quamuis seueri & tetrici, tamen hac hora me legant, qua discedunt à sua grauitate, animumque paullisper remittunt.

Ad Mannium.

XX.

Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
Pendula quod patriæ visere tecta libet,
Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis,
Et prætextatâ cultus amicitiâ,
Tu facis, in terris quo non est alter Iberis
Dulcior, & vero dignus amore magis.
Tecum ego vel sicci Getula mapalia Pœni,
Et poteram Scythicas hospes adire casas.
Sit tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
In quocunque loco Roma duobus erit.

Paulatim de patria cogitat poëta, quod Traiano parum gratus esset, ob adulationes, credo Domitiani, vel quia, vt Dio scribit, bonarum artium princeps esset prorsus ignarus, quanquam Eutropij breuiarium dicat eum fuisse iurisconsultissimum, Et Iuuenalis Sat. 7. in solo Traiano spem doctis putat aliquam relictam. Hic poëta tamen se in gratiam Manij reuersurum ait. DVCIT AD AVRIFERAS QVOD ME SALO CELTIBER ORAS] Cur redire velim in Hispaniam, & reuisere Salonem, & Bilbilim. TV MIHI] tu caussa es, quo cum familiarissime ab ineunte ætate vixi. simplices anni primæ ætatis. ET PRÆTEXTATA CVLTVS AMICITIA] pueri prætextam gerebant vsque ad 17. annum. deinde togam virilem sumebant, quod vel mediocriter litteratis non est obscurum, an etiam Martialis prætextatus? ita videtur, amicus enim, non seruus aut cliens. TV FACIS] vt redire cupiam. TECEM EGO VEL GETVLA MAPALIA POENI] tecum vel in Getuliam & illam barbariem abirem. Mapalia agrestium casæ culmo tectæ. Pœni, agri Carthaginensis; hic pro tota Africa. Getuliam describit Sallustius in Iugurth. SI TIBI MENS EADEM] si vna mens in duobus corporibus, si tibi cura mei, ceu mihi cura tui, vbique nobis Roma erit, vt, ibi deus, ibi cœlum. Et dulcior Scythia Scythæ, quam Italia & Roma. Senecam ad Heluiam de consol. lege.

Ad * Sextum.

* Crispum.

XXI.

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuuat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris:
Iudice te maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & sine grammaticis.

SCRIBERE TE] Sextum obscuritatem affectantem irridet, quod sane vitium multi hodie in laude ponunt, qui κακόζηλοι & antiquarij videri volunt; non sane dulcissimus & clarissimus Lipsius qui potius, quod obscurum, euoluit, & ingenij sui lumine illustrat, sed quidam frustra illius æmuli, quos ipse se ait ridere & irridere, quos A. Gellius in aliena personâ refutat. audi Fabium: *Nec tantum inuentio ingeniosa damnatur, sed & elocutio. cum iam nihil proprium placet, dum parum creditur disertum quod & alius dixit: tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio.* Idem lib. 8. procem. MODESTVS] Modestum & Claranum seu Cianum Domitius Iurisconsultissimos fuisse scribit. Merula Claranum Senecæ discipulum ex ipso Seneca probat. Ego nec Modestinum Iurisconsultum laudatissimum ignoro, nec Modestum aut Claranum inter Iurisconsultos agnosco; hunc Grammaticum virum doctum eruditumque aio, de quo præter Senecam epist. 7. ad Lucilium, Ausonius in epist. 2. ad Vrsulum Grammaticum Treuirorum.

Lib. 6. cap 3.

Vrsule Collega nobilis Harmonio.
Harmonio, quem Claranus quem Scaurus, & Asper,
Quem sibi conferret Varro priorq; Crates.

Modestos plures reperio à scriptoribus celebratos. Plinius iunior Vectium Modestum virum optimum à Domitiano in exilium relegatum scribit. Vectium Modestum declamatorem quendam nominat Iuuenalis; reperio Modestum & Ægypti præfectum fuisse apud Suidam: Et Iulij Modesti Gellius facit mentionem; Iulium Modestum C. Iulij Hygini libertum credo intelligi, cuius meminere Suetonius de illust. Grammat. cap. 20. Carisius, Diomedes, Gellius, Quintilianus. Elias Vinetus, ad Suetonij Grammat. Volateranus, Macrobius. Fuit & alius Vegetio appressus, auctor libelli de rerum militarium vocabulis ad imperatorem Tacitum, posterior. Multus est in nominandis obscuris viris Bisciola lib. 16. cap. 22. APOLLINE] qui, velut Deus, possit animi tui noëmata & cogitata dispicere. Dij quippe omnia norunt. Virgilius ænigma proponens inquit, *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo.* Et παροιμία *Ne Apollo quidem intelligit*, de re vehementer obscura, vt est apud Athenæum lib. 3. τί δὲ ἡ ἐπιστολὴ δηλοῖ, νομίζω ἐγὼ μηδὲ τὸν Πύθιον διαγνῶναι, Et antiphanes apud eundem,

Ταυτί δ᾽ ὅτ᾽ ἐστιν οὐδ᾽ ἂν Ἀπόλλων μάθοι.
Nec Apollo, quid sibi hæc velint, intelligat.

IVDICE TE MAIOR CINNA MARONE FVIT] C. Heluius, aut Helcius Cinna, nobilissimorum scriptorum libris cantatus poeta, scripsit nouennio toto, opus obscurum quidem, sed egregium, quod Smyrnam inscripsit, vnde Horatij præceptum de lima *nonumq; prematur in annum.* Virgilius, ipse Deus poëtarum, negat in Buccolicis se dignos Cinna versus canere. L. Crassitius Grammaticus hunc perobscurum & difficilem commentarijs doctissimis illustrauit. de quo est illud epigramma

Vni Crassitio se credere Smyrna probauit,
Desinite indocti coniugio hanc petere,
Soli Crassitio se dixit nubere velle,
Intima cui soli vota sua extiterunt.

Excurrit in laudes huius præter Virgilium, Catullus, Horatius, Quintilianus, Suetonius, Seruius, Gellius, vitam exponit totam Gyraldus dialog. 10. de historia poëtarum. Martialis illum Virgilio, & iure, postponit, eiusque tenebras hic notat. SIC TVA] dicantur obscura, quo non est intolerabilius in carmine vitium, cum natura sua propter verborum traiectionem & fabulas facile incidat in noctem, quam ingenium intricatum facit tenebricosiorem. GRAMMATICIS PLACEANT, ET SINE GRAMMATICIS] placeam lectori sine Oedipo, non sit opus Grammaticis ad epigrammata mea intelligenda Grammatico, possit ea Grammaticus sine labore capere.

De M. Antonio.

XXII. XXIII.

Jam numerat placido fœlix, Antonius, æuo
Quindecies actas Primus Olympiadas:
Præteritosque dies, & tutos respicit annos,
Nec metuit Lethes iam propioris aquas,
Nulla recordanti lux est ingrata, grauisque.
*Nulla * fuit, cuius non meminisse velit.*
Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Viuere bis, vita posse priore frui.

* *fuit.*

IAM NVMERAT] lib. 9. epig. 101. de hoc eodem est explicatum, vbi patriam & studia eius intelliges. Carmen est de ætate & felicitate Antonij, quam vtramque ait esse summam. QVINDECIES ACTAS OLYMPIADAS] sexaginta annos iusta Chronologorum putatione; Olympias enim πενταετηρίς. Solinus auctor, & Afranius in 3. Annalium, Isidorus, Eusebius, Pererius. Ios. Scaliger & omnes viri Chronologiæ gnari. Notæ Gryphij secus docent, quas merito notandas & censendas duco, cum Olympiada dicant esse spatium quinquennij, idque omnibus esse in confesso. Imo omnibus est in confesso esse quadriennij; non quinquennij spatium. Budæus omnino olympiadem cum lustro comparat in pandectis, *& quemadmodum*, inquit, *lustra quinto anno absoluuntur, ita olympias, sic vt quatuor integros includat.* Poëta tamen, vt supra diximus, nonnunquam accipiunt

Ouid. quinquennis Olympias acta est.

unt olympiadem pro quinquennio, eo quod peracto iam quadriennio initio quinti anni olympia sint celebrata. Ita partem & initium ponunt pro anno toto, qua ratione septuagesimum quintum annum ageret Antonius. TVTOS] sic rescribendum ex mel. codicibus. tutos vocat iam extra fortunæ conditionem positos. Nihil enim fortuna habet in præterita quæ mutare non potest. Senecam lege de breuit. vitæ. LETHES AQVAS] mortem. flumen infernum obliuionem inducens à Græco λήθη. AMPLIAT] gnome. bis vixit, qui ad senectam bene vixit. præteritæ enim vitæ grata recordatio præsentem vitam alit, & facit iucundiorem. Seneca ep. 79. Nam vt Posidonius ait, vnus dies hominum eruditorum plus patet quam imperiti longissima ætas. Idem de breu. vitæ. In tria tempora vita diuiditur, quod est, quod fuit, & quod futurum est. Ex his quod agimus breue est; quod acturi sumus, dubium; quod egimus certum. hoc est enim in quod ius fortuna perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. & quæ sequuntur.

Ad Kal. Martias.

XXIV. XXIII.

Natales mihi, Martiæ Kalendæ,
(Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus & puellæ:)
Quinquagesima liba septimamq;
Vestris addimus hanc focis acerram.
His vos, si tamen expedit, roganti
Annos addite bis precor nouenos,*
Ut nondum nimia piger senecta,
Sed vitæ tribus aureis peractis
Lucos Elysiæ petam puellæ.
Post hæc tempora, nec diem rogabo.*

* bis non ter scribendum, vt fiant septuaginta quinq; quos optat.

* hunc Nestora. vt addas tres Nestoris ætates.

In celebrando suo natali annos præteritos numerat 57. & futuros optat 37. vel vt alij codices, bis nouenos 18. priori voto cuperet annos 84. posteriore 75. neutrum poeta est assecutus.

LVX] Hic versus cum sequenti est parenthesi claudendus, hoc sensu: O Martiæ Calendæ (quibus nulla mihi lux gratior & iucundior, qua non viri tantum sed puellæ quoq; & fœminæ mihi mittunt munera de more natalitia) vestris aris iam quinquagesima liba & septimam acerram addimus, hoc est: iam agitaui natalem meum genioq; natali meo sacrificaui quinquagies septies. Tertium versum spurium iudicat Parthius nec male; aut ita legendum putat: *Quot mittunt mihi munus & puellæ*. Ego malim extritum.

HIS VOS] his 57. sacrificijs seu annis, si ita mihi expedit vt tamdiu viuam, quod vos Dij melius, ac ego, nostis addite alteros 27. &c. De muneribus porro natalitijs legatur carmen 87. huius libri de natali Restituti, vbi diserte etiam puellæ nominantur quæ viris munera mittebant, vti & viri puellis. copiose de donis Martinus de Rhij Hispanus lib. singulari de die natali.

QVINQVAGESIMA LIBA SEPTIMAMQVE] Iam natalem colo quinquagies septies. & Dijs libo quadram de placenta, vt supra. MVNVS] de hoc more dictum sæpe. FOCIS] aris. ACERRAM] thus adolemus; acerra vas thuriferum. quæ autem ad sacrificium natalitium adhibebantur, lib. 9. epig. 92. posuit.

Sic Martiæ tibi seruiant Kalendæ,
Et cum thure, meroq;, victimaq;
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

SI TAMEN EXPEDIT ROGANTI] sæpe enim præstat cito mori, quam diu viuere. Iuuenalis Sat. 4.

Da spatium vitæ, multos da Iupiter annos,
Hoc recto vultu solum, hoc & pallidus optas.
Sed quam continuis & quantis longa senectus
Plena malis, &c.——

Quare seruat poëta, quod ibidem Iuuenalis præcipit, si tamen expedit.

——Nam si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid

Conueniat vobis. rebusq́; sit vtile vestris.
Nam pro iucundis aptissima quæq; dabunt Dij.
Charior est illis homo, quam sibi———

VT NONDVM NIMIA PIGER SENECTA] Ex hoc loco intelligis scribendum potius, vt vetus lectio habet. *Annos addite bis precor nouenos*, vt sint 75. nam octogesimus annus iam plenus ærumnis, quas Iuuen. Sat. 4. egregie describit. SED VITÆ TRIBVS AVREIS] vt varia huius loci scriptura est, ita varia scriptorum enarratio. Aldus tres vitæ areas legit, & exponit infantiam, iuuentam, virilitatem, & senectutem, quarum tres priores peractas dicat poëta. sed non placet hoc poëtæ, qui senectam non abnuit, sed senium. Accedit in veteri codice *aureis* non *areis*, vt supra, *bis nouenos*, non *ter nouenos* legi, quam ego lectionem prorsus auream, nec tribus, imo nec centum aureis permutandam iudico. sic quippe constabunt omnia. Petit enim poëta, vt ad annos septem supra quinquaginta, sibi adijciantur decem & octo, qui prioribus adiecti recta efficiunt tres aureos Romanos, hoc est, septuaginta quinque denarios; vnus enim aureus, vt doctissime Lipsius ostendit, 25. denarijs æstimabatur. Triplica vicenos quinos denarios, septuagenos quinos colliges. hanc sibi auream ætatem optat poëta, pueritiam nempe seu adolescentiam, iuuentam (quæ & eadem virilitati) senectutem. Scio, quid Turnebus lib. 30. cap. 30. doceat. sed nihil hic ei cum quæstio, nec fuco. Torrentius ad Martialem putat tres aureos pro militari stipendio positos, de quibus Suet. Cæs cap. 26. quasi stipendia vitæ peracturus poëta, &c. Non nemo torquet Martialis versus ad numerum 81. vt Platonis ætatem exprimat, sed ego ex Martiali hoc cogere non possum. L. ELYSIÆ] campos Elysios Proserpinæ ad inferos raptæ, id est, moriar. POST HÆC] actis his aureis, non morabor mori, & hic varia lectio, sed Iunianam probo.

De Mucio.

XXIV. XXV.

In matutinâ nuper spectatus arenâ
Mucius, imposuit qui sua membra focis.
Si patiens, fortisq́; tibi, durusq́; videtur:
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam cum dicatur tunicâ præsente molestâ,
Vre manum: plus est dicere, non facio.

IN MATVTINA] lib. 8. ep. 30. describit spectaculum Scæuolæ in arena datum, hoc loco, quod ibi laudauit, hic eleuat, fortioremq; futurum fuisse affirmat, si imperanti dixisset. non facio, tum enim non manus, sed totum corpus fuisset vstulatum & concrematum. IN M.] spectaculum duplex erat, matutinum & meridianum, mane cum bestijs pugnabant, post meridiem ij, qui superfuerant, (ex bestiarum pugna intellige) inter se. & meridiani gladiatores vocabantur. plura Seneca epist. 7. Lipsius lib. 3. Sat. cap. 15. MVCIVS] historiam Scæuolæ, lib. 1. ep. 22. descripsit, & lib. 8. repræsentatam dixit. ABDERITANÆ PECTORA PLEBIS HABES] stolidus es. Abderitana mens, stulta mens, adagione fertur. Et Abdera Solino, Melæ, Plinio lib. 15. cap. 28. Straboni lib. 14. & alijs, ciuitas Thraciæ, à Diomedis sorore Abdera condita & indigitata (alij ab Abdere Herculis puero, seu filio ibi occiso dictam aiunt) natalibus Democriti philosophi patria, qui hominum studia moresque risu perpetuo prosecutus damnauit. Abderitæ ad insaniam inclinatos, tradunt plerique scriptores, & Cic. de nat. deorum. *Equi certe in proximis Abdera pascuis in rabiem vertuntur, quod cæli vitium etiam humanas mentes afficit.* Locus enim humilis, asperque in crasso cœlo incoctoq; situs est, vt Iuuen. Sat. 10. de Democrito locutus. *cuius prudentia monstrat,*

Summos posse viros & magna exempla daturos
Veruecum in patria crassoq; sub aëre nasci.

Adagium pluribus explicant Erasmus, & alij in prouerbio.

Abderitica mens, & Diomedis equi, Abdera pulcra,

Teiorum colonia, &c. NAM C. D. T. P. M. VRE M. P. EST D. NON FACIO] Merito Calderinum emendat hic Merula, moris antiqui inscium. Nihil hic de Scæuolæ tunica, quæ errorem dexteræ suggessit, nihil de apparitoribus cogitatum poëtæ, sed verus & germanus huius disti. hic sensus est: Cum iubearis, Muti, præsente tunica molesta (hoc est pice, resina, cæterisque ignium alimentis imbuta, infectaque, imo intexta etiam) vrere manum, maioris est fortitudinis dicere, nolo, quam vrere dextram. Vris enim manum, ne totus viuens vidensq; indutus illa tunica comburaris. Seneca mihi lucem hanc & tunicam explicauit, qui de varijs tormentorum cruciatibus in hæc

* Erret per vrbem pontis exsul & cliui Grut. ex Pal.

* Pontes per vrbis erret exul, & cliuos,
Interq́ raucos vltimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.
Illi December longus, & madens bruma,
* Clausuśq́ fornix triste frigus extendat.

* Claususque.

Vocet beatos, clamitetq́ fœlices,
Orciniana qui feruntur in sponda,
* Et, cùm supremæ fila * venerint horæ,
Dieśq́ tardus, sentiat canum litem,
Abigatq́ moto noxias aues panno,
Nec finiantur morte * supplicis pœna:
Sed modò seueri sectus Æaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
Nunc inter vndas garruli senis, siccus,
Delâsset omnes fabulas poëtarum,
Et cùm fateri Furia iusserit verum,
Prodente clamet conscientia, scripsi.

* At.
* venerint, volunt venerint quia sequitur, diesque tardus.
* al. simplicis melius.

QVISQVIS STOLÆVE] Diras omnes imprecatur impostori & sycophantæ, qui Martialis nomine vulgabat maledicos versus in claros viros, matron:sque. STOLÆVE] matronarum cultus stola potissimum, quamquam stola, vti vestis, communis vox est ad omne genus vestimenti, cuius rei multos testes adducit Bayfius lib. de re vest. cap. 1. Sumitur tamen metonymicῶs non raro pro fœminâ honestâ matrefamilias. Tibullus.

Sit modò casta, doce, quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Ouid. 1. de Arte.

Este procul vittæ tenues insigne pudoris,
Quæq́ legis medios instita longa pedes.

Instita est limbus stolæ extremæ, vt fasciola assutus. & idem.

Ecquid ab hoc omnes rigida submouimus arte,
Quas stola contingi, sumptaq́ vitta vetat.

Marcellus docet matronas vti solitas stola ad imos pedes defluente, quam instita assuta, hoc est, tenuissima fasciola ambibat. Cæterum stola Græcam habet originem, à στέλλομαι induor. Plutarchus in Arato. ὁ δὲ ἐργῖνος ἑπτὰ λαβὼν νεανίσκους ἐσταλμένους ὁδοιπορικῶς. Erginus autem assumptis septem adolescentibus viatoria indutis. Stolam autem rugosam & striatam fuisse vestem ex Mart. lib. 5. ep. 92. disco in Vetustinam.

Rugosiorem cùm geras stola frontem.

Honestarum autem fœminarum fuisse, & pudicarum insigne docet idem lib. ep. 36.

Quis Floralia vestit & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Stolatæ matronæ effigiem expressam apud Bayfium de re vestiaria spectabis. PVRPVRÆVE CONTEMPTOR] Ad Augusti tempora magistratus insigne erat prætexta purpura, nec patres purpurati incedebant: Labente disciplinâ lautiores homines, & ditiores extra Magistratum etiam purpureas lacernas, & pœnulas sumebant, quod Seneca ep. 115. queritur, vbi lacernas improbi coloris, purpureas Lipsio interprete intelligit. Martialis confirmat lib. 5. ep. 8. de Phaside, ficto equite.

Phasis purpureis ruber lacernis:
Hæc & talia dum refert supinus,
Illas purpureas & arrogantes
Iussit surgere Lectius lacernas.

Hic ergo purpuræ contemptor, est nobilitatis calumniator, qui famosis scriptis lacerat nobiles viros, quos colendos ait Martialis. PONTES P. V. E.] redigatur ad extremam mendicitatem, & in

& in pontibus, quos medicabula passim obsident, roget stipem. Eodem sensu dixit lib. 12. ep. 32. in Vacerram.

Hæc sarcinarum pompa conuenit ponti. De qua re suprà lib. 1.

PONTES PER VRBIS] Lego orbis, vt habent aliqua exemplaria, rectè enim coniungitur cum sequente vocula exul. Quomodo enim exul, si in vrbe? PONTES] in quibus frequentia mendicorum, quòd ibidem concurrant vltro citroque commeantes homines. Ita cliuos non vrbanos tantùm, sed Aricinos & alios accipio. EXVL] idem Ouid. inimico suo imprecatur in Ibin.

Exul inops erres alienaq; limina lustres,
Exiguumq; petas ore tremente cibum.

Iuuen. Sat. 4. dirusq; à ponte satelles.

CLIVOS] Mendicorum Asylum. quamuis hîc dicat vrbis; cliuus autem Aricinus non est vrbicus, sed ad Ariciam cliuum Virbij. ROGATORES] mendicos lib. 4. ep. 30.

Et nunc sacrilegos perosus hamos
Baianos sedet ad lacus rogator.

PANIS IMPROBI] miseri, in fœlicis, multis precibus à viatoribus extorti. CLAVSVSQVE P. T. F. EXTENDAT] Longa sit illi hyems, dieque lateat domi sub frigido fornice, foco sine Vulcano. Cellam intelligit, quam sibi pauperes certa pensione conducebant, de qua ex Iuuenali suprà. VOCET BEATOS, CLAMIT. FOELICES] Beatos & fœlices olim mortuos vocabant. Marcellin. lib. 25. *Quem cùm beatum fuisse Sallustius respondisset præfectus, intellexit mortuum.* Et fuisse, legit emendatius Marcilius. *Fœlices* appellat, Horatius Sat. 9. lib. 1. *Beatos.* Persius Sat. 3. Græcis idem est μακάριος, μακαρίτης, εὐδαίμων. Marcilius plura ad Persium. ORCINIANA SPONDA] Sandapila, feretro, sponda, id est, lectica, qua mortui efferuntur, ab orco dicta, quod mortui ad orcum eant. Cælius Rhod. lib. 10. cap. 18. *Ex eadem item doctrina,* inquit, *Valerio Martiali, Orciniana sponda pro sandapila ponitur, siue feretro. Sunt qui tamen non ab Orco, id est, Plutone, sed ab ἕρκος, quo septum significatur, quod & arcana dicitur, ab ἑρκίνῳ nomen id deducant, & capulum siue thecam ex impolitioribus lignis, aut etiam viminibus contextam, compactamq; autument significare, quod si ita est, adspirabimus prima: nisi quod in oratore Cic. aliud est visum. Valerius Probus flatilem admittit.* Orciniana qu: sponda.) Hunc locum poterit illustrare Bisciolæ cap. 4. lib. 17. subs. in quo de Orco, Charonte, Charonitis Orcinis Senatoribus, libertis, hæredibus tractat ea, quæ legisse Philippicorum Ciceronis interpretes non pœnitebit. SENTIAT CANVM LITEM] Infaustum omen, quod Plutarchus in Cimonis vita commemorat, quem contra Persas mouentem, canis irata allatrare visa est, & vocem inde ex humano, & canino latratu confusam edere in hæc verba.

Vade, mihiq; meis catulisq; futurus amicus.

Quod Aristophilus illi explicauit, mortemque denunciauit. canis enim allatrans hominem, est hostis illius. SENTIAT C. L.] Id est difficulter moriatur, vnde canina mors. An hoc dicit? Iam morti vicinus, audiat de ossibus suis, & cadauere distrahendo litigantes canes, quorum ventres pro sepulchro sortiatur. Et hoc est, quod dixit (diesque tardus) sentiat summa vitæ tædia, nec tamen possit mori. ABIGATQVE M. N. AVES. P.] bubones, corui, vultures, noctuæ, aues, ominosæ fuêre veteribus; vti corui, qui Ciceroni iamiam interficiendo laciniam togæ vellicarunt. Domitiano cornix apud Suet. ante paucos, quam occideretur, menses, in capitolio elocuta est. ἔσται πάντα καλῶς, &c.

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix,
Est benè, non potuit dicere; dixit, erit.

Agrippæ bubo mortem nunciauit, de bubone Ouid. in Ibin.

Sedit in aduerso nocturnus culmine bubo,
Funereoq; graues edidit ore sonos.

De vulture ibid.

Vnguibus & rostro tardus trahet ilia vultur.

Et de canibus.

Et scindent auidi perfida corda canes.

Tradit Vmbricius auspex biduo aut triduo ante volare ad cadauera vultures, quam exponantur. immo vbi futura sunt. Plinius lib. 10. cap. 6. Canes oderant Romani ossa eruentes; suprà Martialis.

Ne tua non possint eruere ossa canes.

Hircanis sepulchra erant canes, in eumque finem, vt plures scripsêre, alebantur. Sed noctua mortis erat quondam hieroglyphicum, quod reis apud Æthiopes à rege missum mortem denunciabat, vti seipsos interficerent. Pyrrho Epirotarum regi Argos expugnaturo noctua se in itinere bastæ eius insidens ostendit. Plura Pierius in noctua. Charadrius auis alba, vt eum Physiologus describit, morbo laboranti mortis aut vitæ indicia prodit; à morituro enim prospectum auertit, conualiturum fixis oculis intuetur, quemadmodum D. Epiphanius Cypri Episcopus ad Physiologum cap. 23. scriptum reliquit. Videtur igitur imprecari maledico, vt exhaustus, emaciatusque & desertus iaceat in triuiis, vsque ad eum, tamquam ad olidum, cadauer, discerpendum corui,

corui, vultures, canes lupique accurrant. DIESQVE TARDVS] Planè mihi poëta ex Ouidij Ibide videtur argumentum huius Epigrammatis mutuatus; eodem enim modo imprecatur his versibus ille.

Causaq́; cùm desit, desit tibi copia mortis,
Optatam fugiat vita coacta necem:
Lactatusq́; diu cruciatos spiritus artus
Deserat, & longa torqueat ante mora.

MOTO PANNO] Pannosus & mendicus infœliciter moriatur. LITEM] Ouidius ad lupos transtulit.

Deq́; tuo fiet, licet, hac sis laude superbus,
Insatiabilibus corpore rixa lupis.

NEC F. M. S. POENÆ] Ouidius.

In loca ab Elysiis diuersa fugabere campis,
Quasque tenet sedes noxia turba, coles.

Et idem:

Nec mortis pœnas mors vltima finiet huius,
Horaq́; erit tantis vltima nulla malis.

SED M. S. S. Æ. LORIS] ibidem Ouid. de ipso Æaco.

Noxia mille modis lacerabis membra, tuasq́;
AEacus in pœnas ingeniosus erit.

Porrò fabulæ apud Ouid. Virg. Homerum & Mythologos extant, quas etiam tirunculi poßscos nôrunt. SECTVS LORIS] Ita locuti Tibullus, Ouidius, Horatius. *Sectus flagellis verberis*, & MONTE SISYPHI] Æoli filius saxum in montem subducit, deuolutumque reuocat semper.

Ouidius etiam in Ibin.

Sisyphe, cui tradas reuolubile pondus, habebis.

NVNC L. V.] Ouidius Ibin.

Poma pater Pelopis præsentia quærit, & idem,
Semper eget liquidis, semper abundat aquis.

DELASSET OIF P.] Quas Ouidius ibidem commemorat. Et Virg. 6. Ouid. Met. Homerus, & sexcenti alij. ET CVM F. F. I. V.] manifestè ex Ouid. in Ibin.

Sic tibi de furiis scindet latus vna flagellis,
Vt sceleris memores confiteare tui.

PRODENTE C. C. S. Ego nomine Martialis vulgaui famosa carmina, non Martialis.

De aduentu Cæsaris.

VI.

Fœlices, quibus vrna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois sideribusq́; ducem:
Quando erit illa dies, quo campus, & arbor, & omnis
*Lucebit * Latia culta fenestra nuru?*
Quando moræ dulces, longusq́; à Cæsare puluis,
Totaq́; Flaminia Roma videnda via?
Quando eques & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis, & populi vox erit vna, venit?

* Setia.

De M. Vlpio Nerua Traiano Cæsare, patria Hispano, primùm ex Germanis, cui præfuerat, auctoribus Plinio iuniore, & Dione, post Neruæ mortem Romam venturo Romanis gratulatur. FOELICES Q. V. D.] Sanè diuersus abeo à Domitio, qui hic vera quidem, sed ἀκαίρως de vrna sortium & iudicum disputat. fuisse illos sorte delectos, reiectos, probatos, vt antea moris erat. Verùm hic vitam expono, sic vt dicat fœlices eos, qui nondum vrna clausi & mortui, videre poterunt venturum in vrbem Traianum. Alter explicatus est, vt respiciat poëta sortem & vrnam, qua legi legati solebant, ad principem mittendi. Tacitus lib. 4. Hist. *Secundum vetera exempla, quæ sortem legationibus posuissent.* Cicero ad Atticum lib. 1. epist. 17. *Senatus decreuit. vt legati cum auctoritate mitterentur, &c. Hoc non queo præterire, cùm de consularibus mea prima sors exisset, vna voce senatus frequens retinendum me in vrbe censuit.* Dio. lib. 59. πρέσβεις ἢ ἐπ' αὐτοῖς ἄλλους κλήρῳ, κ, τὸν Κλαύδιον αἱρετὸν ἔπεμψαν. Legatos his de rebus, alios quidem sorte, Claudium verò suffragiis electum miserunt. Potest & vrna

his

hic pro forte accipi, vt sensus sit. Fœlices, quibus sorte & forte quadam bona continget, vt Traianum videre possent, quod neque viuis omnibus licet, vt oculis suis imperatorem spectent. Et hic sensus fortè planior cæteris & verior. SOLIBVS A. S. D.] E Germania, quæ sub Arctoa plaga ad septentrionem. QVANDO E. I. D.] quo redeunti occurret tota ciuitas in campos, & domi omnes fenestræ spectatricibus erunt plenæ. Vt arbores, fenestræ, tabernæ, ianuæ, viæ, &c. lucernis ornatæ sint, ignesque excitati, cum vel Principes venientes exciperentur, aut dies festi agitarentur, ex Tertulliano & aliis copiosè docet hic Heraldus. fœminæ honestiores ex ædibus prospectabant, quas hic vel Latias vel Socias nurus appellat. MORÆ] dulces vocat, quia exspectatus, & gratus erat, qui expectabatur. MORÆ DVLCES] Tardum etiam & lentum in vrbem ingressum, vocat. Effusa enim in vias multitudo, eas angustas reddebat. Atque inde moræ. Sed dulces, quia spectare plures, & verius diutiusque poterant principem lentè incedentem, quod gratum dulceque populo. TOTAQVE F. R. V. V.] hæc enim via septentrionem spectat, in qua spectatur tota Roma. Q. E. ET P. T. N. MAVRI] tunica acu picta, ala prætoriana erat. eleganter Ægyptij vestes elaborabant. Lucanus lib. 10.

Quod Nilotis acus expressum pectine serum
Soluit, & extenso laxauit stamina velo.

Vtebantur Romani luxus causa Mauro equite, quod infrà ep. 13. ad Tuccam ostendit.

Et Libys in longo puluere sudet eques.

Traianus tamen, quem prædicat Plinius iunior Panegyrico, pedes, non eques Romam est ingressus, imò & pedes semper cum milite iter fecit, vt disertè Dio.

Ad Rhenum.

VII.

Nympharum pater, amniumq́; Rhene,
*Quicunq; * Othrysias bibunt pruinas,* * Odrysias.
Sic semper liquidis fruaris vndis
Nec te barbara contumeliosi
Calcatum rota conterat bubulci:
*Sic & cornibus * aureus receptis,* * &. aureis.
Et Romanus eas vtraq; ripa:
Traianum populis suis, & vrbi,
Tibris te dominus rogat, remittas.

NYMPHARVM] Ex hoc Epigrammate intelligis ex Germania venisse. Et Nerua ad Traianum in Germaniam scripsit, vt his verbis Dio in Nerua. Καὶ ἐπέστειλεν αὐτοχειρίᾳ (ἦρχε δὲ τῆς Γερμανίας ἐκεῖνος.)

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.

Atq; ad eum sua manu scripsit (is tum præerat Germaniæ;)

Telis Nerua tuis lacrymas vlciscere nostras.

Imò dictus est etiam Germanicus, vti & Dacicus & Parthicus. Eutropij breuiarium disertè affirmat Coloniæ Agrippinæ factum esse Imperatorem. Et Plinius iunior in Paneg. *Eidem, cùm Germaniæ præsideret, Germanici nomē hinc missum, nihil ipsum, vt imperator fieret, agitasse: nihil fecisse, nisi quod meruit, & paruit.* Et mox: *Iam Cæsar, iam Imperator, iam Germanicus absens & ignarus, &c.* NYMPHARVM PATER] Rhenus & Danubius fluuiorum Germaniæ reges, omnibus prope historicis laudati. Omnes amnes fluuijq; priscis sacri erant, & pro diis culti, quod nemini fere ignotum. Laudes Rheni, ingenium, naturam, nomina singulari capite exponit Hadrianus Iunius in sua Batauia cap. 8. toto. Marquardus Freherus part. 2. Orig. Palatinarum c. 2. vbi multa de progenie Rheni & frigore ex Virgilio Eclog. vlt. Claudiano 3. de raptu proserpinæ & hoc ipso loco Martialis. LIQVIDIS] An alludit ad originem nominis? quod Rhenus Germanis à puritate seu tori, cuius fidem explorasse credebatur, seu aquarum argenteo liquore, & nitore dictus videatur? OTHRYSIAS PRVINAS.] Odrysius alibi ab ὀδρυσῶν Stephano. Plura super hac voce ad illum versum. *Victor ab Odrysio redditur orbe Deus.* Odrysæ autem Thracia est. Poëta largius vim vocis extendit. Rhenus Thraciam non attingit. CONTVMELIOSI BVBVLCI] Ouidius idem de Istro. *Perque nouos pontes subter labentibus vndis, Ducunt Sarmatici barbara plaustra boues.* Sed poëta eruditus hic aliquid ex histo-

ex historiæ memoria repetit. Francorum (quos communi nomine tunc Romani Germanos appellitabant) mos fuit, vt illorum Rex, quocunque iter faceret, carpento iret, quod bubus iunctis, bubulco, rustico more, agente trahebatur. Auctor Eginardus Caroli Magni familiaris & domesticus. Quin & Arminium Germanum, qui Augusto & Tiberio infestus, non parum negotij exhibuit, Ioannes Marius Belga, Francum fuisse affirmat. Contumeliosum ergo bubulcum videtur generatim ipsum regem Francorum appellare Martialis, quod ante me notauit ad Mosellam Ausonij, Elias Vinetus.

Vtraqve ripa] Bicornis enim Rhenus. quamquam vtranque ripam, vt infrà dico. Germanicam cis & trans Rhenum sitam appellasse videatur. De cornibus Rheni, seu ostiis in mare decurrentibus, plenè disputat Iunius c. 8. Batau. vbi simul docet, vnde dicantur fluuiorum cornua. Quod Meursius ad Cassandram pag. 259. non minùs diligenter præstat.

Vtraqve ripa] rectius, qua pertinet ad Galliam, & cis qua attingit Germaniam, quæ sæpius aliquam partem etiam Romanis Tiberio, Drusoque victoribus paruerat, iterumque defecerat.

Calcatvm] per hyemen gelu duratum. Herodianus in Alexandro de Danubio & Rheno. Μέγιστοι γὰρ δὴ οὗτοι ποταμῶν ὑπ' ἄρκτῳ ῥέουσι ῥῆνός τε καὶ Ἴστρος, ὁ μὲν γερμανοὺς ὁ δὲ παίονας παραμείβων, οἳ θέρους μὲν ναυσίπορον ἔχουσι τὸ ῥεῖθρον, διὰ βάθος τε καὶ πλάτος. τοῦ δὲ χειμῶνος παγέντες, ὑπὸ τοῦ κρύους ἐν πεδίου σχήματι καθιππεύονται. ἀντίτυπον δὲ οὕτω καὶ στερρὸν τὸ ποτὲ ῥεῖθρον γίνεται, ὡς μὴ μόνον ἵππων ὁπλαῖς καὶ ποσὶν ἀνθρώπων ἀντέχειν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀρύσασθαι θέλοντας μὴ κάλπεις ἐπ' αὐτῷ μηδὲ κοῖλα σκεύη φέρειν, πελέκεις δὲ καὶ δικέλλας. ἵν' ἐκκόψαντες τε σκεύους ἄνευ μὲν τὸ ὕδωρ φέρωσιν ὥσπερ λίθον. Hæc Dio. Plura suprà ex Ouidio ad illum versum, *& vngularum pulsibus calcatus Ister.* Sic et c. a. r.] propter auream arenam nuperus quidam scriptor auriferum quoque appellat.

> *Rhetia quæ niuibus saxisq; ingentibus horret,*
> *Auriferi Rheni dicitur esse parens.*

Et Matthiolus in lib. 5. Dioscoridis cap. 70. *Est etiam auri ferax diuersarum fluminum arena. Siquidem proculdubio constat in Hispania Tagum, in Tracia Hebrum, in India Gangem, & in Lydia Pactolum, in Pannonia Istrum, in Germania Rhenum, in Italia Padum & Ticinum aureas ducere arenas, à quibus arte quadam aurum omnium probatissimum elicitur.* Marquardus Freherus parte altera Orig. Palat. cap. 17. hunc locum illustrabit cuius verba subscribam: Aurum propitij an irati Dij Germaniæ negauerint dubitauit olim Tacitus. Ego magis propitij an irati dederint. Dedisse enim iam constat: sed non sine sudore parandum vel potius algore & frigore. Neque enim terræ venas scrutari necesse est (quamuis & has non deesse nemo dubitat) sed è Rheni patris alueo euertere & expiscari ne soli Tago Iberi, Pactolo Indi superbiant. Non quod in eo aurum generetur, quod rerum naturalium scriptoribus non videtur, sed quod è montium auriferorum fibris radicibusq; abrasum, ille arenis suis inuoluat, & in certos vortices atque caueas (quibus inde nomen natum) congerat; vnde improbo vernantium labore non sine vitæ discrimine, vnà cum ipso sabulo (cui & ipsi nomé inde adhæsit) è profundo haustum & extractum, multaque lotione tandem purgatum in tenuissimis quibusdam grumulis veluti ψῆγμα instar compareat: quæ deinceps adhibito hydrargyro in globulos aut lamellas coalita, monetæ aut monilium vsibus seruiant, nihilo quidem quouis alio auro vel Pannonico deteriora. Ideo adeo ius auri fluuialis (vt ita dicam) legendi non minus quam fodinarum subterranearum, Palatinus Princeps inter potiora fastigij sui emolumenta, quæ Regalia vocamus, vsurpat: quod à Manhemio & Rheni Nicrique confluentibus Saletionem vsque diuersis locis per redemptores illos aurilegulos etiamnum exercetur. Æneas certè Syluius alicubi notauit: Rhenus aureas euoluit arenas. In Bohemia fluuij sunt, in queis ad magnitudinem ciceris aurea grana Thaboritæ reperiunt. Quinimo iam tum ante aliquot secula Otfridus Weissenburgensis Monachus, Euangelij interpres rhythmicus, qui sub Hludouico Germaniæ Rege Pij F. Magni N. circa illa loca ætatem egit, testis rei cum primis idoneus compareat: qui in prooemio operis inter Francorum laudes, & regionis dotes, hoc de metallis non omisit:

Germa. cap. 50.

Zi nuzze grebit man ouh thar	*Oub thara zua fuagi.*
Er inti Kuphar.	*Silabar ginuagi.*
Ioh bi thia Meina.	*Ioh lesent thar in lante*
Isine steina.	*Gold in iro sante.*

Vt iam non poëtica fide dictum accipiam à Nonno Panopolitano in Dionysiacis lib. 43.

> Νηρεὺς μὲν τάδε δῶρα πολύτροπα, δῶκε δὲ κούρῃ
> Περσικὰ Εὐφρήτης πολυδαίδαλον εἶδος ἀεξίχνης,
> Χρυσὸν Ἴβηρ πόρε Ῥῆνος, ἐχεκτεάνων δὲ μετάλλων
> Ἤλυθεν ἴκελα δῶρα γέρων Πακτωλὸς ἀείρων.

Neq; aliunde repetenda mihi videtur aureæ illius monetæ origo, cui à Rheno nomen inditum, à quatuor Principibus Electoribus ad Rheni fluenta sedes, habentibus, Moguntino, Treuerensi,

rensi, Coloniensi, Palatino, primitus ea forma & temperatura procusæ, & cæterorum deinde ordinum imitatione frequentatæ. Non quod ex solo auro Rhenano fieri soleant (qui enim illud sufficerit?) aut quod aurum illud natura tale sit, quale in Florenis illis conspicitur; in quibus iam accessione quadam argenti (Ligam & alligamentum monetarij vocant) plus satis dilutum, plurimum natiuæ suæ præstantiæ amisit: nisi malis ad triumphum trahere, cum flumina depicta auro argentoue gestabantur. ROMANVS V. R.] Cis transq; Rhenum subiecta sit Germania Romanis. Trans Rhenum, Gallia est veteribus posita; cis Rhenum Germania vsque ad ripas Danubij. Ita vt Germani intra alueum Rheni & Danubij arcerentur; posteris temporibus Germani paulatim se latius diffuderunt, & vltra Rheni fines, & vltra Danubium imperium propagarunt, quod & hodie tenent. T. T. D. ROGAT] Tiberis, qui tibi, Rhene, imperat, rogat vt remittas Traianum, neque nouo motu aliquo detineas.

De Paulla.

VIII.

Nubere Paulla cupit nobis; ego ducere Paullam
Nolo, anus est. vellem, si magis esset anus.*

NVBERE) Elegans iocus. Nolo, inquit, Paullam ducere vxorem, quia anus est; ducerem, si magis esset anus, tum enim breui moreretur, & me hæredem scriberet.

* quia cito fierem hæres illa mortua.

De Se.

IX.

Vndenis pedibusq́, syllabisq́,
Et multo sale, nec tamen proteruo,
Notus gentibus ille Martialis,
Et notus populis, quid inuidetis?
Non sum Andremone notior Caballo.

Affirmat Valerius sibi famam ingenij & carminis non inuidendam, quod eandem adepti sint multo se inferiores & indigniores siue homines siue equi.

VNDENIS] hendecasyllabis. Phaleucio carmine. ET MVLTOS.] Sidonius. *Et mordax sine fine Martialis.* Plinius, *qui multum in scribendo & salis haberet & fellis.* NOTVS GENTIBVS] lib. 1. epig. 1. *Toto notus in orbe Martialis.* NON SVM ANDRÆMONE NOTIOR CABALLO] Sestius Andræmon Caballus nobilis scurra, temporibus Vespasiani. Lege, quæ lib. 1. ep. in Cæcilium ad illum versum diximus. *Qui Galbam salibus tuis & ipsum Posses vincere Sestium Caballum.*

Dicit se non plus famæ adeptum liberali suo ingenio, quam Sestium scurrili & inficeto, quod æuum esset tam scurrile. Torrentius, nobilis equi circensis nomen esse Andremonis, vt Hirpani, Aquilonis, Incitati putat.

In Paullum.

X.

Cùm tu, laurigeris annum qui fascibus intras
Mane salutator limina mille teras:
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paulle, relinquis,
Qui de plebe Numa, densaq́, turba sumus?
Qui me respiciat, dominum regemq́, vocabo?*
Hoc tu, sed quanto blandius ipse facis?
*Lecticam, *sellamq́, sequar? nec ferre recuso;*
Per medium pugnas, sed priore ire lutum.
*Sæpius assurgam recitanti carmina? * tu stas,*
Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
**Diuisit nostras, purpura vestra togas.*

Vide Heraldi ad hunc versum primum.

* respicies.

* sellamue.

* G. stetis.

* G. diuisit.

CVM TV LAVRIGERIS] diuites & claros æquè seruiles esse, atque pauperes, imò iam patronos ipsos clientium obire partes queritur. INTRAS] apeкis, inchoas: ab illis enim, anni nominabantur. Plinius Panegyr. Iuretus ad Symmach. lib. 1. epig. 16. Sauaro ad Sid. epig. l. 8. LAVRIGERIS F.] Cùm tu, qui geris consulatum (consulum enim erant laureati fasces) mane dicas AVE. Q. D. P. NVMÆ] qui de paupertinorum tribu sumus. Numa inter Romanorum reges pauperrimus. Numæ plebs, vt Cicero dixit, *Romuli fex*. D. REGEMQVE] patronum, quos reges & dominos vocabant, vt suprà sæpe. RESPICIAI] Iuuenal. de Veientone.

Vt te respiciat clauso Veiento libello.

LECTICAM S. S.] comes, aut stipator, aut anteambulo. SÆPIVS ASSVRGAM] De ritu hoc assurgendi & manus tendendi Manilius, fuse ad Sat. 1. Persij. TVSTAS] obserua morem applaudendi recitantibus, cum aliquid placeret, aut cum appellarentur auditores. qua de re fuse infra de recitatione. G. T. IN ORA MANVS] vtraque manu applaudis recitanti. Lege Iuuenal. Sat. 5. DIVISIT] iam non officio, non dignitate, non honore, sed veste tantum distinguuntur clientes à patronis, pauperes, à potentibus; Domitius legit *dimisit*, quasi missione accepta ab officijs clientum, quibus adhibebatur toga cum dominos officij causa stiparent. Si legendum sit *dimisit* interpretabor, dimisit nostras togas purpura vestra, exclusit nos iam nobilitas ab officio clientum, siue salutandi siue comitandi, siue acclamandi. quo intellectu vsurpauit verbum Quintilianus, Seneca, noster sæpius, sed non semper valet ipsum excludere, sed potius relinquere, amandare, negligere, nonnunquam etiam excludere.

A facie iactare manum, de adulantium gestu.

In Calliodorum.

XI.

*Nil aliud loqueris, quàm Thesea, * Pyrithoumq́;,*
Teq́; putas Pyladi, Calliodore, parem.
Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere * Pyrithoi.
Donauit tamen, inquis, amico millia quinq́;,
Et totam, vt multum, terq́; quaterq́; togam.*
Quid, quod nil vnquam Pyladi donauit Orestes?
Qui donat quamuis plurima, plura negat.

* al. Perithoumq́;.

* Perithoi.

* Et lotam multam.

NIL ALIVD LOQVERIS] In parcum amicum sese tamen Pyladem & Theseam iactare ausum. Poëta veros, ait amicos, non qui aliquid donent, sed qui πάντα κοινὰ habeant. THESEA PERITHOVMQVE] Græcis Πειρίθοος scribitur. Res est peruulgata, vti & de Pylade & Oreste. amicorum paria collegit auctor theatri vol. 3. lib. 7. Theseum laudat Plutarchus & alij. Pyl. & Orestæ certamen Ouid. 4. Trist. el. 4. Pacuuius fabulam de eisdem scripsit. Cic. in Lælio. Orestis corpus auctore Plinio fuit septem cubitos longum, hunc furentem custodiuit Pylades & vomenti caput vel peluim tenuit quod infimorum est munus seruorum, vti & matulam præstare, quod Spartanus puer ne cogeretur facere maluit sibi gulam frangere. PRÆSTAREM.] Parœmia de vehementer inæqualibus. Plura adiographus, vti & sequens, pascere porcos Perithoi. Quia Perithous in vallibus Pindi montis & siluis glandiferis degebat, quæ porco abundabant. MILLIA Q.] H S. centum viginti quinq; philippæos. Sed hic numerus certus exempli causa tantum ponitur à poëta. ET LOTAM] prope nouam, rarissime lotam. QVID] quia habuere omnia communia. Q. D. Q. P. P. NEGAT] non communicat omnia sua cum amico, qui donat, alioqui non posset dare, neque haberet aliquid, quo alter careret.

Ad Domitium.

XII.

Æmiliæ gentes, & Apollineas Vercellas,
Et Phaëthontei qui petis arua Padi,
Ne viuam, *nisi te, Domiti,* permitto libenter,*
Grata licet, sine te, sit mihi nulla dies.
Sed desiderium tanti est, vt messe vel vna
Vrbano releues colla perusta iugo.

* al. admitto. alij per mitto. quid si dimitto sed permitto propugnat Gruterus in Suspic. lib.

I precor, & totos auida cute combibe soles.
*Quam formosus eris, * dum peregrinus eris.*
Et venies albis non agnoscendus amicis,
*† Libabitq; tuas pallida turba *genas*
Sed via quem dederit, rapiet cito Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

* G. cum.
† G. Liuebitque.
* G. genis. Te duce quē dederit.

ÆMILIÆ GENTES] Vouet secessum Domitio fœlicem, & reditum. Æmiliæ vrbs dicitur Apollinea, vel à liberalibus disciplinis, vel ob templum Apollinis, vel ab auro Apollini sacro. Chrysopœi hodie solem appellant aurum, quod sit effector auri; coquitur enim in visceribus terræ à sole, &c. PHÆTHONTEI A. P.) Padus, Eridanus Græcis, in quem Phaëthon curru solis excussus cecidit. NE VIVAM] formula priscis iurandi vsitata, de qua alias dictum. MESSE] æstate. VRBANO I.] negotijs, curis vrbicis. I PRECOR] vt hæc tibi secessio bene cedat, & totis diebus cuticulam cures, apriceris, frices. COMBIBE SOLES] Apricationem siue insolationem Græci ἡλιοκαΐαν vocitant, de qua multa ad 3. Sat. Persij Marcilius. QVAM F. E. DVM P. ERIS] quam coloratus peregre redibis, niger, fuscus. ALBIS AMICIS] In vmbra & delitijs enutritis, nisi malis ad togas candidas referre, vt supra *albus in officijs*. NON AGNOSCENDVS] mutato colore; subniger enim & coloratior reuenies, eoque statim non agnoscendus eris tuis. LIBABIT] excipiet te reducem osculo. scribunt alij: Liuebitq; tuis pallida turba genis. Sed non video, cur hic debeat quisquam inuidere Domitio quod è peregrinatione sole adustus nigrior redierit Romam. lib. 9. ep. 24. est inuidiæ caussa. PALLIDA] alba & pallida ob vigilias, officia, & seruitutem vrbanam. COLOREM] candidum reddet. NILIACO] Ægyptij enim fusci & colorati.

Ad Tuccam.

XIII.

Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros,
Et Libys in longo puluere sudet eques,
*Strataq; non vnas * cingant triclinia Baias,*
Et Thetis vnguento palleat vncta tuo;
Candida Setini rumpant crystalla trientes,
Dormiat in pluma nec meliore Venus:
*Vrere, * non miserum cessant suspiria pectus.*
Vis, dicam, male sit cur tibi, Tucca? bene est.

* G. tangant, pingant.
* nec.

CVM CATHEDRALITIOS] Tuccam opulentum & fœlicem eo infœlicem prædicat, quod suam fœlicitatem ignoret. quod multis vsu venit, vt tum primum se beatos agnoscant, cum beatitudinis iacturam fecere. CVM CATHEDRALITIOS PORTET TIBI RHEDA MINISTROS] Cum habeas, inquit, pueros fœminis ipsis delicatiores & effœminatiores, cum & equites Mazacas, thermasque plures, & triclinia, & vnguenta, hauriasque è crystallo setinum vinum, molissimumque lectum, tamen velut miser & infœlix gemis & suspiras, quasi tibi male sit. Sane tibi male est, quia nimis bene est, quod non intelligis. CATHEDRALITIOS] teneros, effœminatos. Cathedra enim fœminarum. vnde cathedralitij quasi fœminæ, non viri. Iuuenal. Sat. 6.

Cuius apud molles minima est iactura cathedras.

Et Calpurinus. *Inter fœmineas spectabat turba cathedras.*

Est cathedra eadem sellæ. Iuuenal.

——Cum iam sexta ceruice feratur
Hinc atq; inde patens, ac nudâ pene cathedrâ.

Quanquam, inquit Lipsius 1. Elect. *ea vox proprie de sella muliebri, quæ discreta fuit à virili.* Plura ibid de sella hac Lipsius. Intelligo igitur cum Turnebo, cathedralitios, formosos, elegantesq; pueros, fœminis magis, quam viris similes. RHEDA] Gallicana vox, currus quatuor rotarum, cilium duarum. Isidoro autore Græcis ὄχημα τετράκυκλον, Xiphil. in Adriano, οὐδὲ ἐν ὄχῳ ὀχήματος τέτραμμα, ὅτι τετρακύκλω ἐπέβη: *Nunquā eo itinere nec currum nec rhedam ascendit.* Corrigit merito Dionis interpretes Causabonus, qui τετράκυκλον quadrigas interpretantur. Dio diserte ὄχημα & τετράκυκλον separat; quamuis ὄχημα commune sit nomen ad omnes currus. Speciatim tamen pro carpento, aut alio maioris artificij curru accipitur. Glossarium ὄχημα vehiculum currumue interpretatur,

Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere, Crispe, soles.

CEDERE DE NOSTRIS] λόγῳ, non ἔργῳ Crispum ait amicum, quamuis se de amicitiâ poëtæ iactantem, & impudentiâ cynicâ amicum proclamantem. SESTERTIA Q.] quinque millia HS. centum viginti quinque philippæos. F. MODIVM] continet sextarios senos denos, id est, octo mensuras nostrates, libras XXVI. & bessem. Medimnus senos modios. modius ein Metzen / Medimnus ein Schaf / adi Plinium, Lucam Pætum. De modio accurate nuper disputauit Villalpandus ad Ezechielem. FARRISQVE] fabam, & farinam, cum tu in Ægypto multa ares iugera. A. SELIBRA] dimidiata libra. plura supra. PEDERE] quo non meum, sed Diogenis amicum, & canem cynicum te ostendis.

De Apro.
XV.

Dotata vxori cor arundine fixit acuta:
Sed dum ludit Aper, ludere nouit Aper.*

* *f. lædere.*

DOTATÆ VXORI] ab Apro per iocum ait factum; serio tamen occisam vxorem, vt illius bona caperet. COR ARVNDINE FIXIT] ludum finxit sagittarium, quo traiecit vxorem, quasi per errorem. SED DVM LVDIT APER] dum simulat errando se non posse ludere, maxime nouit ludere, hoc est, ipsum ludum eludit, & serio agit. Alij (LÆDERE NOVIT APER) scribunt, quæ quidem lectio multo est expeditior, sed haud scio, an argutior, vel etiam arguta satis. quamquam est non inuenusta paronomasia vocibus ludere, & lædere, vt prope magis arrideat superiore.

In Caium.
XVI.

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai:
Vincam te donis, muneribusq; meis;
Accipe, Calliacis quicquid fodit Astur in aruis,
Aurea quidquid habet diuitis vnda Tagi:
Quicquid Erythraa niger inuenit Indus in algâ,
Quicquid & in nidis vnica seruat auis.
Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aheno:
Quicquid habent omnes, accipe, quomodo das.

In vanum promissorem. VINCAM TE DONIS] nam *pollicitis diues quilibet esse potest.* G. IN ARVIS] Asturia Hispaniæ vlterioris regio abundat auro. Plinius. *Vicena millia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam, atq; Galleciam, & Lusitaniam præstare quidam tradiderunt, ita vt plurimum Asturia gignat. Neq; in alia parte terrarum tot sæculis hæc fertilitas.* Callaicum ergo à Gallecia dicitur, etsi Gallaicum potius scripserimus, quam Callaicum. Gallecia autem & Asturia vicinæ regiones, eoq; altera pro altera posita. Astur oriundus ex Asturia. De Asturia Plinius etiam libr. 4. cap. 22. Lusitaniam cum Asturia & Gallecia patere quingenta quadraginta M. P. longitudine; latitudine quingenta triginta sex. M. P. (TAGI) auri ramenta in fluminibus auriferis reperiuntur, qualia sunt Tagus in Hispania, Padus Italiæ, Hebrus Thraciæ, Pactolus Asiæ, Ganges Indiæ, nec vllum absolutius aurum est. Plinius lib. 33. cap. 4. ERYTHRÆA A.] Littus Erythræorum gemmas habet, vt supra sæpe. QVIDQVID ET IN] Phœnix omnis generis aromata, surculos thuris & casiæ colligit in nidum, vt Ouid. Lactantius, Tacitus, & alij scribunt, & nos li. 5. copiose recensuimus. QVICQVID A. T. I. C. AHENO] omnes purpuras tibi dono. Agenor Tyrum & Sidonem condidit, Q. Curtius & alij. IMPROBA] inuentrix superbiæ. QVIDQVID M. O.] colligit more suo, quod sparsim dixerat. omnium tibi bona dono. ACCIPE QVOMODO D.] nihil das, nihil accipe

De Macro.

XVII.

Saturnalicio Macrum fraudare tributo
Frustra, Musa, cupis: non licet, ipse petit.
Sollennesq; iocos, nec tristia carmina poscit,
Et queritur nugas obticuisse meas,
Mensorum longis sed non vacat ille libellis.
Appia quid facies, si leget ista Macer?

SATVRNALITIO] Macer occupatus in via Appia sternenda, de qua Papinij silua extat, legebat Geometras, & subinde Martialis epigrammata, quæ ad saturnalia expectabat, inter missa vero petebat. Respondet poëta. Si legeris mea, negliges tua, viam tuam Appiam. SATVR. TRIBVTO] munera visitata & solennia, quæ tam stata erant, atque tributum principi pendendum. IPSE PETIT] munerum loco carmina, vt sequitur, solennes iocos, epigrammata. MENSORVM LONGIS] Facit mensoris etiam Plinius iunior mentionem lib 10. ep. 18. ad Traianum. *Dispice, domine, an necessarium putes, huc mittere mensorem, &c.* Vegetius mensores vocat, qui in castris ad podismum demetiuntur loca, in quibus tentoria milites figant. Catanæus pro calculatore, de impensarum ac litium æstimatore, cum demetiri sit æstimare & æquare. dicuntur & mensores frumenti sitometræ. M. LONG.] legit Geometricos libros. Mensores fuere Dicæarchus Siculus, Plinius lib. 2. cap. 67, qui montes permensus est. Anaximander Milesius qui primus terræ marisque circuitum descripsit. Dionysius de situ orbis, & alij. Alexander Magnus secum habuit in castris, Plinio auctore, Diognetum & Bitonem itinerum mensores. APPIA Q. F.] infecta eris, si hoc faciet Macer, si me legerit. Nihil hic ingenij, nisi in voce ambigua Appiæ quid lateat. De via Appia lege Lipsium, qui in Admirandis, de hac singulare caput conscripsit.

De Mario.

XVIII.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere: sed nec habet.
Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicum,
** Heu quam perfatuæ sunt tibi, Roma, togæ?*

* Ehen plo-

NEC VOCAT AD C.] Coli volunt à clientibus patroni, & nolunt colere donis clientes. Talem ait esse patronum Marium. NEC SPONDET] pro me creditori. NEC VVLT CREDERE] dare mutuam pecuniam. NEC HABET] cum habere simulet, hoc pauperior, quod nec pauper habeatur, vt haberi velit. HEV QVAM] ab indignatione. PERFATVÆ] metonymicῶs, vestis pro vestito. Quam stolidi estis Romani, qui gratis seruiri vobis cupitis, & multo vecordiores ipsi clientes, qui gratis vobis seruiunt. Scribe: *Eheu quam fatuæ.* Quis ita loquitur: *heu quam perfatuæ,* heu quam perdoctus est?

Mittit librum ad Plinium.

XIX.

Nec doctum satis, & parum seuerum,
Sed non rusticulum nimis libellum,
Facundo mea Plinio Thalia
I perfer: breuis est labor peractæ
Altum vincere tramitem suburæ.

Illic Or-

Illic Orphea protinus videbis
Udi vertice lubricum theatri,
Mirantesque feras, auemque regis,
Raptum qua Phryga pertulit Tonanti.
Illic parua domus tui Pedonis
Calata est aquila minore penna.
Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam videto.
Totos dat tetrica dies Mineruæ,
Dum centum studet auribus virorum,
**Hoc, quod sæcula, posteriq; possint*
Arpinis quoq; comparare chartis;
Seras tutior ibis ad lucernas.
*Hæc hora est tua, *dum furit Lyæus,*
Cûm regnat rosa, cum madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones:

* Hac, malim hoc.

* cum.

NEC D. S.] *Alloquitur Musam*, (iuuat Plinij verbis argumentum tradere) *mandat, vt domum meam* (Plinij) *in Exquilijs quærat, adeatq; reuerenter.* Addo his laudari Plinium ab eloquentia, quam cum Cicerone contendit. NEC D. S.] ad tam doctum virum difficile est doctum satis librum mittere. SEVERVM] verecundum & castum. NON RVSTICVLVM] elegantem tamen & vrbanum. THALIA] conuiuiorum præses, & hilaritatis arbitra. PERACTÆ] Gruterus recte transposuit versus. Iam enim constat sole clarior sensus, qui antea tortus,

V Region V. Onuphrium.

I, perfer: breuis est labor peracta
Altum vincere tramitem subura.

Non est, inquit, longa ad domum Plinij via, quæ statim est post superatam suburam. I. Q. PR. VIDEBIS] Orphei statuam, an picturam? crediderim in vertice, & summo theatro fuisse statuam Orphei, quales erant multæ ornatus causa; lubricum Orphea dixit ex sparsionibus illis odoratis. V. T. SVBVRÆ] à Subura in Exquilias, vt alias docuimus, ascendebatur; Theatrum tamen vertice seu altitudine cliuum superabat; nec tamen hæc constanter, sed παχυλῶς affirmo. Fieri potest, vt secundum theatrum, Orpheus in domo aliqua fuerit descriptus, ibique stillicidio theatri fuerit tinctus, quemadmodum & Ganymedis tabula, & in domo Pedonis cælata minor aquila. Pedonem, poëtam nobilem, supra ex Ouidio, & alijs laudauimus. Hic non Pedonem poëtam, poëta, sed Oratorem nobilem seu Caussidicum loquitur, de quo Iuuenalis Sat. 7.

Sic Pedo conturbat, Matho deficit, exitus hic est.

Non propugno tamen pro Caussidico mordicus, potuit vatem intellexisse. PHRYGA] Ganymedem aquila in cœlum euectum. TEMPORE NON TVO] non matutino. Tempus autem libelli sui legendi lib. 4. epig. 8. definit.

Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
Temperat Ambrosias cum tua cura dapes.

Qua hora se lautioribus inuitabant poculis à cœna, quæ nona incipiebat. DISERTAM] Plinij iunioris oratoris, æui sui principis. EBRIA] iocis & salibus referta & lasciua. TOTOS DAT TETRICÆ DIES MINERVÆ] caussis & foro dat operam atque iudicijs, quæ tetrica sunt, rarique risus. Tetricus etiam mons est asper, & difficilis. Verg. 7. Et Tetricæ horrentes rupes. nescio an huc faciat, quemadmodum aliqui trahunt. CAVETO] videto, ait. DVM CENTVM STVDET AVRIBVS VIRORVM] centumuiralibus caussis, quas supra in Reguli carmine copiose explicauimus. ARPINIS COMPARARE CHARTIS] Tulliani scriptis. M. T. C. Arpinas fuit, vti & Marius VII. consul. SERAS] hora nona aut decima, vt iam dictum, ad cœnam. ROSA] coronati enim potabant. Et hoc est, quod existimant aliqui vinum coronare, cum coronati biberent. MADENT] delibuti vnguentis. RIGIDI LEGANT CATONES] quamuis seueri & tetrici, tamen hac hora me legant, qua discedunt à sua grauitate, animumque paullisper remittunt.

Ad Mannium.

XX.

Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
Pendula quod patriæ visere tecta libet,
Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis,
Et prætextatâ cultus amicitiâ,
Tu facis, in terris quo non est alter Iberis
Dulcior, & vero dignus amore magis.
Tecum ego vel sicci Getula mapalia Pœni,
Et poteram Scythicas hospes adire casas.
Sit tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
In quocunque loco Roma duobus erit.

Paulatim de patria cogitat poëta, quod Traiano parum gratus esset, ob adulationes, credo Domitiani, vel quia, vt Dio scribit, bonarum artium princeps esset prorsus ignarus, quanquam Eutropij breuiarium dicat eum fuisse iurisconsultissimum, Et Iuuenalis Sat. 7. in solo Traiano spem doctis putat aliquam relictam. Hic poëta tamen se in gratiam Manij reuersurum ait. DVCIT AD AVRIFERAS QVOD ME SALO CELTIBER ORAS] Cur redire velim in Hispaniam, & reuisere Salonem, & Bilbilim. TV MIHI] tu caussa es, quo cum familiarissime ab ineunte ætate vixi. simplices anni primæ ætatis. ET PRÆTEXTATA CVLTVS AMICITIA] pueri prætextam gerebant vsque ad 17. annum. deinde togam virilem sumebant, quod vel mediocriter litteratis non est obscurum, an etiam Martialis prætextatus? ita videtur, amicus enim, non seruus aut cliens. TV FACIS] vt redire cupiam. TECVM EGO VEL GETVLA MAPALIA POENI] tecum vel in Getuliam & illam barbariem abirem. Mapalia agrestium casæ culmo tectæ. Pœni, agri Carthaginensis; hic pro tota Africa. Getuliam describit Sallustius in Iugurth. SI TIBI MENS EADEM] si vna mens in duobus corporibus, si tibi cura mei, ceu mihi cura tui, vbique nobis Roma erit, vt, ibi deus, ibi cœlum. Et dulcior Scythia Scythæ, quam Italia & Roma. Senecam ad Heluiam de consol. lege.

Ad * Sextum.

* Crispum.

XXI.

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuuat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris:
Iudice te maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, & sine grammaticis.

SCRIBERE TE] Sextum obscuritatem affectantem irridet, quod sane vitium multi hodie in laude ponunt, qui κακόζηλοι & antiquarij videri volunt; non sane dulcissimus & clarissimus Lipsius qui potius, quod obscurum, euoluit, & ingenij sui lumine illustrat, sed quidam frustra illius æmuli, quos ipse se ait ridere & irridere, quos A. Gellius in aliena personâ refutat. audi Fabium: *Nec tantum inuentio ingeniosa damnatur, sed & elocutio. cum iam nihil proprium placet, dum parum creditur disertum quod & alius dixit: tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio.* Idem lib. 8. proœm. (Lib. 6. cap 3.) MODESTVS] Modestum & Claranum seu Cianum Domitius Iurisconsultissimos fuisse scribit. Merula Claranum Senecæ discipulum ex ipso Seneca probat. Ego nec Modestinum Iurisconsultum laudatissimum ignoro, nec Modestum aut Claranum inter Iurisconsultos agnosco; hunc Grammaticum virum doctum eruditumque aio, de quo præter Senecam epist. 7. ad Lucilium, Ausonius in epist. 2. ad Vrsulum Grammaticum Treuirorum.

Vrsulo

Vrsule Collega nobilis Harmonio.
Harmonio, quem Claranus quem Scaurus, & Asper,
Quem sibi conferret Varro priorq; Crates.

Modestos plures reperio à scriptoribus celebratos. Plinius iunior Vectium Modestum virum optimum à Domitiano in exilium relegatum scribit. Vectium Modestum declamatorem quendam nominat Iuuenalis; reperio Modestum & Ægypti præfectum fuisse apud Suidam: Et Iulij Modesti Gellius facit mentionem; Iulium Modestum C. Iulij Hygini libertum credo intelligi, cuius meminere Suetonius de illust. Grammat. cap. 20. Carisius, Diomedes, Gellius, Quintilianus. Elias Vinetus, ad Suetonij Grammat. Volateranus, Macrobius. Fuit & alius Vegetio appressus, auctor libelli de rerum militarium vocabulis ad imperatorem Tacitum, posterior. Multus est in nominandis obscuris viris Bisciola lib. 16. cap. 21. APOLLINE] qui, velut Deus, possit animi tui noëmata & cogitata dispicere. Dij quippe omnia norunt. Virgilius ænigma proponens inquit, *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo.* Et παροιμία *Ne Apollo quidem intelligit*, de re vehementer obscura, vt est apud Athenæum lib. 3. τὶ δὲ ἡ ἱπποσολὴ δηλοῖ, νομίζω ἐγὼ μηδὲ τὸν πύθιον διαγνῶναι, Et antiphanes apud eundem,

Ταυτί δ᾽ ὅτ᾽ ἐστιν οὐδ᾽ ἂν ἀπόλλων μάθοι.
Nec Apollo, quid sibi hæc velint, intelligat.

IVDICE TE MAIOR CINNA MARONE FVIT] C. Heluius, aut Helcius Cinna, nobilissimorum scriptorum libris cantatus poeta, scripsit nouennio toto, opus obscurum quidem, sed egregium, quod Smyrnam inscripsit, vnde Horatij præceptum de lima *nonumq; prematur in annum.* Virgilius, ipse Deus poëtarum, negat in Buccolicis se dignos Cinnæ versus canere. L. Crassitius Grammaticus hunc perobscurum & difficilem commentarijs doctissimis illustrauit. de quo est illud epigramma

Vni Crassitio se credere Smyrna probauit,
Desinite indocti coniugio hanc petere,
Soli Crassitio se dixit nubere velle,
Intima cui soli vota sua extiterunt.

Excurrit in laudes huius præter Virgilium, Catullus, Horatius, Quintilianus, Suetonius, Seruius, Gellius, vitam exponit totam Gyraldus dialog. 10. de historia poëtarum. Martialis illum Virgilio, & iure, postponit, eiusque tenebras hic notat. SIC TVA] dicantur obscura, quo non est intolerabilius in carmine vitium, cum natura sua propter verborum traiectionem & fabulas facile incidat in noctem, quam ingenium intricatum facit tenebricosiorem. GRAMMATICIS PLACEANT, ET SINE GRAMMATICIS] placeam lectori sine Oedipo, non sit opus Grammaticis ad epigrammata mea intelligenda Grammatico, possit ea Grammaticus sine labore capere.

De M. Antonio.

XXII. XXIII.

Jam numerat placido fœlix, Antonius, æuo
Quindecies actas Primus Olympiadas:
Præteritosque dies, & tutos respicit annos,
Nec metuit Lethes iam propioris aquas,
Nulla recordanti lux est ingrata, grauisque.
*Nulla * fuit, cuius non meminisse velit.*

* *fuit.*

Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Viuere bis, vita posse priore frui.

IAM NVMERAT] lib. 9. epig. 101. de hoc eodem est explicatum, vbi patriam & studia eius intelliges. Carmen est de ætate & felicitate Antonij, quam vtramque ait esse summam. QVINDECIES ACTAS OLYMPIADAS] sexaginta annos iuxta Chronologorum putatione; Olympias enim πενταετηρίς. Solinus auctor, & Afranius in 3. Annalium, Isidorus, Eusebius, Peretius, Ios. Scaliger & omnes viri Chronologiæ gnari Notæ Gryphij secus docent, quas merito notandas & censendas duco, cum Olympiada dicant esse spatium quinquennij, idque omnibus esse in confesso. Imo omnibus est in confesso esse quadriennij, non quinquennij spatium. Budæus omnino olympiadem cum lustro comparat in pandectis, *& quemadmodum*, inquit, *lustra quinto anno absoluuntur, ita olympias, sic vt quatuor integros includat.* Poëtæ tamen, vt supra diximus, nonnunquam accipiunt

Quid. quinquennis Olympias dicta est.

unt olympiadem pro quinquennio, eo quod peracto iam quadriennio initio quinti anni olymp. sint celebrata. Ita partem & initium ponunt pro anno toto, qua ratione septuagesimum quintum annum ageret Antonius. TVTOS] sic rescribendum ex mel. codicibus. tutos vocat iam extra fortunæ conditionem positos. Nihil enim fortuna habet in præterita quæ mutare non potest Senecam lege de breuit. vitæ. LETHES AQVAS] mortem. flumen infernum obliuionem inducens à Græco λήθη. AMPLIAT] gnome. bis vixit, qui ad senectam bene vixit. præteritæ enim vitæ grata recordatio præsentem vitam alit, & facit iucundiorem. Seneca ep. 79. Nam vt Posidonius ait, vnus dies hominum eruditorum plus patet quam imperiti longissima ætas. Idem de breu. vitæ. In tria tempora vita diuiditur, quod est, quod fuit, & quod futurum est. Ex his quod agimus breue est; quod acturi sumus, dubium; quod egimus certum. hoc est enim in quod ius fortuna perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. & quæ sequuntur.

Ad Kal. Martias.

XXIV. XXIII.

Natales mihi, Martiæ Kalendæ,
(Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus & puellæ:)
Quinquagesima liba septimamq;
Vestris addimus hanc focis acerram.
His vos, si tamen expedit, roganti
Annos addite bis precor nouenos,*
Ut nondum nimia piger senecta,
Sed vitæ tribus aureis peractis
Lucos Elysiæ petam puellæ.
Post hæc tempora, nec diem rogabo.*

* *bis non ter scribendum, vt fiant septuaginta quinq; quos optat.*

* *hunc Nestora. vt addat tres Nestoris ætates.*

In celebrando suo natali annos præteritos numerat 57. & futuros optat 37. vel vt alij codices, bis nouenos 18. priori voto cuperet annos 84. posteriore 75. neutrum poeta est assecutus.

LVX] Hic versus cum sequenti est parenthesi claudendus, hoc sensu: O Martiæ Calendæ (quibus nulla mihi lux gratior & iucundior, qua non viri tantum sed puellæ quoq; & fœminæ mihi mittunt munera de more natalitia) vestris aris iam quinquagesima liba & septimam acerram addimus, hoc est: iam agitaui natalem meum genioq; natali meo sacrificaui quinquagies septies. Tertium versum spurium iudicat Parthius nec male; aut ita legendum putat: *Quot mittunt mihi munus & puellæ*. Ego malim extritum.

HIS VOS] his 57. sacrificijs seu annis, si ita mihi expedit vt tamdiu viuam, quod vos Dij melius, ac ego, nostis addite alteros 27. &c. De muneribus porro natalitijs legatur carmen 87. huius libri de natali Restituti, vbi diserte etiam puellæ nominantur quæ viris munera mittebant, vti & viri puellis. copiose de donis Martinus de Rhij Hispanus lib. singulari de die natali.

QVINQVAGESIMA LIBA SEPTIMAMQVE] Iam natalem colo quinquagies septies. & Dijs libo quadram de placenta, vt supra. MVNVS] de hoc more dictum sæpe. FOCIS] aris. ACERRAM] thus adolemus; acerra vas thuriferum. quæ autem ad sacrificium natalitium adhibebantur, lib. 9. epig. 92. posuit.

Sic Martis tibi seruiant Kalendæ,
Et cum thure, meroq;, victimaq;
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

SI TAMEN EXPEDIT ROGANTI] sæpe enim præstat cito mori, quam diu viuere. Iuuenalis Sat. 4.

Da spatium vitæ, multos da Iupiter annos,
Hoc recto vultu solum, hoc & pallidus optas.
Sed quam continuis & quantis longa senectus
Plena malis, &c.——

Quare seruat poeta, quod ibidem Iuuenalis præcipit, si tamen expedit.

——Nam si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid

Conueniat vobis. rebusq́; sit vtile vestris.
Nam pro iucundis aptißima quæq; dabunt Dij.
Charior est illis homo, quam sibi———

VT NONDVM NIMIA PIGER SENECTA] Ex hoc loco intelligis scribendum potius, vt vetus lectio habet. *Annos addits bis precor nouenos*, vt sint 75. nam octogesimus annus iam plenus ærumnis, quas Iuuen. Sat. 4. egregie describit. SED VITÆ TRIBVS AVREIS] vt varia huius loci scriptura est, ita varia scriptorum enarratio. Aldus tres vitæ areas legit, & exponit infantiam, iuuentam, virilitatem, & senectutem, quarum tres priores peractas dicat poëta. sed non placet hoc poëtæ, qui senectam non abnuit, sed senium. Accedit in veteri codice *aureis* non *areis*, vt supra, *bis nouenos*, non *ter nouenos* legi, quam ego lectionem prorsus auream, nec tribus, imo nec centum aureis permutandam iudico. sic quippe constabunt omnia. Petit enim poëta, vt ad annos septem supra quinquaginta, sibi adijciantur decem & octo, qui prioribus adiecti recta efficiunt tres aureos Romanos, hoc est, septuaginta quinque denarios; vnus enim aureus, vt doctissime Lipsius ostendit, 25. denarijs æstimabatur. Triplica vicenos quinos denarios, septuagenos quinos colliges. hanc sibi auream ætatem optat poëta, pueritiam nempe seu adolescentiam, iuuentam (quæ & eadem virilitati) senectutem. Scio, quid Turnebus lib. 30. cap. 30. doceat. sed nihil hic ci cumuestio, nec fuco. Torrentius ad Martialem putat tres aureos pro militari stipendio positos, de quibus Suet. Cæs cap. 26. quasi stipendia vitæ peracturus poëta, &c. Non nemo torquet Martialis versus ad numerum 81. vt Platonis ætatem exprimat, sed ego ex Martiali hoc cogere non possum. L. ELYSIÆ] campos Elysios Proserpinæ ad inferos raptæ, id est, moriar. POST HÆC] actis his aureis, non morabor mori, & hic varia lectio, sed Iunianam probo.

De Mucio.

XXIV. XXV.

In matutinâ nuper spectatus arenâ
Mucius, imposuit qui sua membra focis.
Si patiens, fortisq́; tibi, durusq́; videtur:
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam cum dicatur tunicâ præsente molestâ,
Vre manum: plus est dicere, non facio.

IN MATVTINA] lib. 8. ep. 30. describit spectaculum Scæuolæ in arena datum, hoc loco, quod ibi laudauit, hic eleuat, fortioremq; futurum fuisse affirmat, si imperanti dixisset. non facio, tum enim non manus, sed totum corpus fuisset vstulatum & concrematum. IN M.] spectaculum duplex erat, matutinum & meridianum, mane cum bestijs pugnabant, post meridiem ij, qui superfuerant, (ex bestiarum pugna inte lige) inter se. & meridiani gladiatores vocabantur. plura Seneca epist. 7. Lipsius lib. 3. Sat. cap. 15. MVCIVS] historiam Scæuolæ, lib. 1. ep. 22. descripsit, & lib. 8. repræsentatam dixit. ABDERITANÆ PECTORA PLEBIS HABES] stolidus es. Abderitana mens, stulta mens, adagione fertur. Et Abdera Solino, Melæ, Plinio lib. 15. cap. 28. Straboni lib. 14. & alijs, ciuitas Thraciæ, à Diomedis sorore Abdera condita & indigitata (alij ab Abdere Herculis puero, seu filio ibi occiso dictam aiunt) natalibus Democriti philosophi patria, qui hominum studia moresque risu perpetuo prosecutus damnauit. Abderitæ ad insaniam inclinatos tradunt plerique scriptores, & Cic. de nat. deorum. *Equi certe in proximis Abdera pascuis in rabiem vertuntur, quod cæli vitium etiam humanas mentes afficit.* Locus enim humilis, asperque in crasso cœlo incoctoq; situs est, vt Iuuen. Sat. 10. de Democrito locutus. *cuius prudentia monstrat,*

Summos posse viros & magna exempla daturos
Veruecum in patria crassoq; sub aëre nasci.

Adagium pluribus explicant Erasmus, & alij in prouerbio.

Abderitica mens, & Diomedis equi, Abdera pulcra,

Teiorum colonia, &c. NAM C. D. T. P. M. VRE M. P. EST D. NON FACIO] Merito Calderinum emendat hic Merula, moris antiqui inscium. Nihil hic de Scæuolæ tunica, quæ errorem dextræ suggessit, nihil de apparitoribus cogitatum poëtæ, sed verus & germanus huius distichi sensus est: Cum iubearis, Muti, præsente tunica molesta (hoc est pice, resina, cæterisque ignium alimentis imbuta, infectaque, imo intexta etiam) vrere manum, maioris est fortitudinis dicere, nolo, quam vrere dextram. Vris enim manum, ne totus viuens vidensq; indutus illa tunica comburaris. Seneca mihi lucem hanc & tunicam explicauit, qui de varijs tormentorum cruciatibus in hæc

in hæc verba loquitur ad Lucilium epist. 14. *Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & eculeos, & vncum, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem, & distracta, in diuersum actis cruribus membra, illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam, quicquid aliud habet præter hæc commenta sæuitia.* Eodem prorsus intellectu Iuuen. Sat. 8. de Catilinæ, Cethegi, & Senonum facinoribus locutus dixit (vt rectè Mancinellus & interpres Iuuenalis.)

Ausi, quod liceat tunica punire molesta.

Ausi facinus igni expiandum. Allusit ad hoc supplicium sæpius Martialis μεταφορικῶς, cum de malis poëtis & carminibus loquitur, chartasq; ineptis carminibus illitas vocat tunicas scombrorum. scombri enim pisces chartis inuoluti, cineribusque & prunis obruti torrebantur, non secùs, ac rei molesta illa tunica induti, tostique & exusti. De eadem tunicâ Tertullianus ad Martyras. *Iam & ad ignes quidam se autorauerunt, vt certum spatium in tunica ardente conficerent.* Repræsentabant verò tunicâ hac induti Herculem OEteum veste Deianitæ à Nesso acceptâ ambustum, quod Tertullianus in Apol. cap. 15. declarat. *Quid quod imago Dei vestri ignominiosissimum caput & famosum vestit, &c.* Et mox subiungit: *Et qui viuus ardebat, Herculem induerat.* Quare, non placet Rigaltij sententia ad Onosandrum pag. 17. NON FACIO] quod si dixisset, tunica insutus & exustus esset.

De Varo.

XXVI. XXV.

* al. vite.

*Vare, Parethonias Latia modo * vite per vrbes*
Nobilis, & centum dux memorande viris.
At nunc, Ausonio frustra promissa Quirino,
Hospita Lagæi littoris vmbra taces.
Spargere non licuit frigentia fletibus ora,
Pinguia nec mæstis addere thura rogis.
*Sed datur æterno victurum carmine * nomen,*
Nunquid & hoc fallax, Nile, negare potes?

* [illegible] malè.

Deflet mortem Vari centurionis in Ægypto defuncti. VARE PARETHONIAS] periphrastikῶs centurionem describit, cuius insigne, *vitis.* Sic lege versum, *Vare Parethonias, Latia modò vite per vrbes*, vt sit sensus. *Vare, qui centuriatum in Ægypto geris.* Per vitem sæpius apud scriptores centurio significatur. Iuuen. *aut vitem posse libello*, id est, centuriatum. Vbi vetus Iuuenalis interpres: *Vt centurio fias*, inquit, *Vitis namq; insigne centurionum est, à Libero patre inuentum, qui primus triumphauit, & inuentor vitis est.* Spartianus in Hadriano, *Nulli vitem nisi robusto & bonæ famæ dedit.* Eusebius lib. 7 Eccl hist. τιμή τις ἐστιν παρὰ Ῥωμαίοις τὸ κλῆμα, καὶ τοὺς τυχόντας φασὶν ἑκατοντάρχους. *Honos quidam est Romanis gestare vitem, & qui adepti dicuntur centuriones.* In lapidibus passim centurionum dignitas notatur bifurcata aut incurua vite, quæ decussatam crucem, aut litteram X figura exprimit. Lucanus lib. 6. de Scæua Centurione.

Scæua viro nomen, castrorum in plebe merebat,
Ante feras Rhodani gentes, ibi sanguine multo
Promotus, Latiam longo gerit ordine vitem.

Et Silius de Ennio poëta.

Ennius antiqua Messapi ab origine regis
Miscebat primas acies, Latiaq; superbus
Vitis adornabat dextram decus.

Vtebantur hac centuriones ad castigandos milites, vicemque fustis subibat; nam Romani tantùm ciues vite puniebantur. Macer. L. milites. ff. de re militari. *Eum qui centurioni castigare se volenti restiterit, veteres notauerunt, si vitem tenuit, militiam mutet. si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur.* Iuuen. de Marij prima militia.

Arpinas alius Volscorum in monte solebat.
Poscere mercedes alieno lassus aratro,
Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Refert Tacitus 1. Annalium, Centurionem Lucilium militari ioco dictum (*cedo alteram*) quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat. Plura super hac re Plinius lib. 14. cap. 1. Tacitus 1. Annalium. Epitome Liuij lib. 17. Cicero de pet. Consul. Apul. lib. 9. ET CENTVM DVX MEMORANDE VIRIS] qui centum: cùm in ordinaria legione decem cohortes, triginta manipuli, 60. centuriones, qui singuli sexagenos ducebant. Legio enim, vt Polybius, Liuius, alijq; sunt auctores, vt plurimum quatuor millia, paullòue amplius continebat, quatuor millia

millia inquam & ducentos. Et Gellius lib. 6. cap. 4. diserte. *In legione Centuria sunt sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Centuria autem, vt Liuius & Lipsius ex Liuio multisq; scriptoribus, & Steuechius ad Vegetium docet, in legione veteri & Polybiana sexaginta militum sunt, non centum. Dicebantur tamen Centuriones à prima illa Romuli militia, qui in legionem adscripsit primitus tantum tria millia, eaque in triginta manipulos distribuit, qui singuli constabant militibus centenis: cohortes enim decem in triginta manipulos distribuebant, quibus singulis singuli centuriones præerant. Vegetius lib. 2. c. 13. aperte hoc scribit. Vnde factum, cum centeni milites centenos duces sequerentur, vt ipsi ordinum ductores Centuriones appellarentur. AVSONIO QVIRINO] Romulo, qui in Apotheosim relatus Quirinus est dictus, Synechdoche: conditor hic pro vrbe positus. Quirino Ausonio, Imperatori Traiano, sic enim & Augustus appellatus: Seruius ad illud Virg. *Remo cum fratre Quirinus. Populus*, inquit, *Romanus, Octauiano tria obtulit nomina, vtrum vellet Quirinus, an Cæsar, an Augustus vocari. Ille ne vnum eligendo partem læderet, quæ aliud offerre cupiebat, diuerso tempore omnibus vsus est. Primum ergo Quirinus, dein Cæsar, demum Augustus appellatus, quod illi & posteris nomen hæsit cum priore, Quirino passim extrito.* Plura de hoc Passeratius ad illa Propertij lib. 4. El. 6. *Altera classis erat Teucro damnata Quirino.* FRVSTRA PROMISSA] nequidquam pollicebaris te in vrbem reuersurum, aut promissa, qui nobis ipsis promittebamus tuum reditum. HOSPITA VMBRA] exul vmbra & peregrina. LAGÆO] Ægyptio littore, vt Silius Nilum appellauit Lagæū.

Terminus hinc roseus amnis Lagæus ad ortus
Septeno impellens tumefactam gurgite pontum.

Lagæus à Lago patre Ptolomæi Macedonis, qui τῷ μὲν ἔργῳ Philippi, λόγῳ δὲ, vt Pausanias in Atticis scribit, Lagi fuit filius. Matrem Ptolomæi à Philippo grauidatam, Lagoque in vxorem traditam idem narrat. Ptolomæus autem hic primus inter Aegyptios reges hoc nomine fuit, qui Ægyptum, post Alexandrum Macedonem, à quo è gregario milite ad summos honores erat euectus est sortitus, vt Pausanias in Atticis, & Iustinus l. 13. aliiq; referunt. SPARGERE NON LICVIT FRIGENTIA FLETIBVS ORA] præsentis præsens optabam funus lauare lachrymis, quod quia Ægyptus, quæ te rapuit, negauit, non negabit saltem, nec potest, vt velit, quo minus æterno te carmine fleam *humane & familiariter.* Et munus hoc erit nobilius lachrymis, quia æternas continet lachrymas, seu lachrymabile carmen. FALLAX NILE] Ægyptij fallaces, sic Horat. Circum fallacē dixit.

Ad Diodorum.

XXVI. XXVII.

Natali, Diodore, tuo conuiua senatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques,
Et tua tricenos largitur sportula nummos:
Nemo tamen natum te, Diodore putat.

Diodorum aut obscurum, aut spurium dicit, qui tamen arte sua ad magnas opes venerat, gratus quondam Vespasiano. NATALI] quem ex gentico more conuiuiis celebrabat. ET RARVS NON ADHIBETVR EQVES] & non rarus eques, sed frequens adhibetur. Sciensiterum à Domitio diuerto, qui hic de lege Othonis frustra, & contra mentem & verba poetæ propter leuem traiectionem poeticam non intellectam, aliena disputat. TRIC. NVMMOS] cum aliàs deni tantum sestertij seu nummi in sportulam darentur, qui sunt centum quadrantes. NEMO TAMEN NATVM TE, DIODORE, PVTAT] omnes te tamen pro ignobili obscuroque terræ pignore habent, nec dignum vllis natalitiis muneribus putant, aut, seruus natus est, & post libertate donatus. Seneca in Apocol. Nemo enim illum vnquam natum putauit. Parthius hoc Epigramma in Domitianum vibratum occulte putat: ego secus. quia Domitianus iam extinctus erat, quod non aduertit Parthius lib. 1. cap. 18.

Triceni nummi ein Guldē *al. sportula decem tantū nūmorū erat*

Progenies terræ & fratertulus Gigantum.

Ad Ianum.

XXVII. XXVIII.

Annorum, nitidique sator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota, precesque canunt.
Peruius exiguos habitabas ante Penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter,
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras, Iane, quot ora geris.

Nnn At tu

At tu sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

ANNORVM] Laudat Ianum & forum transitorium Neruæ, non Vlpium, seu Traianum, vt Domitius, & Cassiodorus. Iani enim templum quatuor portarum in transitorio foro fuisse Seruius ostendit, & Iani olim transitiones dictæ, quod passim transeuntibus paterent. Hinc Martialis vocat *Ianum peruium*. ANNORVM] idem dixit lib. 8. ep. 2. *Fastorum genitor parensq; Ianus.* Et Ouid. 1. Fast. *Iane biceps anni tacite labentis origo.* SATOR MVNDI] apud Ouidium dicit sibi commissam custodiam mundi totius.

Quidquid vbiq; vides, cælum, mare, nubila, terras,
Omnia sunt nostra clausa, patentq; manu.
Me penes est vnum vasti custodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum est.

Plura in Arnobio & Macrobio Herald.

PVBLICA QVEM PRIMVM] Causam addit Festus, Iano primum fuisse supplicatum quasi patenti, à quo rerum omnium factum putabant principium. Clarius Cic. de nat. deorum: *Cum in omnibus*, inquit, *rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est deductum. ex quo transitiones perviæ Iani, foresq; in liminibus profanarum ædium Ianuæ nominantur.* Quadrifrontem aiunt, quod annus in quatuor diuidatur tempora, Ver, æstatem, autumnum, hyemem. Omnem huius dei naturam fere describit Ouid. 1. Fast.

Mox ego cur, quamuis aliorum numina placem,
Iane tibi primum tura merumq; fero?
Vt possis aditum per me qui limina seruo
Ad quoscumq; voles, inquit, habere deos.

PERVIVS EXIGVOS] Iani plures fuere Romæ, alij gemini, alij quadrifrontes, vt Ouid. 1. Fast.

Cum tot sint Iani, cur stas sacratus in vno,
Hic vbi templa foris iuncta duobus habes.

De Foro iis negat Marliā. quāuis asseuerat Blondus.

Multa super Iano ex Arnobio, Macrobio & allis hoc loco Heraldus. Quod plerique de foro piscario & boario accipiunt Antonius Constantinus, Paullus Morsus. Ianum geminum ædificauit Numa, Seruio teste, circa imum Argiletum, iuxta theatrum Marcelli, cuius portæ duæ quas legitimum erat aperire, cum bellum esset, in pace vero claudi, vt apertis, in armis esse ciuitatem, clausis vero, pacatos circum omnes significarent. De hac re plenius lib. 8. de Silij consulatu. *Erat*, inquit, *sacellum totum ex ære constitutum, quadrata quidem dimensione, tantaq; amplitudinis, quanta Iani integri statua poterat ænea quinq; pedalis capi, capite duntaxat bifrons, porta vtrinq; ænea, quæ pacis tempore claudebantur, instante autem bello aperiebantur, vocabaturq; Ianus geminus*, de hoc Ouid. 1. Fast.

Omnis habet geminas hinc atq; hinc Ianua frontes.

Loquitur enim de prisco illo & primo Iano. Hic ipse Ianus postea translatus est ad forum transitorium Domitiano cœptum, Neruæ perfectum. Quod Seruius docet, cum in hæc verba scribit: *Captis Faliscis ciuitate Thusciæ inuentum est simulachrum Iani cum frontibus quatuor: fuerat enim bifrons apud theatrum Marcelli. Vnde quod Numa instituerat, translatum est ad forum transitorium, & quatuor portarum vnum templum institutum.* Fuerunt & alij quadrifrontes Iani, de quibus Victor & Marlianus, atque alij.

Plura Marlianus lib. 4. cap. 8.

PLVRIMA QVA MEDIVM ROMA TEREBAT ITER] forum transitorium aperte designat, quod inter Capitolium & Quirinalem collem situm, dictum inde transitorium, quod per id in alia opportune velut transitus esset, vel certe, quod Cic. insinuat, ob Iani templum, cui quatuor portæ, quæ transitiones perviæ, & Iani dicebantur. NVNC TVA CÆSAREIS CINGVNTVR LIMINA DONIS] Domitiani & Neruæ. Domitianus enim, vt dixi, inchoauit (quod scribit Tranquillus alique) Nerua absoluit. DONIS] foro & ornamentis fori. Fuit hoc postea ab Alexandro Seuero, si fides Lampridio, statuis, colossis, vel pedestribus nudis, vel equestribus DD. Imperatoribus locatis mirifice illustratum. ET FORA] quatuor vtique fora. Romanum seu vetus, Iulium, Augustum, & hoc transitorium. Vlpium seu Traianum poeta non vidit. Hæc autem quatuor fora magnifice, vt omnia, Lipsius, in Admirandis suis lib. 3. cap. 7. describit, ad quem te hinc remitto. AT TV SANCTE] quando Ianus est clausus, est index pacis, poeta optat, vt semper sit clausus. FERREA PERPETVA] præsta æternam nobis pacem: Clausus enim pacem, vt diximus, signabat. Videtur insinuare Ianum ea tempestate fuisse clausum, cur enim dicat. Ferrea claustra tuere perpetua sera, id est, nunquam aperias. Sed apud Historicos altum de hac re silentium. Vespasianus A. V. C. DCCC. XXIV. se III. & Nerua Coss. clausit, vt Tacitus & Orosius testantur. Sub Domitian. bella fuisse grauia, & plura passim scriptores narrāt, pariq; ratione sub Traiano. Nerua pacificus fuit, sed tamen pax non externa, nec interna. Quoties ab Vrbe condita fuerit clausus, supra de consulatu Silij docuimus.

* *
*

De

De littore Formiano.

XXVIII. XXX.

O temperatæ dulce Formiæ litus,
Vos, cum seueri fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tibur vxoris,
Nec Tusculanos, * *Algidosue secessus,*
Preneste nec sic, Antiumue miratur,
Non blanda Circe, Dardanisue Caietà
Desiderantur, nec Marica, nec Lyris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena.
Hic summa leni stringitur Thetis vento:
Nec languet æquor: viua sed quies ponti
Pictam Phaselon adiuuante fert aura.
Sicut puellæ non amantis æstatem
Mota salubre purpura venit frigus;
Nec seta longo quærit in mari prædam,
Sed à cubiclo, lectuloque iactatam.
Spectatus altè lineam trahit piscis.
Si quando Nereus sensit Æoli regnum;
Ridet procellas tuta de suo mensa.
Piscina rhombum pascit, & lupos vernas.
Natat ad magistrum delicata muræna.
Nomenculator mugilem citat notum.
Et adesse iussi prodeunt senes mulli.
Frui sed istis quando Roma * *permittis?*
Quot Formianos imputat dies annus
Negotiosis rebus vrbis hærenti?
O * *vinitores, villicique fœlices,*
Dominis parantur ista, seruiunt vobis.

* *Algidum Straboni, Libuo. Stephano, Latii oppidum. Algidus mõs 12. ab vrbe lapide, Eutrop. lib. 1. Algidum nominat Leandro & Nigro. Sed no del Aglio.*

* *permittis.*

* *ianitores.*

Laudat Apollinaris prætorium Formianum, illudque tam graphicè describit, vt nec Formiæ sint tam formosæ & amœnæ, quam hoc epigramma: quod vt capias facilius, ipsas Formias ex melioris notæ scriptoribus adumbrabimus. Formiæ Latij oppidum, prius Hormiæ dictum, à Laconibus conditum, nomen à commoditate portus, vt auctor est Strabo, accepit. Fuit ad viam Appiam loco Molæ propinquo, si verus Leander in descriptione Latij. Lestrigonum sedem fuisse Cicer. lib. 2. ad Atticum epist. 13. Plinius & Solinus affirmant, vbi olim Antiphates Rex Lestrigonum imperauit, ipsamque domum Antiphatæ, Marsus Formias ait intelligendas. Oppidum Laconibus excitatum Sarraceni, Blondo teste, anno à C. N. DCCC LVI. exciderunt. Abfuerunt Caietà stadiis 40. Formiæ, vt colligit lib. 6. Strabo. Ciceronis villa Formiana prædicatur lib. 2. epist. ad Atticum epist. 13. & lib. 1. ad Atticum epist. 3. Mauriti postea. Plinius iunior epist. 14. l. 6.

Faciunt præter iam laudatos Formiarum mentionem Mela, Tacitus, Antoninus, Papinius. Cic. ad Atticum lib. 2. epist. 13. alludit ad Homeri versum Οδυσ. κ. vbi Lamum Formiarum conditorem facit poeta.

Ἑβδομάτῃ δ' ἱκόμεσθα Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον
Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην ——

Idem Horatius lib. 3. carm. Od. 17.

Auctore ab illo (Lamo) ducis originem
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirin.

Loci amœnitatem Leander describit in Latio. O TEMPERATÆ] rectus casus multitudinis, seu potius quintus, alloquitur enim ipsas Formias. Vos Formiæ temperato cæli loco sitæ Apollinari rusticanti estis gratissimæ. MARTIS] Romam, quam Romulus filius Martis condidit. Ouid. 1. Fast.

Dum casa Martigenam capiebat parua Quirinum.

NON ILLE SANCTÆ DVLCE TIBVR] pudicæ vxoris, ita hic accipe sanctæ. Dicamne vxorem Tiburtinam, an agrum habuisse Tiburtinum, an vtrumque? Vxoris, credo. villa Tibure fuit. DVLCE TIBVR] transeo Tusculanos, Albanosque & Algidos recessus, quò vrbi viciniores, hoc orbi notiores, quos tamen supra non tacuimus. PRÆNESTE] Latij oppidum in prospectu vrbis, vt Tusculum, & Tibur. Egregie, vt cætera, describit hoc Leander, quem adibis. ANTIVMVE] vrbs Latij centum octoginta octo stadiis ab Vrbe, ab vno ex Vlyssis & Circes filiis indigitata: nobilis fuit oraculo Fortunæ, de qua nos superius, & Horatius lib. 3. Ode 1. *O diua, gratum quæ regis Antium.* descriptionem plenam in Leandri Latio littorali leges. NON BLANDA CIRCE] Ab Antio Circæum montem, vbi domus Circes, ducentis nonaginta stadiis distare Strabo mari propinquum tradit. In promontorio Circæo, ciuitas parua Circæum, Tarquinij superbi Colonia. Locus celebratissimus nostris literis non indiget: lege Strabonem, Plinium, Melam, Solinum, Procopium, Homerum, & alios. DARDANISVE CAIETA] Iam supra Caietæ fuimus. Ciuitas ex Virgilij 7. Æn. satis nota. Dardanis, quia Troianis, qui Dardani, condita. NEC MARICA] Marica Fauni coniux, iuxta Minturnensium littus ad Lirin, diuersis honoribus culta est, de qua Virgilius.

Prope 8. milliaria nostratia.

Amplius nouem millibus.

Maius opus moueo: rex arma Latinus, & vrbes
Iam senior, longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus ——

Lucum sacrum Maricæ describit Strabo. Ad Liris etiam amnis ripam erat magnificum templum. Lucanus lib. 2. *Liris per regna Maricæ Vestinis impulsus aquis.* Leander in Campania. LIRIS] de hoc ipso Martialis lib. 13. epig. 82.

Lib. 13 de Marica Martialis.

Cæruleus nos Liris amat, quem silua Maricæ
Protegit: hinc squillæ maxima turba sumus.

Liris (vt Leander in Campania multorum testimoniis confirmat) idem est amnis, qui Garilianus. Garilianus à Gauro monte dicitur, quod non procul inde eius ostia ferantur. Plinius Glanicum appellat. Oritur in Apennino, indeque propter Soram & Fregellas, perque Minturnos & Vestinos ad vicum Freutalem mari inuehitur. ab initio Claninus, postea Liris dictus, vt Ptolemæus & Strabo tradunt, dexterâ Liris Ausonia fuit, vrbs ita græcis appellata, Latinis Aurunca, de qua Virg. 7. Æn. NEC IN LVCRINA] Etsi de Lucrino lacu in Campania, proximo Baiis, dictum superius, hic tamen ad icio, dictum Lucrinum à lucro: piscosus enim lacus est, & ostreis auratisq; abundat. Scribunt de eo Tacitus, Silius, Strabo, Plinius. Leander in Campania, Virg. 7. Æn. & Martialis sæpe, & complures alij. SALMACIS VENA] non quod Salmacis fons ad lacum Lucrinum erumpat, sed quod Baiæ sint tam delicatæ & gratæ, vt mollis fons Salmacis in Caria natus. Salmacis ex Naidibus vna describitur copiose ab Ouidio 4. Metam. fab. 4. cuius initium,

Vnde sit infamis, quare male fortibus vndis
Salmacis eneruet, tactosq; emolliat artus
Discite ——

Et lib. 15.

Quodq; magis mirum est, sunt qui non corpora tantum
Verum animos etiam valeant mutare liquores
Cui non audita est obscena Salmacis vndæ?

Sed plura de his supra hoc ipso lib. ep. 4. HIC SVMMA] Hactenus Formianum contulit cum aliis locorum amœnitatibus, prætulitque cunctis, nunc ipsum locum describit. Hic, inquit, æquor (quod Thetin vocant, quæ dea maris) planum non tollitur, impelliturue vehementius Austris Eurisque, sed leni flamine permulcetur. NEC LANGVET ÆQVOR] nec est pigra tamen stupensque vada, sed placidis motata auris portat nauem. PHASELON] phaselum describit Ap-

piano

pianus his verbis de Octauia locutus. *ἐδωρήσατο δὲ καὶ ὀκταουΐα τὸν ἀδελφὸν αἰτήσασα παρ' αὐτοῦ. δέκα φασήλοις τριηρητικοῖς ἐπιμίκτοις ἔκ τε φορτίδων νεῶν καὶ μακρῶν. Munerata est Octauia fratrē decē phaselis mixtis ex forma onerariarum longarumq́; nauium.* Et Plutarch. de eadem prorsus scribens vocat *Myoparones*, quos Appianus phaselos, vt Myoparo & phaselus eandem videantur formam habuisse. hoc est ex naue oneraria & longa triremi mixti. Myoparonem verò Baysius existimat dictum à Myante & Paro insula, quod vtriusque loci mixtam nauium formam haberet, sicut Naxiuges & Cinduges, naues in Naxo & Cindo factæ. Nobilitatus est phaselus carmine Catulli, Castori Pollucique consecratus, ex quo intelligas nunc remis, nunc velis actos fuisse phaselos, quēadmodum hodie, quos vocant galeones. Est apud Horatium lib. 3. Ode 2. Virg. 4. Georg. Strabonem 15. phaselorum seu faselorum, mentio. Gyraldus doctore Nonio, phaselum ait nauigium esse Campanum, itaque, Sallustium, Varronem, & Sisennam affirmare. Meminit & Cic. ad Atticum. Sunt qui putent à leguminis specie phaselum nauem factam, dictamque. Sunt qui à phaselide loco deduci opinentur: pictam noster Poeta cum Virgilio appellat.

Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.

SICVT PVELLÆ NON AMANTIS ÆSTATEM MOTA SALVBRE PVRPVRA VENIT FRIGVS.] sic omnino lego & emendo hunc locum volente credo & probante senatu Critico, & ipsa re rationeque docente, imo & M. S. Modij, si vera, quæ epist. 23. scribit ad Princium; comparat enim lenes Formiani littoris auras cum ventulis, quas puellæ per æstatem æstu graui veste pro fronte iactata excitant, quod & hodie fieri videmus: si (multa) legas, nullus subest intellectus. NEC SETA] nec piscaturo necesse medium petere mare, aut procul recedere à littore. SETAM] virgam, arundinem, filumve lineum piscatorium vocat setam; hoc enim vnum est genus piscandi inter ea, quæ Oppianus, vt alibi dictum, enumerat. SED A CVBICLO] Laurentinum suum seu Laurens easdem aut maiores habuisse commoditates scribit Plinius iunior in ep. 7. lib. 9. in lecto tamen piscari non potuit. *Ex illa possis despicere piscantes, ex hac ipse piscari, hamumque è cubiculo ac pene etiam lectulo, vt è nauicula iacere.* ALTE LINEAM TRAHIT] captus & alte sublatus lineam curuabat pondere, quo magnitudo piscis ostenditur. SI QVANDO NEREVS] cum procellæ tempestatesque ingruunt, & mare horrescit. Sensus: Si quando venti incumbunt, ridet mensa tuta à tempestate procellas è suo loco seu cubiculo seu lectulo. ÆOLI REGNVM] quod describit Virgil. 1. Æn. ventos intelligit. PISCINA] piscinas habebant passim in villis suburbanis suis. Plinius supra de Baiis idem.

Piscina rhombum pascit, & lupos vernas.

Ita distingue & interpunge; non vt antea de sua mensa piscina. RHOMBVM] de hoc lib. 13. suis. LVPOS VERNAS] natos in piscinis, seu domesticos. NATAT AD MAGISTRVM] li. 4. ep. 30.

Qui norunt dominum manumque lambunt,
Illam qua nihil est orbe maius
Quid quod nomen habet & ad Magistri
Vocem quisque sui venit citatus.

In quem plura historicè, quæ huc pleraque conueniunt. NOMENCVLATOR] qui piscium nomina, & nominatim euocat è piscina. Idem valent nomenclator & nomenculator. vt templum & tempulum. Vsus est Suetonius hoc eodem verbo nomenculatoris. *ad extremum Telephi mulieris serui nomenculatoris*, in Aug. cap. 19. & Calig. 14. *Misit circum fora, & basilicas nomenculatores ad inuitandos iuuenes senesque, &c.* Gyraldus. sumptum ab vsu ciuili nomen. Petitori Magistratus, in vrbe fuit laborandum, vt venientes salutatum ciues, quemque suo nomine resalutaret, vt omnes sibi notos habere videretur & amicos. quod cum fieri non posset, vt vnus omnium nomina teneret, ministros habebant, qui omnium nomina ciuium dominis suggerebant, & hi nomenculatores dicti; calares enim, vetus verbum, vocare sonat à græco deductum καλεῖν: & nomēculator græci ὀνοματοκλήτωρ: officium ὀνοματόκλησις, nomenclatio. Iidem citabant reos ex memoria in foro, conuiuas domi. MVGILEM] piscem, vt lib. 4. de murena dixit. SENES MVLLI] pisces item in piscinis consenescentes tales enim animi potiùs, quàm mensæ gratiâ alebant. FRVI SED ISTIS] dolet non esse locum &c. spacium rusticandi per negotia vrbana. FORMIANOS DIES] iucundos, solutos cura Vrbana. O VINITORES] beatos prædicat villicos, quibus potiùs hæc commoda parta, quàm dominis Villicorum? domini enim raro, hi semper delitiis rurestribus fruūtur. Legunt alij ianitores nec improbabili coniectura, quod nulla hic mentio vineæ. Ianitores autem etiam in villis & prætoriis fuisse nulla dubitatio est, vt serui atrienses de quibus Phædrus l. 2. fa. 36.

Multa super his piscibus lib. 4. ep. 30.

In Calliodorum.

XXXI XXIX.

Addixti seruum nummis herè mille ducentis,*
Vt bene cœnares, Calliodore, semel:
Nec bene cœnasti, mullus tibi quatuor emptus
Librarum, cœnæ pompa caputq; fuit.
Exclamare libet: non est* hoc, improbe, non est,
Piscis: homo est, hominem, Calliodore voras.

* trecentis. * hic

In gulosum & ganeonem est hexaistchon, quo notat in Calliodoro luxum & gulā Romanorum. ADDIXTI] miror Iunianum exemplar habere Addisti, cum verbum solemne sit priscis, addicere iudiciis & venditionibus quibusdam. Addicti enim primum vocati sunt homines obærati, qui & nexi dicuntur, qui L. 12. tabularum ob æs alienum creditoribus in temporariam seruitutem addicebantur, quos Græci ἀγωγίμους, id est, καταδεδικασμένους, dixerunt, quos creditori ducere domum à prætore permittebantur, huius rei testimonia sunt apud Liuium lib. 2. Plutarchum in Solone, Plautum in Pennulo, Terētium in Phormion. Cic. in 2. de Orat. & aliis locis. Quintilianum lib. 7. cap. 4. Gellium lib. 20. cap. 1. Budæum in pandectis, hac notione non accipitur hic vox, *addicere* vel *addictus* Deinde addicere est venundare. Suet. in Cæs. *Bello ciuili super alias donationes amplissima prædia ex auctionib⁹ hastæ minimo (vel vt alii melius) nummo addixit*, id est, venumdedit, in qua significatione habet & prouerbij speciem, *nummo addicere*, hoc est. pro vilissimo pretio, frusto panis, vt ait Budęus, vendere. Præterea fundi, ædes, serui quoque in diem quandoque addicebantur. l. 2. l. quod autē. l. si prædio. l. imperator. l. cum duo. l. in diē ff de in diē addictio. In diem a. addictio, Paulo teste, ita fiebat. *Ille fundus* (sic & seruus) *centum esto tibi emptus, nisi si quis intra Cal. Ian. proximas meliorem conditionem fecerit, qua res à domino abeat*. Plura testimonia Brissonius habet lib. 6. pag 506. Budęus Pandectis. Postremò addicere est etiam auctionem facere, hoc est bona sua (seu quædam seu omnia) proscribere, & licitantibus obiicere, quod ἀποκηρύττειν græcè dicitur. Martialis ergo seruum à Calliodoro addictum, vel in diem vel omnino venditū dicit; nexus enim seruus dici non potest. HERE) heri dicitur hodie. olim herè dicebatur. Ita sæpius Martialis lib. 1. & aliis. MILLE DVCENTIS) triginta Philippęis, seu quadraginta florenis, quos hodie vocamus, 40. Gulden: Philippæi, Königische Thaler. NEC BENE COENASTI] caussam addit, quod toto illo precio vnum emerit piscem, nec aliud quicquam mensę pręter mullum intulerit. MVLLVS TIBI QVATVOR EMPTVS LIBRARVM] ergo libra decem florenis, seu Philippæis septē, & vna vigesima. nec tibi hoc incredibile videatur vnam mulli libram tanti fuisse, cum apud Senecam epist. 95. Tiberio imperante mullum quatuor pondo, & ad selibram, quinque millib⁹ HS. emptum leges. hoc est, centum & viginti quinque Philippæis. Imo Plinium lib. 9. ca. 17. mullum vnicum octo millibus nummūm fuisse pręstinatum, hoc est 200. Philippæis. alij scribunt hic trecentis & summa erit 32. philip. & 20. numorum. COENÆ POMPA) in tres partes diuidebant veteres cœnas, in procœmium seu antecœnam, de qua alibi, cœnæ caput, & secundas mensas Cœnæ caput Cicero appellauit 5. Tusc. Negauit se iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Alexis apud Athenæum κεφαλὴν δείπνου, Martialis pompam & caput. EXCLAMARE LIBET] epiphonema ad rei indignitate. NON EST HOC IMPROBE, NON EST] hoc in eos cōuenit, qui tributa populi, vectigaliaque in luxum & pompam absumunt. De luxu Romanorum sæpe supra dictum, adde illis hic Petronium Satyr. *Altes phasianis*, &c. Et VVouerium ad eundem locum.

Iuuenalis. poteras for tasse minoris Piscator quā piscis emi.

De imagine M. Antonij

XXXII XXX.

Hæc, mihi quæ colitur violis pictura, rosisque,
Quos referat vultus, Caciliane, rogas?*
Talis erat Marcus mediis Antonius annis
Primus, in hoc iuuenem se videt ore senex:
Ars vtinam mores, animumq; effingere possit,*
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

* Cecidiane Cæditiane. * posse.

Nobi-

Nobilitauit hoc epigrammate Antonium illum Tolosanum, & corporis effigiem, & animi virtutes expressit. HÆC MIHI] quam corono rosis, velut ipsum, Antonium præsentem. alij scribunt hic trecentis & summa erit 32. philip. & 20. numorum. MEDIIS ANNIS] florenti ætate iuuenem ipse poeta subiit. PRIMVS] Primus cognomen. M. Antonius Primus, vt supra 25. epig. ARS VTINAM] En exemplum illustre scribendi in magnorum & bonorum virorum imagines. Ars tantum extremam lineam describit penicillo: animi, rerumque gestarum, ornamenta non tangit. Elegans est ea de re Leontij Scholastici epigramma de Gabriele præfecto Constantinopolitano:

> Καὶ φαιδρὸν γραφίδεσσιν ἔχει τύπον· ἀλλὰ χαρίζει
> Ἠέλιος τέχνῃ κρυπτομένῃ φάεα.
> Καὶ σὺ πτολίαρχε χαρίζῃ Γαβριὴλ εἰ τέχνῃ,
> Ἐκτὸς τῶν ἀρετῶν ἐκτὸς ἔλων καμάτων

PVLCHRIOR] virtus enim, si pingi posset, elegantissima esset, & mirabiles sui amores, Platone teste, excitaret.

Ad * Numacium Gallum.

* Mumatium.

XXXI. XXXIII.

*Simplicior priscis, * Numati Galle Sabinis,*
Cecropium superas qui bonitate senem;
*Sic tibi * cum soceri claros retinere Penates*
Perpetua natæ det face casta Venus:
Vt tu, si viridi tinctos ærugine versus
Forte malus liuor dixerit esse meos,
Vt facis, à nobis abigas: nec scribere quenquam
Talia contendas carmina, qui legitur.
Hunc seruare modum nostri nouere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

* Munati.

* Consoceri emendatius.

SIMPLICIOR] Vt suorum carminum patronum inuocat Paullum lib. 7. epig. 71. & hoc libr. epig 51. sic rogat hic Numacium, vt infames versus, suo nomine vulgatos, suos esse neget. SIMPLICIOR SAB.) Sabinos vocat simplices, non stolidos, aut ingenio tardos, sed rectos, candidosq;, nec malis artibus imbutos, simul tamen respicit historiam Sabinarum, à Romanis fraude, qua circumuentæ sunt, raptarũ. CECROPIVM SENEM] Epicurum Domitius, alij Socratem accipiunt. Seneca in episto is passim mirificè extollit Epicurum, vt poeta fortè suum magistrum insinuarit potius, quam Socratem. De Socrate tamen rectius accipies Apollinis oraculo probatum, quem Plato & Xenophon laudarunt. SIC TIBI) variè legitur hic versus, *cum soceri, consoceri.* Ordinem & compositionem verborum attende, vnde lux. Sic tibi det casta Venus, perpetua face natæ, consoceri claros penates retinere, hoc est, Venus tibi connubium natæ tuæ, cum consoceri filio initum, in ædibus generi & soceri, æternum firmet, vt concordes gener & nurus, consocerique simul viuatis. Consoceri est, quorum alter filium alterius filiæ in matrimonium dedit. Si legas *cum soceri*, ita distichon intellige. Sic tibi det casta Venus retinere claros penates soceri, cum perpetua face natæ, hoc est, Tu Numati possideas domum Soceri cum nata illius, vxore tua, semper. Tertiam scripturam, *cum soceri* repudiamus. VT TV] coniunge cum sequentis distichi verbis, *vt tu, (vt facis) à nobis abigas, si viridi, &c.* TINCTOS ÆRVGINE VERSVS] veneno tincta carmina, infamia & maledica scripta. Veteres, vt Turnebus lib. 30. cap. 30 notauit, inuidiam animi vitium esse censuerunt, quale rubigo est ferri & ærugo; vt enim illa ferrum & æs exedit, ita inuidia cor edit, & se ipsam corrodit. Horatius illam ærugin em, nigræ loliginis succum appellauit. QVI LEGITVR] cui fama fauet & lector; non fauet autem fama infamiæ. HVNC SERVARE] Lege XII. tabularum, quemadmodum suprà ostensum est, infamia scripta erant proscripta, & Augusti postea, iterumque Domitiani decretis sublata. Poeta igitur fictis & alienis personis docet Vrbem, quisque enim illud Horatianum li. 1. Sat. 1. *mutato nomine de te Fabula narratur*, ad se trahere potest, qui sibi conscius est criminis, cuius fabulosus auctor fingitur. Sic poeta prodest omnibus, nocet nemini. Itaque verum non est quod quidam scribunt Martialem sibi malè conscium quæsiuisse patronos, & tandem profugisse.

Epist. lib. 1.

Lib. 6. ep. 3. Agnoscat mores vita, legatq; suos

Ad Traianum.

XXXV. XXXII.

Di tibi dét, quicquid, Princeps Traiane, mereris,
Et rata perpetuò, quæ tribuere, velint.
Qui sua restituis spoliato iura patrono;
Libertis exul non erit ille suis.
*Dignus es, vt poßis * totum seruare clientem:*
Vt liceat tantùm; vera probare potes.

* tortum

DII TIBI DENT] Ius patronorũ à Traiano Romanis redditum laudat Martialis. Dij] solennis formula bene precandi, qua & supra vsus est lil.6,ep.87.

Dij tibi dent, & tu, Cæsar *quæcunque mereris.*

Plinius Paneg. de iureiurando Traiani, *vt ita se dii seruarent si ipse mereretur.* RATA] ratũ imperium quod Dij contulere, firment. SPOLIATO IVRA PATRONO] vt Tacitus in 2. historiæ de Vitellio qui reuersis ab exilio libertorum iura concessit. Erat ingens hoc beneficium. Nam, vt Iurisconsulti docent, operas liberti domino debebant, alimenta, si egeret, denique testamento bonorum semissem. Preterea si in officio non essent, poterant reuocari in seruitutem. Hoc ius vocant patronatus & ius patronorum Plinius iunior lib. 10 epist.11. SPOLIATO] per Domitianum, vt Tranquillus refert, Libertinis, militibus æquatis, patroni in eos ius amiserunt: hoc decretum rescidit Traianus, libertosque in ordinem redegit. LIBERTIS EXVL] Exul dicitur hic pro eo, cuius bona proscripta sunt; proscribebantur verò patroni, cum illis ius patronatus eriperetur, vt ex libertorum bonis semissem ne acciperent; ita impropriè vocat hic exulem. De clientibus, & patronis hic non ago; alia enim sunt iura patronorum in clientes, alia in libertos; non omnis cliens libertus, omnis tamen libertus, cliens, de quibus Vlpianus & grauissimus Iurisconsultor. senatus. DIGNVS] decet hoc Imperatoris munificentiam, vt ciuem Romanum, toto suo iure donet, atque dignitati restituat. Vocat hic ciuem Romanum clientem imperatoris: Liberum clientem ciuis & patroni Scaliger ad Virgilij Moretum legit *tortum* non *totum*, quasi torserit patronos à libertis delatos, sed vereor ne hoc ipsum sit tortum; Qui de clientibus plura desiderat, legat Dionysium Halicar. Gellium, Plutarchum in Romulo, & Iuriscõsultos. VT LICEAT] vt occasio sit modò audes & gaudes id facere; sit modo aliquis patron⁹ suo iure spoliat⁹, extẽplo vera esse, quæ dico, probare potes. Vel, *vt liceat tantũ vera probare, potes.* Dign⁹ es vt possis; & potes: dũmodo liceat seu possit probare te esse patronũ exulis.

Et propriè potest accipi de exulibus à Nerua restitutis in patriam, à Traiano iuri patronorum;

De Sulpitia.

XXXV. XXXIII.

Omnes Sulpitiam legant puellæ,
Vni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpitiam legant mariti,
Vni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidis asserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestæ,
Scyllam Byblida nec fuisse credit,
Sed castos docet & pios amores,
Lusus delicias, facetiasque.
Cuius carmina qui bene æstimarit,
Nullam dixerit esse nequiorem,
Nullam dixerit esse sanctiorem.

Tales

Tales Ægeriæ iocos fuisse
Vdo crediderim Numæ sub antro.
Hac condiscipula, vel hac magistra
** Esses doctior, & pudica Sappho.*
Sed tecum pariter, simulq; visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Frustra: namq; ea nec tonantis vxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto sibi viueret Caleno.

* *Esset. vario Esses & tecum, alloquitur enim Sappho poetriã per Apostrophẽ. Sappho si tibi esset Sulpicia condiscipula vel potius magistra, esses doctior & pudicior, Phaon tamen tibi olim gratis amatus si vtramq; videret, præferret tibi Sulpiciã: frustra tamen, quia tam casta est, vt omnium etiam Deorum amores præ suo Caleno legitimo viro repudiet.*

OMNES SVLPITIAM] poetriam laudat Sulpitiam, quæ Martiali æqualis, scripsit poemata de amore coniugum, & temporibus Domitiani, quæ in Virgil. App. leges, aliaque nonnulla. Est infra ad Calenum eiusdem mentio. Fuit, vt Gyraldus scribit, ex nobilissima Sulpitiorum familia, cum viro quindecim annos amantissime coniunctissimeque vixit, de qua Sidonius.

De Sappho Sen. epist 88 ex Didymi libro.

Non quod Sulpitia iocos Thalia
Scripsit blandiloques suo Caleno.

VNI VIRO] casti coniuges. admodum rotunde connubium describit, in quo vnam vir vxorem, vxor vnum habet amatque virum. C. FVROREM] non scribit Medeæ amores, & facinora, veneficiaque. de quibus supra plene. D. P. THIESTÆ] Iam supra de Atreo, fratri Thyestæ liberos coctos in prandio apponente dictum. Has fabulas apud Ouid. 7. 8. & 9. Metam. Senecam in Thyeste. SCYLLAM] etiam de hoc monstro Siculo dictum: C. AMORES] connubiales. SANCTIOREM] præponitur huic versui versus iste:

De monogamia Tertull. sed nõ vbiq; Romanus
Lib. 3. ep. 45.
Lib. 7. ep. 37. & 43.
Lib. 6. ep. 4?

Nullam dixerit esse nequiorem

hoc sensu. Si mores Sulpiciæ spectes, nullam dices pudiciorem: Si versus, nullam nequiorem, scripsit enim amores sed coniugum. ÆGERIÆ] Ægeria Numæ coniunx, vt alibi poeta, & nos ad illum. Numa Rex II. Romanorum, leges Romanis laturus, finxit se cum hac dea colloqui in Aricino antro, & diuinitus doceri. Liuius lib. 1. Dio Hal. Ouid. Fast. 3.

Ægeria est, quæ præter aquas, dea grata camœnis;
Illa Numæ coniux consiliumq; fuit.

ANTRO VDO] humido, viuido Aricino. P. SAPPHO] poetria, cuius odæ quædam hodie visuntur, quas inter Lyricorum fragmenta reperias, vitam apud Gyraldum. Est & Ouidij epist. Sapphus ad Phaonem. Epigrammata græca plura & elegantia in eandem, quibus decima dicitur Musa. Antipater, Sidonius, Ausonius, Papinius, Horatius, Ælianus, Suidas, Baptista Egnatius, Plinius meminere. DVRVS] discessit enim à Sappho quasi inimicus. Ergo sensus est, Si Phaon Sulpiciam videret poetriam, propter hanc etiam Sapphoni reconciliaretur, simulque Sulpitiam amaret, sed frustra, inquit, poeta. Nam Sulpitia tam casta est, vti, nec Iouis, vt Iuno, vel Leda, nec Danai, vt Ino, nec Apollinis, vt Daphnis, nec Bacchi, vt Ariadne Alexipæa dignaretur connubium, erepto sibi coniuge Caleno, quem non secus, atque Artemisia Mausolum amat amauitque semper. De Caleno rursus infra. Male igitur distinctum est carmen, Interpunge. Frustra: namque, &c.

In Munnam.

XXXVI. XXXIV.

Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt,
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus,
A te, Munna, venit: miseris tu mittis amicis
*Per freta, per longas toxica * sæua vias.*
Nec facili pretio, sed quo contenta Falerni
Testa sit, aut cellis Setia cara suis.

* *pessima.*

Non

Non venias quare tam longo tempore Romam;
Hæc puto causa tibi est, ne tua vina bibas.

De Setino supra & infra lib. 13.

IMPROBA] Munnæ vinum Massiliense Romam missum vituperat. Massiliense vinum fumatum lib. 13. exposuimus. TESTA] qua recondebant vina, testæ formam spectas apud Lucam Pætum. NON INVENIAS] lepide & salse. Tam improbum ait vinum; vti OEnopola ipse illud procul refugiat.

Ad Maternum.

XXXVII. XXXV.

Qui ius dicis aut respõdes in urbe.

Iuris & æquarum cultor sanctissime legum,
Veridico Latium qui regis ore forum,
Municipi. Materne, tuo, veterique sodali
Callaicum mandas si quid ad Oceanum,
An Laurentino turpes in littore ranas,
Et satius tenues ducere credis acos?
Ad sua captiuum quàm saxa remittere mullum;
Visus erit libris qui minor esse tribus?
*Et * fatuam summa cœnare Pelorida mensa,*
Quosque tegit leui cortice concha breuis?
Ostrea Baianis quàm non liuentia testis,
Quæ domino pueri non prohibente vorent.
Hic olidam clamosus ages in retia vulpem,
Mordebitque tuos sordida præda canes,
Illic piscoso modo vix educta profundo
Impediant lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce redit sporta piscator inani:
Venator capta marte superbus adest.
Omnis ab vrbano venit ad mare cœna macello:
*Callaicum mandas * si quid ad oceanum?*

*fatuum. fatuus supra lib. 6, ep. 11. aquosa pelorus

*numquid.

Multa mentio est huius apud poetam l. 2. ep. 74. lib. 1. ep. 97. Strabo illam Lusitaniæ partem quæ trãs Durium est Callaicã vocari docet.

Poeta patriam cogitans rogat Maternum Iurisperitum & municipem, an aliquid velit mandati dare ad suos. Materni mentio est apud Plinium in epist. Tacitum & Quintilianum libro de causis corruptæ eloquentiæ C. V. fuisse constat. IVRIS] iuris scientem periphrasticõs describit. rigidos iustitiæ satellites, nisi fallor, appellat Horatius. LATIUM UBI FORUM] qui ius respondes aduocatis & reis. MVNICIPI] qui sumus eiusdem patriæ συμπατριώτῃ. CALLAICVM] Hispanicum à Gallecia, de qua supra, cum de Callaico auro diceremus. Obserua orationem hic deficere, quod intelliges; si componas verba. Materne, inquit, si quid domum per me nuncias, quod sequitur, tacet. nempe ego patriam meditor, ego nuncius ibo. AN LAVRENTINO] contendit Hispaniæ opes, cum Italiæ inopia. Putasne præstare, piscari ranas & acos, quàm pingues & trilibres mullos? Laurentinus ager 17. millibus passuum ab vrbe recedit, vt Plinius lib. 2. epist. 17 suum Laurens, seu Laurentinum describit, quo ioco vide Catanæum. Cicer. 2. de Orat. Valerius Maximus ad Laurentum Lælium & Scipionem ait solitos conchas legere, multa Leander in Italia. ACOS] Oppianus lib. 1. ἁλιευτ. & 2. Κυν. & 3. Halieut. vocat ῥαφίδα βελόνη dicitur, Latinis acus piscis, qui per stultam cupiditatem vlciscendi retia, sese implicat perditque. Scribit de aco, Aristot. 3. de gen. Animalium cap. 4. qui affirmat eum in partu propter magnitudinem ouorum disrumpi. De eodem Plinius lib. 9. cap. 51. Rondeletius lib. 8. Athenæus 7. ait vilissimum esse piscem.

DVCERE

DVCERE] capere. AD SVA] sensus est. An præstat ranas & viles acos Romæ capere, quam ingentes mullos, qui capti in Hispania abiiciuntur in mare, nisi sint trilibres, tanta copia est. AD SAXA] vnde extrahuntur. Saxatiles pisces vniuersè meliores fluuiatilibus, vt Theopompus Comicus apud Athæneum docet. Celsum, & Varronem lib. 3. capit. 3. Rei Rust. vide L. TRIBVS] paullo ante ep. 30. de littore Form. super magnitudine & precio mulli disputauimus. F. PELORIDA] insulsam: sic fatuas alibi dixit betas, fabas. Peloridis meminit Plinius lib. 32. cap. 11. inter cancrorum genera chamæpelorides, chamæglymerides, quæ sunt maiores, quam pelorides. à Peloro Siciliæ promontorio, vel à monte dictam putant. QVOSQVE TEGIT] ostrea parua ieiuna, exsucca.

alij ἀπὸ τοῦ πηλοῦ, à cœno.

Horat. l. 2. S. 4. Musculus, & viles pellitis obstantia concha.

O. B. Q. N. L. TESTIS] Nonne præstat in Hispania potius piscati, ostrea non vilia, aut parua, sed quæ superent Baiana ostrea, in Lucrino lacu nata, quæ sunt præstantia. LIVENTIA] non inuidentia: maiora enim minoribus non inuident, sed contra minora maioribus. QVÆ D.] tanta est copia ostreorum etiam nobilissimorum & maximorum, vti non domini tantum, sed serui & mancipia ad satietatem iis vesci possint in Hispania. HIC OLIDAM] quæ vrinam in fuga incredibili fœtore mittit, supra plenius Scholiastes Callimachi. Τὸ ζῶον τοῦτο λέγεται ὅτι ἔνθα ἂν οὐρήσῃ ἄγονος ὁ τόπος τῷ ἔτει ἐκείνῳ γίγνεται, ὅθεν ἀλωπηξ ἡ καὶ ἀλωπεκία, πάθος περὶ τὴν κεφαλὴν γενόμενον, ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ ζώου. *Hoc animal, vbi vrinã facit, locum reddit eo anno sterilem, Vnde morbus capitis alopecia, & qui laborat alopex translate dicitur.* CLAMOSVS] venator canes exhortans. ILLIC] in Hispania retia modo extracta è piscoso mari tendes feris, & leporum numerum magnum subito capies. Lepus cum vulpe minime comparandus, cum in regum etiam sit delitiis. Lampridius in Alex. Seuero, qui quotidie leporem iussit apponi.

DVM LOQVOR] steriles amnes Italiæ dicit, & sine pingui fera syluas. piscator missus ad ducendos pisces, nihil extraxit. Venator, quia Martem cœpit, putat se opimam prædam adeptum, quam superbus ostentat. MARTE] martes martis, mustelæ genus, de quo Plinius lib. 39. cap. 4. *mustelarum duo genera, alterum siluestre, alterum vrbicum seu domesticum, distant inter se magnitudine.* Græci vocant ἰκτίδας. Est horum mentio apud Ciceronem, Dioscoridem lib. 2. ep. 24. Aristot. lib. 8. de gen. animal. c. 6. Ouidium, Ælianum, alios. hoc loco siluestrem videtur notare, quod à venatore dicat captam. vox ipsa nouitia est, nec memini apud antiquum legere. Matthiolus hanc sigillatim describit ad Dioscoridem.

OMNIS A B V.] In omni cœna præter carnes apponuntur pisces, qui ex Hispanico mari prestantes mittuntur: proinde si quid mandas abiturienti, confectum dabo. Illuc enim propero, vnde Roma viuit & cœnat.

Ad Calenum.

XXXVI. XXXVIII.

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpitia tua iugales
Indulsit Deus, & peregit annos:
Vixisti tribus, ô Calene, lustris.
Ætas hæc tibi tota computatur,
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi, si diu rogatam
Lucem redderet Atropos, vel vnam
Malles, quam Pyliam quater senectam.

O MOLLES] fœlix coniugium Sulpitiæ & Caleni prædicat, & omnia ad Sulpitiæ refert gratiam. MOLLES] dulces, concordes: lætos. VIXISTI] quindecenne connubium ait fuisse. ÆTAS H. H.] hos quindecim annos, quibus indulsisti genio & lecto geniali, solos in vita numeras. EX ILLIS] si tibi Parca Atropos vel vnum diem redderet, anteponeres illum quatuor seculis. Ergo mortuus erat, sequitur enim, *Si tibi*, &c. & supra epigr. 35.

Erepto sibi viueret Calenus.

In

In Lesbiam.

XXXIX. XXXVII.

Consule Bruto quid iuras Lesbia, natam?
Mentiris; nata es, Lesbia, rege Numa.
*Sic quoq; mentiris: namq;, vt tua sæcula * narrant*
Ficta Prometheo diceris esse luto.

* narrant.

Geminã habuit epigrammatis est illud li. 2. Anthol. Myrin. οἱς χ... ἢ πτερύγ... ... &c. Lege li. 1. c. 101. Mammas atque tatas, &c.

CONSVLE TE B.] Lesbiam tam turpem & annosam ait, vt videatur omnium fœminarum prima ex ipso luto à Prometheo ficta. MENTIRIS] fingit poëta fictum hoc à Lesbia dictum. REGE NVMA] es ergo omnibus consulibus antiquior. Numa secundus Romæ Rex. P. LVTO] nota fabula de Prometheo hominum artifice. Sic in Vetulæ epitaphio de Plotia anu.

Pyrrhæ filia, Nestoris nouerca;
Quam vidit Niobe puella canam;
Laërtes auiam senex vocauit;
Nutricem Priamus, socrum Thyestes,
Iam cornicibus omnibus superstes,
Hoc tandem sita prurit in sepulchro,
Caluo Plotia cum Melanthione.

Omnia supra fidem ποιητικῶς extulit.

In Proculeiam.

XLI. XXXVIII.

Mense nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deseris, atq; iubes res sibi habere suas.
Quid, rogo, quid factum est? subiti quæ caussa doloris?
Nil mihi respondes? dicam ego, prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum
Millibus, vt nimium munera parca dares:
Et populare sacrum bis millia dena tulisset,
Discidium non est hoc, Proculeia; lucrum est.

MENSE NOVO] Auaritiæ caussa, auara Proculeia à viro diuertit. De communione bonorum inter virum & vxorem legendum cap. 20. Hotomani de ritu veterum nuptiarum. MENSE NOVO] Ianuario. V. MARITVM] vetes indignior appareret, contraria iungit, vetus & nouum. Minus peccasset, si nouum deseruisset virum, quam veterem, & iam vsu, vita, concordiaque notum & coniunctum. I. RES SIBI SVAS] Diuortij concepta verba sunt. Cum vir à muliere, & mulier à viro discessura pari voto diceret, *Abeas, valeas, tuas res tibi habeto.* Ouid. 2 de Rem.

Munera quæ dederas, habeat sine lite iubeto.

In XII. tabulis apud Fuluium Vrsinum hæc verba diuortij leguntur prisco more
SEI. VIR. AVT. MOLIER. ALTER. ALTEREI. NONTIOM
MISEIT. DIVORTIOM: ESTOD. MOLIER. RES. SOVAS. SIBEI
HABETO. VIR. MOLIEREI. CLAVEIS. ADIMITOD. EXICITOQVE.

Apud Iurisconsultos super hac re plura l. 2. Digest. de diuortio. Alexander Geneal. dierum lib. 4. cap. 8. Tiraquell. Connubial. 2. gloss. 8. Brissonius de formulis antiquis. Antonius Augustinus, Vrsinus, Marcilius ad XII. Cæterum à condita vrbe vsque ad vicesimum, & quingentesimum annum, nullum repudium inter virum & vxorem intercessit. Primus S. Cornelius vxorem sterilitatis caussâ dimisit. Addo. Ex Plutarchi Romulo constat, vxori nunquam licuisse à viro discedere, viro diuertere ab vxore nefas fuisse, nisi in adulterio, aut veneficio, clauiumque adulteratione deprehensa fuisset, aut vinum bibisset, sed hæc postea consuetudo mutauit. CONSTATVRA FVIT] Ludi Megalenses non fuere, (vt ille Terentij interpres cum nonnullis sensit) magis Diis consecrati, sed magnæ deorum Matri Pesinunte Romam aduectæ. Auctores grauissimi con-

mi consulares f re omnes. Varro, Cicero, Liuius, Herodianus, Ouid. Fast. Gellius. Festus, S. Augustinus de ciu t. Dei, & res, sine teste testata satis, quos si tamen requiris, recentiores, lege Alexand. Neap. lib. 6. cap. 16. Muretum. Vtrumque Scaligerum, Ludouicum Viuem ad D. August. Dicti sunt hi ludi Megalenses & Megalesia à templo Megalesio, vnde aduecta erat Romam dea. Celebrabantur per sex omnino dies, à pridie Nonas Apriles, ad quintum Idus. Fasti veteres. Varro lib. 4. de lingua latina. Paullus Manutius ad Cic. epist. ad Fam. lib. 2. ep. 2. Quid his ludis actum, narrat Herodianus in Commodo, D. Augustinus de ciu t. Dei, lib. 2. cap. 4. & seq. Alex. Neap. copiose lib. 6. cap. 19. & alij. Hos curarunt primum Ædiles, quod Liuius, Cicero, alijque docent. Prætores autem & magistratus purpurati in toga prætexta, atque in ornatu maximo præsidebant; quare purpura Megatensis, seu Megalensis in prouerbium abiit, vt est apud Alex. Hinc Proculea virum suum tenuem, sed prætorem; paullo ante Megalesia, ne cogeretur illi purpuram emere, deseru t. CENTVM MILLIBVS] bis mille quingentis philippæis. argenteis imperialibus, quos florenos hodie vulgo appellant, IIIM. CCCXXXIII. cum triente. POPVLARE SACRVM] Domitius ad eadem Megalesia refert, Merula ad Floralia, ego ad neutra. *Popularia sacra* (inquit Festus Pompeius lib. 14.) *teste Labeone, quæ omnes ciues faciunt, nec certis familiis attributa sunt, vt Fornacalia, Palilia, Laralia.* Ergo populare sacrum est generatim dictum, & vel Fornacalia, vel Palilia, vel Laralia, vel si quæ his similia fuêre. Alex. Neapol. cap. 8. lib. 6. Tiraquellus ibidem. Ad hæc ergo popularia opus erat prætori 20000. HS. id est, philippæis 500. LVCRVM] trium millium philippæorum. ludis Megalensibus & sacris popularibus.

à 4. Aprilis ad 9. eiusdem mensis.

Pompam Circensem depinxit Panuinius.

Ad Philerotem.

XXXIX. XLIII

Septima iam, Phileros, tibi conditur vxor in agro:
Plus nulli, Phileros, quàm tibi reddit ager.

SEPTIMA] vt suprà Chloë septem viros, ita Phileros septem vxores confecit, vt recte vult intelligi poëta, quemadmodum & eodem lib. ep. 81. de Galla & Picentino.

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum.
Picentine: sequi vult puto Galla viros.

REDDIT AGER] tam fœcundus est & fertilis vxorum mortuarum. Diogenis non absimile dictum circumfertur, cum ab arbore suspensam videret mulierem. *Vtinam*, inquit, *omnes arbores tales fructus ferrent.* Sic Mento contr. 33. dixit apud Senecam:

Nulli plus reddunt integra mancipia.

REDDIT AGER] etiam eo trahas licet, vt de viuis accipias, quasi ager pro mortua vxore, viuam semper aliam ac nouam redderet. Verus tamen & simplex sensus videtur. [PLVS NVLLI, REDDIT AGER] Reddit enim dotes tot modo abs te sepultarum vxorum. Illis enim aut sua morte defunctis, aut veneno abs te sublatis, dotes earum & bona ad te redeunt. Ita fere infra de Sosibiano captatore.

Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

De sepulchris in agris poni solitis supra dictum, & disputat large Meursius part. 2. Crit. c. 20. Brisson. form. alij.

Ad Q. Ouidium.

XL.

Quincte Caledonios Ouidi visure Britannos,
Et viridem Thetyn, Oceanumq; patrem:
Ergo Numæ colles, & Nomentana relinques
Otia, nec retinet rusq; focusq; senem?
Gaudia tu differs, at non & stamina differt
Atropos, atq; omnis scribitur hora tibi.
Præstiteris caro, quis non hoc laudet, amico,
Vt potior vitâ sit tibi sancta fides.

Sed reddare tuis tandem mansure Sabinis,
Teq́, tuas numeres inter amicitias.

Magnus & clarus vir hic fuit Ouidius, Cæsonij comes voluntarius exilij, Neronis temporibus natus Cal. Aprilibus, lib. 9. ep. 53. & 4. Iuxta Nomentum prædia habuit, vt hîc & lib. 1. aliísque Epigrammatis cognoscis. Hoc loco ait amici caussa profectum in Britanniam, vouet illi reditum, & quietam tandem vitam. CALEDONIOS] hodie Scoti. Nec idem valent Caledonius & Calydonius. Calydon ciuitas est Ætoliæ lib. 9. ep. 49.

Inter quærari Laurentem ponderis aprum
Misimus, AEtola de Calydone putes.

Et lib. 1. ep. 105. *Et quantum Calydon tulisse fertur.*

Inde Calydonius lib. 11. epig. 19.

Tanquam sus Calydonius timetur.

¶ Hoc loci de Britannia loquitur. VIRIDEM] ob colorem aquæ. Thetis vxor Oceani, qui parentes Nereidum, vt fabulæ nugantur. N. CELLES] Romam. NOMENTANA O.] prædia, rura Nomentana, quorum lib. 1. ad eundem Ouidium est mentio ep. 106.

In Nomentanis Ouidi quod nascitur agris, &c.

Regione 4. Plinio. Et aliis lib. is sæpiculè. Nomentum Vmbriæ oppidum. Albanorum Colonia Tarquinio expugnata. Vbi noster Poëta prædium lib. 4.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum,
Si te Quintus amat, commodiora bibes.

Meminere Strabo, Plinius, Virgilius, Liuius, alij, Leander in Vmbria. G. T. DIFFERS] Ex Epicuri disciplina hoc dogma. ATROPOS] Parcarum vltima. P. C. Q. N. H. L. AMICO] quis officium tuum erga amicum reprehendat? cum tu v tam ipsam amicitiæ posthabeas. TVIS S.] vnde oriundus es. TEQVE T. N. I. A.] Eleganter hoc. Tibi ipsi tandem sis amicus, alioqui nihil proderunt olim amicitiæ.

In delicatum Lectorem.

XLV. XLI.

Si quid lene mei dicunt, & dulce libelli;
Si quid honorificum pagina blanda sonat;
Hoc tu pingue putas, & costam rodere mauis,
Ilia Laurentis cùm tibi demus apri.
Vaticana bibas, si delectaris aceto:
Non facit ad stomachum nostra lagena tuum.

SI QVID LENE] Enchomiastica, nuptialia, natalitia, amatoria, & hoc genus alia, quæ vt materia blanda & lenis, ita numeros quoque lenes & blanda verba desiderant, id quod lib. 11. ep. 91. his versibus declarat.

Carmina nulla probas, molli quæ limite currunt,
Sed quæ per salebras alta q, saxa cadunt.
Et tibi Meonio quod carmine maius habetur,
Lucili Columella, hic situs Metrophanes
Attonitusque legis terrai, frugiferai,
Actius & quicquid Pacenuiusq, vomunt.
Vis imiter veteres Chrestille tuosq, poetas? &c.

Si tibi hæc velut minus acria displicent, abi hinc & rodas ossa, bibas acetum, legas maledica, &c. mihi placet subinde etiam lenia & dulcia miscere amaris. HONORIFICVM] ad laudes & encomia refero, lene & dulce, ed epithalamia, natali ia, assent tiones, batia, &c. Marius apud Quintilianum ioca seria partitus est in tria genera, honorificum, contumeliosum, medium. Honorifici exemplum est illud ex Cicerone pro Ligario de Cæsare: *qui nihil soles obliuisci nisi iniurias.* Contumeliosi ex eod. ad Atticum de Pomp. & Cæs. *habeo quem fugiam, quem sequar non habeo.* Medij siue apophthegmatici, cum Cicero dixit mortem neque grau m accidere posse viro forti, neque immaturam consulari, neque miseram sapienti. PINGVE] crassum, rude, inelegans, no a parœmia. pinguis Minerua. pingue ing nium non acre, subtile, promptum. Persius Sat. 1.

Et hoc spumosum & cortice pingui.

ILIA APRI] vnde possis satur fieri, sic apud Homerum honoris caussa Vlyssi apponitur suis dorsum. NON FACIT AD STOMACHVM] stomachus alias iram, alias affectum & naturam hominis valet, vt hoc loco.

In Mathonem.

XLII. XLVI.

Omnia vis bellè; Matho, dicere, dic aliquando
Et bene: dic neutrum: dic aliquando malè.

OMNIA] Intelligentia distichi pendet à scientia vocis (belle) bellus autem apud Ciceronem, Plautum, Varronem, & alios sæpe in bonam partem valet, vt bellæ litteræ, ciuitas, otium, &c. Sæpe etiam in malam, eumque notat, qui aliis libenter obsequitur, & belle dicere est loqui ea, quæ alij velint audire, quasi dicas blande dicere & palpare, nihil, quod offendat, moueat, ingratum ve sit; quo sensu dixit Cicer. *Omnes tuas artes, quibus tu magnus es, concedit, fatetur se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse.* Et Martialis noster lib. 1. ep. 10.

Matho Caussidicus Iuuenal. Sat. 1. Apud Senecam ep. 9. Caussidicus nomen est.

Bellus homo, atq; idem vir magnus, Cotta, videri:
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

Nempe non liber, sed aliorum seruus & assentator. Est enim pusilli & ignaui hominis abiectique, ad aliorum quasi se nutus quoscunque accommodare. Bellus præterea sonat Græcis eos, quos Aristot. 3. Eth. ἀρέσκους appellat, qui student aliis placere, seu dictis, seu iocis, seu cultu, aut sunt dicaces, scurriles, intempestiuiq; petulantes, Plinius epist. 25. lib. 4. *Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta* (in comitiis & magistratu deligendo) *re, tam serio tempore, tam scurriliter ludat? qui denique omnino in senatu dicax, & vrbanus, & bellus est. tantum licentia adijcit prauis ingeniis illa fiducia, &c.* De mollitie cultus Martialis lib. 3. *Cotile, bellus homo es.* Hic Mathonis caussidici studium dicendi videtur carpere quod Matho referebat eò, non vt bene, sed vt belle diceret. quod quid sit, ostendit Persius Sat.

Fur es, ait Pedio: Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis, doctus posuisse figuras
Laudatur, bellum hoc: hoc bellum? ——

Bellum, inquit Persius, hoc putant Oratores, cum schemata oratoria & antitheta, figurasque oratorias ostentant, & nihil de caussa dicunt? non est hoc bellum, non est. Idem factitabat Matho, qui conabatur belle dicere, artem Rhethoricam, & artis omnia lenocinia expromere, Martialis ait hoc belle, non bene fieri. Dic aliquando non belle, sed bene, de re nempe proposita, nec artem semper, sed rei naturam inspice. DIC MALE] neglige artis fucos & præcepta. quod ipsum est nonnunquam bene dicere, cum tali ratione male dicis. Sicut in ipso neglectu quidam cultus est, & in contemptu artis artificium. Hæc mihi arridet sententia. Domitius ad iudicium (nescio quo iudicio) carminis refert, aitque frigide laudatum esse carmen poetæ à Mathone, cum bellum vocasset, parum belle.

Lege epi. 19. lib. 6. in Posthumum. & Petron. Arbit. pag. 1. cum VVouverano.

Ad * seipsum.

XLIII. XLVII.

** an potius ad Iulium Martialem sæpius laudatum supra.*

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, sine arte mensa:
** Nox non ebria, sed soluta curis:*
*Non tristis torus, * attamen pudicus:*

** al. Mox.*
** & tamen.*

latiis. quæ stultis simplicitas, cordatis sapientia est. PARES AMICI] Impares enim genere, fortuna, opibus, raro pares gerunt animos dum maior minorem facile contemnit, minor maiorem palpat. De fideli amicitia Seneca c. 7. de Tranquill. animi, & passim in epistolis. Pares etiam parœmia paribus coniungit. CONVICTVS FACILIS] συντρόφοι faciles & familiares iucundum reddunt conuictum. Videtur hic ipsum apparatum mensæ parabilem & quotidianum, nec sumptosum appellare conuictum: id quod mox sequentia verba exponunt. SINE ARTE MENSA] non peregrinæ nec exoticæ deliciæ & cupediæ. Non quales per maria & omnes terras Nomentanus & Apicius conquisierunt, *super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem è lectis suis spectantes popinam suam, &c.* De parabili vero cibo lib. de Tranquill. cap. 1. *Placet cibus, quem nec parent familia, nec spectent, nec ante multos paratus dies, nec multorum manibus ministratus, sed parabilis, facilisque, nihil habens accersiti precio; sed vbilibet non defuturus, nec patrimonio grauis, nec corpori: nec rediturus, qua intrauerat.* En hæc est sine arte mensa. Sed lautis hominibus. *Quicquid quæritur, optimum videtur*, vt Petronius testatur. NOX NON EBRIA] Non epulis, somno, vinoque sepulta, nec curis anxia & insomnis. NON TRISTIS TORVS] Vxor non Xantippæa, molesta intemperies, æterna lis, rixa, iurgium: sed facilis, commoda, tractabilis, & pudica matrona. BREVES TENEBRAS] Nauci homines Plato, & cum Platone sapientes omnes existimant somni mancipia; mortuis, glires hos, quam viuis propiores dicas, vt recte Ouidius cecinerit.

Seneca lib. de beat. vita c. 11.

Serm bene scriptum est: nam de multo iam super dixerat, multo quæris.

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Breuem ergo somnum & noster poeta commendat, sed quietum. Possis & aliter interpretari breues tenebras, somnum inquam tam dulcem & suauem, vt nox, quamuis longa, tamen breuissima fuisse videatur. Multa mihi copia esset memorandi viros ex omni antiquitate clarissimos, qui in somnum non secus ac iratissimum hostem pugnauerunt, omnibusq; machinis expugnarunt. Sed obuia pluribus transeamus. QVOD SIS, ESSE VELIS] Contentus sua sorte, conditione, fortuna, nec præ se alios iudicet beatos, vt Horatius Sat. 1. queritur, & quærit, cur nemo sua sorte contentus viuat. Terentius dat consilium. *Quoniam id fieri, quod vis, non potest, id velis, quod possis.* Græci monuere idem, εἰ δυνάμενος, ὃ θέλεις, θέλεις, ὃ δύνασαι, Et, Δεῖ τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν. SVMMVM NEC METVAS DIEM, NEC OPTES] Seneca de beata vita c. 5. *Potest beatus dici, qui nec cupit, nec timet*, & epist. 24. *Obiurgat Epicurus non minus eos, qui mortem concupiscunt, quam eos, qui timent*, & quæ ibid. sequuntur. Idem lib. 6. quæst. natural. cap. 32. *Mori nec rogaueris, nec timueris.* Audisti, quæ, ex sententia Poëtæ beatam præstent vitam: iuuabit & Pentadij nobilissimas syllabas de ead. beata vita venustissime canentes, pro huius Epigrammatis coronide, apponere.

Non est, falleris, hæc beata non est,
Quod vos creditis esse vita, non est,
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut testudineo iacere lecto,
Aut pluma latus abdidisse molli,
Aut auro bibere, & cubare cocco,
Regales dapibus grauare mensas,
Et quicquid Libyco secatur aruo
Non vna positum tenere cella:
Sed nullos trepidum timere casus.
Nec vano populi fauore tangi,
Et stricto nihil æstuare ferro.
Hoc quisquis poterit, licebit illi
Fortunam moueat loco superbus.

Parat Conuiuium.

XLIV. XLVIII.

Nunciat octauam Phariæ sua turba iuuencæ,
Et † pilata redit, iamq́; subitq́; cohors.
*Temperat * hic thermas, nimios prior hora vapores*
Halat, & immodico sexta Nerone calet.
Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce venitis.
Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.

*† Ios. Scaliger ad Tibullū p. 118. Atq; pilata, legit à pilo, prima breui. Nonnius v. pilare & Festus, alii pileata, vt pileati Parthi. * hac.*

Exoneraturas ventrem mihi villica maluas
Attulit, & varias, quas habet hortus, opes.
In quibus est lactuca sedens, & tonsile porrum
Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax.
Secta coronabunt rutatos oua lacertos,
Et madidum thynni de sale sumen erit.
**Paruus * in his, vna ponetur cœnula mensa,*
Hœdus, inhumani raptus ab ore lupi.
Et quæ non egeant ferro structoris ofellæ,
Et faba fabrorum, prototomiq; rudes.
Pullus adhac, cœnisq; tribus iam perna superstes
Addetur: saturis mitia poma dabo.
De Nomentana vinum sine fœce lagena,
Quæ bis Frontino consule prima fuit.*
Accedent sine felle ioci, nec mane timenda
Libertas, & nil, quod tacuisse velis.
De Prasino conuiua meus, Venetoq; loquatur:*
** Nec facient quemquam pocula nostra reum.*

* Casta. * onyx. * plena * Scorpo; meus conuiua. * Non Ouid. 1. Met.

Inscriptio continet argumentum.

NVNCIAT OCTAVAM] Isidis (quæ Inachi filia versa in bouem, deinde in deam, colebatur Romę sacris ex Ægypto petitis, Lucianus, Apuleius, alij) sacra hora pomeridiana 8. absoluebantur, quæ est apud nos secunda pomeridiana Octaua hora exercebant corpora veteres & lauabant. De exercitatione lib. 4. Martialis. *Sufficit in nonam nitidis octaua palestris.* Ante octauam non licebat publice lauare, nisi ægris. Spartianus in Hadriano. *Ante octauam horam neminem, nisi ægrotum, lauare passus est.* Ipsa hora lauandi tintinnabulo indicabatur, Mart. lib. 14.

Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?

NVNCIAT OCTAVAM] Habebat Isidis mysta tintinnabulum de quo hæc Magius lib. de tintinn. c. 7. *Nolim lectorem ignorare Syriæ Deæ sacerdotem, vt auctor est Lucianus, tintinnabulo vti consueuisse. Ait namq; ante Syriæ Deæ templum phallos duos miræ altitudinis fuisse statutos: in hos sacerdotem ea solitum arte conscendere, qua Syri palmas altiores nimirum fune caudici aduoluto (duplicem hunc esse oportuit, vt dum in altero pedes eius, qui conscendere vellet, consisterent, alter altius promoueretur) ac paulatim ad superiores partes protracto cum vero ad summas phalli partes peruenisset, orare sacra facere ac inclamare consueuisse, atq; interim tintinnabulo sonum edere, vt verbis tinnitus sociaretur. Æs namq; in sacris non modicam vim habere, existimabat antiquitas. Sunt præterea qui putent, Deæ eiusdem sacerdotes, qui stipem non modicam passim emendicantes, siue potius corradentes, colligerent (hos Cicero in libris de legibus, domos exhaurire & vrbem superstitione implere dicit) tintinnabula vsurpasse; visiturq; inter antiquorum statuas, Romæ opinor, sacerdos huiusmodi cum pera & tintinnabulo. More non absimili apud Italos nostros, qui D. Antonij fratres nuncupantur, passim eleemosynas colligentes statim atq; in pagos & vicinias peruenerint, tintinnabula mouent, quod tinnitus religionem quandam præ se ferat (etenim D. Antonium cum tintinnabulo appingi videmus) & eos, qui aliquid daturi sint, accersat. Eodem cum iis, qui benigne fecerunt, pie salutem æternam à Deo expostulant, identidem personant. Quod & Isiacos fecisse arbitror.*

SVA TVRBA] calua & sistrata, id est, Isidis sacerdotes rasi, de quibus ad illum versum Martialis plenius,

Linigeri fugiunt calui, sistrataq; turba.

P. CŒHORS] sistrata, inquit Domitius. Merula negat pilum, & sistrum idem sonare, nec ego memini idem valere. Merula pilatam vocat, quod gladios gestarint sacerdotes, & se vulnerarint. Apuleius sanè lib. 11. Metam. totam sacerdotum, & totius populi pompam describit, nec pili, quod sciam, mentionem facit vllam. aliquos tamen in ea pompa velut è ludo gladiatorio prodire affirmat. qui gladios ancipites, vel anceps ferrum gerentes sua brachia dissecabant; octauo vero libro docet linigeros illos se cruentasse. Et Seneca lib. de beata vita. ep. 22. *Cum sistrum aliquis*

aliquis concutiens ex imperio mentitur, cum aliquis secandi lacertos suos artifex, brachia atque humeros suspensa manu cruentat, cum aliqua genibus per viam repens vlulat, laurumq; linteatus senex, & medio lucernam die praeferens conclamat, &c. Plura Diod. Siculus, Herodotus, Gyraldus, Arnobius, Tertullianus, Ouidius alij.

ET PILATA R.] Ferri potest hæc scriptura, si gladiatam intelligas. Laudo tamen Scaligerum, qui legit. *Atq; pilata*. Pilata, id est, calua, volsa. Isidis enim sacerdotes pilo depilabantur. Et hoc est pilare, vt Martialis alibi.

Nec plena turpi matris olla resinâ,
Summœniana qua pilantur vxores.

Et caluos fuisse seu volsos, nulla est dubitatio. Martialis l. 11. ep. 29.

Linigeri fugiunt calui sistrataq; turba.

Sed ad hoc primum Epigrammatis disti.hon iuuabit animaduertisse, Isidi bis in die laudes ab Isiacis dictas. Prima nempe hora, qua sacerdotes Isidis templum aperiebant, (idque Apertio vocabatur) & Deam salutabant, quod Salutationem, & Excitationem appellabant. Post, totum diem stipem emendicabant. Inde ad octauam redibant, & deam componebant, & templum claudebant. Has geminas Isidis laudes Tibullus intelligit, cum ita lib. 1. canit.

Bisq; die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.

Confirmat hoc de prima hora Apuleius lib. 11. pluribus locis. Arnobius lib. 7. alij quos Scaliger verbatim apponit. Octauam horam nominat hic expresse Martialis. Sed nondum locus hic totus enodis. Quid sibi vult. Iamque subitq; ? m, que, post verbum subit redundat. An scribendum statque subitque cohors. Nam reuersi Isiaci ex mendicatione, Deam stantes adorabant. Martialis lib. 12. ep. 20.

Linigeri fugiunt calui, sistrataq; turba,
Inter adorantes cum stetit Hermogenes.

Deinde componebant, opinor, Deam, templumque claudebant. Alij tamen pleri seruant:

Iamq; subitq;

REDIT] ad templum deæ, quod erat Romæ in Campo Martio, vnde Campensis dicitur Isis Apuleio. In sacris autem illis Isidis repræsentabant indagationem, qua filium amissum quærebant, Isidis natum. hora vero octaua vestigatio illa cessabat, Isiacijque ad sacram ædem reuertebantur. TEMPERAT] hora octaua, PRIOR] septima quæ prima est pomeridiana, SEXTA] quæ duodecima. NERONE] thermis Neronianis. STELLA] nomina * septem conuiuarum. SIGMA] Imperite legunt quidam signa, placent signa. Sigma Græcorum character olim, vt C. Latinorum formabatur, præsertim in maioribus figuris. exempla obuia in Inscriptionibus & nummis & libris. Stibadia vocat lib. 14.

Accipe lunata scriptum testudine sigma,
Octo capit. ———

De hoc genere sigmatis, vel stibadij lib. 14. plura ep. 87. Erat genus lecti in formam hemicycli factum. cœpit sub Imperatoribus, quamuis nonnulli mensam fuisse contendant. MALVAS] maluam Græci μαλάχην. Nos, Pappel / vocitamus, qua de, præter auctores nostri æui, scribunt Dioscorides lib. 2. c. 3. Theophrastus lib. 5. de plantarum histori. Plinius lib. 19. c. 4. Galenus lib. 7. Simplicium medicam. Quod maluæ ventrem lubricent, etiam ijdem fere omnes confirmant. LACTVCA SEDENS] sessilis, laconica betica varie appellata. TONSILE PORRVM] regredere ad lib 3. ep. 47. & lib. 13 ep. 19. de porro. HERBA SALAX] Erucam putant, Græcis ocymum, nec pluribus opus. RVCTATRIX MENTHA] Alij stupratrix, alij de stupratrix, alij ruptatrix, seruo primam scripturam; ructatrix quod ructus cieat. Mentha à Græco μίνθη, nobis Müntzen / herba pueris nota. SECTA C.] Iam suprà docuimus oua solita secari, mediaque cybiis inserciri, rursumque claudi. RVTATOS] ruta imbutos lacertos, nota vulgo herba; lacertos non accipe hic venenosos quales apud nos visuntur. supra de lacertis. plura lib. 17. epig. 77. in Papilum. ET MADIDVM] sumen papillæ scropharum recens effetarum, (de quo lib. 13.) falso liquore de thynni piscis sanguine infectum. PARVVS O.] manifeste corruptus locus. lege paruus in his (inter hæc) ponetur cœnula mensa Hœdus, vt intelligas hœdillum ponendum fuisse, qui vna cœnula, atque vna mensa potuit totus absumi. RAPTVS] ... qui poterat rapi, & obnoxius erat prædatori. STRVCTORIS] creodætæ, carptoris, Fürschneider. Sunt, qui distinguant structoris officium à Carptoris, quod carptor diuidat cibos & sit idem, qui scissor. Structor vero, qui struat, ordinet, componat, vt Seruius docet, fercula. vnde & structores dicuntur ferculorum compositores. Structoris munus fercula puerorum manibus allata commode disponere. Grecis τραπεζοκόμος, τραπεζοποιός, οὐχ ὁ μάγειρος, ἀλλ' ὁ τῶν πάντων περὶ τὰ συμπόσια ... ἐπιμελούμενος. VVouerium lege ad Petronium pag 319. Heraldus structorem eundem scissori facit, qui multa ad hoc Martialis verbum. OFELLÆ] alioqui duplici ff. scribitur offella. sunt partes carnium in craticula assatæ, vel in olla elixæ. Varro de re rust. cap. 4. l. 2. In Hispania vltериore

** non stella: ad omnes extant multa epigrammata.*

Apud Philandrum & Ciaconium de triclinio.

Plura Parrhasius lib. 5. c. 4. p. 111.

Manteln.

Gryphius differto habet in his.

Structor, carptor, tribunus, scissor Iuuen. Sat 5. Heraldum adi.

Ita Petronius structorem accipit.

re in Lusitania cùm sus esset occisus, Attilius Hispaniensis minimè mendax, & multarum rerum peritus in doctrina, dicebat, L. Volumnio senatori missam offulam cum duabus costis quæ penderet III. & XX. pondo; eiusque suisà cute ad os pedem & III. digitos fuisse. Festus exponit ofellas carnes conditas, & globi forma concisas, Knödel. FABA FABR.] herba, quæ condita faba est, fabrilis vocabatur, vt canit Columella.

—— quiq; fabis habilis fabrilia miscet.

PROTOTOMI] caules coliculi, de quibus lib. 13. primi caules succisi. PERNA] pes suis cum superiore dorsi parte. lib. 13. plenius. SVPERSTES] sufficiens quatuor cœnis. SATVRIS] secundis mensis. MITIA] Virg. *—— sunt nobis mitia poma.* præmatura. NOMENTANA L.] Nomentanum vinum, quo recentius, hoc deterius, quo vetustius, hoc generosius. lib. 1. ep. 106.

In Nomentanis, Ouidi, quod nascitur agris,
Accepit quoties tempora longa merum,
Exuit annosâ mores, nomenq; senectâ,
Et quicquid voluit, testa vocatur anus.

FRONTINO] Nusquam reperio Frontinum consulem, hoc æuo, Fronto ter consul fuit. Fasti Capitolini. cum Traiano III. & ipse Fronto III. Constat tamen consulem fuisse, quod Frontini huius libri stratagematum titulum hunc præferant. *Sexti Iulij Frontini viri consularis.* Scripsit idem de Aquæductibus lib. II. librum de qualitate agrorum. Est de hoc eod. carmen infra 59. Poëta vinú conditum ait, Frontino consule II. quod pro recente ponit. vixit enim æuo Martialis & Traiani Frontinus. Fasti porro consulares truncati sunt, præsertim quà mediis anni mensibus, quibus subinde alij alijs consules successerunt. M. T. LIBERTAS] nullus erit, qui nostros iocos insidiose excipiat, & deferat ad Cæsarem, nosque reos faciat, vt Domitiani temporibus contigebat. Idem factitatum Tiberij æuo. Senecam testor de Ben. lib. 3. cap. 26. vbi de Paullo Prætorio memoratu digna res notatur. vide & Duarenum ad legem Iuliam de Maiestate. c. 4. Iterum Senecam c. 27. 3. de Ben. Seneca iterum de breuitate vitæ: nullius ex his (philosophis) sermo periculosus erit, nullius amici capitalis sumptuosa obseruatio. De PRASINO] de quatuor factionibus Aurigatorum diximus alias. Prasini habebant viridem cultum, Veneti cæruleum. Studia populi inclinabant partim in Prasinos, partim in Venetos, & cum populo Cæsares, qui ergo diuersum à Cæsare sentiebant, magnum periculum subibant.

In Cottam.

XLIX. XLV.

Cùm potes amethystinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano:
Propinas modò conditum Sabinum,
Et dicis mihi, Cotta, vis in auro?
Quisquam plumbea vina vult in auro?

Sabinum & Falernum, Opimiana vina. Sabinum mala mera.

CVM POTES] conuiuatorem sordidum carpit, qui bibebat Falernum, & conuiuis in auro propinabat Sabinum, vinum deterrimum. AMETHYSTINOS TRIENTES] Synechdoche, pocula posuit pro ipso vino. AMETHYSTINOS] vel refert ad gemmas insertas poculis, vel ad colorem nobilissimorum vinorum; gemmam tamen hanc non conuenire poculis Plato recentior docet in epig. 4. In Amethysto Bacchus sculptus, alloquitur gemmam lib. 4. Anthol.

ἀμέθυστος non ebriam.

Ἁ λίθος εἰμ' ἀμέθυστος, ἐγὼ δ' ὁ πότας Διόνυσος,
Ἢ πειθέτω νήφειν, ἢ μαθέτω μεθύειν.
Sobria tu gemma es, sed ego potator Iacchus:
Ebria vel tu sis, sobrius aut ego sim.

Andreas Vaccius.

SABINVM] ante annum sextum potabile non est, postea nobile; hinc poëta dixit modo conditum seu recens. PLVMBEA V.] pessima vina.

De

De Scorpo.

XLVI.

Frangat Idumæas tristis victoria palmas:
Plange, fauor, sæuâ, pectora nuda, manu.
Mutet honor cultus, & iniquis munera flammis
Mitte coronatas, gloria mæsta, comas.
Heu facinus, primâ fraudatus, Scorpe, iuuentâ
Occidis, & nigros tam citò iungis equos.
Curribus illa tuis semper properata, breuisq;
Cur fuit, & vitæ tam prope meta tuæ?

Suet. Cal. c. 55. Incitato equo Caligula destinauit consulatum alia, q; multa stolidius equo.

Deplorat fatum Scorpi aurigatoris populo principibusque gratissimi. Huic ait Domitius à Caligula destinatum consulatum, nihil somniauit de Scorpo nondum nato Caligula; Scorpus enim annum ætatis septimum supra vigesimum non excessit, & à Claudio vsque ad Traianum prope sexaginta anni fluxere; natum credo Scorpum sub initia Vespasiani Cæsaris, & Imperatoris creati, si Scorpus Traiano Neruæ succedente statim est extinctus. Qui aurigæ, siue aurigatores, qua conditione, quam nobiles, noti, &c. copiose Panuinius lib. 1. de lud. Circens. c. 11. FRANGAT I.] Hortatur Victoriam, Fauorem, Honorem, Gloriam Numina semper propitia Scorpo, vti symbola sua, Scorpo ante veluti insignia quædam indulta in rogum præcipitent. FRANGAT VICTORIA PALMAS] victor enim Scorpus fato victus est. itaque frustra gerit palmam signum victoriæ. Palma, & alia multa priscis significabat, & consensu victoriam, quod Imperatorum sculptæ, cælatæ, pictæ nummisque expressæ imagines ostendunt, parœmię confirmant, scripta principum auctorum, prodigia palmis data, miracula naturæ, oracula diuina clamant. de quibus Cicer. Gellius, Plutarchus Plinius, Aristot. Valerius Max. D. Ioannes in Apocalypsi, *Et palmæ in manibus eorum*, aliisque libris alij vates tractant. Caussam aiunt huius symboli, quod palma onere pressa non succumbat, sed fortius exurgat, quod in certatores cadit, qui dum vincunt, nullis laboribus difficultatibusque superantur; multa super hac Pierius lib. 50. De palma Iulij Cæs. vel Augusti Brodæus lib. 1. Anthol. ad Philippi Epigramma εἰς δάφνην. Etenim, quam alij scriptores palmam, Philippus ait, laurum fuisse. IDVMÆAS] nemo nescit Idumen Syriæ, & Iudæam palmæ feracem, ita vt ipsam Iudæam Romani expressuri, simulachrum arbori palmæ alligatum finxerint. sic in Titi nummis spectatur, cum inscriptione *Iudæa capta*. Idem alia, atque alia forma in Vespasiani nummis. De palma Idumæa etiam Virg. Lucanus, Plinius, alij sæpius vel canunt, vel narrant. TRISTIS] ob mortem Scorpi, quæ sæpe in aurigatione ludis Circensibus vicerat. PLANGE F.] signum luctus, plangere manu pectus apud varias gentes. Alexand. Neapol. lib. 5. cap. 7. & ibid. Tiraquellus, vbi non hoc tantum, sed innumera alia plurimarum gentium luctus signa leges. De spectatorum acclamationibus, fauore, plausu, fremitu, furore fuse Bulengerus de circo. c. 46. toto. MVTET Romani, vti fere cæteræ gentes omnes & hodie, in luctu vestem mutabant, cuius vbique in Cicero. Liuio Ouid. ad Liuiam, aliosque scriptores, testimonia occurrent, quæ leges apud Tiraquellum, Bencium, aliosque sexcentos. MITTE CORO. Hic quoque mos obtinuit, vt comæ in luctu tonderentur, & flammis inijcerentur. Apud Homer. Iliad. ψ. in morte Patrocli Achylles & Odyss. 4. & 24. Quintus Calaber de funere Achillis. Virgil. 9. Æneid. Propert lib. 1. eleg. 17. Catullus in Arg. Ouidius 3. Met. Statius 6. Theb. Sisenna lib. 4. apud Nonium Marcellum. Herodianus in Caracallo. Iunius de coma. Tiraquellus. MVNERA FLAMMIS] quæ quantaque in rogum cum cadauere iniecerint, è Suetonij Iulio, c. 84. & Plinij epist. 2. lib. 4. disces. Nero in Poppææ funere tantum aromatum consumpsit, quantum tota Arabia vno anno non profert. Plinius l. 12. c. 18. Heraldus plurima.

Sic Ouid. frangere fasces dixit ad Liuiam. Consul init fractis mœrentem fascibus vrbem.

Sordidati, immo pullati lege qua copiose hic tractat Mealdus.

PRIMA IVVENTA] septimo & vigesimo ætatis anno. Mart. inf. à. *Inuida quem Lachesis raptum trieteride nona.*

NIGROS EQVOS] vt albi victorijs & triumphis seruit, ita pullus & ater luctibus & exequiis. equos autem nominat, quod Scorpus aurigator esset, & Pluto inferorum deus atris inuehens equis pingatur priscis. Ouid. 5. Met.

Hanc metuens cladem tenebrosæ sede tyrannus
Exierat, curruq; atrorum inuectus equorum
Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.

Auri-

Aurigabatur autem Scorpus etiam apud inferos, quod veteres existimarent vita functos eadem actitare apud Manes, quæ viuentes egissent.

—— quæ gratia currûm,
Armorumq́, fuit viuis, quæ cura nitentes
Poscere equos, ead. m sequitur tellure repostos.

Nigros vero equos Poëta assignat Scorpo mortuo, quod apud inferos omnia atra. CVRRIBVS ILLA] ordo verborum est. Cur meta illa tuis curribus (in certamine aurigandi) semper p operata & breuis? quod est dicere, Vt currus tui priores semper in cursu flexerunt metas, ita tu quoque m tam vitæ æmulis tuis prior flexisti, cum obiisti, ita vt meta tibi semper proxima, velut viuenti, ita & morienti fuerit.

Ad Faustinum.

LI. XLVII.

Sidera iam Tyrius Phryxæi respicit agni
Taurus, & alternum Castora fugit hyems.
Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbor,
Ismarium pellex Attica plorat Ityn.
Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Rauennam
Abstulit? ô soles, ô tunicata quies?
O nemus, ô fontes, solidumq́, madentis arenæ
Littus, & æquoreis splendidus Anxur aquis.
Et non vnius spectator lectulus vndæ,
Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris?
*Sed * non Marcelli, Pompeianumq́, nec illic*
Sunt triplices thermæ, nec fora iuncta quater.
Nec Capitolini summum penetrale tonantis,
Quæq́, nitent cœlo proxima templa suo.
Dicere te lassum, quoties ego credo Quirino,
Quæ tua sunt, tibi habe: *quæ mea redde mihi.*

* nec.

SIDERA] Faustinus in Campania amœnos quosdam locos & villas circa Tarracinam habebat. Martialis recte carpit amicum, quod vernis solibus vere, hoc est, rure suo & otio non fruatur, sed Romæ patiatur se honoribus & magistratibus implicati. SIDERA] verni temporis descriptio à tribus signis cœlestibus, & ipsa terra flore vestita. Nam cum annus in quatuor tempestates tribuatur, Ver, æstatem, autumnum, hyemem, cuique tempori tres menses adsignantur, Veri, Martius, Aprilis, Maius, quos Poëta his tribus signis ostendit Ariete, qui mense Martio prodit, tauro, qui Aprili, Geminis, qui Maio. Iam Tyrius taurus respicit sidera agni Phryxæi; aries enim ante taurum oritur, taurus simul ac emicat, arietem præeuntem videt. Agnus autem Phryxæus appellatur, propter Phryxum Athamantis filium, quem aries per Hellespontum in Colchos vexit cum sorore Helle, qui decidit in pontum. Aries etiam, detracto vellere aureo, relatus est inter astra. Ouid. 3. Fast.

Vtq́, fugam capiant, aries nitidissimus auro (sic lego)
Traditur: ille vehit per freta longa duos.
Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra
Fœmina, cum de se nomina fecit aqua, &c.

Et mox:
Littoribus tactis aries fit sidus: at huius
Peruenit in Colchas aurea lana domos.

Q. Curtius de rebus gestis Alex.

Qui fabulam totam desideras, Hyginum ad lib. 2. Astron. & Natalis aliorumque Mythol.

Taurus

Taurus Tyrius. Recte poeta Tyrium vocat. qui pater Europæ, Agenor Tyrum & Sidonem vrbes condidit. Europa vero Sidone à Ioue in taurum verso in Cretam per mare Tyrium est transuecta. ALTERNVM CASTORA] Manilius Geminos facit Apollinem & Herculem. alij Castorem & Pollucem. alternum vocat. quod equiculus Castoris & Geminus nunquam simul in Græcia videantur, quemadmodum astrologi docent an Occidente altero alter oriatur disputat. Bisciola l. 4. c. 6. RIDET AGER] descriptio veris, qualis apud Ouid. 1. Fast. *Omnia tunc florent.* Et 15. Met. *Nam tener & lactens, &c.* Virgil. *Ver adeo frondi.* Lucret. 1. *AEneadum genetrix, &c.* Veris nuncia hirundo. Sauaro multa ad ep. 14 lib. 2. Sidonij. ISMARIVM PELLEX] Philomela Pandionis Atheniensium Regis filia, per vim stuprata à Tereo Traciæ tyranno, pellex dicitur sororis Procnes, quæ vxor Terei. fabula est apud Ouid. Met. floride descripta. ISMARIVM] Thracium. ab Ismaro monte Thraciæ Ismarus in sing. in casu multitud. Ismara. Virg. 6. Eclog. & 2. Georg. ITHYM] filium Terei & Prognes occisum à matre & matertera. Multa ex variis scriptoribus super hac fabulâ noster Pontanus ad illum Virgilij versum Ecl. 6.

Aut vt mutatos Terei mutauerit artus, &c.

QVALEM TIBI] vsurpatam seruo lectionem. QVALEM TIBI ROMA RAVENNAM ABSTVLIT] Rauennam enim & Taracinam aliasque in colonias ciues per æstatem excurrebant, vt ipse alibi Mart. Forum Cornelij & Rauennam ipsam. Faustinus honoribus & magistratu occupatus in vrbe, carebat Rauennâ & Tarracinâ, vbi villas & prædia colebat. Roma ergo abstulit Rauennam Faustino, cum potestatem excurrendi & rusticandi negauit. V. C. habet, *quales tibi Roma Rauenna Abstulit.* vario sensu & impedito, nisi alloquare Rauennam. Quales tibi dies, Faustine, quales tibi Rauenna, Roma abstulit, cum tuum tibi Faustinum negauit. Caue anota. O TVNICATA QVIES] quieta, otiosa, tranquilla, rurestris. tunica enim seruorum quondam & rusticorum cultus in colonii & municipiis. Cic. in Rullum de Capuanis. *Iam vero qui vetus tunicatorum illorum in Albana & Seplasia.* Plinius lib. 7. epist. 3. *Quin ergo aliquando tu vrbem redis? vbi dignitas, honor, amicitia, tam superiores, quam minores. Quousque regnabis, quousque vigilabis, cum voles: dormies, quandiu voles? quousque calcei, nusquam toga feriata? liber totus dies.* Nihil est illustrius hoc loco ad hunc versum exponendum, qui ad illum quoque lib. 1. pertinet.

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga,
Olidæue vestes murice.

Item Plinius lib. 1. epist. 9. de eadem vita. *O rectam sinceramque vitam! ô dulce otium, honestumque, ac pæne omni negotio pulchrius ô mare, ô littus verum secretumque, museon, quàm multa inuenitis, quàm multa dictatis!*

Ergo tunicata quies est libera ab officiis vrbanis, salutationibus, negotiis, curis, vigiliis. qua de Lipsius 1. Elect. cap 25. Et lib 1. epist. 5. quæst vbi de Romanis togâ in municipiis raro vtentibus. Respexit huc Sidonius ep. vlt. lib. 2. *Menses in otio fuliginoso, seu tunicata quiete transmittere.* O NEMVS] transit ad Tarracinam seu Terracinam à Rauenna. Tarracinensis vero ager siluas, lacus, & littora habet amœnissima. dicta vrbs quondam Volscis, Anxur. caput gentis. colonia Romana, trecentis eo deductis. Liuius lib. 8. *Erat ipsa ciuitas quondam in colliculo sita. fossis & conuallibus vndique cincta, per quas aquæ marinæ effundebantur.* Leandrum consule in Latio, qui multa ex multis scriptoribus collecta habet. SOLIDVM L.] quia altum propter vicinos montes. MADENTIS ARENÆ] alluuione maris. ÆQVOREIS SPLENDIDVS] supra l b 5. epig. 1. ad illum versum.

Siue salutiferis candidus Anxur aquis.

Plura memini dicere super Anxure. Anxur ipse non fuit flumen, sed oppidum circum fusum aquis dulcibus marina mixtis, & hinc salutiferis, quod acrimonia salsa putorem arceret, ne animalia noxia crearentur. Fuit non procul inde palus Pomtina seu Pontina ex duobus fluminibus Vfente seu Aufido poetis celebrato. & alio minore, vt hinc poetam quoque nostrum subiecisse credam. ET NON] mare & flumina intellige vrbi circumfusa & propinqua. Ex ipso porro lectulo seu cubiculari, seu tricliniari, ait spectatas vndas, quod villa littori imminueret. Seneca de tranquil. cap 1. *Quid perlucentes ad imum aquas, & circumfluentes ipsa conuiuia.* Plinius lib. 2. de suo Laurentino epi. 17. *Est contra medias cauædium hilare: mox triclinium satis pulchrum, quod in litus excurrit, ac siquando Africo, mare impulsum est, fractu iam nouissimis fluctibus, leniter alluitur. Vndique valuas aut fenestras non minores valuis habet, atque ita à lateribus à fronte quasi tria maria prospectat.* Et mox plura ibid. SED NON MARCELLI] Theatrum Marcelli Octauiæ sororis Augusti filij, quod Augustus excitauit, fuit inter Capitolium & Tiberim. vbi nunc Palatium Sabellorum, loca capiebat 80000. Iuxta theatrum porticus [illegible] & sua. Marlianus lib. 6. cap. 2. de Marcello Virgil 6. Æn. & hist. August. Theatrum Pompei [illegible] item capiebat 80000. Scribunt de hoc Plutarchus in Pompeio Porphyrio, Martialis. Victor & Rufus in regione 9. circo Flaminio, ponunt. Diximus alias libris de hoc plenius, vt hoc fuerit fixum & æternum, cum antea subita & soluenda extruerentur. De hoc Pompeiano multa Philander ad Vitruuium lib. 3. cap 9. Fortean hic Pompeianum Iouem intelligit, de quo S. Rufus in 9. Regione. Plinius lib. 34. cap. 7. Lipsius in Admirand 3. NEC ILLIC SVNT] triplici serie ædificatas thermas interpretatur Calderinus. haud scio an recte; mihi triplices cellæ in balneis videntur à poeta signari, caldariæ, tepidariæ, frigidariæ, quas vno & communi nomine thermas vocat, & triplices

Rem totam elegantis carmine describit Ouid. 5. Fast.

Lipsium, & tractantem consule lib. 5. epist. 5.

Virg. 7. Æn. Lucanum lib. 3. Silium 8. nostar max infra. Et fons ipse Anxur. nonnunquam, &c.

plicos propter trina labra & cellas, in quibus natabant, lauabant, corpora astringebant. Atque has cellas diserte ponit Plinius epist. 6. lib. 5. *Inde Apodyterium balnei laxum & hilare excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum atq; opacum. Si natare latius aut tepidius velis, in area piscina est. In proximo puteus, ex quo possis astringi, si pœniteat teporis. Frigidariæ cellæ connectitur media, cui sol benignissime præsto est caldaria magis.* En tres cellas, frigidariam, mediam, id est, tepidariam, & caldariam. Recte enim sic exponit Catanæus. Ita præfurnio Balneorum tria ahena, Vitruuio teste, imponebantur, caldarium, tepidarium, & frigidarium, quod erat supremum, ex quo fluebat aqua in tepidarium, ex hoc in caldarium; tria ergo erant ahena & tres cellæ. Idem Paulus scripto testatur, qui tepidarium secundum parietem in balneo fuisse docet. Antonius Musa cum Euphorbo fratre instituit, vt a balneis corpus multa frigida astringeretur. Lege Catanæum ad lib. 2. epig. 17. Philandrum ad Vitruuium lib. 5. c. 10. Pallad. lib. 1. cap. 40. Frigidariæ & caldariæ sæpius meminit Mart. lib. 6. epig. 42. vbi Thermulis explicatis subiungit,

> *Ritus si placeant tibi Laconum,*
> *Contentus potes arido vapore,*
> *Cruda Virgine, Martiaq; mergi.*

Et lib. 9. epig. 77. vbi balneum Tuccæ irridet. FORA QVATER] de quatuor foris suprà epig. 28. dictum. Romano, Iulio, Augusto, Transitorio. NEC CAPITOLINI SVMMVM PENETRALE TONANTIS] Iupiter Capitolinus supra nobis est celebratus, & nemini ignotus; restituit illum Domitianus exustum, & templum Flauiæ gentis extruxit. DICERE] conditor, pro vrbe ponitur, & Romanis. Quoties tu dicis Romulo, cum fractus es tot curis, & officijs. QVÆ TVA] tu tibi tuos serua honores, & curas; me & mea, hoc est otium, rus, villam, redde mihi.

Epitaphium Scorpi.

LIII. XLVIII.

> *Ille ego sum Scorpus clamosi gloria Circi,*
> *Plausus, Roma, tui, deliciæq; breues.*
> *Inuida quem Lachesis raptum trieteride nona,*
> *Dum numerat palmas, credidit esse senem.*

Huius modo deplorauerat immaturum fatum. CLAMOSI CIRCI] aurigatores enim in circulo flectebant metas & * cuniculis certabant, quibus acclamabat totus populus, vt supra de Circo Bulengeri * ostendimus. PLAVSVS] sæpe victor abietat. BREVES] raptus cito. TRIETERIDE NONA] septimo & vigesimo ætatis anno. trieteris triennium complectitur, orta a Bacchi sacris, vt iam ante exposuimus. DVM NVMERAT PALMAS] elegans encomium. Lachesis Parca toties Scorpum Iulius Circensibus victorem viderat, vt eum iam secularem crederet; alij quippe senes ad summam ætatem prouecti, tot palmas non rapuere, quot iuuenis Scorpus. Ita victorijs multis paucos æui annos compensauit. Ad eundem modum Ouidius ad Liuiam de Druso in bello Germanico occiso.

* curriculis.
* cap. 29.

> *Quam paruo numeros impleuit principis æuo,*
> *In patriam meritis occubuitq; senex.*

Et ibid.

> *Quid numeras annos? vixi maturior annis;*
> *Acta senem faciunt; hæc numeranda tibi.*

S. 4. Apud Leod. à Quercu, extat Adolescentis epitaph. tom. 1. *Iulius, &c.* De beatis sanctisque viris idem diuinæ litteræ: *Consummatus in breui expleuit tempora multa.*

In Olum.

LVI. XLIX.

> *Mensas, Ole, bonas ponis: sed ponis opertas:*
> *Ridiculum est, possum sic ego habere bonas.*

MENSAS, OLE, BONAS] Dapem laudabat suam, & conuiuia Olus, cum tamen epulas non exponere videndas, sed opertas apponeret, indeque aperiret, quod vellet. Poëta se quoq; hac ratione lautum esse posse iocatur, & tectas mensas inferre, quæ tamen prope vacuæ sint. Ita clam vel paupertatem Oli, vel auaritiam, vel arrogantiam notat, vel iuncta omnia carpit. De operta mensa Petronius in Trimalcionis conuiuio. *Hæc vt dixit, ad symphoniam, 4. tripudiantes procurrerunt, superioremq; partem repositorij abstulerunt. quo facto videmus infrà, scilicet in altero ferculo, altilia, & sumin, &c.*

In Gallum.

L. LVII.

Totis, Galle, iubes tibi me seruire diebus;
Et per Auentinum ter quater ire tuum.
Eximit, aut reficit dentem Cassellius ægrum,*
Infestos oculis vris Higyne pilos;
Non secat, & tollit stillantem Fannius vuam,
Tristia saxorum stigmata debet Heros.*
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes;
Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est?

* Cascellius.

* Eros lege.

De patronorum & regum auaritia queritur, qui officia clientum nullis beneficijs compensent. SERVIRE] salutando, comitando, sequendo, præeundo. PER AVENTINVM] Montem, in quo Gallum ait habitasse. EXIMIT] defatigationem comparat cum morbis, & cæteris ait inuenta remedia, fatigatis nullum extare medicum. medicina autem erat poëtæ pecunia, cuius difficultate laborabat semper. CASCELLIVS] chirurgus. hodie circulatores hoc artificium profitentur. Idem Plinius passim, Dioscorides, alij. INFESTOS] Higynus chirurgus ophtalmicus oculis medebatur, cum pili palpebrarum oculum irritarent. de hoc vitio pilorum, & eius cura Celsus lib.7. cap.7. doctissime scribit, cum chirurgum instituit, quo pacto vrendi sint pili. Eleganter Serenus de eodem.

Namq; oculos infesta pilorum tela lacessunt,
Quodq; illis dederat vallum natura tegendis,
Inde inimica seges proprios desæuit in orbes, &c.

NON SECAT, ET TOLLIT] tuberculum in faucibus est vua à similitudine dictum, de quo vitio aut morbo Celsus lib.6. cap.14. & 7. cap.12. priore agit, vt curari sine sectione possit, posteriore vtrumque modum exponit. Et Serenus:

Si forte affixam languor deiecerit vuam,*
Tunc horas aliquot pronus recubare memento,
Aut illam puluis tosti releuabit anethi,
Aut cinis ex cochlea, vel torrida brassica flammis.

* afflictam.

TRISTIA *SERVORVM] prorsus adfirmo hanc scripturam; quorsum enim saxorum stigmata? Seruos literatos intelligit, aut stigmatias libertos. Stigmatum autem delendorum artem præter hunc Erotem, & Cinnamus callebat. de quo lib.6. epig.64. *Stigmata nos vafra delebit Cinnamus arte.* Hic vero Cinnamus tonsor erat, vt lib.7. Martialis scribit:

* saxorum.

Qui tonsor fueras tota notissimus vrbe.

Et Sat. 1. Iuuen. *Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat.* Hanc artem ergo exercebat Heros hic, seu potius, vt emendo, Erus, nam ἥρως græce primam tendit. tollendum ergo in latina voce flatilem litteram reor, vt vox à græco ἔρως deducatur. Infra certe scribit de Erote ep.80.

Plorat Eros, quoties maculosa pocula myrrha
Inspicit———

Cæterum artem delendorum stigmatum tradit Dioscorides lib. 1. parabilium cap. 116. Στίγματα δὲ αἴρει βατράχιον καταπλασθὲν, καππάρεως φύλλων χυλὸς ὁμοίως μανδραγόρας ἐπὶ ἡμέρας λ. παρατριβόμενος, &c. Idem lib.4. cap.76. breuius, sed discrepat ab hoc loco dierum numero. ibi enim ε, ἢ, ς quinq; aut sex dies, hic triginta affricandum succũ dicit. supra διαφορεῖ δὲ πᾶσαν σκληρίαν, καὶ ἀποστήματα χοιράδας φύματα. παρατριβόμενά τε ἡσυχῇ ἐπὶ ἡμέρας ε, ἢ, ς στίγματα, ἄνευ τοῦ ἑλκῶσαι ἀφανίζει. Sed & duritias omnes, apostemata & tubercula discutit. Ead. si quinis diebus leniter affricetur, stigmata citra exulcerationem delet. Brissonius legit *saxorum stemmata* quod non placet. stigmata saxorum possis interpretari sectos ob herniam vel calculum cicatrices seruantes. An rescribendum: *stigmata fixorum*: sic videtur Cicero locutus pro Sexto Roscio Amerino: *litteram ad caput affigens* intelligit C. calumniatoribus inuri solitum. ENTEROCELARVM] Enterocelas latini, teste Celso, Herniam vocant, cum testiculi ex delapso in scrotum intestino, tument. Germanis der Bruch/ ἔντερον Græcis intestinum, κήλη tumorem generatim, & speciatim testiculorum morbum sonat. Eandem vocant ἐντεροκήλην, & ὑδροκήλην, cum, ex humore defluente, idem tumor existit, scribit Galenus cap.15. de tumoribus non naturalibus. Copiosissime etiam Celsus lib.7. cap.18. vbi singulas huius morbi partes, caussas, remedia exponit. taceo alios. Alia genera σαρκοκήλη, κιρσοκήλη βουβωνοκήλη appellantur, quæ latinis vna vox Ramex continet, de quibus Hermolaus in glossematis; de

Lib. 7. c. 18.

tis; de curando vero Ramice lib. 7. cap. 22. Celsus. genus morbi lib. 7. c. 18. exponit, itemq; Eustathius & Q Calaber. HERMES] chirurgus, vt quondam Podalirius, qui hoc loco pro medico ponitur, vt Ouid. 2. de rem. Am.

Curabat proprijs æger Podalirius herbis,

Podalirius autem Machaonis frater, Æsculapij filius erat, vt Homerus, Eustathius, Q. Calaber, Diodorus Siculus, Celsus testantur. Podalirium aiunt circa diætam occupatum, Machaonem vulnera curasse. Refert Cælius Rhodiginus Podalirium Damathi Cariæ regis generum factum, postquam eius filiam è tecto delapsam, misso ex vtroque brachio sanguine, curauit. Hic, vt dixi, pro medico accipe, Vt sensus carminis sit, Hermes est Podalirius seu medicus Enterocelarum. QVI SANET RVPTOS] Enterocelas à ramice distinguit, vti & medici. Hermes curabat Enterocelâ laborantes, sed quis, inquit, curat ramices? Nemo, inquit, & hoc metaphoricws: ruptos enim hic non vocat herniosos, vel ramicosos, sed laceros, & officijs regum fatigatos, quorum caussa vestes teruntur, corpora franguntur, &c.

Lege Ioannis Gorrai definitiones medicas.

Ad Sextum.

LVIII. LI.

Argenti libram mittebas: facta selibra est,
Sed piperis tanti non emo, Sexte, piper.

Dolet decrescere munera (quæ vel stare, vel crescere debent, vt supra lib. 8 epig. 71. dixerat) Sexti, qui cum prioribus Saturnalibus consuesset poetam ornare argenti libra, postremis misit illi pro argento piper. Iocatur Martialis, & negat se velle selibram piperis emere libra argenti, hoc est, accipere dono piper pro argento. LIBRA ARGENTI] 10. Philippæis æstimatur libra argenti, florenis tredecim & vna trigesima. SELIBRA] semilibra 5. Philippæi. Hanc libræ argenteæ æstimationem ex Budæi, & qui Budæum sequuntur, sententiâ accepi. libram enim Romanam argenti minæ Atticæ exæquat, quam mille assibus siue centum drachmis, seu denarijs centum, siue quadringentis sestertijs numis definit. Scio Alexandrum lib. 4. cap. 24. Genial. dierum diuersum abire & alia omnia sentire. Scio & Lampridium in Heliogab. triginta argenti libras centum sestertijs permutare. Quod qua ratione fiat, Alexander quidem conatur exponere, cum libram argenti tribus sestertijs valere dicit. Ego Liuium, Plutarchum, Budæum, non Agricolam vel Alexandrum sequor.

Ad Frontinum.

LIX. LII.

Anxuris æquorei placidos, Frontine, recessus,
Et propius Baias, littoreamque domum;
Et quod inhumanæ Cancro feruente cicadæ
Non nouere nemus, flumineosque lacus
Dum colui; doctas tecum celebrare vacabat
Pieridas; nunc nos maxima Roma terit.
* *Hic mihi* quando dies meus est, *iactamur in alto*
Vrbis, & in sterili vita labore perit.
Dura suburbani dum iugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, lares.
Sed non solus amat, qui nocte dieque frequentat
Limina, nec vatem talia damna decent.
Per veneranda mihi Musarum sacra, per omnes
Iuro deos, & non officiosus amo.

* *Dic.*

ANXVRIS ÆQVOREI] Excusat neglectum salutandi officium. Anxur & Terracina eadem ciuitas, de qua paullo ante ep. 51. ad Frontinum. Anxur à poeta nonnunquam pro flumine capi-

capitur, vt supra, *æquoreis splendidus Anxur aquis.* ET PROPIVS BAIAS] Tarracina enim vltra Baias. Baias propiores vrbi. LITTOREAMQVE DOMVM] dubito, an Centumcellas intelligat, quæ in sinu Baiano sunt, vel palatia circa Baias ad mare ædificata, vt Leander ostendit. ET QVOD INHVMANÆ] Siluam & agrum Rheginum dicit: de quo Plinius lib. 11. cap. 27. *At in Rhegino*, inquit, *silent omnes*, (cicadæ nempe.) *vltra flumen in Locrensi canunt.* Sed de cicadis, quoniam hic proprius est locus, ex Leandro contra Strabonem accipe. *De cicadis* (inquit) *ad hunc amnem*, (*quem Alicem vocant*) *quod Strabo refert, inprimis est memorabile, vocales admodum eas in ripa Locrorum esse, mutas prorsus in vlteriori. Caussam existimari, quod hæ regionem obtineant opacam & vmbrosam, ideoq; mollibus humidisq; pelliculis alarum ad stridorem ineptæ sint; Illæ contra seruidis ac patentibus in locis degant, vnde siccas ac veluti corneas alas consequantur, propterea q; valde stridulæ sint: Ego miror Strabonem putare sonum cicadis in alijs esse, cum interno motu & agitatione corporis, non alis canant, vt animaduerti cernique potest. At enim quod cis amnem vocaliores, quam vltra sint, ego inde esse credo, quod hæ maiore solis ardore torreantur alijs. Etenim ea cicadarum natura est, vt vbi vehementius æstuent, ibi multo acrius strideant.* Facius caussam fabulosam adfert, Vocem illis à Dijs ereptam, ne molestæ essent Herculi ibi quiescenti. Quod sequitur in Leandro de certamine Eunomi & Aristonis Rheginensis, cum Eunomio cicada accineret, retulimus lib. Spect. ad illum versum, *O quantum est subitis casibus ingenium*, vbi ex Clemente Alexandrino, Strabone, & Timæo acceptam fabulam compendio libauimus. FLVMINEOSQVE LACVS] manifeste Alicem amnem intelligit, ad quem intra Locros tacent, trans ripam canunt. Rhegium autem & Alex. est in magnâ Græcia, quam eandem Calabriam vocant. CICADÆ FERVENTE] solstitio æstiuo, cum æstu feruet cœlum, & ardent hiantq; prata, quod adulto fit Iulio, cum sol è cancro declinat in leonem. DVM COLVI] hic sententia finit, nec tamen periodus. Tu sic iunge postrema primis. Dum ego colui Tarracinenses recessus, tecumque fui Baijs, Centumcellis, & in Rheginensi campo. TECVM VACABAT DOCTAS PIERIDAS CELEBRARE] iuuit carmine ludere, pariterq; Musis vacare, NVNC ROMA TERIT] nunc Romæ agimus.

Cicada Eunomi.

Manilium lege.

2 HIC] Romæ. nisi legas *Dic mihi*, quod non displicet. QVANDO DIES MEVS EST] cum libet ab officijs patronorum mihi seruio. DIES MEVS EST] quasi adagij loco vsurpatur apud Senecam Suas. 2. vbi verba ex Cornelio Seuero declamatore & poëta (quanquam illum Fabius versificatorem censeat potius quam poëtam) quem Naso laudat lib. 4. de Ponto El. 16. adducit. Occurrit, inquit, mihi sensus in eiusmodi à Cornelio Seuero dictus, tamquam de Romanis, nescio an parum fortiter. Edicta in posterum diem pugna, epulanteis milites inducit & ait,

—— stratique per herbam:
Hic meus est, dixere, dies ——

Elegantissime quidem affectum animorum incerta sorte pendentium expressit, sed parum Romani animi seruata est magnitudo. Cœnant enim tamquam crastinum desperent. Quantus illis Laconibus animus erat, his qui non poterant dicere: *Hic dies est meus.* Illud Porcellus Grammaticus arguebat in hoc versu quasi solœcismum, quod cum plures induxisset, diceret: *Hic meus est dies*: non, *Dies hic est noster.* & in sententia optima accusabat id quod erat optimum. muta enim vt Noster sit, peribit omnis versus elegantia, in quo hoc est decentissimum, quod ex communi sermone trahitur. nam quasi prouerbij loco est, *Hic dies meus est*, & cum ad sensum retuleris, nec Grammaticorum quidem calumnia ab omnibus magnis ingenijs submouenda, habebit locum. Dixerunt enim non omnes simul, tanquam in chorum manu ducente Grammatico, sed singuli ex his: *Hic meus est dies.*

3 IACTAMVR IN ALTO VRBIS] In alta semitâ, monte nempe Quirinali, vbi Martialis lares habuit, haud procul à Quirini templo, quod in Quirinali monte. Non sum nescius à Domitio Ianiculum intelligi, hortosque Martialis in Ianiculo, quos ipse poëta lib. 4. epig. 64. describit sitos, sed nec hortos habuit in Ianiculo Martialis, nec ædes, vti vehementer ego mirer viros doctos, qui certatim omnes asseuerant, hortos illos fuisse Martialis poëtæ, quibus eximendus hic error, vti alterum de Silio ter consule, Dei beneficio, exemptum puto. Horti illi, quos lib. 4. poëta describit, fuere Iulij Martialis, non M. Val. Martialis, hoc ipse poëta sæpius occinit, dum ita carmen inchoat. TVLLI] (imo Iuli lege, ipso teste Martiale lib. 7. epig. 16. *Iuli bibliotheca Martialis*, eodemque fine claudit. *Iulis iugera parua Martialis.* nec cogita nomen Iulij esse quintum casum, secundus est & contractus, vt lib. 7.

Pignus pectoris hoc tuere
Iuli bibliotheca Martialis.

Quo loco nihil potest esse disertius; bibliothecam enim Iulij Martialis in Ianiculo instructam alloquitur. Et ne dubites fuisse hanc in hortis Iulij ad Ianiculum, ipse docet poëta. *Vicinam*, inquit, *videt vnde lector vrbem*, quemadmodum lib. 4. de ijsdem hortis dixerat.

Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam.

Et ex ipsis quoque versibus possis existimare poëtam non de se, sed Iulio loqui, cum addit. *Hoc rus,* (in Ianiculo) *seu potius domus vocanda est,*

Commendat dominum, tuum putabis:
Tam non inuida, tamq; liberalis,
Tam comi patet hospitalitate.

Sed res dubia an aliud à Nomentano fuerit. 14. Reg.

Cæcus videat hæc non ad poëtam, sed patronum poëtæ Iulium Martialem C. V. pertinere. Vbi ergo Martialis rus suum & lares habuit? Vtique in Quirinali monte suburbano lares, quem montem nunc Caballum dicunt. Hoc poëta testatur, cum lares suos & iugera iuxta templum Quirini (à quo mons Quirinalis auctoribus Varrone & Ouidio dictus est) fuisse hic dicit. *Vicinosq; tibi, sancte Quirine, lares.* In Ianiculo autem nullum Quirini templum. P. Victor in Ianiculo ponit hortos cum domo Martialis; non eo negatum, sed nego, pernegoque intelligendam domum & hortos poëtæ nostri; Iulij Martialis hortos, domum, bibliothecam P. Victor in Ianiculo ponit. Lege Marlianum lib.5 cap.21.22.23.25.26. Attende tamen ne hic ipse Marlianus, cum de Ianiculo lib.7.c.9. disputat, à nostra sententia noceat, cum dicit. *In hoc colle* (Ianiculo) *Martialis hortos amœnissimos habuit, quos ipse lib.* 1. (Aldinam sequitur editionem, nam Iuniana lib. 4 hoc epigramma ponit) *multis versibus*, communi enim aliorum errore est abstractus, cum planissime Iulij, non suos describat. IN ALTO VRBIS] translate quoque intelligas: iactamur in alto vrbis velut in alto maris fluctibus turbarum, officiorum aulicorum salutationibus, comitatu & alijs sterilibus curis. STERILI LABORE] quem in hortum suum suburbanum frustra collocat, cum fructus nullos prope reddat. Videtur simul poëtarum studium notare, quod idem, vt alibi, queritur sterile & inane. PASCIMVS] colimus pascendi potius, tam saxosum & durum est solum. DVRA] scrupulosa, sicca, vt supra questus est, se ex valle magno labore aquam haurire.

Sed de valle breui, quas det sitientibus hortis,
Curua laborat as antlia tollit aquas.

SED NON SOLVS AMAT] Excusat hic officium suum intermissum, & affirmat, à se non minus amari Frontinum, quamuis non toties reuisum, salutatum, & comitatum, quam ab officiosis alijs clientibus, qui dies noctesque illius limina terant, amicitiam enim & amorem non in externo, sed intimo penetrali consistere, non officiosus, inquit, ego corpore sum, officiosissimus tamen animo.

In delicatum lectorem.

LIX. LIII.

Consumpta est vno si lemmate pagina, transis,
Et breuiora tibi, non meliora placent.
Diues & ex omni posita est instructa macello
*Cœna tibi, sed te * mattya sola iuuant.*
Non opus est nobis nimium lectore guloso.
I lunc volo, qui fiat non sine * pane satur.

* mattea. * penno.

Excusat longiora epigrammata. CONSVMPTA PAGINA VNO LEMMATE] fastidis longiora epigrammata. Lemma est breuis vel orationis, vel poëmatis comprehensio, & velut summa, inscriptio, caput. vt lib.14. epig. 2.

Lemmata si quæras cur sint adscripta, docebo,
Vt, si malueris, lemmata sola legas.

Eodem sensu lib.11. epig 43.

Viuida cum poscas epigrammata, mortua ponis
Lemmata ——

Nec tamen omnes inscriptiones epigrammatum sunt lemmata, quia non continent omnes argumentum carminis, vt si legas, ad Domitianum, Inscriptio est, lemma non est. Contra, Ad Loricam Domitiani, de reditu Domitiani, de ludis Stellæ, de coma Earini lemmata sunt & inscriptiones. Aliter dialectici accipiunt lemmata, quæ Cicero assumpta vel assumptiones interpretatur. Hic lemma ipsum epigramma intellige, vt sensus sit. Si vno lemmate seu epigrammate impleatur tota pagina, si vnum epigramma tam longum & πολύστιχον, vt totam paginam occupet, velut longius & molestius præteris, & breuiora quæris, cum tamen non raro, longiora sint meliora. Vt Cicero de orationibus Demosthenis, longissimam quamque optimam putauit. DIVES] Comparat epigrammata sua apparatissimo conuiuio, in quo non vnius generis cupediæ,

sed

sed omnes lautitiæ & gulæ irritamenta sunt. SED TE MATTYA] Et varia est scriptura huius loci, & varia interpretatio; hanc tamen facilius componas, quam illam. Legunt alij mactea, alij mactya, mattya, vel matteas mattheas. muliebri genere Tranquillus in cal. cap. 38. macteas venenatas dixit. Athenæus lib. 14. τὴν ματτύην Turnebus macteas & μακτύας græce scribit. Casaubonus M. SS. Tranquilli libros & primam editionem ait habere macteas. Martialis hoc loco neutro extulit, si locus tamen sanus. suspicor enim l. gendum, sed te mattya sola iuuat, vel vt alij mactea sola iuuat. Mactea vero seu Mattya Grut. mattea omne scitamentũ, & omnis cupedia, iucundumq; edulium & preciosum censetur, cum tamen initio esset quædam maza. Dicta siut mattya. vt asserit Apollodorus Atheniensis lib. 1. Etym. à mandendo, velut etiam mastyche. *Nos autem* (inquit Athenæus lib. 14. cap. 23.) *à pinsendo dictam fuisse contendimus, vnde maza etiam nominata est. Vocarunt principio populorum hunc, communemq; cibum ex farinis mazam, postea nomen ipsum mazæ in mattyam commutarunt, atq; ita appellarunt omnem cibum magnificum. Idem quod*, inquit, *apud alios mattya dicitur, apud Spartanos aclea (scribit Molpes Lacon) quod secundas mensas significat. Genus hoc cœnæ Attici bellaria. Dorici Epaclum, alij Græci epleria, secundas mensas dicere consueuerunt.* Sane conuenit huic loco, bellaria secundasq; mensas intelligas; quibus recte conferuntur epigrammata breuia, lepida, iocosa, salsa, scoptica, quæ recreant legentem partim ipsa breuitate, partim argutia & lepore, vt obductæ saccharo amygdalæ, cinnama, anethum. nec maza postea contenta fuit Græcia, quamuis primum popularis esset, hoc enim ipsa Græcorum parœmia ostendit ὑπὲρ μάζαν, *supra mazam*, & verbum ὑπερμαζᾶν delitiosius & luxuriosius agere, delitijs abundare. Mazam autem putant ex farina, oleo, & aqua confici solitam. Rhodiginus existimat inde dictos Marcipanes, quos alij à Marco auctore sic vocatos censent, vt Marci pastillos. Adde corollarij loco mattyam, & genere fœmineo prolatam à Martiale libr. 13. epig. 92. Inter quadrupedes mattya prima lepus, si tamen vera hæc scriptura; passim enim legitur *gloria prima*. De macteolis loquitur Arnobius lib. 7.

NON SINE PANE) probo panem, quamuis alij aliter scribant. Sensus est. Amo conuiuam, qui non tantum cupedijs vult expleri, sed pane vescitur etiam. Hæret poëta in cœpta metaphora. Desidero lectorem, qui non meros iocos, & nugas quærit in carmine, sed subinde etiam descriptiones, laudes, epitaphia, aliaque id genus solida carmina. *penne fatur* scribunt nonnulli, & aiunt sorbitunculam esse ex trito pane, laudantq; Calderinum qui pene non penne scripsit & caudam animalis interpretatur. mihi panis placet.

De * Munna.

*Munna.

LIV. LX.

Iura trium petijt à Cæsare discipulorum,
Adsuetus semper Munna docere duos.

IVRA TRIVM] hypodidascalum triuialem irridet, quem ait petijsse ius docendi tres discipulos, quemadmodum ciues petebant ius trium liberorum, miserum enim litteratorem non nisi duobus antehac operam locasse. Ius autem docendi pauciores vel plures petitum non memini legere, itaque tantum irrisio videtur. Lepide Diogenes apud Diogenem Laërtium irridet didascalum perpaucos docentem. Εἰσελθὼν, inquit, εἰς διδασκάλου, καὶ μούσας μὲν ἰδὼν πολλὰς μαθητὰς δὲ ὀλίγους. Σὺν θεοῖς, ἔφη, διδάσκαλε, πολλοὺς μαθητὰς ἔχεις. Similior est Stratonici citharistæ iocus, de se ipso, vt refert Athenæus cap. 7. libro 8. qui cum in gymnasio suo nouem haberet musas, cum Apolline, duosque tantum auditores, rogatus à quibusdam, quot haberet discipulos? Cum Deis, ait, duodecim.

Aliud tamen latere suspicor.

Epithaphium Erotij.

LV. LXI.

Hic festinata requiescit Erotion vmbra,
Crimine quam fati sexta peregit hyems:*
Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
Manibus exiguis annua iusta dato.
SIC Lare perpetuo, SIC turbâ sospite, solus
Flebilis in terra sit lapis iste tua.

*quem Gruterus sed mendose. legatur epig. 35. libr. 5. de eod. puella.

HIC FESTINATA] Discessurus in patriam Martialis commendat Erotij puellæ vernulæ tumulum futuro agelli domino. FESTINATA] immatura. SEXTA HYEMS] nondum absoluerat sextum annum, lib.5.epig.35. 36. & 38. sunt de eadem Erotio.

Impletura fuit sexta modo frigora bruma,
Vixisset totidem ni minus illa dies.

Et:

Quam pessimorum lex auara fatorum
Sexta peregit hyeme, nec tamen tota.

De his annuis iustis multa Heraldus, eiusq; ergo nuperam. ANNVA IVSTA] anniuersaria sacra Manibus fecere prisci, mense Februario XI. Cal. Martij, vel vt Ouid. 2. Fast. canit XIII. Cal. Et sacra illa feralia ab inferis, & ferendo dicebantur, quod epulas ad sepulcrum ferrent, quibus ius parentandi. Macrobius lib. 1. cap. 13. à Numa hæc instituta tradit, Ouidius ab ipso Ænea originem deducit. Sacrificandi morem & insanias lege apud Ouidium lib. 2. Fastor. hoc initio, *Est honor & tumulis*, Qui aliarum quoq; gentium morem certis temporibus parentandi desideras, Alexandrum N. adi lib. 5. c. 26. & ibidem Tiraquellum. SIC LARE PERPETVO] fausta imprecatio. Parentanti quotannis Erotio precor, vt sit ipse cum tota domo semper saluus & incolumis, nullumque tumulum, præter hunc Erotij in gente sua habeat, hoc est, vt nullus ex eius familia moriatur.

LXI.

Ad magistrum ludi.

Ludi magister parce simplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati,
*Et delicatæ diligat chorus * mensæ:*
Nec calculator, nec notarius velox
Maiore quisquam circulo coronetur.
Albæ leone flammeo calent luces,
Tostamque feruens Iulius coquit messem,
** Scuticaque loris horridis Scythæ pellis,*
Qua vapulauit Marsyas Celenæus,
Ferulæque tristes sceptra pædagogorum
Cessent, & idus dormiant in Octobris;
ÆSTATE PVERI SI VALENT, SATIS DISCVNT.

* musæ. Lips. epist. Q. lib. 1. ep. 5.

* cirrata loris. cod. Pal. retineo Scuticaq; loris non loris.

Æstiuas vacationes Poëta proclamat, monetq; ludi moderatores, vt desinant sæuire. Nam à Iulio ad Octobrem vsque scholæ cessabant, vti & Saturnalibus Minerualibus, & alijs per annum ferijs. CAPILLATI] capillos nutriebant, donec pubescerent genæ, deinde consecrabant tonsos Phœbo aut Æsculapio, alteriue numini aut flumini, vt supra dictum in coma Earini lib. 9. ET DELICATÆ] ministros interpretatur Domitius, haud scio, an ex animi sententia poëtæ. Nec enim verisimile est, litteratores fuisse tam potentes, vt greges ministrorum tantos alerent. Ego sic intelligo. vt poëta dicat magistrum ludi in mensa, quam cingebant discipuli assidentes magistro, docuisse, quod etiam hodie fieri amat in triuialibus pædagogijs. Lipsius legit Musæ pro mensæ, mihi videtur seruanda fides omnium codicum, & sequentia docent legendum, mensæ. Nobiles pueros ad pocula stetisse potentiorum, contra Horatium, Suetonium, & alios non nego. sed huc non videtur id facere, quamuis Torrentius putet. *delicatæ mensæ* dixit, quod pueri delicati cingerent mensam, notâ figurâ. Optat ergo poëta, vt à sua discipulorum turba ludi moderator ametur, quod fit, cum magister blandus est, & pueritiam humanitate inuitat ad discendum potius, quam verberibus, nec terret plagarum atrocitate, quemadmodum Orbilij plagiosi solent. chorus ergo pædagogium est delicatorum puerorum. Ad hanc interpretationem mire faciunt, quæ sequuntur. NEC CALCVLATOR] diserte, quod dixi, poëta ipse declarat. solitos in mensa doceri pueros, cum dicat, nec quisquam maiore circulo coronetur, siue notarius siue calculator. Calculatorem & notarium coniunxit, quod pueri antiquitus scribendi, & calculum ponendi artem simul discerent. B. Augustinus lib. 2. contra Acad. *Quibus duobus repertu nata est illa librariorum & calculatorum professio, velut quædam infantia Grammaticæ.* Hor. Sat. 6. lib. 1. ep. 1.

Vide Iuuenal. Sat. 7.

Læuo suspensi loculos tabulamq; lacerto.

Tabulam ratiocinatoriam seu calculatoriam intelligit. Iuuenal. Sat 9.

———ponatur calculus, adsint
Cum tabula pueri. ———

Bisson.

Brisson. lib. 5. de verb. signif. CALCVLATOR] hoc loco calculator dicitur is, qui ratiocinandi seu putandi artem, quam Græci Arithmeticam nominant, docet. Calculus enim in rationibus adhibetur, vnde natæ parœmiæ *subducere calculum*, *ponere calculum*, vt in Panegyrico Plinius, *reuocare ad calculum*, de quibus adag ographi. Habet vox & alia significata, quæ tamen huc non faciunt. Calculator autem tam dicitur is, qui docet, quam qui discit. D. Hieronymus: *In litterario, inquit, ludo, vbi prima elementa excipiunt pueri, Abedarij nuncupantur, vt syllabarij alij quidam vero & nominarij, nonnulli iam calculatores.* Rhod. lib. 26. cap. 28. NOTARIVS VELOX] Notarius est, qui excipit aliena dicta calamo, certisque notarum compendijs assequitur dicentem, imo etiam anteuertit. lib. 14. epig. 208.

> *Currant verba licet, manus est velocior illis;*
> *Nondum lingua suum, dextra peregit opus.*

Ausonius ep. 136. ad Not. *Quam prapetu dextra fuga?*
Tu me loquentem præuenis.

Ad quem locum multa docte Elias Vinetus Ausonij interpres. Nos plura libr. 14. verbo Notarius. Hic pro magistro accipe, qui notas docet, & notare. CIRCVLO CORONETVR] pluresque cum eret discipulos mensam coronantes. Circulus hic coronam puerorum mensam cingentium significat. Vnde Sidonius epist. 11. lib. 1. vocat circulatorem, non præstigiatorem, (vt alias vsurpatur) sed, qui in circulo stat aut circulos cogit, in circulo aliquid agit, aut recitat vt Plinius epist. 7. lib. 4. vsus videtur. *Et ipse tu hunc luctuosum Reguli librum, vt circulator in foro, legeris.* Vide, quæ Sauaro ad Sidonium. ALBÆ FLAMMEO] describit tempora æstiua, quibus maximi calores extremo Iulio, & primo Augusto, cum leo sidus nobile soli iungitur, geminatque æstus, eodemque tempora canis vrit omnia, Manilius lib. 5.

> *Cum vero in vastos surgit Nemaus biatus,*
> *Exoriturq; canis, latratq; canicula flammans,*
> *Et rabit igne suo geminans incendia solis,*
> *Qua subdente faces terris radiisq; mouente,*
> *Dimicat in cineres orbis fatumq; supremum*
> *Sortitur, languetq; suis Neptunus in vndis.*

Et quæ ibidem sequuntur. ALBÆ LEONE] dies & longi & sole perpetuo clari; videntur etiam albas respicere segetes, quando sequitur. TOTAMQVE FERVENS IVLIVS COQVIT MESSEM] maturat segetem. Manilius æstus probe exponit, cum scribit;

> *Et viridis nemori sanguis decedit & herbis.*
> ——*natura suismet*
> *Ægrotat morbis nimios obsessa per æstus,*
> *Inq; rogo viuit. tantus per sidera feruor*
> *Funditur, atq; vno ceu sint in lumine cuncta.*

SCVTICAQVE] cessent nunc & scuticæ & ferulæ, quibus pueri vapulant. dormiant potius in Octobrem vsque, vti valeant, quod si didicerint (valere inquam) satis per caniculæ dies didicerunt. SCVTICA] flagellum ex loris, seu pelle; σκῦτος enim pellem sonat. Nec redundat adiuncta coniunctio, que, quando respondet voci. *Ferulæq;*. SCYTHÆ PELLIS] Scythæ præter pelles vix alias ferebant vestes, & ex pellibus conficiebant lora, quibus seruos mulctabant; quam pœnam adeo timebant, vt, cum domini octo annos, vt Iustinus, 18. vt Herodotus narrat, à patria in expeditione Medica abfuissent, tandemque pulsi reuerterentur in Scythiam, à dominis, quos admittere in patriam, ductis dominorum vxoribus nolebant, vinci armis quidem nullis potuerint, sed flagellis à Dominis prolatis statim victi cesserint. Iustinus lib. 2. Herod. 4. SCYTHÆ PELLIS Victus Marsyas (vt Hyginus fab. 165. narrat) traditus est ab Apolline ad arborem religatus Scythæ, qui, Scythico more, scutica mulctatum membratim separauit. An etiam hoc insinuat Marsyam sua pelle exutum vapulasse? Scythæ pellis Græcorum more pro Scythicæ pellis; vt σκύθην εἰς οἶμον in viam Scytham, id est, in viam Scythicam, apud Æschylum. De ferula lib. 14. plenius, & supra d. SCEPTRA PÆDAGOGORM] Ausonius de se.

> *Ausonius, cuius ferulam nunc sceptra verentur.*

Vbi comparat ferulam cum sceptris, atque hæc illi subijcit. fuerat enim imperatorum magister; quin ipse alicubi se vocat regum magistrum, vti Quintilianus, Seneca, Plutarchus, Arsenius, &c. fuere. Scaligerum ad Ausonium c. 12. vide. CESSENT] Vtinam ea sint tempora quibus cessare ferulis & ferias æternas agere liceat, sed nec pueritia tam innocens, nec iuuentus tam obsequens vt verbis & nutu, quod maxime optes, regi posse videatur. QVA VAPVLAVIT MARSYAS CELENÆVS] Non tantum vapulauit, sed plane corio spoliatus & exutus sua pelle Marsyas ab Apolline victore fuit. Fabulam Mythographi Hyginius fab. 165. Palæphatus lib. 1. Fulgentius lib. 3. Gyraldus, Natalis, alij narrant. Certamen Marsyæ cum Apolline ad Celænas ciuitatem, vbi pellis Marsyæ seruabatur, & flumen Marsyæ vel Meandri, vt alij, eleganter describit præter Ouid. Apuleius

Plura de Marsyali.1. ep.64. Lege & Sannazarii ad 13 Carmen Sidonij.

leius lib. 1. Floridorum, vbi habitum oris, cultum corporis; parentes, patriam Marsyæ, vicissimq; elegantiam Apollinis graphice depingit. CELÆNÆVS] à Celænis ciuitate Phrygiæ maxima, ad Marsiæ fluminis ostia sita. Plinius, Liuius, Ptolemæus. IN IDVS OCTOBRIS] quibusiam fractus calor, & temperatum cœlum. ÆSTATE PVERI SI] γνωμικῶς. Cicero primo de natura Deorum: *Nos ipsi (quoniam id temporis est)* (æstus scilicet) *valetudini.*

Epitaphium nobilis matronæ.

LXIII. LVII.

Marmora parua quidem, sed non cessura, viator,
Mausoli saxis, Pyramidumque leges.
Bis mea Romano spectata est vita ∴ Terento,*
Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinq; dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas:
Clauserunt omnes lumina nostra manus.

* vita Lipsius. ∴ Tarento.

* * *

MARMORA] elegans epitaphium, cui non est dissimile lib. 3. Anth. Carphylidæ, [illegible] ἐλθὼν τὸ μνῆμα τὸ μὴ παρόδιτα, &c. Vbi sicut Carphalidas virum, ita Martialis hic vxorem cuiusdam felicem, à liberis, tempore coniugij, μονογαμίᾳ, morte celebrat. MARMORA] tumulum paruum quidem, sed quem Pyramidibus & Mausoleis (de quibus lib. 1. A. epig. 1. dictum) iure ante posueris. spectabis. BIS MEA] Nihil moror hic Domitium, multo minus. Ram. lib. 4. ep. 1. contra quem fuse & erudite Musambertius ad eum locum. Angelus Politianus magister esto, qui locum hunc erudite enarret. Tu caput tribus, vt aiunt, verbis accipe. Matronam hanc (cuius nomen non expressit) ait binis ludis sæcularibus interfuisse Claudij Imperatoris (qui sunt celebrati A. V. C. DCCC.) & Domitiani, qui A. V. C. DCCC. XLI. sunt renouati, quemadmodum est apud Suetonium in Claudio & Domitiano, ad quem locum vide Torrentium. Fluxerunt ergo inter vtriusq; Cæsaris ludos sæculares vnus & quadraginta anni. Ita matronam hanc oportuit minimum fuisse annorum quadraginta & vnius, maiorem fuisse fieri potest, minor esse certe non potuit. *Enimuero quid hoc magnum* (Lipsius ad me in notis inquit) *si vidisti & vixisti duos sæculares, Nam Claudius anticipauerat, verumq; quasi corrigens Domitianus. Itaq; duntaxat interfuere XLI. anni inter illos binos. Et hoc aliquis gloriatur? tantillum inquam spacium vitæ? lego vitta & refero ad coniugium. Binos sæculares,* inquit, *vittâ nupta, & pueros peperi.* Matronæ vittas gerebant ex Plauto, Propertio, Festo quibus adde Ouidium de Arte, & alios. Cur autem post quadraginta annos renouarit sæculares Domitianus, cum intercedere, ex auctoritate Val. Antiatis, Titi Liuij, M. Varronis, centeni, imo (vt est in commentarijs Quindecimuirorum, & docent edicta Augusti, Sibillina oracula, Horatius) centeni deni solerent, Suetonius in Claudio cap. 21. & Domitiano cap. 4. ostendit. De origine sæcularium ludorum, ritu sacrorum, & sacro trinoctio plura Ouid. Fast. eiusq; interpretes. Onuphrius Panuinius libro singulari de ludis sæcularibus, Politianus loco dicto, Elias Vinetus ad Ausonium. De Claudij vero & Domitiani sæcularibus, Dio, Tacitus, præter superiores. Post Domitianum Septimus Seuerus Cæsar eosdem instaurauit, & extremos Philippus Cæsar A. V. C. M. Olymp. CCLVI. an. Chr. D. CCLIX. ROMANO * TARENTO] non temere adiecit Romano; est enim Tarentum alias in extrema Iapygia nobilis ciuitas. Hic autem locus in campo Martio, vbi ara Ditis erat, Tarentum vel Tarentus, vel Terentus Terentumue nominabatur, quod ara Ditis patris in terra occultaretur, aut quod ad ripam Tiberis fluuius terram eo loco tereret. Extat vetus super ea re inscriptio. In ara Ditis subterranea in Terento, campi Martij loco: Ad quam P. Valerius Poplicola primus post reges exactos consul, nuncupatis publice votis, atros seu furuos boues pro maribus, Diti patri; pro fœminis vero concolores iuuencas Proserpinæ mactauit, lectisterniumque, & ludos trinoctio fecit. P. VALERIVS. VOLVSI F. POPLICOLA. IGNIFERVM. CAMPVM. DITI. PATRI ÆTERNÆQVE PROSERPINÆ CONSECRAVEI, LVDOSQVE. EISDEM. DIEIS. POPVLI. ROMANI SALVTIS ERGO FECI.

Miscel. cap. 58.

Censorinus de die nat.

* Terento aliter. Apud Onuphrium.

ET NIHIL EXTREMOS] felicem exegi vitam, nullisque casibus obiectam, hoc ostendit versibus subiectis. QVINQVE DEDIT PVEROS] decem liberos edidi, sanos & superstites mihi omnes. IVNO] præsidi puerperarum. CLAVSERVNT OMNES] omnes morienti adstiterunt, extremumque officium præstiterunt. De hoc more claudendi oculos morientibus. Plinius lib. 11. cap. 37. *Morientibus,* inquit, *oculos operire, rursusq; in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum est, ita more condito, vt neq; ab homine supremum eos spectari fas sit, & cælo non ostendi nefas.* Non fuit hic ceptus, sed ab Homeri vsque sæculo vsurpatus. Odyss. 42.

Οὐδὲ ἄλοχος πολύδωρος ἐχέφρων πηνελόπεια
Κωκυσ' ἐν λεχέεσσι φίλον πόσιν, ὡς ἐπέοικεν,
Ὀφθαλμοὺς καθελοῦσα, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων
Lib. Iliad. 11. Ἀλλ' ἡμῖν οὔτε πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ.
Ὅτε κατηρείψουσι αὐτόν ποτε. ——

Virg. 7. Æn. de morte Euriali. Ouidius epist. Penelop. ad Vlyssem, Ariadne ad Theseum, ad Liuiam. Lege Alex. Neap. lib. 3. c. 7. & Tiraquellum ibid. Vltimo disticho laudat monogamiam, *Contigit & thalami mihi gloria vera, &c.* 40. annis cum vnico marito se vixisse gloriatur. Hor. 3. Od. 14.

Vnico gaudens mulier marito.

In Carmenionem.

LVIII. LXV.

Cum te municipem Corinthiorum
Iactes, Carmenion, negante nullo,
Cur frater tibi dicor ex Iberis.
Et Celtis genitus, Tagique ciuis?
An vultu similes videmur esse?
Tu flexa nitidus coma vagaris:
Hispanis ego contumax capillis.
Læuis Dropace tu quotidiano:
Hirsutis ego cruribus, genisque,
Os blæsum tibi, debilisq; lingua est,
Nobis filia fortius loquetur.
Tam dispar aquila columba non est.
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare desine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem sororem.

CVM TE MVNICIPEM] In Carmenionem effœminatum scribit, quem salse vocat suam sororem, cum ille se poëtæ fratrem diceret. CORINTHIORVM] De municipijs & municipibus supra dictum; parum distinguebantur à colonijs municipia, vtrique enim, & qui ex municipijs & colonijs sunt, ciues Romani habentur, non pari tamen iure & natura. Coloniæ ex ipsa ciuitate, velut parente, deductæ & propagatæ, municipia ex alieno in ciuitatem ascita. Municipes sunt, vt Gellius lib. 13. cap. 16. describit, ciuos Romani ex municipijs suo iure & suis legibus vtentes, muneris tantum cum populo Romano honorarij participes, à quo munere capessendo municipes appellari dicuntur. Adi Panuinium libro de Imperio Romano capite de municipijs. Corinthius municeps, est ciuis Corinthius, suo tamen iure viuens, sed quare descripturus Martialis Carmenionem parum virum, vocat municipem Corinthiorum? Præceps Corinthus in luxuriam erat, plurimæque voluptatum illecebræ ibidem. Quod Plato 3. de Rep. testatur, cum luxum Corinthiorum carpit. Vnde & natum adagium. Non esse cuiusuis adire Corinthum. de quo lege Adagiographos. Hinc Carmenio effœminatus fingitur ex officina Corinthiorum prodijsse. NEGANTE NVLLO] etiam hoc argute dictum. Iactas, inquit, te municipem Corinthium, nemo negat, mores tui improbissimi, vel te tacente, loquuntur. CVR FRATER TIBI DICOR] Ostendit Carmenionem fœminam, se virum, & ægre fert, quod fingat se Hispanum & Bilbilitanum. TV FLEXA NITIDVS COMA] tu arte calamistratos habes capillos, ego neglecta comâ & incultâ horridus. Cœl. 15. cap. 8.

Municipum ius quale sit, quoq; pacto à coloniarum iure differat, erudite docet Gellius lib. 16. ca. 13. Omniumq; primi Cerites municipum iura vsurparunt.

DROPACE TV LÆVIS] Dropax, & græce δρώπαξ. medicamenti genus est apud medicos, idem fere, quod πίττωσις seu picatio, cum pix arida oleo liquitur, cutique, dum calet, allinitur, &c. consule Æginetam lib. 7. c. 17. Ætium lib. 3. c. 190. Est & medicamentum depilatorium, quo deglabrantur corpora. Suid. πολλοὺς ὁρῶ διὰ τὴν ὑγίειαν ἐπὶ τὸν ξυρὸν καὶ δρώπακα καταφεύγοντας. multos video sanitatis caussa ad nouaculam & dropacem confugere. Mart. lib. 3. in Gargilium.

Psilothro faciemq; læuas & dropace caluam.

Inde est δρωπακίζειν καὶ πιττοῦν, hoc est, calidæ picis agglutinatione depilare corpus. Suidæ δρώπαξ est etiam κεκαλλωπισμένος ἀνήρ, comptus homo, seu læuis vir. Os BLÆSVM] quod vitium

sæpe delicatioribus & pinguioribus est. DEBILIS] infracta, parum virilis. TAM DISPAR] aues generosissimas cum blandissimis comparat, vt Horat. lib. 4. car. Od. 4.

——nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

NEC DORCAS] altera contentio feræ timidæ cum interrito leone. Dorcas inter siluestres capreas numeratur, magis tamen accedit ad ceruum, caprea fœmina, dorcas mas est, à Græco *δέρκω* video, volue lib. 13. epig. de dorcade, vbi hæc plenius. Easdem confert Horatius. capream tamen illê cum leone contendit. QVARE] cum tu propior cultu & vultu sis fœminæ, caue me fratrem dicas, ne te ego nominem sororem. alius hic latet anguis, quem Lipsius excantat lib. Ant. 1. vbi proponit in vino hanc quæstionem. *Quæro, quid fratris & sororis vocabula antiquis designarint.* Amasios intelligit.

De Polla.

LXX. LIX.

Custodes das, Polla, viro, non accipis ipsa.
Hoc est vxorem ducere, Polla, virum.

Quamuis Polla Regina Lucani fuerit vxor, hic tamen non illam; sed incertam notat. Obseruas tu, Polla, tuum maritum per certos homines, ne committat aliquid contra tori fidem, & tute inobseruata facis, quod libet. Hoc non est nubere viro, sed virum ducere, cum alias vir ducat, fœmina nubat lib. 8. epig. 12.

Vxorem quare locupletem ducere nolim.
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.

Hinc monet ἄδηλος apud Scaligerum in App.

Sic me custodi, Cosconia: neue ligatæ
Vincula sint nimium neue soluta nimis
Effugiam laxata nimis: nimis aspera rumpam;
Sed neutrum faciam, commoda si fueris.

Obserua custodes vxoribus appositos à maritis, quos tamen sæpe fallebant adulteræ. Iuuen. Sat. 6.

sed quis custodiet ipsos
Custodes? ——

Propertius lib. 1. *Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam?*

Tibullus lib. 1. *Ipse malus docui, quo pacto fallere posset*
Custodes.

Ad Potitum.

LXX. LX.

Quod mihi vix vnus toto liber exeat anno,
Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus.
Iustius at quanto mirere, quod exeat vnus,
Labantur toti cum mihi sæpe dies.
Nunc resalutanteis video nocturnus amicos,
Gratulor & multis, nemo, Potite, mihi.
Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam,
Nunc me prima sibi, nunc sibi quinta rapit.
Nunc consul, prætorue tenet, reducesue choreæ:
Auditur toto sæpe poëta die.
Sed nec caussidico possis impune negare,
Nec si te rhetor, grammaticusue rogent:
Balnea post decimam lasso centumque petuntur
Quadrantes. fiet quando, Potite, liber?

QVOD MIHI] Excusat scriptorum tarditatem, caussamq; in vrbicas occupationes confert. Plenum antiquitatis epigramma est. NVNC RESALVTANTES] occupationes diurnas & nocturnas enumerat. Vesperi resalutor ab amicis mane salutatis. Mos hoc Romanus condidit, vt mane

dicere-

diceretur AVE, seu HAVE, vesperi VALE, cuius exempla multa leges apud Brissonium de formulis, p. 747. GRATVLOR] alijs vel honores i. deptos, vel hæreditatem & opes, vel natum filium. sæpius enim hæc in hominum vita vsu veniunt. N. MIHI] aut quia nihil habeo, cur quisquam gratulari mihi possit aut si quid mihi dignum gratulatione accidat, inuidetur, potius quam fauetur. NVNC A. L.] In nummo veteri est epitheton Dianæ, quam Luciferam vocant, vel quod sola noctu luceat; luna enim aucto. e M. Tullio à lucendo ducta est: vel quod aliena luce luceat, solis nempe noua quippe luce fulget semper, vt Græcis dicta sit σελήνη. quasi σέλας νέον. nouum lumen, & σελασφόρος, & φωσφόρος, id est, lucifera. Horat. Noctilucam lib. 4. Od. 6. appellauit, templū Palatinum respiciens, quod noctu, Varrone teste, lucebat: vel ad imitationem Simonidis, qui νυκτιλαμπῆ eandem vocitauit. Putant Luciferam dictam, quod nascentibus lucem ferret, Lucina enim parturientium præses, vel quod in Auentino monte cum Lucifero coleretur. SIGNAT MEA GEMMA] Diana in monte Auentino colebatur, quo Martialis signaturus vocabatur. Tale est illud Horatij.

Cubat hic in monte Quirino Ille extremo in Auentino.

Rogati autem signabant, vt testes, testamenta, quo legitima haberentur, quæ sine testibus nulla, quod Iureconsulti nōrunt. De hoc more Martialis lib. 5. ep. 40.

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas ——

Lib. 9. e. 89. *Signa, cras melius. &c.*

GEMMA] De hac Atteius Capito. *Postea luxuriantis ætatis signaturæ pretiosis gemmis cœpit insculpere: & certatim hæc omnis imitatio lacessiuit, vt de augmento pretij quo sculpendos lapides parassent gloriarentur. Hinc factum est, vt vsus annulorum exemptus dextra, quæ multum negotiorum gerit, in læua relegaretur, &c.* NVNC ME PRIMA] prima hora diei quæ salutatio ibus impendebatur. Martialis lib. 4. epig. 8. *Prima salutantes atq; altera continet hora.* QVINTA] vndecima apud nos, dabatur varijs negotijs domesticis. Mart. ibid. *In quinctam varios extendit Roma labores.* NVNC C. P. T.] deducendi & reducendi comitandiq;. Possis & de caussis forensibus accipere vt dicat se Oratores audire, quibus pręsunt consules & prætores. REDVCESQVE C.] non satis liquet, an de choreis sacerdotum Cybeles, an Isidis, de quo supra, *Et pilata redit, iamq; subitq; cohors.*

An de choreis veris & saltationibus theatricis, alijs sue agat. AVDITVR T. S. P. D.] cum nouum carmen à poëta scriptum publice recitatur. Erant enim collegia poëtarum & Academiæ poëticæ. Iuuat hic de more veterum recitandi laudatissimo, quando sæpe apud Martialem, & alios scriptores huius est mentio, paulo copiosius dissertare. & finem huius recitationis, genus scripti, locum, modum, tempus, auditores, fructum ostendere. quæ sane consuetudo vtinam hodie vigeat inter doctos, emendatiores sæpe, doctioresq; libros voluerimus. Originem quidem ad Ciceronis, imo Terentij, aut superius etiam æuum fortasse retulerim, quamquam rudiorem illam, nec adhuc publicam, & cum apparatu, sed inter amicos & epulas cœptam, quod me Donatus in vita Terentij docet his verbis. *Scripsit comœdias sex, ex quibus primam Andriam, quum Ædilibus daret, iussus ante Cerio recitare* (Et forte ex hoc more) *ad cœnantem cum venisset, dictus est, initium fabulæ quod erat contemptiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse: post paucos vero versus inuitatus, vt accumberet, cœnasse vnà: deinde cætera percurrisse non sine magna Cerij admiratione. &c.* Deinde Catulli carmen in Sextium.

> περὶ Ca- ens de Recitatione. Vide Lipsii epistolam 48. cent. 2. ad Belgas circa initium suam nuper fuit.

Nam Sextianus dum volo esse conuiua
Orationem in Attium petitorem
Plenam veneni, & pestilentia legit.

Plinius lib. 5. ep. 3. diserte ait, nescire se, an Accius & Ennius sua scripta, priusquam ederent, recitarint. *Recito tamen, inquit quod illi an fecerint, nescio etiam, sed illi suo iudicio poterant esse contenti, mihi modestior constantia est, &c.* ἀναγνώστας quidem suos habuere etiam ante Ciceronē ex Cicerone colligas, sed illi aliena recitabant, & iam in manus hominum data. Hic de auctoribus ipsis loquor. Apud Romanos igitur paulo serius cœptum hunc morem scripta publica recitandi iudico, & Augusti æuo, quod ex Horatio, Virgilio, qui quartum & sextum ipse in Augusti domo recitauit, Ouidio, Suetonio colligas. Imo Augustum ipsum auctorem principem affirmarim, de quo Suetonius cap. 84. vbi de studijs loquitur Imperatoris. *Mutinensi bello in tanta mole rerum & legisse, & scripsisse, & declamasse quotidie traditur. Nam deinceps neq; in senatu, neq; ad populum, neque ad milites locutus est vnquam nisi meditata & composita oratione, quamuis non deficeret, ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia ex scripto. &c.* Hinc reor fluxit origo recitandi, cum Regis ad exemplum totus orbis componatur. Sed Græcis iam ante vsurpatus hic mos, imo & Ægyptijs. In Sophoclis vita legimus poëtam à filijs accusatum, legisse suam Oedipum Coloneum. à Ptolomæo Ægypti frequentatam hanc librorum recitationem, docet Vitruuius. Is enim cum amore bibliothecæ ornandæ & augendæ flagraret, inuitauit hominum studia præmijs publice propositis, quod ex Vitruuij lib. 7. procemio verbatim disces, quem locum propter rei elegantiam exscriptum dabo. *Reges Attalici magnis philosophiæ dulcedinibus inducti, cum egregiam bibliothecam Pergami, ad communem delectationem instituissent, tunc idem Ptolomæus, infinito zelo cupiditatisq; incitatus studio, non minoribus industrijs ad eundem modum contenderat Alexandriæ comparare. Cum au-*

> Asinium Pollionem publicæ recitationis, quæ orationum & caussarum auctorem memoriæ fecimus. Poetis vsus antiquior fuit sua recitandi.

tem

tem summa diligentia perfecisset, non putauit id satis esse, nisi propagationibus in seminãdo curaret augendam. Itaque Musis & Apollini ludos dedicauit, & quemadmodum Athletarum sic communium scriptorum victoribus præmia & honores constituit. His ita institutis, cum ludi adessent, iudices litterati, qui ea probarent, erant legendi. Rex cum iam ex ciuitate sex lectos habuisset, nec tam cito septimum idoneum inueniret, retulit ad eos, qui supra bibliothecam fuerant: & quæsiit, si quem nouissent ad id expeditum. Tunc ei dixerunt, esse quendam Aristophanem, qui summo studio summaq; diligentia quotidie omnes libros ex ordine perlegeret. Itaq; in conuentu ludorum, cum secretæ sedes iudicibus essent distributæ, cum cæteris Aristophanes citatus, quemadmodum fuerat locus ei designatus, sedit. Primo poëtarum ordine ad certationem inducto, cum recitarentur scripta, populus cunctus significando monebat Iudices, quod probarent. Itaq; cum ab singulis sententiæ sunt rogatæ, sex vnà dixerunt. Et quem maxime animaduerterunt multitudini placuisse, ei primum præmium, insequenti secundum tribuerunt. Aristophanes vero, cum ab eo sententia rogaretur, eum primum pronunciari iussit, qui minime populo placuisset. Cum autem rex & vniuersi vehementer indignarentur, surrexit, & rogando impetrauit, vt paterentur se dicere. Itaq; silentio facto docuit, vnum ex his eum esse poëtam, cæteros aliena recitauisse. Oportere autem iudicantes non furta, sed scripta probare. Admirante populo, & rege dubitante, fretus memoria è certis armarijs infinita volumina eduxit, & ea cum recitatis conferendo, coëgit ipsos furatos de se confiteri. Itaq; rex iussit cum his agi furti, condemnatosq; cum ignominia dimisit. Aristophanem vero amplissimis muneribus ornauit, & supra bibliothecam constituit.

Quibus certaminibus prope gemina instituit Romæ postea, vt Suetonius & alij narrant, Domitianus, in quibus vicit Papinius, Et VI. lustro tredecennis puer, vt habent inscriptiones. Atque hæc de origine. Caussam & finem recitationis alij gloriam famamq; habuere, alij, quæ & prima, & vera, iudicium auditorum, scriptorumq; suorum emendationem spectauere. De laude & ambitione famæ, auctor Dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ, cum de Saleio Basso loquitur, &c. *Et vt*, inquit, *beatissimus recitationem eius euentus prosequatur: omnis illa laus intra vnum aut alterum diem, velut in herbâ & flore præcepta, ad nullam certam & solidam peruenit frugem: nec inde amicitiam refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum, & voces inanes, & gaudium volucre.* Martialis in furem carminum suorum, & aliena recitantem.

Non sex paratur aut decem sophis nummis,
Aliena quisquis recitat, & quærit famam,
Non emere librum, sed silentium debet.

Et lib. in 6. in Pomponium.

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata:
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

Et lib. 1. ep. 50. *Mercetur alius grande & insanum sophos.*

Et lib. 2. ep. 27. *Laudantem Selium, cœna cum retia tendit,*
Accipe, siue legas, siue patronus agas.
Effecte (seu affecte) *grauiter, cito, nequiter, euge, beate.*
Hoc volim, &c. ———

Persius Sat. 1. de recitatoribus eisdem.

At pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est.

Et:

Euge tuum & belle, nam belle hoc excute totum;
Quid non intus habet?

Pro hoc tamen laude, non raro lapides retulere, quibus male recitantes accipiebantur. Petron. Sat. *Ex his, qui in porticibus spaciabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt. At ille, qui plausum sui ingenij nouerat, operuit caput extraq; templum profugit. Timui ego, ne me poetam vocaret. Itaq; subsecutus fugientem ad littus perueni: & vt primum extra teli coniectum licuit consistere, Rogo, inquam, quid tibi vis cum isto morbo? Minus quam duabus horis mecum moraris, & sæpius poetice, quam humane locutus. Itaq; non miror, si te populus lapidibus prosequitur. Ego quoq; sinum meum saxis onerabo, vt quotiescunq; cœperis à te exire, sanguinem tibi à capite mittam. Mouit ille vultum, & ô mi, inquit, adolescens non hodie primum auspicatus sum: imo quotiens theatrum, vt recitem aliquid, intraui, hac me aduentitia excipere frequentia solet.* Et infra: *Miserere & aut pinacothecam, aut balneum cogita.* Sed hi non tam videntur lapidibus appetiti, quod recitarent, quam quod ceriti insanire viderentur, quos plebs lapidibus fugabat, Seneca contr. III. *Pueri si scholas frequentant; hi Ciceroni Cæstium præferrent, nisi lapides timerent.*

Alter & melior finis erat, vti ex recitatione publica commune & publicum, sed tacitũ quasi iudicium colligerent de scriptis suis, quæ velut in examen & trutinam mittebant, cum recitarent; facile enim sapientes ex nutu, gestu, vultu, oscitatione, lætitia, tædio notabant, gratane essent, quæ legerentur, an ingrata, placerent, an displicerent. Vtramque, hanc inquam, & superiorem tangit Plinius ep. 17. lib. 7. *sua*, inquit, *cuiq; ratio recitandi. mihi, quod sæpe iam dixi, vt si quid me fugit, vt certe fugit, admonear, quo magis miror, quod scribis fuisse quosdam, qui reprehenderent, quod orationes omnino recitarem, nisi vero has solas non putant emendandas.* Et ibid. *Nec vero ego, dum recito, laudari, sed dum legor, cupio. Itaq; nullum emendandi genus omitto, ac primum, quæ scripsi, mecum ipse pertracto: deinde duobus aut tribus lego. mox alijs trado annotanda: notásq; eorũ, si dubito, cum vno rursus aut altero pensito, nouissime pluribus recito, ac si quid*

mihi

mihi credis, tunc acerrime emendo, nam tanto diligentius, quanto solicitius intendo. Optime autem reuerentia, pudor, metus iudicant. Et: *Nonne si prima quæq; improbari putes, debilitaris & concidis? Opinor quia in numero ipso est quoddam magnum, collatumq; consilium, quibus singulis iudicij parum, omnibus plurimum. Itaque Pomponius Secundus, hic scriptor tragœdiarum, si quid forte familiarior amicus tollendum, ipse retinendum arbitraretur, dicere solebat. Ad populum prouoco: atque ita ex populi vel silentio, vel assensu aut suam, aut amici sententiam sequebatur; tantum ille populo dabat.* Idem prorsus vides à Iudicibus Alexandrinis factitatum, cum ex populi acclamatione poëtis & scriptoribus præmia decernerent, contra quos iudicauit Aristophanes. Easdem iudicij notas, & recitationis causas describit epist. 5. *Itaq; has recitandi caussas sequor. Primum quod ipse, qui recitat, aliquanto acrius scriptis suis auditorum reuerentia intendit. deinde quod de quibus dubitat quasi ex consilij sententia statuit. multa etiam à multis admonetur. & si non admoneatur, quid quisque sentiat, perspicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, silentio, quæ satis apertis notis iudicium ab humanitate discernunt. Atque adeo si cui forte eorum, qui interfuerunt, cura fuerit eadem illa legere, intelliget me quædam aut commutasse, aut præterijsse, fortasse etiam ex suo iudicio quamuis ipse nihil dixerit mihi.* Lib. 7. epigram. 17. de timore optimo dicendi magistro. Hunc finem & caussam recitandi multi simulabant, pauci amabant. Persius Sat. 1.

Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et verum, inquis, amas: verum mihi dicito de me.
Qui pote? vis dicam? nugaris——

Petronius arbiter. *Multo me turpior es tu Hercule, qui vt foris cœnares, poëtam laudasti.*

Martial. lib. 8. ep. 76.

Dic verum mihi, Marce, dic amabo:
Nil est, quod magis audiam libenter.
Sic & cum recitas tuos libellos,
Et caussam quoties agis clientis
Oras, Gallice, me rogasq; semper;
Durum est me tibi, quod petis, negare,
Vero verius ergo quid sit, audi
Verum, Gallice, non libenter audis.

Hinc fiebat, vt amore laudis & fucatæ famæ nonnunquam conducerent pretio acclamatores. Horatius in arte poet.

Vt præco, ad merces turbam qui cogit emendam,
Assentatores iubet ad lucrum ire poëta,
Diues agris, diues positis in fœnore nummis.

Idem declamatores factitabant. Plinius epist. 14. lib. 2. *Sequuntur auditores actoribus similes conducti & redempti mancipes, conuenitur in media basilica, vbi tam palam sportula, quam in triclinio dantur. Ex iudicio in iudicium pari mercede transitur. Inde iam non inurbane σοφοκλεῖς vocantur. Iisdem latinum nomen impositum est laudiceni.* Ex eadem re sunt illa Petronij.

Quisquis habet nummos, &c.
Carmina componat declamet, concrepet, omnes
Et peragat caussas.——

Hinc illa corrupta iudicia auditorum corruptorum, de quibus idem Horatius Sat. 2. lib. 2.

——male verum iudicat omnis
Corruptus iudex.

Vel cœnis redimunt laudes. Horatius.

Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametq; domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum & trita munere vestis.

Idem sæpius Martialis, Persius, alij. Iuuenalis Sat. 7. dispositos ait libertos & comites, qui applauderent.

Scit dare libertos extrema in parte sedentes
Ordinis, & magnas comitum disponere voces.

Quæ argumenta recitata. De historia, tragœdia & Sene-ca.

Sed quæras, quid publice recitatum sit, poëmatane tantum, an etiam alia scriptorum genera? Vix vllum genus scripti reperio, quod publicum suggestum fugerit. Plinius epist. 17. lib. 7. *A quibus libenter requisierim, cur concedant (si concedunt tamen) historiam debere recitari, quæ non ostentationi, sed fidei veritatiq; componitur. Cur tragœdiam, quæ non auditorium, sed scenam & actores: cur lyrica, quæ non lectorem, sed chorum & lyram poscunt. At horum recitatio vsu iam recepta est; num ergo culpandus est ille, qui cœpit? quamquam orationes quoque & nostri quidam & Græci lectitauerunt.* De argumento & genere scriptorum Iuuenal. Sat. 1. *Semper ego auditor,* &c. vbi Theseidem Codri, Elegiam, Tragœdias, fabulas aliaque lemmata recenset. Qui recitarint, iam rogas? Principes seu Imperatores, viri consulares, nobiles, clari, & potissimum poëtæ. De Imperatoribus Suetonius cap. 85. Augusti studia celebrans.

Recitatores eorum conditiones.

Multa varij generis prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitauit. Sicut rescripta Bruto de Catone. Quæ volumina cum iam senior ex magna parte legisset, fatigatus Tiberio tradidit perlegenda, &c. Recitauit & Claudius Cæsar, de quo Suetonius: *Historiam in adolescentia hortante T. Liuio, Sulpitio vero Flauo etiam adiuuante scribere aggressus est. Et cum primum frequenti auditorio commisisset, ægre perlegit. Nam cum initio recitationis defractu compluribus subselliis obesitate cuiusdam, risus exortus esset, ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex interuallo subinde facti reminisceretur, cachinnosque reuocaret. Alia multa recitauit in principatu non ipse, sed per lectorem. Nec Romæ tantum, sed Alexandriæ etiam, vbi veteri Musæo nouum addidit.* Recitauit orationes Titus in senatu, Suet. cap. 6. Domitianus & alij. Fuit porro Quæstorum officium, vt principum orationes, & scripta recitarent in senatu; sed hic non de illa recitatione decretoria disputamus. Brissonium vide de Quæstoribus. Sel. ex iure Antiquit. lib. 4. cap. 17. De seipso sæpe Plinius, & nobilibus adolescentibus. De Romanis præconibus Persius Sat. 4. de Regulo Oratore Plinius. Auditores fuêre partim populares, & omne genus sine delectu, partim certi. De vulgo omniq; genere hominum. Plin. lib. 7. ep. 17. docet, cum ait, Pomponium secundum ad iudicium populi prouocasse. Et lib. 5. ep. 3. *Atq; has ita disputo, quasi populũ in auditorium, non in cubiculum amicos aduocarim.* Idem licet ex ep. 12. lib. 1. coniectare, vbi auditorum negligentiam increpat, & Claudij Cæsaris diligentiam. Nam & Imperatores subinde audiebant, vti Augustus, Vespasianus, Domitianus, alij. Et ex auditoribus nonnulli sæpe rogabantur, & nominatim ad publicam auditionem inuitabantur. Quod idem Plinius lib. 1. epist. 13. queritur. *Tametsi ad audiendum pigre coitur plerique in stationibus sedent, tempusq; audiendi fabulis conterunt.* Et mox: *Nunc otiosissimus quisq; multo ante rogatus, & identidem admonitus, aut non venit, aut si venit, queritur se diem, quia non perdiderit, perdidisse.* Idem auctor dialogi. *Quorum tamen hic exitus est, vt cum toto anno per omnes dies magna noctium parte, vnum lib. extudit & elucubrauit, rogare vltro & ambire cogatur, vt sint, qui dignentur audire: & ne id quidem gratis.* Alij vero recitatores non quoslibet admittebant, sed familiares, notos, doctos. Plinius de se ipso lib. 2. epist. 19. *Nos autem, si placuerit recitare, adhibituri sumus eruditissimum quemque.* Idem libro 5. epist. 3. vbi ait, *in cubiculum amicos vocari solitos.* Et libro 7. epist. 17. *Ego enim non populum aduocare, sed certos electosq; soleo, quos intuear, quibus credam, quos denique tanquam singulos obseruem, & tanquam non singulos timeam?* De eodem delectu auditorum habendo est epist. 15. lib. 6. ad Romanum, de Passieno Paullo, quem Iabolenus Priscus interpellauit. Erant, qui populi, & auditorum certorum plausum emerent, de quibus iam ante ex Horatio dictum. Modus, tempus & locus non eadem semper fuere. Plinius libro 1. epist. 13. ait toto mense Aprili nullum fere diem abijsse, quod non recitaret aliquis. Iuuenalis alicubi mense Augusto se poëtam audisse narrat. Ego certum puto, tempus incertum fuisse, sæpius tamen in æstate, quam hyeme ob cœli clementiam recitatum. Id à Iuuenale doceor tum, cum poëtæ aut scriptori placebat, auditorem vocatum, qui de Papinio loquitur Sat. 7.

Cap. 14. — *De auditorum genere.* — *Tempus.*

Curritur ad vocem iucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cum Statius vrbem,
Promisitq; diem ——

Locus. Diem promisit vtique poëtæ iudicio dictum delectumque. Vnde simul intelligis quosdam auide, magnoque concursu auditos. Locus alius publicus, ad quem licebat cuiuis accedere, qualis Ædes Apollinis Capitolini, quam ad similitudinem Ἀθηναίων, seu Mineruij Græcorum, Athenæum, Capitolinus, Lampridius, D. Hieronymus appellarunt. Fuere & basilicæ aliæ, seu templa, theatra, Pinacothecæ; Petronius & Suetonius auctores. domus Stellæ, de qua Martialis, & hortî Frontonis. Iuuen. Sat. 1.

Frontonis platani, conuulsaq; marmora clamant.
Semper, & assiduo rupta lectore columnæ.

Generatim de loco recitationis à poëta conducto loquitur auctor dialogi, seu Quintilianus, seu Tacitus. *Nam & domum mutuatur & auditorium extruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit.* Iuuen. Sat. 7.

—— at si dulcedine famæ
Succensus recites, Maculonis commodat ædes.
Ac longe ferrata domus seruire iubetur.

Alius priuatus, cubicula, balnea, triclinia, &c. cum pauci, ijq; delecti vocabantur, vt Plinius lib. 5. ep. 3. ostendit. Et lib. 7. e. 19. de Augusto supra recitauimus. Legebat sæpe inter ipsa conuiuia, quod Horatius, Persius, Martialis reprehendunt. Modus fuit, vt è scripto, non ex memoria recitarent, vt Oratores; sedentes, vt iudices; non stantes, vt patroni. Hinc lector & recitator apud Cic. 2. de Orat. & pro Cluentio idem est, qua scriptum; largius tamen vox lectoris, quam recitatoris, capitur. Gestus, vultus, motus idem, qui actorum, nisi quod recitator in omnib. languidior, quam Orator vel actor, eo quod manus & oculi præpediantur. Plin ep 19. lib. 2. ad Cerealem. De sessione tamen addubito; nam verba Plinij possunt referri ad actorem, non recitatorem, quando dicit. *Vnde accidit, vt hi, qui sedentes agunt, quamuis illi maxima ex parte supersint eadem illa, quæ stantibus; tamen hoc, quod sedent, quasi debilitentur & deprimantur*, de recitatoribus vero subiungit. *Recitantium vero præcipua pronunciationis adiumenta oculi, manus, præpediuntur.*

Hoc

Hoc tamen sedendo agentibus impedimenti non est, oculi enim & manus liberæ sunt. Quamuis Iuuenalis Sat. 7. videatur insinuare recitatores sedisse, cum dicit.

Nam quodcumq; sedens modo legeras, hæc eadem stans
Proferet, atque eadem cantabit versibus ijsdem.

Lecta tamen recitatoribus, non ex memoria pronunciata, hinc certius intelligis, quod & Persius, qui simul recitantis cultum describit, exponit.

Scilicet hæc populo pexusque togaque recenti
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus
Sede legens celsa——

Recitantium cultus fuit exquisitus, vt maiorem gratiam ab auditoribus inirent. Recitabant annulati, sardonychati, spleniati, pexi, siue κτενισθέντες & compti, candidati, purpurati etiam & ianthinati. Persius Sat. 1. ad quam Marcilium erudite meditatum lege, vbi de recitabulis, & recitatoribus plura, quæ postea, quam hæc scripseram legi. Addit & Turnotopæus quædam de phonascis, ad quorum nutum vocem temperabant.

Actor ex æquo & plano, non ex suggestu, nisi ad populum ex Rostris, aut militem in castris diceret, verba faciebat. Hinc discis, vnde natus languor auditoribus, ex recitantis nempe languore, cuius oculi manusque præcipua orationis instrumenta, & quasi vita, intra pluteum, & chartam concludebantur, quod Plinius non ignorauit, cum adiecit. *Quo minus mirum est, si audientium intentio languescit, nullis extrinsecus blandimentis capta, aut aculeis excitata.* Accedebant sæpe alia vitia recitatoris. Balbæ nares. Persius Sat. 1.

Rancidulum quiddam balba de nare locutus.

Faucium rauis Iuuenal. 1.

Vexatus toties rauci Theseide Codri.

Et Martialis lib. 4. epigram. 41.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conueniunt nostris auribus illa magis.

Et sæpicule alias. Argumenti præterea similitudo eiusdem sæpius a diuersis tractati. Iuuen.

Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis, & Æolijs vicinum rupibus antrum
Vulcani, quid agant venti, quas torqueat vmbras
Æacus, vnde alius furtiuæ detrahat aurum
Pelliculæ, quantas iaculetur Monychus ornos,
Expectes eadem à summo minimoq; poëta.

Vides poëmata, contrita poëtis argumenta? Lucum Martis, seu originem vrbis de Romulo & Remo, Ætnam, Inferos, Argonautas, gigantomachiam. Carminis prolixitas tædio mactabat auditores. Iuuenal.

——sicut mihi plena iam margine libri
Scriptus, & in tergo nondum finitus Orestes.

Hæc & his affinia nonnunquam offendebant auditores. Fuere tamen, qui recrearent, & magnis muneribus, honoribus, laudibus ornarentur. Laudat Plinius Calphurnium Pisonem nobilem adolescentem, Donauit Vespasianus Saleium Bassum quingentis H S. Donatus Virgilius, cum sextum Æneidos recitasset Augusto, ab Octauia, propter extremos de Marcello versus, millenis quinis ducentis & quinquagenis philippæis. Reportarunt illustre nomen vates ex recitatione, cum probatum esset scriptum. libelli tum certatim describebantur, legebantur, & immortalitati consecrabantur. Hoc πάρεργον lectori non ingratum fore censuimus, quod inde multorum locorum, cum in Martiale, Iuuenale, Plinio, tum alijs auctoribus, explicatio, cognitioq; iucunda antiquitatis cognosci posse videbatur. Sunt qui censeant recitationes à Domitiano sublatas inducti versu Martialis lib. 9. ep. 85.

De acclamationibus plenius lib. 2. ep. 27. lib. 1. ep. 50. & alios Marcilium quoq; ad Persium Sat. 1.

Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi; quod spectant, qui recitare solent.

Sed de histrionibus scenicis, non poëtis carmen est accipiendum, vt suo loco dictum doctumq; est. Redeamus, vnde digressi sumus. Quod ergo poëta dicit toto die audiri poëtam intelligis iam tota volumnia fuisse recitata. CAVSSIDICO] inuitanti ad actionem in foro habendam; neque enim puto hic recitationem intelligendam, quamuis Plinius iunior suas orationes etiam recitarit, iam in foro pronunciatas.

RHETOR] ad declamationes; assidue enim in scholis Rhetorum auditores declamationibus, caussisque fictis exercebantur: quarum vsum, vtilitatem, necessitatem exponit Fabius lib. 2. cap. 11. Declamationis definitionem Fabius lib. 4. cap. 2. tradit. Cicero passim, & Ciceronis filius ad Tironem in epist. 18. feruntur manibus eiusdem Fabij Quintiliani, si tamen Fabij, & Senecæ patris laudatæ declamationes. Vsum declamandi eleganter expressit Iuuenal. Sat. 7. *Declamare doces, &c.* Quid Grammatici docuerint, quidq; ab illis desideratum sit, idem Satyricus docet.

Petronius irascitur his Rhetoribus & declamatoribus, pagina prima, Num alio furiarum genere, &c.

Vt legat historias, auctores nouerit omnes,
Tanquam vngues, digitosque suos.——

Ad præfationes reor à Grammaticis inuitates nonnullos, cum nondum auctorem auspicarentur, vt hodie fieri amat, aut alias ad illustrem locum vel poëtæ vel historici. Nam quod nos hodie in humanitate docemus, veteres in Grammatica tradebant.

BALNEA POST] cum alioqui æstate, hora esset octaua, hyeme nona, poëta se ne tempori quidem laua e potuisse per occupationes. Decima autem hora apud nos in æquinoctijs inperi pomeridiana, in solstitio æstiuo, sexta aut septima, hiberno secunda, vt quouis tempore duas horas ante noctem in elligas.

CENTVMQVE QVADRANTES] sportulam, 20. cruciferos. Quadrantes quatuor assem efficiunt; centum, sportulam. FIET QVANDO, POTITE, LIBER] hoc pacto nunquam, cum omne tempus sit alijs negotijs exemptum. Hinc primo versu dixit, narandum potius, quod anno toto libellum vnum componat.

De Rabirio.

LXXI. LXI.

Quisquis læta tuis, & sera parentibus optas
Fata, breuem titulum marmoris huius ama.
Condidit hac charas tellure Rabirius vmbras.
Nulli sorte iacent candidiore senes.
Bis sex lustra tori, nox mitis & vltima clusit:
Arserunt vno funera bina rogo.
Hos tamen, vt primis raptos sibi quærit in annis:
Improbius nihil his fletibus esse potest.

QVISQVIS] Rabirius hic architectus erat Domitiani, de quo lib. 7. ep. 55. Hinc parentum eius funus describit, & Rabirij seu veras seu fictas lacrymas. QVISQVIS] poëta viatorem alloquitur. Quisquis optas, vt tui parentes diu viuant, & feliciter diem suum obeant, vt parentes huius Rabirij, lege hoc epitaphium, CHARAS VMBRAS] vtriusque parentis. SORTE CANDIDIORE] feliciore. BIS SEX LVSTRA] sexaginta annos coniuncti matrimonio exegere, raro sane exemplo. VNO FVNERE] vna nocte ante extincti, simulque cremati. HOS TAMEN] perinde tamen tulit mortem parentum senio confectorum Rabirius, ac si sibi puero & pupilo essent erepti: aut sibi quidem viro, sed quasi immaturo fato defunctos. Ita Hetruscum laudat Statius.

——tenet ecce seniles
Leniter implicitos vultus, sanctamque parentis
Canitiem, spargit lacrymis, animæque supremum
Frigus amat, celeris genitoris filius annos.
(Mira fides) n grasque putat properasse sorores.

Et supra de eodem clarius & largius. IMPROBIVS NIHIL HIS] quousque enim viuendum erat parentibus, & quando moriendum, vt non fleret Rabirius? quid egisset Rabirius, si immaturi obijssent, qui etiam maturimos inexplebilibus lacrymis prosequi ur? IMPROBIVS] vt qui ipsam felicitatem deploret, cum & senes, & bono fato defunctos amiserit, & ipse hæres successerit, vt fictæ possint videri lacrymæ. An dicit: nihil amantius potest esse his lacrymis. an, importunius? vt improbus labor, importunus, assiduus.

Adulatorium.

LXXII. LXII.

Frustra blanditiæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis:
Dicturus dominum, deumque non sum;
Iam non est locus hac in vrbe vobis.
Ad Parthos procul ite pileatos,

Et

Et turpes, humilesq́, simplicesque
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed imperator,
Sed iustißimus omnium senator:
Per quem de stygia domo reducta est
Siccis rustica veritas capillis.
Hoc sub principe, si sapis caueto,
Verbis, Roma, prioribus, loquaris.

FRVSTRA BLANDITIÆ] Blanditur Neruæ Traiano, dum nullum blanditijs apud eum ait esse locum, simul ex vituperatione prioris præsentem imperatorem laudat, quod & Plinius in Panegyrico fecit. De his blanditijs digna lectu è Seneca, Valer. Maximo, Suetonio, Tacito, Athen. Heraldus. ATTRITIS M. L.] An Domitianus fuerit etiam adoratus, vt Caligula, Diocletianus, nescio, dominum certe deumq; se dixit, diciq; se iussit. His poeta verbis diuturnam hominum adulationem temporibus Domitiani declarat, quasi homines attriuerint labra illius pedes solumque basiando. DOMINVM DEVMQVE [Domitianum, de quo Suetonius & alij, nos supra. NON EST LOCVS] Imperante Traiano, qui in hoc genere omnium confessione modestissimus fuit. lege Panegyricum Plinij. AD PARTHOS PILEATOS] Parthi enim præter morem Romanorum, Græcorum, Germanorum, Gallorum pileati incedebant. turbinatos credo pileos, candyas, cyrbasias, cydaresq; gestabant, vt hodie Turcæ & Persæ. Lipsius cap. 19. de Amphit. Quare ad Parthos mittit? Parthi reges superbi amabant inferiorum adulationes, & abiecta officia. PICTORVM SOLA BASIATE REGVM] de fastu Parthorum regum alio loco diximus, qui se reges regum appellitabant, duplex diadema gestabant. Herod. lib. 7. Plutarchus in Pompeio. Sueton. in Caligula. Dio in Augusto. Xenophon vero Parthorum seruilia ingenia ostendit, cum ab illis regem adorari, pedes osculo tangi, aliaq; de fastu prædicat. PICTORVM] ad vestem, & cultum purpuramque refert. sola) Pedes osculandi morem Heraldus exponit cum testimonijs plenius. DOMINVS SED IVSTISSIM. SENATOR] de hac modestia, virtute, comitate lege Panegyricum Plinij, Dionem in Traiano, Suidam. VERBIS PRIORIBVS] adulatoribus, seruilibus, fucatis, mendacibus.

Damnat Martialis quem ante laudauerat Domitianũ, vt à multis fieri amat, pro ingenio adulatorũ. Et Persæ etiam pileati. Turnebus, Heraldus.

Ad Marcum.

LXIII. LXXIII.

Littera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit Ausoniæ dona seuera togæ,
Qua non Fabricius, sed vellet Apicius vti,
Vellet Mæcenas Cæsarianus eques.
Vilior hæc nobis alio mittente fuisset:
Non quacunq; manu victima cæsa litat.
A te missa venit, possem nisi munus amare
Marce tuum: poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, & nomine gratius ipso
Officium docti, iudiciumque viri.

Marco Antonio Primo Tolosano gratias agit de litteris & toga missa. AVSONIÆ TOGÆ] ipse tamen non Ausonius. FABRICIVS] ille paupertatis & parsimoniæ primæ magister, de quo supra. APICIVS] cuius luxum lib. 3. epig. 22. descripsit. MÆCENAS] & de hoc dictum large lib. 8. CÆSARIANVS] partes Cæsaris secutus, qui numquam accessit Remp. Similem habet locum Iuuenalis Sat. 12.

De quo libro 9 fuse ex Tacito Suetonio.

——— vestem
Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam.

Lautior enim & nitidior fuit Seneca epist. 93. & 114. vbi discinctum vocat. NON Q. M.] Non cuiusuis hostia deo grata, nec cuiusuis munus homini charum, * sæpe donantis gratia maior est ipso dono. Gratum fuit munus tuum mihi, gratius ob commune vtrique nomen, gratissimum officium & iudicium tuum de meis carminibus. LITAT] litare est rite sacrificare & impetrare. Gregorium Gyraldum consule syntag. 37. vbi multa ex Plinio Suetonio, Virgilio, Plauto, Liuio, alijs de verbo hoc & ritu veterum, p. 503. POSSEM AMARE] pro amarem. Elegantissimum huius verbi (*possum*) apud scriptores priscos, vsum exponit Guil. Canterus Nouarum Lect. lib. 2. c. 2. toto, multisq; illustrat exemplis. Videtur poeta maluisse pecuniam quam vestem.

Seneca de Ben.

Ad Romam.

LXXIV. LXIV.

Iam parce lasso, Roma gratulatori,
Lasso clienti: quandiu salutator
Anteambulones & togatulos inter,
Centum merebor plumbeos die toto,
Cum Scorpus vna quindecim graues hora
Feruentis auri victor auferat saccos:
Non ego meorum præmium libellorum,
(Quid enim merentur) Apulos velim campos:
Non Hybla, non me spicifer capit Nilus,
*Nec quæ paludes delicata * Pontinas*
Et arce cliui spectat vua Setini.
Quid concupiscam quæris ergo? dormire.

Pomtinas.

IAM PARCE LASSO] damnat inofficiosa officia salutandi, quæ clienti præter sterilem sportulam nihil adferant, cum aurigatores auri saccos ingentes auferant. Adhæc officia respexit Plautus, Amphit. Sos. *Videsis, herus salutator, oppessulatas ante fores graditur.* ad quæ verba Batauus quispiã. *Alludit ad officium togæ, quod qui obibant, Anteambulones seu saltatores cluebant, ab hac caussa, quoniam clientes ac Salutigerulos se facerent potentiorum, voluntariæ seruituti quasi addicti, ne dicam mancipati spe sportulæ, aut cœna recta: quam vt adipiscerentur, aliquando mane, vel à media nocte interdum præ foribus, aut in vestibulo saltem egressum Regis sui deducendi porro præstolabantur; officia sua ex parte quisque æmulanter inter se atque adeo ambitiose intendentes, quo videlicet contemnifico illi ac fastidioso domino morigeros sese & obsequentes præberent, probarentq;, nihil non contumeliarum interim à ianitoribus Atriensibusq;, atque id genus hominum indignissime pertolerantes ac deuorantes taciti, quo etiam referendum illud Petronij. Cliensq; cœnas impotentium captet. plura & compertiora nosse qui volet, consulat de toto hoc genere Senecam Martialem, Iuuenalem, aliosq; denique Lucianum in mercede conductis.* Hæc ille.

Suetonius in Cal. cap. 11.

PLVMBEOS] sportulam centum quadrantum intelligit, plumbeos per contemptum appellat cum essent ærei. cudebantur tamen & plumbei, fundebantur ærei, alij erant adulterini, & stannei & plumbei, legatur Marcilius contra Ramiresium lib. 1. epist. 100. SCORPVS † cuius supra mors est & epitaphium. VNA HORA] qua aurigatur in circo. QVINDECIM SACCOS AVRI FERVENTIS AVFERAT] Romæ moris fuit victoribus aurigis aurum postulare, quod postea equis victoribus cœptum postulari. Iuuenal. sat. 7. versu vltimo.

De plumbeis alibi d.

De opibus Aurig. Panuinius lib. 1. de lud. Circ. ca. 14. p. 40.

Accipe, Victori populus quod postulat aurum.

Quem versum peruerse quidam interpretantur: rectius vetus in Iuuenal. interpres. Lege Bulengerum de circo cap. 34. de præmijs aurigarum, &c. Capitolinum in Vero. *Volucri*, inquit, *equo Prasino mortuo sepulcrum in Vaticano fecit.* In huius equi gratiam primum cœperunt equis aurei, vel brauia postulari. In tanto autem equus ille honore fuit, vt ei & à populo Prasinatum partium sæpe modius aureorum postularetur. APVLOS C.] quietem se & somnum præmij loco petere ait, non opes & diuitias, iugera Apuliæ Ægyptique, vineas Setinas, quæ sunt ad Pomtinas paludes, de quibus alio dictum loco. Setia autem edito sita loco erat, cui subiecta vlua Pomtina. DORMIRE] somnum enim Romæ excutiunt mille negotia, & molestiæ, de quibus Iuuenal. Sat. 3.

Ni melius dormire putem, quam scribere versus.

——tanti tibi non sit opaci.
Omnis arena Tagi, quod in mare voluitur aurum,
Vt somno careas, ponendaque præmia sumas
Tristis, & à magno semper timearis amico.

De

De Mæuio.

LXV. LXXVI.

Hoc fortuna tibi videtur æquum?
Ciuis non Syriæue, Parthiæue,
Nec de Cappadocis eques, catastis,
Sed de plebe Remi, Numæq; verna,
Iucundus, probus, innocens amicus,
Lingua doctus vtraq;, cuius vnum est,
Sed magnum vitium, quod est poëta,
Pullo Mæuius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus?

Horat. Mancipijs locu ples eget æris Cappadocum rex.

Incitati Pat. Fab.

HOC FORTVNA TIBI] queritur poëtas negligi, muliones locupletari; artes enim nobiles iacebant, viles colebantur, de qua re satyra est septima Iuuenalis tota. Seipsum & suam infelicitatem sub persona Mæuij poëtæ describit. CIVIS NON SP.] non factus ciuis Romanus, qui antea seruus erat Parthicus, aut Syrus, aut Cappadox in equestrem ordinem relatus, de quibus Iuuen. Sat. 3.

Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,
Esquilias, dictumque petunt a vimine collem
Viscera magnorum domuum dominique futuri.

Et paulo supra:

Iampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes, &c.

CATASTIS] Catasta, vel custodia est venalium seruorum: Martialis lib. 9. epig. 60. *arcana tabulata catastæ*: vel equuleus in supplicijs martyrum, dictus à similitudine equulei Cappadocum, qui catasta vocabatur. Prudentius περὶ στεφ. hym. x. vel est igneus lectus, in quo vstulati martyres. Vide Marcilium ad 6. Sat. Persij, & librum postumum Magij de equuleo, quem supra laudauimus. SED DE PLEBE] sed Romanus, Romæ natus, ingenuus, liber, qui seruitutem numquam seruijt. Verna enim hic non pro seruo, sed homine Romæ nato accipitur. LINGVA DOCTVS VTRAQVE] græca & latina. QVOD EST P.] nunc enim illi tantum nesciuntur, qui aliquid sciunt, barbari & rudes coluntur. PVLLO MÆVIVS] Mæuius & Bauius apud Virg. Ecloga 3. vt pessimi poëtæ notantur:

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui,
Atque idem iungat vulpes & mulgeat hircos.

Fuit Mæuius hostis etiam Horatij Ode 10 epodon. Horum ergo nomine mali poëtæ designantur, vt apud Catullum, Cæsij, Aquini, Fuffeni, apud Festum & Athenæum Mæson comicus, apud Diomedem Autolycus & Burrio Satyrici, Manducus, Pappus, Maccus, Pultiso Sagaris Atellani. Mæuius & Bauius heroici.

Martialis seipsum velut interpretes malos ponens modestiæ caussa vocat Mæuiũ & pauperẽ vt doceat bonas artes negligi, equisones & agasones coli & adorari. Cucullus est pars vestis à tergo pendentis, quo tegitur caput, vt in 5. didicisti. hodie *cappam* vulgo dicunt. Pullus color pauperrimus: pulla paupertas inde Calpurnio. Sueto. in Aug. 44. pullatos appellat. Lipsius lib. elect. 1. c. 13.

COCCO M. F. INCITATVS] Poëta Mulionem hoc loco, & libr. 11. epig. 1. ipsum vocat Incitatum. *De Scorpo fuerint & Incitato.* Quod equidem, & libr. 11. nisi versus me impedijsset, indicassem hic legendum. MVLIO INCITATI] Etenim Incitatum equum Caligulæ vel patre chariorem fuisse colligas è Suetonio cap. 55. & Dione disertius in Caligula. Tranquilli verba sunt. *Agitatori Cythico commissatione quadam in Apophoretis vicies H. S. contulit. Incitato equo, cuius caussa pridie Circenses, ne inquietaretur, viciniæ silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis. domum etiam & familiam, & supellectilem dedit, quo lautius nomine eius inuitati acciperentur: consulatum quoque traditur destinasse.* Hæc Tranquillus, sed primum verbum nonnulli emendant, qui tamen ipsi emendandi sunt cum legunt *Incitati equo*, cùm diserte habeat *Incitato equo*, vt dicat equo fuisse hoc nomen, quod ita confirmat Dio, vt non nisi ab eo, qui omnem auctoritatem negat, negari possit. Sic enim Græcus: Καὶ ἕνα γε τῶν ἵππων, ὃν Ἰγκιτάτον ὠνόμαζε, καὶ ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλει, χρυσᾶς τε αὐτῷ κριθὰς παρέβαλλε, καὶ οἶνον ἐν χρυσοῖς ἐκπώμασι προέπινε, τήν τε σωτηρίαν αὐτοῦ καὶ τὴν τύχην ὤμνυε, καὶ προσυπισχνεῖτο καὶ ὕπατον αὐτὸν ἀποδείξειν. καὶ πάντως ἂν καὶ τοῦτο ἐπεποιήκει, εἰ πλείω χρόνον ἐζήκει. *Vnum vero ex equis suis, quem Incitatum nominabat, inuitabat ad cœnam, ita vt ei hordeum ex auro apponeret, funderetque vinum, in pocula aurea, ac per salutem eius, & fortunam iuraret, seq; eũ consulem facturũ polliceretur, id quod fecisset omnino,*

si vixisset diutius. Quid clarius dici de nomine equi & equo ipso potuit? Martialis porro nomen Incitatus sine controuersia hic pro homine auriga, non equo ponit, si tamen versus non est mendosus: Ego sane cum Petro Fabro lib. 2. sem. cap. 20. legerim. *Cocco mulio fulget Incitati.* Infra lib. 11. epig. 1. videtur nomen Aurigæ, vbi Scorpum & Incitatum coniungit. Et venio in suspicionem fuisse Domitiani & Traiani æuo celebrem agitatorem hoc nomine affectum, ex equi fortasse prioris memoria, nisi locus, vt dixi, mendosus.

De Caro medico.

LXXVII. LXVI.

Nequius à Caro nihil vnquam, Maxime factum est,
*Quam quod febre perit: fecit & * ille nefas.*
*Sæua nocens febris saltem quartana * fuisset;*
*Seruari medico debuit * illa suo.*

* illa ita lege. * fuisset * ille, carus nempe sibi-ipsi.

Dolet Carum medicum subita febri, quem diu cruciatum cupiebat, extinctum. NEQVIVS NIHIL FACTVM CARO, QVAM QVOD PERIT] Hunc fere loquendi modum vsurpauit Plinius epist. 2. lib. 6. *Bene fecit Regulus, quod est mortuus, melius, si ante*; quasi in hominis potestate fuisset aut mori, aut non mori. QVOD FEBRE] crucem illi culeumue optabam, non tam lene fatum. FECIT ET ILLE NEFAS.] quis nisi mendosus non videat scripturam esse mendosam? illa, certe, non ille febris dicitur. Febris fecit nefas, quæ subito sustulit Carum, debebat esse quartana, quæ diu cruciasset hominem, qui multos cruciauit & extinxit. Porro de generibus febrium diserte Celsus lib. 3. cap. 3. vbi Hemitritæon ait febrim perniciosam, quartanam simpliciorem, cætera ibi DEBVIT ILLE SVO] Hic scribere possis, *ille* carus sibiipsi nempe, possis & *illa* febris quartana.

De medicorum perfidia Plinij querimonia extat lib. 29. cap. 1.

Ad Macrum.

LXXVIII. LXVII.

Ibis litoreas, Macer, Salonas,
Ibit rara fides, amorque recti
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas.
Fœlix aurifera colone terra,
Rectorem vacuo sinu remittes,
Optabisque moras, & exeuntem
Vdo Dalmata gaudio sequeris.
Nos Celtas, Macer, & truces Iberos
Cum desiderio tui petemus.
*Sed quæcunque tamen feretur * illic*
Piscosi calamo Tagi notata,
Macrum pagina nostra nominabit.
Sic inter veteres legar poëtas,
Nec multos mihi præferas priores,
Vno sed tibi sim minor Catullo.

* illinc

Macrum Hispaniæ & Dalmatiæ diuersis annis rectorem laudat, & hic Salonas coloniam felicem prædicat, quæ Macrum esset habitura præfectum. LITTOREAS SALONAS] Salonæ oppidum Dalmatiæ cepit primus C. Cosconius proconsul A. V. C. 674. Ptolomæus coloniam appellat. Huc deposito imperio Diocletianus Dalmata priuatus concessit, & in villa haud procul Salonis præclaro otio consenuit, vt in breuiario Eutropij lego. Idem Suidas in Diocletiano, qui Salonas vrbem Illyricorum vocat, Stephanus Salonas Dalmatiæ, Salonem Illyrici, Salonium Bi-

Eutropij breuiarium.

thyniæ oppidum facit. In antiquo epigrammate apud Mazochium p. 28. colonia Marcia Iulia, Salona nominatur. hoc tantum a x Clus. ibidē Nigro ponitur, lege Appianum & Strabonem, Littoreas appellat. vt Strabo lib. 7. maritimam oram Dalmatarum. IBIT R. F.] virtutes sanctorum præsidum describit, fidem, iustitiam, continentiam. S. P. R. POTESTAS] magistratus continens & abstinens. Mirifice laudat ab hac dote Pompeium. Cic pro Manilia, & hortatur Q Ciceronem ad eandem æmulandam, suam vero in Cilicia præturam exempli caussa proponit: Fuit & M. Cato, vt est apud Plutarchum, omnis exemplum abstinentiæ. Valerius eiusdem testis lib. 4. cap. 3. vbi huius virtutis documenta plurima miraberis. Ita prædicatur à Gellio Gracchus. *Cum, inquit, rediret ex Sardinia, de sua parsimonia & continentia hæc protulit. Cum Roma profectus sum, zonas plenas argenti extuli; eas ex prouincia inanes retuli.* AVRIFERÆ] Plinius lib. 33. cap. 4. *Aurum, qui quærunt, ante omnia segullū tollunt, ita vocatur indicium, aluem, vbi id est. arenaq; lauātur, atq; ex eo, quod resedit, coniectura capitur vt inueniatur aliquando in summa tellure protinus, rara felicitate, vt nuper in Dalmatia principatu Neronis singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens.* V. S REMITTES] nihil secum, præter gloriam, in patriam reportantem remittas. V. GAVDIO] lacrymis abeuntem prosequeris. G.] desiderio. NOS] ego patriam Celtiberiam reuisam. DESIDERIO] quem antea habuimus rectorem adhuc desideratum lib. 12 epig. vltimo.

Non ignorat, onus quod sit, succedere Macro.

SED Q.] hoc dicit. Quæcumq; epigrammata mittentur à me Romam ex Celtiberia, continebunt laudes & nomen tuum, Macer. Pagina scripta calamo piscosi Tagi. scripta ad Tagum in Hispania. SIC] votum. Tam hoc fiet, quam ego posteris legar, & poëtis melioribus adscribar, qui me parem Marsis, Pedonibus, alijsque, & vnico inferiorem Catulo minime nego.

De Torquato & Otacilio.

XXVIII. LXXIX.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breue rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Extruxit: cucumam fecit Otacilius
Disposuit Daphnona suo Torquatus in agro:
Castaneas centum seuit Otacilius.
** Consul Torquatus: vici fuit ille magister,*
Nec miror in tanto visus honore sibi.
Grandis vt exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

** Consule Torquato vici fuit ille magister. Idem sensus si legas Consul. Torquatus: vici fuit &c.*

Irridetur à poëta Otacilius pauper, qui Torquatum diuitem & magnificum nec quicquam æmulabatur. Perstringit interim eos, qui cum sint longe inferiores, tamen potentiores student æquare. AD L. QVARTVM] Ad quartum ab vrbe milliarium, vt milliarium mille passibus definiatur, loquendi vsus acceptus est à lapideis columnis, quorum auctor traditur à Plutarcho in vita Gracchi, C. Gracchus. *Ad hæc, inquit, viam omnem per milliaria dimensus (capit autem paullo minus octo stadia milliare) columnas lapideas spatij signandi caussa locauit.* Hæc ille. Quo loco animaduertendum est (vt recte docet Lucas Pætus Iurisconsult.) Plutarchum in eo, quo dixit, octo stadia paullo minus esse milliario, discrimen Romani Græciq; pedis non animaduertisse. Quod autem milliaria lapides appellarentur, testantur Plinius, Liuius, alij. adi Lucam Pætum de antiquis Rom. & Græcorum mensuris. Lipsium lib. 3. admir cap. 10. In columnis plerumq; inscripta erant milliaria. adde Brissonium lib. 11 de verb. signif. qui multa de columna aurea Augusti in foro posita. PRÆTORIA] non intelligo hic ducum & imperatorum in castris tabernacula, aut domum in vrbibus prætorianam, sed villas ciuium nobiliorum elegantiores & magnificentiores, quales habuere imperatores, cæteriq; lautiores Romani in suis suburbanis. Papinius in Tiburtino Manlij Vopisci 1. Sil.

——nec te mitissimus amnis
Diuidit, alternas seruant prætoria ripas.

Lege epigram. 13. lib. 1

Signat vicinus quartus ab vrbe lapis.

Suetonius in Aug. cap. 72. Caligula cap. 37. Tito c. 8. Iuuen. Sat. 1. Ausonius, Tertullianus de idololatria. Palladius li. 1. c. 8. Iurisconsulti partem villæ ad vsum patrisfamilias lautius ædificatam vocant prætorium, Tacitus villam. Virgilius eleganter, vt omnia, apum Rempub. castris contendit, & cellam regiam prætorio. *Et circa regem atq; ipsa ad prætoria densæ Miscentur.* BREVE RVS] hinc

disces prætoria fuisse magnifica & splendida, cum Otacilij rusculum & prætoria Torquati velut duo contraria inter se componat. Strabo tradit villas eas, & Prætoria Persarum regias, æquasse. lege Capitolinum de Gordianorum villa in via Prænestina. Lipsium Admir. cap. vltimo, libro 3. N. V. D. M. THERMAS] In villis Romanos ædificasse thermas ex Plinij epistolis pluribus constat, & Capitolino, alijsque. Magnificentiam thermarum lib. 6. epist. 42. copiose explicauimus. tu lege Admiranda Lipsij lib. 3. cap. 8. de Balneis Thermisque. CVCVMAM] cucumam tugutiolum interpretatur Prateius. D. Ambrosius serm. 90. vas æreum. *Dy ares*, inquit, *ex quibus cucumæ melius fiant ad vsus hominum; cucumellam* certe Vlpianus numerat inter vasa; *secus*, inquit, *si siluam seuisset, in qua labra, & crateras & cucumellas positas haberet.* Martianus ad l. Cor. de sic. 1. §. 2. *Si claui percusserit, aut cucuma in rixa.* Budæus ferreum baculum videtur interpretari. Politianus Miscell. cap. 30. *Est vas in quo aqua calefiebat corporis, lintei, cæteriq́; abluendis.* Petronius expresse pro vase aquis calefaciendis. *Mox tuni culla quadrato pallio, cucumam ingentem foco apposuit.* Ad quem locum obseruationes lege. DISPOSVIT D.] Daphnon Græcis, Romanis lauretum seu loretum, dicitur locus lauro arbore consitus; δάφνη enim laurus est, vt πλατανών. de laureto Cæsarum ad Gallinas, & Auentino laureto Plin. lib. 16. cap. 30. Suetonius in Galba cap. 1. Mira sunt, quæ de Veientana Liuiæ villa referuntur; adi Pierium lib. 50. de lauro.

CASTANEAS C.] Torquatus lauretum in suo prædio habet, Otacilius vix centum castaneas, non arbores sed poma castanearum. C. TORQVATVS) plures Torquatos fasti consulares præferunt. poëta Torquatum ponit pro consulari nomine propter gentis nobilitatem, velut rem notam. VICI MAGISTER] Vicimagistri, magistri è plebe & viocuri dicuntur ijdem, quorum frequens mentio in Inscriptionibus, frequentissima apud Rufum & P. Victorem, Augustus primus vrbem in XIV. regiones diuisit, (vt sentiunt viri doct. quamuis Torrentius contra nitatur.) Vicos CCCCXXIV. vt ostendit ex Rufo Casaubonus; Regionibus præerant curatores, quos Græci ῥεγεωνάρχας & ῥεγεωναρίους appellant, quos alij putant nouum fuisse magistratum, Torrentius & Casaubonus recte negant, curamque regionum habuisse ædiles, tribunos, prætores, docent ad 3. caput Suet. in Augusto. Idq; ad Seueri tempora seruatum. quod Dio in actis anni D.CCXLVII. tradit lib. 55. singulis porro regionibus præfecti erant duo curatores; auctores Rufus, & P. Victor. Vicomagistri, seu vicorum magistri, viocuri γειτονιάρχοι iam inde ab antiquissimis temporibus in vrbe fuerunt. GRANDIS V. E.] Horat. idem lib. 2. ser. sat. 3. vt poëta videatur inde huius epigrammatis lemma sumpsisse. Sic enim ille.

Asconium lege ad Ciceronis Pisonianam.

An quodcunq; facit Mecenas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem, & tanto certare minorem?
Absentis ranæ pullis vituli pede pressis
Vnus vbi effugit, matri denarrat, vt ingens
Bellua cognatos eliserit. illa rogare,
Quantane, num tandem, se inflans sic magna fuisset,
Maior dimidio. num tanto? cum magis atque
Se magis inflaret: non si te ruperis, inquit,
Par eris, hæc à te non multum abludit imago.

Et epist. proxima ante vltimam lib. 1. *Rupit Hiarbitam Timagenis æmula lingua.*

De Erote.

LXXX. LXIX.

Plorat Eros, quoties maculosa pocula murrhæ
Inspicit; aut pueros; nobiliusue citrum,
*Et gemitus imo * promit de pectore, quod non*
Tota miser coëmat septa, feratque domum.
Quam multi faciunt, quod Eros, sed lumine sicco:
Pars maior lacrymas ridet, & intus * habet.

** promis.*
** hauet al.*

Vt lib. 9. Mamurram egestatis dissimulatorem, opumq; inopem iactatorem carpsit, ita hic eumdem notat, alio tamen artificio, & Erotis nomine ac persona, qui aperte flebat, cum venales thesauros rerum & hominum, inani marsupio, frustra, dolentibusq; oculis spectaret, nec inopiam, nec affectum dissimularet, cum quo alios æque egentes, ac Eros erat, sed ridentes in speciem & mendicitatem risu tegentes componit. hoc enim est, quod dicit; Pars maior ridet, & lacrymas intus habet. Vel vt alij legunt *auet* seu *hauet*. ita vt aliter versum distinguas, & exponas, *Pars maior lacrymas ridet; & intus auet.* hoc est, in speciem quidem rident, cum flere mallent: nam intus æque cupiunt

piunt pocula myrrhina, pueros, & quicquid venale in septis extat, atq; Eros. EROS] hic fictum nomen. alias Eros græce Amorem sonat. MYRRHÆ] seu murrhæ. Lib. 9. *Myrrhina signauit sepositiq; decem*, de murrhinis seu myrrhinis lib. 14. suo lemmate dictum. PVEROS] nobilia & pretiosa mancipia in catasta venum exposita. libro 9. epigrammat. 60. *Sed quos arcana seruant tabulata catastæ, Et quos non populus, nec mea turba vides.* SEPTA] lib. 9. *In septis mamurra diu multumq; vagatus*, &c. vbi plura de septis. CITRVM] lib. 9.

Inde satur mensas, & opertos exuit orbes,
Expositumq; alte pingue poposcit ebur.
Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.

Arborem hanc, vnde mensæ auro cariores fiebant, lib. 14. ep. 89. descripsimus.

Accipe felices, &c.

LACRYMAS RIDET] nempe, vt vetus Græcorum verbum habet ξεναῖς γελᾶν παρειαῖς, siue γναθμοῖς γελᾶν ἀλλοτρίοις. hoc est alienis mandibulis seu peregrinis buccis ridere. non ex animo, qui spem vultu simulant & premunt altum corde dolorem. Adagiographum adi.

Virg. 1. Æn. Iunian. cent. 6. ad 49. & 50.

Ad Gallum.

LXX. LXXXII.

Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
Mâne, vel à media nocte togatus ero.
Stridentesque feram flatus Aquilonis iniqui;
Et patiar nimbos, excipiamque niues.
Sed si non fias quadrante beatior vno.
Per gemitus nostros ingenuasque cruces:
*Parce precor * lasso, vanosque remitte labores,*
Qui tibi non prosunt, & mihi, Galle, nocent.

** fesso*

Deprecatur officium anteambulonis, quod ait sibi nocere, amico nil prodesse. MEDIA NOCTE TOGATVS] media nocte tibi occurram officiosus, & te comitabor, si vsus fuerit; officia, enim vrbica in toga fiebant, non penulâ aut lacernâ. INGENVASQVE CRVCES] aulica officia, cætera plana.

Quæ sunt honesta cruces, quales sunt principum & episcoporum, & qui his inseruiunt.

Ad Marinum.

LXXI. LXXXIII.

Raros colligis hinc & hinc capillos,
Et latum nitidæ, Marine, caluæ
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt iubente vento,
Redduntur que sibi, caputque nudum
Cirris grandibus hinc & inde cingunt.
Inter Splendophorum, Telesphorumque,
*Cidæ stare putabis * Halmyroten.*
*Vis * tu simplicius senem fateri?*
Ut tandem videaris vnus esse,
(Tonsor iam reliquos metat capillos.)
Caluo turpius est nihil comato.

** Hermerotem MSS.*

** [illegible]*

Caluum irridet Marinum, vt lib. 5. ep. 50. Labienum. RAROS COLLIGIS] tempora coma-

tus erat Marinus, cætera caluus, vt comatus toto capite videretur, sic disposuit capillos, vt caluitium tegeret, quod ventus tamen subito detexit, comâ in tempora relectâ. latum campum caluam, supra, aream vocauit. Obserua lector, de ipsa voce caluitij & caluitie. caluitium plerique omnes veteres dixêre, nescio an priscorum cuiquam caluities placuerit, nostro vel proxime superiori sæculo Alexander Neapolitanus & Rhodiginus caluitiem dixere Cenestellis seu Fenestellis nomen dedisse. Proinde velim si in nostris commentarijs alicubi caluitiem legeris, caluitium rescribas, semper incerta certis posthabere soleo. Quod artificium veteres ad tegendam caluam adhibuerint, alias docuimus, & infra lib. 14. lem. 50. docemus; Consule & Casaubonum lib. 7. Animad. pag. 295. REDDVNIQVE SIBI] redeunt in locum suum & tempora. CAPVTQVE NVDVM CIRRIS GRANDIBVS HINC INDE CINGVNT] lib. 5.

Sunt illinc tibi, sunt & hinc capilli,
Nudum est in medio caput——

Cirri, βόστρυχοι, capillamenta velut in nodum collecta. sunt & cirri fœminarum in temporibus fictitij, Harlocke/crispati & contorti. INTER SPLENDOPHORVM TELESPHORVMQVE] Spendophorum emendant nonnulli; sententia est: caput Marini simillimum esse tribus iuxta se stantibus Telesphoro, Hermeroti, & Splendophoro. Splendophorus enim & Telesphorus elegantes & comati erant pueri, caluus autem Helmerotes seu Halmyrotes, qui medius si steterit, apparebit vnum quasi caput, cuius vtrinque tempora sint capillata, medius vertex nudus & deglabratus, & supra lib. 5. ep. 50. Labienum Geryoni tricipiti comparauit. Telesphori lib. sequenti mentio est ep. 27. & 59. & de alio Telesphoro, lib. 1. ep. 115. de Splendophoro est ep. 57. lib. 9. Ex quibus intelligis formosos pueros fuisse & comatos. cætera nil moror. Hermerotes, in ora vetus habet codex, * signum est apud Plinium lib. 36. c. 5. eius artifex Tauriscus Trallianus. Halmyros græce Marinum, & salsum ἁλμυρώδης salsuginosum valet, ἁλμυρότης ipsam salsuginem, sal autem & salsugo depilant capillos, vt Halmyros depilatum & caluum sonet. CIDAS] *Sic adstare* putat Heraldus emendandum. Cidas an dominus, an pictor, fictorue, quæro. Apud Plinium Cydonus & Cydias nobiles reperiuntur artifices, Cidæ nulla, quod sciam, mentio. Hic forte Hermerotem seu Halmyrotem dicas Cidæ fuisse filium, Græcorumque more locutum Martialem Hermerotem Cidæ, nempe filium, υἱὸς enim Græcis tacetur in hoc loquendi genere quod etiam pueri, qui vel à limine salutarunt Græcam Musam & non sunt, vt ille, ἀναλφάβητοι. VIS TV SIMPLICIVS SENEM FATERI?] vin te senem esse tu fateri candide? Ergo (vt tandem non tricorpor, vt Geryon, sed vnus videaris) tonde cirros tuos, & comata tempora. & sis penitus caluus. Ita enim nec capillatus es, sed monstrum. carmen tertium ab vltimo tollendum arbitrantur. De caluitio multa Iunius lib. de coma c. 11. toto. Elegans est in caluos epigr. Petronij.

* Statua

Quod solum formæ decus est, cecidere capilli
Vernantesq; comas tristis abegit hyems.
Nunc vmbra nudata sua iam tempora marent,
Areaq; attritis ridet adusta pilis.
O fallax natura deûm: quæ prima dedisti
Ætatis nostræ gaudia, prima rapis.
Infelix modo crinibus nitebas
Phœbo pulchrior & sorore Phœbi.
At nunc leuior ære, vel rotundo
Horti tubere, quod creauit vnda,
Ridentes fugis & times puellas.
Vt mortem citius venisse credas,
Scito iam capitis perijsse partem.

Scripsit Caluitij encomium Synesius, Beatus Romanus scholijs illustrauit.

De Ladonte nauta.

LXXXV. LXXII.

Jam senior Ladon Tiberinæ nauta carinæ
Proxima dilectis rura parauit aquis
Quæ cum sæpe vagus premeret torrentibus vndis
Tibris, & hyberno rumperet arua lacu:
Emeritam puppim, ripa quæ stabat in alta,
Jmpleuit saxis, opposuitque vadis.

Sic

Sic nimias auertit aquas, quis credere posset?
Auxilium domino mersa carina tulit.

IAM SENIOR] Elegans & venustum epigramma ab euentu natum, cum demersa naue seruatus est nauta, qui saluâ periisset. LADON] fictum forte nautæ nomen, vt supra Marinus, apte tamen; est enim Ladon apud scriptores fluuius, & nautæ vitam in fluuiis degunt. Apud Ouidium 3. Met. idem est nomen canis. TIBERINÆ] fluuiatilis nauta, non marinus. PARAVIT RVRA] Iuxta Tiberim rus emit & instruxit. SAEPE VAGVS] Tiberis eluuiones esse frequentes & historiæ, & ipsa tempora loquuntur, sed tantam aquarum molem ripis egressam, vrbemque & vrbi vicinos campos ingressam, quanta nono, supra millesimum quingentesimum nonagesimum, anno, nulla hominum memoria recordatur vel testatur, quando ipsa vrbs, & prope montes ipsi vrbis, fluctibus operti natarunt. EMERITAM] iam fatiscentem & cariosam. RIPA ALTA] quam tamen superarunt vndæ. ripa fluuiorum, & amnium est, littora nauium & marium. AVXILIVM DOMINO MERSA CARINA TVLIT] ab euentu velut contrario concludit. alias enim mersa nauis mergit vectorem, hæc seruauit. Scripsit Iulianus Ægyptius nobile epig. εἰς μύγδονα ἁλιέα. lib. 3. Gr. Vbi sua naui piscator mortuus crematus nauigauit ad Charontem, eademque viuo & mortuo profuit.

Fieri potest esse verum nomen.

Clemente VIII. pont. M.

μύγδων τέρμα βίοιο λαχὼν &c.

Trans stygias, vita properans post funera, Mygdon
Classe sua ipse sibi portitor iuit aquas,
Nam vitæ altricem quondam testemq; laborum,
Et plenam prædis sæpius æquoreis,
Mortuus ascivit comitem, communibus ambo
Dum pereunt flammis nauta ratisq; pares.
Tanta fides cymbæ, quæ ditans larga magistrum
Fida fuit vita fida necisq; comes.

De natali Restituti.

LXXIII. **LXXXVII.**

Octobres age sentiat Kalendas
Facundi pia Roma Restituti.
Linguis omnibus & fauete votis.
Natalem colimus: tacete lites.
Absit cereus aridi clientis,
Et vani triplices, breuesq; mappæ
Expectent gelidi iocos Decembris.
Certent muneribus beatiores.
Agrippæ tumidus negotiator
Cadmi municipes ferat lacernas;
Pugnorum reus, ebriæq; noctis
Cœnatoria mittat aduocato.
Infamata virum puella vicit,
Veros Sardonychas sed ipsa tradat.
Mirator veterum senex auorum
Donet Phidiaci toreuma cœli.
Venator leporem, colonus hœdum,
Piscator ferat æquorum rapinas.
Si mittat sua quisque, quid poetam
Missurum tibi, Restitute, credis?

Deuincendus.

OCTOBRES] Restituto, ad quem est Plinij ep. 17. lib. 6. & 1. lib. 7. precatur in natali die multa clientum & ampla munera se pro muneribus carmen; quod munus est poetæ mittere. ROMA]

Nobili causidico

SENTIAT KALENDAS OCTOBRES]obſeruet tuas Calendas, easque donis ornet. FACVNDI] cauſidici,& ex Plinio conſtat virum doctum fuiſſe. FAVETE LINGVIS] *Hoc verbum non à fauore trahitur, ſed imperatur ſilentium, vt rite peragi ſacrum poſſit nulla mala voce obſtrepente.* Seneca de beata vita c. 26. LINGVIS OMNIBVS ET FAVETE VOTIS] verba ſolemnia ſunt,& in ſacris Romanis vſitata. fauere autem linguis eſt tacere. Votis fauere eſt accedere ad vota publica ſacerdotum, idemque precari, quod illi. Iam hic irem per mille ſcriptorum teſtimonia, niſi diligentiſsimus Briſſonius lib. 1. Form. optimorum auctorum formulas, verbatim poſuiſſet, quas tu apud illum leges. Obſerua tamen; de mente huius priſci dicti *fauete linguis*, fuit æuo Senecæ dubitatum an illo fauentia imperaretur an ſilentium. plerique exiſtimabant, vt Seneca docet à fauore trahi, ſiue vt emendant aliqui) ad fauorem trahi, ſeu quod ad fauorem trahat; alij quibus accedit Seneca, ſilentium in ſacris imperari. Cum Seneca facit Donatus: *in ſacris* inquit, *ore fauere eſt ſilentium accommodare.* Feſtus aliis verbis idem dicit: *paſcito linguam id eſt coerceto*, à quo deducitur, *compeſcito.* Alioqui negari non poteſt, quod affirmat Lipſius & res ipſa docet, fauere à fauore trahi, ſicut calere à calore, frigere, à frigore, ardere ab ardore, &c. Sed de vſu priſci dicti hic diſputatur, quem melius, priſci quam nos cognorant. NATALEM COLIMVS] dies natalitios ſingulari cerimonia,& hilaritudine, ſacrisq; veteres celebrabant eoque die ſanguinem non fundebant, conuiuia inſtaurabant, dona miſsitabant, de quibus lib. ſuperioribus dictum ſæpicule. adi Alexandrum Neap. lib. 2. c. 22. & ibid. Tiraquellum Cenſorinum de die natali, Plinium lib. 18. c. 8. Varronem libro, cuius titulus eſt Atticus. TACETE LITES] Et hoc ſolenne factum & verbum veteribus. Cic. lib. 2 de legib. *Lex eſt. Feriis iurgia amouento, eaſq; in famulis operibus patratis habento.* & lib. 1. de diuin. *Rebusq; diuinis, quæ publice fierent vt fauerent linguis, imperabatur, inq; feriis imperandis, vt litibus & iurgiis abſtinerẽt, quod ad omnia pertinet.* Ouid. 1. Faſt.

Proſpera lux oritur, linguiſq; animiſq; fauete,
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.
Lite vacent aures, inſanaq; protinus abſint
Iurgia, differ opus liuida turba tuum.

Plura his etiam addebant, de quibus Alexand. Neap. lib. 5. c. 27. ABSIT CEREVS ARIDI CLIENTIS] tenues & potentiorum clientes patronis ſuis in Saturnalibus muneris loco, vt ſupra adſcriptum eſt iam ſæpius, præter alia cereos quoque miſsitabant, cuius cauſam Macrobius lib. 1. cap. 7. exponit *Cumq; diu,* inquit, *humanis capitibus Ditem & virorum victimis Saturnum placare ſe crederẽt* [pelaſgi nempe) *propter oraculum, in quo erat*

Καί κεφαλὰς ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα,
Saturnum placate viris ceruicibus Orcum.

Herculem ferunt poſtea cum Geryonis pecore per Italiam reuertentem, ſuaſiſſe illorum poſteris vt fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent: inferẽtes Diti, non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata, & aras Saturnias, non mactãdo viros, ſed accenſis luminibus excolẽtes: quia non ſolum virũ, ſed & lumina φῶτα ſignificãt. Inde mos per Saturnalia miſsitãdis cereis cœpit. Alii cereos nõ ob aliud mitti putant, quam quod hoc principe ab incomi, & tenebroſa vita quaſi ad lucem & bonarum artium ſcientiam editi ſumus. Illud quoq; in literis inuenio, quod cum multi occaſione Saturnaliorum per auaritiam à cliẽtibus ambitioſe munera exigerent, idq; onus tenuiores grauaret, Publicius trib. pleb. tulit, vt non niſi cerei ditioribus miſsitarentur. Addunt alij cereos fuiſſe miſſos à clientibus, vt cognoſcerent leges & cauſam meditarentur; ſed non ſolum cauſidicis fuerunt miſsi, ſed quibuſcunque patronis & dominis. lib. 13.

Hic tibi nocturnos præſtabit cereus ignis,
Subducta eſt puero namq; lucerna tuo.

ET VANI TRIPLICES] pugillares trium paginarum. VANI] nulli, contemti, viles. de quibus lib. 14. epiſt. 6.

Tunc triplices noſtros non vilia dona putabis.

BREVESQVE MAPPÆ] quarum vſus in menſis ad tergendos digitos & labra; frequens harum mentio paſsim apud noſtrum poetam. EXPECTENT IOCOS DECEMBRIS] mittantur Saturnalibus, non natalibus. BEATIORES] ditiores. AGRIPPAE TVMIDVS NEGOTIATOR] plane reor intelligi mercatores, qui ſub Agrippæ, generi Auguſti, porticu aut ſeptis, vt ſupra lib. 9. 60. res venum exponebant. CADMI MVNICIPES) Thebanas poſsis accipere. Cadmus enim Thebarum conditor; quia tamen municipes vocat, accipio Tyrias ſæpe alias à poeta prædicatas, & à Paride velut nobiliſsimas Helenæ donatas lib. 14.

Nos Lacedæmonia paſtor donauit amicæ:
Deterior Ledæ purpura matris erat.

Tyrus autem Agenori patri Cadmi condita cum Sidone. Ita Tyrii ſunt municipes Cadmi velut oriundi ex eius ſtirpe; quamquam etiam Carthago fuerit colonia Tyri. hoc loci municipes metonimicè transfert ad veſtes. PVGNORVM REVS] reus de vi (quam per ebrietatem innocenti fecit cum pulſauit) patrono ſuo oratori cauſidicove mittat muneris loco cœnatorias veſtes, & ſyn-

Q. Curtius, Strabo, alij.

& syntheses, vt fidelius defendat. COENATORIA] Petronius arbiter *Cœnatoria repetimus, & in proximam sellam* (lego cellam) *ducti sumus, vbi tres lecti strati erant.* INFAMATA PVELLA] adulterij rea, virum te auctore & patrono, maritum accusantem vicit vt casta crederetur. Illa igitur tibi veras gemmas non supposititias donet; adulterabantur sardonyches adeo, vt non facile differitas notaretur vt Plinius est index. MIRATOR] veterum operum & poculorum qualem supra Euctum depinxerat, mittat tibi Phidiæ crateras torno factos, nobiles, affabreque cælatos. CAELI] instrumentum artis pro arte posuit. Cælum autem scalptorum est & cælatorum vt celtes latomorum, penicillum pictorum. QVID PORTAM MISSVRVM CREDIS] carmina.

De Cœnatoriis vestibus lib. 14. suo loco.

Ad Cottam.

LXXIV. LXXXVIII

Omnes persequeris pretorum, Cotta, locellos,
Accipis & ceras: officiosus homo es.

Cottam furem prodit, qui sectabatur Prætores, velut officiosus vt occasionem furandi venaretur. loculos enim, & tabulas gestare prætorum cupiebat. loculos, quos posset exenterare, tabulas seu ceras, quas corrumpebat, corruptus ipse pecunia. ACCIPIS] furaris, vt corrumpas. vel, non vt portes, sed asportes. Officiosus vsurpatur etiam de libertis officiosis obscæno sensu Vt Seneca lib. 4. decl. docet: Memini Arterium, &c.

De corrupto cerris sæpe in Verrem Cic. Loculos forte hoc versus in dicum possis interpretari.

De statua Iunonis.

LXXV. LXXXIX.

Iuno labor, Polyclete, tuus, & gloria felix,
Phidiacæ cuperent quam meruisse manus.
Ore nitet tanto; quanto superâsset in Ida
Iudice conuictas non dubitante deas.
Iunonem, Polyclete, suam nisi frater amaret
Iunonem poterat frater amare tuam.

Laudat signum Iunonis à Polycleto statuario factum. POLYCLETE] huius opera enumerat Plinius p. 593. inter quæ tamen hæc statua nulla est. Domitius alium Polycletum fabricatur quod vt verum esse potest; ita potest & falsum videri; neque enim à Plinio omnia Polycleti artificia crediderim posita, sed præcipua, & veterum scriptis celebrata. IN IDA) monte Phrygiæ, vbi Paris de Iunonis, Mineruæ, & Veneris venustate arbitratus est, quod poetæ varij tangunt. Lucianus dialogo toto exposuit. Apuleius in Metam Virg. 1. Aen. Ouid. in epist. & 1. de arte. Propertius, alij. NISI FRATER AMARET] Iupiter Iunonem vxorem, & sororem. Virg. 1.

Iouisq; ———
——— Et soror & coniunx.

IVNONEM TVAM] statuam. FRATER] Iupiter. de statuis amatis epigrammata græca consule.

Ad Marium.

LXXVI. XCI.

Mari quietæ cultor, & comes vitæ,
Quo ciue prisca gloriatur Atina:
Has tibi gemellas barbari decus luci
Commendo pinus, ilicesq; Faunorum,
Et semidocta villici manu structas,
Tonantis aras, horridiq; Siluani,
*Quas *tinxit agni sæpe sanguis, aut hædi,*
Dominamq; sancti virginem deam templi,
Et quem sororis hospitem vides castæ,

*Horatius ad Faunum. Immunem villa sua pinus esto. *Spinxit.*

Martem mearum principem Kalendarum.
Et delicatæ aureum nemus Floræ,
Hoc omne agelli mitte paruuli numen,
Seu tu cruore, siue ture placabis:
Vbicunq; noster Martialis est, dices,
Hæc ecce mecum dextra litat vobis
Absens sacerdos, vos putate præsentem
Et date duobus, quicquid alter optârit.

Relictum Mario rusculum suum poeta rediturus in patriam commendat. Qvietae vitae Cvltor] priuatum hunc, & rebus rusticis deditum fuisse ostendit. Atina] hanc Ptolemeus in Lati oponit. Plinius in .1. regione. Leander in Samnitibus. Colonia fuit Romana, de qua Frontinus de coloniis *Atina muro ducta colonia. Deduxit Nero Claudius iter populo non debetur.* Prisca] fuit vna ex iis quæ Turno contra Aeneam pugnaturo arma fabricauit. Virg.

Quinq; adeo magnæ positis incudibus vrbes
Tela nouant, Atina potens——

Silius. 8.
Nec Fabreteria vulgus nec monte niuoso
Descendens Atina aberat.

Pinvs, ilicesqve Favnorvm] Faunis siluestribus sacra pinus & ilex Et pinus quidem nominatim Pani montium præsidi, & Fauno. Ouid. 2. Fast.

Cornigerumq; caput pinu præcinctus acuta
Faunus in immensis qua tumet Ida iugis.

idem de Pane ibid.
Ipse ego Flaminiam poscentem februa vidi,
Februa poscenti pinea virgo data est.

Et Propert. lib. 1. el. 18.
Vos eritis testes si quos habet arbor honores,
Fagus, & Arcadio pinus amata deo.

Ilices & pinus agrestes nominat arbores agrestium deorum. Silvani] Fauni, vel, vt alij, Saturni filius erat Siluanus, siluarum, pastorum, finium, agrorumque custos, cui cupressus sacra. Virg 1. Georg Horatius 1. Epod. Virg. 8. & alij.

Horridi] pingebatur enim, vt Faunus, cornuta fronte, corneisque pedibus, cuius caussam reddidit Natalis Comes lib. 5. cap. 9. Agni et hoedi sangvis] Siluano, de stirpe Faunorum, res sacra fiebat vel agno, vel hœdo. Horat lib. 1. car.

Nunc & in vmbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agnam, siue malit hædum.

Agnus etiam Ioui sacer erat vt canit Homerus,

Οἴσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκὸν ἑτέρην δὲ μέλαιναν
Γῆτε, καὶ ἠελίῳ, Διὶ ἡμεῖς οἴσομεν ἄλλον.
Ferte agnum niueum & nigram portabitis agnam
Telluri soliq;: Ioui portabimus ipsi.

Dominamqve sancti virginem deam templi] Dianam venatricem & nemorum reginam. Templi] Luci barbari, vt supra. luci enim Dianæ sacri, velut montium & nemorum custodi, vt Hom. hymno in Venerem. Horatius 3. carminum.

Montium custos nemorumq; virgo.

Homerus signate σκιόεντα ἄλσεα vmbrosa nemora dixit. barbari, intonsa, inculta, inuiolata. Sororis hospitem] Martem Dianæ sororis; communem habuere patrem Mars & Diana Iouem, diuersam tamen matrem. Mearvm principem Kalendarvm] cuius calendis ego lucem aspexi. Hoc omne] hos omnes deos; Faunos Siluanos, Iouem, Dianam, Martem, qui in agello meo mihi culti sunt, cum tu, Mari, coles seu victima, seu ture. Vbicvmqve] siue redux in Hispania, siue alibi viuusue, mortuusue. Haec] sacra Dextera] sexto casu, vt sensus sit. Hæc munera Martialis mecum dexterâ sua sacerdos ipse vouet, consecratq; vobis. Date dvobvs] omnia vtrique, fausta bonaque

Ad

Ad Clementem,

LXXVII XCII.

Si prior Euganeas Clemens Helicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arua iugis:
Perfer Atestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpurea sed modo suta toga.
Vt rosa delectat, metitur quæ pollice primo:
Sic noua, nec mento sordida charta iuuat.

SI PRIOR) librum nouum Sabinæ Clementis (non illius consularis ex Flauia gente, quem Domitianus impius impiè propter pietatem Christianam interfecit, sed alterius) vxori mittit, quem à nouitate commendat. EVGANEAS] Veneti & Pataui dicuntur Euganei, non tam quod ex eorum satu sint editi, quam quod Euganei ab Agenore & Venetis seu Henetis fugientibus pulsi fuerint. Liuius lib. 1. Euganei autem inter mare & alpes incolebant. De hac re, præter Virgilij locum illustrem 1. Aeneidos, Extat epigramma, quod in æde D. Laurentij Patauij legitur;

Inclytus Antenor patriam vox nisa quietem
Transtulit huc Henetos, Dardanidumque fugas,
Expulit Euganeos, Patauinam condidit vrbem,
Quem tenet hic humili marmore cæsa domus.

Dicuntur autem Euganei Græcis, quasi εὐγενεῖς nobiles, vt Petrus Marsius ad Silij versum hunc notauit

—— tellure antiquitus orti
Euganea, profugiq; sacris Antenoris oris.

Multa multorum mentio est de Euganeis, tu Leandrum reuise in decima septima regione Italiæ, in ipso regionis limine. HELICONIS] non est in Helicone nata menda lege cum Musis Helicaonis, & præpositiunculam (in) tolle, quod te vel ipsa lex grammaticæ doceat, cum alioqui ἀταξία non syntaxis vlla sit. Si prior, inquit, videris Helicaonis oras & picta arua vineis. Helicaon Antenoris Patauij conditoris filius Homero 4. Iliad. scribitur. IVGIS] vite varia consitis. PERFER ATESTINÆ] versus Leoninus, quem vocant, quales apud Homerum.

Hom. *ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι τὰ ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι*
Virg. *Lora citatorum dextra contorsit equorum*
Ouid. *De Troiæ fatis si quid restare putatis.*

ATESTE] ciuitas olim illustris in Venetorum ditione, quam describit Leander in Marchia Taruisina. P. 730. distat Patauio, vt ex Antonini itinerario cōstat, XXV. M. P. Leander tamen affirmat tantum XV. M. p. hodie abesse, & itinerarium videri corruptum, eoque loci decussem temere adiectum. Oriundæ sunt hinc ferrariæ, Mutinæ, Rhegijque, Lepidi ex Atestina familia principes. SABINAE] coniugi tuæ. PVRPVREA TOGA] scripsi alicubi purpurā, & purpuream togam librorum videri fuisse ex vera purpura; Sed id sequius forte fuit. Membranam enim luteam seu croceam, intus candidam foris rubentem, videtur vocasse purpuream togam, & purpuram, qua velabantur libri, siue intus chartæ siue etiam membranæ essent. Disputat super his plene ex variis scriptoribus Marcilius ad Sat. 3. Persij, quem videbis. VT ROSA] à simili epigrammatis conuenienti concludit. Sunt epigrammata veluti rosæ quibus tamen adiunctæ spinæ, vt epigrammatis aculei & ictus. MENTO SORDIDA] oris attritis, & villosis barbatisque.

Munusculum pomorum

LXXVIII. XCIII.

*Non *mea Massylus seruat pomaria serpens,* *mihi.
Regius Alcinoi nec mihi seruit ager.
Sed Nomentana securus germinat hortus
Arbore, nec furem plumbea mala timent.
Hæc igitur, media quæ sunt mihi † nata Sabura, †
Mittimus Autumni cerea poma mei.

Amico empta mittit poma. MASSYLVS SERPENS] In Hesperidum hortis aurea mala Ladon draco custodiebat. Apollonius lib. 4. Ouid. lib. 4. Metam. in fabula Persei.

Plura super his alibi dicta. REGIVS ALCINOI AGER] Vide lib. 4. ep. 64. & alias sæpe cantata Alcinoi poma & horti ex Odyssea Homeri. SED NOMENTANA ARBORE] prædiolum suum in Nomentano agro poeta frequenter canit. immitia poma, vt & his & aliis carminibus docet, ferebat. SECVRVS] causam adiungit, quod plumbeos lapidososque fœtus edant, quos appetebat nemo. M. SVBVRA] in foro pomario Romæ empta. Subura enim est meus hortus, & meus Autumnus, vt ad Regulum. supra. d. CEREA] matura, flauentia.

Ad Auitum.

XCIV. LXXIX.

Sæpe loquar nimium gentes quòd Auite, remotas,
Miraris, Latia factus in vrbe senex;
Auriferumq; Tagum sitiam, patriumq; Salonem,
Et repetam saturæ sordida rura casæ.
Illa placet tellus, in qua res parua beatum
Me facit, *& tenues luxuriantur opes.*
Pascitur hic, ibi pascit ager, tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hic pretiosa fames, conturbatorq; macellus,
Mensa ibi diuitiis ruris operta sui.
Quatuor hic æstate togæ, pluresue teruntur:
Autumnis ibi me quatuor vna tegit.
I, cole nunc reges: quicquid non præstat amicus,
Cùm præstare tibi possit, Auite. locus.

Huic geminum prope est illud supra ad Maternum iurisperitum; causas reddit hic, cur patriam cogitet, solum Hispanum cum Romano confert. SÆPE LOQVAR NIMIVM GENTES QVOD AVITE REMOTAS] miraris à me prædicari Hispanos vltimos præ Romanis. Auitus est ille Stertinius, de quo epistola libri 9. ad Torannium. FACTVS IN VRBE SENEX] supra quatuor & triginta annos Romæ vixerat, vt in vita ostendimus. AVRIFERVMQ. TAGVM SITIAM] Quis non videt poetam hic sitire patriam, & τὸ sitiam, verbum, non proprium Vrbis. Tagum enim fluuium Hispaniç nobilissimum, vt auri feracem, sitit. Non certo tamen Domitio de Sitia, quam Ptolomæus memorat: vterque intellectus seu sitiam, seu Sitiam legas, videtur commodus, quamuis mihi prius verbum arriserit. SALONEM] de quo lib. 1. ep. 50. SATVRÆ CASÆ] non sterilis & ieiunæ. TENVES LVXVRIANTVR OPES] accedit enim quies & otium opimum, quod omnibus delitiis Romanis antepono PASCITVR HIC, IBI PASCIT AGER] Ita ep. 58. supra.

Dura suburbani dum iugera pascimus agri.

Sitia est Hispania vrbs, sed hic sitiã verbum. Sitiebãt poet. Tagũ i. e. aurum, cum in fra queratur de paupertate.

FOCVS] culina; victum intellige parabilem domi, carum Romæ, vbi etiam focus ipse emendus, & ligna PRETIOSA FAMES] argute hoc; irritamenta gulæ caro redimes, quibus tamen non sedes famem, ita vt magno pretio nihil possis, nisi famem, emere. CONTVRBATORQ. MACELLVS] hanc lectionem seruo; sic enim poeta alibi locutus, *Conturbator aper* —— sensus est. Cum pretio ingenti in macello Romæ paretur mensa delicatior, decoquuntur opes, & tota patrimonia, Conturbare enim est rationes vitæ, & patrimonium euertere, vt ostendimus ad illum versum, *Conturbabit Atlas* —— Macellus fertur olim Romæ nobilis fuisse sicarius, cuius deprehensi & puniti domus solo æquata inforum fuit carnarium. versa I, COLE NVNC REGES] dominos Romanos & patronos assiduis nec quidquam officiis prosequere. NON PRAESTAT AMICVS] patronus cultus. LOCVS] patria.

De Numa.

XCV. LXXX.

Dum leuis arsura struitur Libitina papyro,
Dum myrrham, & casiam flebilis vxor emit;
*Iam scorbe, iam lecto, iam * pollinctore parato*
Hæredem scripsit me Numa: conualuit.

Suam

Suam infelicitatem Numæ dolet saluti fuisse, quod scriptus heres, hero tenalescente proscriptus sit DVM LEVIS LIBITINA STRVITVR ARSVRA PAPYRO] Dum paratur rogus. Libitina dea sepulchralis, & funerum præses. Venus Libitina Romæ templum habebat, in quo omnia ad procuranda funera venum exponebantur. Venus autem ingredientibus vitam & egredientibus præesse dicebatur. vnde ἐπιτυμβία Delphis appellata. accipitur Libitina nunc pro morte, vt apud Horatium, Libitinam vitare, nunc pro ipso rogo, pompa funebri, & quæ ad funera curanda pertinent vide Plutarchum ῥωμαικοῖς probl. 23. Halicarnasseum lib. 4. in Numa. Martian. lib. 9 p. 97. Valer. Max. lib. 5. tit. 11. Gyraldum in sepulchralibus, & Deorum syntag. 13 de Venere Alex. Neap. & Tiraquellum, alios. ARSVRA PAPYRO] Huius caussam addit Alexander N. lib. 3. cap. 7. *Eam vero pyram, inquit, pro dignitate & honorib⁹. quibus in vita functus erat, & pro vt amplissimos magistratus & imperia gesserat, modo maiorem modo minorem extruxere. Fuitq; lege XII. tabularũ cautum, ne de lignis politis extrueretur: donec per funerũ ministros, qui pollinctores dicti sunt, corp⁹ igne supposito cremabatur, in qua extruenda id seruatum est, vt prater arida ligna, papyrum quoq;, quo facilius cremerentur, nõnunquam cremum & vnuum affatim apponant.* ARSVRA STRVITVR LIBITINA PAPYRO] Lectulus feralis priscis altus fuit & sublimis præsertim lautioribus, itaque puluini papyro & tomento farti turgebant. Martialis l. b. 8 ep. 44. *dum tibi torus crescit* Lucianus l. de luctu, ὑψηλὸς καὶ μετέωρος. ἐπὶ τῆς κλίνης ... κατακείμενος. Silius l. 10. *celsum feretrum* appellauit. Virg. 11. *sublimem*, nempe in torum Plura Marcilius ad 3. Satyr. Persij. Sed vereor ne puluini non papyro sed mendaciis farti turgeant. Guilandinus enim vir antiquitatis elegantioris minime imperitus docet papyri non folia aut phyliras in quibus scribebatur, sed radices ad rogum adhibitas, sic enim ille ad membrum septimum Plinij p. 114. de papyro. Quinto significat & radicem papyri, qua Aegypti etiamnum pro ligno ignis gratia vtuntur, quemadmodum quondam fecisse testatur Theophrastus, Dioscorides, Plinius. Proinde Martialis lib. 8. ad Titullum, innuens veteres vsos esse papyro ad rogum, denotauit non superficiem eius stirpis, sed radices.

Fractus papyro dum tibi torus crescit.

Quæ caussa est cur Iurisconsultus libro proxime citato, capite 35. papyrum contineri ligni appellatione censeat. Lignorum, inquit, appellatione in quibusdam regionibus, vt in Aegypto vbi arundine pro ligno vtuntur, & arundines & papyrum comburitur & herbulæ quædam, vel spinæ vel vepres continebuntur.

DVM MYRRHAM, ET CASIAM FLEBILIS VXOR EMIT] Insana profusio fuit hæc, priscorum, vt in charorum rogos charissima quæque & sumptuosissima iactarent, præter vnguenta enim & odores, tura, omnisque generis pigmenta & aromata, feminæ ornamenta sua, armillas. zonas, vittas, cincinnos, torques, bullas prætextas, omnemque mundum muliebrem inserebant. Odorum vero copia exanimatos etiam viuos ad sepulchra stantes legimus; in funere Sillæ statuam iustæ magnitudinis ex odoribus factam, rogo illo absumptam tradunt. Reperio sceptra, balteos, enses, arma, scuta, canes, equos, aues, homines quoque viuos cum mortuis exustos. Plinius epig. 2. lib 4. de Regulo filium lugente *amissum tamen luget insane Habebat puer mannulos multos, & vinctos, & solutos, habebat canes maiores minoresque, habebat luscinias, psittacos, merulas, omnes Regulus iuxta rogum trucidauit nec dolor erat ille, sed ostentatio doloris.* Statius de eodem sumptu in Glauciæ epitaphio.

> *——quid ego exequias, & prodiga flammis*
> *Dona loquar., mæstoq; ardentia funera luxu.*
> *Quod tibi purpureo tristis rogus aggere creuit,*
> *Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,*
> *Quodq; Arabes, Phœniq; (palam est, vidiq;) liquores*
> *Arsuram lauare comam, cupit omnia ferre*
> *Prodigus & totos Melior succendere census.*

Census, in quã, non sensus corrigo, quis enim sensus in sensu. vt tamen habent vulgata exemplaria.

> *Desertas exosus opes, sed non capit ignis*
> *Inuidus, atque arcte desunt in munera flamma.*

Adnotarem plures testes, nisi res testata esset. IAM SCROBE] scrobs hic tumulum sonat, alias fossam, quæ sane tumuli speciem præfert; ima enim, vt Columella scribit, latior est, summa contractior. magis. tumulis & sepulchris varia sunt nomina. sarcophagus, quod carnem exedat, tumba, arca, vrna, cippus, marmor, lapis, saxum, monumenta, olla, solium, conditorium, Mausoleum, Christiani quondam conchylia, ciboria, appellauerunt. Eria, siue ἠρία suggrundaria infantium sepulchra: coragium virginis sepulchrum, arena. terra, rogus, bustum, terræ sinus, gremium terræ puluis. Græcis σηκός, τάφος, μνῆμα, σορός, λίθος, πύργος, κόνις, τύμβος, μνημεῖον, σῆμα, στήλη, ψάμμος, ..., σῆμα, στήλα, ἠρίον, χάλιμα, χῶρος, ζῶα .... & quæ his plura leguntur in Athol. Græcorum, Latinorum vero passim occurrunt testimonia, nec omnia, sed quæ in tempore occurrebant, notaui LECTO] lectuli vel lecti dicebatur, quibus cadauera efferebantur ad rogum, & sepulchrum, quo sensu feretrum, capulus, sandapila, loculus dicitur.

Lib. 8. ep. 44. Fultum papyro dum tibi torus crescit.

Lib. 18. c. 21

POLLINCTOR*] dicituris, qui corpus mortui lauat & vngit, curatque. A pelle, vt Turnebus arbitratur, vngenda, ficto vocabulo, quasi pellis vnctor, vt & pollincere sit tanquam pellem vngere, vel potius tanquam perungere, id est, perinundare. In vetustis enim monumentis pollinctor reperitur. E & O non raro tradunt mutuas operas, & in alternas sedes subeunt; sic polluceo à pelluceo est deflexum, & polluctum quasi pelluctum. Quod illo in genere sacrificij pollucea-mus, & quod pelluceat ille splendor decumæ & epuli. Eadem ratione à perliceor polliceor est deductum; alij pollinctorem putant quasi pollutorum vnctorem. Erant pollinctores ex familia libitinarij, quod Vlpianus ostendit his verbis: *Si libitinarius, quos Græcè νεκροθάπτας vocant, seruum pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliauerit &c.* Vtitur eodem sæpius in lib. Matheseos Iulius Firmicus & Tertullianus aduersus gnosticos. Nonius verbo, pollinctores. Declarat ergo poeta Numam iam conclamatum & depositum fuisse.

HAEREDEM) q.d. ecquis non doleat conualuisse, cum me occidit, dum hereditate spoliatur. Locus est, quo videtur suadere, vti plures sequantur factum Numæ, si quasi postliminio redire in vitam velint, sed non omnibus idem euenturum.

De figura Socratis.

XCIX LXXXI

Si Romana forent hæc Socratis ora, fuissent,
Julius in Satyris qualia Rufus habet.

SI ROMANA) distichi sententia est à simili ducta, quo laudat & Socratis, & Rufi grauitatem ac seueritatem. Si Socrates fuisset Romanus, illius frons esset gemina Rufi Satyricæ fronti: tam enim seuerus est in satyris suis Rufus, quam seuerum apparet os Socratis. Rufum porro hunc, virum illustrem & doctum fuisse, ex Plinij l. 5. ep. 21. & 7. lib. ep. 25. in elligis. Socratis imaginem spectabis apud Fuluium Vrsinum numero 133. & 134. ad quam hæc annotauit Ioannes Faber. Imago Socratis priori loco posita in numo æneo grandiusculo (Italice contorniato) exstat, in cuius antica parte nomen exprimitur, ΣΩΚΡΑΤΗΣ, cui imagini similis est quæ sequitur, ex marmore, quod penes Cardinalem Farnasium est sculpta: itemque quæ apud Fuluium visitur in Herme, cui inscriptum est Socratis nomen, vna cum literis hisce ex Platone desumptis: ΕΓΩ ΟΥ ΝΥΝ ΠΡΩΤΟΝ ΑΛΛΑ ΚΑΙ ΑΕΙ, ΤΟΙΟΥΤΟΣ ΟΙΟΣ ΤΩΝ ΕΜΩΝ [illegible] ΜΗΔΕΝΙ ΑΛΛΩΙ ΠΕΙΘΕΣΘΑΙ Η ΤΩΙ ΛΟΓΩΙ ΟΣ ΑΝ ΜΟΙ ΛΟΓΙΖΟΜΕΝΩΙ ΒΕΛΤΙΣΤΟΣ ΦΑΙΝΗΤΑΙ. Exstat insuper apud eundem Fuluium vna cum effigie Platonis eius discipuli, in Corniola annulari gemma artificiosissime incisa, quam credibile est à quopiam vtriusque studioso gestatam fuisse. Mirifice autem hæc gemma formam eam Socratis exprimit, quam ei Plato & Xenophon in Symposio atribuunt, quod nimirum Sileno similis fuerit, naso simo, & oculis emissitiis. Ex hac imaginis delineatione succurrit talia distichi explicatio. Socratem inquam hominem Atheniensem similem fuisse Iulio Rufo (non institori vt quidam diuinant, & pro Satiris legunt nullo teste, ineptia) qui vel à Satyricis fuit irrisus, vel qui Silenum in Satyris egit.

*In commiscentem versus operi suo.

* In poetam imperitum.

C LXXXII

Quid, stulte, versibus nostris tuos misces?
Cum litigante quid tibi miser libro?
Quid congregare cum leonibus vulpes,
Aquilisque similes facere noctuas quæris?
Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte frustra crure ligneo curres.

QVID, STVLTE] lemma exponit argumentum, cui affinia sunt libris superioribus in fures carminum; vide syllabum inscriptionum. Plane geminum huic est illud lib. 1. ad Fidentinum 54. *Vna est in nostris &c.* Et ad eundem eodem lib. 73. *Nostris versibus, &c.* L. LIBRO) velut in dispari connubio vir vxorque litigant semper, ita tui versus meis dissimiles elumbes, & inepti nunquam conueniunt. L. VVLPES) suos versus ait generosos, apertos, notos, alterius degeneres, qui soli & in sole non audeant apparere, sed velut noctuæ clam alicui surrepant; suos numerosos, fluentes, alterius claudicantes, & qui pedes habeant sine pedibus. LADAE) multorum ingeniis celebratus est hic cursor Ladas Aegineus. Græcos audi, quorum primus Pausanias in Corinthiacis. τῷ ναῷ δὲ ἐστὶν αὐτὸς Λάδας, ποδῶν ὠκύτητι * ὑπερβαλλόμενος τοὺς ἐφ᾽ αὑτοῦ. *In templo autem ipse Ladas est, qui pernicitate pedum*

* ὑπερβαλλόμενος lego.

tepedũ cunctos anteiuit ætatis suæ homines, de Stadio eiusdem in Arcadicis. Vicit Olympiade quinta supra centesimam vigesimã, vt in Phocensibus idem Pausanias est auctor. In Laconicis vero Ladan quendam alium δολίχῳ hoc est, longiore curriculo ludis Olympiacis vicisse tradit, confectoque cursu ægrum ad Eurotæ fluminis proximam & militarum viam deportatum, diem suum obiisse, ibique monumentum victori excitatum. Vbi Pausanias existimat duos fuisse cognomines Ladas, quorum alter δολίχῳ alter σταδίῳ vterque Olympiacis ludis coronatus sit. Est in 4. Anthol. incerti epigrammatarij distichon in Ladam nostrum, quod adscribo.

Λάδας τὸ στάδιον εἴθ' ἥλατο, εἴτε διέπτη,
Δαιμόνιον τὸ τάχος, οὐδὲ φράσαι δυνατόν.
Per stadium Ladas, saltauerit, anne volarit,
(Par superis cursu) dicere lingua nequit.

Longius est sequens in eiusdem statuam, quod ibidem leges. Apud Latinos, Latinitatis princeps* Cicero 4. ad Herennium. *Quod si quis ad Olympiacum venerit cursum, & steterit, vt mittatur, impudentesq; illos dicat esse, qui currere cœperint, ipse intra carcerem stet, & narret aliis quomodo Ladas aut Boiscus cum Siconiis [illegible] cursitarint.* Catullus ad Camerium

Non Ladas si ego Pennipesue Perseus

Solinus cap. 6. *Primam palmam velocitatis Ladas quidam adeptus est, qui ita supra cauum puluerem cursitauit, vt arenis pendentibus nulla indicia reliquerit vestigiorum.* Iuuen. Sat. 13.

——pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet Ladas, si non eget Anticyra nec
Archigene; quid enim velocis gloria plantæ
Præstat, & esuriens Pisææ ramus oliuæ

Martialis lib. 2. ep. 86. *Quid si per graciles vias petauri*
Inuitum iubeas subire Ladan?

Virgil. 3. Georg videtur, de hoc Lada cogitasse, cum cecinit, *vix summâ vestigia ponat arena.*

*Vel auctor quisquis est.
Boiscum Bocum fuisse putat, M. Velserum in Boicis:

De Capitolino

LXXXIII. CI

Elysio redeat si forte remissus ab agro
Ille suo felix Cæsare Galba vetus*
Qui Capitolinum pariter, †Galbamq; iocantes
Audierit: dicet, rustice Galba, tace.*

* Galba.
† Galbamq;
† Gabba.

ELYSIO REDEAT] Capitolinum laudat ab vrbana dicacitate, eumque Galbæ anteponit. SVO FELIX] Cæsare Augusto, cui Sarmentus, vt Horat. Sat. 5. lib. 1. & Galba, vt Iuuenalis Sat. 5. in deliciis fuere. nos plura lib. 1. ep. 42.

Qui Galbam Salibus, &c.——

Nihil hic de Cæsare Galba cogita. RVSTICE GALBA] præ vrbanitate enim Capitolini rusticus & insulsus habeberis.

Ad Bilbilitanos agros.

LXXXIV. CIII.

Ad municipes Bilbilitanos.

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis agri
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis:
Et quid læta iuuat vestri vos gloria Vatis?
Nam decus & nomen, famaque vestra sumus.
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo,
Meque velit dici non minus illa suum.
Quatuor accessit trigesima messibus æstas,
Vt sine me Cereri rustica liba datis.
Mœnia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ,
Mutauere meas Itala regna comas.

Exci-

Excipitis reducem placida si mente, venimus:
Aspera si geritis corda, redire licet.

Bilbilis Augusta. Recte Augusta, quia fuit colonia, & dicta Augusta, longe qua lib. 1. ep. 50. dicta. & in Vita Poetæ. * Acri.

Placet inscriptio V.C. quanquam legam aliter, Ad Bilbilitanos, nulla voce adiecta. Reditum in patriam ciuibus suis denunciat. Municipes hic accipit pro ipsis ciuibus Bilbilitanis. Ita Cicer. in epistolis, & Plinius Iunior est locutus AVGVSTA] Diutule dubitaui, an angusta, vel Augusta legerem, sed in conspiratione omnium exemplarium, quæ ad manus habui, nihil mutandum ratus mutaui sententiam; paruam enim gratiam à popularibus iniret, si augustam Patriam vocaret. Gruterus retinet angusta. & si rem spectemus, fuit angusta * AGRI] arridet lectio oræ. (alto) alibi enim Bilbilim pendulam appellat, vt alto monte sitam fuisse intelligas. & lib. 1. ep. 50. Altam dixit Bibilim, & hic sequenti epigrammate. SALO] quo ferrum duratur. quod cæteris antefertur; ipsique vrbi, vt Plinius scribit, claritatem peperit, quod haud ignorauit poeta, qui lib. 1.

Aquis & armis nobilem

Canit patriam suam. ET QVID L. I.] à claris enim ingeniis illustrantur plurimum ciuitates, vt Stagira Aristotele, Mantua Virgilio, Verona Catullo, Homerum quidem septem sibi asseruere vrbes ciuem. Pelignæ gentis gloriam se Ouidius iactat; de his lib. 1. fusius. VERONA] de qua lib. 1. ad Licinianum. ep. 62. Q. M. A. T. ÆSTAS] quatuor supra triginta annos vixi in vrbe DOMINÆ ROMÆ] Iam supra laudauimus vrbem. Hic & Heraldum vide C. R. LIBA] Cereri varie litabatur, vel victima, quæ parua erat, vel vino, lacte, melle sine victima, vel pauperiore spica; herba viridi, aliisque nugis, vt Gyraldus syntag. 17. & Natalis Comes ex variis scriptoribus colligunt. Libum, inquit Athenæus l. 3. est πλακοῦς ἐκ γάλακτος ἑψόμενος καὶ μέλιτος, ὃν ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι. *Placenta ex lacte, sesamo, & melle confecta Romanis libum nominatur.* Cereri porro liba sacrabantur quod placenta Cereris esset filia, sed hæc nugamenta rideamus M. COMAS] canas ex nigris fecere. ASPERA] vt postea cum stomacho expertus est, si verus ipse lib. 12. epistola. Vltimum distichon abiudicant Martiali.

Ad librum.

CIV. LXXXV.

*Flauo, vt intelligas Alphium Flauum, ego nihil muto. Seneca declamator, & Martialis longo temporum interuallo dissidens.

I nostro comes, i libelle Flacco
Longum per mare, sed fauentis vndæ.
Et cursu facili, tuisque ventis
Hispanæ pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet, & citatus
Altam Bilbilin, & tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis,
Quid mandem tibi, quæris? vt sodales
Paucos, & veteres, & ante brumas
Triginta mihi quatuorque visos
Ipsa protinus à via salutes,
Et nostrum admoneas subinde Flaccum,
Iucundos mihi nec laboriosos
*Secessus * spatio paret † salubri.*
Qui nigrum faciant tuum parentem,
Hæc sunt. iam tumidus vocat magister,
Castigatque moras, & aura portum
Laxauit melior. vale libelle.
Nauem, *scis puto*, non moratur vnus.

* precio. † salubres

I NOSTRO] Mittit librum ad Flaccum amicum, & municipem, quem in Hispaniam iturum monet, vti veteres amicos salutet, & nouum sibi hospitium paret.

TARRA-

TARRACONIS] vrbis & regionis Hiſpanæ nomen. Tarraconem, inquit, vſque nauigabis, deinde deſcendes, & aſcendes currum, terraque Bilbilim vſque veheris.

QVINTO FORSITAN] Eſſedum hic pro ſtatione ſeu māſione, vt itinerum metatores appellitant, accipit. Eſſedum eſt genus currus Gallici & Britannici, ex quo Britanni, vt eſt apud Iulium Cæſarem, prælium inibant. poſsis & quintum diem interpretari, ita vt Tarracone Bilbilis quinque dierum itinere diſtet. Erant olim per certa prouinciarum loca vehicula diſpoſita, quibus crebro mutatis citiſsimè, quo vellent, peruenirent. Iulius Capitolinus in Antonino Pio. *Vehicularium curſum ſumma diligentia ſubleuauit.* Spartianus in Seuero. *Vehicularium munus à priuatis ad fiſcum traduxit.* Erat & curſus publicus, cuius in XII. Cod. Iuſtin. fit mentio, quem, quod fiſci ſumptibus ſuſtineretur, fiſcalē appellauit Spartianus. *Statim curſum fiſcalem inſtituit.* nam ita legendum Alciatus cenſuit in 12. Cod. tit. de curſu publico, non, vt alij, inhibuit. Læuinus Torrentius in Cod. Louanienſi Martialis.

Eſt enim Bilbilis in Hiſpania Tarracōnẽſi, vt Strabo tradit.

De curſu publico ex Lipſi tertia centuria epiſt. diſce plura.

A VIA SALVTES] ſtatim ab aduentu, ipſo ingreſſu in patriam. S. SALVBRI] loco opportuno, & ſtudiis, otioque apto.

TVVM PARENTEM] me auctorem carminum: ſunt enim ingenij partus, velut nati, vt & Ouid. 1. Triſtium.

> *Aſpicies illic poſitos ex ordine fratres.*

Et mox.

> *Deq; tribus moneo ſi quā eſt tibi cura parentis,*
> *Ne quenquam, quāmuis ipſe docebit, ames.*

TVMIDVS] nauarchus imperioſus, vectores iurgio cogit. LAXAVIT P.] frequentem antea & denſum nauibus, ſoluit emiſsis nauibus.

NAVEM NON MORATVR VNVS] adagij ſpecies, vnum non expectat nauis; nam vnus vir, nullus vir. Et vnus homo non facit ciuitatem, vti nec vna hirundo ver facit, nec vna dies, vt Ariſtoteles cum ratione ipſa docet, nec vnus numus diuitem.

MAT-

MATTHÆI RADERI
AD
M. VAL. MARTIALIS
LIBRVM VNDECIMVM
COMMENTARIVS.

Ad Librum.

I

Quò tu, quò liber otiose tendis;
Cultus sindone non quotidiana?
*Numquid Parthenium * videre tentas?*
Vadas & redeas ineuolutus.
Libros non legit ille, sed libellos:
Nec Musis vacat, aut suis vacaret;
Ecquid te satis æstimas beatum,
Contingunt tibi si manus minores?
Vicini pete porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primus Dominus leuis carinæ.
Sunt illic duo, tresve; qui reuoluant
Nostrarum tineas ineptiarum:
Sed cùm sponsio, fabulaq; lassa
De Scorpo fuerint, vel Incitato.

* *videre certe. ineuolutus male.*

QVÒ TV QVÒ] Librum vndecimum exire gestientem & palatia aulamque affectantem coercet, satisq; feliciter cum eo actum iri dicit, si in porticibus & circulis ab otiosis legatur. OTIOSE] absolutum & domi otiosum foras mittit ad otiosos. CVLTVS. S. N. Q.] non vulgariter concinnatus, sed cedro, purpuraque decoratus, vt lib. 3. ep 2. & 5 ep. 6. ipse declarat. QVOTIDIANÀ] Catullus iure poetico abusus primam n tura breuem tendit, alteram longam contrahit. Martialis legem obseruat semper lib. 10. ad Carmenionem

Leuis dropace tu quotidiano.

SINDONE] Tyria, inuolucrum purpureum insinuat. Sindon vel amictus est vel torale, de quibus copiose Marcilius Sat. 4. lib. 2. ad [illegible] ora sum, & idem contra Ramiresium lib. 2. epigr. 16. ad Martial. hoc loco pro velo voluminis seu thec a ponitur. PARTHENIVM) quem vero hic nominat Parthenium? illumne Domitiano à cub cu is, cuius laudes & munera libris superioribus prædicauit? Vtique non alium. Sed qui potest hoc fieri, cum liber hic Traiano imperante sit in manus hominum datus, & Parthenius, Nerua imperium accipiente, sit interfectus, quod in epi-

toma

coma Aurelius Victor narrat, cum & genus supplicij atrox & infame exponit? Ego librum hunc initio imperij Neruæ, ad quod ipse opera Parthenij & Petronij peruenerat, cœptum reor, vulgatum vero post, iam Traiano Augusto. Vixisse vero Parthenium aliquamdiu Nerua principe dubitari non potest, cum, vt Aurelius Victor tradit, Nerua Parthenium Petroniumque, quamuis frustrà, pro viribus tamen, ne occiderentur, defenderit. Aut si hæc sententia non placet, affirmes licet poëtam in distributione Epigrammatum rationem temporum subinde neglexisse, priusque scripta, posterius scriptis addidisse; libro certe tertio epig. 36. memorat se triginta annis coluisse Fabianum. Et lib. 13. & 14. Xenia nempe Apophoretaque constat Domitiano principe vulgata, cum in iis laudet Domitianum. Nisi dicas à poëta Parthenium velut notum, pro quouis Palatino positum, vt mox de Scorpo loquitur, sed extat & lib. 12. ad eundem Parthenium Epigramma, quo rogat, vt tradat librum principi. VADAS & R. IN.] planum vitium, cur non plane & aperte emendetur? quis non videt claudicare hendecasyllabum, si legas irreuolutus? NEC M. V.] Doctum fuisse Parthenium & poëtam, supra ostendimus. & lib. 5. ad Musas, *Musæ*, inquit, *Parthenium rogate vestrum.* lib. 12. ep. 11.

Nam quis ab Aonio largius amne bibit.

SVIS] poëmatis pangendis. LIBELLOS] supplices, quos imperatori porrigebat, cum esset à cubiculo. M. MINORES] vulgi, non Palatinorum. V. P. F. QVIRINI] lib. 10. epig. 58. de templo Quirini dictum ad illa verba. *Vicinosq; tibi, sancte Quirine, lares.* Addit Marlianus. *Quidam prope Quirini templum porticum fuisse volunt, quo conueniebant homines componendorum negotiorum caussa*, ibique aliquando sponsalia esse peracta, de qua porticu Martialis hic. Huic adde Iuuen. Sat. 2.

——— officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini;
Quæ caussa officij? quid quæris? nubit amicus.

POMPEIVS] porticum Pompeij intellige, de qua Ouidius.

Tu modo Pompeia lentus spaciare sub vmbra.

Et nos lib. 2. ad ep. 14. *Illinc Pompeij dona, nemusq; duplex.*

A. PVELLA] lib. 2. epig. 4. *Currit ad Europen* porticum nempe. Europe enim Tyria fuit, Tyrum Agenor condidit. Iupiter Europen per mare Tyrium in specie tauri in Cretam vexit, vt ibi plenius diximus. D. L. CARINÆ] Iasonem & porticum argonautarum intelligit, in qua historia illorum heroum aureum vellus petentium erat expressa, de qua nos lib. 3. epist. 20. ad illum versum:

An spatia carpit lentus Argonautarum.

T. INEPTIARVM] vt alibi vocat sua carmina nugas, cum Catullo, ita hic ineptias & tineas, tineas quidem μετωνυμικῶς, quod chartis, quibus describuntur Epigrammata, tineæ insidientur. Ineptias autem propter argumenti leuitatem & iocos. S. C. SPONSIO] Cum à spectaculis Circi spectatores fessi abeunt, tum mea poëmata in porticibus legunt. De Scorpo aurigatore diximus lib. 10. epig. 50. in eius Epitaphio, & aliis lib. Incitatus, vt hic, ita lib. 10. ep. 76. est nomen aurigæ, quamquam equi nomen sit apud Suetonium & Dionem, vt lib. 10. ostendimus. Sponsionem & fabulas studia populi vocat, quibus inter se in factiones diducti certabant de futura aurigarum victoria, Venetus ne, an Prasinus, an alij palmam relaturi essent, sæpeque in diuinationibus & contentionibus præmia deponebant. Lege super his rebus Bulengerum, cap. 46. de Circo, vbi de circi clamoribus, ex instituto, toto capite tractat.

Ad Lectores.

II. III.

Lectores tetrici salebrosum ediscite Sanctram:
Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

LECTORES TETRICI] hilarem & facilem desiderat lectorem. S. SANCTRAM] illepidum, & spinosa philosophorum consulta scribentem Sanctram notat. Salebrosus idem, qui durus, hians, non numerosus. Est supra lib. 7. epig. 19. in gulosum quendam, & voracem cognominem carmen. Santræ cuiusdam scriptoris mentio est apud Donatum in vita Terentij, & Quintilianum lib. 11. cap. 10.

De suis libellis.

IV. III.

Non urbana mea tantùm Pimpleide gaudent
Otia, nec vacuis auribus ista damus:
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur & nostros cantare Britannia versus;
Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quàm victuras poteramus pangere chartas,
Quantaq; Pieria prælia flare tuba?
Cùm pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Mæcenatem si mihi Roma daret.

NON VRBANA] Legi se quidem vbique gentium dicit, sed nihil inde legere. Maiorem se vatem futurum, vbi maiores fuerint Mæcenates. N. V.] non Romani tantum ciues & otiosi mea terunt. PIMPLEIDE] Pimpleides Musæ dictæ Porphyrioni sunt à fonte vel vico Macedoniæ: Interpreti Appollonij à Pimplia regione, quæ est prope Pieriam. Est eodem nomine Pierius fons & mons, & pagus ijsdem dictus. Pipleades alij non Pimpleades dixere. Græca vox est πίμπλεια & πίμπλα, non Pipla; quamuis Varro de lingua latina videatur Pipleades vocare, vti & Acron, qui à piplo vestis genere sic appellatas quibusdam ait, vel ab Orchomeniorum monte Pimpleo. Lege Gyraldum syntagmate de Musis. Inde Pimplæus à fonte & monte, & musæ Pimplææ Martialis lib. 12. & Sidonius auctores. Strabo. πιερία δὲ, καὶ ὄλυμπος, καὶ πίμπλα, καὶ λείβηθρον τὸ παλαιὸν ἦν θρᾳκῶν χωρία καὶ ὄρη. νῦν δ' ἔχουσι μακεδόνες. Nam Pieria, Olympus, Libethrum antiquitus Thracia fuere loca & montes, nunc Macedones obtinent. VACVIS] otiosis, Romanis, & vrbanis. N. S. I. MEVS] vbique legor, sed non colligo pecuniam. AT QVAM] illi poëmata tua peribunt, scribe opus aliquod grande, quod æternet. CVM PIA] Da mihi alterum Augustum in Nerua, alterumque Mæcenatem, & si non Virgilius, saltem Marsus ero, vt supra lib. 8. dixeras.

Precatur deos pro Nerua.

V. IV.

Sacra, Laresq; Phrygum, quos Troiæ maluit hæres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes,
Scriptus & æterno nunc primùm Iuppiter auro,
Et soror, & summi filia tota patris.
Et qui purpureis iam tertia nomina fastis
Iane, refers Neruæ, vos precor ore pio.
Hunc omnes seruate ducem, seruate senatum:
Moribus hic viuat principis, ille suis.

SACRA L. P.] Neruam hic opinor, non Traianum laudat, quamuis Iunius aliter sentiat. Argumento inducor, quod poëta dicat.

Et qui purpureis iam tertia nomina fastis
Iane refers Neruæ ——

Nerua enim primo imperij anno tertium consulatum gessit cum Virginio Rufo, quo tempore poëta nondum Roma abierat. Traianus autem quarto demum anno post, tertium consul fuit, quando poëta in patria vltimum librum qui fuit XII, vulgauit. SACRA LARESQVE] sacra & penates appellauit Virg. 2. Æn.

Tu genitor cape sacra manu patriosq; penates.

Et ibid. *Sacra suosq; tibi commendat Troia penates.*

De Dijs penatibus Macrobius lib. 3. cap. 4.

Quæ autem fuerint sacra, qui ve Dij, mox subiungit:

Sic ait & manibus vittas, Vestamq; potentem,
Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Plura

Plura super hoc loco apud Virgilij interpretes. HEROS] heroes dicti priscis sunt viri fortes & semidei, quales fuere Hercules, Diomedes, Oeneus, Byzas, Pergamus, alij. A. L. OPES] Laomedon Rex Thraciæ, opes Laomedonteæ, Troianæ opes, Arsuras dicit, cum ipso Ilio nempe Græcis incenso; pietas Æneæ prædicatur, qui neglectis opibus Deos flammis eripuit, cui certe magnas debent gratias, quando immortales, à mortalibus seruati sunt. SCRIPTVS Æ. A. I.] sensus est. Vesta, & Dij penates. Iupiter iterum, Iunoque, & Pallas cum Iano, nunc auro fulgent in templis, Nerua locupletante, quod explicat infra lib. 12. epist. 15.

Quicquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, Deiśq; nostris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Iupiter ——

SCRIPTVS] pictus, factus. SOROR] Iuno. F. T. PATRIS] Pallas è cerebro Iouis edita sine matre, vt fabulantur poetæ, eoque tota patris. ET Q. P.] Tertium consulatum Traiani, quem cum M. Cornelio Frontone III. cos. gessit. A. V. C. 853. Christi 99. Olymp. 219. anno 4. vt habent Fasti Capitolini. Referebantur in fastos consulum nomina, vt norunt etiam tirones Antiquitatis. Hoc obserua, quod Spartianus in Ælio Vero, de illo, & Antonino refert. (*Qui primi*, inquit, *duo Augusti appellati sunt, & quorum fastis Consularibus sic nomina præscribebantur, vt dicantur non duo tantum Antonini; sed duo Augusti: tantumq; huius rei nouitas & dignitas valuit, vt fasti Consulares nonnulli ab his sumerent ordinem Consulum.* Domitius refert ad 3. cos. Neruæ. H. O. S. DVCEM] Formula precandi solennis, apud Virgilium passim & alios occurrens. M. HIC. V. P. I. SVIS] senatus imitetur Neruam, Nerua se ipsum; eleganter concludit.

Lege scriptus & non scriptus es, ita enim sententia & ordo docent. Lege Brissonii. De modestia Traiani plenissime Plinius Panegyr.

In laudem Neruæ.

V. IV.

Tanta tibi est recti reuerentia, Cæsar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cùm tot Crœsos viceris, esse Numam.
*Si redeant veteres, ingentia nomina, * patres,*
Elysium liceat si vacuare Nemus:
*Te * volet inuictus * pro libertate Camillus,*
Aurum Fabricius te tribuente volet.
Te Duce gaudebit Brutus: tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cum positurus erit.
Et te priuato cùm Cæsare Magnus amabit:
Donabit totas & tibi Crassus opes.
Ipse quoq; infernis reuocatus Ditis ab vmbris
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

**partes, male patres.*
** Te colet inuicta.*
** pro.*

Sane si spectes mores Neruæ, prorsus in vitam illius conuenit hæc laus, nec minus in Traianum. N. P. ERAT] Rex alter Romanorum pauper erat, ἐκ συγκρίσεως nempe comparatus tecum, & cum Imperatoribus Romanis. Si Numa tibi par opibus fuisset, tam sanctus, ac tu es, nunquam extitisset. ARDVA RES] gnome. Elegans est Senecæ ad Lucilium super hac re dictum. *Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodum argento, nec ille minor est, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi est animi pati non posse diuitias.* Laudat hunc versum Muretus in comment. ad Aristotelis Ethica. Non tradunt mores opibus, qui adepti imperium & opes non abutuntur iis ad fastum non efferuntur ad superbiam, crudelitatem, aliorum oppressionem & iniuriam, qui denique idem est diues, qui pauper erat. SI REDEANT] contendit veterum Romanorum parsimoniam, vitas, mores cum Traiani virtutibus. CAMILLVS] Te Camillus principem malit, quam etiam illam libertatem. Lips. epist. quæst. lib. 1. cap. 5. vbi legit, *pro libertate.* Dictator exul creatus liberauit ingratam patriam ab excidio Gallorum; factum eius & hoc, & de magistro Faliscorum Falis. is dedito clarissima fuere. Liuius lib. 5. Florus lib. 1. cap. 13. & 12. Plutarchus in vita Camilli. Ouid. in Fastis. auctor de viris illustribus, & alij.

Fusius de fortunis recte possidendis Seneca lib. de beata vita cap. 20.

FABRICIVS] de huius abstinentia & paupertate Liuius lib. 14. Plutarchus in Sylla. Cicer. Lælio. Gellius lib. 1. cap. 14. ex auctore de viris illustribus. Valer. Maximus lib. 2. cap. 9. lib. 4. cap. 3. & 4. Hæc alij Curio Dentato assignant de repudiato auro, al. vtrique Val. Max. lib. 4. cap. 3. exemplo 5. & 6. Fabricium etiam Arellius & Albutius contr. 9. apud Senecam auri contemptorem laudant. BRVTVS] assertor ille libertatis, qui reges eiecit, Remp. condidit. Liuius lib. 1. Dionysius, Plutarchus, Florus, auctor de viris Illustribus, & alij. SYLLA &c.] ciuium suorum sanguine purpuratus, aut potius deturpatus Sylla, non eget teste, cum vitam ipsius graphice depinxerit Plutarchus, Appianus lib. 1. bell. ciuil. Plinius, Florus, auctor de viris illustribus. Cic. passim Valer. Maximus, & quotquot fere de rebus Romanis scripsere. IMPERIVM P.] dictaturam, quam deposuit, quem Iulius Cæsar dixit nescisse litteras, quod fasces abiecerit. P. C. CÆSARE] Iulium Cæsarem intellige, cum quo Pompeius Magnus ciuile bellum gessit, quod Lucanus opere suo detonat, & Plutarchus Appianus, aliique accurrate describunt. Cæterum Martialis hoc loco Lucanum videtur imitatus in 4. —— *Et Cæsar generum priuatus amabit.*

Rutgersius lib. 6. c. 9. CRASSVS] Crassi diuites duo potissimum celebrantur, primus audiuit Licinius Crassus de quo Cic. lib. 2. ad Atticum. ep. 13. *Quanto in odio noster amicus Magnus* (Pompeius) *cuius cognomen vna cum Crassi Diuitis cognomine consenescit.* Et Val. Maximus lib. 6. cap. 9. *Quid? Crasso nonne pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit? Sed eidem postea inopia turpem decoctoris superlationem inussit. Siquidem bona eius a creditoribus, quia solidum præstare non poterat, venierunt. Ita quoq; amara sugillatione non caruit: quia cum egens ambularet, Diues ab occurrentibus salutabatur.* Alter fuit ille Parthici strator auri, multo priore illustrior & diuitior, qui victus demum à Parthis bibit aurum quod sitiuerat. Huic nemo diues videbatur, qui ex annuo censu non posset alere legionem. Huic post decimas Herculi consecratas, post epulum pl. bi datum ante Parthicum bellum supererat septies mille centum talenta, hoc est, quadragies ducenta sexaginta millia philippæorum, siue quatuor milliones & ducenta sexaginta millia aureorum, quæ apud nos efficiunt florenorum milliones quinque et sexcenta octoginta millia, hæc in vita huius Crassi Plutarchus, & de hoc agit hic Martialis, alter enim qui decoxerat nihil poterat dare, nec cum tanto imperio vnquam fuit. CATO] Vticensis qui tamen se ipsum interemit, ne videret Cæsarem. Plutarchus Appianus, Florus, alij. Tanta æquitas tua est, Princeps, vt vindices libertatis tibi seruire malint, quam libere viuere.

Ad Romam & Dindymum.

VI.

VII.

Vnctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso
Permittis puto, pileata Roma.
Risisti licet ergo, nec vetamur,
Pallentes procul hinc abite curæ:
Quidquid venerit obuium, loquamur,
Morosa sine cogitatione.
Misce dimidios puer trientes,
Quales Pythagoras dabat Neroni:
Misce, Dindyme, sed frequentiores;
Possum nil ego sobrius, bibenti
Succurrent mihi quindecim Poëtæ.

Optimi dierum dicuntur Saturnalia.

VNCTIS] Scripturus carmen ad hilaritudinem Saturnal. V. DIEBVS] lætis, lautis, quibus vncta conuiuia curantur. FALCIFERI SENIS] Saturni, cuius insigne falx. Macrob. lib. 1. cap. 7. de quo alias. R. FRITILLVS] quibus luditur alea. est fritillus alueus, in quem tesseræ iaciuntur, vel, vt alibi dicent, pyrgos seu turricula ex qua tesseræ excutiuntur, lib. 14. plenius. N. LAB. facili, iucundo, non eruditissimo, sed nato inter pocula, vt sequitur. P. ROMA] Saturnalibus vestem mutaru veteres, & synthesinati incedebant, velut perpetuo epulaturi. Synthesis enim cœnatoria vestis est, de qua lib. 14. epist. 1.

Synthesibus dum gaudet eques, dominusq; senatus,
Dumq; decent nostrum pilea nostra Iouem.

Et

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:
Hic opus est pictis accubuisse toris.

Serui etiam pileati per eos dies velut domini incedebant, quibus ipsi administrabant epulas. De pileis Alex. Neap. cap. 22. lib. 2. *Quippe festis Saturni diebus seruos ingenuorum ministeria occupare, pileos sumere, & munera mißitare seruatum est.* Turnebus lib. 8. cap. 4. non seruos tantum, sed dominos, & totam Romam ait per eos dies fuisse pileatam. Lipsius de Amphitheatro cap. 19. toto, de pileis Romanorum copiosissime disputat & ostendit Romanos cum Græcis, Gallis, Germanis nudo capite fuisse, præter certos homines, & tempora. Tempora quinque enumerat. Sacra, ludos, saturnalia, peregrinationes, militiam. Homines vero, primum libertos nouos, ægros, conuiuas nonnunquam & senes; testes laudat antiquos, certos & magnos, quos inde huc, si voles, accerses. De epulis & dominorum ministerio, seruorum libertate exstat Accij poëtæ carmen apud Macrob. lib. 1. cap. 7. Horatij Sat. 7. lib. 2. Solini. cap. 3. Athenæi lib. 14. cap. 17. RISISTI] arrisisti, placet votum tibi meum, exequar ergo. O. LOQVAMVR] omnia sine discrimine, quicquid in buccam, seu deceant, seu dedeceant, tam impia fuit priscorum pietas. M. D. P. TRIENTES] dimidius triens est sextans. hoc est, duo cyathi; vt poëta frequentius bibendi copiam haberet & iocandi, nec tamen sauciaretur vino, petit sextantes pro triente. P. NIL. E. S.] Horatius belle accinit & affirmat exemplo.

Et sic ferle Lib. 1. epist. epist. 19

Nulla placere diu, nec viuere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus: Vt male sanos
Adscripsit Liber satyris, Faunisq; poetas.
Vina fere dulces oluerunt mane Camœnæ.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.
Ennius ipse pater numquam, nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. ——

Vini appetentior fertur & Æschylus fuisse, quem Luciano teste Calisthenes dixit in vino tragœdias scribere. Plutarchus in Symposiacis tradit Æschylum ideo tragœdias potando scripsisse, quod vini calor vim inueniendi excitet (quæ in sobriis torpet aliquando) imagines moueat, impetumque & fiduciam ministret. Hinc Bacchus, vt Plato cum Aristotele scribit, furoris Deus poëtas amat, sine quo vates & poëtæ parum proficere creduntur. BIBENTI S. M. Q POETÆ] Est vinum poëtis velut quidam Pegasus, vt Nicrates cecinit.

Οἶνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ,
Ὕδωρ δὲ πίνων καλὸν οὐ τίκτεις ἔπος.
Ταῦτ᾽ ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ὀδωδὼς πίθου.
Τοιγὰρ ὑπὸ στεφάνοις μέγας ἔβρυεν, εἶχε δὲ κισσῷ
Μέτωπον, ὥσπερ καὶ σύ, κεκροκωμένον.

Pegasus est vati velox in carmina Bacchus,
Potaturus aquas vtile nil facies.
Dixerat hæc, Bacche, expirans non vtris odorem
Cratinus, totum at vas grauiter redolens
Læta coronatus cantabat carmina crines,
Vt tu Bacche, hedera nam redimitus erat.

Eiusdem ingenij Aristophanes, Anacreon, Horatius fuêre. Aristoteles lib. 8. de naturis animal. psittacum loquaciorem fieri putat, si vinum biberit.

De statua Memoris.

VII. X.

Clarus fronde Iouis, Romani fama cothurni,
Spirat Apellea redditus arte Memor.

CLARVS] Tragicus erat Memor, contra quam sentit Calderinus. Fidem Placiades Fulgentius facit, qui Memoris carmen ex fabula, quæ Hercules inscribebatur, adfert.

Ferte suppetias optumi comites.

Accedit & Probi testimonium, & Martialis, qui Romani cothurni famam appellat. cothurnus certe Tragicorum est. Horatius de Æschylo.

Qui docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.

Et in adagium abijt Sophocleus cothurnus. Fronde clarum dicit, quod poëtis imagines honoratæ ponerentur. SPIRAT APELLEA] imagines sunt naturæ imitationes, quoque magis ad naturam accedunt, hoc viuaciores apparent. Appelles porro pictor, non fictor fuit, ita in tabulam

lam pictam conueniebat hoc carmen. Sed quibusdam placet, Apollinea, legi, vt statuam Memoris in Apollinis templo inter poetarum aliorum statuas collocatam intelligas, de quibus Persius in prologo.

—— quorum imagines lambunt
Edera sequaces.

Censent aliqui epicum fuisse & Tragicum: & illud, *fronde Iouis clarus* referunt ad coronam ex agone Capitolino à Domitiano instituto reportatam. Censent hoc inquam sed non euincent, mihi testata placent.

De Turno.

XI. VIII.

Contulit ad Satyras ingentia pectora Turnus;
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

CONTVLIT AD S.] Turnus frater Memoris Satyricus, de quo Probus Grammaticus, Iuuenalis interpres. *Turnus Libertini generis ad honores ambitione prof.ctus est, potens fuit in Vespasianorum Titi & Domitiani aula.* Eiusdem meminit lib. 7. epig. 96. noster.

Nam me diligit ille, proximumq;
Turnis nobilibus leget libellis.

Vtriusque carmen recitat Sidonius car. IX. Ex Arunca fuêre ciuitate; Rutilius in Itinerario sic de Turno.

Huius vulnificis satyra ludente Camœnis,
Nec Turnus potior, nec Iuuenalis erat.

Ex commentariis vetustis ad Iuuenalem adducitur hic Turni versus:

Et quæ Cæsareæ sobolis horrenda Locusta
Occidit, curis dum liberat arte Neronem.

FRATER ERAT] cum posset Turnus Memorem superare cothurno, tamen abstinuit, vt Vnicus propter Martialem.

Ad puerum suum.

XII. IX.

Tolle puer calices, tepidiq; toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu,
Trita patrum labris, & tonso pura ministro;
Antiquus mensis restituatur honos.

TOLLE PVER] detestatur tectè luxum Romanorum, & cupit reduci priscorum parsimoniam. TOLLE] accipe vitrea pocula ex Ægypto missa; nam toreumata Nili vitreos calices intelligit, de quibus lib. 14. lemma e. Vitrei calices.

Aspicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus.

TOLLE PVER] altero sensu, & contrario priori fortean sensum poetæ magis assequor; remoueri enim vitrea Ægyptia aut crystallina magno comparata, & arte summa elaborata iubet & fagina pocula, fictiliaue sumi, secura manu domino & conuiuis à ministro præbenda, quæ etiam lapsa manu aut non frangantur, aut fracta, non frangat opes domini, qualia erant Saguntina, de quibus lib. 14.

Quæ non solicitus teneat seruetq; minister,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

TRITA P.L.] Romani multis annis coluerunt modestiam & frugalitatem. Numa quidem, vt auctor est in Parodoxis Cicero, librisque de natura deorum, fictilibus vrnulis, capedunculis ac simpulis sypullis (quæ erant vasa fictilia, quibus in sacrificiis sacerdotes Diis prælibabant) faciebat. Tibullus eleg. 1. l. 10.

Adsitis Diui, nec vos è paupere mensa,
Dona nec è paruis spernite fictilibus,
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula de facili composuitq; luto.

De eadem paupertate Ouid. 1. Fast. Iuuen. Sat. 5. Plinius lib. 33. cap. 12. prædicat abstinentiam Cati Ælij aut Elicij, cui Ætolorum legati ex fictilibus prandenti vasa argentea, non accipienda afferebant. O mnia exempla Agathocles Syracusanorum Rex laudatissima sua modestia superauit, de quo Ausonium legas. de Porsenna etiam Martialis.

Arretina nimis ne spernas vasa, monemus;
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Iuuenalis item Sat. 5. & 6. ETT. P. M.] ministrata sanctè & simpliciter à rudibus & castis pueris, non comatis & comtis basiata. Petronium Arbitrum lege. *Indum non fulgebat ebur*, &c. A. MENSIS] reuocentur prima sæcula, priscorum parsimonia & frugalitas.

In Zoilum.

X. XII.

Ius tibi natorum, vel septem, Zoile detur,
Dum matrem nemo, det tibi nemo patrem.

IVS TIBI NATORVM] Zolius quamuis notus, nesciebatur tamen, vnde esset natus quem ius trium liberorum petentem irridet. N. SEPTEM] trium liberorum ius, non septem à Cæsare peti solebat. Poëta per me, inquit, vel septem licet petas iura natorum, dummodo tibi nullus pater & mater sit, hoc est, nemo sciat, quo patre, qua matre sis natus. Quid quæris natos, nondum inuento patre & matre? Affinis est huic loco iocus apud Ciceronem 2. de Orat.

Si tacets, quid hoc clamorn est? quibus nec pater nec mater sit:
Tanta confidentia estis? auferte istam nunc superbiam.

Poeta dixerat de pupillis. Statius in spurios detorsit. Apud Diogenem L. ærtium & Plutarchum à Diogene dictum etiam huc pertinere videtur, qui nothum cum videret lapides in turbam iactantem; *Caue*, inquit, *ne patrem tangas*, vt qui ipse ignoraret, quis pater suus esset, & an in turba ille.

Epitaphium Paridis. Pantomimi.

XI. XIV.

Quisquis Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor;
Vrbis deliciæ, salesque Nili
Ars & gratia, lusus & voluptas,
Romani decus, & dolor theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
Hoc sunt condita, quo Patris, sepulchro.

QVISQVE FLAMINIAM] Parides histriones pantomimos duos reperio. Vtrumque apud Tranquillum & Dionem. priorem occisum à Nerone alterum à Domitiano. Paridem Neronis Dio affirmat interfectum, quod Nero cum saltationem discere non posset, magistrum occiderit. Τί γὰρ δεῖ λέγειν ὅτι καὶ τὸν Πάριν τὸν ὀρχηστὴν ἀποσφαγῆναι ἐκέλευσεν, ὅτι ὀρχεῖσθαι παρ' αὐτοῦ μαθεῖν ἐθελήσας, οὐκ ἠδυνήθη. Et Tranquillus. Sunt, qui tradant Paridem histrionem occisum ab eo, quasi grauem aduersarium. Sed huius non est hoc Martialis epitaphium, qui Domitiani Paridem intelligit. de quo Sueton. in c. 3. in Domitiano. *Deinde vxorem suam Domitiam, ex qua secundo suo consul. filium tulerat, alteroque anno consalutauerat vt Augustam, eandem Paridis histrionis amore deperditam repudiauit.* Dio cædem Paridis addit in Domitiano. Τὸν Πάριν τὸν ὀρχηστὴν ἐν μέσῃ τῇ ὁδῷ, δι' αὐτὴν (Δομιτίαν) φονεύσας. ἐπειδὴ δὲ πολλοὶ καὶ ἄνθεσι καὶ μύροις τὸν τόπον ἐκεῖνον ἐτίμων, ἐκέλευσε τούτους σφαγῆναι. Paridem etiam saltatorem in media via occidit, ac postquam accepit eum locum à multis hominibus floribus & vnguentis honorari, eos interfici iussit. Quia, vt Tranquillus narrat, non Paridem tantum, sed Paridis discipulum impuberem adhuc, etiam tum maxime ægrum, quod arte formaque non absimilis magistro videbatur, occidit. Ad magnas Paridem diuitias & potentiam in aula Domitiani prius venisse ostendit Iuuenalis. Sat. 7.

——sed cum fregit (Statius) subsellia versu,
Esurit intactam Paridi nisi vendat Agauen,

Ille & militia multis largitur honorem
Semestri vatum digitos circumligat auro
Quod non dant proceres, dabit histrio?

Et: *Præfectos Pelopeia facit, Philomela tribunos.*

FLAMINIAM] via Flaminia sepultus erat Paris, vt eadem vtrinque tumulis plurimis ornata. iuxtà vias enim cippos & marmora demortuis erigebant, quod iam supra in Martiale vidimus in epitaphio Glauciæ lib. 6. ep. 28.

Hoc sub marmore Glaucias humatus
Iuncto Flaminiæ iacet sepulchro.

Hinc epitaphia plerumque sunt ad viatorem. Lipsius lib. 3. admir. cap. 10. quæ sparsim alij, in caput, his verbis redigit. *Præcipuum id fuit, quod monumenta & sepulchra paßim ad viam adsita & latus vtrumque prætexebant: Quam pulcher ille adspectus viantibus, quanta & seriorum & iocorum materies? Illic illustrium ingeniorum, aut clarorum virorum memoria & inscriptio. alibi libertorum, seruorum, scortorum superba monumenta. Mirari, dolere, illudere, etiam detestari occasio erat, & quid in tot titulis & inscriptionibus pasci? Quædam à meliore ingenio & scita, quædam aliqua nota aut inuentiuncula spectabiles, & ista, quæ hodie extant, dicent.* Hæc Lipsius verissime. In libris veterum inscriptionum testimonia sexcenta. ROMANI DOLOR] Sidonius Martialem imitatus epist. 1. lib. 4.

Germani decus, & dolor Mamerci.

Virgil. 10. Æneid. primus auctor:

O dolor, atque decus magnum rediture parenti.

Auson. epit. 5. *Et decus & dolor es coniungis Ausonij.* Plura Sauaro ad Sidonium.

HOC SVNT CONDITA] En illustre epitaphij scribendi exemplum. Vt Martialis sales, iocos, gratias ait vna cum Paride sepultos, ita tu cum heroe virtutes poteris sepelire. Lege apud Gell. lib. 1. cap. 24. Næuij & Plauti epitaphium non valde diuersum ab extremis hisce Paridis versibus.

De * Colono.

* Colo.

XV. XII.

*Hæredes nolite breuem sepelire * colonum,*
Nam terra est illi quantulacumque grauis.

* Colonem.

HÆREDES] Elegans iocus ex vsu formulæ Romanæ & hominis paruitate captus. precabantur veteres bonis terram leuem, malis grauem, vt supra docui. Iocatur poëta in precatione hac, & colonum omnino sepeliendum negat ob paruitatem, alioqui quantulamcunque glebulam fore grauem. Est & apud Callimachum epigramma in Theridem dolichodromum breuem.

Σύντομος ἦν ὁ ξεῖνος, ὁ καὶ τάφος. οὐ μάκρ᾽ ἐγὼ λέξω,
Θῆρις Ἀρισταίου, Κρὴς, ὑπ᾽ ἐμοὶ δολιχόν.

Hospes & vrna breues sunt, non ero carmine longus,
Theris Aristæi, Cres, stadium supero.

Sunt alia Epigrammata in breues, lib. 2. Græcor. epig.

Legitur epistola 9. lib. 9. apud Plinium quæ inscripta est Coloni, vt suspicari posis **Colonem**, non **Colonum** hic scribendum.

Ad Sabinum.

XVII. XIII.

Non omnis nostri nocturna est pagina libri:
Inuenies & quod mane, Sabine, legas.

NON OMNIS] non omne argumentum Epigrammatis natum in tenebris: etiam diurna, hoc est, casta puraque se scribere affirmat. Cæsius Sabinus hic est, de quo multa supra.

In

In Lupum.

XIV. XIX.

Donasti, Lupe, rus sub vrbe nobis:
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit vno,*
Clausæ cui folium rosæ corona est:
In quo non magis inuenitur herba,
Quàm costi folium, pipérue crudum:*
In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tuta possit.*
Erucam malè pascit hortus vnam,
Consumpto moritur culex salicto.
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariscæ:
Ridere, aut violæ patere possunt:
Fines mus populatur, & colono
Tanquam sus Calydonius timetur,
Et sublata volantis vngue Procnes
In nido seges est hirundinino.
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta meßis,
Et mustum nuce condimus picata.
Errasti, Lupe, littera sed vna.
Nam quo tempore prædium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

* comesse in uno.

* Costi.

* tuta.

DONASTI, LVPE, RVS] Suburbanum prædiolum poëtæ* donarat fœnerator Lupus amicus, ad quem sunt plura Epigrammata. Hoc poëta mirifice κα' μείωσιν per varias comparationes extenuat, ac tandem paronomasia concludit, malle se prandium, quam tale prædium. Videtur scriptum hoc Epigramma ad imitationem Luciliani, quod est in 2. Anthol.

* An singulo tantum à Lupo donatū? an aliud à Nomentano intelligi?

Ἀγρὸν Μηνοφάνης ὠνήσατο, καὶ διὰ λιμὸν
Ἐκ δρυὸς ἀλλοτρίας αὐτὸν ἀπηγχόνισεν.
Γῆν δ᾽ αὐτῷ τεθνεῶτι βαλεῖν οὐκ ἔσχον ἄνωθεν,
Ἀλλ᾽ ἐτάφη μισθοῦ πρός τινα τῶν ὁμόρων.
Εἰ δ᾽ ἔγνω τὸν ἀγρὸν τὸν Μηνοφάνους Ἐπίκουρος,
Πάντα γέμειν ἀγρῶν εἶπεν ἄν, οὐκ ἀτόμων.

Dicit Lucilius Menophanis agrum tam paruum fuisse, vt se suspendere in illo propter famem non potuerit, neque mortuus sepeliri. Epicurum certe, si vidisset, dicturum fuisse, omnia plena non atomis, sed agris esse; quasi ager Menophanis minor fuerit atomo. Eiusmodi fere Ciceronis est, aut Laureæ liberti.

Fundum Varro vocat, quem poßim mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.

Extractam puteo situlam cum ponit in horto,
Vlterius standi non habet ille locum.

Lib. 19. c. 3. Lege Brissonium lib. 4. de verborum signif. & lib. 19.

SVB VRBE] suburbanum, de quo lib. 9. & aliis dictum. M. IN FENESTRA] *Plebi Romanæ, Plinio teste, in fenestris suis, in imagine hortorum, quotidiana oculis rura præbebant, antequam præfigi prospectus omnis coegit multitudinis innumeræ sæua latrocinatio.* I. Q. R. F. N. DIANÆ] Ruta vnica occupat totũ hortum, tantus est. Nota pueris etiam herba. Græcis πήγανον appellatur, Dioscorides lib. 3. cap. 45. COSTI FOLIVM] De costo Dioscorides lib. 1. cap. 15. & Plin. lib. 12. c. 12. *radix est eximio odore.* Folium autem costi nullum erat, vt nec piper in horto Martialis, nec herba Cosmi, MSS. pharmacopolæ. CVCVMIS I. R.] cucumis seu cucumer satiuus & siluestris nobis, Kucumern / haud ignotus vulgo. Rectus, inquit, non habet locum, ne dum si longus iaceat. ERVCAM] hortensem vermem, olerum pestem Krautwurm. SALICTVM] idem quod salicetum, locus salice consitus. BOLETVS] fungus de quo alibi. MARISCÆ] ficus insipidæ. SVS CALYDONIVS] aper Ætolus; alibi dictum. & SVBLATA] ordo & sensus. Seges horti mei vngue Procnes seu hirundinis (Procne enim mutata est in hirundinem) potest tota tolli, & in nido reponi. N PICATA] nuce, pice & resina oblita & clausa, amphoræ seu testæ seu lagenæ picabantur, ne anima vini reconditi exspiraret, vinumque fugeret. Petronius, *statim allata sunt amphora vitrea diligenter gipsata*, &c. L. VNA.] sana lectio & retinenda contra codicem Pulmanni, qui legit litteris duabus. Littera vna permutata ex voce prædium, fit prandium, si e, in n, vertas.

Lib. 24.

Suet. Claud. cap. 16. Cato de re R. cap. 2. Plinius Columella, &c.

Ad Labullum.

XXV. XV.

Dum te prosequor, & domum reduco,
Aurem dum tibi præsto garrienti,
* *Et quidquid loqueris, facisq́ laudo,*
Quot versus poterant, Labulle, nasci?
Hoc damnum tibi non videtur esse,
Si quod Roma legit, requirit hospes,
Non deridet eques, tenet senator,
Laudat caußidicus, poëta carpit,
Propter te perit; hoc, Labulle, verum est?
Hoc quisquam ferat, vt tibi tuorum
Sit maior numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?
Triginta prope iam diebus vna est
Nobis pagina vix peracta: sic * est,
Cum cœnare domi poëta non vult.

* Vt de Solo lib. 2. ep. 14.

* sic melius.

Deprecatur officium togatum prosequendi, &c. propter studium Epigrammatum. R. LEGIT] libellos suos lectori gratos ostendit. POETA CARPIT] figulus figulum. Hesiodus.

—— Ζηλοῖ δέ τε γείτονι γείτων
Εἰς ἄφενος σπεύδοντ', ἀγαθὴ δ' Ἔρις ἥδε βροτοῖσιν,
Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.
Semper vicinus vicino est æmulus, hunc vt
Condere cernit opes properantem gnauiter. atqui.
Concertatio conducit mortalibus ista:
Nec fabrum pote ferre faber. figuloq; molestus
Est figulus: mendico protinus inuidet alter
Mendicus, cantor cantorem liuidus odit.

HOC L. VERVM EST] æquum iustumque est? Cic. pro Muræna negat verum esse allici beneuolentiam cibo. Et lib. 2. ad Att. *Quid verius, quam ad iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit.* Liuius lib. 32. *Cæterum & sociorum audire postulata verum esse.* Virgil. 12. Æneid.

—— me verius vnum
Pro vobis fœdus luere & decernere ferro.

Horat. lib. 2. Sat. 3.

An quodcunq; facit Mæcenas, te quoq; verum est
Tanto dissimilem ——

Et

Et epist. ad Mæc. 2. lib. 1. *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.* TOGATVLORVM] te officij caussa in toga prosequentium. COENARE DOMI NON VVLT] cœna enim aufert poëma. lego, sic fit, cum foris cœnatur.

In Cæcilium.

XVI. XXXII.

Atreus Cæcilius cucurbitarum
Sic illas, quasi filios Thyestæ,
In partes lacerat secatq; mille.
Gustu protinus has edes in ipso
Has prima feret alterave cœna,
Has cœna tibi tertia reponet.
Hinc seras epidipnidas parabit.
Hinc pistor fatuas facit placentas,
Hinc & multiplices struit tabellas
Et notas caryotidas theatris:
Hinc exit varium coco minutal,
Vt lentem positam, fabamq; credas,
Boletos imitatur, & botellos,
Et caudam cibij, brevesq; mœnas:
Hinc cellarius experitur artes,
Vt condat vario vafer sapore
In ruta folium Capelliana.
*Sic implet gabatas, * parapsidasque,*
Et leves scutalas, cauasq; lances:
Hoc lautum vocat, hoc putat venustum,
Vnum ponere ferculis tot assem.

* parapsides, vel paropsides.

ATREVS CAECILIVS CVCVRBITARVM] Irridet sordide lautum Cæcilium, qui non asse comparabat centum fercula. A. C.] Cæcilius est Atreus cucurbitarum, hoc est, laniator, vt enim Atreus Thyestæ fratris filios laniauit dissecuitque in mille partes, & Thyestæ comedendos apposuit, ita tu diuisas perpetuo apponis cucurbitas. Suspicantur aliqui tangi hoc carmine Plinium Cæcilium iuniorem quod lib. 1. epist. 15. scribat Septitio Claro: paratæ erant oliuæ Bæticæ, cucurbitæ, bulbi, alia mille non minus lauta, quasi nemo Romæ præter Plinium cucurbitas gustarit. GVSTV PROTINVS HAS EDES IN IPSO] probe sic legitur. Gustus autem seu gustatio, vt Petronius Arbiter appellat, est exordium cœnæ, seu antecœna. *Allata est*, (inquit in Trimalcionis conuiuio) *gustatio valde lauta.* Et mox: *Ceterum in promulsidari* (id est, in gustu) *asellus erat Corinthius.* Martialis de gustu etiam mox infra ad Cerealem.

Hæc satis in gustu, cætera nosse cupis?

Disputatum supra copiosius ex variis scriptoribus super gustu. poëta gustum hic, pro gustus ipsius initio & gustu accipit; sequitur prima cœna, cuius prima pars erat gustus cucurbitæ in conuiuio Cæcilij: ipsi deinde tota antecœna (quæ lactucæ, oliuæ, echini, ostrea aliaque hoc genus leuia dabantur) altera cucurbita. Altera cœna, * quæ & caput cœnæ dicebatur, repetebatur, tertia denique, quæ & secunda mensa, eadem aliter atque aliter parata cucurbita conuiuis obtrudebatur; lego apud Maximum Planudem in vita Æsopi paratum conuiuium ex linguis duntaxat. Et apud Lampridium Heliogabulus vna die tantum de fasianis, alia de pullis, alia de pisce, vel hoc, vel illo, alia de porcis, alia de struthionibus, alia de oleribus, alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario tantum instruebat conuiuium. Sic ego locum hunc intelligo, de vna eademque cœna, non diuersis. Et confirmant, quæ sequuntur. HINC SERAS EPIDIPNIDAS PARABIT] Epidipnides sunt, quæ post cœnam eduntur; [illegible] enim est secundariam cœnam perago, seu epidipnidas perago. Athen. l. 1. [illegible]. Et lib.

* Florum cœnæ Gellius nominat.

ac de-

eodem cap. 50. vbi loquitur de caseis. *Caseos*, inquit, *latos ac tenues Cretes Thalias appellant, vt ait Seleucus, quas in quibusdam sacrificiis comburunt. Igne coctorum meminit Philippidas, in tibiis, sic autem lac primum appellatur.*

Hos igne coctos, hac oleraq; habens simul.

Atque hac omnia similia fortasse Macedones, quæpost cænam eduntur, Epidipnidas appellantur; sunt enim condiment a potui. Scio Natalem aliter verba Athenæi interpretari, sed mihi Cælius Rhodiginus huius interpretamenti auctor, lib. 27. cap. 18. *Forte*, inquit, *vniuersa hac, epidipnidas nuncupant Macedones.* Nat. *dapes* vocat. Epidipnidas igitur apud nos caseum accipias, qui postremus in omni cœna apponi solet, & inter secundas mensas principatum, & secundarum mensarum nomen tenet, quamuis multa bellaria, electariaque caseo meliora inferantur. HINC PISTOR FATVAS FACIT PLACENTAS] Ex eadem cucurbita. Miror Domitium hîc farreas placentas legere, cum ratio carminis diserte repugnet, neque mens ipsa poëtæ farreas admittat, cum farreæ placentæ meliores haud dubie fuerint placentis ex cucurbitis factis; poëta recte appellauit fatuas, & insulsas insipidasque, cum non laudare, sed vituperare cœnam Cæcilij decreuit. M. TABELLAS] Et hic discedo à Domitio, qui tabellas hic pugillares duplices aut triplices intelligit, cum poëta de generibus ciborum ferculorumque loquatur. Malim quadras, de quibus Martialis.

Aut secta quadra de placenta

Quas translate tabellas appellat. Pistores autem mille figuras esculentorum formabant, vt lib. 14. lem. *Pistor dulciarius*, ostendit.

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruet, huic vni parca laborat apis.

Quamuis enim superiore versu fatuas dixerit placentas, dicit hic alias atque alias sapore tinctas quadras. ET NOTAS CAR. THEATRIS] Cariotides & cariotæ poma fœtusque sunt, seu baccæ palmarum in Æthiopia natarum, de quibus Plinius libro 13. capite 4. Martialis libro 13. ep. 27.

Aurea porrigitur Iani coriata calendis.

Spargebantur eædem inter missilia populo, vnde poëta notas Theatris dixit. Et Papinius lib. 1. sil. Cal. Decembr.

—— & latente palma Pragnantes cariotides cadebant.

MINVTAL] Est minutal genus cibi, seu condimenti, quod ex rebus minutim concisis fiebat, vt palati magister Apicius docet; fiebat vario nomine & esculentorum genere. Tarentinum aliud, aliud Marianum ex citreis dulce: fiebat ex iocinore pulmoneque leporis, fiebat item ex marino pisce, liquamine, vino, oleo, porris capitatis, coriandro, vnde noster poëta *varium* dixit. Fecit huius mentionem Iuuenalis Sat. 14.

Hesternum solitus medio seruare minutal,
Septembri ——

VT L. F. P.] vt pultem ex lente fabaue credas factam. BOLETOS] diximus copiose de hoc genere fungi, & superius & lib. 13. ad ep. 48.

Argentum atq; aurum facile est, lanamq; togamq;
Mittere, boletos mittere difficile est.

Tertulliano teste Botelli & sanguine distendebantur. Blutwürst / *dictum supra & infra.*

BOTELLOS] describit hos gulonum doctor lib. 2. cap. 5. genus erat farciminis ex oui vitellis coctis, nucleis pineis concisis, quibus cœpam, & porrum concisum, tusque crudum admiscebatur cum pipere modico adiecto liquamine & vino. Martialis lib. 5. epig. 79.

Et pultem niueam premens botellus.

Vbi etiam de pulte dictum. ET C. CYBII] Et de hoc lib. 5. *Diuisis cybium latebit ouis.* Est piscis & cibi genus cybium, vt ibid. docuimus, vbi & apparauimus ex Plinio, Platina, Athenæo. B. MOENAS] Antiphanes apud Athenæum in Agresti seu Butalione, mœnas (pisces) Hecates cibum appellat ob breuitatem.

Sunt hæ profecto Hecates epulæ,
Quas hic mœnas vocat & Triglas.

Meliorem hos succum habere ait Hicesius, quam gobios. mutant subinde colorem, vt auctor est, Plinius, hiemeque candidiores sunt, quam æstate, vnde λευκομαινίδες dicuntur, quas nonnulli boacas vocitant. De medicinis mœnæ Dioscorides tractat lib. 2. cap. 31. & Plinius. Dicitur autẽ hic piscis ἀπὸ τῆς μανίας, quod Dianæ, (quæ & Hecate, quæ μανίας caussa) olim sacer esset. Oppiano lib. 1. μαινίς. CELLARIVS] non est is tantum, qui vinum procurat, sed procurator totius pœni, quod aperte docet Columella: *Non minor*, inquit, *habenda erit ratio, vt cibus & potio sine fraude à cellariis prabeatur.* Idem nomen vsurpat Plautus Milite; & Captiuis, dicitur & promus, & promus condus Græcis ταμίας, nobis Speißmeister / Kuchimeister. I. R. SOLIVM C.] Griphij exemplum habet, In tuta solium capellania, forte sit legendum: *In ruta solium capelliane.* Capelliana autem ruta dicitur quibusdam, ob capillorum, quos habet multitudinem, vt eandem Pamphilus multicomam vocarit. alij rutam capellaniam ab auctore, qui primus eam sic parauit, vt Cosmiani Niceroria-

cerotiana dixerat supra. Mihi neutra sententia satis liquet. Coniectura, si licet vti, non improbabili capellianam rutam dixerim, rutam caprariam hodie medicis appellatam, quod eam capreæ sectentur & pascant. Galegam vulgo vocitant, rutæ siluestris speciem. Alij emendant. *In ruta folium Capelliana*, vt sit à Capella vnguentario seu herbario nomen deductum, vt à Cosmo pigmentario, vnguenta Cosmiana. Capellas vero cognomen Romanum fuisse ex Ouidio, Iuuenale & alijs constat. Iuuen. versus est:

Discit ab hirsuto iaculum torquere Capella

vbi pro campiductore Capella accipitur, vti doctiores exponunt, quamuis alij ad capellas pecudes referant. Ego tamen magis inclino in folium rutæ caprariæ, est enim tenue cuius formam & descriptionem habes apud Matthiolum ad lib. 4. Dioscor. c. 136. GABATAS] Gabatæ sunt lances escariæ, redi ad lib. 7. ep. 47. *Transcurrunt gabata, volantq; lances.* PARAPSIDASQVE] Apud Iuuenalem, nostrum poetam, & Suetonium in Galba paropsis seu parapsis pro escario vase accipitur, sic enim Iuuen. *——quam multa magnaque paropside cœnas.*

Suet. *Ordinario quidem dispensatori breuiarium rationum offerenti paropsidem leguminis pro sedulitate & diligentia porrexisse, &c.* Martialis hoc ipso libro

Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem——

Græcis, quorum hæc vox est παροψίς, & patinam sonat, & ipsum opsonium ac cibum, viliorem tamen. Iulius Pollux. τὰς δὲ παροψίδας, ἡ μὲν πλείων χρῆσις ἐλέγχει τοὔνομα ἐπὶ μάζης, ἢ ζωμοῦ τινος, ἢ ἐπὶ ἰδέσματος ἐυτελοῦς. ὑμεῖς δὲ ἀλλὰ καὶ τὸ ἀγγεῖον λεκτέον. *Paropsides autem quæ sint, vsus ipse docet, quando paropsis nomen pro maza aut iure, iusculoue aliquo*, aut esculento viliore accipitur. dicendum tamen & vas esse. Et mox idem, ἐν δὲ τῷ Ἀντιφάνους βοιωτίᾳ σαφέστατα ἐπὶ τοῦ ἀγγείου ἐστὶν εἰρημένον. In Antiphanis Bœotia, clarissime pro vase ponitur. Et Cælius: *Illud, inquit, neutiquam est prætereundū, iusculenta plerumq; de vasorum appellari nominibus, vt paropsidas & triblia, nec non in Plauto* magidas & capidas. Adde his Athenæum lib. 1. c. 1. ET L. SCVTVLAS] politas lances & scutulas supra exposuimus. V. ASSIBUS] totum conuiuium asse comparare, quatuor quadrantibus, qui nec crucifero æstimantur.

In Petronio parapsis, non paropsis legitur. Hesychium quoq; non tantum paropsidem, sed etiam parapsidem appellare observat. Et apud Iuuenalem veteribus exemplaribus parapsis, non paropsis legitur. Turn. lib. 20. c. 27.

In Nestorem.

XVII. XXXIII.

Nec toga nec focus est; nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges:
Nec puer aut senior, nulla est ancilla, nec infans,
Nec sera, nec clauis, nec canis, atque calix.
Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri
Pauper, & in populo quæris habere locum.
Mentiris, vanoque tibi blandiris honore,
Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

NEC TOGA] Mendicum paupertatem simulantem irridet, vt supra;

Videri Cinna vult pauper, & est pauper.

Totum porro hoc epigramma ex Catulliano in Furium est expressum.

Furi, quoi neque seruus, est neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis, &c.

N. T. D. B. S. P. TEGES] tegetem Calgetinus tugurium interpretatur. Ego straguli genus esse reperio apud Varronem, qui primo de re rustica. *Sic, inquit, fiunt de canabi lino, iunco, palma scirpo, vt funes, restes, tegetes.* Est ergo teges, quam hodie vulgo stoream dicunt, quibus religiosorum cœtus pro lectis vtebantur. Idem Varro substerni solitos in secundo docet. *Sed diligentiores tegeticulis subiectis oues tondere solent, ne qui flocci intereant.* Plinius lib. 13. & 14. *Papyri vela tegetesque nec non & vestem atque stragula ac funes contexunt.* Iuuenalis Sat. 5.

Nulla crepido vacat, nusquam pons & tegetis pars
Dimidia breuior——

Et 6. *Ausa palatino tegetem præferre cubili,*
Et 9. *Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus*
A tegete & baculo.

Colum. lib. 5. *sub ortu caniculæ palmeis tegetibus vineæ adumbrabat.* fiebant ex canna, vlua seu scirpo, spartoue. hodie stramineas contexunt, & ad fores hypocaustorum sternunt, vt ingressuri calceos tergant, ne solum cœno contaminent. NEC SERA, NEC CLAVIS] Seram, clauem, canem

coniungit, an vt ostendat, nec seruorum quidem insignia Nestorem possidre. Atrienses serui seu hostiarij, qui ianuæ custodelam gerebant, clauem gestabant, qua ianuam recludebant, canem sæpe viuum catenaque vinctum ad hostium apponebant: sæpe pictum, fictum etiam & sculptum veteres in pariete vel ad parietem habebant cum inscriptione. CAVE CAVE CANEM. M. Seneca 6. contr. Varro Eumen. Petronius in Trimalcion. conuiuio. Vide Casaub ad Theophrasti characteres. Clauem plane hostiarij videtur poëta etiam lib. 5. epig. 36. notasse, cum de Euclide ficto equite scripsit.

Cecidit repente magna de sinu clauis.

S. PALVDE] canneam scirpeamne accipe tegetem. IN POP.] vis videri pauper & vnus è multis, *εἷς ἐκ πολλῶν*. NON EST PAVP.] *πτωχός ἐστιν, οὐ πένης.* non pauper, sed mendicus; pauperes pauca quidem, sed non nihil, vt tu, habent. Laudem paupertatis cognosces apud Xenophontem in Symposio & Aristophanem in Pluto.

De Prasino.

XXXIV. XVIII.

Sæpius ad palmam Prasinus post fata Neronis
Peruenit, & victor præmia plura refert:
*I nunc liuor edax, dic * tu cessisse Neroni:*
Vicit nimirum non Nero, sed Prasinus.

* te.

SÆPIVS] Prasinus auriga Neroni gratissimus, sæpius in Circo vicit, cui contrariæ factiones inuidebant, dicebantque non Prasinum, sed Neronem, quod Nero factionis Prasinæ esset, vicisse. Poëta Prasinum defendit. Vicit, inquit, post Neronis necem Prasinus, Vicit igitur Prasinus, non Nero, viuo etiam Nerone. I NVNC LIVOR EDAX] Incredibilis veterum traditur *ἱπποµανία*; quæ in quatuor diuisa partes, (quibus duas postea Domitianus argenteam & auream adiunxit) nam quatuor erant colores agitatorum, sæpe ad manus, cædem & insignem cladem peruenit. Fauebat vna pars & potissima Prasinæ factioni, quæ viridata aurigabatur, altera Venetæ cærulæ, tertia russæ, luteæ, croceæ, purpureæ, roseæ, qui colores omnes ad vnam factionem russam pertinent, quarta albæ. Prasina Veri & terræ; *πράσον* enim porrum sonat; Veneta aquæ & cœlo, nubiloque autumno (sic puto cum Bulengero locum Cassiodori emendandum) sacta est; Russa flagranti æstati & igni; Alba hyemi. Vetus poëta

De his factionibus & Panuinius doctè lib. 1. de lud. Cir. cap. 10. Sidonius, Micans colores albos vel Venetos, virens rubeosque.

Tempora cornipedes resecant elementa colores
Auriga vt Phœbus quatuor aptat equos,

Sed quamuis & quatuor colores, & quatuor factiones (duæ quippe Domitiani mox interierunt) fuerint, duæ tamen principes fuere Prasina & Veneta, duæque cæteræ his velut sociæ iungebantur. Alba quidem Prasinæ viridi, russa vero Venetæ ceruleæ, quod Corippus lib. 1. Iustinian. his versibus ostendit

Et fecere duas studia in contraria partes,
Vt sunt æstiuis brumalia frigora flammis.
Nam viridis vernis campus seu concolor herbis
Pinguis oliua comis, luxu nemus omne virescit,
Æstatis roseus rubra sic veste refulgens,
Vt nonnulla rubent ardenti poma colore.
Autumni Venetus ferrugine diues & ostro
Maturas vuas, maturas signat oliuas.
Æquiparans candore niues hyemisque pruinam
Albicolor viridi sociâ coniungitur vnâ.

Et hæ duæ factiones Veneta & Prasina semper aduersariæ lib 5. Ep. Græc.

Οἱ βένετοι πρασίνοισιν ἐναντίοι αἰὲν ἐόντες.
Aduersi Prasinis Veneti sunt semper, eruntque.

Et cum populus in partes discederet, sæpeque contra principem vel Venetæ vel Prasinæ Factioni faueret, excitabantur rixæ, cædes, mortes. Constat ex Manassis Politicis, sub Hypatio patricio, in seditione Circensi Constantinopoli triginta quinque millia hominum interijsse, cum Belisarius militem in populum immisisset. Paulus Diaconus lib. 4. hist. Longobard. Per Prasinos & Venetos ait in Oriente ciuile bellum fuisse excitatum. Caligula milites etiam adornabat ad seditionum motus hos excitandos, qui exercitum immisit. DIC TE C. NERONI] dic falso te non superatum à Prasino, sed à Nerone, Nero, Caligula, Claudius, Verus, Prasinæ factionis fuêrent maximi fautores. Vitellius Venetæ ita, vt qui contra Venetos locutiessent, occiderentur. Poëta noster, vt hinc intelligis, Prasinæ factionis erat.

In Apro.

XIX. XXXV.

Ædes emit Aper, sed quas nec noctua vellet
Esse suas: adeo nigra vetusque casa est.
Vicinos illi nitidus Maro poßidet hortos.
Cœnabit belle, non habitabit Aper.

Noctua noctis domina fugiens lucis. Vide Hierogl. Pierij.

Vt infra lib. 15. ep. 20. in amœnas ædes, incommodas tamen habentem dixit, *quam bene non habitas*, ita Aprum ruinosis, cæcis, & incommodis emptis, ait male habiturum & bene cœnaturum, quod esset in Maronis hortos ex Apri casa prospectus amœnus. CONABIT BELLE] quia bellum habebit prospectum in hortos Maronis, vel inuitabitur vt vicinus à Marone ad cœnam, nam Aprum pauperem fuisse videtur insinuare.

In Fabullum.

XX. XXXVI.

Ignotos mihi cum voces trecentos,
Quare non veniam vocatus à te,
Miraris, quererisque, litigasque,
Solus cœno, Fabulle, non libenter.

IGNOTOS] cum ignotis cœnare ait esse solum cœnare. Solent prudentiores, cum inuitantur, quærere de collegis suis alijsue conuiuis, ne temere se cœtibus hominum ignotorum cum discrimine vel famæ, vel aliarum caussarum misceant. Plutarchus in septem sapientum conuiuio narrat Chilonem non ante condixisse, quam de singulis conuiuis, qui essent, quæsisset, quod diceret *σύμπλουν καὶ σύσκηνον* vectorem & contubernalem esse ferendum etiam ignotum, quibuscum nauigare & militare esset necesse: at vero in conuiuio quibuslibet se commiscere non esse hominis prudentis. De vocationibus supra sæpicule, & lib. 7. ep. 85. de vocatoribus.

De Caio Proculo.

XXI. XXXVII.

Caius hanc lucem gemma *mihi Iulius* alba
Signat, *iô votis redditus ecce meis.*
Desperâsse iuuat, veluti iam rupta sororum
Fila, minus gaudent, qui timuere * nihil
Hypne quid expectas piger? immortale Falernum
Funde, senem poscunt talia vota cadum,
Quincunces & sex cyathos, bessemque bibamus,
Caius vt fiat Iulius & Proculus.

* minus.

Soteria Cai Proculi celebrat præter spem vitæ restituti. Suspicor hunc ipsum Proculum fuisse, ad quem extat epistola Plinij lib. 3. 15. ex qua discis poëtam fuisse. Imo de poëta certus es lib. 1. ep. 71. ad hunc eundem. GEMMA ALBA] disseruimus ex Thracum instituto super hac formula supra large. DESPERASSE] vitam. Inde desperati, depositi. plura Heraldus. MINVS GAVDENT, QVI TIMVERE NIHIL] gnome. E summa tristitia sæpe nascitur maxima lætitia. Refertur à Plinio de duabus matronis gaudio præter spem oblato mortuis, quarum altera, filio ex clade Thrasimena reduci ad ipsam portam facta obuiam, in complexu eius expirauit. Altera, cum falso mortis filij nuntio domi mœsta sederet, ad primum adspectum redeuntis exanimata est. *Genus casus*, inquit Valerius Maximus, *Insitatum, quas dolor non extinxerat, lætitia consumpsit.* IMMORTALE FALERNVM] immortale, quia melius fit annis, quoque vetustius, hoc generosius & firmius. TALIA VOTA] tam insperata & grata. QVINCVNCES] Iam supra docui suetos veteres ad numerum litterarum, quas amicorum nomina ferebant, bibere. CAIVS IVLIVS PROCVLVS] bibendus erat tot cyathis, quot litteris. Caius quincunce, id est. 5. cyathis, Iulius sex. Proculus besse, seu 8. Cyathis.

In Zoilum.

XXXVIII. XXII.

Zoile quid tota gemmam præcingere libra
Te iuuat, & miserum perdere Sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus:
Non eadem digitis pondera conueniunt.

Zoilum è seruo factum equitem exagitat, eiusq; superbiam & humilitatem exprimit. TOTA LIBRA] libralem annulum gestabat, vt poëta poëtice auget, Sic in Crispinum Sat. 1. Iuuen.

Ventilet æstiuum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ.

De qua re dictum alibi largius. ANNVLVS ISTE TVIS] Ludit in ambiguo annuli, qui modo compedes, modo gemmas digitorum significat, vtrasque gestauerat Zoilus. Vide versum de hoc Zoilo.

Has cum gemina compede dedicat cathenas
Saturne tibi Zoilus, annulos priores.

Putas tam magnos ex argento auroue annulos conuenire digitis, quam olim pedibus tuis ferrei.

De mulione surdo.

XXXIX. XXIII.

*Mulio † viginti venit modo millibus, * Aule,*
Miraris pretium tam graue? surdus erat.

† XX. M H S. id est, quingentis Philippicis.
* Aulus Pudens, de quo sæpe supra.

Dolet mulionem viginti millibus emptum, & mulionem quidem surdum. Vnde intelligis studium equorum & mulorum, quorum caussa tanti muliones emebantur. SVRDVS ERAT] redditurus admiranti Aulo caussam tanti pretij velut dignam, vt desinat mirari, auget admirationem à caussa deteriore; nam quia surdus erat, debebat minoris venijsse. Sed latebat aliud, cur surdum tanti quis mulionem emerit. Non poterit quædam flagitia domini interrogari. Iuuen. Sat. 6. Alioqui erat opus mulioni acutis auribus ad hortamenta spectatorum audienda; surdis enim illud dicitur, nec audit currus habenas.

De Amynta.

XLII. XXIV.

Indulget pecori nimium dum pastor Amyntas,
Et gaudet famâ, luxuriaque gregis,
Cedentes oneri ramos syluamque fluentem
Vicit, concessas ipse sequutus opes.
Triste nemus diræ vetuit superesse rapinæ,
Damnauitque rogis noxia ligna pater.
Pingues, Lygde, sues habeat vicinus Iolas:
Te satis est nobis annumerare pecus.

INDVLGET PECORI] historicum vel allegoricum potius, est epigramma, quo deplorat casum Amyntæ pastoris, de arbore præcipitantis. INDVL. PEC.] dum nimium saginat porcum. FAMA LVX. GREGIS] dum nitidos curat sues, indeque laudem quærit. CEDENTES] ascendit arborem glandium pondere curuatam, & similem in terram fluenti & depressæ. CONCES. IPSE SEC. OPES] iuglandes cadentes secutus est cadendo. & vt ille excussit glandes, ita excussus ab illis decidit, fractis nempe ramis, quibus insistebat. TRISTE NEM. DIRÆ RVI. VET. SVP.] pater eius ipsam eam arborem in rogum extruxit, vt vrendo corpore filij pœnas daret. PINGVES LYGDE SVES] Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Caue tibi Lygde à simili casu, nec nimium pecus & porcum, sed te ipsum cura. Satis est non amittere pecus, si augere nequeas, aut augeas, quantum sine tuo periculo possis. Amyntas, Iolas, Lygdus, nomina pastorum ex Virgilio & Theocrito desumpta sunt, Amyntæ Virgilius meminit 3. & 2. Iolæ Ec. 2. & 3. Non inuideamus vicino pecori. Videtur respexisse ad parœmiam δυσμενὴς γὰρ καὶ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμός. nam vt Pelignus ait:

Fertilior seges est alieno semper in agro,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Idem Hesiodus dixit, vt supra retulimus. Vide Statium ad Tibulli versum,

Consuesset numerare pecus.

Vbi de hoc more numerandi pecus. ANNV. PECVS] reddere sine fraude cum fœnore, quod natura & fœtus dederunt, aut reducere eum numerum, qui in pascua deductus est, vt ille Virg. Menalcas Ecl. 3. cui pecus est bis numeratum. Ita gloriatus Nero apud Senecam: *Hodie Dijs immortalibus si à me rationem repetant, annumerare genus humanum paratus sum.* perdidisset postea totum si potuisset & vixisset.

In Cæcilianum.

XXV. XLIII.

Viuida cum poscas epigrammata, mortua ponis
Lemmata; quid fieri, Cæciliane, potest?
Mella iubes Hyblæa tibi, vel Hymettia nasci,
Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api.

VIVIDA] Carmen egregium sine egregio argumento fieri posse negat. MOR. LEMMATA] videtur sane ex ambiguo ludere, mortuumq; lemma appellare, quod sit de mortuo, vt supra iam Amyntæ casum descripserat, & mortuum, hoc est, humile, abiectum, vile. Illustria autem desiderat poësis facta. nam vt non licet mediocribus esse poëtis, ita nihil humile aut mediocre cadit in versum. Heroici bella tonant, Tragici clades promunt, Satyrici, Epigrammatarijque regum, populique insignes fraudes & flagitia notant. Ita vt deterrima aut pulcherrima deceant carmen. THYMA CORSICA] à simili ostendit non posse sumi ex amaris lemmatis dulcia carmina. Thyma Attica à Plinio & alijs. præstantissima dicuntur, vnde & mella Attica cæteris dulciora, Corsica amaroris quid habent. Corsica mella celebrat Diodorus Siculus lib. 6. cap. 5. atque in buxo, seu taxo vt alij, fieri, sed admodum amara dicit. Virg. Ec. 9.

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.

Corsicam Strabo Diodorus l. d. late describunt. Se api componit, argumentum flori, &c.

Ad senem orbum.

XXVI. LXV.

Orbus es, & locuples, & Bruto consule natus,
Esse tibi veras credis amicitias?
Sunt veræ: sed quas iuuenis, quas pauper habebas,
Qui nouus est, mortem diligit ille tuam.

Monet senes, vt sibi caueant à captatoribus testamentorum & fictis amicis. Nihil hic noctis. BRVTO CONSVLE] Auxesis est, proque sene capulari ponitur. Brutus enim exactis Regibus primus consul fuit. A. P R. C. CCXLIV. Quo vero tempore, hæc poëta scripsit, agebatur plus minus annus. V. C. DCCCL Senex ergo sexcentorum & amplius esset annorum. Sed huius generis hyperbolas plures supra de aniculis audisti. De Orborum captatoribus Lucianus in Plutone & Mercurio de Eucrate. Et nos prope mille locis ad Martialem.

De Silio.

XXVII. XLIX.

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis,
Jugera facundi qui Ciceronis habet.
Hæredem, dominumque, sui tumulique, Larisque
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

SILIVS HÆC] Emacem Silium epist. 7. lib. 3. dixit Plinius, multasq; villas possedisse: *Virgilij*, inquit, *ante omnes, cuius natalem religiosius, quam suum, celebrabat, Neapoli maxime, vbi monumentum eius adire vt templum solebat.* Iouianus Pontanus narrat Silium pæne quotidie sepulchrum Virgilij adijsse, donisque velut hostijs manes propitiasse, eiusque exemplum secutum Sanazarium. Aiunt Silium

lium aliquamdiu delituisse in tumulo, vt ab ossibus poëtæ spiritum Virgilianum hauriret. Ciceronis quoq; villam habitauit, quam ad Græcorum imitationem appellauit Academiam, de qua Plinius lib. 31. cap. 1. *Digna memoratu villa est ab Auerno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore, quam & vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, Ibi compositis voluminibus eiusdem nominis, in qua & monumentum sibi instaurauerat, ceu vero non & in toto orbe fecisset. Huius in parte prima exiguo post obitum ipsius tempore Antistio vetere possidente, eruperunt fontes calidi perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureæ Tullij, qui fuit è libertis eius, vt protinus nascatur etiam ministerium eius ex illa maiestate: ponam ipsum carmen, dignum vbique, & non ibi tantum legi.*

Quo tua Romana vindex clarissime lingua
Silua loco melius surgere iussa viret?
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus?
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore lauant,
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope,
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur aquæ.

Habuit & Formianum, & ad Caietam villam, in qua perijt. Tumulus Ciceronis in insula Zazintho ostenditur, vbi in æde Franciscorum & cineres illius in lapideo conditorio seruari dicuntur, vti Illustrissimus princeps Nicolaus Christophorus Razinilus in itinerario suo Hyerosolymitano narrat, cum illuc mense Maio appulisset. A.C.M.D.LXXXIII. HÆRED. NON ALIVM MALLET NEC MARO NEC CICERO] Silius enim orator erat & poëta. Poëtam carmina testantur, Oratorem etiam Plinius iunior laudat, quanquam dicat Neronis æuo abusum eloquentia.

De eodem.*

*Silio.

LI. XXXVIII.

Iam prope desertos cineres, & sancta Maronis.
Nomina qui coleret, pauper & vnus erat.
Silius Arpino tandem succurrit agello,*
*Silius, & vatem non * minus ipse tulit.*

* *Andino.*

* *Non minor ipse colit.*

Idem argumentum de Virgiliano prædio à Silio empto. CINERES] non fuit tumulus Virgilij Arpini, sed duobus millibus passuum Neapoli distabat, vt Seruius & ex Seruio Leander docet in Campania, vbi simul fatetur nesciri hodie certum tumuli Virgiliani locum, se enim curiose & studiose omnia vestigia persecutum. Cineres ergo hic cenotaphium aut memoriam Virgilij interpretatur, vt ipse poëta seipsum interpretatur, cum subiungit nomina Maronis. Obserua tamen apud Gruterum tertium versum in MSS. non reperiri his verbis vt hic & vulgo scriptus est, sed hisce alijs:

Silius aptata succurrere censuit vmbra.

alij scribunt. *Silius Andino tandem succurrit agello*

certe *Arpino* huc non facit. & est totum hoc de Marone non Cicerone. SIL. ET VATEM NON MINVS IPSE TVLIT] *Non minor ipse colit*, scribit Lipsius libr. 1. ep. 5. sententia sane & planiore & argutiore. Omnia tamen exemplaria conspirant; mens alioqui esset. Silius succurrit agello, qui Silium non minus vatem ac Virgilium, postea dominum habuit, ac tulit. Loquendi modus hic apud Virgilium legitur. 1. Æn.

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros——

Ad* Iulium Cerealem.

* *Vollium.*

LIII. XXIX.

Cœnabis belle, † Iuli Cerealis, apud me:
** Conditio est melior si tibi nulla, veni.*
Octauam poteris seruare; lauabimur vna:
Scis, quam sint Stephani balnea iuncta mihi.

† *Veli.*
* *Conditio melior si tibi nulla venit, reiundum.*

Prima

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo
Vtilis, & porris fila resecta suis.
Mox vetus, & tenui maior cordyla lacerto:
Sed quam cum rutæ frondibus oua tegant.
Altera non deerunt tenui versata fauilla,
Et Velabrensi massa * *recocta foco.*
Et quæ Picenum senserunt frigus oliuæ,
Hæc satis in gustu: cætera nosse cupis?
Mentiar, vt venias, pisces, † *conchylia, sumen,*
Et cortis saturas, atque paludis aues.
Quæ nec Stella solet rara nisi ponere cœna.
Plus ego polliceor, nil recitabo tibi.
Ipse tuos nobis relegas licet vsque gigantas,
* *Rura vel æterno proxima Virgilio.*

* *coacta, emendat.*
† *colyphia.*
* *Rara.*

Inuitat (Iulium an Velium, Plinius lib.4.ep.21.inscribit Velio Cereali) Cerealem ad cœnam, & est fortasse ad eundem Cerealem poëtam illustrem, qui γιγαντομαχίαν scripsit, lib.2.epist.19. Plinij. Idem, vt hic, supra lib.10.ep.48. vocatur ad cœnam. OCTAVAM] horam palæstræ & lauationi destinatam lib.4 ep.8. in partitione temporis ostendimus. LAVABIMVR VNA] Heraldum adi. Erant solaria in balneis, quæ obseruabantur à conuiuaturis. STEPH. BAL. IVNCTA] In valle collis hortulorum Stephanus balnea habebat, non procul ab ædibus Martialis. Cæterum nobilissima balnea Romæq; celebratissima enumerat Philander ad Vitruuij lib.5. cap.10. LACTVCA] de hac lib.13. suo lemmate. VENT. MOVENDO] ducendo, lubricandoq; CORDYLA] de hoc genere piscis lib.13.ep.1. Vetus, salsa vt opponatur recenti. LACERTO] lege ep.48 ad versum.

Mentio est Stephani ex Suetonio Domit. sed nescio, an eu fidem.

Secta coronabunt rutatos oua lacertos.

CVM RVTÆ FRON. OVA TEG.] vt lib.10 lacertos apparauit, ita hic ponit cordylas, quæ secta oua, & rutata claudebant. ALTERA TEN. VER. FAVILLA] Sorbilia intelligit, & leniter cocta oua; eisdem verbis descripsit hæc Ouid.8. Met. in Philemonis, & Baucidis apparatu.

Ouaque non acri leniter versata fauilla

ET VELAB. MASSA RECOCTA FOCO] Caseum Velabrensem intelligit, non vinum, quis enim vinum, massam vocet? de caseo autem Velabrensi lib.13. suo titulo leges OLIVÆ] Iam sæpius Picenas oliuas supra laudauimus. IN GVSTV] Antecœnâ, primo missu. Plura ad versum illum,

Gustu protinus has edes in ipso.

MENTIAR] caput cœnæ lautius apponam verbis, vt condicas mihi. PISCES] melioris vtique notæ. Pisces enim in lautioribus conuiuijs principem locum occupabant, quod multis testibus confirmat Heraldus. CONCHYLIA] ostrea. SVMEN] papillam porcæ effetæ. lib 13. lemmate, *sumen*, plura. CORVIS] villaticas gallinas & altiles. PALVDIS] anates, anseresq;. STELLA] nobilis & stirpe, & ingenio. multa de hoc sæpicule supra lib.1.5. & alijs. RARA] lautiore vnctioreque. NIL RECIT.] Non raro suauitatem conuiuiorum modiperatores isti corrumpebant molesta, & importuna lectione suorum scriptorum, de quibus Horatius.

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Pari ratione commendat lib.5.ep.79. Torannio suam cænulam.

Nec crassum, inquit, *dominus leget volumen.*

Molestissimum idem conuiuium Ligurini descripsit lib.3.ep.49. ob quatuor aut quinque voluminum inter epulas recitationem. Lucianus in 2. Anthol. eadem lege vocat Aulum, vt nihil recitet: τὸν τῶ δειπναρίων νόμον οἶδαν, &c. IPSE TVOS GIGANTES] Laudat gigantomachiam Cerealis; & Georgica Virgilianis æmula. RARA] pleraque habent exemplaria, quæ, si vera lectio, refer ad commendationem gigantomachiæ. Rura legerim ego, alioqui distorta verba. gigantas, rara; Vel tu, inquit, licet nobis legas Gigantes, vel rura Virgilio proxima, & liquent omnia. Rura; carmina de agricolatione. Georgica, quid mirum si rustica, quæ tamen hic prætulerim raris Gruterianis. Scripsit enim gigantomachiam & de re rustica vt Virgilius: sic enim Martialis, relegas nobis in cœna gigantes tuos vel rura æmula Virgilij Georgicis. non hoc melius, quam rara? quæ vox modo præcesserat superiore etiam disticho.

 De

De Claudia Rufina.

LIV. XXX.

quam, †gentis. Ita fere suā Marcellam prędicat infra.

Claudia cæruleis cum sit Rufina Britannis
*Edita, * cur Latiæ pectora † plebis habet?*
Quale decus formæ? Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.
Di bene, *quod sancto peperit fœcunda marito:*
** Quot sperat generos, † quotque puella nurus?*

** Quod. † Quodq.*

Sic placeat superis, *vt coniuge gaudeat vno.*
Et semper natis gaudeat illa tribus.

Claudiam Rufinam Britannam laudat à vetustate, ingenio, fœcunditate, præcaturque tribus natis, natabusque totidem generos & nurus. Hanc Claudiam non alteram ab illa dico, quam lib.4.ep.13. Aulo pudenti Centurioni nuptui tradidit. Peregrinam ibi vocauit, Hic Rufinam & Britannam nominat. Proprium, τὸ *peregrinam*, ibi putabamus, hic κοινὸν arbitramur. LAT. PECT. PLEB. HAB.] Barbara quidem patria, sed ingenio Romana, inquit, est Claudia. QVALE DEC. FORMÆ] Græce & Latine scisse dicit Claudiam Domitius, quod poëta dicat Italidas & Atthidas credidisse esse suam. Sed poëta de forma, non lingua loquitur. Tam, inquit, elegans est Claudia, vt Romani possint credere esse Lucretiam, Græci Helenam. DII BENE] bene precandi vel gratulandi formula, Ouid.1. Trist.

O bene, *quod non sum mecum conscendere passus.*

Videtur gratulari Claudiæ trigeminos, unde ius trium liberorum indipiscebatur.

In potationibus plurimum frequentabatur vox *bene*. Et in omnibus faustis imprecationibus. Brissonius lib. 1. p. 72. multis hoc testimonijs firmat. QVOT SP. GENEROS] tres minimum liberi requirebantur ad auctoritatem trium liberorum. Dabatur etiam ius quatuor liberorum, quod ex Tertulliano intelligas. Claudia ergo aut tres, aut quatuor liberos, aut sex etiam habuit, poëta non definit. De iure trium liberorum præter Iurisconsultos breuiter Lipsius ad 3. Annal. Tacit. disputat, nos lib.2.ep.91.& 92. SPERAT] generos filiabus, nurus filijs. SIC] Et hæc particula formulam habet, quam iterat poëta centies. CON. VNO] En monogamiam etiam veteribus laudatam. An Pudens erat extinctus? quod videatur hic monere Claudiam ne secundas ineat nuptias; auget suspicionem quod dicat *sancto*. sancti erant veteribus defuncti. Virgil.

Salue sancte parens, cineres salue te recepti.

Et XII. tabulæ. HOS LETO DATOS, DIVOS HABENTO. NAT. TRIB.] vt ius trium natorum habeat, quatuor autem Liberorum ius ad Libertinos pertinuit.

In Zoilum.

LV. XXXI.

Vnguenta, & casias, & olentem funera myrrham,
Turaque de medio semicremata rogo,
Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoile, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare proterua,
Non miror furem, qui fugitiuus erat.

VNG. ET CASIAS] Zoilum fugitiuum seruum, & sepulchralem furem exagitat. VNG. ET CAS.] Quæ rogis inferri solita sint munera, quantaque, supra lib.10.ep.97. de Nunna copiose exposuimus ad illum versum,

Dum leuis arsura struitur Libitina papyro,
Dum myrrham & casiam flebilis vxor emit.

ET QVÆ DE] Graues olim extabant pœnæ in effossores sepulcrorū, & τυμβορύχους, vt Græci eos appellitant, Dig. & C. de sepulcro violato. *Summum quippe scelus habitum est violasse sepulchrum.* Vlpianus. *Sepulchri*, inquit, *violati actio infamiam irrogat.* Paulus. *Rei sepulcrorum violatorum si corpora extraxerint, vel ossa eruerint, humilioris quidem fortunæ, summo afficiuntur supplicio, honestiores in insulam deportantur, aut relegantur, aut in metallum damnantur.* Inde natum adagium ἀκίνητα μὴ κίνει, *non mouenda ne moue*, aut, *immota ne moue.* Idem vetabant, vt est in 2. de Diuin. apud Cic. axes Solonis. Lege Gyraldū sepulchralia Rhod. Alex. ab Alex. Sophronium seu Ioannem Moschum, cap.77.& 78. quo pacto sepul-

ſepulchrorum violatores à ſepultorum manibus ſint mulctati. Ioannem Kirchmannum libro 3. cap.14. de Funerib. Roman. Stygius porro lectus eſt ferctrum. A PEDIBVS] pedes è compedibus ſubduxere ſe, manus ſunt exemplum pedum ſecutæ. DIDICERE] furati, pedes ſeipſos ſibi cum corpore à domino aſſeruere, manus aliena rapuere. Vulgare erat hoc, nec vnius hominis culpa, vt è rogo dum cremaretur corpus precioſa ſemicremata diriperentur, à ſcurris tamen, non viris honeſtis Meurſius cap,26. de funere.

Ad Vrbicum.

XXXII. *LVI.*

Hortatur fieri quod te Lupus, Vrbice, patrem,
Ne credas. nihil eſt, quod minus ille velit.
Ars eſt captandi, quod nolis, velle videri:
Ne facias optat, quod rogat, vt facias.
Dicat pragnantem tua ſe Coſconia tantum:
Pallidior *fiet iam* pariente *Lupus.*
A tu conſilio videaris vt vſus amici,
Sic morere, vt factum te putet ille patrem.

Monet Vrbicum, vt Lupum captatorem fallacem fallat. FIERI PATREM] In ſpeciem honeſtum eſt conſilium, vt adoptet filium, cui relinquat bona. ſed hoc ſciebat Lupus Vrbicum non facturum, quem hoc conſilio ſibi conciliare ſtudet, vt ipſe filius, hoc eſt, hæres inſtituatur. ARS EST CAPT.] locus communis in vultures iſtos. NE FAC. OPTAT, QVOD ROG. VT FAC.] Lupus, & quiuis captator improbus. Quod rogat, vt facias, hoc ipſum optat, ne facias, aliud enim mente coquit, aliud in lingua promptum habet. Non credis mihi Vrbice? experire, fingat ſe tua vxor Coſconia concepiſſe, ſenties Lupum captatorem illo nuncio exanimatum; ſed vtere amici conſilio, & artem arte elude. tute tibi ipſi ſis filius, abſume, dum viuis, omnia, vt mortuus nihil relinquas, tuimet hæres, vt Heliogabalus aiebat, futurus.

Captatores iam ſupra ſæpe prodidi. Coſconia mentio in App. Virgil. Sic me cuſtodi, &c.

In Chæremonem.

XXXIII. *LVII.*

Quod nimium laudas, Chæremon Stoice, mortem,
Vis animum mirer, ſuſpiciamque tuum,
Hanc tibi virtutem fracta facit vrceus anſa,
Et triſtis, nullo qui tepet igne focus.
Et teges, & cimex, & nudi ſponda grabati,
Et breuis, atque eadem nocte dieque toga.
O quam magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
Et ſtipula, & nigro pane carere potes.
** Lignonicis agedum tumeat tibi culcita lanis,*
Conſtringatque tuos purpura † texta toros.
*O quam * tu † cupias ter viuere Neſtoris annos,*
Et nihil ex vlla perdere luce voles.
Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

** leuconicis al. † pexa. * nunc. † cupies.*

QVOD NIM.] Chæremonem mortem ex ſententia ſtoicorum contemnendam dictitantem ſuggillat, oſtenditq; eum non ex animi conſtantia vitam odiſſe, ſed ob mendicitatem lucem fugere. Fortis ille eſt qui προαιρέσει, non ἀνάγκῃ contemnit mortem. *O vita miſero longa, felici breuis.* inquit Publius. ET TEGES, ET CIMEX] Iam ſupra hæc enarrata, *nec tritus cimice lectus.* FRACTA VRCEVS ANSA] An Chæremon vrceum furto ſubduxerat? hunc enim morem habent fures, vt auriculas, naſos & anſas calicibus & teſtis detrahant & frangant, ne furti poſſint argui. Seuerus

Caſſius

lib.10.contr.5. Cassius apud Senecam contr. 34. aiebat, eos qui detracto verbo, aut mutato, aut adiecto putant se alienas sententias lucrifecisse, similes sibi videri furibus qui alienis poculis ansas mutarent. LING. LAN.] Leuconicis aliter. Nobiles lanæ fuere, à candoris præstantia sic dictæ. lib. 14. tomentum Lingonicum, seu Leuconicum, & Tomentum Circense ep.159.&160. REBVS IN ANGVSTIS] gnome, mortem contemnere, vel sibi inferre, vt maius malum effugias, non esse fortitudinem appellandam, sed metum & animi imbecillitatem, de qua re erudite, & vere D. Augustinus lib.1. de ciuit. Dei, cap.23. vbi de morte Catonis Vticensis disputat. Seneca, quem lib.1.ep.9. ad Decianum adduximus; lege & Fabri sem. lib. 1. Hunc versum aiunt apud Senecam legi de paupertate & abiudicant Martiali, sed librum Senecæ de paupertate nullum vidi.

FORTITER ILLE FACIT] Lege quæ ad hunc locum annotauit Parthius lib. 15. c. 11. p. 1214.

Ad Seuerum.

LVIII. XXXIV.

Miraris, docto quod carmina mitto Seuero,
Ad cœnam quod te, docte Seuere, vocem?
Iupiter ambrosia satur est, & nectare viuit:
Nos tamen exta Ioui* tura, merumq; damus.
Omnia cum tibi sint dono concessa deorum,
Si quod habes, non vis, ergo quid accipies?

*al. cruda.

Caussam reddit, cur poëtam donet carmine, saturum seu diuitem pauper inuitet. MIRARIS DOCTO QVOD CARMINA MITTO SEVERO] videor γλαῦκ' Ἀθήνας, lignum in siluas, aquas in mare ferre. AD COENAM] Sic Horatius inuitat Mœcenatem lib. 3. carm.29.

Tyrrhena regum progenies, &c.

IVPITER] ipse Deus, cuius vnius sunt omnia, non spernit minima mortalium dona, & mortales pij creduntur, cum, quæ habet ipse, dederint. Ita nec ego, qui colo amicum, quibus possum, donis, sim reprehendendus. Et referunt historiæ maximos reges agrestium vel poma, vel aquæ haustus haud paruis muneribus compensasse. Plutarchi præfationem ad Traianum in Apophthegmatis consule. Religiose imperator Iustinianus in epigraphe sacræ mensæ TVA DE TVIS, &c. IVPITER AMBROSIA] Cornelius Gallus:

Vide Senecam lib.7.de Ben.

Qui satur ante fuit felix conuiuia Deorum
Nectare quæ superis pocula grata Deis.

De Carino.

LIX. XXXV.

Senos Carinus omnibus digitis erit,
Nec nocte ponit anulos.
Nec cum lauatur. caussa quæ sit, quæritis?
Dactyliothecam non habet.

SENOS] Carinum opes ostentantem, vt inopem cauillatur. cum senis gemmis annulatos haberet semper digitos, id fieri dicit, quod nec plures his habeat, nec ponere possit, quòd dactyliotheca, in qua seruet anulos, desit. sed duntaxat ad certos dies conducat anulos.

In Iustinum.

LXVI. XXXVI.

Sexcenti cœnant à te, Iustine, vocati,
Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit:
Inter quos, memini, non vltimus esse solebam:
Nec locus hic nobis inuidiosus erat.
Postera sed festæ reddis solennia mensæ:
Sexcentis hodie, cras mihi natus eris.

Expo-

Expostulat cum Iustino de se ad natalitias dapes, vt olim, non inuitato. Tecte interim videtur vt spurium notare qui velut geminos celebret natales; & illa verba cras mihi---valent idem ac si diceret cras credam te legitimum tuum natalem celebrare, hoc est nunquam. LVCIS AD OFF.] ad celebrandum natalem tuum. NEC LOCVS HIC] primarius. POSTERA] vocas ad reliquias & analecta. SEXCENTIS HODIE, CRAS MIHI NATVS ERIS] non mitto tibi hodie munera genethliaca; mittant, quos inuitasti. Cras ego, hoc est, numquam mittam.

De ritu natalis & affectus illis plene Heraldus, Stukius, Martinus Rhg, alij:

In Maronem.

XXXVII. *LXVIII.*

Nil mihi das viuus, dicis post fata daturum;
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

NIL MIHI] salse ludit ludentem. SCIS, MARO, QVID CVP.] quando viuus nihil das, & promittis omnia mortuus. mori te quamprimum cupio, vt fiam hæres; hæredipetæ enim nil magis cupiunt, quam mortem testatoris. *Tempus erat iam te Sosibiane legi.* supra lib. ep. 33.

In Mathonem.

XXXVIII. *LXIX.*

Parua rogas magnos: sed non dant hæc quoque magni,
Vt pudeat leuius te, Matho, magna roga.

PARVA ROGAS] Matho caussidicus vsque adeo contemnebatur, vt ne parua quidem munera impetraret à magnis: poëta hortatur, vt magna petat, quo minus saltem erubescat, si negentur. De Mathone supra ex Iuuenale & Martiale sæpe.

Epitaphium canis Lydiæ.

XXXIX. *LXX.*

Amphitheatrales inter nutrita magistros
Venatrix, siluis aspera, blanda domi,
Lydia dicebar domino fidissima dextra,*
Qui non Erigones mallet habere canem:
Nec qui Dictæa Cephalum de gente secutus:
Luciferæ pariter venit ad astra deæ.
Non me longa dies, nec inutilis abstulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani:
Fulmineo spumantis apri sum dente perempta,
Quantus erat Calydon, aut Erymanthe tuus,
Nec queror infernas quamuis cito rapta sub umbras:
Non potui fato nobiliore mori.

** Dextro.*

AMPHITHEATRALES] nobile epigramma in canem venaticem ab apro interfectam, quam cum Procyone & Sirio in cœlum relatus, cumque Homerico Vlyssis cane Argo confert. Est ergo epitaphium, quale soluta oratione legitur apud Claudium Pontosum de Leonteo cane. AMPHIT.] In Amphitheatro & Circo sæpe venationes exhibebantur, vt lib. A. & lib. 1. alijsque legisti. Percusserat Lydiam aper populo notam & charam, cuius hic ingenium in feras asperum, blandum in dominos, fatumque nobile describit. MAG.] venatores, & bestiarios, & curatores, præfectosque amphitheatri. LYD. DICEB.] prosopopœia: ipsa canis loquitur. DOM. FID. DEX.] tam fida hero, quam dextra heri, sed laudo scripturam c. Pal. domino fidissima Dextro, vt sit proprium. de Dextro supra. & Plinius epist. 14. lib. 8. Fidem canum laudat Cic. 2. de nat. deorum. Valerius

lerius Max. lib. 9. cap. 14. narrat Masinissam regem pro Satellitio canes adhibuisse. Imo quod Plinius lib. 6. cap. 30. & Solinus cap. 34. refert, mirius videri potest; In Africa Ptoemphanæ, & Æthiopia. quos Nubas vocant, regiam potestatem cani tradunt, atque ex eius motu & nutu imperia accipiunt. Fuere, vt Cicero tradit, qui & pro deo canem adorarent, legatur Lipsij epistola de canibus supra laudata. QVI NON ER. MAL. HAB. CANEM] De cane Erigones scribit Hyginus lib. 2. Ast. Fuit Erigone filia Icarij, qui Liberum habuit patrem. Icarius canem Meram nomine secum duxit, cum Atticam peragraret. Interfectus à pastoribus, & secundum arborem defossus, aut in puteum coniectus dicitur. Canis Mera, filiam Erigonem, veste dentibus prensâ, perduxit ad cadauer, quo viso puella se mox ibidem suspendit, & Mera canis desiderio dominorum contabuit: quanquam sint, qui canem in puteum desilijsse tradant, ex eoque, cui Anigrus nomen, neminem postea hausisse. Horum casum miseratus Iupiter omnium corpora in cœlo deformauit. Atque Icarium Bootem; Erigonem, Virginem & Astræam; canem autem sua appellatione, & specie caniculam dixit, quæ à Græcis, quod ante maiorem oriatur, προκύων appellatur: cuius ortum Manilius ad vicesimam septimam partem Cancri refert.

Notus Anubis.

At Procyon oriens, cum iam vicesima Cancri,
Septimaque ex vndis pars sese emergit in astra.

Aliter in Arati Phænomenis res explicatur, vbi canis Neæra vocatur. lege Cæsaris Germanici interpretationem. Cæterum vt Neæra, seu Mera prodidit Icarij cædem, ita Pyrrhi regius canis, vt est apud Plutarchum, antequam ad regem veniret, herile cadauer, toto triduo custodierat interfectum, quo sepulto, caneque à rege ascito euenit, vt haud ita multo post Pyrrhus exercitum lustraret, Pyrrho assidebat canis, tacitusque quiescebat. Cum interim interfectores heri, nomina daturi præsto fuerunt. exilijt canis extemplo, vbi eos adesse vidit, magnoque hostes latratu incessens ad Pyrrhum identidem respectabat, vt non illi solum, sed omnibus, qui aderant, suspicionem concitarit ingentem. Correpti igitur & indicijs deprehensi pœnas supplicio dedere. Ælianus lib. 7. cap. 4. Animal. Celebrantur Hesiodi, Poli histrionis, Colophonij, Eupolidis, Alexandri, Atalantæ, Hippomanis, & aliorum canes in heros maxime, fidem & amorem declarantes. N. QVI DICTÆA CEPH. DE GEN.] Hic Sirius est stellarum fulgentissima, vt canit Manilius, infesta corporibus humanis, cuius fabulam habes lib. 2. Astr. in Hygino. Fuerat canis Europæ custos à Ioue datus cumque ea in Cretam, quæ Dictæa appellatur, à monte, peruenerat ad Minoem, qui eam Procridi, à qua curatus est, muneris loco donauit. Procris marito Cephalo mortua reliquit, eam tandem Iupiter inter astra retulit, sidus notissimum: fabulas alij aliter fabulantur, quas ego non moror. LVC. P. V. AD ASTRA DEÆ] Lunæ, quæ eadem Diana, venatrix amica canibus, imo quæ, vt refert Hyginus, hunc canem in fabulis Lælapa, nempe Procridi dedit. QVA DVL. FATA FVE. CANI] Argum Vlyssis canem canit, æterno Homeri carmine celebratum Odyss. lib. 17. Erat apud Eumæum subulcum; versuum initium est.

Ἂν δὲ κύων κεφαλήν τε καὶ οὔατα κείμενος ἦχεν
Ἄργος Ὀδυσσῆος ——

DVLICHIO] Dulichium insula Vlyssi quondam subiecta cum Ithaco monte. Seruius, Mela, alij. FVL. SPV. APRI] quanta vis apri sit, ostendit Xenophon libello de venatione, vbi raro sine canum strage, nonnunquam etiam venatorum, capi aprum dicit. Calydonium vero seu Ætolum, & Erymanthium supra ex Ouidio descripsimus. FATO NOB.] A tam præstanti fera mactata. decus est à forti & magno cæsum cadere. Est inter epigrammata Toscano lecta, Tebaldei Ferrariensis de cane & apro, cuius initium, *Gloria vterque sui generis*, &c. Sed dictum de hac re sæpius.

Ad Pætum.

LXXVII. XL.

Soluere Pæte decem tibi me sestertia cogis:
** Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi.*
Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu, qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

* *Perdiderit.*

SOLVERE] Iratus Pætus se fraudatum pecunia ducentorum millium HS. à Buccone, inuasit reliquos debitores, inter quos Martialis, qui deprecatur alienam culpam sibi nocentem, & rogat lepide à maiore, vt sibi etiam decem M. millia donet. hoc eum posse præstare, minus enim esse decem millia perdere, quam ducenta, at eum ducenta, perdidisse; posse ergo & decem. CCL. philippicos.

id est, quinis millib. philippæorum.

Ad

Ad eundem.

XLI. LXXX.

Ad primum decimâ lapidem † quòd venimus horâ
Arguimur lentæ crimine pigritiæ:
Non est ista via, non est mea, sed tua culpa,
Misisti mulas qui mihi, Pæte, tuas.

† qui.

Pęti mulas tardissimas irridet, vt quæ decem horis vix potuerint mille passus conficere. PRIMVM LAPIDEM] ad prætorium tuum, quod mille passibus abest Roma. milliaria enim columnis lapideis, vt ostendimus supra, signabantur. MVLAS TVAS] debebat videri ea caussa celerius aduenturus fuisse, cum dicit in mora mulas fuisse. Videtur Pætus donasse decem sestertia poetæ, & insuper illum villam suam missis mulis inuitasse.

De Baiis.

LXXXI.

Litus beatæ Veneris aureum, Baiæ.
Baias superbæ blanda dona naturæ
Vt mille laudem, Flacce, versibus Baias:
Laudabo digne non satis tamen Baias.
Sed Martialem malo, Flacce, quam Baias.
*Optare vtrumq; pariter, * improbum votum est:*
Quod si deorum munere hoc tibi detur:
Quid gaudiorum est Martialis & Baiæ?

* improbi.

LITVS BEATÆ VENERIS) Laudarat Flaccus immodice Baias, & non negat Martialis dignas laude; neque pro dignitate vnquam satis laudari posse; malle tamen se Martialem, quam Baias affirmat, hoc est componere epigrammata, & volumen edere, quod Martialis immortale nomen præferat, quam menses & annos, vt multi, in Baiano sinu delitus voluptatibusque deterere, vnaque cum illis deteri & perire. Posis explicare de hortis etiam Iulij Martialis, in quibus si essent etiam aquæ & balnea, locum di. it fore beatum.

OPTARE VTRVMQVE PARITER IMBROBI VOTI EST) Delicias, & sapientiæ diuitias, ac laudis immortalitatem; quia Dij non gratis concedunt laudem & immortalitatem homini, sed laboribus, vt Hesiodus cecinit, omnia vendunt. *Qui cupit optatam cursu contingere metam. Multa tulit fecitq; puer, sudauit & alsit*, ait Venusinus poeta, scabendum caput, rodendi vngues, vigilandum, sudandum, scribendum, Improbi igitur voti est optare otium Baianum, & simul negotium litterarium. Quod si tamen deorum munere, & diuina qu. si virgula tibi mihive detur, quid nobis erit beatius, quibus contingat & Martialis simul & Baiæ. Hoc est, vt sim Martialis auctor & auctior libris meis, clarusque scriptis, & simul otio Baiano beatus. Si ad hortos Martialis respicias; Quid beatius erit si poterimus frui Iulio Martiale simul & Baiis. BEATÆ VEN.] vel propter amœnitatem loci, qui omnes Veneres, & Gratias ad se trahat & inuitet, vel quòd omnium corruptelarum genera ad Baias reperirentur, ibique Venus imperatrix regnum teneret. Nam audi magnum & iuratum huius rei testem Senecam epist. 51. *Ne Baias quidem*, inquit, *Diuersorium vitiorum esse cœperunt. Illic sibi plurimum luxuria permittit: illic tanquam aliqua licentia debeatur loco magis soluitur. Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus.*

BLANDA DONA NATVRÆ] multa super Baiis multis locis à me dicta; his tantum Senecæ dictum pono. *Nos* inquit, *vtrumque possumus, contenti Baiis fuimus: quas postero die, quam attigeram, reliqui: locum ob hoc deuitandum, cum habeat quasdam naturales dotes, quia sibi illũ celebrandum luxuria desumpsit.* Cicero lib. 9. epist. ad famil. videtur contrarium sensisse, nisi de vitiis hominum, non cœli vitio est locutus. *Gratulor*, inquit, *Baiis nostris: si quidem, vt scribis, salubres repente factæ sunt: nisi forte te amant & tibi assentantur, & tandiu, dum tu ades, oblitæ sui. Quod quidem si ita est, minime miror, cœlum etiam, & terras vim suam, si tibi ita conueniat, dimittere.* An de morbo aliquo Dolabellæ dicit hoc, cui cum aliòqui aduersarentur Baiæ, præter morem salutares repente factæ sint? Nusquam alias quod memine-

rim cœlum Baianum reprehendit, cum de vitijs non taceat. Cætera iam explanata sunt, quæ ad intellectum totius epigrammatis pertinent.

De Philostrato.

LXXXIII. XLIII.

A Sinuessanis conuiuia Philostratus vndis
Conductum repetens nocte iubente larem,
Pæne imitatus obit sæuis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit vsque gradus.
Non esset, Nymphæ, tam magna pericula passus
Si potius vestras ille bibisset aquas.

Casum Philostrati non illius Græci, qui vitam condidit Apolonij Magi, sed priuati alicuius, nec admodum diuitis, vt qui conductas habuerit ædes, & sub tecto, cœnacium ritu, habitarit. ASINVESSANIS VNDIS] Sinuessa Colonia Romana, 80 stadiis abest Minturnis, olim Synope dicta. Auctores Plinius & Liuius. Celebrantur aquæ Sinuessanæ à salubritate. *In eadem*, inquit Plinius, *Campania Regione Sinuessanæ aquæ, sterilitatem fœminarum, & insaniam virorum abluere creduntur.* Claudius Imperator apud Tacitum lib. 12. *refouendis viribus mollitie cœli, & salubritate aquarum Sinuessam perrexit.* CONVIVA] ergo potus. quia sequitur. Non esset tanta pericula passus si aquas bibisset. Nox & ebrietas malæ sunt comites aut duces viæ, recte monet Virgilius noctu quiescendum & dormiendum esse:

——& iam nox humida cælo
Præcipitat, suadentq; cadentia sidera somnos.

Iliad. η. Parendum ergo nocti vt docet Homerus:

Νὺξ δ' ἤδη τελέθει, ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι.
Nox agitur cam nunc, nocti parere iuuabit.

IMITATVS ELPENORA] qui ebrius per scalarum gradus casu miserando lapsus, & præceps actus interiit. In Circas Palatio. Ouid. Ibin.

Neue gradus adeas Elpenore cautius altos,
Vimq; feras vini, quo tulit ille modo,

Et hoc ex Homeri Odyss. κ. extrema.

Ἐλπήνωρ δέ τις ἔσκε. &c.

PAENE IMITATVS] idem vtriusque fere casus, vterque ebrius vterque lapsus fregit ceruicem, sed Philostratus ante somnum, Elpenor mane post somnum. Homerus Odyss.

Ἐλπήνωρ δέ τις ἔσκε νεώτατος, οὐδέ τι λίην
Ἄλκιμος ἐν πολέμῳ, οὔτε φρεσὶν ᾗσιν ἀρηρώς,
Ὅς μοι ἄνευθ' ἑτάρων ἱεροῖς ἐν δώμασι Κίρκης
Ψύχεος ἱμείρων κατελέξατο οἰνοβαρείων
Κινυμένων δ' ἑτάρων ὅμαδον καὶ δοῦπον ἀκούσας
Ἐξαπίνης ἀνόρουσε, καὶ ἐκλάθετο φρεσὶν ᾗσιν
Ἄψορρον καταβῆναι ἰὼν ἐς κλίμακα μακρὴν,
Ἀλλὰ καταντικρὺ τέγεος πέσεν, ἐκ δέ οἱ αὐχὴν
Ἀστραγάλων ἐάγη, ψυχὴ δ' Ἄϊδόσδε κατῆλθε.

Qui per gradus ascendunt aduersi, auersi descendunt; qui radios scalarum; ascendunt & descendunt aduersi, quod oblitus Elpenor è tecto deuolutus est.

NON ESSET, NYMPHÆ] Nymphas aquas vocat, vt supra fontem Hiantidis. Philostratus non esset lapsus, si sobrius rediisset. Nymphæ quintus casus est.

Ad

Ad Sosibianum.

XLIV. LXXXIV.

Nemo habitat gratis nisi diues, & orbus apud te,
Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

In captatorem & vulturem est hoc distichon, quo nouam captandi artem prodit. NEMO GRATIS NEMO PLVRIS] Senes & orbos, & simul pecuniosos excipiebat hospitio, vt scriberetur hæres. Ita hospitum locabat gratis in præsens, pro totis testamentis & hæreditatibus, quas in futurum exspectabat. Plinius lib.14. de his captatoribus. *Postquam cœpere orbitas in auctoritate summa & potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo*, & e Et iunior ep.30.lib.9. Laudas mihi & frequenter & præsens, & nunc per epistolas, Nonium tuum, quod sit liberalis in quosdam: & ipse laudo si tamen non in nos solos. Volo enim eum qui sit vere liberalis, tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis; sed amicis dico pauperibus; non vt isti qui iis potissimum donant, qui donare maxime possunt. Hos ego viscatis hamatisque muneribus, non sua promere puto, sed aliena corripere: & quæ sequuntur.

A contrario arguitur. orb⁹ ἄπαις id est, sine liberis

Ad Antiochum Tonsorem.

XLV. LXXXV.

Qui nondum Stygias descendere quærit ad vndas:
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
Alba minus sæuis lacerantur brachia cultris;
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas,
Tractaque fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoica menta,
Collaque puluerea nudet equina iuba.
Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat:
*Carnificem nudo pectore *pascat auem.*
Ad matrem fugiet Pentheus, ad menadas Orpheus;
Antiochi tantum barbara tela sonent.
*Hæc quæcunq; meo *numerasti stigmata mento,*
*In vetuli *picta qualia fronte sedent.*
Non iracundis fecit grauis vnguibus vxor:
Antiochi ferrum est, & scelerata manus.
Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor:
Barbatus viuit, ne ferat Antiochum.

**pascat: præbere: mallet enim Prometheus aquilæ cor præbere aut iecur assidue pascendum quam se permittere Antiocho tondendum. De Prom. lib spect. ep. 7 *numeratis. *Pyctæ. & hos bene. Pyctes pugil.*

Antiochum tonsorem imperitum & barbarum describit, vt Lucilius εἰς κουρέας 2. Anthol. Ἄρες ἄρες βροτολοιγέ, &c.

Lucianus di... Syria. Seneca apud D. Augu. lib. de Ciuit. Dei 6.c.10. Seneca in Agamemnone & lib. de beata vita, cap 27. Supra Sextus Lampridius in eadem re.

ALBA MINVS SÆVIS LACERANTVR BRACHIA CVLTRIS] Deæ Cybeles, & Deæ Syriæ, seu Isidis sacerdotes prope eadem sacra, cæremonias, ritus habebant, & ipsa Dea vna. Illi Coribantes, hi Galli dicebantur, illi semiuiri, & hi quoque non viri. lege, quæ ad 8. Met. Apulei notat Beroaldus pag.254.& 255. Bracchia autem & musculos Isidis sacerdotes lacerabant, vt scribit his verbis Apuleius 8. *Et nonnunquam morsibus suos incursantes musculos, ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant sua quisque bracchia dissecat.* Et mox infra: *Cerneres prosectu gladiorum ictuque flagrorum solum spurcitie sanguinis effeminatum madescere.* AD PHRYGIOS MODOS] ad æra Corybantia & vlulatus, quos supra sæpe attigimus, & Catullus egregie depingit in Atty. ENTHEA TVRBA) furore correpta, ἔνθεος alioqui Deo plenus. Latini fanaticos, diuinos, limphaticos, furore sacro, velut enthusiasmo correptos

Alconis meminit Ausonius ep. 72. & 73. & Plinius.

teptos vocant. ALCON SECAT ENTEROCELAS] Alcon Chirurgus, ἐντεροκήλας herniæ genus est, de quo dictum lib. 10. epig. 56. ad versum illum:

Enterocelarum fertur Podalirius Hermes.

TONDEAT] barbati Cynici, Stoicique, equi item, & Promethei Antiocho tondeantur, à me manum abstineat. De Cynicorum barba supra lib. 4.

Cum baculo peraq; senem: cui cana putrisq;
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.

TONDEAT] Hoc distichum in loco motum, videtur ante vltimum reponendum.

AD MATREM FVGIET PENTHEVS] à qua, Agaue nempe, dilaniatus est, lege 3. Metam. Ouid.

Prima suum misso violauit Penthea Tyrso
Mater ———

AD MÆNADAS ORPHEVS] à quibus Bacchi sacra celebrantibus discerptus est. Quas maximè Pentheus & Orpheus fugerent, si viuerent, ad illas tamen potius confugerent, si essent ab Antiocho tondendi. habitum Mænadum describit Ouid. Met. 6. mortem Orphei 10. ipso statim initio. PICTA FRONTE] rugosa & sulcata: sic enim pinguntur caperatæ senum frontes, malim tamen, *Pyctæ* pugilis cicatricibus deformi fronte.

In Parthenopæum.

LXXXVII. XLVI

Leniat vt fauces medicus, quas aspera vexat,
Assidue tussis, Parthenopæe, tibi:
Mella dari nucleosq; iubet, dulcesq; placentas,
Et quidquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus;
Non est hæc tussis, Parthenopæe, gula est.

LENIAT] tussi gulosa laborabat Parthenopæus, à pistore dulciario curandus. PVEROS TRVCES] quicquid pueros iratos, dulces & blandos reddit, vt mella, melimela, ficus, placentæ, &c. GVLA EST) magnus, Hercle, sed puerorum morbus. de tussi curanda medici & Q. Serenus.

Interdum fauces tussi quatiuntur atroci, &c.

Epitaphium Canaces.

XCII.

* *Æolidis.*

* *Ha ha.*

* *Æolidon Canace iacet hoc tumulata sepulcro,*
Vltima cui parua septima venit hyems.
* *Ah scelus, ah facinus, properas quid flere viator?*
Non licet hîc vitæ de breuitate queri.
Tristius est letho lethi genus: horrida vultus
Abstulit, & tenero sedit in ore lues:
Ipsaq; crudeles ederunt oscula morbi,
Nec data sunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant alia fata venire via.
Sed mors vocis iter properauit cludere blandæ.
Ne posset duras flectere voce Deas.

Puellæ septennis immaturum deplorat fatum, & fato tristius morbi genus. AEOLIDOS) triplicem hic scripturam lego *AEolidos, AEolidon, AEolis seu Canaces*: nullam non veram putes Aeolidos,

dos; Insulæ ab Aeolo dictæ? Aeolidon, secundus casus multitudinis Græcus Pro Aeolidarum, Aeoli filij filiæque. *Aeolis heu Canace*, plus cæteris arridet, quia planior. Fuit Aeoli filia. De qua Ouidius epist.11. Heroidum, iussa mori à patre Aeolo propter incestum cum fratre commissum. Hic Romanam aliquam puellam, aut propter venustatem Nymphæ geminam, aut natam in Aeolia dignatur hoc nomine. NON LICET HIC VITÆ DE BREVITATE QVERI] ah hospes, quid fles mortem quamuis festinatam? nihil habet mali mors, si genus morbi inspicias, rem indignam proclamabis. LVES] hanc lib.1.epig.79. ad illum versum descripsimus.

Indignas premeret pestis cum tabida fauces,
Inq; ipsos vultus serperet atra lues.

Videtur cancer morbus fuisse mentagra.

EDERVNT] hoc cancri ingenium, vt serpat & corrumpat omnia. de quo Celsus lib.6.c.15. ATIA VIA] ne vocem intercluderent, quæ tam dulcis erat, vt ipsas, quamuis inexorabiles Parcas, exorare potuerit, quod vt ne fieret, interclusit inuida mors ipsas fauces, ne sibi è faucibus eriperetur elegans acumen, quod in Orlandi Lassi epitaphium transferas.

In Zoilum.

XLVII. CXIII.

*Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, * dixit.*
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

* dixit.

MENTITVR] excusaturo similis magis accusat, minus negat, & maius affirmat synecdochicè.

De Theodoro.

XLVIII. CXIV.

Pierios vatis Theodori flamma Penates
Abstulit. hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O scelus, ô magnum facinus, crimenq; deorum,
Non arsit pariter quod domus & dominus.

Dolere primum casum Theodori simulat, deinde grauiorem imprecatur. DOMVS ET DOMINVS] Theodorus vna cum domo vrendus erat. An erat Grammaticus, à quo Theodoreorum secta?

In Germanum.

XLIX. XCVII.

Martia, non Rhenus salit hîc, Germane. quid obstas,
Et puerum prohibes diuitis imbre lacus?
Barbare non debet, submoto ciue ministro,
Captiuam victrix vnda leuare sitim.

Queritur à Germano bibi Martiam aquam in ædes deductam in vrbe, vrbano ciue repulso, cum puer Romanus inde cuperet haurire, palpatque Romanos, & Cæsarem, sed frusta. Non debet vnda victrix leuare sitim captiuam reiecto, repulsoque, ciue ministro aquæ Martiæ; à Romanis enim in vrbem inducta est, vt alibi docuimus. & Plinius lib.31. cap.3. tradit Ancum Marcium, Marcium Regem, M. Agrippam auctores aquæ Marciæ in vrbem diuersis temporibus deriuatæ.

Ad Sophronium.

CIV L.

Tanta tibi est animi probitas orisq; Sophroni,
Vt mirer fieri te potuisse patrem.

TANTA TIBI EST] Sophronium similiorem vultu & pudore fœminæ, quam viro, miratur ducta vxore factum virum & patrem. aptum quoque nomen finxit ad virtutem & continentiam, nisi omnia ἀντιφραστικῶς quod non existimo. In voce *Sophronius* non spectauit originationem Græcam, sed accentum Latinum.

Ad Garricum

CVI. LI.

Mittebas libram: quadrantem, Garrice, mittis.
Saltem semissem, Garrice, solue mihi.

MITTEBAS] supra dixerat beneficia aut crescere aut saltem stare debere. Hinc dicit iam solue, quasi deberet, semissum siue selibram seu duos quadrantes, cum antea donaris libram solidam, per semissem decuisset te descendere ad quadrantem, vt de Posthumiano lib. 8. dixerat.

Ad Maximum

CVII. LII.

Albi Maxime, si vacabit hora,*
Hoc tantum lege: namq; & occupatus
Et non es nimium laboriosus.
Transis hos quoque quatuor: sapisti.

*Vacas horæ al. habe-ri.

ALBI] inertiam Albij Maximi carpit, qui vix quatuor versus legat sine labore. TRANSIS HOS QVOQVE QVATVOR? SAPISTI] quid sapisti? si legisses, Albi, tuam pigritiam notatam animaduertisses.

Ad Septitianum.

CVIII. LIII.

Explicitum nobis vsque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septitiane, refers.
Omnia legisti: credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

EXPLICITVM] Volumen Septitianus Martiali euolutum remiserat, perinde quasi totum legisset, quod tamen euoluerat tantum, non legerat. olim enim libri in orbem perpetua charta colligebantur, ita vt à fine inciperent, qui in volumine medius erat, & intimus, vt vmbilicus in corpore. Hinc volumen dictum, & euoluere implicitum. Explicitum ergo volumen est ita euolutum, vt vmbilicus, & extremus margo appareat. qui eleganter vmbilicis ex cornu factis, aliisque ornamentis poliebatur. hoc loco explicitum significat tantum apertum, explicatum ad extremam oram, rursumque à fine ad primam oram collectum. PERLEGI] vidi tantum & explicui rursumque inuolui. Dicebant, vt opinor, ab hac forma explicandi: Explicit liber, hoc est, finit, seu finitur liber. Apud Phædrum. Phædri Aug. Lib. lib. primus explicit. Ita apud Placidum Luctatium, & alios, sed an vox latini sit, vel sequioris & barbari sæculi, parum constat, & Grammatici tacent.

Ad

Ad Lectorem.

LIV. CIX.

Quamuis tam longo poßis satur esse libello.
Lector, adhuc a me disticha pauca petis.
Sed Lupus vsuram, puerique diaria poscunt
Lector, solue: taces, dißimulasque? Vale.

Fingit lectorem plura petere Epigrammata, cui Poeta, solue laborem scribendi, plura scribam. mihi alendi serui. reddendum fœnus, taces? nec ego verbum amplius addo. DIARIA] sunt demensa & cibaria seruorum, quæ paterfamilias pro cuiusque serui conditione erogabat. Diaria præterea vocantur erogationes annonarum, quas B. Cyprianus Sportulas, Iulianus antecessor, salaria appellauit. Exponit hæc fuse Guiacius ad Nouellam VI. de Episcopis & Clericis. & Nouellam LVII. de subrogatis Clericis. Horatius epist. 1. Diaria seruorum memorat.

Cum seruis vrbana diaria rodere mauis.

Ad quem versum plura interpretes.

MATTHÆI RADERI
AD
M. VAL. MARTIALIS
LIBRVM DVODECIMVM
COMMENTARIVS.

Valerius Martialis Prisco suo salutem.

*Scio me patrocinium debere contumacissimæ triennij desidiæ: qua absoluenda non esset inter illas quoque occupationes vrbicas, quibus facilius consequimur, vt molesti potius, quam officiosi esse videamur nedum in hac prouinciali solitudine, vbi nisi etiam intemperanter † studeamus & sine solatio & sine excusatione secessimus. Accipe ergo rationem in qua hoc maximum & primum est, quod ciuitatis aures, quibus adsueuerā, quæro, & videor mihi in alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis, quod placeat, dictauit auditor. Illam iudiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, † conuentus, in quibus studere se, voluptates nō sentiunt: ad summam omnium, * ea, quæ † delicate reliquimus, quasi destituti desideramus. Accedit his municipalium rubigo dentium, & * iudicij loco liuor, & vnus aut alter mali, in pusillo loco multi: aduersus quos difficile est habere quotidie bonum stomachum. Ne mireris igitur abiecta ab indignante, quæ à gestiente fieri solebant. Ne quid tamen & aduenienti tibi ab vrbe, & exigenti negarem, cui non refero gratiam si tantum ea præsto, quæ possim, imperabo mihi, † cui indulgere * consueuerā, & † statui paucissimis diebus, vt familiarissimas mihi aures tuas exciperem aduentoria sua. Tu velim, ista, quæ tantum apud te non periclitantur, diligenter æstimare & excutere non graueris; & quod tibi difficillimum est, de nugis nostris iudices nitore seposito, ne Romam si ita decreueris, non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum.*

† *studemus.*
† *conuictus.*
* *illud quod.*
† *delicati.*
* *iudicis.*
† *V. quod.*
* *V. consuetam.*
† *V. studui.*

SCIO ME PATROCINIVM] In pat iam reuersus Poeta cessauit toto triennio. Prisco vero Terentio venienti ex vrbe Bilbilim, & Epigrammata exigenti scripsit hunc 12. & dedicauit, in qua dedicatione silentij caussas aperit. Non fuit hic Terentius Priscus idem cum A. Cornelio Palma vt non nemo existimauit. Priscos enim & Palmas Fasti planissime diuersos docent, qui non à quouis temere sunt emendandi cum Latini & Græci conueniunt, quamuis infra ep. 11. scribat de Palma præside. Nusquam tamen Palma, vel Priscus vel Terentius est indigitatus sed A. Cornelius Palma. Priscus ergo Terentius plane alius est à Palma; hunc illum putant Priscum cui Plinius epistolas aliquot inscripsit, quem Catanæus arbitratur appellatum Neratium Priscum; quo loco & de Iulio Prisco & Statio Prisco disputat, Terentium præterit, qui tamen fuisse potuit, an fuerit nō diuino. Quæritur an vterque Celtiberis cum imperio pro consulari præfuerit? De Palma certum est: Priscus videtur præfuisse sed non simul. Priscus si rexit Celtiberos Palmæ successit, qui Palma primo Traiani anno cum Senecione consulatum gessit, post quem videtur in Hispaniam missus, de quo plura suo loco infra ex Dione. Priscus antea præfuit Siciliæ vt Martialis docet lib. 8. ep. 45. Videtur Martialis eo ipso anno quo Terentius Priscus in Hispania fuit decessisse, hoc est, quarto anno à discessu ex vrbe, si modo epistola Plinij 21. li. 3. ad hunc Priscum est, vulgo Cornelio Prisco inscripta, sed nec in editione Catanæi, nec Claudij Minois hanc inscriptionem præfert, cum legitur C. PLINIVS PRISCO SVO S. nec Terentius nec Cornelius additur, quem Cornelium fuisse reor illum A. Cornelium Priscum qui cum Sexto Pompeio Collega consulatum gessit A. C. X C V. Domitiani XII. Additum ergo à posteris Prisco Cornelij nomen apud Plinium ex coniectura, quæ nunquam certa est. Cornelius autem Priscus & Terentius Priscus diuersi fuere. Hoc addo. Si Martialis primo Traiani anno, vt prope certum est, in Hispaniam rediit, & quarto eiusdem extinctus est, vixit annos LX. cum primo Claudij anno putetur quibusdam natus, qui fuit Christi XLIII. Traiani vero quartus. Nam lib. 10. ep. 24. narrat se quinquagesimum septimum agere, & eod. lib. ep. 104. quatuor & triginta Romæ vixisse. Venit ergo Romam cum ageret tertium & vicesimum: Christi 66. Neronis decimo. quibus adde triginta quatuor, existent quinquaginta septem. transegit tres postremos in Hispania, sunt ergo sexaginta solidi; sed attigit sexagesimum primum, triennium enim exactum in hac ipsa ad Priscum epistola

stola Martialis declarat, cum se patrocinium triennij contumacissimæ desidiæ debere affirmat. Obiit ergo A.C.104. Traiani 5. Sed hæc omnia non sunt ex cortina vel aheno Delphico, cum de morte Martialis annus certus cognosci non possit. Quod enim ex Plinij epistol.21.lib.3 id euincere conantur nonnulli, infirmum est, primum quod de anno epistolæ datæ non constet: deinde, dubium est cui Prisco, an Terentio, an Cornelio, an Neratio, an Statio, an Iulio sit inscripta; postremo de loco non conuenit an Plinius Romæ scripserit in Hispaniam, an ex Bithynia Romam, quinto enim anno Traiani Plinius Romæ non fuit sed proconsul Bithyniam procurauit, vt videatur ex Bithynia Romam scripsisse. Nihil ergo signate de morte, & quot annos post triennium in Hispania transactum prouixerit, doceri potest. SCIO ME) defendendum est mihi silentium triennale, quo intermisi compositionem. Quod in vrbe, quamuis occupatus, vix tamen excusarem, multo minus in secessu & otio hoc prouinciali excusare posse videor. QVIBVS FACILIVS) officiis vrbicis, quamuis molestis, hoc tantum videmur assecuti, vt molesti potius diuitibus, quam officiosi putaremur. CIVITATIS AVRES) cultas, eruditas, raras, vrbanas, quales non inueni Bilbili. DICTAVIT AVDITOR] Ingeniosus & dicax & argutus, qualis Romæ in Theatro, aula, foro, &c. Ou.d.

Excitat auditor studium laudataq; virtus
Crescit. & immensum gloria calcar habet.

RVBIGO MVNICIPALIVM) Bilbilitanorum Poetarum liuor & inuidia, qui carpunt mea scripta, vt barbari, cum Latini & Romani amarunt & laudarunt. An, vt nullus Propheta gratus in patria, sic nullus etiam Poeta? Nempe vt ἐπήλυδες καὶ ἀλλότριοι, & delitiæ exoticæ, & vestes peregrinæ plus amantur & laudantur domi natis, & domesticis; Ita scriptores & scriptorum labores patrij, alienis post haberi solent. Municipes fuere M. Vnicus poeta & nostro cognatus, Licinianus item Bilbilitanus, sed qui dentes in Martialem exeruerint, aut genuinum fregerint non constat. hos duos poeta amauit. AGBSTIENIE] nam:

Carmina proueniunt animo deducta sereno.

SI TANTVM EA PRAESTO QVÆ POSSIM] erga quem non declaro gratum animum, cum scribo tantum, cum lubet & possum scribere, sed tum, cum videor non posse, cum alienus abhorret animus. IMPERABO) extorquebo à me nolente volente. ADVENTORIA SVA) Epistolam aduentoriam intelligunt Calderinus, Rhodiginus lib. 28. & alij, quæ aduenienti amico occurrit. Ego cum Turnebo lib.30.c.26. non epistolam, sed librum hunc 12. accipio. Quid enim? statuit paucissimis diebus epistolam conscribere? nihil opus diebus, quod vna hora fieri potest. De libro igitur, vt de aduentoria cœna loquitur, qua excipimus amicos peregre redeuntes, aut post longam temporis intercapedinem ad nos reuisentes. Apuleius aduentores appellat, qui in cauponas diuertunt lib.1. Milef. *Et nunc senex ille*, inquit, *dolium innatans vini sui aduentores pristinos in fece submissus officiosis ronchis appellat*. Plautus eandem vocem adhibet in Truculento *si æquum facias, ad aduentores meos non incuses*. Hospites autem aduentitia exceptos nulli ignotum. Et Poeta se ipsum interpretatur, cum subiungit *Tu velim ista* (epigrammata profecto) *excutere non graueris*. APVD TE TANTVM NON PERICLITANTVR] qui me sic amas, vt omnia mea, digna putes luce, qui sine liuore solus mea iudicas. NITORE SEPOSITO] non sequar Domitium, qui nitorem refert ad elegantiam & expolitionem doctrinæ, quam nolit exigi à Prisco in censura, sed barbarum & rudem mittat in vrbem Atqui ad hoc non opus erat censura; cur Poeta iubet, vt æstimet, excutiat, iudicet; an vt barbarior, hoc est, non Hispaniensis, sed plane Hispanus, plane rudis & barbarus mittatur; à ratione æl enim prorsus sit ita ratiocinari & barbarum. Nitorem ergo refero ad elegantiam & humanitatem, quam Priscus ad carmina Martialis adferre solebat, ex quo iudicium amicum, non seuerum aut triste liuidumque de scriptis Poetæ ferebat, quod supra Poeta insinuauit, cum dixit apud solum Priscum *sua carmina non periclitari*. Rogat Poeta Priscum, vt seposito nitore, beneuolentia, amicitiaque & humanitate, iudicem & Aristarchum agat, seuereque iudicet, excutiat, æstimet, ne Romam mittat librum Hispaniensem, quod forte sit ferendum, si sapiat aliquid Hispanum in Hispania scriptus; vt Ouid de suo lib. 3. Trist. epist. 1. sed prorsus Hispanum, incultum, rudem, barbarum. Hanc esse mentem Poetæ lector ipse iudicabit si epistolium curatius perpenderit, Fauore deposito dixit Seneca epist.99. eod. sensu. Siue alios obseruare volueris [liberius enim inter aliena iudicium est.] siue teipsum fauore deposito.

> Lege plura apud Heral. de hac aduentoria cœna.

Ad Priscum.

I.

Retia dum cessant, latratoresq; Molossi,
Et non inuento silua quiescit apro,
Otia, Prisce, breui poteris donare libello.
Hora nec æstiua est, nec tibi tota perit.

RETIA

RETIA DVM CESSANT] Librum Prisco offert opportune legendum. RETIA DVM CESSANT] dum venandi nulla occasio, poteris mihi horam breuiorem dare, ne tota pereat otio, sed meis carminibus legendis aliquid proficias; nullus enim liber tam malus, quin aliquid boni. MOLOSSI] canes à populis, vnde mittebantur, dicti. HORA NEC ÆSTIVA EST] Horæ æstiuæ longiores; quod veteres diem æque æstiuam, ac hibernam in duodenas horas partirentur, vnde sequebatur, vt necessario horæ æstiuæ multo productiores hibernis, cum sol, e.g. apud nos etiam, solstitio, quarta matutina, quæ prima erat priscis, oriatur; octaua vespertina occidat: brumâ vero octaua matutina appareat, quarta pomeridiana recedat. Ita apud nos æstiua hora duplo longior esset hibernâ, si veterum more diem tribueremus, solemque orientem & occasum putaremus à prima & extrema luce. Priscus tamen non summa hyeme venisse videtur, sed adulta, vel autumno extremo; eo enim anni tempore non est puluerulenta via. aprorum autem in bruma venatio est.

Ad sua carmina.

II.

Quæ modò littoreos ibatis Carmina Pyrgos:
*Ite * sacra, iam non puluerulenta via est.*

* sita, id est, solida firma non placet.

QVÆ MODO] ex Vrbe quondam misi carmina Pyrgos, inde in orbem diuidenda. nunc ex orbe mitto in vrbem. PYRGOS] oppidum Tusciæ, vbi nunc D. Marinellæ ædes est. Triginta inde stadia, Strabone auctore, emporium erat Ceretanorum, iuxta Erim flumen; quod ibi in mare exoneratur. Virgilius Pyrgos veteres appellat.

Et Pyrgi veteres intempestæq; Grauiscæ.

Rutilius: *Alsia prælegitur tellus Pyrgiq; recedunt, &c.*

Antonius locum hunc Purganum appellat. Plinius, Ptolemæus, Cato. Pyrgos. Sunt autem inter Grauiscas & Pyrgos CLXXX. stadia, id est, quinque milliaria nostratia & sesqui mille passus. Plura docebit hoc loco Leander in Tuscia. ITE SACRA] via, quæ intra vrbem est, & ducit ad palatium. Victor ponit eam in 3. reg. vbi & suburæ caput; dicta sacra, quod augures per eam profecti solerent quotmensibus inaugurare, vt Varro opinatur; Sex. Pompeius à fœdere ibi icto inter Romulum & Tatium appellatam putat. lege Marlianum lib. 3. cap. 26. An sacra illa via est etiam in Hispania, sicut sacrum promontorium quod ex media Hispania prosilit? Plinius lib 4. cap. 24. IAM NON PVLVERVLENTA VIA EST] quia cœlum humidum & pluuium, vt ex epig. superiore didicisti. Videtur initium sequentis epigrammatis hoc distichon.

Ad Librum suum.

III.

Ad populos mitti qui nuper ab vrbe solebas,
*Ibis * tu Romam nunc peregrine liber,*
Auriferi de gente Tagi, tetriciq; Salonis,
Dat patrios manes quæ mihi terra potens.
Non tamen hospes eris, nec iam potes aduena dici
*Cuius habet fratres tot domus * alta Remi.*
Iure tuo veneranda noui pete limina templi,
Reddita Pierio sunt vbi templa choro.
Vel, si malueris, prima gradiere Subura:
Atria sunt illic consulis alta mei,
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
*Clarus * Hianteæ Stella sititor aquæ.*
Fons vbi Castalius vitreo torrente superbit,
Vnde nouem dominas sæpe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribusq; equitique legendum,
Nec nimium siccis perleget ipse genis.

* io,

* una

* Ianteæ.

Quid

Quid titulum poscis? versus duo tresue legantur,
Clamabunt omnes te, liber, esse meum.

AD POPVLOS] Mittit librum in Vrbem, vnde ante emiserat, ad Stellam Consulem & Poetam, Poetæ amicissimum. AVRIFERI DE GENTE TAGI TETRICIQVE SALONIS] ex Hispania, vbi Tagus & Salo flumina. PATRIOS MANES] vbi parentum cineres conditi sunt, quæ patria mea est. NON TAMEN HOSPES ERIS] nempe cuius auctor supra quatuor & triginta annos Romæ vixerit, & ibidem multos Epigrammatum libros vulgarit. IVRE TVO VENERANDA NOVI PETE LIMINA TEMPLI] Adi templum Apollinis in ea parte palatij excitatum ab Augusto, qua fulmine ictam domum Palatinam Aruspices responderunt desiderari templum Apollinis. In hoc templo senior Augustus sæpe senatum habuit. In eodem dependebant lychni instar arboris mala ferentis, vbi probati Poetæ scripta sua reponebant. Horatius art. Poet.

Scripta Palatini quæcunque recepit Apollo.

Immo ausim referre ad Traianum, de quo Dio dicit etiam. Κατεσκεύασε δὲ καὶ βιβλίων ἀποθήκας. Marlianus lib. 3. cap. 4. FRATRES TOT] vndecim libros epigrammatum, duos distichorum, vnum spectaculorum; habet ergo hic duodecimus, quatuordecim fratres, ipse decimus quintus. Nihil ergo docet, qui ex hoc loco conatur docere Priapeia esse Martialis. Cæterum fratres appellauit Ouidius quoque 1. Trist. el. 1.

Aspicies illic positos ex ordine fratres.

Ita libri eiusdem auctoris se mutuo vocant fratres, vt auctor eosdem, suos fœtus, sua viscera, & suos natos infaustos Oedipodas & Telegonas. Catullus ad Mallium:

Nec potis est dulces Musarum expromere fœtus

Ouid. 1. Trist. 6. el. *Imposui rapidis viscera nostra rogis.*

Id. El. 1. Tr. *Oedipodas facito, Telegonasq; voces.*

Parentes autem frequenter. Martialis lib. 10. ep. 104.

Qui pigrum faciant tuum parentem

Ouid. Tr. 1. el. 1. *——si qua est tibi cura parentis* Et alibi frequenter.

REDDITA PIERIO SVNT VBI TEMPLA DEO] Nerua Imperator & Poeta, Poetas amauit, eisque templum Apollinis instauratum restituit. Fuit & Bibliotheca in atrio libertatis à Pollione primum, Plinio auctore, publica. Crediderim tamen hic de Palatino agi templo, ad quod mitit Ouidius lib. 3. de Trist. ex ponto suas lacrimas.

Inde tenore pari gradibus sublimia celsis
Ducor ad intonsi candida templa Dei.
Signa peregrinis vbi sunt alterna columnis,
Belides, & stricto barbarus ense pater.
Quæq; viri docti veteres fecere nouique
Pectore lecturis inspicienda patent.

Fuit & altera Bibliotheca, quam liberariam dixerunt, ad theatrum Marcelli, ab Octauia matre excitata, quam ab Ouidio signari puto [quanquam interpretes aliouorsum tendunt] cum dicit epist. 1. lib. 3. Trist.

Altera templa peto vicino iuncta theatro,
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis
Atria Libertas tangere passa sua est.

Templum Iunonis in hac etiam porticu ponit Plinius. Vox tamen *libertas* videtur Pollionis Bibliothecam insinuare. VEL SI MALVERIS PRIMA GRADIERE SVBVRA] ad Consulem Stellam in prima subura, hoc est, aditu Suburæ habitantem. Incipiebat à foro Romano, desinebat ad initium viæ Prænestinæ, Marlianus lib 5 cap. 17. P. Victor Suburæ caput ponit in 3. Regione. CONSVLIS] cui consulatum supra vouerat poeta lib. 9. epig. 43.

Bis senos cito me rogante fasces
Det Stellæ bonus, annuatq; Cæsar.

De consulatu etiam Papinius in epithal. Stellæ. CLARVS HIANTHEÆ STELLA SITITOR AQVÆ] arridet hæc scriptura, vt legam sititor, non petitor. Clarum Poetam fuisse constat ex lib. 5. Martialis, Sidonio, aliis: lege superiora. FONS VBI], hoc lib. 7. epig. 49.

Fons Dominæ, Regina loci quo gaudet Ianthis,
Gloria conspicuæ deliciumq; domus.

Clarius & fusius hunc exposuimus lib. 6. epig. 47.

Nympha mei Stellæ——

TITVLVM] Martialem; quem sine nomine & titulo, statim agnoscet lector.

Ad

Ad Priscum.

IV.

Quod Flacco, Varioq; fuit, summoq; Maroni
Mæcenas atauis regibus ortus eques:
Gentibus & populis hoc te mihi, Prisce Tereti,
Fama fuisse loquax, chartaq; dicet anus.
Tu facis ingenium, tu, si quid posse videmur,
Tu das ingenuæ † munera pigritiæ.

† ius mihi.

QVOD FLACCO] Priscum ait suum Mœcenatem dignum æterno præconio immortalitatis, eius simul virtutes prædicat. Nam disticha tria postrema infra in 6. epig. de Nerua. *Macte animi*, huc pertinent. quod recte notauit Turnebus lib 30. cap. 26. FLACCO] Horatium & Virgilium nosti. Varium ex Gyraldo de hist. poetica cognosces. Nos lib. 8. epig. 18.

Et Vario cessit Romani laude Cothurni,

MOECENAS] alludit Horatij versum: *Mæcenas atauis edite Regibus.* CHARTA ANVS] Catullus famam anum dixit epig. de Gallo.

Verum id non impune feres: nam te omnia sæcla,
Noscent, & qui sis fama loquetur anus.

Interpretes Horatij consule & Virg. ad 1. Georg. v. 2. vbi multa de Mæcenate noster Pontanus.

MACTE ANIMI] sensus ex compositione intelligitur. MACTE] cumulate, aucte, beate animi, quem animum rarus habet, aut vix vllus Romæ MORVMQVE TVORVM] itera macte, macte morum tuorum, ornatissime Prisce optimis moribus, quibus credibile est fuisse Numam & Catonem. LARGIRI] nunc quidem licet omnibus impune per pios Cæsares etiam in alios esse benignum & officiosum, paupertatemque malignam pellere: hoc enim est breues census extendere, curtam nempe supellectilem augere & amplificare, quod vix Dij faciant, si roges. SED TV] Iam omnibus licet esse bonis, tu etiam tunc fuisti optimus, cum tempora essent pessima. MVNERA PIGRITIÆ] fuit ergo liberalis in Poetam Priscus & senem aluit: de qua la de Seneca ep. 74. Confitebitur ergo, multum se debere ei, cuius administratione ac prudentia contingit illi pingue otium, & arbitrium sui temporis, & imperturbata publicis occupationibus quies.

Ad Cæsarem.

V

Longior vndecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est & breue rasit opus.
Plura legant vacui quibus otia tuta dedisti:
Hæc lege tu Cæsar, forsan & illa leges.

LONGIOR] emendatum à se decimum & vndecimum ait, contractumque in pauciora epigrammata commendat Cæsari. Emendationis caussa potuit fuisse mors Domitiani, quod decimum & vndecimum sub Domitiano videatur vulgasse, sed mox subsecutam esse cædem Domitiani, in cuius laudem multa, de more principem adulando, composuerat; Illa ergo adulatoria quia apud optimates magnam inuidiam erant habitura, induxit, & vtrumque librum antequam latius spargeretur emendatum (adiectis ad nouos principes Neruam inquam imperatorem, & Traianum adoptatum) reuocatis prioribus, in manus hominum dedit. BREVE RASIT OPVS] Ita lego. rasit, emendauit nempe, & emendando multa erasit. OTIA TVTA] nemo enim imperante tyranno Domitiano tutus erat, vt ex Tiraquello & Xiphilino cognoscis.

In commendationem Neruæ.

VI.

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerua: licet toto nunc Helicone frui.
Recta fides, hilaris clementia, cauta potestas
Iam redeunt: longi terga dedere metus.

Hoc

Hoc populi, gentesque tuæ, pia Roma, precantur.
Dux tibi sit semper talis, & iste diu,
*Macte animi, quem rarus * habet, morumq; tuorum,*
Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, præstare, breues extendere census,
Et dare, quæ faciles vix tribuere Dei,
Nunc licet, & fas est. sed tu sub principe duro,
Temporibusque malis ausus es esse bonus.

* *habes.*

Hilaris Cato Nerua fuit cætera similis Catoni nisi quod non fuerit tam tetricus & seuerus.

An hæc ad Neruam Traianum referenda? nam alter iam erat mortuus, cum hæc poëta scriberet in Hispaniâ: An celebrauit Neruam in gratiam Traiani? de quo mox infra: Carmina in vtrumque conueniunt. CONTIGIT] Imperator creatus est Nerua, cuius ex historicis iam supra mite ingenium laudauimus. LICET TOTO] licet bonos impune iam laudare, licet iam liberius scribere & loqui, quod tuæ principis aures adulatoribus & delatoribus sint clausæ. Vel. Iam sine adulationis suspicione licet totum ingenium in laudes Principis effundere, qui tamen laudari, pro dignitate satis poterit nunquam. Eutropius in breuiario suo. *Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, vt vel assentantibus, vel vere laudantibus occasionem magnificentissimi præstet exempli.* PIA ROMA] orbis terrarum tibi, Roma, talem semper optat principem. QVEM RARVS HABET] O te felicem & ter beatum principem, qui tali sis animo qualem rarus imo vix vllus priorum Cæsarum, præter Titum delicias mundi, habuit. Tyrannus fuit Cæsar & Remp. liberam oppressit; adulter felix Augustus, qui & ipse quoque respirantem à cæde Cæsaris patriam & senatum exercitu inuasit ac tenuit: scelestus Tiberius; crudelis Caligula; nec Claudius probatus; monstrum & prodigium orbis Nero; delicatus extra mortem Otho & effœminatus; gulo Vitellius; auarus Vespasianus, quamuis non in suum commodum; portio Neronianæ crudelitatis Domitianus & latro, vt in epistolis Plinij appellatur; mitis Nerua; optimus Traianus. BREVES CENSVS] paupertatem & inopiam equitum Romanorum tuis copijs subleuas. TEMPORIBVSQVE MALIS] Sidonius de Patiente Episcopo Lugdunensi. *Inter hæc temporum mala, bonus sacerdos, bonus pater, bonus annus es. Quod tam præclarum, quam rarum est.* Petrus Aruernus lib.6.epist.15. *Vt enim doctor ille, quem nosti, Ecclesiæ dicit: magnum est esse bonum inter bonos, sed longe maius est esse inter malos; nam vt ait D. Cyprianus epist.2. lib.2. Esse iam inter nocentes innoxium crimen est, malos quisquis non imitatur, offendit.* Hæc Sauaro ad Sidonium, & his plura. Seneca ad Polyb. Tu quidem etiam minus bono fratri fuisses bonus. sed in illo pietas tua idoneam nacta materiam multo liberius se exercuit.

De Ligia.

VII.

Toto vertice, quot gerit capillos,
Annos si tot habet, Ligia, trima est,

TRIMA] In Caluam Ligiam & tripliarem. TRIMA] triennis. LIGIA] Ligia non Ligia vt Alciatus.

De caluis nimium sæpe superioribus lib. Inspice Indicem locorum communium.

In commendationem Traiani.

VIII.

Terrarum dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum,
Traiani modo læta cum futuros
Tot per sæcula computaret annos,
Et fortem iuuenemq; Martiumque
In tanto duce militem videret:
Dixit præside gloriosa tali;
Parthorum proceres, ducesque Serum,
Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem, venite.

TERRARVM DEA GENTIVMQVE ROMA] Vrbis orbis terrarum Dominæ illustris planè elogia collegit scriptorum clarissimus Iustus Lipsius de magnitudine Roman. cap. 2. Vbi hoc ipsum Poëtæ nostri encomium principe loco velut princeps ponit. Quod apud Frontinum non multum diuersis à nostro verbis, si tamen, vt merito suspectum habet locum Lipsius, illa germana sunt Frontini, reperies. addam ego vnicum ex Crinagora, epigramma Romæ vrbis nobilitate non indignum. Est illud in 1. Anthologiæ cap. εἰς ἀνδρείαν καὶ ἀνδρείους.

> Οὐδ᾽ ἢν ὠκεανὸς πᾶσαν πλημμύρεαν ἐγείρῃ
> Οὐδ᾽ ἂν Γερμανίη ῥῆνον ἅπαντα πίῃ
> Ῥώμης οὐδ᾽ ὅσσον βλάψει σθένος ἄχρι καὶ μίμνῃ
> Δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέη.
> Οὕτω καὶ ἱεραὶ Ζηνὸς δρύες ἔμπεδα ῥίζαις
> Ἑστᾶσιν, φύλλων δ᾽ αὖα χέουσ᾽ ἄνεμοι.

Sic verto:

> *Oceanus totos si montes tollat aquarum,*
> *Totaque si Rheni flumina Teuto bibat,*
> *Roma tamen stabit licet oppugnata tot annis,*
> *Dextera dum terras Cæsaris alma reget.*
> *Sic Iouis augustæ contemnunt flamina quercus,*
> *Aridaque impulsæ decutiunt folia.*

TRAIANI] Vnica periodus est totius epigrammatis. Roma, inquit, caput mundi, cum Traiani Imperatoris futuros, eosque plurimos annos euolueret, dixit, omnes bellicosos populos, virtutem Imperatoris formidaturos, eiusq; armis cessuros. TOT PER SÆCVLA] tria quatuorue. ET FORTEM IVVENEMQVE] Panegyr. Plinius, *tua iuuenta tuo robore inualuit.* Idem disertius. *Imperator titulis & imaginibus, & signis. ceterum modestia, cum labore, vigilantia Dux, & legatus, & miles.* IN DVCE MILITEM] Dio in Traiano de bello Dacico secundo. *Multa in eo bello ipse strenui Imperatoris, & viri fortis facinora edidit. Et in expeditione Parthica pedibus iter faciebat cum exercitu, pedibus non aliter, ac illi, flumina transibat.* Plinius Paneg. *Itaque perinde summis atque infimis carus, sic Imperatorem, commilitonemq; miscueras, vt studium omnium laboremq;, & tanquam exactor intenderes, & tanquam particeps sociusq; releuares.* PARTHORVM PROCERES] Parthos bello superauit Traianus. Iulianus in Cæsaribus. *Ingressus est, Traianus humeris gestans Tropæa Getica & Parthica.* Dio. *Adhuc Nisibi Batnisq; captis Parthicus cognominatus est.* Idem nummi veteres docent, qui varias habent inscriptiones Traiani, nunc optimi, nunc Dacici, nunc Parthici, Germanici S. C. appellati. - De Parthis laurum & iuuenis, & puer admodum retulit. Plinius Paneg. Traiano. d. DVCESQVE SERVM] multa & memoranda referuntur de Seribus Scythiæ Asiaticæ populis. Eusebius de præpar. Euang. cap. 6. *Apud Seras, inquit, lex est nec occidere nec fornicari, nec adorare simulachra. Vnde in illa Regione nullum templum conspicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicida.* Quod certe mirari possis; nam eadem apud Christianos lex est, multi tamen fures è furca pendent, adulteri puniuntur, latrones comminuuntur. Scribunt, si plura iuuat legere, de Seribus Plinius lib. 6. cap. 17. & alijs locis. Seruius ad secundum Georgicorum. Solinus cap. 63. Marcellinus copiose lib. 23. Strabo lib. 15. D. Ambrosius cap. 23. quinti hexaëmeron. Ptolæmeus, Mela, alij. THRACES] noti, quorum metropolis Bizantium vrbs, nunc Constantinopolis. SAVROMATÆ] idem, qui Sarmatæ. Hodie in Europæa Sarmatia sunt Poloni, Russi, Lituani, Maussouini, Pruteni, Pomerani, Liuones, Moscouitæ, Gothi, Alani, Walachi, Tartari, qui cis Tunaim degunt. legatur Alexander Guagninus Rerum Polon. tom. 2. p. 5. Cromerus, alij de quib⁹ lib. A. ep. 3. d. GETÆ] Daci, quos Dio Getas vocat. BRITANNI] enumerauit grauissimos populi Romani hostes Parthos, Thraces, Dacos, Britannos. POSSVM OSTENDERE CÆSAREM, VENITE] sentietis vindicem, si deficere à me, aut oppugnare me velitis, Traianum Cæsarem. Plinius Paneg. *At nunc rediit omnibus terror, & metus, & votum imperata faciendi.* Vident enim Romanum ducem vnum ex illis veteribus & priscis, quibus imperatorium nomen addebant campi cædibus, & infecta victorijs maria.

Lege inscriptiones veteres apud Smetium, & Onuphrium Panuinium in Fastos & Gruterum.

Ad Cæsarem.

IX.

> *Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,*
> *Et placido fruitur pax peregina iugo.*
> *Ergo agimus læti tanto pro munere grates:*
> *Misisti mores in loca nostra tuos.*

PALMA REGIT] Hispaniam pacatam Cæsaris virtuti & moribus adscribit. PRIMA] dubia vox hoc loci. Est Palma symbolum Victoriæ & Iustitiæ; extat nummus Traiani, in quo Victoria sedens spectatur, cum lauro & palmæ ramo II. Cos. illius: & plures, alijs consulatibus, alijs figuris

guris insigniti cum Palmâ. Est præterea A. Cornelius (non Terentius Priscus) Palma, nomen viri illustris & Consularis, apud Dionem, Traiano gratissimi, cui & statuam Imperator posuit; præfuit Syriæ. *Per id tempus*, inquit Dio, *Palma præfectus Syriæ cepit eam Arabiæ partem, quæ Petram attingit, redegitque in P. R. potestatem.* Occisus est ab Adriano successore Traiani: bis gessit Consulatum cum C. Sosio Senecione, primo Traiani anno, vt habent Fasti Capitolini, Fastique Siculi; secundo cum Tullo. An de hoc Palma loquatur Poëta, an de victoria Traiani contra Scythas Dacosque, & recepta Iberorum gente in fidem, an alludat simul ad vtrumque, non est mihi promptum dicere. Videtur (nec dubitandum amplius) de Palma Præfecto loqui, à Traiano in Celtiberiam misso, quem Poëta & laudat, & Traiano pro tam clementi præside gratias agit. PLACIDO IVGO] Palma enim clementer & placide prouinciam administrabat. PAX PEREGRINA] extra nationem Italiæ in Celtiberia. MISISTI MORES] misisti Palmam Prætorem, tuarum virtutum æmulum, similemq; imaginem, vt ergo redundat inferioris magistratus virtus ad laudem supremi, ita eiusdem vitia contaminant principem, vt familia honesta commendat patremfamilias, de qua re in illa diuina epistola prima ad Q. Fratrem M. Tullius plura & omnibus regibus legenda.

De Africano.

X.

*Habet Africanus millies, * & tamen captat:*
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

* *abſit particula &.*

HABET] Africani auaritiam carpit. MILLIES] millies centena millia H S. 2500000. Philip. FORTVNA MVLTIS DAT NIMIS, SATIS NVLLI] gnome, quæ infinitam auri sitim esse docet.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Quo plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ.

Audiamus magistrum temperantiæ Senecam lib. 2. cap. 2. *Nunquam improbæ spei, quod datur, satis est. Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt.* Et quæ ibidem sequuntur. Emenda primum versum: Habet Africanus millies, tamen captat, induc τὸ & quod redundat, & alioqui claudicantem iambum vitiat.

De auaris Sen. contr. 19. Sen. Oedip. act. 3. Consol. ad Marciam. epist. 94. & 109 locus est communis, & multis tractatus.

Mittit Librum ad Parthenium.

XI.

Parthenio dic, Musa tuo, nostroque salutem;
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cuius Pimplæo lyra clarior exit ab antro,
Quem plus Pierio de grege Phœbus amat?
Et si forte; sed hoc vix est sperare, vacabit:
Tradat vt ipse duci carmina nostra, roga.
Quatuor & tantum, timidumq; breuemque libellum
Commendat verbis: hunc tua Roma legit.

PARTHENIO] cum Parthenius fœde & crudeliter à prætorianis militibus Domitiani sublatus sit, ipso Nerua Imperatore, non tamen imperante, sed renitente, vt cuius ope ad Imperium euaserat, mirari possis, quo pacto suum ad Parthenium librum mittat. Regredere ad epigramma primum libri superioris, vbi super hac re disputatum. certum est hic neglectum ordinem temporis. Venit in mentem dubitare, an poëta sub Nerua, non Traiano in patriam redierit, nihilque de nece Parthenij cognorit. Procliuius tamen est retinere, quod in vita poëtæ definiuimus. Poëta tamen defuncti memoriam ac officium perinde quasi viui celebrat, haud ingratum fore Principi Traiano ratus, qui necem Parthenij vindicauit. Nec potest de alio Parthenio accipi, nisi filium intelligas Burrum, quod ego non suadeor. argumentum docet inscriptio. Concludo epigramma hoc ad decimum librum primæ editionis reijciendum, scriptum esse Romæ, non in Hispania. PIMPLÆO] montem aut fontem Pimplæum supra lib. 11. epigr. 4. aperuimus. LYRA] an Lyricus fuit Parthenius? diuersum enim genus carminis secutum constat ex lib. 11. cum scribit.

De hoc Parthenio multa superioribus lib. 4. ep. 45. lib. 5. e. 6. libr. [illegible] epig. 2d. & alijs.

Musis non vacat, aut suis vacaret.

QVATTVOR TANTVM VERBIS] nempe quæ ipse subijcit. *Hunc tua Roma legit.*

Ad Postumum.

XII.

Omnia promittis, cum tota nocte bibisti:
Mane nihil præstas. Postume, mane bibe.

OMNIA PROMITTIS] in vanos & temulentos promissores. MANE BIBE] quando non es liberalis, nisi potus, & sero promissa mane tibi excidunt, pota manè, vt promittas & memor præstes. mane enim viget memoria nondum alijs occupata obrutáue curis ac negotijs. MANE BIBE] vt sero promissa præstes, immo abstine à poculis ne promissorum memoriam diluas.

Ad Auctum.

XIII.

Genus, Aucte, lucri diuites habent iram.
Odisse, quam donare, vilius constat.

GENVS] & hoc gnomicon est in auaros, prorsus geminum illi lib. 3. epigr. 37.

Irasci tantum fœlices nostis amici:
Non belle facitis, sed iuuat hoc facere.

Ne donarent, fingebant iras. Seneca: *Syriacus contra Maximum Stertinium, à quo premebatur, cum comes eius fuisset, dixit: per annos quindecim in officio tuo fui. dic quid peccauerim? sed hæc est consuetudo vestra, iniuriam vocatis finem seruitutis.*

Ad Priscum.

XIV.

Parcius vtaris, moneo, rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator, & acri
Decidit excussus, nec rediturus equo:
Insidias & campus habet, nec fossa nec agger,
Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt, qui tanta tibi spectacula præstent:
*Inuidia fati sed leuiore * cadunt.*
Si te delectant animosa pericula: † Tuscis,
Tutior est virtus, insidiemur apris.
Quid te frena iuuant temeraria? sæpius illis
Prisce, datum est equitem rumpere, quàm leporem.

* *cadunt.*
† *Tuscis.*

Monet Priscum venatione plurimum se oblectantem, vti caute, nec toto equi impetu feras persequatur, si obuia pericula casusque declinare velit. RAPIENTE VEREDO] celere, volante, cum impetu ruente equo. Veredum equum purum interpretor & simplicem, sine rheda cisioue; quo pacto enim per auia, inuiaue siluarum rheda veheretur, cum ægre etiam equo nudo penetrari possint. Nec me à sententia deterret auctoritas Budæi, qui in Pandectas de Veredis in hæc verba scribit. *Veredi à vehendis rhedis dicti, vocabulo à Gallico Latinoq; composito, vt Epiredium: cum rheda sit Gallicum vocabulum, vt inquit Quintilianus. Antiqui enim non equis singulis & expeditis, vt hodie, sed vehiculis vehebantur. Vnde cursus vehicularis erat, qui publicus dicitur lib. 12. Codicis.* Ex quibus tu verbis intelligis, opinor, ea fuisse opinatione Budæum, vt diceret Veredos non equos esse singulos, sed qui rhedas traherent ac veherent. Habeo, quem opponam doctissimo Budæo, non indoctiorem Turnebum, qui lib. 18. cap. 1. Aduersar. *Veredum,* inquit, *nunc equum puto qui neq; rhedam, neq; cisium trahat. sed vice tamen rhedæ sit.* Id adeo ex Ausonio & Martiale conijcere licet, ne alijs auctoribus testimonium denuntiemus. PARCIVS] &c. Non, vt opinor, qui venabatur, rheda vectabatur. sed & equum esse, non rhedam sequens versus indicat.

Decidit excussus, nec rediturus equo.

Ausonius autem apertissime id etiam indicat his verbis.

Non

Non Cisium, aut pigrum cautus conscende Veredum,
Non tibi sit rheda, non amor acris equi.

Iterum, *Vel celerem mannum vel ruptum terga Veredum.*

Vbi in equis viatorijs numeratur Veredus. sed & in antiquo lexico exponitur πῶλος. Procopio est equus cursus publici. Isidorus tamen Veredos esse dictos ait, quod veherent rhedas, vel quod per vias publicas currant, per quas & rhedas ire solitum erat. In eadem cum Turnebo sententia est interpres Ausonij. quamquam non imus negatum, Veredos rhedis primum iunctos fuisse, cursusque publicos Cisijs, rhedis, alijsque vehiculorum generibus confectos. Videtur hic tantum de campestri venatione loqui poëta, sed nihilominus de equo veredum expono. PRAEDAE SATISFECIT] præda factus, qui prædam captabat. Vt in ipsa Hispania Phafilla Legionis & Asturum Rex ab vrso in venatione laniatus est, si verus Ritius Neapolitanus lib. 2. Regum Hispaniæ. INSIDIAS ET CAMPVS HABET] Leporum venatio, campestris est; dumeta enim & fruticeta colunt, non altas siluas, gnomikōs dictum.

INSIDIEMVR APRIS] quorum periculosa & plane bellicosa est venatio; lege Cyneget. Xenophontis. Tuscis habent exemplaria. Et poëta supra lib. 7. ep. 26.

Tusce glandis aper. &c.

Alij legunt disiunctim; tu scis, nempe verum esse, quod moneo. Nam in Hispania non erant Tusci apri, sed poëta generatim loquitur. Si amas pericula, exerce te in Italia apris Tuscis o[c]curlando.

EQVITEM RVMPERE, QVAM LEPOREM] rumpere, frangere, vt aliâs Poëta noster vsurpat, hoc est, occidere. Sæpius, inquit, eques perijt, quam lepus. Refert Abbas Robertus in Chronicis, Falconem Hierosolymorum regem, cum leporem insequeretur, ex improuiso apparentem, equi præcipitantis lapsu interijsse.

Adulatorium.

XV.

Quidquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, deisque nostris,
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Iuppiter, & stupet superbi
Regis delitias, grauesque lusus.
Hæc sunt pocula, quæ decent tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Ioue nunc sumus beati:
*At nuper, pudet, at * pudet fateri,*
Omnes cum Ioue pauperes eramus.

* *al.* *al. ac piget.*

Ad Traianum hoc refero carmen, nec adulatorium est, sed historicum & verum. QVICQVID PARRHASIA] quicquid splendoris erat in Palatio, quod ab Euandro Parrhasiæ, seu Arcadiæ Principe, parrhasium dicebatur. OCVLIS, DEISQVE NOSTRIS] templis publicis est dedicatum. Plinius Panegyr. *Licet ergo cum fortuna, tum liberalitas tua visenda nobis prabuerit, ut prabuit, nunc ingentia robora virorum, & pares animos; nunc immanitatem ferarum, nunc mansuetudinem incognitam; nunc secretas illas & arcanas, ac sub te primum communes opes; nihil tamen gratius, nihil seculo dignius, quam quod contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortásq; ceruices.* Multa disces ex hoc loco; primum pertinere hoc epigramma ad Traianum à quo primum arcanæ & palatinæ opes in amphiteatrum, & mox in templa prolatæ & consecratæ; deinde delatores per amphitheatrum traductos supinis oribus, & ceruicibus retortis, vt ab omnibus conspici possent; postremo nauigijs impositos & in exilium emissos, quibus rebus declaratur simul epigramma quartum lib. spectaculorum,

Turba grauis paci, &c.
——nec tepit arena nocentes
Et delator habet quod dabat exilium.

MIRATVR SCYTHICAS VIRENTIS AVRI FLAMMAS IVPITER] lib. priore,

Scriptus es aterno nunc primum Iupiter auro,
Et soror & summi filia tota Patris.

SCYTHICAS FLAMMAS V. A.] virens aurum repercussu smaragdorum aureis poculis insertorum refulgens; nam smaragdi omnia propinqua colore suo pingunt, quos & genera vitrorum certa imitantur. Scythicas appellat, quod optimæ notæ, Solini, Plinij, & aliorum testimonio, Smaragdi è Scythia feruntur. cum ex Dacis lauream reportarit Domitianus, non sine auro & gemmis Scythicis reportasse credibile est cum & Degis obses esset. Sunt, qui de Scythico auro in Ripheis montibus nato & gryphibus eruto custoditoque malint accipere. sed gryphes alij fabulosos putant. REGIS DELITIAS] Domitiani luxum aureum, quem in crateribus aureis, & conuiuiorum lasciuia ostentabat. HÆC SVNT POCVLA, QVÆ DECENT TONANTEM] consecrata Ioui à Traiano, sicut myrrhina magni precij dicarat in triumpho Pompeius, quod Plinius, alijque tradunt. PHRYGIVM MINISTRVM] Ganymedem pocillatorem Iouis. OMNES CVM IOVE] Insignis & fœda adulatio. Supra Flauiæ gentis aurea tecta prædicabat, nunc pauperem ait fuisse Domitiani Iouem diuitem Traiani, supra Iouem etiam cœlo vendito, Domitiano non soluendo fore, ob templa, aras, ædesque extructas; Plutarchus enim duodecim millia talentorum insumpta ait Domitiano in Capitolij instauratione, id est, 7200000. Philipp. nunc autem stilo mutato, damnatoque, quem maxime laudarat, palpat Traianum. Tu lector nota adulatorum ingenium, qui deturbato Deo, Acherontem in cœlum tollerent, si largiretur. Recte Poëta; *pudet at pudet fateri*, apertam nempe nimisque manifestariam assentationem. AT PVDET FATERI] dignum Dijs talibus præconium; si pauperes Dij, quales erunt homines? imo quales Dij, qui à pauperibus homuncionibus, quamuis regibus, beantur, næ illi semper cum suo Ioue pauperes sunt, eruntque.

Septem millionibus & ducenta millia Philipp.

Lego pro at. ah pudet ἐμφατικώτερον.

In Lentinum.

XVII. XVI.

Quare tam multis à te, Lentine, diebus
*Non abeat * febris, quæris & vsque gemis;*
Gestatur tecum † sella, pariterque lauatur,
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum;
Ebria Setino fit sæpe, & sæpe Falerno:
*Nec nisi * post niueam Cæcuba potat aquam;*
Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo,
Dormit & in pluma purpureoque toro.
Cum † sic tam pulchre, tam belle viuat apud te,
Ad Dammam potius vis tua febris eat?

** quereris febris.*
† pariter pariterque.
** per, emendate.*
† sit ei, al. Cum sit tam pulchre, cum tam bene viuat apud te.

Insectatur luxum ægri & febrientis Lentini, qui questus de diuturna febri, febris causam, hoc est, firmissima vina, delicatasque dapes, & cupedias non abstinebat, non mirandum igitur febrem tam laute apud Lentinum delicateque habitantem non discedere. GESTATVS] febriens gestaris, lauaris, epularis, potas feruentissima vina, gelidissimas aquas, quæ sunt pestes febrientium. CVM SIC] Scripserim potius. Cum sit ei pulchre: notum genus loquendi, bene esse, pulchre esse. Sarcasmo irridet Lentinum. AD DAMMAM] alij codices Damnam, alij Damam præferunt; Damnam vel Dammam apud scriptores non reperio, quamuis notæ Gryphij asserant perinde pauperem fuisse, ac Codrum aut Irum; Damæ fit mentio apud Horatium & Persium. Horat. pro abiecto, & vili capite ponit serm. 1. Sat. 6.

Tune Syri Dama aut Dionysi filius audes
Deijcere è saxo ciues aut tradere Cadmo?

Et lib. 2. Sat. 7.

Tu cum proiectis insignibus annulo equestri,
Romanoque habitu prodis ex iudice Dama
Turpis——

Persius aperte seruum fuisse manumissum ostendit Sat. 7.

——seu steriles veri quibus vna Quiritem
Vertigo facit, hic Dama est, non tressis agaso,
Vappa & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc Dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama——

Fuit

Fuit & Numentani cuiusdam Dama cocus, quem Sallustius centum millibus æris conductum habuit, vt est apud Horatij interpretes. Sententia Poëtæ nostri hæc. *Ad Damam potius vis tua febris eat?* Cum Dama infœlix misertimam & infœlicissimam, vt pauperrimus vitam agat, vis ad eum febrim ablegare? nolit illa profecto, si sapiat, vt quæ apud te lautius tractetur; à Dama protinus fugeret, à quo foueri non posset.

Ad Iuuenalem.

XVII. XVIII.

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Iuuenalis, in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ:
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Maior Cælius, & minor fatigant:
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit
Auro Bilbilis, & superba ferro,
Hic pigri colimus labore dulci
Bothrodum, Plateamq;: Celtiberis
Hæc sunt nomina crassiora terris.
Ingenti fruor, improboque somno,
Quem nec tertia sæpe rumpit hora,
Et totum mihi nunc repono, quidquid
Ter denos vigilaueram per annos.
Ignota est toga: sed datur petenti
** Rupta proxima vestis è cathedra.*
Surgentem focus excipit superba
Vicini strue cultus iliceti,
Multâ villica quem coronat ollâ.

* * *

** Dispensat pueris, rogatque longos*
Leuis ponere villicus capillos.
Sic me viuere, sic iuuat perire.

** Seneca de tranquillit. vitæ. Placet non ex arcula prolata vestis, non ponderibus, aut mille tormentis splendere cogentibus expressa, sed domestica & vilis, nec seruata, nec sumenda solicite.*
** Dispensant pueris.*
Lib. 7. ep. 29.

Describit otium suum Bilbilitanum. Iuuenalis hic, satyricus est, (ad quem superioribus libris) non ille apud Tacitum Consularis. INQVIETVS] officijs, & curis vrbicis distentus. CLAMOSA SVBVRA] frequenti & populosâ, propter res venum expositas, vbi frequens clamor. Forum autem ibi fuisse rerum venalium etiam lib. 7. ep. 30, docuit, ad Regulum,

Id tota mihi nascitur suburâ.

COLLEM DIANÆ] montem Auentinum accipe, in cuius vertice, qua Tiberim spectat, Dianæ templum erat, vbi nunc D. Sabinæ ædes est. Marlianus lib. 5. cap. 2. nos supra non semel id docuimus. LIMINA POTENTIORVM] quos salutas comitarisque. SVDATRIX TOGA] togati officium salutandi stipandique obibant: sudatrix in æstu & discursu sudore madebat. MAIOR ET MINOR CÆLIVS] montes. maiorum olim Querquetulanum dictum scribit Tacitus. Cælium postea à Cæle Vibenna Hetruscæ gentis duce, qui sedem illam Romæ, Tarpeio Prisco adsi-

ghante,

gnante, accepit. MINOR] Cæliolus aut Cælicolus dictus, vbi D. Ioannis Euangelistæ Domus sacra, Marlianus lib. 4. cap. 18. MVLTOS DEC.] annos 34. BOTRODVM PLATEAMQVE] de Botrodo d. lib. 1. ep 60. de Platea, lib. 4. 54. *Et ferro Plateam suo sonantem.* TERTIA] nona fere apud nos antemeridiana. REPONO] compenso somnum & otium Romæ neglectum. TOGA] officia togata nulla. PROXIMA VESTIS E CATHEDRA] mane surgenti vestemque petenti fertur à seruo è sede ruptâ maleq; concinnatâ. in quam vesperi cubitum profecturus amictum deposueram. vel, rupta vestis fertur è proxima sella, vt sit casus rectus, & *rupta* vltimam tendat, propter sequentes, *rupta proxima* vt *Romana stringu* in ora. quamuis Terentianus tantum velit valere in syllabis st. sp. sc, longis & pedem inchoantibus, vt supra fuse doctum. Sed Lucretius lib. 6. ead. positione est vsus,

Expirentque foras in apertia promtaque cæli.

Nec Martialis choreo vtitur in phaleucio vt Catullus. FOCVS] ignis iam luculentus, cui silua nunquam deest; focus enim vicinam h. bet congeriem lignorum. CVLTVS] focus, diues ligni ex ilice arbore. OLLA] quem focum cingunt ollæ densæ prandia cœnasque coquentes. DISPENSAT PVERIS] Villicus officia: an etiam cibos? alij legunt, Dispensant pueri. alius dispensator, alius villicus. Martialis lib. 11. ep. 40. lib. 7. ep. 70. De villico lib. 10. ep. 50. vel 49. vt alij lib. 3. ep. 58. Seruo tamen communem scripturam: Dispensat pueris, quid enim pueri dispensent? Villicus erat qui dominicum agrum colebat, sæpe idem in villis cum dispensatore, qui diuersus in magnis credo prætorijs, vti & domi. dispensator enim scriptoribus qui pecuniam domini dispensat & rationes accepti & expensi fert domino. legatur Briss. de verb. sign. verbo dispensator. pueris autem non committebatur ea cura sed viris quamuis seruis. Dispensat ergo pueris diaria & necessaria in villis, rogatque Dominum vti liceat illis ponere capillos. alij malunt; rogatq; villicus dominum vt sibi liceat ponere capillos. vt iam vir dici haberique possit. sed nescio an villici tam infantes & pueri vt Ramiresius. Itaque illud *rogat* vel refertur ad pueros quasi villicus roget pueros vt ponant volente hero & exorato, capillos, vel ad villicum vt roget dominum loco puerorum, vt liceat eisd. tondere capillum, & ad viros iam paulo maturioribus transire. LÆVIS] ad cutem rasus. LONGOS CAPILLOS] quos rasa turba villicorum ferre non potest, amatque rasos potius quam capillatos. SIC ME] Epiphonema. VIVERE] mihi genioque meo indulgere. quod viuere quid aliud est, quam mori & perire?

De Æmilio.

XIX. XVIII.

In thermis sumit lactucas, oua, lacertum,
Et cœnare foris se negat Æmilius.

IN THERMIS] occultum Cœnipetam irridet, qui in thermis diuitum lauabat, tantumque vorabat, vt cœna haud egeret. interimque iactabat se non captare cœnas, cum cœnaret tamen in thermis, quas vtique non domi suæ habebat. In balneo sumere aliquid cibi non vsitatum priscis. Ex Suetonio, Martiale, alijs patet. Martialis infra in Aprum,

Sobrius à thermis nescit abire domum,

Sed Æmilius in thermis aliquid gustare negabat esse cœnare, siue de suo siue alieno; poëta irridendo affirmat.

Ad Marcellam.

XXI. XIX.

Municipem rigidi quis te, Marcella, Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarum, tam dulce sapis: Pallatia dicent,
Audierint si te vel semel, esse suam.
** Nulla, nec in mediâ * certauit nata Suburâ,*
Nec Capitolini collis alumna tibi.

* villa.
* certarit, al. certabit Jos. Scaliger.

Nec

Nec cito ridebit peregrini gloria partus,
*Romanam * ducat quam magis esse nurum.*
Tu desiderium dominæ mihi mitius vrbis
Esse iubes: Romam tu mihi sola facis.

Te cito ridebis peregrinus Clodia partus. al. peregrini gloria partus. * deceat.

Marcellam vxorem habuit Poëta, de cuius hortis infra ep. 31. Laudat hic eius comitatem, prudentiam, & morum suauitatem, ipsisque Romanis Iunonibus comparat. MVNICIPEM] Fallitur ergo Scaliger, qui Romanam fecit, ex gente Clodiorum plebeia. Fuit enim, vt diserte hic Martialis, Bilbilitana. Et frustra Marcellam cum Romanis, si Romana esset, componeret. RIGIDI SALONIS] fluuij ferrum durantis. lib. 4. ep. 55. *Armorum Salo temperator.* PALLATIA] Roma si te videat, dicat te natam Romæ, & educatam, in ipsa principis aulâ. AVDIERINT] Hoc aliqui ad linguæ latinæ vsum & cognitionem referunt. Ego ad prudentiam simul & comitatem, morumque & ingenij & linguæ elegantiam. NVLLA NEC] Emendant vlla. Sed constat sententia non minus, si legas (nulla) & verba rite componas. Nulla Romanorum, vel nobilium, vel ignobilium, nec in media quidem Subura natarum, nec circa capitolium habitantium matronarum, tibi certarit; tecum certamen elegantiæ, prudentiæ, & comitatis susceperit.

De Subura & quæ fæmina ibi. Martianus lib. 5 cap. 7. Et nos lib. 2. ep 17. * Certarit, vel certabit, vt sequitur ridebit.

CERTARIT] * ita prorsus scribo, & catus quisque subscribet. Eadem mens carmini, si legas (vlla.) Nec vlla fœmina, quamuis in Subura nata, vel circa capitolium educata, tecum certarit. NEC CITO RIDEBIT PEREGRINI GLORIA PARTVS] Deprauatissimum hunc versum Ios. Scaliger putat, & conatur emendare. *Te cito ridebit peregrinum Clodia partus. Nam quid est, gloria peregrini partus? Martialis enim vxori Marcellæ cognomen erat, cui nec esse eit Clodia nomen esse. Nam notum, qui fuerint in gente Claudia Marcelli, qui erant Plebeij, & ab ijs patritij Clodij distinguebantur pulchrorum cognomine.* Hæc Scaliger, sed non persuadet. De Claudijs & Clodijs patricijs & plebeijs non disputo. Vxorem Martialis non Romanam, sed Hispanam & Bilbilitanam municipem suam ij se Martialis dicit, & natam Bilbili. *Et gentem nostris quis putet esse locis?* Id est, Tam venusta es, vt ægre credi possit, te Hispanam esse. Frustra ergo, τὸ *gloria*, in Clodiam vertit Scaliger, præsertim cum constet sensus, qui hic. *Nec cito ridebit, &c.* Nec cito erit, aut nascetur extra vrbem & Italiam vlla fœmina (hanc enim periphrastikῶς vocat poëta, peregrini partus gloriam, id est, peregre extra vrbem Romanam, natam) quam magis deceat (ita lego cum Heraldo) existimare Romanam, vel ab ipsis Romanis, ac te, Marcella. Nunc verbatim exponam, vt omnes versum hunc multis peregrinum capiant. Nec gloria peregrini partus; nec vlla puella, extra vrbem nascetur, & nata ridebit parentes, seu arridebit patri aut matri, quam magis deceat esse Romanam nurum, seu quam magis deceat esse natam Romæ, quam te, Marcella, quæ plane Romanis es gemma. vt, qui te nesciat Hispanam, plane credat Romanam. Hic germanissimus & planissimus est huius distichi sensus. Gruterus: *sensus, inquit, esse videtur non facile orituram proximis aliquot annis, quæ tam mereatur dici Romana, quam ipsa reuera erat.* RIDEBIT] Catullus dixit redeat ad patrem.

Deceat, lege non, ducat.

> *Torquatus volo paruulus*
> *Matris è gremio suæ,*
> *Porrigens teneras manus,*
> *Dulce rideat ad patrem,*
> *Semihiante labello.*

Virgilius Eclog. 4. quem allusit Martialis. de Salonino Pollionis filio, sine præpositione, vti noster, dixit. ---*qui non risere parentes Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est. Manifeste* (inquit recte Scaliger) *hortatur puerum, vt ad matrem rideat, non contra, vt illi parentes.* Itaque aduersatur hoc Quintiliano, qui τὸ Qui, pro Quoi accipit. Interim dicce, cur poëta dixerit, ridebit. Fuit opinio veterum liberos, qui non cito risissent ad parentes, ἀγελάστους fore, quos & hoc nomine afficiebant, in eoque numero Anaxagoram Clazomenium, Aristoxenem, Crassum ponebant. Plura de hoc nascentium risu, & genio matrium, & Iunone puellarum interpretes Virgilij ad 4. Eclogam. vt miret à Ioanne Meursio nullam eius, in syntagmate de puerperio, factam mentionem, cum tot auctores dederint occasionem. Cætera liquent.

In Læliam.

XX. XXIII.

Dentibus atque comis, nec te pudet, vteris emptis:
Quid facies oculo Lælia? non emitur.

DENTIBVS] edentulam, luscam, caluam irridet Læliam anum, quæ frustra sibi iuuentam artibus concinnare studebat. Cui poëta; vt comas & dentes factitios tibi compares, certe non potes

potes oculos. superemptitijs comis, dentibus, &c. supra sæpe d. lege & Pædag. Clem. Alexandrini.

Ad Iuuencum de Couino.

XXIV. XXI.

O iucunda, Couine, solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum
Facundi mihi munus * *Heliani;*
Hic mecum licet hîc, Iuuence, quidquid
In buccam tibi venerit, loquaris.
Non * *vector Libyci niger caballi*
Succinctus, neque cursor antecedit.
O si conscius esset hic Auitus,
Aurem non ego tertiam timerem.
Totus quam bene sic dies abiret.

* *Hadriani.*
* *rector.*

IVVENCVS] Munus Æliani, seu vt alij legunt, Hadriani celebrat. Ælianum censent hunc nonnulli illum variæ historiæ conditorem, Prænestinum patria, Rhetorem, & omnis elegantiæ doctorem; mihi secus videtur, quod post Adriani demum tempora Suida auctore Rhetoricam sit Romæ professus cum Martialis quarto vel quinto anno Traiani cesserit è vita. Transeunt ijdem ad Hadrianum, quod huius loci variet scriptura. Sed nihil tam infirmum, quam ex nomine solo ducere coniecturam. Est autem Couinus, Pomponio Mela enarrante, vehiculi falcati genus, quo Galli, Germani, Belgæ, & Britanni in prælijs vtebantur. Couinarius apud Tacitum, in vita Soceri agricolæ, qui Couinum regit, aut qui ex Couino pugnat. Melæ verba sunt lib. 3. *Dimicant non equitatu modo aut pedite, verum & bigis, & curribus Galliè armati. Couinos vocant, quorum falcatis axibus vtuntur.* Vnde Silius falciferum vocat. Lucanus.

Cap. 5. Idem Diod. lib. 6.

Et docilis rector, † rostrati, Belga, Couini.

† *monstrati.*

Martialis hic pro camerato, & tecto curru videtur vsurpare Couinum. illa enim verba. O IVCVNDA, COVINE, SOLITVDO;] ad vmbram tecti & velati currus refert. videtur pro lectica siue arcera, siue gestatorio, cameratoque vehiculo hic poni, nobis ein Senffte. Itaque non omnis couinus falcatus. Notauit Marcellus Donatus quædam de couino, sed nihil attulit, nisi quod allatum fuit prius à nobis. Est Couini mentio apud Sidonium carm. 23.

Iamque & pectora prona de Couino
Extenti rapiuntur, & iugales, &c.

D. Hieronymus ad Isaiam cap. vlt. Couinum vocat bellicum, quo Belgæ in bellis vsi sunt. CARRVCA] carrum Cicero, & Cæsar 1. lib. de bello Gallico vocat. Plinius, Martialis & alij carrucam, bijuge curriculum Suetonius. bigam Virgilius. ESSEDOQVE] & hoc Gallici vehiculi genus, de quo aliàs. d. IN BVCCAM] sine metu proditionis aut delationis. NON VECTOR LYBICI NIGER CABALLI] succinctus, expeditus, qui non laboriose insideat equo, nec freno regat, sed velut otiosus vehatur. Massylæi enim equites, Mauri infrenibus equis, vt supra docui, vtebantur. MANNVLI] pumili, parui equi, quales lauti homines filijs emunt, quibus vehantur. lege, quæ supra de Reguli filio ex epist. Plinij narrauimus lib. 4. Horatius 1. serm. Sat. 7. *Impositum mannis*— Ausonius, *Vel celerem mannum*— AVITVS] Stertinius V. C. de quo lib. 9. in epist. AVREM TERTIAM] obseruatricem, quæ arbitraretur nostra dicta, & insidiose exciperet, ac postea ad principem deferret. ABIRET] iucundo colloquio & vectatione.

Multa de hoc vectore Libyco Heraldus. Lib. 9. ep. 23.

Supra dictum ex Seneca de hoc re.

In

In Thelesinum.

XXII. XXV.

Cum rogo te nummos sine pignore, non habeo, inquis.
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis, arboribusque meis:
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus.
Exilij comitem quaeris? agellus eat.

Fœneratorem Thelesinum, qui nihil poëtæ sine pignore credebat, exagitat. scribit quasi Romæ esset. CARVS] Delator quondam Domitiani, & accusator caussidicus, vt Plinius ad Voconium, & Priscum de Faunia, & Iuuenal. sat. 1.

—quem Massa timet, quem munere palpat
Carus—

Dictum supra de Caro. Cætera plana.

In Cinnam.

XXIII. XXVII.

Poto ego sextantes: tu potas, Cinna, deunces
Et quereris, quod non Cinna bibamus idem.

Cinna potator illustris querebatur sibi deterius à Poëta vinum propinari, quam ipse biberet. amicis autem idem apponendum & bibendum. respondet poëta immerito illum queri, vt qui non tantum, quantum ipse, sed plus etiam bibat. Ita poëta respondet de numero, cum alter de genere queratur. simulque, vt eximium potatorem, carpit, caussamque occulte insinuat, cur ipse melius, Cinna deterius bibat. se parum bibere, & iure ergo melius; illum nimio plus, ergo merito vilius. DEVNCES] vndecim cyathos. SEXTANTES] duos Cyathos.

In auarum amicum.

XXIV. XXVI.

Sexaginta teras cum limina mane senator,
Esse tibi videor desidiosus eques:
Quod non à prima discurram luce per vrbem,
Et referam lassus basia mille domum.
Sed tu purpureis vt des noua nomina fastis,
Aut Numidûm gentes Cappadocumque petas,
At mihi quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre, patique lutum.
Quid petitur, rupta cum pes vagus exit aluta.
Et subitus crassæ decidit imber aquæ?
Nec venit † ablatis clamator verna lacernis;*
Accedit gelidam seruus ad auriculam,
Et, rogat, vt cœnes secum, Latorius, inquit:
*Viginti nummis * non ego malo famem?*

† allatis. *Clamatum.

* non ego malo firmum.

Quod

Quam sit cœna mihi, tibi sit prou. *Et faciamus idem, nec mereamur idem?* * *Sexageno. Erat eques fine equo.*

** Quod sit cœna mihi, tibi sit prouincia merces,*
Et faciamus idem, nec mereamur idem,

*SEXAGINTA TERAS] eosdem labores non eadem præmia diuitibus & pauperibus esse proposita Romæ quasi adhuc degeret in vrbe, ostendit. MANE] salutandi causa. SENATOR] maior me, qui tantum eques sum. argumentum auari est, à contentione maiorum. Ego Senator officiosus discurro, tu non facias hoc eques, & alienus eques? PVRPVREIS F. DES NOMINA] sed tu vt fias Consul, aut obtineas Prouinciam cum Imperio, laboras. Consulum nomina fastis inscribebantur, vnde anni temporaque putabantur. Fasti autem purpurei vocantur, quod purpura illiti. Sidon. lib. 8. ep. 8. *Licet tu deductum nomen à trabeis, atque elaboratas curules, & gestatorias bracteatas, & fastos recolas purpuratos*, &c. Plura de his Sauaro ad hunc Sidonij locum.

D. S. MATVTINVM LVTVM FERRE] ast ego per cœnum & lutum curro mane & lacero calceos, lacero togam, quam nemo reddit mihi. RVPTA ALVTA] rupta pelle, solea. ABLATIS CLAMATOR] lego clamatus, non clamator. clamatus, vocatus, non venit, vt ferat aliam lacernam, quam nullam inuenit domi. proinde legunt alij allatis non male. ACCEDIT] tandem post tot officia, casus, & discursus, venit seruulus, & mihi concreto frigore suggerit in gelidam auriculam, vocatum esse me à Lætorio patrono ad cœnam. magnum vero beneficium & spolia ampla referimus. Non ego malim cœnam viginti nummis frugalem sumere domi, quam foris etiam laute, sic fractum & fatigatum cœnare? QVOD SIT COENA MIHI] nonne indignum est tam dissimilibus precijs tam similia nos onera ferre? Gruterus legit: *Quam sit cœna mihi*, & in fine pent. nota interrog. Forte possis legere, *Cum sit cœna mihi*, illud *quod* etiam caussam notat iusto sensu. *Non ego malo famem*, *Quod* (vel cum) sit mihi tantorum laborum tantum sportula, tibi vero tota prouincia?

De Hermogene fure.

XXIX. XXV.

Hermogenes tantus mapparum, Pontice fur est,
Quantus nummorum vix, puto, Massa fuit.
Tu licet obserues dextram, teneasque sinistram,
Inueniet, mappam qua ratione trahat.
Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem.
Casuras alte sic rapit Iris aquas.
Nuper cum Myrino peteretur missio laeso:
Subduxit mappas quattuor Hermogenes,
Cretatam prætor cum vellet mittere mappam,
*Prætori mappam * surripit Hermogenes.*
Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantile è mensa surripit Hermogenes.
*Hoc quoque si deerit: medios *distringere lectos,*
Mensarumque pedes non timet Hermogenes.
Quamuis non modico caleant spectacula sole,
Vela reducuntur, cum venit Hermogenes.
Festinant trepidi substringere carbasa nautæ,
Ad portum quoties paruit Hermogenes.
Linigeri fugiunt calui, sistrataque turba,
Inter adorantes cum stetit Hermogenes.

* *surpuit, lege.*

* *distingere.*

Ad

Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit vnquam,
A cœna semper rettulit Hermogenes.

Furem nobilem & ingeniosum in persona Hermogenis depingit. finxit etiam poëta aptum furi nomen: Hermes enim seu Mercurius lauernionum & furum Deus, cuius malum * ouum erat Hermogenes, si nomen spectes & furandi artem. MAPPARVM] vt mercatores non omnes easdem sectantur merces, sed alius gemmas, alius aurum, alius telam, alius aliud comparat, raro vnus omnia; ita in furum natione sunt alij, qui pecuniæ tendunt insidias, & marsupiarij fures, bursarij ue dici possunt, alij pecudes abigunt, quos pecuarios vocabis, linteatios, qui toralia, stragula, lintea, mantilia, colligunt, & subinde iisdem vendunt, à quibus gratis emerant. Ita Hermogenes iste fur Mapparius erat sane ingeniosus, qui in meridiana luce hominibus tenebras offundebat, vt quod modo viderant, mox non viderent. Qualia sunt in Anthol. de Antiocho, Heliodoro & aliis. MASSA] Bæbius Bœticæ quondam prouinciæ præses, quem Senecio, & Plinius iunior de repetundis accusarunt Domitiano Principe, vt Plinius lib. 7. ep. vltima tradit; à quo Massa iam damnato postulatus est Senecio impietatis, quod Catanæus interpretatur crudelitatis. Ego contra impietatis crimen, lego fuisse Religionem Christianam apud Suetonium, Tertullianum, Arnobium, &c. Nec scio, an diuersus sit ab hoc ille, quem 1. sat. Iuuenalis vocat delatorem,

Quod superest, quem Massa timet ——

TENEASQVE SINISTRAM] Hermogenis; qui etiam vinctis manibus tamen excantat mappas. à finistra furaci laudat Catullus Marrucinum Asinium ep. 12. CERVINVS HALITVS] miranda sunt naturæ, vel auctoris naturæ potius, opera, quæ vt alia innumera, sic ceruus ostendit, qui veneno, quod occidit alios, instaurat æuum, & vitam propagat. serpentes enim solerti indagine vestigat, ex latebris attrahit, deuoratque. Vnde Græcis dictum putant ἔλαφον παρὰ τὸ ἐλᾶν, aut ἐλᾶν τοὺς ὄφεις à capiendis seu trahendis serpentibus. Quod eleganter Poëtarum elegantissimus Lucretius versibus expressit,

Naribus alipedes vt Cerui sæpe putantur
Ducere de latebris serpentia sæcla ferarum.

Plinius lib. 11. cap. 83. *Elephantorum*, inquit, *anima serpentes extrahit: Ceruorum item vrit.* Eustathius, attritu cornuum ad petram, eorumque odore id facere ceruum, scribit. Graphice vero Oppianus lib. 2. κυνηγ.

Ἀλλ' ὅτ' ἴδῃ σκοφάλιγγιν ὑφαινόμενον δολιχῇσιν
Ἴχνος ὀφιόεντος μέγα καγχαλόων ἀφικάνει
Ἄσσον φωλειῆς ῥῖνας δ' ἐπιθήκατο χειῇ
Πνοιῇσιν λάβροισιν ἐφελκόμενος ποτὶ δῆριν
Ἑρπετὸν οὐλόμενον, &c.
Verum vbi viderit voluminibus contortum longis
Vestigium anguinum, admodum exultans propinquat
Prope lustrum: naresq; applicat latibulo
Flatibus violentis attrahens ad pugnam
Reptile exitiosum.

Lege quæ sequuntur ibidem. Porro ibi totam eorum pugnam describit. Et Physiologus c. 7. περὶ τῆς ἐλάφου. Ælianus lib. 2. c. 9. Tertullianus libro de Pallio. *Taceo ceruum, quod & ipse ætatis suæ arbiter serpente pastus languescit in iuuentutem.* Item de halitu Nicander in Theriacis. Sancti interpretes, in S. Iobum, & illum versum regij poëtæ. *Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum*, nisi enim ad fontem properet, intra tertiam horam moritur. & D. Basil. in Hexameron. Horus tamen Hieroglyph. cap. 87. ait aspectu viperarum ceruos fugere. Durat ead. vis & ἀντιπάθεια in cornu ceruino, quod adustum serpentes fugat, Scholiasta Apollonij 2. Argon. auctore. CASVRAS AQVAS SIC RAPIT IRIS] hoc ex vulgi opinione existimantis Iridem furtim potare ex fluminibus, & in altum aquas rursus casuras tollere. Res autem aliter habet. Iris enim tum fit, cum exhalatio humida è terra fluminibusque elata in nubem coit, paulatimq; velut in rorem minutasque guttas liquescit; Sole porro in Occidente vel Oriente (neque enim alio tempore fieri potest) ex aduerso nubes roridas intuente, fit anaclasis radiorum in adspectu & oculis nostris, non secus, ac in speculo alioue læui & opaco corpore. Arcum hunc cœlestem describit Lucretius lib. 6.

Terraq; cum fumans humorem tota rehalat,
Hinc vbi Sol radiis tempestatem inter opacam
Aduersa fulsit nimborum aspergine contra,
Tum color in nigris existit nubibus arci.

De qua Aristot. lib. 3. Meteor. ὅτι μὲν οὖν ἀνάκλασις ἡ ἶρις τῆς ὄψεως πρὸς τὸν ἥλιον φανερόν. *quod ergo Iris sit refractio aspectus ad solem, manifestum est.* Et ibid. vbi finitio arcus cœlestis tota ponitur. Ἶρις μὲν δὴ ἐστὶ ἔμφασις ὅλου τμήματος, ἢ σταλαγμῶν, ἐν νέφει τοπικῷ, καὶ κοίλῳ, καὶ συνεχεῖ πρὸς φαντασίαν εἰς ὃν τόπον

Hermogenes fur mapparius. Multa ad hoc Epigramma alia valdes.

* Quasi Mercurio natus.

Diuersum placet dicere. ipsumq; Massam furem, tertium à duobus.

Lege Senec. lib. 1. Quæst. Natural. c. 3. vsq; ad nouum. Vbi totam rationem Iridis depingit.

[illegible] χιόνα ἐκφέρειν. Et Plutarchus in 3. ἀρεσκ. *Oportet enim exhalationem humidam cogitare, quæ in nubem mutetur; deinde paullatim in paruas guttas liquescat, cum igitur sol in occasu fuerit, necesse est omnem arcum cælestem è regione solis videri, quia cum aspectus noster in guttas illas incidit, refringitur ita, vt fiat iris.* Ouid. 5. Met. *Qualis ab imbre solet percussis solibus arcus*
Inficere ingenti longum curuamine cœlum,
In quo diuersi niteant cum mille colores
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.

In Virgiliana appendice habes Iridem sæpicule descriptam. Plinius lib. 11. c. 59. caussam scribit radium solis immissum cauæ nubi, repulsa acie in solem refractum; colorumque varietatem mixtura nubium, aëris igniumque fieri; nisi sole aduerso non fieri, nec vnquam nisi dimidia circuli forma, nec noctu (ad lunam tamen radios fieri docet Aristoteles, vt diximus, & Iouianus Pontanus) nec plures simul, quam duas. Iouianus Pontanus in lib. Meteorum, quem eleganti carmine conscripsit. Iridem pinxit cap. 33. & 34. lege Nicephorum Blemidem lib. Met. Ammianum lib. 20. Valer. Flaccum Argon. lib. 4. Senecam naturali. quæ. lib. 1. RAPIT] si ad caussam Iridis referas, verus est poëta; solis enim vis humorem & exhalationes furtim attrahit. Venustè Plautus in Curculione bibacem aniculam arcui cœlesti comparat.
Ecce autem bibit arcus, pluet credo hodie.

Vide Heraldum de hac missione. Ad quæ Bataui explanadi. NVPER CVM MYRINO] nuper in ludo gladiatorio, in clamore populi & tumultu amphitheatrali, quatuor subduxit mappas. Myrinum gladiatorem aulicum Domitiani fuisse didicisti ex lib. A. ep. 20. versu illo,
Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum,
Promisit pariter Cæsar vtraq; manu.

MISSO] læsi gladiatores, nisi populus, aut Imperator, aut munerarius vitam donarent, & missionem darent, ferrum accipere cogebantur ab aduersario. Itaque læsi supplicabant, & arma submittebant, quod signum victi fractique animi erat. Et ante Monarchiam populus vitæ necisq; arbiter erat, aut editor. Quare Horatius de supplice gladiatore,
Ne populum extremâ, toties exoret arenâ.

Seneca. *Gladiatoribus licet arma submittere, misericordiam populi tentare; tu neq; submittes arma, nec vitam rogabis; recto tibi inuictoq; moriendum est.* De editore Cicero 2. Tuscul. Postea mus id ad Imperatores rediit, super quibus plura lib. A. de Prisco & Vero. lege Lips. sat. lib. 2. c. 22. CRETATAM PRÆTOR C. V. MITTERE MAPPAM] De hac mappa fuse Heraldus. In ludis Circensibus ante missus, dabatur signum à magistratu id quale ante Neronem fuerit, non constat, fuisse tamen ex Ennij versu disces,
Expectant, veluti prætor cum mittere signum
Vult, omnes auidi spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis è faucibus currus.

Et Manilius, ——— *mittunt in tempore signum.*

Inuil. sat. 11. — Megalesiaca spectacula mappa. Quint. lib. 1. c. 1. Mappa vsurpatum Circo nomen Pæni sibi vendicant. Panuinius lib. 1. de lud. Cir. c. 14. p. 36. Nec sane cuiusuis erat mittere signum, sed magistratus & editoris, quod tanta religione seruatum est, vt si Prætor abesset, dictator signi mittendi crearetur. quod Liuius his verbis ostendit: *Dictator creatus, quia prætor morbo implicatus erat, qui signum mittendis quadrigis daret.* Putat Bulengerus fuisse descensum editoris è curru. Neronis æuo mappa candida mitti cœpit, quam ideo cretatam appellat Martialis, cuius causam & originem aperit Cassiodor. lib. 3. Var. *Mappa*, inquit, *signum dat Circensibus, tali casu fluxit in morem. Nero prandens flagitante populo missus mappam abijci iussit per fenestram.* Mappa igitur signum è sella editoris in Circum iaciebatur, quia Mappariu excepta missus adornabat. Plenius hac de re Bulengerus lib. de Circo cap. 16. quod est de hac ipsa mappa totum. Hermogenes fur ipsum signum à prætore mittendum surripuerat. Prætor autem plerumque editor. Diceres, quæ occasio mappæ in Circum mittendæ? Magistratus ante missionem super fornices carcerum eo loco, vnde spectabant, conuiuium curabant, mappamque in tempore mappario mittendam tradebant, quod Cedrinus docet. ATTVLERAT MAPPAM NEMO] ad conuiuia seu priuata, seu publica mappas singuli suas ferebant, quod ex Catullo & Martiale, aliisque intelligis. Per ludorum vero dies, publica & priuata conuiuia (vt Plutarchus in Dione & Appianus scribunt) agitabantur.

Mappa privatim ... Mantil. ... MANTILE] à conuiuatore parabatur, linteum tergendis manibus factum, Græcis χειρεκμάγειον aut χειρόμακτρον dictum, mensis insternebatur. Martialis lib. 14. Gausapa villosa, seu mantile,
Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Varro lib. 5 de ll. mantelium appellat, quasi manuterium, vbi manus terguntur. DISTRINGERE LECTOS] stragula lectorum, in quibus ad mensam accubabant, colligebat, & distringebat, ita cum aliis lego, hoc est, nudabat, spoliabat lectos stragulis & toralibus. MENSARVMQVE DENTES] eburneos in varias figuras formatos. Plinius lib. 12. c. 5. de eburneis. Lucanus. *Dentibus hic niueis sectos Atlantide silua*

Auro imbrattatos.

Impo-

Imposuêre orbes ——

Iuuenalis sat. 11. *—— latos nisi sustinet orbes*

Grande ebur, & magno, sublimis pondere, fulcro

& *Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.*

Et noster lib. 14. *Grandia taurorum portant qui corpora, quæris,*

An libycas possint sustinuisse trabes?

VELA REDVCVNTVR] vela in theatris ad vmbram faciendam adhibita docuimus lib. 9. ep. 39. ad versum,

Et rapiant celeres vela negata Noti.

Eadem vela eleganter explicauit Lipsius Antiph. c. 17. SPECTACVLA] spectatores in theatris & amphitheatris. PARVIT] Petronius.

Iurisconsultus; paret, non paret, habeto. paruit, apparuit, venit.

Plura Heraldus, vt mox infra de caluis sacerdotibus Isidis. LINIGERI FVGIVNT] Isidis Sacerdotes linteati & sistrati. Apuleius lib. 11. *Tunc influunt turba sacris diuinis initiati, viri fœminaq, omnis dignitatis, & omnis ætatis lintea vestis candore puro luminosi; illæ limpido tegmine crines madidos obuolutæ; hi capillum derasi funditus vertice prænitentes, &c.* Eosdem Ouidius, Iuuenalis, & alij linigeros appellant. Orphei & Pythagoræ inuentum sacrificiis aiunt lineum vestitum; laneum enim velut impurum execrabantur. Plinius lib. 19. *Vestes sacerdotibus AEgypti linteas gratissimas tradit, eo genere lini, quod Xylon vocant, vnde & dicta xylina, quibus nulla sunt in candore mollitiaue praferenda.* Isidis ergo sacerdotes peculiari more vsi linteis, à poëtis æternum hoc epitheton ferunt. Caussam Marcianus Capella lib. 2. exponit, quod lini vsum sementemque Isis monstrauit. Lege Grotium ad eum locum. SISTRA] quatiebant in sacris, quæ manu ferebant, vt Apollonius alijque scribunt. de sistro iam alibi fusius diximus. AD CŒNAM] Mappæ, quæ & ipsæ tergendis manibus & ori seruiebant, à singulis conuiuis, vt d. ferebantur, mantilia non item. Hermogenes, quas alij afferebant, ille auferebat.

Apuleius Apolog.

Ad Aprum.

XXVI. XXX.

Siccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Seruum sic ego laudo, non amicum.

Aprum vel auarum, vel pauperem, vel vere sobrium ebrius poëta carpit. SICCVS] sobrius SERVVM SIC LAVDO NON AMICVM] amicum lautum & liberalem, seruum sobrium & frugalem amo. Tu vero, Aper, nec lautus, nec liberalis, nec diues, sed pauper es, qui simulas sobrietatem, quam necessitas exprimit. Etsi de paupertate in gratiam Domitij dico, non reor poëtam eò collineasse, sed exceptum mensa frugaliore, i.. frà tamen ridet Apri opes inopes.

De Hortis Marcellæ vxoris.

XXVII. XXXI.

Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis vmbra supini
Palmitis, hoc rigua ductile flumen aquæ:
Prataq, nec bifero cessura rosaria Pæsto:
Quodq, viret Iani mense, nec alget olus:
*Quaq, natat * clusis anguilla domestica lymphis;*
*Quaq, gerit similes * candida turris aues;*
Munera sunt dominæ post septima lustra reuerso,
Has Marcella domos, paruaq, regna dedit.
Si mihi Nausicaë patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, malo meos.

* Clausis.

* Aspicis vt veniant ad candida tecta columbæ. Ouid.

HOC NEMVS] laudat hortos vxoris, sibi reduci donatos. TEXTILIS VMBRA] palmitum inter se consertorum foliis vmbram iacentibus. DVCTILE FLVMEN] aquæ ductus. BIFERO PÆSTO]

PÆSTO] dictum supra ex Plinio de agro Pæstano bis per annum florente. POST SEPTEM LVSTRA] 35. annos. Vides lustrum pro quinquennio accipi? lib. 10. ep. 103. 34. annis dicit fuisse Romæ; 35. in patriam rediit. SI MIHI NASICÆ] Hortos nobilissimos Alcinoi Vlyssis hospitis, cuius filia erat Nausicaë, exposuimus lib. 4. ep. 64.

Credas Alcinoi pios Penates. Hom. Odyss. 6.

In Vacerram.

XXXII. XXVIII.

Torrentius ad Suet. Tib. c. 37. & ibid. Beroaldus.

O Iuliarum dedecus Kalendarum,
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi:
Quas non retentas pensione pro bima,
Portabat vxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater ingenti.
Furias putaui nocte Ditis emersas.
Has tu priores frigore & fame siccus,
Et non recenti pallidus magis buxo
Irus tuorum temporum sequebaris.
Migrare ciuium crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus, & bipes mensa,
Et cum lucerna, corneoq́ue cratere.
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferentis suberat amphora ceruix.
Fuisse gerres, aut inutiles mænas
Odor impudicus vrcei fatebatur,
Qualem marina misit aura piscina.
Nec quadra deerat casei Tolosatis.
Quadrima nigri nec corona pulei,
Caluæq́ue restes allioq́ue, cepisq́ue,
Nec plena turpi matris olla resinâ.
Quid quæris ædes, villicosq́ue derides,
Habitare gratis, ô Vacerra, cùm possis?
Hæc sarcinarum pompa conuenit ponti.

Vacerram diuitias simulantem, mendicabulum omnibus ridendum ostendit. O IVLIARVM DEDECVS CAL. Calendas Iulias polluisti sordibus tuarum sarcinarum, Kalendis Iulij fere ædes à commigrantibus mutabantur, Sueton. Tib. cap 35. *Senatori latum clauum ademit, cum cognouisset sub Kalendas Iulij demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in vrbe conduceret.* VIDI] propius inspexi tuam supellectilem Aricinam Irô, Codroque dignam.

QVAS NON RETENTAS] sensus est, quas sarcinas ædium Dominus pro pensione cellæ, abs te per biennium conductæ, noluit retinere pignoris loco cum tu anas non esses soluendo, ita vt maluerit te gratis dimittere, quam talia scruta, pignori accipere. has, inquam, tua vxor, & calua, & rufa, & mater cum sorore, anus Acheronticæ furiisque simillimæ, ferebant. Ex biennij cessatione, pignorum retentio erat. Cuiacium lege ad Nouel. 7. CANA] recte leges INGENTI] ætate. FVRIAS] harum parentes, nomina, officia Mythologi produnt, quos in manibus habes. FRIGORE ET FAME SICCVS] Catulli carmen respexit, quod est ad Furium.

Atq; corpora ficciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis
Sole, & frigore, & esuritione.

IRVS] huius diuitias Homerus expoluit, de quo nos supra. MIGRARE CLIVVM CRED. ARICINVM] diceres mendicos omnes ex colle Aricino, vbi frequentissimi spectantur, aliò discedere. Aricinum cliuum lib. 2 ep. 19. in illo versu, descripsimus,

Lib. 5. 40.

Debet Aricino conuiua recumbere cliuo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

IBAT TRIPES GRABATVS, ET BIPES MENSA] grabatus ἰωπλὰς κλινίδιον vilis lectus seu scimpodium. tripedem fuisse dicit velut claudum, cum quadrupedes essent, vti & mensæ monopedes, bipedes, tripedes, quadrupedes. bipedes P. Ciaconius de Triclinio Romæ in marmoribus expressas videri scribit. Fuluius Vrsinus bipedes negat in antiquis marmoribus reperiri. Poëtam teor hoc ipso supellectilem Vacerræ irrisisse, quod grabato mensæq; pedem abstulerit, vt fractam & vilem supellectilem ostenderet.

P... supellex Ouid. 8. Met. de Baucide.

CVRTO LATERE] breui, non alto, & rupto, quod humorem non continebat. FOCVM] ceruice ferebat culinam cum amphora, cui focus erat impositus. FVISSE GERRES] gerres locustarum genus. Plinius lib. 32. cap. vlt. regred. re ad lib. 3. ep. 77.

teq; iuuant gerres —— minuta salsamenta.

Centurio focum tulit supra galeam apud Floril.

MŒNAS] viles pisciculos lib. 11. ep. 32. expositos in illo versu,

Et caudam Cybij, breuesq; mœnas.

ODOR IMPVDICVS] teter odor, fœtor, pedor vrcei amphoræ. QVADRA CASEI TOLOSATIS] caseorum genera multa lib. 13. poëta commendat, inter quæ non est Tolosanus Gallus, velut deterior cæteris. Plinius lib 11. epist. 42. optimos recenset, quibus subiungit. *Nam Galliarum,* inquit, *sapor, medicamenti vim obtinet, hoc est ingrati saporis.* quadrima corona nigri pulei] nec deerat quatuor annorum puleum, eoque nigrum, acidum & quasi putre. Puleum Cicero & alij vulgo vocant pulegium. nota herba, cuius vires Dioscorides lib. 3. c 36. περὶ γλήχωνος exponit condimentum palati rustici. Quo pacto feratur, ex Catone de re rustica disces. coronam fasciculum pulei intellige in coronam collectum. Inter vilissimas censetur prologo lib. 7. contr. Senecæ, *Idem* (Albutius) *res dicebat omnium sordidissimas, acetum, & puleium, & laternas, philerotem, spongias:*

CALVÆQVE RESTES] Tritæ restes, an glabræ propter allia glabrasque cæpas è reste pendentes, an restes lecti intelligit? an vsu longo detritas? QVÆRIS ÆDES] ruri villam. DERIDES] illudis villicis, apud quos te diuitem simulas, conducis cellam, pacisceris pecuniam, cum nec rem nec pecuniam feras, & ipsa pensio ædium conducendarum maior futura sit, quam tua tota supellex. HABITARE GRATIS] Ipsemet exponit, vbi gratis habitare possit: in ponte cum gregibus rogatorum & mendicorum, qui nullam soluunt de ponte pensionem. In pontibus enim mendicorum erant stationes, lib. 10. epigram. 5.

Vide Heraldum de ponte hoc pluribus agentem.

Pontes per vrbis erret exul, & cliuos,
Interq; raucos vltimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.

Idem alicubi Iuuenalis, quem citauimus.

Ad Iulium.

XXIX. XXXIV.

Ad Iulium Martialem vt supra.

Triginta mihi, quatuorq; messes,
Tecum, si memini, fuêre Iuli:
Quarum dulcia mixta sunt amaris.
Sed iucunda tamen fuêre plura.
Et si calculus omnis huc & illuc
Diuersus, bicolorq; digeratur:
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cauere morsus,

Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis * minùs, & minùs dolebis.

* minus? cum nota interrog.

TRIGINTA] Nimium vsum familiarium molestias creare, & perturbare vitæ beatæ tranquillitatem docet. Existit enim inde libertas, quæ subinde audet liberius notare vitia amici, minime cupientis aut ferentis. Videtur omnino carmen scriptum ad Iulium Martialem.

Hæc tamen germanorũ amicorum natura, vt Seneca in epistolis docet.

CALCVLVS DIVERSVS BICOLORQVE] Iam hos superius ex Thracum instituto calculos voluimus, & candidos fœlices dies, atros infœlices significasse docuimus. NVLLI TE FACIAS NIMIS SODALEM] gnome didactica: non omnia, ne cum amicis quidem communicanda, quod possint in host[e]s mutari. sed contra hanc sententiam grauiter disputat Seneca epist. III. ad Lucilium. *Tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Tu quidem ita viue, vt nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis, sed quia, &c.* & epist. 82. *Vir bonus vtrosq; calculos sic ponit, vt seipse circumscribat, beneficio adijcit, iniuria demit.*

Ad Labullum.

XXXVI. XXX.

Libras quatuor, aut duas amico,
Algentemq́; togam, breuemq; lænam,
Interdum aureolos manu crepantes,
Possint ducere qui duas Calendas,
Quod nemo, nisi tu, Labulle, donas,
Non es, crede mihi, bonus, quid ergo?
Vt verum loquar, optimus malorum.
*Pisones, Senecasq; * Memmiosq;*
*Et * Crispos mihi redde, sed priores.*
Fies protinus vltimus bonorum.
Vis cursu, pedibusq; gloriari?
Tigrim vince, leuemq́; Passerinum,
Nulla est gloria præterire asellos.

* Mutiosq;

* Priscos.

Labullum sibi de liberalitate blandientem negat esse liberalem: quamuis omnes sui temporis auaros superet munificentia, imparem esse tamen eum priscis Mæcenatibus vere benignis & liberalibus. Malos vincere bonitate, negat esse præclarum, sed ipsis bonis esse meliorem pulcrum dicit. LIBRAS] argenti nempe, vt sæpe supra. LÆNAM] Græcis dicitur χλαῖνα, vestis, quæ togæ inijcitur, vt sæpe iam diximus. AVREOLOS] aureos, quorum vnus denariis 25. valebat. quod ex libro decimo Epigram. 75 discis.

Libra argenti, vt s[upra] d. docem Philippaos æquabat precio.

Transierant binæ forsan trinæue Calendæ,
Aureolos vltra quatuor ipsa petit.

Sed clarius supra ex Lipsio de aureis disputatum com. in Tacitum. Aureolus seu aureus centum nummis sestertiis, id est, ducentis crucifer[i]s valebat. DVAS CALENDAS] quod duorum mensium diætam seu victum parent. OPTIMVS MALORVM] vt luscus rex inter cæcos, ita tu munificentissimus inter auaros. PISONES] qui fouerunt Horatium, quibus de arte poëtica liber dedicatus. SENECASQVE] Philosophum cum duobus fratribus Gallione & Mela. De Seneca Iuuenal. Sat. 5.

De aliis Pisonibus consule Volaterranum lib. Antrop. 18. littera P.

Ipse pauca velim, facilem si præbeat aurem
Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat Largiri ——

MEMMIOSQVE] Memmio Lucretius opus suum dedicauit, etsi alij rescribunt *Mutios vt Priscos pro Crispos.* CRISPOS] non viuentes, sed auos & proauos. De Crispis pluribus plura leges lib. 10. epig. 2. & 14. lib. 5. ep. 33. lib. 4. ep. 54. *Diuitior Chrispo, Thrasea constantior ipso, &c.* Priores ergo accipe, non sui æui. Vibios, de quibus Quintilianus, Volateranus, alij. VLTIMVS BONORVM] Optimus malorum, & vltimus bonorum idem est, vt supra lib. 5. de Codro. Alpha penulatorum, &

beta

beta togatorum. ditissimus pauperum, pauperrimus diuitum. TIGRIM VINCE LEVEMQVE PASSERINVM] Metaphora ab equis velocissimis; vis aliquam liberalitatis laudem colligere contende cum Mæcenatibus. Pisonibus Crispis. Tigris, & Passerinus nomina equorum sunt, de quibus idem Martialis supra lib. 7. epigram. 6.

Vt ipsa magni turba nesciat Circi,
Vtrum curras Passerinus, an Tigris.

Dubitaui lib. 7. an poe a de æquis vel hominibus locutus sit. Tigris enim & Passerinus nomina videntur equorum potius quam hominum, præsertim cum de Passerino equo disertæ inscriptiones doceant. Secutus Domitium antea, nunc ab illo diuertam, & ad equos stilum conferam, quamuis timide, præc dit enim: Vis cursu pedibusque gloriari? perseuero tamen quia nullam ait gloriam vincere asellos, equi enim celeriores tardigradis asellis, quibuscum contenduntur. Cursores admirandæ velocitatis alibi posuimus ex Plinio. PRÆTERIRE ASELLOS] vince auaros, quos asellis comparat; gnomica conclusio. vti cochleam vincere cursu nulla est laus, ita liberalitate auarum. Seneca epistola 80. *Nec enim bonitas est pessimis esse meliorem.* Epist. 86. *Non hi tollunt affectus, sed temperant. quantum autem sapienti damus, si imbecillimis fortior est, & mæstissimis lætior, & effrenatissimis moderatior, & humillimis maior? Quid si miretur velocitatem suam laudans, & claudos debilesq; respiciens?*

Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina ——

Hæc est pernicitas per se æstimata, non quæ tardissimorum collatione laudatur.

In Nasutum.

XXXI. XXXVII.

Nasutus nimium cupis videri,
Nasutum volo, nolo Polyposum.

In obæsæ naris hominem, qui sibi argutus in iocando, vel etiam iudicando videbatur, cum esset rusticus & obtusus. Nasuti irrisores dicuntur, & ἐίρωνες, Persius Sat. 1.

—— rides, ait, & nimis vncis
Naribus indulges. ——

Martialis lib. 1. *Et pueri nasum Rhinocerotis habent.* Et lib. 13. epig. 2.

Nasutus sis vsq; licet, sis denique nasus.
Et possis ipsum tu deridere Latinum.

Nonnunquam iudicium, ingenium, & censuram significat, vt auctor est ex Aristotele Quintilianus; sic Martialis plerumque coniungit, vt nasutos ponat pro criticis Aristarchis, & simul irrisoribus, vt illa duo iam adducta docent testimonia. Hic certe ac tum argutumque simul iudicem, & vrbanum argute iocantem vel irridentem signat, cui opponit Polyposum crassum, agrestem, barbarum, censorem; vt enim Polypus est nasi morbus, ita ineptus iudex, vel irrisor stolidus speciem quandam habet acrioris iudicij, non verum iudicium, nec ingenium. Cæterum Polypus est piscis, de quo Lucianus in Dialogis*; A quo morbus narium accepit nomen. Morbum in hæc verba describit Celsus lib. 6. cap. 8. *Polypus est caruncula modo alba, modo subatra, quæ narium ossi inhæret, & modo ad labra pendens nares implet, modo retro per id foramen, quo spiritus à naribus ad fauces descendit, adeo increscit, vt post vuam conspici possit, strangulatq; hominem maxime Austro aut Euro flante fereq; mollis est, raro dura, eaq; magis spiritum impedit, & nares dilatat, quæ fere καρκινώδης est, itaque attingi non debet.* De curatione eiusdem libro 7. cap. 10.

Vt lib. 1. Cæcilium laudans Vrbanus tibi Cæcili videris.
** Tom. 1. Menelai & Protei. Oppianus, Plinius alij.*

In Sabellum.

XXXII. XXXIX.

Odi te, quia bellus es, Sabelle,
Res est putida bellus, & Sabellus,
Bellum deniq; malo, quàm Sabellum.
Tabescas vtinam, Sabelle belle.

Ludit in nomine Sabelli, qui cum inuitus audiret bellus, poëta in gratiis quater vtramque vocem in quatuor versibus iterat, & iungit, vt illi ad nauseam inculcaret, bellum Sabellum. Et videtur Sabellus hic personatus Catullum præ Martiale laudasse & in ore habuisse cum laudaret versum, *belle*, quod illi obiicit Martialis. ODI TE, QVIA BELLVS ES] Bellus, vt ante docuimus,

mus, parum hominem aut virum sonat. Bellus autem Sabellus videtur bis bellus, cum semel esse bellum, sit imbellum. RES EST PVTIDA] inepta, ingrata. BELLVM MALO, QVAM SABELLVM] bellus enim vitiosus est tantum, Sabellus ipsum vitium, sæpe hunc Sabellum infra supraque perstringit ab impuritate & aliis vitiis. TABESCAS] Vt res putida, bellus Sabellus; ita leuiculum & putidulum hoc carmen, dignum bello Sabello. Potest & quinto casu exponi belle tabescas Sabelle; sed nec in hoc aliquid belli video præter imprecationem; & ἐπιρρηματικῶς, belle tabescas Sabelle.

* Pompilianum.

In * Pontilianum.

XL. XXXIII.

Mentiris, credo: recitas mala carmina, laudo:
Cantas, canto: bibis, Pontiliane, bibo,
Nil tamen omnino præstas mihi. mortuus, inquis,
Accipiam bene te. nil volo: sed morere.

Describit adulatorē in sua persona. Vide Plutarchum libro de amici & adulatoris discrimine. & Heraldum ad epigram.

MENTIRIS CREDO] omni genere officij prosecutus Poëta Pontilianum, nihil præter promissa recipiebat; promittebat autem hæreditatem, aut eius partem, post mortem. Poëta pro istis promissis illi mortem imprecatur, quo simul insinuat stulte fieri ab amico, qui sic amicum conciliet, vt conciliatus, mortem amico exoptet. MENTIRIS, CREDO] lepide hoc; quomodo sciens credebat mentienti? nisi ambigue intelligas, vt argute haud dubie poëta. Mentiris, credo te mentiri; vel mentiris, & simulo me officij caussa credere, qui verus sensus. CANTAS, CANTO] En adulatorum expressam effigiem, qualis apud Iuuenalem Sat. 3.

——rides, maiore cachinno
Concutitur; flet, si lachrymas conspexit amici;
Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum inuenis collum ceruicibus æquat
Herculis Antæum procul à tellure tenentis?

Terentius eundem exprimit in Eunucho.

Gnato:

——his vltro arrideo,
Et eorum ingenia admiror simul:
Quidquid dicunt, laudo; id rursum
Si negant, laudo id quoq;
Negat quis, nego; ait, aio, &c.

MORERE] Hæc vota sunt assentantium colacum, & coracum, vt cadauer exspectent. Poëta in sua persona adulatorum mores expressit. quod addit, nil volo, ostendit inuisa esse promissa mortua. Crudelis vox hæc est MORERE, legatur controuersia tertia lib. 10. Senecæ titulo. Demens qui mori coëgit filiam.

In Tuccam.

XLI. XXXIV.

Non est Tucca satis, quod es gulosus:
Et dici cupis & cupis videri.

DICI CVPIS ET CVPIS VIDERI] Exemplum nobile gurgitis & gulonis ex officina Apicij ganeonum principis, profecti, quod hodie nimium quam multi imitantur, præsertim in poculis maioribus.

Ad Marcum Vnicum.

XLIV. XXXV.

Vnice cognato iunctum mihi sanguine nomen,
Quiq; geris studiis corda propinqua meis.

Carmina

Carmina cùm facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Nec deerant Zephyri, si te dare vela iuuaret:
Sed tu litus amas, *hoc quoq; fratris habes.*

VNICE] Vnicum cognatum vnice laudat, qui & ipse fratrem habebat poëtam heroum, sed ipse elegiam scribebat, ne strueret sua carmina æmula fratri, vt de Turno & Memore supra narrarat. Gyraldus Dialog. 4. de poët. historia, præter vnicum hoc Martialis testimonium, de Vnico habet nullum. Laudatur à nonnullis Vnicus quidam hoc maior, apud Senecam, vnicus Ouidij cultor, sed in illa Senecæ controuersia 4. lib. 10. legitur Vinicius non, Vnicus. SOLI CEDENTIA FRATRI] Elegiaca, cum ille heroa pangat. PIETATE PRIOR] dum cedis fratri, quem vel æquare: vel superare poteras. NON DEERVNT ZEPHYRI] si stilo & ingenio cursum geniumque permitteres, in altum grandis poeta eueheretis. HOC QVOQVE FRATRIS HABES] hoc te fratrem ostendis, dum fratris caussa tuam venam coërces.

Ad Phœbum.

XXXVI. XLV.

Hœdina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticemq; caluæ,
Festiue tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calciatum.

Calceo vel calceo legitur.

HŒDINA TIBI] caluum comatum, imo à calua calciatum irridet. HŒDINA PELLE] galericulo, quod à caluis, à canis, à fœminis etiam nigrum capillum gerentibus, tegendæ caluæ, comæ canæ, nigræque caussa, alioue vsu gerebatur, de quo lib. 14. Epigrammate 50.

Phœbus hic, fœnerator supra memoratur, sed est potius hic fictum nomen.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Iuuenalis. *Nigrum flauo crinem abscondente galero.*

Lucilius in Nicyllam.

Τὰς τρίχας, ὦ Νίκυλλα, τινὲς βάπτειν σε λέγουσιν,
Ἃς σὺ μελαινοτάτας ἐξ ἀγορᾶς ἐπρίω.
Tingere te perhibent quidam, Nicylla, capillos,
Quos mercata atros ipsa foro extuleras.

Tertullianus sutile & textile capillamentum dixit. Suetonius * Othonem Siluium caluum, ad obtegendam capillitij raritatem, galericulo vsum scripsit, quod ipse capillitium appellat. CAPVT CALCIATVM] ex pellibus & coriis calcei parantur, itaque calciauit caput Phœbus, qui eandem materiam ad caput tegendum adhibuit. Hœdinas pelles adhibuit Rebecca ad Iacobi leuis & elegantis manus collaque asperanda vt Esaum referret, quem locum amœno dialogo illustrauit noster Pontanus colloq. Sa. 16.

* *Cap. 2.*

Gen. 27.

Ad Classicum.

XXXVII. XLVI.

Vendunt carmina Gallus & Lupercus:
Sanos, Claßice, nunc nega poëtas.

Insaniores esse homines malis & insanis ait Poëtis, vt qui mala & insana carmina etiam pretio emant. GALLVS ET LVPERCVS] mali poëtæ. SANOS NEGA POETAS] Ludit in ambiguo; poëta enim propter Enthusiasmum insanus dicitur, de quo Ouidius.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:
Spiritus æthereis sedibus ille venit.

Græci hos ἐνθέους, μουσοπλήκτους seu μουσοπλήκτας, φοιβολήπτους, μουσολήπτους appellitant. Plato sane putauit cum Democrito aliquid diuinius esse, & supra hominem in poëta. Seneca de tranquillitate

litate vitæ extremo: *Nam siue Græco poetæ credimus, aliquando & insanire iucundum est; siue Platoni, frustra poeticas fores compos sui pepulit: siue Aristoteli, nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit. Non potest grande aliquid & supra cæteros loqui nisi mota mens: Cum vulgata & solita contemsit, instinctuq; sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. Desciscat oportet à solito, & efferatur, & mordeat frenos, & rectorem rapiat suum eoq; ferat quo per se timuisset ascendere.*

Disputat de hoc furore poëtico Gyraldus Dialogo primo de historia poët. pagina 5. Alter Martialis sensus est, poëtam sanum esse: non stultum & stolidum. Ita ad naturalem hominum stultitiam seu insaniam, & diuinum furorem poëticum alludit. Hic cum de enthusiasmo, & diuino afflatu loqui videatur, intelligit tamen alteram insaniam, seu potius simplicitatem & stultitiam. Multo enim simpliciores ait ipsos homines, qui mala carmina emunt, quam poëtas, qui mala vendunt. Venditor enim, si stultum emptorem offendat, ipsam illi stultitiam suam vendit, hoc est, mala & stulta carmina. Disputat etiam de furore poëtico Bisciola lib. 10. c. 6.

In habentem varios mores.

XLVII. XXXVIII.

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum viuere, nec sine te.

DIFFICILIS] Ita in quendam varium Theognis.

Ἀργαλέως μοι θυμὸς ἔχει περὶ σῆς φιλότητος·
Οὔτε γὰρ ἐχθαίρειν, οὔτε φιλεῖν δύναμαι.
Pectora nostra tui quam mire amor afficit, Aule,
Non odisse queam, sed nec amare queam?

Horat. Sat. 3. lib. 1. Tigellium ita describit:

Nil æquale homini fuit illi, sæpe velut qui
Currebat fugiens hostem, —— &c.

Recte Manilius, *Omnis habet sua commoditas incommoda secum.*

NEC TECVM POSSVM] propter difficiles & acerbos mores. NEC SINE TE] propter comitatem & facilitatem. Argutia, à contrario, parœmiam lege, τῇ μὲν ὕδωρ φορεῖ, τῇ δ' ἑτέρᾳ τὸ πῦρ, vel vt Plautus. Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera. Ita vt vna inuitet, altera repellat.

In lautum inuitatorem.

XLVIII. XXXIX.

Boletos & aprum si tanquam vilia ponis,
Et non esse putas hæc mea vota; volo.
Si fortunatum fieri me credis, & hæres
Vis scribi, propter quinq; lucrina; vale.
Lauta tamen cœna est: fateor, lautissima: sed cras
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil.
*Quod sciat infœlix * damnatæ spongia * virgæ,*
Vel quicumq; canis, iunctaq; testa viæ,
Mullorum, leporumq; & suminis exitus hic est,
Sulfureusq; color, carnificesq; pedes.
Non Albana mihi sit commissatio tanti,
Nec Capitolinæ Pontificumq; dapes:
Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum,
Et vaticani perfida vappa cadi.

* damnata.
* virga.

Conci-

Conuiuas alios cœnatum quære magister,
Quos capiant mensæ regna superba tuæ.
Me meus ad subitas inuitet amicus ofellas:
Hæc mihi quam possum reddere, cœna placet.

BOLETOS ET APRVM] Lautitias diuitum captatrices contemnit, frugalitatem laudat. Illustre & lautum est Epigramma. BOLETOS] Fungorum genus optimum, quod lib. 13. auro anteponit.

Argentum atq; aurum facile est, lænamq; togamq;
Mittere: boletos mittere difficile est.

VILLA] si me putas in conuiuio præ cunctis optare boletos & apros, nolo tuus esse conuiua, si, vt vulgarem, hunc ponis cibum, non vt singularem, volo. VALE] si conuiuio hoc, captas mea bona, vale, renuncio amicitiam & conuiuia. QVINQVE LVCRINA] quinq; ostrea è lacu Lucrino petita. CRAS NIHIL ERIT] gula enim breuissima voluptas, & cibi dulces, dum in ore versantur, quorum reliquiæ sunt sordes. QVOD SCIAT] quod vel spongia, vel testa sciat, nihil superesse vestris de lautis copediis quam stercora & sordes. SPONGIA DAMNATÆ VIRGÆ] scio Domitij & Merulæ enarrationes super hoc versu; spongiam à Vestalis ex Senecæ epistolis recte iudico exponi. In Amphitheatro secedentibus gladiatoribus ad naturæ requisita ponebatur lignum adhærente spongia, qua purgabant obscœna. Poëta igitur periphrasticos & euphonymicos excrementa cibi intelligit. Virgam appellat lignum, cui spongia adhærebat. spongia infœlix dicitur, vt virga damnata, quod ad vsum vilem & fœda ministeria adhiberetur. Libet Senecam adscribere ex epist. 70. *Nuper in ludo bestiarum vnus è Germanis, cum ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus: nullum aliud illi dabatur sine custode secretum. ibi lignum id, quod ad emundanda obscœna adhærente spongia positum est, totum in gulam farsit.* Infelix quidem ἀκύρως, quod felicitas vel infelicitas non cadat nisi in hominem; similitudine tamen ab homine ducta lapis vt Protarchus ait, in altari felicior est illo qui in gradibus ponitur, quod hic calcetur, honoretur ille.

Aristoteles 2. phys. cap. 6.

VEL QVICVNQVE CANIS] hic paullum diuerto, & Poëtam non ad ea, quæ per inferiorem gutturem, vt Plautus loquitur, egeruntur, sed quæ per superiorem, hoc est, ad vomitum respexisse puto. & propriè canis ad vomitum, non stercus accurrit, vel recurrit. IVNCTAQVE TESTA VIÆ] Amphoræ, vt ex Titinnij oratione pro L. Fannio disco, in angiportis ponebantur ad vrinam faciendam. Hinc originem vectigalis vrinarij deducit Lipsius lib. 2. Admir. cap. 6. *Origo huius vectigalis & caussa, quod in publico amphoræ aut dolia stabant ad vrinam reddendam: quam Fullones, opinor, vertebant deinde in suum vsum.* Vectigalis auctor Vespasianus, Suet. cap. 23. Cibus ergo & potio vel per aluum & vesicam de jicitur, vel per guttur & fauces reijcitur. MVLLORVM] in his sordes abeunt & mutantur vorati pisces, lepores, & sui læpars optima, quæ sumen est, hoc est, papillæ modo enixæ porcæ, de quo lib. 13. suo lemmate. SVLPHVREVSQVE COLOR] gulæ & luxus reliquias & effecta exponit, pallorem, qui ex cruditate stomachi nascitur; cruditas enim ex immodicis epulis existit, vnde cæterorum morborum turba. NON ALBANA MIHI SIT COMMISSATIO TANTI] Nolim cum Cæsare ipso accubare in Albana arce, si hæc cruciamenta sint ferenda; Cæsare populo epulum lautissimum exhibitum lego apud Papinium, Martialem, Suetonium, Dionem, sed in vrbe: in monte Albano datum fuisse epulum iudico in quinquatriis, quæ ibidem Palladi instituit & celebrauit. Quod videtur Papinius his versibus insinuare. *Quæ mihi fœlices, &c.* Syluarum lib. 4. de epula Domitiani, versibus vltimis. Iam extinctus erat Domitianus, & oratio non est absoluta sed vouentis, ac si diceret. Si mihi apponeres epulum, vt olim Domitianus in Albano hac conditione & exprobratione beneficij, nolim tecum cœnare.

NEC CAPITOLINÆ, PONTIFICVMQVE DAPES] Epulum Iouis vocat Capitolinas dapes. Idibus Nouembris epulum indictum Kalendarium. Tenuit consuetudo apud Romanos, vt vel in supplicantibus, vel iræ cœlestis placandæ caussa in templis Deorum conuiuia instaurarentur, Diisque tanquam epulaturis lecti sternerentur. Meminit epuli Iouis Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. *Iouis epulo,* inquit *ipso in lectulum, Iuno & Mineruа in sellas ad cœnam inuitantur.* His epulis indicendis præerant Triumuiri vel septemuiri epulonum, quos antiquitus, auctore Sexto Pompeio, Epulonos, & epulones appellabat. De quibus & Cicero in oratione de Aruspicum responsis & 3. de orat. Lampridius in Alexandro, & alij. Liuius frequenter libro quinto, decade 3. libro septimo, decadis eiusdem, & libro decimo. Idem disertim libro nono, decade 3. *In capitolio conuiuium huiusmodi celebrant. Lectisternia,* inquit, *tribus Dijs. Ioui, Iunoni, & Mineruа Romæ in Capitolio hoc modo fiebant. Iouis simulachrum statuebatur in lecto recubans; Iunonis & Mineruæ imagines in sellis considebant. Deinde multa nocte appositis epulis, septem epulones introducebantur, qui cibos sacratos comedebant. Hinc Iuppiter dapalis dictus, quod illi sacra dapalis epulo fierent.*

PONTI-

PONTIFICVMQVE DAPES] Pontificalis cœnæ vetustissimæ & lautissimæ descriptionem habes apud Macrobium lib. 3. Satur. cap. 13. de cœna Metelli Pontificis: Dabatur illa bis in anno 9. Calend. Augusti, & 13. Calendas Nouembris. Celebratur & Hortensij dapalis seu adiçialis cœna, quam dedit in sacerdotij inauguratione. Plinius lib. 1. cap. 10. Varro lib. 3. de re rustica. Cicero epist. 7. ad Gallum. Erant tam sumptuosæ hæ Pontificiæ & Augurales epulæ; vti *συνεκδοχικῶς* pro quouis magnifico & splendido conuiuio passim ab auctoribus vsurpentur. Horatius.

Absumet heres Cæcuba dignior,
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimentum superbo
Pontificum potiore cœnis.

IMPVTET] in rationibus ponat, & inter debita vel beneficia data numeret. Multa super hoc verbo Heraldus ad hunc locum. Tu Senecam adi de tranquill. vitæ, cap. 6. *qui fercula pro congiarijs numerant*; & quæ ibi multa in hanc sententiam præcedunt & sequuntur. IMPVTET IPSE DEVS] ab humanis conuiuiis transit ad diuina, quæ & ipsa contemnit. VAPPA] vinum fugiens, aut fex vini, & metaphorice homo nihili. Horatius 1. sermonum.

—— non ego auarum.
Cum veto te fieri: vappam iubeo, ac nebulonem.

Lege & Heraldum de hoc magistro & magisterio. Torrentium vide.

VATICANI] quod supra reprehendit lib. 1. epig. 19. COENARVM MAGISTER] Variis nominibus magister conuiuij appellabatur. Rex conuiuij à Tacito in Nerone, Sidonio, lib. 9. Epistolarum. Modipe ator à Varrone lib. 20. Rerum humanarum. Magister Catullo; vnde Cicero magisteria conuiuiorum, in Catone. Dictator. Strategus Plauto dicitur. Cœnæ pater Horatio lib. 2. sermonum, s. 8. Parochus eidem. Conuiuator. Græcis *συμποσίαρχος, βασιλεύς, ὀνομαστικῶς τῶν δείπνων, ταξίαρχος*; plura Fuluius Vrsinus in Appendice Ciaconij de Triclinio. Male Domitius interpretatur Magistrum structorem, qui seruus fuit, cuius munus designat Seneca lib. 6. ep. 47. ad Lucilium. & lib. de breuitate vitæ Iuuenalis, vt omnia, eleganter Sat. 2. Structor omnes cibos ex arte, partiebatur. REGNA] conuiuator enim Rex. Atque vt poëtæ vocant regna, ita Cicero Magisteria, vocat regna superba propter epularum & conuiuij regium luxum. OFELLAS] ofellarum tam variæ formæ, vt vix possis definire, quid proprie sit ofella. Isidorus offam proprie dicit, esse frustum dentium, cuius diminutiuum ofellam facit. Lego apud Apicium rotundas ofellas, apud Martialem curuas in morem farciminis lib. 14. epig. 221.

Parua tibi curua craticula sudet ofella.

Atque vt forma erat varia, ita & materia, vnde ofellæ conficiebantur. Hoc obserua in ofellis nihil ossium fuisse, sic Apicius lib. 7. ofellas exossabis, in rotundum complicabis, &c. Platina Cremon. lib 8. sic parat ofellam. *Casei Parmensis non nimium duri, tantundem recentis teres. Duo ouorum albamenta agitabis, passulas integras, cinnami, gingiberis, croci modicum admiscebis, inuolues*q*; farina subactæ & bene extenuata, ad eam, quam voles, magnitudinem, in furno deinde non nimium coques, Ita enim gratiores sunt.* Idem ofellas seu frustellas describit lib. 9. illasque ex Sambuco, polline, caseo, lacte, riso, saluia, pomis, amygdalis, ficis, piscibus parat. Sunt qui dicant ofellas esse frustilla panis, cum pingui iure, quas apud nos offas appellamus. Sunt & offæ suillæ, vitulinæ, sunt quæ pullis, quæque canibus offunduntur. Denique leuioris cibi genus est, cum opponat illud Martialis lautis, quod dicitur lib. 10. & 14. Iuuenalis Sat. 11. Persius, alij. Denique ofellæ nomine Kräpflein/ Strigel/ Nudel/ Knödel/ Mueß/ carnes assatas, in modum artocreæ factas, contineri nihil dubito ex ijs, quæ Varro, Plinius, Isidorus, Martialis, Iuuenalis Apicius, Platina Crem. scribunt. Iuuenalis etiam partus immaturos medicamentis abactos offas vocat. cum de Iulia & Domitiano loquitur.

In habentem amœnas ædes.

I. XL.

*Daphnonas, * platanos, ac aërias * cyparissos,*
Et non vnius balnea solus habes.
*Et * tua centenis stat porticus alta columnis,*
*Calcatus*q*; tuo sub pede lucet onyx.*
*Puluereum*q*; fugax hippodromon vngula plaudit,*
*Et pereuntis aquæ fluctus vbi*q*; sonat.*
Atria longa patent: sed nec cœnantibus vsquam.
Nec somno locus est, quàm bene non habitas.

** platanonas & * pityonas.*
** tibi.*

DAPHNONAS] sapientis esse architecti non elegantes tantum, sed commmodas ædes parare docet. DAPHNONAS] Laureta Romanis, Græcis δαφνῶνες, vt πλατανῶνες dicuntur. Explicata sunt hæc lib. 10. epig. 79. AERIAS CYPARISSOS] ob altitudinem, quæ velut è densa metæ basi paulatim tenuatur in acutum, Ouid. 10. Metaph.

Affuit huic turba metas imitata cupressus.

Et: *Sidereum gracili spectare cacumine cœlum.*

Arbor dicata Diti & tumulis. Exornabant Romani cyparissis hortos & villas. Quod vel ex Plinij 5. lib. epist. 6. intelliges. *Cupressus, inquit, ambitur & tegitur, densiore vmbra opacior nigriorque.* NON VNIVS BALNEA] sed velut publica, tam ampla & magnifica. Sed alij versum ita emendant:

Daphnonas platanonas & aerios pityonas

locum intelligunt lauris, platanis & pinis consitum, pityon enim est pinetum. De Platanone Plinius ep. 3. lib. 1. Quid platanon opacissimus?

ONYX] porticus strata onichite lapide nobili, de quo supra in balneis Etrusci. Seneca ep. 16. *Sunt enim quos vltra priuatum pecunia modum fortuna prouehit, auro tegit, purpura vestit, & eo deliciarum, opumq; producit, vt terram marmoribus abscondant, & non habere tantum possint, sed calcare diuitias.* HIPPODROMON] curriculum equorum seu spacium, in quo exercitationis caussa decurrunt equi. Habuere veteres in prætoriis suis hippodromos, quod è Plinij Iun. Tusculano disces. *Hanc, inquit, dispositionem amœnitatemq; tectorũ longe lateq; præcedit hippodromus, medius patescit, statimq; intrantibus oculis totus offertur, platanis circuitur, illa hedera vestiuntur.* Distinguuntur Hippodromus, catadromus, peridromus. Philandrum lege ad Vitruuium, lib. 5. cap. 3. Hippodromus namque apud Latinos pro Circo accipitur, in quo de equi pernicitate certabatur, siue putis equis, siue bigis, trigisue aut quadrigis circum metas duas pari interuallo in extremis fere collocatas decurrerent. Rursus hic Martialis ipsis etiam syllabis plausum equi celeritatemque exprimit, vt ille Virgilianus.

Panuinius lib. 1 de lud. Circ. cap. 5. p. 9.

Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.

FLVCTVS VBIQVE SONAT] Artificia fontium in hortis amabant prisci, vt hodie amantur, & passim magnis sumptibus fiunt: QVAM BENE NON HABITAS] ridicule ex absurdo & contrario concludit, quid enim est absurdius, quam in amplissima domo nullum esse locum cœnandi, nullum dormiendi, quorum caussa potissimum ædes ædificantur. Imperitus ergo Artifex tantum hoc non fecerat, quod erat faciendum, cætera omnia.

Simile supra

De Fabullo.

XLI. II.

Tam nostrum decipi Fabullum, quid*
Miraris, Aule? semper homo bonus tiro est.

** Fabullum miraris.*

TAM SÆPE] in simplicem & antiqui moris hominem est distichon, quo docet, bonos viros haberi pro simplicibus, & imperitis, decipique, quod nolint decipere. TIRO] inexercitatus, imperitus, simplex, vt Cristiani olim ab impiis idololatris per contemptum nominabantur Seneca epist. 108. *Et quia omnia nouitate grauiora sunt, hæc cogitatio assiduam præstabis, vt nulli malo sis tiro*

Ad Semproniam

XLII. III.

Tempora Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis vox celebrata reis,
Hic situs est, *hic ille tuus, Sempronia, Rufus:*
Cuius & ipse tui flagrat amore cinis.
Dulcis in Elysio narraris fabula campo,
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quæ deserto raptore redisti:
**Illa virum voluit nec repetita sequi.*

** Nolebat illa virum nec repetita sequi. R. M.*

Accipient olim cum te loca læta piorum,
Non erit in Stygia notior vmbra domo:
Non aliena videt, ſed amat Proſerpina raptas:
Iſte tibi dominam * *conciliauit amor.*

* conciliabit

Epithaphio mortem Rufi, & Semproniæ erga Rufum virum amorem & fidem celebrat: quæ rapta ab amatore rediit ad virum, oſtenditque ſe inuitam fuiſſe abductam, aut certe pœnituiſſe facti. ſunt enim quæ volentes rapiunt potius quam rapiuntur. TEMPORA] Poetam & oratorem laudat Octauium Rufum, & virum doctum fuiſſe Plinius epiſtolis teſtatur, ſi tamen hic idem, quod non affirmo, ſed coniecto.

CVIVS ET IPSE TVI FLAGRAT AMORE CINIS] quod rapta ad Rufum ſponte redierit. NARRARIS] à marito Rufo. TYNDARIS] Helena Tyndarij filia rapta Paridi. MELIOR] Caſtior fuiſti tu, Sempronia, Argiua Helena. REPETITA] decennali bello, quo Troia conflagrauit: hemiſtichium ex 1. Virg. Georgico de Proſerpina.

Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem.

Hanc lib. 10. noſter vocat Elyſiam puellam. VIRVM] Menelaum. ACCIPIENT] mortua quondam apud inferos digito monſtraberis. NON ALIENA] ſed amica iucundis oculis aſpicit, & amat raptas Proſerpina inferorum Regina, & ipſa Diti rapta, quem raptum nobilitauit generoſo carmine Claudianus.

In Paternum.

LIII. XLIII.

Nummi cum tibi ſint opeſq; tantæ,
Quantas ciuis habet * *Paterne, rarus,*
Largiris nihil incubaſq; gazæ,
Vt magnus draco, quem canunt Poëtæ,
Cuſtodem Scythici fuiſſe luci.
Sed cauſſa, vt memoras, & ipſe iactas,
Diræ filius eſt rapacitatis.
Et quid tu fatuos, rudeſq; quæris,
Illudas quibus, auferaſq; mentem?
Huic ſemper vitio pater fuiſti.

* Paternus.

NVMMI] Paternum inſectatur illiberalem & auarum, patremque appellat auaritiæ. CIVIS RARVS] prope nullus; copioſior omnibus. INCVBASQVE GAZÆ.] Macrobium adi Sat. 1. cap. 20. Ferunt ædium, adytorum, oraculorum, theſaurorum cuſtodiam Draconibus aſsignari. Feſtus Dracones ἀπὸ τοῦ δέρκειν quod eſt videre, deriuat, clariſsimam enim dicuntur habere oculorum aciem, qua ex cauſſa incubantes eos theſauris cuſtodiæ cauſſa finxerunt. CVSTODEM SCYTHICI LVCI] Draconem hunc aurei velleris cuſtodem alibi deſcripſimus. Hic tantum ex 7. Metam. tres verſus perlege.

Mythograph. adi. & Meurſiũ ad Caſſandram. δράκοντα· Φρύγιοι ... ἐν ... & cæt. pag. 326.

Peruigilem ſupereſt herbis ſopire Draconem,
Qui criſta linguiſq; tribus præſignis, & vncis
Dentibus horrendus &c.

SCYTHICVM] quia Colchis in Scythia. LVCI] ante templum Martis, vbi & lucus & campus. In luco autem fagus illa, de qua aureum vellus pependit. ET QVID FATVOS] Tun' pro fatuis & ſtultis nos ducis, qui non intelligamus tuas artes? accuſas filium furacem, & te per filium excuſas; tute es ille filius imo pater filiæ, ſiue rapacitatis & auaritiæ; rapis enim per fas nefaſque. Vbi poeta ludit in nomine Paterni filij & patris. Hinc quidem ſenſus rectus & obuius, ſed animo meo latet obliquus alter intellectus, quo paternum ait me: hum; nam vitio filius dicitur ſpurius. Ita (huic) non referro ad (vitio) ſed ad filium. Huic filio tuo, tu, Paterne, ſemper fuiſti vitio pater. Ioſeph. Scal lege ad Varronem de re ruſtica p. 224. A. 1581.

In Zoilum.

XLIV. LIX.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

CRINE RVBER] Vultus est index mentis, & lineamenta corporis, argumenta animi; liberalis & honesta facies, liberalem & honestum arguit animum, praua, prauum. Nos Zoilum supra ex Vitruuio & Æliano descripsimus. Parœmiam vide, ex fronte perspicere. Rufas vxores supra ep. 32. exagitauit. Rufum supra finxit auarum. honesta frons, honesta mens. perfricta frons, os impudens. Atra verò ex Pythagoræ decreto ad malum notandum referebantur. vnde & carbone notantur, quæ damnantur. Fieri non potest, vt plerique Philosophi tradidere, vt qui omnino deformis est, sit bonus. SI BONVS ES] signa enim omnia mala sunt. Caue ergo signatos & Cainos.

In Polycarmum.

XLV. LVI.

Ægrotas vno decies, aut sæpius anno,
Nec tibi, sed nobis hoc, Polycarme nocet.
Nam quoties surgis, soteria poscis amicos:
Sit pudor: ægrota iam, Polycarme, semel.

ÆGROTAS] vt supra quosdam dixit sæpius in anno nasci, & natalem celebrare, vt i poscerent munera natalitia, ita Polycarmum ait sæpius fingere morbum, vt posceret soteria. Sunt autem soteria munera, quæ dabantur amicis à morbo recreatis, qualia scripsit Papinius Rutilio Gallico. ÆGROTA IAM POLYCARME SEMEL] argutè hoc & acerbè, mortem enim tectè imprecatur, nam qui moritur, non ægrotat sæpius.

Ad Sparsum.

XLVI. LVII.

Cur sæpè sicci parua rura Nomenti,
Laremq; villæ sordidum petam, quæris?
Nec cogitandi † spatium, nec quiescendi, † *Sparse.*
In vrbe locus est *pauperi. negant vitam*
Ludimagistri mane. nocte pistores,
Ærariorum marculi die toto. *Lib. 2. ep. 57. aldi.*
Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa;
Illinc † paludis malleator Hispanæ † *Balneis. Turn.*
Tritum nitenti fuste verberat saxum.
*Nec turba cessat * entheata Bellonæ,* * *lymphata.*
Nec fasciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Iudæus,
Nec sulfuratæ lippus institor mercis.
Numerare pigri damna qui potest somni,
Dicet, quot æra verberent manus orbis,
Cùm secta Colcho Luna vapulat rhombo.

Tu Sparse nescis ista, nec potes scire
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes;
Et rus in vrbe est, vinitorq́ Romanus.
*Nec in Falerno * monte maior autumnus,* (* Colle. m.s.)
Intraq́ limen † clausus essedo cursus, († latus.)
Et in profundo somnus, & quies nullis
Offensa linguis, nec dies nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turba,
Et ad cubile est Roma: tadio fessis
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

CVR SÆPE] Exponit Sparso (ad quem extant aliquot Plinij epistolæ) caussas recessus in villam Nomentanam, vrbanos strepitus, qui nullam quietis partem concedunt Poetæ, vel meditandi, vel conniuendi. Gemina huic epigr. est Iuuenalis satyr. 2. & nostri lib. 10. epigr. 74. ad Romam. Scribitur hoc epigramma à Martiale quasi Romæ versante, aut olim scriptum Romæ fuit. SICCI NOMENTI] sterilis & aquam desiderantis. Nomentanam villam supra non rarò inuisimus. NEGANT VITAM] quietam nempe & tranquillam. LVDIMAGISTRI MANE] Queritur & lib. 9. epig. 70. de Ludimagistris.

Nondum cristati rupere silentia Galli,
Murmure iam sæuo verberibusq́ tonas.

Et,
Vicini somnum non tota nocte rogamus;
Nam vigilare leue est, peruigilare graue.

Iuuenal. satyr. 7.
Dummodo non pereat, mediæ quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sedebat,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro.

NOCTE PISTORES] Quamuis pistorum opus, dum pinsunt, non sit strepertum, aut tumultuosum; tamen cum molunt, versantq; rotas, sonitus intra extraque molam ingentes excitant, vt intra molam quidem non audiaris, nisi in aurem alterius clames. Pistorum autem hoc munus fuisse Plautus docet, & ipsa vox pistrinum molettrinas significat. Lege ad Vitruuium lib. 10. ca. 10. Philandrum, vbi varia pistrinorum seu molarum genera describuntur.

ÆRARIORVM MARCVLI] malleoli, seu malleus pusillus:

Lucilius,
Et velut in fabricam ferriteis cùm marculus ferrum
Multorum magnis ictibus tundit.

Deducitur à marco; marcus enim est malleus maior, dictus marcus, quòd maior sit ad cædendum & fortior, marcellus mediocris malleus, marculus pusillus. Isid. Orig. lib. 19. cap. 7. de instrumentis fabrorum. Extat & apud Plinium lib. 7. vox hæc, & Cyniræ inuentum traditur. ÆRARIORVM] fabrorum, ferrum, chalibem, æs tractantium, vel qui in cudenda moneta sedentariam exercent; sed hi Monetarij sunt. HINC OTIOSVS NVMMVLARIVS QVATIT MENSAM NER. MASSA] Numularij Trapezitæ dicuntur, seu mensarij, qui pecunias ad mensas tenent. Collybistæ. (Wechßler.) NERONIANA MASSA] est optimi auri & argenti nota. postulatum enim vt legit Causabonus, seu pusulatum argentum exegit Nero; aurum ad obrusam. Suet. c. 44. Nerone, lege Torrentium. Domitius *Neronianam* existimat potius referendum esse ad Claudium fœneratorem, eiusque mensam dici Neronianam, quòd Claudius audiret, & Nerones vocarentur Claudij, sed Poeta signatè dixit *massa Neroniana*, quod materiam argenti videtur spectare, quæ inde fortè nata est. Nero incensa Vrbe ex statuis magnam vim Æris & Argenti & Auri conflauit, vnde pecunia cusa, quæ Neroniana potuit dici, sicut æs Corinthium, quòd exusta Corintho Mummius confecit. De Nerone Suetonius cap. 38. vbi de incendio agit. *Per sex dies septemq́ noctes ea clade sæuitum est, ad monumentorum bustorumque diuersoria plebe compulsa. Ac ne non hinc quoq́, quantum posset prædæ & manubiarum inuaderet, pollicitus cadauerum & ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisso collationibusq́ non receptis modò, verùm efflagitatis, prouincias, priuatorumq́ census prope exhausit.* Et de statuis idem c. 32. *Vltimò Templis compluribus dona detraxit, simulacraq́ ex auro vel argento fabricata conflauit. In his penatium deorum, quæ mox Galba restituit.* ILLINC PALVRIS MALL. HISPANÆ] Balucis ex Plinio conatur emendare Turnebus, sed parum credo feliciter, quamuis illum primo

commentario secutus sim. explicant ita massas auri appellatas in Hispania. Sed pro auro, scoriam auri nobis vendunt. Seruant alij PALVDIS, sed verrunt Tagum cuius ramenta aurea & arenas fulgentes nobis tradunt. Nihil ad chorum, nunquam vidi aurum fuste ligneo tundi quem ridet aurum. Paludem ergo interpretor linum, & setabum in paludosis Hispaniæ campis natum, de quo Catullus.

Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Verannius ——

Locus ergo est pro eo quod continetur, vt vrbs tota hoc loquitur. Ita palus pro lino quod seritur ad paludes. Supra lib. 11. ep. 33. Iuncum vocauit paludem,

Nec tibi de bibula sarta palude seges.

TRITVM NITENTE FVSTE SAXVM] Aurum extenuatum in laminas & bracteas interpretantur; sed fustis repugnat. linum olim in saxo fuste ligneo seu malleo stupario, vti Plinius appellat, tundebant. Mox inquit lib. 19 cap. 1. arefactę (virgæ lini) in saxo tunduntur stupario malleo. Nostra gens habet aliam rationem lini exfestucandi. Malleator igitur hic qui linum in saxo frangit & decorticat, qui vbi frequens, vti linificæ apud nos paganæ, magnum excitat strepitum.

NEC TVRBA CESSAT ENTH. BELLONÆ] Iterum diuerto à Domitio, qui Bellonæ sacerdotes Bellonarios, vt auctor est Acron, dictos, cum Corybantibus, vnaque ipsas Deas confundit, Cybelem cum Bellona, quæ nihil habuere commune. Bellona siue Duellona priscis vocata, dicebatur soror & vxor Martis, vt D. Augustinus de ciuitate Dei, Lactantius, Suidas, Claudianus prodidere: quamuis Martem alij ipsius Bellonæ seu Enyus filium scribant. Dea belli habetur Statius 2. Theb.

Cybele quidem & Isis, & magna Deum mater &c. pro eisdem habentur.

Nec magis ardentes Mauros hastataq; pugna
Impulerit Bellona tubas.

Enimuero hæc nota. Aduersum poetæ vento, & sacerdotes, qui se cultris feriebant, & suo sanguine numen Bellonæ placabant, furentesque vaticinabantur. Docet hoc Tibullus.

Hæc vbi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.
Ipsa bipenne suos cadit violenta lacertos,
Sanguineq; effuso spargit inepta Deam;
Statq; latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit euentus, quos Dea magna monet.

Horatius lib. 2. Ser. *Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis,*
Lucanus in 11 —— *tunc quos sectis Bellona lacertis*
Sæua monet.

Tertullianus in Apol. *Longius excurro, hodie isthic Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus & suis datus signatu.* Lactantius 1. *Alia, inquit, sacra virtutis, quam eandem Bellonam vocant in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant: sectis namq; humeris & vtraque manu districtos tenentes gladios currunt & efferuntur & insaniunt.* Neque tamen in Cybeles sacris non eosdem fuisse ritus negamus, quos lib. 11. ep. 85. enarrauimus. Romæ porro vicus Bellonæ fuit in alta semita 6 Reg. vrbis non procul ab ædibus & vico Martialis, qui in septima regione ad portam Tiburtinam habitabat. Templum ipsum Bellonæ ante portam carmentalem regione nona visebatur: quemadmodum illud P. Victor describit. Ante templum columella fuit, quæ bellica dicebatur, super quā hastam iaciebant bellum indicturi. Festo auctore, haud procul, vt canit Ouid. à Circo Maximo.

Hinc solet hasta manu belli prænuncia mitti
In regem & gentes, cùm placet arma capi.

In Fastis.

Turba igitur entheata, hoc est, œstro Bellonæ percita, & diuino quodam furore afflata, erant sacerdotes Bellonæ. Entheatam hic vocat, quam supra entheam appellauit.

Orba nimis sæuis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.

Hæc ergo turba nullam ciuitati quietem indulget. Videatur Seneca de beata vita, cap. 27. In æde porro Bellonæ dabatur senatus redeuntibus à bello ducibus & legatis exterarum gentium, quod Liuius, Cic. alij testantur. NEC FASCIATO NAVFRAGVS LOQVAX TRVNCO] Nec cessat naufragus suspensa ex humeris picti naufragij tabula implorare hominum opem & misericordiam, hoc est, quod dicit fasciato trunco, tabula nempe picta de fascia suspensa. Hoc factitabant prisci, vt emersi fluctibus vicatim & oppidatim cogerent stipem, & tandem tabulas ipsas, quas secum ferebant, Neptuno aut Castori & Polluci nautarum Numinibus consecrarent, quorum ope se testabantur naufragium euasisse. Sunt hac de re poetarum ampla testimonia. Iuuenalis Sat. 14.

Quot Tagus & rutila voluit Pactolus arena,
Frigida sufficient velantes inguina panni.

 Exigu-

Exiguumq; cibus mersa rate naufragus assem
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.

Horat.lib.1.Car.Od.5. vota nautarum confirmat.

——me tabula sacer,
Votiua paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

Virgil. 12. Æneid. *Hic steterat nautis quondam venerabile lignum*
Votiua ex vndis vbi figere dona solebant,
Laurenti diuo, & votas suspendere vestes.

Putant aliqui partem mali cum velo intelligendam, hoc enim verbis trunco & fascia explicari, quod mihi parum credibile paret; malim, si pro tabula truncus sit accipiendus, statuam Neptuni pusillam aut Castoris interpretari, & pro fasciato rescribere *ascia*. A MATRE DOCTVS NEC ROGARE IVDÆVS] Nec cessat Apella mendicare. NEC INSTITOR SVLPH. MERCIS] Nec cessat proclamare sulphurata ramenta vilis circulator & lippus. dictum de his lib.1 epig.42.

Semiustum, sulphur officit naribus & oculis.

Hoc quod transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulfurata fractis
Permutat vitreis,——

Et lib. 10. epig. 5. *Qua sulphurato nolit empta ramento*
Vatiniorum proxeneta fractorum.

LIPPVS] sulphur lippitudinem hanc creat sulphurantibus cremia. NVMERARE] Citius numerabis manus in vrbe pulsantes æreas pelues, cum fascinata laborat luna carmine magico (quamuis tota vrbs fere sit occupata ære verberando) quam percensebis impedimenta somni & inquietis. ordo verborum est. Ille numerabit somni damna, qui potest numerare pulsantes æra mulieres, cum deuocatur luna fugis. Nullus autem manus illas numerabit; nec dicet ergo quis impedimenta somni in vrbe, quia infinita. RHOMBO] vbertim rhombus nobis explicatus est l. b.9. epig.30. ad illum versum:

Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo.

Li. 9 ep. 30.

COLCHO] Medea princeps & magistra præstigiatricum, Colchis erat, quod nemini ignotum, rhombus girgillus, quo inuoluebant fila lunamque torquebant. De strepitu vrbis Seneca epist 57. *In his quæ me sine auocatione circumstrepunt essedo transcurrentes pono, & fabrum inquilinum, & serrarium vicinum, aut hunc qui ad Metam sudantem fistulas experitur, & tibias, nec cantat sed exclamat.* NESCIS ISTA] incommoda & damna somni. PETILIANIS DELICATVS IN REGNIS] Non intelligit poeta hic (libere pronuncio) Petiliam in Lucanis, Philoctetæ opus, de quo Virgilius 3. Æneid.

——sic illa ducis Melibæi
Parua Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Et Liuius, Strabo Solinus, alij Leander in magna Græcia. Sed Petiliana regna vocat domum & agrum L. Petilij Scribæ, sub Ianiculo, vbi Rex numa (Solino Dionysio, Liuio, Cassio, Hemina auctoribus) fuit sepultus. Liuium vnum pro cunctis testem audi. *in agro L. Petilij Scribæ* (Cn. Terentium Scribam nominat Cassius 4. Annalium libro) *sub Ianiculo dum cultores altius moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ octonos ferme pedes longa, quaternos lata inuentæ sunt, &c.* Mira de libris & corpore Numæ sequuntur. Regna autem vocat poeta, vt Virgilius:

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Et Cicero de oratore. Cur autem id putem, sequentes me versus inducunt, vt credam. Admodum enim conuenit hæc descriptio illi in lib.4. epig.64. de hortis Martialis. Nam vt hic delicatum ait Petilium in regnis suis. Ita ibi *Celsa culmina delicata villæ* laudat, vt ibi ex hortis Martialis septem ait vrbis montes conspici. Ita hic, *Cui plana summos despicit domus montes.* Nec est, cur inreia dici planam domum; nam planus erat in Ianiculo, modico tumore, vertex vt lib.4. canit. Et, vt hic ait, *rus in vrbe esse & vinitorem Romanum*; Ita ibi: *Hoc rus seu potius domus vocanda est.* Et quid clarius, cum poeta dicat, *rus in vrbe* Sparso esse, & vinitorem Romanum, quia vinea in vrbe. Regna autem prætoria sunt suburbana & villæ. Possis tamen Petilianum regnum etiam collocare cum P. Victore V. regione in qua lucus Petilianus cum colle Viminali, & forte ibi domus Petilij in montis iuxta planitie.

NEC IN FALERNO MONTE AVT.] *Falerno colle*, M.S. Modij sententia carminis est, tua villa tam habet vineas, atque mons Falernus, in Campania. Autumnus pro vindemia, notro tropo. INTRAQVE LIMEN CLAVSVS ESSEDO CVRSVS] Etiam laxe habitas, vt gestare intra ædium tuarum spatia possis. Modius putat *latus* non *clausus* legendum; ego retineo descriptam priorem; limite enim definiebatur claudebaturque (quamuis alioqui patente) cursus, seu spatium gestationis; gestabantur enim seu curru, seu lectica, corporis exercendi caussa. quod de autum-

de auunculo suo tradit Plinius; & Mercurialis in gymnastica, vt lib. 5. exposui. Modij lectionem tamen non reijcio, quam Gruterus etiam probat. ET IN PROFVNDO SOMNVS] lib. 4. de hoc eodem Ianiculo.

Illic Flaminia Salariaq;,
Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeuma.

OFFENSA LINGVIS] transeuntium & clamantium. NEC DIES NISI ADMISSVS] Ego, inquit, via lata, loco tam frequenti & inquieto habito, vt Roma tota mihi ante ipsum cubiculum sita videatur. Ita intempesta nocte non deest summa dies. Tu verò ipso meridie potes diem excludere, & noctem perpetuam continuare, nisi velis vltro apertis fenestris lucem & Solem, velut supplicem admittere. Plinius epist. 17. lib. 2. *Miraris cur me Laurentinum, &c.* Si epistolæ Plinij ante libros Martialis prodiissent, dicerem lectam hanc à poeta, dum hæc scriberet. IMVS AD VILLAM] Quod tibi non est necesse, qui villam in vrbe habes, & noctem in meridie.

De Importunis basiatoribus,

XLVII. LIX.

* * *

Tantum dat tibi Roma basiorum
Post annos modò quindecim reuerso,
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus.
Hinc instat tibi textor, inde fullo.
Hinc sutor modò pelle basiata.
Hinc menti dominus pediculosi,
Hinc defiocultus, & inde lippus.

* * *

Iam tanti tibi non fuit redire.

Vide Catull. Vnanimus mea Lesbia.

Tantum pauperes, vt video, poeti salutarunt,

Huic germanum est illud lib. 11. ep. 99. ad Bassum. Detestatur importuna basia hominum sordidorum, qualia sunt barbarum cynicarum. POST QVINDECIM] certum tempus pro incerto ponit, nec de se, vel te, sed quocunque. Vox *defioculus* rectè habet, & luscum sonat, cui desit oculus; dexioculus alij legunt, cui dexter tantum oculus sit.

Ad suum Natalem.

XLVIII. LX.

Martis alumne dies, roseam quo lampada primùm,
Magnaq; siderei vidimus ora Dei.
*Si te rure coli, viridesq; * pigebit ad aras,*
Qui fueras Latia cultus in vrbe mihi:
Da veniam, seruire tuis quòd nolo Kalendis,
Et qua sum genitus, viuere luce volo.

* *pudebit.*

Natali suo se genialiter victurum dicit ruri, quod in vrbe non poterat. MARTIS] Kalendis Martiis natus erat lib. 9. epig. 53.

Vt nostras amo Martias Kalendas.

Et lib. 10. epig. 24.

Natales mihi Martia Kalendæ,
Lux formosior omnibus Kalendis.

ROSEAM LAMPADA] Phœbeam facem, hoc est, Solem. MAGNA ORA DEI] Phœbi, & est expolitio prioris versus. MAGNA ORA] Centies enim & sexagies magnitudine superat vniuersum terræ globum, globus Solis, vt communis est Astrologorum ἀπόδειξις, sed nobis non maior

mediocri speculo apparet. Nuper inuenti sunt qui dicerent centies quadragies maiorem. VIRIDES AD ARAS) è cespite factas, vt ruri fiebant. LATIA IN VRBE) Romæ. SERVIRE NOLO) tuis Calendis Martiis nolo vrbicis officiis occupari, quod eu seruire, & tuis calendis est sextus non tertius casus. EX QVA LVCE) natalitia. VIVERE) genialiter, quod in vrbe non possem, vt mox sequens epigramma docet.

De * Sabello.

De * Alauda.

LXI. XLIX.

* nec.
† Sabello.
* Desinet.

*Natali pallere suo * ne calda † Sabello*
** Desit, & vt liquidum potet Alauda merum.*
Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco,
Atq; inter mensas ire, redire suas,
Excipere hos, illos, & tota surgere cœna,
Marmora calcantem frigidiora gelu:
Quæ ratio est, hæc sponte tua perferre, patique?
Quæ, te si iubeat rex dominusque neges.

NATALI] Peruersa est inscriptio huius epigrammatis, seu legas de Sabello, seu de Alauda. Neque epigramma est de Sabello nec Alauda, quos pro quouis obuio conuiuâ nominauit, sed de stulta natalis celebrandi cura, quippe hoc vnum curandum, vt nihil cures nisi genium tuum; quod ipse priori epigrammate se facere docet videtur hoc cum priore etiam coniungendum. NE CALDA SABELLO] Occupari anxie suo natali in curando amicorum conuiuio, & caldam aquam parare, liquidumque vinum conuiuis Sabello & Alaudæ. ALAVDA] Gallus homo, gulo hic delicatus, apud Ciceronem prima in Antonium concione legio Alaudarum celebratur non optimo elogio *Non quæro inquit, ista: addo etiam iudices manipulares ex legione Alaudarum, ô contumeliosum honorem iis quos ad iudicandum nec opinantes vocatis.* Alaudæ Galli transalpini erant, quos Cæsar victo Pompeio ciuitate donauit. Cicero rursum Philip. 5. Suetonius Iulio. Plinius: *ab illo galerita appellata quondam postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alauda*, Plura apud interpretes Ciceronis & Suetonij. TVRBIDA CÆCVBA] turbida vina; cæcubum ab agro Cæcubo dicitur, optimum vini genus. lege Xenia, Attenuabantur autem linteis saccis, & colabantur, vt liquerent, & frigerent, quod lib. 14. planius in lemmate, *saccus niuarius*, exponemus. IRE REDIRE] famulorum ritu. MARMORA] Cœnacula enim potentiorum strata marmore, vt hodie. Seneca epist. 87. Eo deliciarum peruenimus, vt nisi gemmas calcare nolimus. FRIGIDIORA GELV) nudis pedibus accubabant, & conuiuator surgens, vel excipiendi hospitis inexpectato aduenientis, vel rei cuiuspiam curandæ caussa, nudus pauimenta calcabat, iterumque se in lectum recipiebat. soccos abituri petebant. REX DOMINVSQVE) non faceres conuiua & cliens, quod facit rex, patronus, dominus & conuiuator.

De Ligurra.

LXII. L.

Versus, & breue, viuidumq; carmen
In te ne faciam, times, Ligurra,
Et dignus cupis hoc metu videri:
Sed frustra metuis, cupisq; frustra.

* frementes.

In tauros Libyci * ruunt leones,
Non sunt papilionibus molesti.
Quæras, censeo, si legi laboras,
Nigri fornicis ebrium poëtam:
Frons hæc stigmate non meo notanda est.

Læserat

Lacesset quispiam ineptus & insulsus versificator poetam eo tantum fine, vt irritaret in se Martialem, ab eoque nominatim refutaretur. Poeta negat se gry dicturum in eum, quem contemnerent omnes sibi prorsus imparem ingenio & carmine. quod genus contumeliæ grauissimum est non videri dignum quem vltum eas. Hic ficto nomine Ligurræ, certum aliquem designat. BREVE VIVIDVMQVE CARMEN] Epigrammatis periphrasis, quod & breue & piperatum mordaxque sit, oportet. IN TAVROS] Leo γενναιότατος θηρίον non sæuit in bestiolas & minores feras hinnulos, lepores, cuniculos, multo minus papiliones, sed in tauros, ingentesque beluas. Cuius ingenij & indolis fuisse leguntur, & canes apud Plinium lib. 8. cap. 40. missi Alexandro Macedonum ab Albaniæ rege, qui ne damas quidem, imo nec apros, & vrsos dignabantur aggredi, sed leones tantum & elephantos sternebant. Poeta se leoni, Ligurram papilioni confert. Lege adagia; *hinnulus leonem, ne capras contra leonem, culicem elephanti comparas, Formicam camelo, &c.* NIGRI FORNICIS] Obscurum, improbum & contemptum notat. Cuius carmina salariis pueris & cocis sint pro cucullis, vel in sellis Patroclianis legantur, &c. Vel quæ fiant in nigra cella & obscura ab ignoto, & obscuro poeta. EBRIVM) insanum, stolidum, adagium notum, *creta notare, carbone notare, creta* notantur probanda sanaque Horatius sat. 3. serm. 2.

Quorsum abeant sani? creta an carbone notandi?

Persius sat. 5. ad Cornutum magistrum suum:

Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.

Bona enim candido colore, mala atro notabant ex Pythagoræ decreto, quod candida ad boni naturam, atra mali pertinent. Hinc niger & nigri fornicis apud Cic. Catullum, Horatium, Martialem pro malis & infœlicibus ponuntur. PVTRI CRETA] si creta dixisset, probasset carmina Ligurræ; adiecit putri, vt putida notaret carmina.

FRONS HÆC STIGM. N. M. N. I.) Stigmatiis seruis poetam seruilem & abiectum confert; indignum, qui à Martiale etiam, non dico, laudetus sed vituperetur, stigmatias seruos supra notauimus.

Ad Saturnum.

LI. LXIII.

Antiqui rex magne poli, mundiq; prioris,
Sub quo pigra quies, nec labor vllus erat,
*Nec regale nimis fulmen, nec fulmine * digna,*
Scissa nec ad Manes, sed sita diues humus:
Lætus ad hæc facilisq; veni, solennia Prisci
Gaudia, cum sacris te decet esse tuis.
Te reducem patriæ sexta, pater optime bruma,
Pacifici Latia reddis ab vrbe Numæ.
Cernis, vt Ausonio similis tibi pompa macello
Pendeat, & quantus luxurietur honos?
Quàm non parca manus, largaq; numismata mensæ,
Quæ, Saturne, tibi pernumerentur opes?
** Vt sit bis pretium meritis, & gratia maior,*
Et pater, & frugi sic tua sacra colit.
At tu sancte tuo sic semper amere Decembri:
Hos illi iubeas sæpe redire dies.

* digna.

* In Prg. frugi. An legendum, Et pater & frugi, id est, ... & mo... ... Gr...... ... non perimuntur.

ANTIQVI] Prisco Terentio post annum sextum ipso Decembri in patriam Hispaniam reduci epulum extruitur, ad quod poeta Saturnum inuitat, & rogat, vt Prisco sæpe reuocet Saturnalia, diuque æuum illi propaget. Sunt tamen qui hoc loco Marium Priscum repetundarum postulatum & damnatum intelligant de quo Plinius epist. 9. lib. 3. malum dedi, malum accepi. Mihi dubio mentem inclinat ratio non videri Marium Priscum publico iudicio damnatum, mittere-

nim

nim librum poeta Romam; Romanis credo non laudaret exulem Romæ damnatum, & quomodo exulin patria?

ANTIQVI] Aureum Saturni seculum delibat. Antiqui poli regem appellat Saturnum, quod Saturnus ante Iouem cœlo imperauit, à Ioue filio postea exutus imperio, & deturbatus. Hesiodus in Deorum ortu.

Πλυθιον γὰρ γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος

Οὕνεκά οἱ πέπρωτο ἑῷ ὑπὸ παιδὶ δαμῆναι.

Ouidius. 1. Fastorum lib. 8. AEn. & Eclog.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo

Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis, &c.

Ouid. 1. Met. alij. Antiquum igitur & priorem mundum vocat à Saturno gubernatum. SVB QVO PIGRA QVIES] Egregie aureum seculum describit Ouid. 1. Met. Virgilius. Eclog. *Sicel. Musa.* Tibullus, *Quam bene Saturno, &c.* Sed planißime Phetecrates in Actu *Metalla fodientibus* inscriptó, Natalis Comes lib. 2. Mythol. cap. 2. vbi nimium quam multa. Hesiodus in operibus & diebus. Orpheus.

Virg. 1. Georgic. Ante Iouem nulli subig. &c. Ad quæ multa las. Pont.

NEC REGALE] imperiosum, tyrannicum, *regiè facere* & *regium factum*: apud Cic. in Catil. concione, & alibi semper in malam partem accipitur.

FVLMINE DIGNA] summa enim erat hominum innocentia, scelus nesciebatur, vt Ouid. describit. De ceraunijs earumque formis Anselmus Boetius in lapidum & gemmarum historia, cap. 261 lib. 2.

SCISSA NEC AD MANES] Opes & aurum ac diuitias ait notidum fuisse tum repertas, nec quæsitas ab auaris, sed humi sitas. Ouid.

——— & itum est in viscera terræ,

Quasq; recondiderat, stygijsq; admouerat vmbris,

Effodiuntur opes.

Plinius lib. 33. præf. c. *Imus in viscera eius, & in sede manium opes quærimus.* situm quod iam non commouendum sed compositum est, exemptum rebus humanis. Gellius lib. 20. cap. 11. plura Pantius p. 445. TV REDVCEM PATRIÆ] Priscum, Terentium aut Marium Priscum reuersum in Hispaniam ipso Decembri post sexennium. PACIFICI NVMÆ] Nulla bella gessit, sed totum se populumque relig onibus dedit & adstrinxit. Liuius lib. 1. alij. CERNIS] Non cedunt Saturnalia Hispana Romanis rerum omnium apparatu, an etiam ad victimas; POMPA] carnium, piscium que & obsoniorum. QVAM NON PARCA MANVS] Vides quam larga tibi deferantur munera quantaq; pecunia in Saturnalia absumatur. Vel enim ad dona Saturnalia refert opes poeta, vel ad venalia macelli opsonia, vel ad victimas, vel simul ad omnia. Victimæ postea vendebantur & comedebantur, vt ex lib 10. epist. 97. Plinij discis. & hæc Christiano execrata erant Idolothyta, de quibus Tertullianus & patres. VTQVE SIT HIS] Varia lectio est, alij, *vt bis sit*, alij *vt si bis*. Placet legere, *vtque sit his*. Sententia est, aut esse videtur: vtque tibi Saturne sit gratior hæc celebritas, & Prisco vtilior, Ipse pater Prisci (quamuis alioqui frugalis & temperans, bonusque) sicut nunc exposui, tua sacra, id est, Saturnalia tam laute, & sumptuose colit. Pater tamen ipse fortasse sit Priscus, non pater Prisci. vt intellectus sit, Vt gratior sit liberalitas tibi Saturne Prisci, Priscus quamuis pater & non profusus tibi hæc dedicat, vt tibi suos liberos bonorum hæredes posthabeat. Itaque si orbus esset posset esse munificus nunc pater hoc facit, quid facere *orbus*. SIC SEMPER AMERE] *Sic*, bene precantis vocula, vt centie dictum. Tu Saturne, precor, vt ita semper cultus iubeas Prisco sæpe redire Saturnalia hoc est, longum illi indulge æuum.

† *De malo Poeta.*

† Ad Cordubam.

LXIV. LII.

Vncto Corduba lætior Venafro,
Histra nec minus absoluta testa,
Albi quæ superas oues Galesi,
Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore viuo:
Dic, vestro, rogo, † sit pudor poetæ,
† Nec gratis recitet meos libellos.
Ferrem, si faceret bonus poëta,

† *V. sit* † *Ne*

Cui

*Cui possem dare mutuos * honores.*
Corrumpit sine talione cælebs.
Cæcus perdere non potest, quod aufert.
Nil est deterius latrone nudo:
Nil securius est malo poëta.

* *dolere si ... honores ... is deleri.*

In Cordubensem poetam & malum, & furem carminum suorum scribit, rogatque Cordubam, vt suum clientem moneat, ne aliena pro suis recitet. VNCTO CORDVBA] Reprehensurus Cordubensem ciuem laudat Cordubam, vt reprehensione vnius, conciliet sibi vniuersos. Commendat vero à nobilitate & copia olei, cuius ager Bæticus ferax erat, & à lanis Bæticis, quas infra epigrammate vltimo describit. LÆTIOR VENAFRO] Vnctum appellat Venafrum ab oleo, quod in Venafrano agro Campaniæ nascitur omnium præstantissimum, quamuis poeta κολακευτικῶς præferat Cordubense. Plinium audiamus lib. 15. cap. 2. *Principatum*, inquit, *in hoc quoq; bono obtinuit Italia toto orbe, maxime agro Venafrano, eiusq; parte quæ Licinianum fundit oleum: vnde & Liciniæ gloria præcipua oliuæ.* HISTRA NEC M. A. T.] Plinius ibid. Bæticum oleum, & Histrum inter se pari certare laude affirmat. Cordubense hic pro Bætico accipio, vti & lanam: Corduba enim Hispaniæ Bæticæ oppidũ est, Ptolomæo *colonia patritia* nominata, & ipse poeta infra Bætin *oliuiferum* appellat. Histriam Plinius in decima ponit regione Italiæ, eamque vt peninsulam ait excurrere. Oppida sunt Cremona, Brixia, & alia celeberrima, quæ libro tertio enumerat in Venetorum agro.

TESTA ABSOLVTA] An ad figlinam Histram respicit poeta, & Cordubam componendam cum Histriæ operibus & ædificiis, & vasis?

ALBI QVÆ SVPERAS OVES GALESI] Galesus flumen Italiæ ad Tarentum, vbi candidæ lanæ copia, vt lib. 2. ep. 43. ad illum versum,

Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso.

Et lib. 5. ep. 38. *Agnâ Galesi mollior Phalantini.*
Lib. 4. ep. 28. *Et lotam tepido togam Galeso.*
Lib. 8. ep. 28. *Appula Ledæ tibi floruit herba Galesi,*
Quæ saturat Calabris culta Galesus aquis.

Quod Langius non intellexit, cum in suo indice coniunxit hæc duo, velut nomen cum suo apposito. *Galesus* enim virili genere effertur, *culta* neutro & numero multitudinis.

NVLLO MVRICE N. C. M.] rutilo aureoque colori similia vellera oues Bæticæ, nullo fuco imbuta, sed natiuo tincta ferebant. Martialis infra epig. 100.

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Et lib. 5. ep. 28. *Qui crine vincis Bætici gregis vellus.*

Plinius lib. 8. cap. 48. *Hispania nigri velleris præcipuas habet: Polentia iuxta Alpes cani: Asia rutili quas Erythreas vocant, item Bætica.* Hinc noster poeta comparauit lanas Bæticas cruori & murici, vtique rutilantibus.

DIC] Corduba, tuo ciui & clienti, malo poetæ. NE GRATIS R.] scribat ipse vicissim carmina tam laudata, quæ possim ego sibi pro meis recitare, illique par pari reponere.

SINE TALIONE CÆLEBS] Talio valet idem apud Festum lib. 18. quod par vindicta. Isidorus lib. 5. cap. 27. *Talio est, similitudo vindictæ, vt taliter patiatur quis, vt fecit.* Lex omnium antiquissima, naturæque conuenientissima, quam ipse naturæ & æquitatis Auctor apud Mosen *Exod.* 21. *tulit.* δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς, ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, χεῖρα ἀντὶ χειρὸς, πόδα ἀντὶ ποδὸς Et Deut. 19. Arist. lib. 5. Eth. c. 5. ἀντιπεπονθὸς appellasse videtur talionem Romanis quoque inter primas XII. tabularum leges fuit talio. Cuius hæc apud Gellium verba leguntur: *Si membrum rupit mihi, ni cum eo pacit, talio esto* quæ Festus aliter refert: *Si membrum*, inquit, *rupit ni cum eo pacit, talio esto* Fuluius Vrsinus in Notis ad XII. tabulas leges ex priscis monumentis ita adducit: SEI. MEMBROM. RVPSIT. NEI. CVM. PACIT. EO. TALIO. ESTOD.] Alij legunt membrum rapit. Pacit autem est pro paxit Pluribus super hac lege agit Gellius lib. 20. cap. 1. Huius legis assertores erant & Pythagorei, vocabantque ius Rhadamanti, peruulgato illo versu,

εἴκε πάθοι τά τ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο
Ius rectum fuerit, si factis perferas aqua.

Sed quemadmodum Aristoteles non vndequaque probauit, & ἀναλογίαν quandam, non ἰσότητα, in hac lege desiderauit, Ita Romani prætorij iuris clementia eandem temperarunt Christus vero omnis auctor indulgentiæ & clementiæ eandem certa ratione antiquauit, cum apud D. Matthæum cap. 5. maleficia beneficiis compensanda docuit. quæ tamen iuri naturali non præscribunt, Damasus Pontifex Christianis etiam pœnam talionis constituit, qui alterum

rum de falso crimine accusassent. Disputant I.C. de hac lege l.vlt. de accus. reciprocam pœnam & aliis capitibus.

Cœlebs] Quintilianus, Festus, Isidorus, cœlibes à cœlo deducunt, quasi cœlo dignam vitam agant, & cœlo beati sint, ita vt cœlibes quasi cœlites velint dictos, quod grauissimo munere vacent. D. Hieronymus: *Cœlebs est*, inquit, *qui vxorem non habet.* Quod etiam ad fœmina refertur quæ virum non habent. Græcis ἄγαμος, & cœlibatus ἀγαμία dicitur. Quam notionem hic Poeta respicit, cum Cordubensem vocat cœlibem, vt qui ingenio suo, quemadmodum & cœlibes, & ἄγαμοι, nihil pariat edatue. Sunt enim quidam fœtus & partus ingenij monumenta sapientiæ & doctrinæ, libri, scriptaque doctorum VV. de quibus memini supra d. tere. Corrumpit, inquit, Martialis, sine talione cœlebs. Nihil scribit, quod possim ego vicissim pro meis vsurpare & recitare ille mea pro suis.

Cœcvs perdere non potest qvod avfert] Auferre nihil potest, quia nihil potest inuenire, nihil ergo perdere. Aliter etiam ita versum intelligo. Cœcus perdere non potest, quod aufert, Si oculato nempe oculum expungat, ipse carens oculis, aufert alteri, quo ipse caret. Et hunc germanum sensum existimo, quanquam primus minime malus est.

Nvdo latrone] Cui nihil potest adimi, quamuis ipse rapiat aliena. Cordubensem furem cum cœlibe latrone, & cœco contendit ignominiosis similitudinibus vt acrius mordeat.

Nil secvrivs est malo poeta] Vt nihil securius est mendico, ita nihil securius imperito poeta. Illi opes nemo auferret, quas non habet, huic carmina nemo furabitur.

Cantabit vacuus coram latrone viator,
Et mala nemo malo subducet carmina vati.

Est & alius verborum poetæ intellectus, vt dicas illam securitatem ab inscitia auctoris existere. Quo enim inscitior est, hoc plerunque audacior & impudentior scriptor, vt Græcum habet dictum, ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει. *inscitia quidem audaciam considerationis tarditatem adfert.* Et Plinius lib. 4. ep. 7. *Recta ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat audacia.* Parœmiam leges *Inscitia confidentiam parit*, ad quam multa. Chil. 4. Cent. 5. adag. 54.

De Cinna.

LXV. LIII.

Vincentem roseos, faciemq́ue, comaq́ue ministros
Cinna cocum fecit Cinna gulosus homo est.

Gvlosvs homo est] Dilogia: ad amorem & cibum refert, vt Seneca epist. 47. Et pater contr. 10. Noster supra lib. 10. ep. 66. de Theopompo. Et lib. 2. ep. 51. in Hylum.

Ad Amœnum.

LXVIII. LIV.

Bis quinquaginta domus est tibi millibus empta,
Vendere quam summâ vel breuiore cupis.
Arte sed emptorem vafrâ corrumpis, Amœne,
Et casa diuitiis ambitiosa latet.
Gemmantes prima fulgent testudine lecti,
Et Maurusiaci pondera rara citri.

* * *

Deinde ducenta sonas, & ais non esse minoris.
Instructam vili vendis, Amœne domum.

Delphica mensa mutuaeros Cic. 6 in Verrem

Bis qvinqvagenis] fraudulentum venditorem, qui deceptus male materiatam domum centum millibus HS. emerat, quam vel quinquaginta venditam cupiebat. Is ergo vt emptori fumum venderet, ornauit aurea argenteaque supellectili domum; illamque ducentis millibus æstimauit. Poeta vili ait, instructam domum vendi, sed vacuam, caro nimis. AEdes autem non erat cum ornamentis venditurus Amœnus, sed vacuas, ornamenta apposuit, vt obiiceret escam emptori.

emptori. CASA DIVITIIS AMBITIOSA LATET.] Casa vilis, fucata est supellectili pretiosa. GEMM. P. F. T. L.] Attende priscum morem lecti genialis collocandi in prima aula, seu atrio, vbi honestæ matronæ opus faciebant, qua de re nonnihil dictum lib. 3. ep. 5.

Protinus hanc adeat, primiq́; in limine tecti
(Quos tenuit Daphnis, quos tenet illa lares)
Est illi coniux ———

Quæris, vnde is lectus, aut quare in atrio stratus? Nouæ nuptæ lectus magno apparatu sternebatur, qui matrimonij æternum esset monumentum. Isque dicebatur genialis lectus, genialis torus, in nuptiis, quod Genio & Iunoni sacer, vel ominis caussa à genendo. Hoc Arnobius præ cæteris clarius exponit. *Cùm in matrimonium*, inquit, *conuenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios aduocatis.* De eodem cecinit Lucanus,

———*gradibus acclinis eburnis*
Stat torus. & picto vestes discriminat auro.

Et Iuuenalis, ———*Tyriusque palam genialis in hortis*
Sternitur.

Catullus in Argonauticis puluinar geniale vocat.

Puluinar vero Diua geniale locatur
Aedibus in mediis, Indo quod dente polytum
Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco.

Sed is lectulus genialis secundum nuptias religiose admodum seruatus, & atriis suis è regione ianuæ collocatus æternum coniugij monumentum ac pignus erat, à quo situ dictus est lectulus aduersus, quod ianuæ exaduersum poneretur: Asconius in Milonianam. *Deinde omni vi ianua expugnata, & imagines maiorum* (quæ ex more in atriis seruabantur) *deiecerunt, & lectulum aduersum vxoris eius Corneliæ, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt, itemq́; telas, quæ ex veteri more in atrio texebantur, diruerunt.* Laberius Poeta accinit.

Nunc lentus es tu, nunc tu susq́; deq́; fers.
Materfamilias tua in lecto aduerso sedet,
Seruos sexcentis verbis nefariis vtitur,

Propertius idem *Seu tamen aduersum mutauit ianua lectum,*
Sederit & nostro cauta nouerca toro.

Eundem etiam post nuptias genialem vocabant. Cic. pro Cluentio. *Lectum illum genialem quem biennio ante filiæ suæ nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari ac sterni, expulsa atque exturbata filia, iubet.* Horatius.

———*lectus genialis in aula est?*
Nil ait esse prius, melius nil cælibe vita.

Aula est atrium à Græco αὐλὴ. Lampridius in Alexandro. *Quod tabula Traiani Imperatoris, quæ geniali lecto patris* (malim cum Lipsio matris) *imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum decidit.* Primam ergo testudinem atrium & vestibulum ædium intelligo, lectos autem aduersos vxoris & nurus. aut poeti. è, posuit numerum multitudinis pro singulari. Gemmantes vocat lectos pauoninos, de quibus lib 14. lemmate, *lectus pauoninus.* citrum enim gemmas pauonum imitatur, vt ex Plinio infra docebimus. Referre tamen possis & forte certius ad testudinem: testudine enim fulcra lecti operiebantur. De qua re lib. 14. lemmate, *Stibadia*, Nec ignoro me supra cum Lipsio hoc ad vestibulum seu atrium ædium retulisse, vox quippe prima, rem ambiguam facit. Prima autem testudo siue nobilior est mascula & marina, terrestris enim χερσαῖα χελώνη est fere inutilis vel certe minus vtilis. gemmantes vero lecti vere, quia & testudo inter gemmas. Plinius lib. 16. cap. 43. *Placuit deinde materiem & in mari quæri. testudo in hoc secta, nuperq́; portentosis ingeniis principatu Neronis inuentum, vt pigmentis perderet se, pluris q́; veniret imitata lignum. Sic lecti pretia quæruntur. Sic terebinthum vinci iubent, sic cedrum pretiosius fieri, sic acer decipi. modo luxuria non fuerat contenta ligno, iam lignum enim testudinem facit.* Iuuenal. Sat. 11.

Heraldus ex Plinio lib. 9. c. 11. & l. 16. cap. 43. Iuuen. sat. 11. refert testudinem ad lectorum fulcra.

Nemo inter curas & seria duxit habendum
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret
Clarum Troiugenis factura & nobile fulcrum.

ET MAVRVSIACI PONDERA RARA CITRI] Mensas citreas magni pretij intelligit ex Mauritania allatas, quarum pretium est apud Plinium lib. 13. cap. 15. vbi Budæus errauit in numerorum ratione, cum legit HS. X. hoc est, decem sestertiis, & HS. X. V. siue quindecim sestertiis exprimendus numerat ἐπιρρήματικῶς decies HS. quindecies sestertium, vt ex Tertulliano de pallio disces. *Adigo*, inquit, *cauterem ambitioni, quia M. Tullius quingentis millibus nummum* (sestertius & sestertius nummus idem est) *orbem citri, quabis tantum Asinius Gallus pro mensa eiusdem Mauritaniæ numerat. En quantis facultatibus æstimauere ligneos maculas?* Cicero igitur suam citream mensam emit duo-

decim millibus & quingentis philippicis. Asinius XXV. M. De citri pretio lib. 14. seminate, *mensa citrea*, ad illum versum,

Accipe felicis Atlantica munera sylua,
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

En iam verò morem ornandi testudinem Seneca exponit libr. 6. Ben. cap. 9. *Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretiis emptas, in quibus ipsis illa, quæ placet, varietas, subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur. Video istic mensas & æstimatum lignum Senatoris censu* (hoc est, XXX. Coronatorum seu Philippæorum) *eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit. Video istic crystallina, quorum fragilitas accendit pretium.* Et mox: *Video myrrhina, video vniones, &c.*

MAVRVSIACI] Afri, *Maurusii gens Phœnica circa Tripolim & magnam Syrtim, hodie Pacati dicuntur.* Notitia vtriusque imperij, & Procopius auctores apud Ortelium.

DEINDE DVCENTA SONAS] ducenta millia sestertium, seu quina millia Philippæorum.

NON MINORIS] te ais non vendituram minori pretio quàm ducentis.

INSTRVCTAM VILI VENDIS, AMŒNE, DOMVM] Si, quemadmodum ostentas, cum omni supellectili ducentis vendas, vili fateor, sed detracta supellectili, nihil carius, nihil te auarius cogitari potest, qui vilem casam ducentis M. HS. vendere per fraudem cupias.

De Idibus Maronis.

LXVIII. LV.

Maia Mercurium creastis Idus.
Augustis redit Idibus Diana.
Octobres Maro consecrauit Idus.
Idus sæpe colas & has & illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

Celebrat Natalem Virgilij, & eundem celebrantibus optat mille natales. MAIÆ MERCVRIVM CREASTIS IDVS] Nusquam legi Idus Maias natalitias fuisse Mercurio. Sed quòd eo die Mercurio templum haud procul à Circo Maximo dedicatum à veteribus Romanis, A. V. C. CCLIX. ipso teste Liuio, & Ouidio Fast.

Templa tibi posuere Patres spectantia Circum
Idibus, ex illo est hæc tibi sacra dies.

Porro Maia, parens Mercurij Mercatorum, & furum Dei, Maio dedit nomen, vt est apud Macrobium & Ouidium; quanquam iidem alias quoque appellationis huius caussas enumerent. Mercatores Idus has magna religione celebrarunt, quorum sane ritus apud Ouid. eleganter & copiose descriptos leges in 5. Fast. & Macrobium lib. 1. sat. cap. 12. Fingit poeta eo die Mercurium natum, quo illi sacrificabatur, quoque templum erat consecratum, qui certe Mercurio natalis in vrbe fuit. Quæ sunt eodem die per Romanos facta, tradit Festus, Varro, Plutrachus, Ouidius, sed huc non pertinent. Iduum tamen harum est mentio apud Ausonium, quem infra mox adducam.

Vide Lindenbrogium ad V. Panegyr. pa. 329.
** Cal. antiquum ubi inicium in ea tempora Constantini Magni. confectum. Idibus Aug. N. Dianæ, id est. Natalis Dianæ.*

AVGVSTIS REDIT IDIBVS DIANA] Idus Augusti sacræ erant Dianæ, Ausonius Eidyllio de feriis Romanis.

Et medias Idus Maij, Augustiq; recursu:
Quas sibi Mercurius, quasq; Diana dicat. *

Ouidius in Fastis his Dianæ feriis narrat mulieres votis damnatas, ab Vrbe faces ardentes in Aricinum nemus, vbi summa superstitione colebatur, detulisse. cùm ait:

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab vrbe faces.

Easdem videtur Propertius intelligere illo versu lib. 2. ep. 33.

——— Sed tibi me credere turba vetat,
Cùm vides accensis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre Deæ.

Scribit & Gratius de venatione, canes morbidos & scabie aspersos ad Deam fuisse adductos à venatoribus cum facibus.

Spicataq; faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus, & solito sacris vernantur honore.

Ipsaq;

Ipsaq́; per flores medio discrimine luci,
Strauere arma sacris, & pace vacantia festa.

Turnebus lib. 7. cap. 26. OCTOBRES MARO CONSECRAVIT IDVS] Idem in vita Virgilij Donatus. *Natus est,* inquit, *Cn. Pomp. M. & M. Licin. Crasso Coss. iduum Octobrium die, in pago, qui Andes dicitur.* Et Probus Grammaticus. *Publ. Virgilius Maro natus, idibus Octobribus, Crasso, & Pom. Coss. matre Maia Polla, &c.* Idem in Chronico Eusebius Cæsariensis testatur. IDVS SÆPE COLAS HAS ET ILLAS, QVI MAGNI CELEBRAS MARONIS IDVS]. Precor, vt diu viuas, qui celebras Maronis Natalem. Vnus omnium studiosissimè & religiosissimè fertur Natalem Virgilij coluisse Silius Italicus, vt ex Plinij epist. 7. libr. 3. disco. *Virgilij,* inquit, *ante omnes, cuius Natalem religiosius, quàm suum, celebrabat.*

Ausonium Martialem ... Mercurius Maias supe- rorum adiu- stus honore, Octobres o- lim genitus, Maro dedi- cat Idus.

Ad Clientes.

LVI. LVIX.

Matutine cliens vrbis mihi caussa relictæ,
Atria, si sapias, ambitiosa colas,
Non sum ego Caussidicus, nec amaris litibus aptus:
Sed piger, & senior, Pieridumq́; comes.
Otia me, somnusque iuuant, *quæ magna negauit*
Roma mihi; redeo, si vigilatur & hic.

Non desiderat officiosos vel patrocinium implorantes poeta clientes, quos ait se fugisse etiam Romæ, quam & ipsam clientum caussa reliquerit.

MATVTINE CLIENS] qui antelucanus, vel officij, vel opis caussa ades ad fores: ad diuitum palatia, vel patronorum ædes abi, non est, cur à me patrocinium expectes; non caussidicus, nec forensis declamator; poeta sum. De importunis de die, de nocte clientum officiis, erga patronos Casaubonus lib. 2. Animad. p. 134.

REDEO] In vrbem, vbi vigiliis saltem maior honos & pretium: quamuis indé somni caussa exierim. Non abit multum à priore, de importunis basiatoribus, epigrammate, quod ita concludit.

Iam tanti tibi non fuit redire.

Ad Paulum.

LVII. LXI.

Sic, tanquam tabulas, scyphosq́; Paulle,
Omnes archetypos habes amicos.

SIC TANQ.] Paullum auarum ait ornari ab amicis, sed amicos non à Paullo. Quemadmodum antiqua opera poculorum & tabularum pictarum ornant quidem dominum, sed à domino nihil accipiunt; ita amici à Paullo nihil beneficij accipiebant. An potius hoc dicit, nullum nouum amicum à Paullo in amicitiam admitti? An ipsis amicis vti, vt tabulis & scyphis archetypis? hoc est, parum familiarem illis; archetypa enim raro exponuntur.

Caussidicus hic Paullus vt supra d.

Placet prima explanatio, à Paulo nihil amicis veteribus donari, sed illos velut inter antiqua opera seruari, sine fructu amicorum, & commodo Pauli.

De Apro.

LXXI. LVIII.

Lintea ferret Apro vacuus cùm vernula nuper,*
Et supra togulam lusca sederet anus;
Atq; olei stillam donaret Opelicus unctor:*
Nudorum tetricus censor, & asper erat.
Frangendos calices, effundendumq; Falernum
Clamabat, biberet ∴ qui modo lotus eques.*
*A sene sed postquam * numi venere trecenti:*
Sobrius à thermis nescit abire domum.
O quantum diatheca valent, & quinq; comati?*
Tunc, cùm pauper erat, non sitiebat Aper.

* V. Vatius, Varius *daret ent[e]rocelicus unctor.

* V. biberet: ∴ si modo quod modo. * patruo.

* V. diatreta

Aper tenuis in balneis reprehendebat luxum potantium: Interim testamento legati fere bantur illi trecenti nummi, quos ille statim in dolium contulit, ebriusque è thermis ægrè domum rediit. Poeta Aprum ante hæreditatem non sobrium, sed mendicum, superaturum fuisse potatores, si facultates suppeditassent, id quod euentus postea docuerit.

LINTEA] Lauanti Apro verna vacuus, mendicus, & vilis ferebat lintea, quibus se abstergeret. De linteo Heraldus postquam in balneis, inquit, lauarant, (nostri Grammatici dicunt lauerant) oleo se perfundebant, & quandoque beatiore vnguento, ac linteis postea tergebant, quæ domo sibi afferenda curabant. testes subiicit idoneos Apollon. Arbitrum, Marcellinum. VACVVS] Scriuerius emendat varius, qui distortis est pedibus. Vide epigramma 16. lib. 2. in Zoilum. SVPRA TOGVLAM] Et vestes illius vxor, forte anus & lusca in apodyterio, vbi vestes lauaturi reponebant, custodiebat. Fures enim balnearij vestibus insidiabantur: quorum innumerus prope numerus. Lege Annotationes VVouerij ad illa Petronij. *Subducta enim vestimenta sibi dispensatoris in balneo, &c.* Fuisse apodyteria iuxta balneas, ipse vsus etiam hodie docet, & Plinius lib. 5. docet: *Inde apodyterium balnei laxum & hilare excipit cella frigidaria, &c.* Cic. ad Q. Fratrem: *Inde apodyterio nihil alitius, nihil muscosius.* Et alibi: *In balneariis hypocausta in alterum apodyterij angulum promoui, &c.* Custodes vero apponebantur, ne vestes sublegerentur.

ATQVE OLEI STILLAM D. OPELICVS V.] Vngebantur veteres in balneis, palæstris, & conuiuiis: de palæstris & conuiuiis dictum supra. Plinius lib. 2. ep. 17. Addit balineis vnctuaria & hypocausta. Apuleius 2. Florid. de Hippia loquens: *Magno, inquit, in cœptu prædicauit fabricatum semet sibi ampullam quoq; oleariam, quam gestabat lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate, iuxtaq; honestam strigileculam, &c.* Vitruuius locum, vbi vngebantur, appellat eleothesium vel eleodeusium, emendarim ego eleothecium, sicut myrothecium, vt Philander emendat. Aper autem tam pauper erat, vt nec lechitum seu guttum, ampulamue olei, nec oleum haberet, quo se in balneis vngeret, vt ipse vnctor Opelicus, stillam seu guttam olei donaret. Gruterus legit ex MSS. daret enterolicus vnctor, cogitabat opinor *entero. elicus* non enterolicus, quod nihil sonat. De enterocelis diximus lib. 10. ep. 57. enterocelicus vnctor est qui enterocelos seu ruptos & herniosos vngit. Vel enterocelicus est herniosus cui intestina defluunt in scrotum.

NVDORVM CENSOR] Nec pudorem tectos accipe; nudi enim toto corpore, lauabant. quæ caussa fuit; vt veteres obscuriora balnea intrarent, ne se nudos viderent, aut viderentur. Vbi luminosa facta, verecundi tegebant naturam. Multa ex Clementis pæd. lib. 3. cap. 5. Hieronymo ad Lætam. Ambros. lib. 1. Off. cap. 18. Augustino de. Ciu. lib. 14. & aliis plurimis; Sauaro ad epist. 2. lib. 2. Sidonij.

Bibebant in balneis Quintil. c. 9 lib. 1 Iuuen. sat 8. de Damasippo.

FRANGENDOS CALICES] tollendas potationes, hoc enim sonat, *frangendos calices*, hoc loco; quasi nulla sint suppeditanda pocula ad hauriendum vinum.

A SENE] qui Aprum hæredem trecentorum nummorum scripsit, hoc est, septem philippæorum cum semisse.

SOBRIVS N.] Extemplo se ingurgitauit in merum, in ipsis adhuc thermis, quamuis paruorum factus dominus nummorum; quid faceret diues?

O QVANTVM] Irrisio est. Quid non possunt diuitiæ, quam celeriter mutant hominû mores

DIATRETA] Cælius Rhod. lib. 27. cap. 27. *Calix vero diatretus Vlpiano intelligitur, tessellatus, & torno* *conca-*

concinnatus: vnde diatretarij artifices adpellantur. Mart. 12. *Alij Diatheca tuentur, vti passim legitur, ac testamentaria intelligunt bona.* Turnebus lib. 27. c. 31. legit diatreta. & diatretos calices exponit clauatos, insertis clauorum capitulis ad ornatum, aut aliis emblematis, vel è crystallo, myrrha, aut metallo artifici perforato, & in foramina gemmas inserenti atque emblemata. Alij diatreos calices putant cælatos; & tornatiles, quæ toreumata dicuntur. Plura exemplaria, non habent diatreta, sed diatheca διαθήκη Græcis testamentum sonat. Quæ lectio parum conuenit loco: nisi dicas testamento legatos esse quinque comatos & trecentos nummos.

Idem Briss. ex Vlpiano calix diatretus vnde diatretarius.

TVNC, CVM PAVPER ERAT NON SITIEBAT APER] Quasi vero diues factus sit trecentis nummis: est, vt dixi, irrisio. Quid autem facturus erat diues Aper in balneis, si pauper etiam potauit? Vide Sen. lib. 1. de Ben. cap. 9.

Ad Pannicum.

LIX. LXXIII.

*Iugera mercatus prope *, busta latentis agelli,*
Et male† compactæ culmina fulta casæ,
Deseris vrbanas, tua prædia, Pannice, lites
Paruaque, sed tritæ præmia certa togæ.
Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque solebas
Vendere pragmaticus; nunc emis agricola.

**Gallica intellige.*
†V. Cposita

IVGERA] Pannicum caussidicum fructuosa dicendi arte deserta agellos ementem steriles irridet.

IVGERA] Iugerum est, quod vno die iuncti boues arant. De iugerum dimensione lib. spect. ep. 1. fuse disputatum.

PROPE BVSTA LATENTIS AGELLI] Busta Gallica intelligunt plerique, ad Cloacam Maximam in quarta vrbis regione apud Pantuinium. Est locus, vbi Galli à Camillo interfecti sepulti fuere, vbi nunc S. Andreæ templum, ad busta Gallica visitur, & corrupto nomine, portugallo nuncupatur. Abest haud multum ab Amphitheatro, quod in media vrbe à Tranquillo in Tib. collocatur. Liuius tamen lib. 5. naturam nominis quidem ab interitu Gallorum, sed morbo & pestilitate, non ferro interemptorum affirmat hisce verbis: *Sed ante omnia obsidionis bellique mala fames vtrinq; vrgebat exercitum Gallos pestilentia etiam cum loco iacente, inter tumulos, castra habentes, tum ab incendiis torrido & vaporis pleno, cineremq; non puluerem modo, ferente, cum quid venti motum esset; quorum intolerantissima gens est, humorique ac frigori assueta, tum æstu & angore vexati, velut in pecora morbis morerentur. Iam pigritia singulos sepeliendi, promiscue aceruatos cumulos hominum vrebat: bustorumq; inde Gallicorum nomine insignem locum fecere.* Ex quo loco simul intelliges, cur poeta dicat *latentis agelli*; depressa enim illic terra & iacens erat Roma, vt latere videretur, vbi castra habebant Galli; placetq; busta non in Exquiliis, sed in 4. regione interpretari. Nec desunt, qui eundem dicant locum *doliola* dictum, à doliolis sub terra, vbi non licebat spuere. Quamuis opinio vetustior obtinuerit, illic mystica quædam Numæ condita fuisse, aut Gallorum cineres, vnde busta Gallica. Plura Marlianus lib. 3. cap. 19. & cap. 25.

DESERIS VRBANAS LITES] Sensus: agrum sterilem mercatus, deseris forum ditius, agrum feraciorem, hoc est, caussas, tua prædia.

PARVAQVE SED TRIT. PR. CERTA TOGÆ] Vrbanorum officiorum & laborum certam mercedem, quamuis paruam, sportulam pro salutatione & comitatu, pro caussis, quod dant clientes. Iuuen. Sat. 7. Significat fuisse caussidicum simul & salutatorem, quæ officia togati obibant, tunicati autem erant in agris, vt supra, *O tunicata quies &c.*

Liuo.

FRVMENTVM MILIVM PTISANAMQVE FABAMQVE] Milium Græcis κέγχρος & κεγχρὶς & πανικὸν dicitur. Germanis Hirsch. Aliud est Europeum, aliud indicum. Ptisana hoc loco, pro ipso hordeo, seu oriza accipitur, est & hordeum coctum, aut sorbitio & potio hordeacea; de hac scripsit Hippocrates, vt Plinius tradit: nos plura lib. 13.

VENDERE PRAGMATICVS] Dum caussas ageres & agro careres, abundabas ex dono clientum, omni genere frumenti & frugum; postquam emisti agrum, & frumento cares & frugibus. locus est ex absurdo & contrario, cum contra factum oportuit.

Habebas tum cum careres cum habes emptu cares

PRAGMATICVS] hic caussidicum intelligit. etsi nihil impediat etiam proprie pragmaticum hic interpretari. Pragmatici sunt ex familia Iurisconsultorum Oratorum quasi serui, vt Cicer. 1. de Orat. docet. *Itaque non vt apud Græcos, infimi homines mercedula adducti, ministros se præbent in iudiciis oratoribus, ij, qui ab illis pragmatici vocantur.* Fabius lib. 12. cap. 3. *Neq; ego sum nostri moris ignarus, oblitusue eorum qui velut ad arculas sedent, & tela agentibus subministrant: neque idem nescio Græcos factitasse vnde nomen his*

men bis pragmaticorum datum est· Sunt ergo pragmatici, qui Oratorib' leges & ius suggerunt. De pragmaticis functionibus hic non disputo. Rhodiginum lege lib. 25. cap. 22. Heraldum ad hunc locum.

Ad Catullum.

LXXIV. LX.

Hæredem tibi me, Catulle, dicis.
Non credam, nisi legero, Catulle.

HÆREDEM] locus ex ambiguo, verbi *lego*, quod ad testamentum legendum seu tabulas, & & pecuniam & ossa defuncti refertur, lego enim librum, lego pecuniam, vt apud Horatium.

Relegit omnem Idibus pecuniam.

Lego etiam ossa, seu colligo. poeta se non crediturum ait scriptum hæredem, donec legat, quod primo aspectu refertur ad codicillos seu tabulas, altero ad pecuniam, tertio ad ossa. Non credam, inquit, donec legam testamentum, imo non credam, donec moriare, & legam ossa tua. Enimuero nec credam post mortem, donec mihi numerata legatur pecunia. Ita occultè mortem precatur Catullo, qua probet se esse hæredem. Proba ergo te vera dicere, & morere.

Ad Flaccum.

LXXV. LXI.

Cùm tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Hi magis audaces, an sunt, qui talia mittunt
*Munera? sed * gemmis vtilis vsus inest.*
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis.
Quid, quòd securo potat conuiua ministro.
Et casum tremulæ non timuêre manus?
Hoc quoq; nonnihil est, quòd propinabis in istis,
Frangendus † fuerit cùm tibi, Flacce, calix.

* *geminus vi libus vsus, emendare, ex ponit enim geminum mox vsum cui alterum geminum.*

† *V. fuerat.*

Anteponit vsum calicum fictilium, calicibus vitreis & crystallinis ex Ægypto allatis propter vsum & minus precium, & minus incommodum si frangantur aut frangendi sint. CVM TIBI NILIAC. P. CRYSTALLA CATAPLVS] sto cum Turnebo, pro Domitio, contra Merulam, & cataplus lego, non catastus. Cataplus propriè est appulsus classis, de quo multa erudite Casaubonus ad Augustum Suetonij, cap. 97. Et cataplus Niliacus nihil aliud est, quàm nauigatio Ægyptiorum. Ex Ægypto enim annona, & merces plurimæ Romam aduehebantur, & quia Græcè loquebantur, etiam Græco vocabulo eorum nauigatio κατάπλους, cataplus hic vocata est. Vlpian. de officio proconsulis. *Sed & quæ Græci ἐπιδημίας, siue κατάπλουν obseruare.* Sidonius,

Si tuum cataplus arserit.

Ausonius, *——toto tibi nauigat orbe cataplus.*

DE CIRCO POCVLA] fictilia, quæ in regione 9. circi Flaminij venum exponebantur, aut calices vitrei, non fictiles: sequitur enim.

HI MAGIS AVDACES] Romæ quippe vitra vilia ad Circum Flaminium vendebantur. Audaces vocabantur, quod specie quadam auderent imitari crystallina, de quibus lib. 18. lemmate, *calices.*

Non sumus audaces plebeia toreumata vitri.

Sensus ergo: suntne hi calices magis audaces, an illi, qui dant tales, tam viles. Officina vitri in circo Flaminio, an ibi etiam facta vitra. Bulengerum vide lib. de Circo cap. 5. Circum Flaminium antea Apollinarem dictum accuratè describit Onuph. Panuinius l. 1. de ludis Circensibus, c. 18. Bulengerus de Circo, c. 5. vbi plura de hoc versu Martialis & toreumatis.

SED GEMMIS VTILIS VSVS INEST] Hoc quasi ex persona Flacci obiicientis: At gemmæ etiam vsum habent in pellendis morbis; venenis, insania, aliisque non paucis rebus. Si vetus libro 37. Plinius capite 2. & sequentibus, Dioscorides, alij. Malim hic emendatiorem scripturam admittere.

mittere, vt mihi videtur, & cum aliis exponere: quamuis sint hæc pocula vitrea de Circo Flaminio & vilia, tamen vtilem eumque geminum vsum habent. nemo fur illis insidiatur: & non rumpuntur calida & feruente aqua. de audacibus lib. 13 porro inquiremus. possis ergo legere: Sed geminus vilibus vsus inest. Si placet seruare communem scripturam possis exponere etiam *Gemmas* metaphoricè: possunt enim & fictilia ita fingi & tingi vt gemmas imitentur.

NVLLVM SOLLICITANT] non negat poeta vim gemmarum (si ita legas) poculis insertarum: sed hanc quoque inter alias virtutes ait habere facultatem, vt fures alliciant, qui vitreis vilibus & fictilibus non insidientur. Nullum, inquit, hæc toreumata, hæc pocula fictilia & ficta è luto furem inuitant; nec rumpuntur aqua calida, vt crystallina, nec periculum creant ministro, si casu manum fugiant conuiuæ, vel minist i. Conuiuas etiam obseruare cogebantur ministri, ne vel frangerent, vel gemmas acutis vnguibus, vt iuuenalis ait, exsculperent. Est certè apud Senecam, quod ante meminimus, rei atrocis narratio, de Vedij puero, crystallinum frangente, eoque ad murænam damnato, & ab Augusto seruato. Et tam solicitierant famuli in tenendis & porrigendis crystallinis, vt ex ipsa solicitudine, & cura peccarent, poculaque frangerent, quod lib. 14. poeta docet lemmate, crystallina.

Custodes communem nunquam apponebantur, ne gemmas legerent Iuuen. Sat. 5.---- custos affixus ibidem. Qui numeras Gemmas,

Frangere dum metuis, frangis crystallina: peccant
Securæ nimium, sollicitæq; manus

HOC QVOQVE NON NIHIL EST] etiam hoc habent commodi, quod fictilia propinata impuro & olenti ori, possint sine magno commodo & iactura frangi; non item crystallina. Plinius lib. 28. cap. 2. Græcus epigrammatarius lib. 2. de olenti ora & fr ctis calicibus: ἔχθές μοι, &c. Sed aliud latere videtur, quam modo dictum: incantat ones timebant veteres, ouaque so pta & cochleas frangebant, metu dirarum, quibus etiam figlina opera credebant obnoxia. Ergo si putaris calicem incantatum, sine damno franges poculum

De caritate vini.

LXII. LXXVII.

Amphora vigeßis, modius datur ære quaterno.
Ebrius, & crudus nil habet agricola.

Hoc distichum contrario prorsus intellectu potest exponi. Primum vt inscriptio docet, per auxesin de caritate vini, vt sententia sit: In summa annonæ & vini caritate satur um tamen & ebrium esse Agricolam, κυρίως vel κοινῶς colonum; atque ita decoquere, vt nihil ei supersit numorum. Deinde per μείωσιν siue diminutionem tantam esse vilitatem annonæ, vt agricolæ diu noctuque studeant compotationibus atque abliguriant rem familiarem. Vel primo rursum sensu: in summa annonæ caritate Agricolam virum cœnipetam, per artes adulatorias captasse cœnas aliorum, & assidue aliena quadra ructasse crapulam. Iam si quæras, quid mihi in hac sententiarum varietate vero propius videatur; κατὰ μείωσιν exponendam, non αὔξησιν puto Martialem, & titulum distichi corrigendum qui alioqui non complectitur rem totam, cum æque de frumento quam vino agatur.

Amphora ergo vigesis est, duobus nempe denariis, siue quatuor victoriatis, hoc est sedecim cruciferis. Continet autem amphora sextarios quadraginta octo, siue quatuor & viginti mensuras vini nostratis. vile ergo villum, seu villi precium erat, & duo sextarij non toto asse veniebant. Frumentum etiam vilius, ære quaterno, hoc est, cruciferis tribus & quadrante. Apud Tacitum lego frumenti modium tribus numis, siue sex cruciferis veniisse, quod erat leuissimum precium. Sequitur ergo leuius esse ære quaterno. Hic aduerte lector non agi de largitionibus frumenti à Clodio cæptis, & ab imperatoribus propagatis, sed de communi frumento quod extra largitiones publice vel priuatim venum ibat. Dubito præterea an poeta de frumento Romæ vel in Hispania Bilbili venum dato loquatur, cum hunc librum in patria condiderit. Vincentius Contarenus libro de frumentaria Romanorum largitione nihil de hoc versu, vel re ipsa disputat.

lib. 15.

De * Æthonte.

† Aethonte.

LXIII. LXXVIII.

Ante Iouis statuam crepuit satur histrio: pœnam
Iupiter indixit, viuere de proprio.

Olidus est locus. Aethontem ob ventris crepitum à Ioue multatum ait domicœnio trinoctiali, vt domi nempe, inuitatus à nemine, cogeretur tribus diebus cœnare. Histrio cum pauper esset, domi prope ieiunia cœnabat; hoc enim Martiali est domicœnium libro quinto epigram. 48.

Nunquam se cœnasse domi Philo iurat, & hoc est:
Non cœnat, quoties nemo vocauit eum.

Eodem lib. 79. *Si tristi domicœnio laboras*
Turani, potes esurire mecum.

IOVIS STATVAM] Honorem statuis Deorum habitum liquet, quando pro ipsis diis adorabantur. Vnde Cicero contra Cæcilium dixit à Verre sublatos Deos è Sicilia, cum deorum simulachra abstulisset. de qua re Lactantius libro 2. cap. 4. Nec Deorum tantum, sed Imperatorum quoque statuæ & Regum ita cultæ sunt, vt qui violaret, contaminaret, vllaue contumelia afficeret, maiestatis reus fieret. Postulatus est maiestatis L. Ennius E. R. quod effigiem principis promiscuum ad vsum argenti vertisset. Capitale quoque erat ad Augusti simulachrum, seruum cædere, vestem mutare, nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse. Narrat Seneca lib. 3. Ben. Tiberio imperante prætorium quendam virum in annulo insculptam Cæsaris imaginem habentem, cum matellam sumpsisset, maiestatis postulatum, quod imaginem obscænis admouisset. Quare nec eos contingere fas erat aut lædere, qui in periculo ad Cæsarum statuas confugissent. Plura Brissonius lib. 4. Select. ex Iur. ciuil. Antiquit. C. XI. CREPVIT] ventre non ventriculo: aliquid animæ amisit, vt Plautus iocatur: si de vomitu accipies, non bene conueniet, quod sequitur *viuere de proprio*, nisi ex histrione canem facias ad vomitum redeuntem. PŒNAM IVPITER IND.] ob contumeliam statuæ, crepitu factam. VIVERE DE PROPRIO] Effecit, vt nemo per triduum infœlicem histrionem inuitaret, vt ventrem propè exinaniret, ne satur amplius pederet & creparet. hanc esse mentem docet ipse poeta, de eodem suprà, quod omissum hic subscribo.

Multis dum precibus Iouem salutat
**Stans summo resupinus vsq; in * angues,*
AEthon in capitolio pepedit.
Riserunt homines: sed ipse diuûm
Offensus genitor, trinoctiali
Affecit domicœnio clientem.
Post hoc flagitium misellus AEthon.
Cum vult in capitolium venire,
*Sellas ante petit * Patroclianas*
Et pedit deciesq; viciesq;
Sed quamuis sibi cauerit crepando,
Compressis natibus Iouem salutat.

** Brissonium vide de ritu adorandi. Form.*
** Vngues lege*
** Latrinas à patrocle Aristophanico dictas Turneb. lib. 30. c. 16.*

Ad Bithynicum.

LXXX. LXIV.

Nil in te scripsi, Bithynice: credere non vis,
Et iurare iubes? malo satisfacere.

Rursus ex ambiguo argutus iocus. Bithynicus siue Volusius, siue Paulus querebatur à poeta scriptum esse infame carmen, negabat poeta. Exigenti de more iusiurandum in foro Bithynico, aut pecuniam, nisi iuraret, ait poeta se malle satisfacere & soluere, quam iurare: sed satisfacere Martialis refert ad carmen, non ad pecuniam, vt dicat malle se scribere in Bithynicum carmen virulentum, quam numerare aliquid: vel malo scribere in te, quam iurare nil scripsisse me, quod dum facit, lædit magis. ita sibi satisfecit, non Bithynico. Satisfacere, hic etiam potest idem valere, quod culpam deprecari, & veniam delicti petere, vt apud Plautum Amphit. *Quin ego illum aut deseram, aut satisfaciat mihi, &c.* Hic ambigue poeta malo satisfacere, id est deprecari, vel malo satisfacere, scribere in te. Plura ad hunc leguntur lib. 2. ep. 50. lib. 9. ep. 7. De iureiurando Quintil. lib. 5. cap. 6.

De Callistrato.

LXXXII. LXV.

Ne laudet dignos, laudat Callistratus omnes,
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

Callistratus, vt neminem offenderet laudabat omnes, poeta negat verum esse iudicium, quod nec omnes sint pares, nec omnes sint boni. Ita fieri, vt improbi etiam laudentur, quod qui facit, ipse reprehendendum se docet. hoc ingenium fuisse Angelo Politiano ferunt. Contrarium est, supra lib. 5. ep. in Mamercum. vide A. Gellium lib. 6. cap. 1. Seneca lib. 1. de Clem. Sed non tamen vulgo ignoscere decet. Nam vbi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio sequitur & vitiorum eruptio.

De

De Vmbro.

LXVI. LXXXIII.

Bruma diebus, feriisq; Saturni
Mittebat Vmber aliculam mihi pauper:
*Nunc * mittit alicam: factus est enim diues.*

* misit.

BRVMÆ] Notat auaritiam Vmbri, qui plus pauper donaret in Saturnalibus poetæ, quàm diues, pauper aliculam; diues alicam donabat. ALICVLAM] Alicula hic Cuiacio non cibus, sed genus togæ est puerilis. lib. 10. obser. cap. 18. *Inter puerilia numerantur alicula, id est, toga breues.* lib. 10. epig. 14. *Quando breuis gelida missa est toga tempore bruma.* aliis cibus est, vti & mihi. Alica dicitur Festo, quod alat corpus. Isidorus ait Græcanicũ esse, Est flos frumenti. Fiebant inde pultes & sorbitiunculæ panesque, de quibus lib. 13. suo Lemmate. d. quo pacto fiat scribit Apicius lib. 5. cap. 5. Tria genera eius enumerat Plinius lib. 18. cap. 11. minimum, ex flore ipso alicæ factum; alterum secundarium, paulo crassius; tertium aphorema, id est, grandissimum & vilissimum. NVNC MITTIT ALICAM] videtur dicere maius quid esse alicam, quam aliculam, cum minus sit; carpitque Vmbrum, post quæsitas opes sordidiorem ac antea, factum.

De Menogene.

LXVII. LXXXIV.

Effugere in thermis, & circa balnea non est
Menogenen, omni tu licet arte velis.
Captabit tepidum dextra læuaq; trigonem,
Imputet acceptas vt tibi sæpe pilas.
*Colliget & referet * lapsum de puluere follem,*
Et si iam lotus, iam soleatus † erit,
Lintea si † sumas, niue candidiora loquetur,
Sint licet infantis sordidiora sinu.
Exiguos secto comentem dente capillos,
Dicet Achilleas disposuisse comas.
Fumosæ feret ipse † tropin de fæce lagenæ,
Frontis & humorem colliget ipse tuæ.
Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
Perpessus, dicas, tædia mille, veni.

* V. laxum malum. † V. erit. † V. fumes. † tropin. † fuset.

Cœnipetam ad vnguem describit. vnde discis, quibus artibus olim captarint adulatores, clientes, & parasiti potentiorum culinas. EFFVGERE] Vbique officiosus adest seu frigida, seu calida laues. CAPTABIT TEP. D. L. TRIGONEM] trigonalis pila sinistram potissimum exercebat, vt in distichis docet. * Menogenes dextra iuxta ac læua pilam excipiet, & tibi ascribet exceptam, velut docto artis pilæ. Pilam trigonalem non à figura ipsius pilæ, sed ludentium & in trigono stantium appellat, quod supra monuimus ex Mercuriali. Alioqui trigon locus quoque triquetrus est, in quo luditur pila seu trigone. TEPIDVM] humidum, madefactum sudore ludentium. FOLLEM] Et de hoc pilæ genere iam supra dictum sæpius, & lib. 14. dicetur senibus & pueris folles conuenire. IAM LOTVS IAM SOLEATVS] Octaua hora alij lauabant, alij ludere pergebant quod lemmate *tintinabulum* lib. 14. docet poeta.

Aelij frater est his Menogenes. Adi lib. 1. ep. 23. * exceptas & scrofissime. Lib. 7. ep. 31.

Redde pilam: sonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum?

Menogenes cœnæ caussa iam erat officiosus, vt etiam lotus iam & soleatus, hoc est, iam accubiturus, non dubitarit inquinare pedes. Solea Verrio non solum ea quæ solo pedis subiicitur, sed etiam pro materia robusta, super quam paries cratitius extruitur. Isidorus *soleæ sunt, quibus tantum pedum plantæ teguntur, dictæ à solo pedum.* Item: *Soleæ materiales ex materia corio intexta.* Soleas post lotionem adhibebant, quas tamen accubaturi exuebant. LINTEA] ad balneas quibus corpus tergas vt supra d.

EXIGVOS SECTO DENTE C. CAPILLOS] periphrasis pectinis, qui ex dente elephanti in radios secti fiebat. ACHILLEAS COMAS] Philostratus in Heroicis de Achillis coma. Τὴν μὲν δὴ κόμην ἀμφιλαφῆ αὐτῷ φασὶν, καὶ χρυσῆ ἡδίω, καὶ εὐχερῆ ὅπη καὶ ὅπως κινοίη αὐτὴν ἢ ἄνεμος ἢ αὐτός. *Comam dicunt illi esse densam, & vtrinque prehensibilem, auro iucundiorem gratioremque, quocunque aut vtcunque agitaretur à vento vel ab ipsomet.* Et alibi: Ἐπισκήνιόν τι καὶ θυμοειδὲς χρῆμα. *Velut vmbraculum quoddam frontis & magni animi incitamentum.* Flauam Achillis comam Homerus celebrat lib. ψ. qui ἐπιτάφιος dicitur.

Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην
Stans seorsim à rogo flauam totondit comam.

De eadem: *Et quam Sperchio tumidus seruabat Achilles.*

TROPIM] τρόπις Hesychio est τὸ κατώτατον τῆς νεὼς, hoc est, infima nauis pars: hic pro vino ex infima lagena deterrimo & vapido, adeoque ipsa fece. Accipitur translatè, Tropis, pro infima parte lagenæ. Tropis Tropios & Tropidos apud Græcos scriptores reperies. τροπίας & ἐκτροπίας est vinum vapidum. Vtebantur eo veteres vel ad corpora abluenda in balneis, vel ad vomitum (de quo aliâ dictum) ante cœnam ciendum. Fumosæ dicit, vt ostendat vinum per se malum & Massilianum fuisse, & illam ipsius partem iam corruptam & fecem τρόπιν appellat. PERPESSVS TAEDIA] Affectus molestia ex tam importunis officiis. VENI] ad cœnam, tum quiescebat Menogenes.

Ad Polytimum.

In comam pueri sui.

LXXXVI. LXVIII.

Nolueram, Polytime, tuos violare capillos:
Sed iuuat hoc precibus me tribuisse tuis.
Talis eras modo tonse Pelops, positisque nitebas
Crinibus, vt totum sponsa videret ebur.

Cæsariem Polytimi venustam prius noluerat poeta tonderi, tonsam gaudet, quod inde candor reluceat corporis, antea coma tectus. PELOPS] Cui eburneus fuerat humerus, vt fabulantur poetæ. Natalis Comes lib. 7. cap. 17. rem exponit. Sponsa fuit Hippodamia.

De Cotta.

LXXXIX. LXIX.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes Vernam,
Qui solus inopi præstat, & facit turbam:
Excogitauit homo sagax, & astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum:
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

Irridet Cottæ extremam inopiam dissimulantis. BIS COTTA SOLEAS] Iam supra diximus isse soleatos ad conuiuia, quas tamen in ædibus & tricliniis ponebant, seruisque custodiendas tradebant. Cotta cum nullas haberet vel soleas vel calceos, nudipes & excalceatus conuiuatum ibat & facere id furum caussâ dicebat, quod bis iam soleas amisisset. DVCIT AD PEDES VERNAM] seruum à pedibus, sicad manus, ad aures, & pocula seruus. FACIT TVRBAM] in toto comitatu suo nihil habet præter vnicum seruum. EXCALCEATVS] O ingeniosum hominem & versutum, qui cum miser esset, nolebat tamen videri miserabilis. Seneca epistola 88. *multo excalceatus non propter æstatem.* Hodie pagani homines passim per æstatem calceati incedunt, maluntque pedes quam calceos lacerare, multos paupertas excalceauit.

De Tongiliano.

LXX. XC.

*Tongilianus habet nasum: scio, non nego: * sed iam*
Nil, præter nasum, Tongilianus habet.

TONGILIANVS HABET] Iterum ludit in ambiguo verbo nasi. primo versu translatè, altero propriè accipit nasum. Tongilianus habet nasum, iudicat acutè & censoriè, non ego habeo, sed ille; sed malò, non nego. NIL PRÆTER NASVM] tam est pauper, vt nihil præter se, imo nec se, sed tantum nasum suum habeat; nasus enim Tongiliani maior est Tongiliano. Vide epig. Græcum. *Harpocrates nasi*, &c. Est & alius sensus illius, *nil præter nasum*. quasi à iudicio penitus aberrarit, totusque à naso suo suspensus sit.

* Ego, Iunij editio. nego, Aldi, quam probo.

Ad Charinum

LXXI. XCI.

Quod lana caput alligas, Charine
Non aures tibi, sed dolent capilli.

Argutè ridet Caluum, qui focale adhibebat, vt caluam, non aures, tegeret, cui dolebant capilli, non quos habebat, sed quibus carebat, quod eum caluitij puderet. De focali lib. 14. dicemus, & iam supra nonnihil attigimus.

De Marone.

LXXII. XCII.

*Pro sene, sed * caro votum Maro fecit amico,*
Cui grauis & feruens hemitritæos erat:
Si stygias æger non esset missus ad vndas,
Vt caderet magno victima grata Ioui.
Cœperunt certam medici spondere salutem
Ne votum soluat: nunc Maro vota facit.

* clarò. vald. de arrodes, vel, ceu caro, vel Sociaro. quod non bellum. De more vouendi pro amicorum salute Iuuen. sat. 12. Multo plura ad hoc epigram. Heraldus.

Lepide & acerbè tangit Maronem testamenti captatorem deceptum. PRO SENE] ex quo spes erat hæreditatis prope certa cum senex & æger esset. CLARE] vt senex exaudire posset, de claris & occultis votis Persius multa Sat. 2. De modo signandi vota & incerandi genua Deorum habes apud Turnebum & Heraldum in hunc locum. HEMITRITAEOS] pestilens febris semitertiana; de qua dictum lib. 2. epig. 40. De hac, & Q. Serenus Samonicus. VT CAD.] vouit pro salute senis victimam Maro. Senex pro hac caritate scripsit Maronem hæredem. Interim cœpit conualescere. perturbatus Maro, qui senem cupiebat mori, vouit aliam victimam, vt moreretur, ne simul hæreditatem amitteret, & victimam; planè huius ingenij erat Regulus, vt Plinius iunior in epistolis docet. Multa super his captatoribus Lucianus passim.

Ad Priscum.

LXXIII. XCIV.

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simq; repente potens:
Quemquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Fingit se interrogatum à Prisco, qualis futurus fuerit, si dij fortunatum & beatum fecissent: Respondet id quidem certo neminem prouidere; si tamen licet ex vobis diuitibus coniectare, leo essem, quia tales estis, tenues opprimitis & deuoratis, argutè & salsè; diuites quippe diuitum ingenia

genia induunt. Sæpe accuſatum imus magiſtratus, quibus grauius peccaremus, ſi in ead. poteſtate viueremus, αἱ γὰρ ἀρχαὶ δεικνύουσι τὸν ἄνδρα. Seneca ep. 42. *Odit eos, qui ſubita & magna potentia inſolenter vtuntur; idem faciet, cum idem poterit. Multorum quia imbecillia ſunt vitia, non minus auſura, cum illis vires ſua placuerint, quàm illa quæ iam felicitas aperuit.* Multa ſuper hoc epigrammate Parthius l.2. c.19. p.92.

In Tuccam.

XCI. LXXIV.

Scribebam verſus. *V. ambitioſa.*

**Scribebamus epos: cœpiſti ſcribere: ceſſi,*
Æmula ne ſtarent carmina noſtra tuis.
Tranſtulit ad tragicos ſe noſtra Thalia cothurnos:
Aptaſti longum tu quoq; Syrma tibi.
Fila lyræ moui doctis exculta Camœnis:
*Plectra rapis nobis * ambitioſa noua.*
Audemus ſatyras: Lucilius eſſe laboras.
Ludo leues elegos: tu quoq; ludis idem.
Quid minus eſſe poteſt? epigrammata fingere cœpi:
Hinc etiam petitur iam mea fama tibi.
Elige, quid nolis; quis enim pudor omnia velle?
Et ſi quid non vis, Tucca, relinque mihi.

SCRIBEBAMVS EPOS] In æmulum Tuccam omnia poetæ ſtudia imitantem, quem eleganter monet, vt ſibi tantum ea relinquat, quæ ipſe nolit. turpe eſſe omnia velle, cum in vno excellere vix poſſis. Epos) Heroicum ſeu Epicum ἀναμφισβητήτως intelligendum; vt miter Domitium iambicum interpretari, cum ipſe poeta mox Tragicum ſubiiciat, quod genus vtique iambo conſtat. Et Ariſtoteles, Plato, Euſtathius ad Homerum, & quicunque de poetica ſcripſerunt, coniurati docent, epos eſſe ſpeciatim heroicum & hexametrum. Vnde dicti epici Homerus, Virgilius & his paria ſcribentes. Vnde & ἐποποιία hoc eſt, poeſis heroica κατὰ πλάτος omne genus carminis fortean ſignificauit, quando dicitur μηδὲν πρὸς ἔπος nihil aduerſum, etſi aliter alij vertant, & dicant latinis eſſe, nihil ad rem. plura Lambinus ad Horat. lib.1. ſer. Sat.10. Incipit autem ab heroico quod eſt ex genere carminum præſtantiſſimum. Biſciolam vide aduerſus Ariſtotelem ſentiétem in quæſtione, An poetis epica nobilior ſit Tragica, Tragicam antepònit Stagirita epicæ; Martialis epicam, qui iudicium fert de omni ferè genere poeſeos, quod ex ipſo ordine verſuum intelligi poteſt, cùm primo diſticho canit: *Scribebamus epos:* altero, *Tranſtulit ad Tragicos.* tertias dat Lyricis: *Fila lyræ moui.* quarto loco Satyras laudat: *Audemus Satyras.* Quinto Elegias: *Ludo leues elegos.* Poſtremò epigrammata, *Quid minus eſſe poteſt, epigrammata fingere cœpi.* Comicum reor ſub Tragico cõprehendi. Habet ergo Biſciola ſuffragatorem Martialem, & ſimul Martialis acuti hominis de diuerſo & ferè vniuerſo genere poeſeos ſententiam. SYRMA] veſtis Tragœdis propria, à σύρω, traho; de qua dictum ſupra. LYRÆ] Lyricum accipe, quale ſcripſit apud Græcos Steſichorus, Bacchilides, Ibycus Anacreon, Pindarus, Simonides, Alcman, Alcæus, Sappho, Corinna. Apud Latinos Horatius primus, & fortè poſtremus hoc dignus nomine.

SATYRAS] quales ſcripſere Lucilius, Horatius Perſius, & poſtremus tempore, prior arte Iuuenalis. De Satyra plenè Caſaubonus. ELEGOS] luſere Tibullus, Propertius, Ouidius. EPIGRAMMATA] vltimo loco ponit ſuam artem, quod velut mixtum eſt ex omni genere & argumentorum & carminum.

Ad Bœtim.

C. LXXV.

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Quem

Quem Bromius, quem Pallas amat, cui rector aquarum
Albula nauigerum per freta pandit iter:
*Ominibus lætis * nostras Instantius oras*
Intret, & hic populis, vt prior annus eat.
*Non ignorat, onus * quod sit, succedere Macro.*
Qui sua metitur pondera, ferre potest.

Instantium Rufum Macro successurum in prouincia excipit carmine. BOETIS OLIVIFERA CRINEM REDIMITE CORONA] Bœtim fluuium alloquitur, & precatur, vt Instantium fœlici auspicio accipiat. OLIVIFERA] Ab olei copia supra laudauit Cordubam oppidum Bœticæ: Abundauit semper Bœtica oleo, quod Plinius lib.15.cap.2. confert cum Istro oleo, & Statius libro 2. sil.

Alij poetæ plerumq; fluuios arundinibus cingunt Virg. 8. Ouid. 5. Fast. Rutilius lib.1. Sidonius Car. 2.

Vnctis Bœtica prouocas trapetis.

Bœtis autem fluuius toti prouinciæ Bœticæ nomen dedit, quam & mediam secat, quæ cunctas prouinciarum, Plinij præconio, *diuiti cultu, & quodam fertili, ac peculiari nitore præcedit*. Idem albi: *Bœtis in Tarraconensi prouincia, non, vt aliqui dixere, Mentesa oppido, sed Tugiensi exoriens saltu.* Habet ingenium Bœtis prope idem mari, quod & Philostratus libro 5. & Statius docent: *Nauigarunt*, inquit Philostratus, *fluuium Bœtim, qui maxime Oceani naturam erga fluxum refluxumq́; declarat. Excrescente enim pelago versus fontes, ex quibus oritur, fluuius fertur spiritu quodam ipsum à mari depellente, &c.* Hinc Statius dixit.

Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melete Bœtis,
Bœtim Mantua prouocare noli.

Oleæ feracem ait & Silius lib.3.

——genuit quos vbere ripa,
Palladio Bœtis vmbratus cornua ramo.

AVREA QVI NITIDIS VEL T. A.] sæpicule poëta lanas Bœticas prædicauit lib.14.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aëno,
Sic placeant Tyria, me mea tinxit ouis.

Et lib.12.epi.64. *Nullo murice, nec cruore mendax.* ad quem locum pluscula adiecta, & lib.8.ep. 28.lib.5.ep.28. alijsque libris. Testatur idem Plinius lib.8.cap.48. QVEM BROMIVS, QVEM PALLAS AMAT] Abundat vino & oleo Silius lib.1.

Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho
Nullaque Palladio sese magis arbore tollit.

Errant qui versum hunc, QVEM BROMIVS QVEM PALLAS AMAT, &c.] ad Instantium referunt. Bœtim enim alloquitur, vt sequens versus docet: *Cui rector aquarum Albula per freta pandit iter*, in mare pandit, Oceanus enim excipit Bœtim.

CVI RECTOR AQVARVM ALBVLA PER F. P. I.] Exoneratur Bœtis in mare, quod Oceanum dixere, ad occasum. RECTOR AQVARVM] Neptunus, mare, ALBVLA] Albulum fretum appellat, vt Catullus canum gurgitem, & canentem gurgitem. OMINIBVS LÆTIS] Altera pars epigrammatis, quæ petitionem continet, cum sibi in exordio à flumine laudato conciliasset beneuolentiam. INSTANTIVS] Instantius Rufus, ad quem est ep.73. lib. 8. cuius hoc principium.

Instanti quo nec sincerior alter habetur
Pectore, nec niuea simplicitate prior.
Commendare meas, Instanti Rufe, Camœnas
Parce precor socero.——

ANNVS] pacate fœliciterque Macro præside, cui in prouinciæ administratione Instantius successit. NON IGNORAT ONVS] quam graue sit bono succedere principi, qui magnum sui desiderium in animis hominum reliquerit, non nescit Instantius. QVI SVA METITVR PONDERA, FERRE POTEST] gnome haud multum abit ab Horatio eadem in diuerso tamen genere præcipiente.

Versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.——
Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

In effrontem.

CI. LXXVI.

*Os ataui, * patrui nasum, duo lumina patris,*
Et matris gestus dicis habere tua.
Cum referas priscos, nullamque in corpore partem
Mentiris; frontem, dic mihi, cuius habes?

* *Al. patris, an Martialis sit hoc tetrastichon, merito quæras.*

Lemma, totum exponit epigramma. FRONTEM D. M. CVIVS HABES?] effrontis, vel canis: an etiam maiores huius effrontis, sine fronte fuisse dicit, quibus geminus, hic effrons? an contra, effrontem hunc iactare se falso similem maioribus, cum dissimilis sit, eoque effrons? CVM REFERAS PRISCOS] Dubites an Priscos vel priscos scribas. Si *Priscos*: hoc dicet. Iactas te similem atauo, patruo, patri, matri, cum nullum horum referas, sed potius Priscos, qui non sunt tui maiores: effrons ergo es, cum non tuos, sed alienos referas fronte. Si legas *priscos* duplex iterum sensus est, cum referas tuos priscos maiores vultu, cuius frontem habes? mentientis ne, cum sis dissimilis? an impudentis, quia & illi tales? an ore maiores refers, sed non viuendi more & virtute? à quibus multum degenerasti. Cæterum & parentes gaudent, cum similes sibi liberos progignunt, & ipsi liberi gloriantur, cum laudantur bonis parentibus forma pares. Apud Virgilium Euander Æneam primùm intuitus, & Anchisæ similem agnoscens, in hæc verba prorumpit.

—— vt te, fortißime Teucrum,
Accipio, agnosc oque lubens? vt verba parentis,
Et vocem Anchisæ magni vultusque recordor?

Propter eandem formæ similitudinem, qua Semiramis filium suum Ninum, vel ille matrem referebat, mentita sexum & personam filij mater, multis annis post excessum mariti Assyrijs imperauit, vt Diodorus Siculus, Iustinus, alij prodidere. Inde Geryonis fabulam trium fratrum similitudo condidit, vt Solinus scribit. Martialis ab ead. similitudine formæ Nepotis filiam commendat lib. 6. epig. 27.

Est tibi, qua patrij signatur imagine vultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.

Madaurensis in Apol. 1. pro seipso. *Equidem scio, & filiorum chariores esse qui similes videntur.* Horat. lib. 4. Od. 5. *Laudantur simili prole puerpera*

Theophrastus in charact. de adul. seu blanditie: *Ad cœnam vocatus, conuiuij dominum iubebit vocare liberos suos, ingressosq; magis similes patri dicet atq; ficus ficui. Quod si dissimiles forent pro spurijs sæpe censebantur.* Fabius seu quis alius decl. 18. *Qua pudicitia prima fiducia est, edidit partum quem maritum agnosceret: non timuit ne stupra furtiuosque concubitus paruuli vultus aut crescentis infantiæ similitudo detegeret.* Phocyl.

Non similes natos lectus producit adulter.

Sed hæc condimenti gratia; quorum magnam adferrem copiam, si minor fieret liber, quem finio.

MAT-

MATTHÆI RADERI
AD
M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBRVM DECIMVM TERTIVM.
CVI XENIA INDITVM NOMEN.
COMMENTARIVS.

Vino Domitiano Romæ scripta Martialis sunt hæc Xenia.

DE inscriptione primum huius libri dicendum, & docendum quid sit Xenium quando XENIA liber hic inscribitur. Nomen à subiectæ rei argumento liber accepit, quæ enim Saturnalibus mittebantur inter amicos, remittebanturq; , illa quidem Xenia, remissa vero munera apophoreta (de quibus extremo libro) dicebantur, vt quidam definiunt. Nos aliter censemus. De Xenijs Vitruuius lib. 6. cap. 10. *Nam cum fuerunt Græci delicatiores, & ab fortuna opulentiores, hospitibus aduenientibus exstruebant triclinia, cubicula cum penu, cellas. Primoq; die inuitabant ad cœnam, postremo mittebant pullos, oua, olera, poma, reliquasq; res agrestes. Ideo pictores ea, quæ mittebantur hospitibus, imitantes Xenia appellauerunt.* En claram & certam ex claro proboq; auctore originem Xeniorum, à re primum ipsa, deinde pictoribus, & pictis Xenijs, sed originem inquam; Nam Xenia postea, vt Suidas tradit, nō hospitibus tantum, sed amicis ab amicis mittebantur. ξένιον τὸ δῶρον παρὰ ξένοις διδόμενον. Et sæpe coniunguntur in Oratione ξένοι καὶ φίλοι, quemadmodum apud Demosthenem leges περὶ στεφάνου. Et apud Cic. pro S. Roscio Amerino. *Fama & vita innocentis ab hospitibus amicisq; paternis defenditur.* Intelligit autem eosdem Cicer. & amicos & hospites ibi Metellos, Seruilios, Scipiones. Apud Iuriscōsultos l. 6. ff. de off. proconsul. Magna olim religione hospites accipiebantur, quod vererentur ne si quem exclusissent, Deorum aliquem humana sub facie latentem tectis prohiberent aut inhumanius tractarent, vt Iouem Lycaon apud Ouidium:

Apophoreta, non tantum sunt remissa munera, sed omnium domum ferenda post conuiuium data. vnde lib. 14.

> *Et Deus humana lustro sub imagine terras.*

Et quæ ibidem sequuntur, vti & VIII. Met. de Ioue & Mercurio:

> *Iupiter huc specie mortali, cumq; parente*
> *Venit Atlantiades positis caducifer alis.*
> *Mille domos adiere, locum requiemque petentes:*
> *Mille domos clausere seræ.——*

Xenia vocabantur munera, quæ à Prouincialibus Rectoribusque prouinciarum offerebantur. Cassiodorus 7. Var. *Vnusquisq; per solennitatem commonitus offerat voluntarium munus. Xenia enim non sunt debita.* Plinius lib. 5 epist. ad Val. *Quàm me iuuat, quod in caussis agendis non modo pactione, dono, munere, verum etiam Xenijs semper abstinui.* Enimuero probare non possum, quod sint, qui existiment Xenia dici Græcis ea, quæ Latinis Lautia. Nam apud Liuium & alios Lautia dicuntur, quæ legatis à Senatu, non priuatis à priuato, vt Xenia, donantur; quamquam Græcum verbum vtrumq; comprehendat, non vero item Latinum. *lautia*, lege Brissonium lib. 2. de formulis. Lautia forte hodie possunt dici, quæ & legatis, & viris illustribus passim in vrbibus donantur, cum aduentant, cuiusmodi sunt frumentum, caro, piscis, vinum, pecunia etiam, &c. Xeniorum genus aliud est, quod strenas vocant, à Strenia Dea: mittebantur strenæ Cal. Ianuarij, ad annum feliciter auspicandum, auctore Tatio Sabino in regno socio, qui verbenas felicis arboris, olim è luco Streniæ Deæ decerptas, primus accepisse legitur, meriti pretij argumento, quod strennuorum virorum virtuti dabatur. Appianus in Liby. *Phanea, à senatu Xenijs condonatus plurimis purpurea veste, & fibula aurea, equo phaleris aureis ornato, & insignibus pariter armis.* De priuatis Apuleius. *Mittit mihi Byrrhena Xeniola, porcum optimum, & quinq; Gallinulas, & vini cadum ætate pretiosi.* Martialis toto hoc lib. priuatorum Xenia enumerat prope innumera, à quibus & librum indigitauit. Sed amicorum ad amicos dona missa hic potissimum intelligo, etsi dicat Martialis.

Hac licet hospitibus pro munere disticha mittas.

Martialis porro, quia res mittendæ deerant, nomina pro rebus, hoc est, disticha conscripsit, quæ loco Xeniorum, & ipse mitteret suis amicis, & ijs mittenda suaderet, quibus copia non esset vera munera mittendi, vt ipse docet epig. 3.

Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.

Monet Rhodiginus Cælius lib. 28. cap. 8. Martialem argumenta distichorum accepisse ex Charmo Syracusio, qui, vt scripsit Athenæus, lib. 1. Clearcho Sophista Trechedipno, seu Curricena auctore, in singula, quæ apponebantur, versiculos primum concinnauit, ac parœmias, vti est de piscibus illud:

* ad Euripidis Hecubam alludes.

*Ἥκω λιπὼν αἰγαῖον ἅλμυρον βάθος.

Venio relinquens Ægæi maris salsam profunditatem. Opusculum Leonidæ distichis conscriptum insinuat Brodæus lib. 6. Antho. ad illud Distichon:

Εἷς πρὸς ἕνα ψήφοισιν ἰσάζεται οἱ δύο δοιοῖς
Οὐ γὰρ ἔτι στέργω τὴν δολιχογραφίην.

De Apophoretis libri sequentis initio disputabimus. Xenia Saturnalibus, vt & Apophoreta dabantur. Respondent ergo hi duo distichorum libri quodammodo Athenæi dipnosophistis. Non item Platonis, Xenophontis, Plutarchi. Hic enim de generibus ciborum & vini tractatur, vt apud Athenæum; non ponuntur autem quæstiones vel ethicæ, vel aliæ ex naturæ ar[...] petitæ.

Epigramma.

I.

Ne tota cordylis, & pœnula desit oliuis,
Aut inopem metuat sordida blatta famem,
Perdite Niliacas, Musæ, mea damna, papyros:
Postulat ecce nouos ebria bruma sales.
Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
Senio nec nostrum, cum cane, quassat ebur.
Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus:
Alea nec damnum, nec facit ista lucrum.

Flagitiose imparatus, vt solent etiam hodie, Martialis à pecunia iocabundus ait, se Saturnaliorum diebus, quibus pueris fas nucibus, adolescentioribus alea ludere, cum Musis lusurum, & blattis prandia paraturum, eamque aleam parum quidem lucrosam, nec multum tamen esse damnosam.

Cordyla pusilla pelamidis.

NE TOTA CORDYLIS] sententia pendet ab altero disticho; ô Musæ, quæ mihi nihil aliud præstatis, quam iacturam chartæ, contaminate sane illas pessimis carminibus, vt ad culinam ferantur tegendis pisciculis aptæ; nam Cordylæ pisces sunt, pelamides & thinni dicti. lege libr. 3. ep. 2. Togam dixit, & pœnulam, pro cucullo; Molestam tunicam vocat alibi, quod inuoluti chartis, velut tunica cineribus assarentur. OLIVIS] baccis olearum; nos plura de his supra infraque. SORDIDA BLATTA] pestis librorum, & vestium eadem est, quæ tinea Musis victima sacrificanda. Vt ne tineæ vermesque fame pereant, inscribam carmina papyris, quas arrodant. PERDITE NILIACAS PAPYROS] quia papyrum nascitur in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, vbi euagatæ stagnant. De auctore primo chartæ, deque vario genere, vsu, bonitate, more veterum scribendi in folijs, &c. lege Plinium libr. 13. cap. 11. & 12. vnde sua omnia Domitius. Addo & Guillandinum commentario de papyro. libr. 14. super ea re fusius. MEA DAMNA] locus est, quia mala carmina, perdunt bonas chartas. POSTVLAT ECCE NOVOS EBRIA BRVMA SALES] periphrasis Saturnalium, quæ Decembri Mense celebrabantur, quibus omnes se ad hilaritatem, & iocos inuitabant. supra copiosius de Saturnalibus. SALES] facetias, dicta, lepores. EBRIA] indulgebatur liberaliter Genio & Baccho. NON MEA TESSERA DEPVGNAT MAGNANIMO TALO] Comparat sua epigrammata tesseræ, quæ impar talo, lib. 14. *Non sim talorum, &c.* Quantum assequor, hunc puto animum esse Poëtæ. Ego, nec ludo talis, neque tesseris, neque nucibus, neque fritillis, sed dictis & epigrammatis, hoc est, Musæ carminaque sunt mihi loco omnium ludorum, seu talis, seu tesseris, seu nucibus fiant. MAGNANIMO TALO] quia sex habebat latera, seu angulos talus, & nonnunquam in nullum latus incumbebat, sed rectus stabat, qui quidem casus erat felicissimus, tesseræ autem seu cubi, quia ex omni parte æquales erant, & quatuor

Hexagonus talus.

angulos

angulos perfectos habebant, æque longi, lati, crassi, paribus angulis semper iacebant, nec poterat alius esse situs tesserarum. De talis ac tesseris scripserunt Cælius Rhodiginus lib. 20. cap. 17. & lib. 4. cap. 11. & 12. Tiraquellus ad Alex. Neap. lib. 3. cap. 21. Turnebus lib. 6. cap. 10. & libr. 9. cap. 33. Idem lib. 18. cap. 12. & copiosius 27. cap. 3. Adrianus Iunius lib. 11. Animaduersionum cap. 4. toto. Merula contra Domitium ad hunc locum. Calcagninus, qui hoc sibi proprium sumpsit argumentum. Gilbertus Cognatus Cent. Adag. 6. ad 496 Bernardus Saracenus Curcul. Plaut. Act. 2. Scen. Date viam. Sipontinus ad Martialem. Beroaldus in Propertium & Suetonium. Nicolaus Leonic. in Sanneto, Galeottus Martius de promiscua doctrina. cap. 36. Scaliger in exercitationibus contra Cardanum. Lambinus Comm. ad Plauti Asinariam. Polydorus Virgilius lib. 2. de inuent. rerum c. 13. Lipsius Antiq. lectio. lib. 2. Plenissime noster Delrius commentar. ad Senecæ Herculem furentem de quibus lib. 14. suo lemmate, & nuper Bisciola, & nos plura infra lib. 14. epig. 14. de talis eburneis. DEPVGNAT TESSERA] tesseris tribus, talis quatuor ludebatur in alueolo, ita vt inferior videretur tessera & vilior, Astragali autem seu tali nobiliores, nihilominus tantum erat tesserarum commodum, quantum talorum, & fortuna par in vtroque genere, & æque incerta, vt testantur, quos modo adduxi testes; atque qua quidem tesseræ numero sunt pauciores, potentiores autem tali, videtur Poëta voluisse carmina sua conferre cum grauiorum Poëtarum scriptis, sic tamen, vt neget velle contendere grauitate carminis, & maiestate cum grandibus Poëtis, tesseraque significabit sortem, conditionem, rationemque inferiorem suæ artis epigrammatariæ heroo aliorum, qui quasi recto pede incedunt. SENIO NEC NOSTRVM CVM CANE QVASSAT EBVR] senio dicitur, cum in iactis tesseris senarius apparet, & cũ in omnibus tribus, est fœlicissimus iactus; quemadmodum etiam in talis tunc indicatur casus fortunatissimus, cum omnes tali diuersas habent figuras, vt nullus cum altero conueniat. Senio vocatur etiam Cous & Colias. Canis autem infœlicissimus, cum vnicum senario obiectum punctum apparet, & Græcis dicitur ὄνος asinus.

Tesserarum sol. figura hodie qua & lam. Talos non vidi. Lib. 5. cap. 6 Turneb.

De talo, lib. 14. suo lemmate plenum.

EBVR] Synecdoche, vel pro talis eburneis, vel pro fritillis, & pyrgis, vel pro ipsa tabula & alueo eburneo. De his lib. 14. HÆC MIHI CHARTA NVCES] pro nucibus puerorum scribam iocosi, & leuia epigrammata, quæ mihi erunt nuces. HÆC EST MIHI CHARTA FRITILLVS] Fritillus, Turnebo teste, est vasculum buxeum longum & teres, è quo mittuntur tesseræ, vel tali in tabulam. Idem & Pyrgus, siue turricula. nam imaginem & effigiem rotundæ turriculæ præbebat. Ne igitur improba fallaci manu bolos, quos vellent aleatores veterani, iactarent, aliosque fallerent, excogitatum fuerat ad fraudem tollendam, vt per pyrgum mitterentur tali. Intus autem pyrgus excauatus erat gradatim, exsculptusque, vt agitati concussique tali, in graduum offendentes superficie, voluterentur, incertiorque iactus esset. Ausonius in Profess. Burdegalensibus.

Lib. 8. cap. 8.

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,
Omnes qui fuerant enumerasse bolos.
Alternis vicibus, qui præcipitante rotatu,
Fundunt excussi per caua buxa gradus.

Vide plura ibidem. Aliter hunc locum explicat Domitius. ALEA NEC DAMNVM, NEC FACIT ISTA LVCRVM] Alea metaphoricẽ, hoc genus studiorum, seu ludorum, nec mihi vehementer nocet, nec etiam valde prodest. intelligit epigrammata sua.

In Detractorem.

II.

Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus,
*Quantum noluerit ferre * rogatus Atlas;*
Et possis ipsum tu deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas,
Ipse ego quam dixi; quid dentem dente iuuabit
Rodere? carne opus est, si satur esse velis,
Ne perdas operam, qui se mirantur, in illos
Virus habe: nos hæc nouimus esse nihil.
Non tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure,
Nec matutina si mihi fronte venis.

** rogatus*

In Zoilum & sciolum, minimumque vel longæ, vel emunctæ naris, est hoc epigramma, quo monet Lectorem Theoninum, vti ne carpat, quod á se iam carptum, & abiectum contemptumque sit satis.

NASVTVS SIS VSQVE LICET] Metaphora est, re à sensu, ad animum iudiciumq; translata. Vt enim vis odora canum vestigat omnia naribus, ita mens & animi solertia, secernit apta grataque ab ineptis & ingratis. Hinc ponitur vncus & longus nasus pro acri & subtili iudicio. Vncæ nares (ex Aristotele Quintilianus) ingenium significant, risum, contemptum, fastidium. Martialis lib. 1. *Et pueri nasum Rhinocerotis habent.* Sæpius pro irrisione. Est enim in naso irrisionis sedes, & irrisores nasuti vocantur, vt hoc loco. Sic Plinius lib. 2. cap. 37. *Et alter tantum homini quem noui mores subdola irrisioni dicauere.* Persius Sat 3.

Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.

Mart. *Non cuicunque datum est habere nasum.*

Horat. in serm. *——balathro suspendens omnia naso.*

Et Persius. *—— Rides, ait, & nimis vncis*
Naribus indulges——

Græci simplici verbo efferunt μυκτηρίζειν, ἀντιμυκτηρίζειν. Cass. ad Cic. et. lib. 15. epist. 19. *Sed quam se semper à nobis derisum putet. Vereor, ne nobis rustice gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι.* Vide lib. 1. epigr. 4. SIS DENIQVE NASVS] tale est illud. *Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.* Detractor, etsi nasutus sis, imo ipse quantus quantus es, ipse nasus sis. Catullus ad Fabullum. *Quod tu cum olfacies, deos rogabis, Totum vt te faciant, Fabulle nasum.* Sed hoc alio sensu. QVANTVM NOLVERIT FERRE ROGATVS ATLAS] & tantus tibi nasus sit, quantum ferre aut noluerit, aut non potuerit ipse Atlas, qui tamen gestat cœlum humeris: ἀνὴγησις ὑπερβολικωτάτη. Togatus legunt aliqui vt intelligatur Romanus non Maurus de quo lib. 6. ep. 77. *Non aliter ridetur Atlas cum compare mulo.* vbi alij longum & procerum ve ut gigantea mole hominem interpretantur; plures vero pumilionem contrario sensu.

ET POSSIS IPSVM TV DERIDERE LATINVM] De hoc Latino Domitiani Mimo iam sæpe dictum. Sensus est. Latinus Mimus omnium mores, gestus, errores scitissime potuit irridere imitando, sed tu si vel ipsum hunc, qui ridebat omnes, possis irridere, tamen non potes me plus irridere, quam egomet meipsum iam irrisi. NON POTES IN NVGAS DICERE PLVRA MEAS, IPSE EGO QVAM DIXI] superiore carmine appellaui eas, togas Cordylarum, pœnulas oliuarum, ludibrium Blattarum, nuces puerorum, & fritillos. De nugis hisce ante dictum. QVID DENTEM DENTE IVVABIT RODERE] quid nugas meas exagitas, quæ nihil habent inuidiosum, aut magnificum? Magna & illustria petit Inuidia. parœmia est de eo, qui carpit eum, qui neque lædi queat, neque sentiat, vt si lapidem verberes. d. supra. CARNE OPVS EST, VT SATVR ESSE VELIS] Qui primum parturiunt montes, & murem edunt, qui ordiuntur arma, *quibus cœlo se gloria tollit, quique fulminantia pilis, populosq; potentes*; Equum Troianum condunt, asinum finiunt, qui se in monte Parnasso somniasse dicunt, & labra fronte Caballino proluisse, qui scribunt *grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet, qui Cirratorum centum dictata fuêre, qui Phyllidas, & Hypsipylas, vatum & plorabile si quid eliquant.* Hos morde cum Persio, & cum Horatio, promissores ingentes, & qui sublimes versus ructantur, qui fumum ex fulgore dant, lege Poët. Horatij 1. Satyr. Persij, ibi reperies, quæ scripta sint digna naso, hoc est irrisione & dente. Ego tenuia struo carmina & arida, mordaciaque epigrammata, in quæ si dentem imprimas, dentem lædas. NE PERDAS OPERAM] In meis nugis carpendis. QVI SE MIRANTVR] qui sibi placent. Quis autem non? audi Cic. Tusc. 5. *In hoc enim, inquit, genere nescio quo pacto magis, quam in alijs, suum cuiq; pulchrum est. Adhuc neminem cognoui Poëtam, qui sibi non optimus videretur.* Quis non illud Horatianum de se: *Ego mira poëmata condo, Occupet extremum scabies.* IN ILLOS VIRVS HABE] digni sunt, qui rideantur & carpantur, qui maiora viribus promittunt, aut suscipiunt, nec perficiunt, quique sibi impense placent, ac Deos quosdam in Parnassio existimant. VIRVS HABE] mordacia, verba virulenta, quæ atro madent veneno, in illos ingentes, inquam, virus profer. NOS HÆC NOVIMVS ESSE NIHIL] esse nugas & apinas fatemur. NON TAMEN HOC NIMIVM NIHIL EST] non plane abijcit vel abijcienda putat; seruient, inquit, hæc carmina non Catonibus & sobrijs, sed cænatis, aut pransis, vbi locus hilaritati, sunt festiui sales. SI CANDIDVS AVRE] si lecta audieris sine inuidia, aut legeris. NEC MATVTINA SI MIHI FRONTE VENIS] non caperata fronte, aut seuero tristique supercilio, lib. 10. ad Plinium & alijs, idem dixit.

Silius Statius.

Similis est parœmia supra. Pellem rodere caninam, quæ caret carne

Epi-

Epigramma.

III.

Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello
Constabit nummis quattuor empta tibi,
Quattuor est nimium: poterit constare duobus,
Et faceit lucrum bibliopola Tryphon.
Hæc licet hospitibus, pro munere, disticha mittas,
Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.
Addita per titulos sua nomina rebus habebis;
Prætereas si quid non facit ad stomachum.

Vide præfationem Quint. lib. de Tryphone.

Precium & argumentum libelli significat. Precium est geminus nummus, seu victoriatus, Argumentum, Xenia distichis comprehensa.

OMNIS, IN HOC GRACILI LIBELLO, TVRBA XENIORVM] multa sunt hic Xenia, quæ omnia quatuor, immo duobus nummis comparabis, id est, 4 cruciferis.

QVATVOR EST NIMIVM] Correctio, est breuis & vilis liber. POTERIT CONSTARE DVOBVS] emas igitur duobus nummis; carius Virgilij vnicus est emptus, quam omnes Martialis. 20. enim aureis primum venibat secundus Æneidos. ET FACIET LVCRVM BIBLIOPOLA TRYPHON] Huius facit mentionem lib. 4. epi. 72. HÆC LICET HOSPITIBVS, PRO MVNERE, DISTICHA MITTAS] diximus initio lib. quibus dari consuerint Xenia. Et hic non tantum peregrinos intelligo, sed amicos & familiares. Qui rem habebant, mittebant res, quas describit hic Martialis, alijs suadet, vt carmina mittant, quæ depingunt Xenia.

SI TIBI TAM RARVS, QVAM MIHI, NVMMVS ERIT] Alter prope Homerus erit Martialis. Plinius iunior fatetur à se viatico adiutum abeuntem, prædicat tamen nonnunquam suos & hortos ac honores. Fuit equestribus donatus. & iure trium liberûm, qui vix vnum, imo seipsum poterat alere. vitam in fronte libri adi. ADDITA PER TITVLOS] Lemmata seu argumenta & periodos singulorum distichorum intelligit. PRÆTEREAS, SI QVID NON FACIT AD STOMACHVM] alludit ad esculenta Xeniorum, & reipsa de carminibus suis hoc dictum voluit.

Tus.

IV.

*Serus vt * atheriâ Germanicus impetret † aulâ,*
Vtque diu terris, da pia tura Ioui.

Vsum turis ostendit in sacrificijs. * atheria. † aula. Al[illegible]

Adulatio est, tura cremantur in sacrificijs. Poëta vsum turis ostendit, & monet Deos rogandos pro diuturna Cæsaris vita.

SERVS VT IMPERET] vt tarde & post multa sæcula abeat in cœlum, diuque regnet in terris; multa ad ᾖ, SERVS supra. Legunt alij ætheriæ aulæ, quod mihi verum, & maior adulatio est, & loquendi modus expeditior, alioqui audiendum est in aula, in terris. quanquam possit intelligi: in aula, in terris.

GERMANICVS] Domitianus. Vnde intelligis disticha hæc & Xenia non extremis Martialis annis scripta, sed viuo adhuc Domitiano. Cum in superioribus libris ad Traianum reperiantur epigrammata, quæ non nisi mortuo Domitiano scribi potuêre.

DA PIA TVRA] pia quia destinata rebus pijs, nempe Religioni & superis. De ture, vbi nascatur optimum, lege apud Plinium lib. 12. lib. 4. Dioscoridem lib. 1. cap. 81. 82. & 3. 4. Oribasium, &c. Poëta velut conuiuium paraturus primum de more tus adolet. Horat. lib. 4. car. vlt.

Nosque & profestis lucibus, & sacris
Inter iocosi munera Liberi
Cum prole, matronisque nostris
Rite Deos prius apprecati,
Virtute functos more patrum duces
Lydis remisso carmine tibijs:
Troiamque & Anchisen, & almæ
Progeniem Veneris canemus.

Piper.

V.

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

De ficedula infra est carmen, vbi auem depingemus. De ficedula piperata Petronius. *Hic nescio quid boni debet esse, persecutus putamen manu, pinguissimam ficedulam inueni piperato vitellio piperatam.* CEREA] pinguis Metonymia: pinguia enim cerea videntur & mollia. PATVLO LVMBO] lato vel patente; lumbus est inferior ad renes corporis pars, sedes cupidinis.

ADDE PIPER] alioqui fatui saporis. Plinius. Piper Græcis πέπερι, peregrinum est; nam nulla vox desinit illis in ι. vt Athenæus lib. 2. docet. Naturam piperis describunt Theophrastus lib. 9. cap. 22. histor. stir. Dioscor. lib. 2. cap. 189. Et recentiores Ianus Sarracenus. Ioannes Bruyerinus de re cibaria.

Alica.

VI.

Alica genus potionis ex Zea seu spelta factum, vilius mulso, respondet fere nostra ceruisia, nisi quod hæc ex hordeo, illa ex tritico.

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere diues.
Si tibi noluerit mittere diues, eme.

NOS] pauperes; nam alica pauperum est Xenium, vt mulsum diuitum. *Alica res Romana est, & non pridem excogitata alioqui non Ptisanæ laudes potius scripsissent Græci. Nondum arbitror Pompei Magni ætate, in vsu fuisse, & ideo vix quicquam de ea scriptum ab Asclepiadis schola: Esse quidem eximie vtilem nemo dubitat, siue eluta detur, ex aqua mulsa siue in sorbitiones decocta, siue in pultem.* Plinius lib. 22. cap. 25. Adde Plinij epistolam ad Erutium, *alica cum mulso & vino &c.* ALICAM] Alica fit è zea, quam semen appellauimus. Zea à Latinis dicitur spelta, ex qua fit alica potio. De zea plenius Io. Bruyerinus de re cibaria cap. 13. l. 13. *Alica dicitur*, inquit *Festus, quod alat corpus*. Isid. græcum ait verbum. Genus est præstantissimi tritici, è Laborijs Campaniæ missi, vnde fiebat potio, quæ dicebatur alica. Tunditur granum eius in pila lignea. Nam lapidis duritia conteritur. Alicæ sunt tria genera, minimum, ac secundarium: grandissimum vero apheroma appellant. Plin. lib 18. cap. 11. Ptisanæ, quæ ex hordeo fit, laudes omnes in alicam transeunt. Plin. lib. 22. cap 25. Vide Mercurial. lib. 4. Var. cap. 18. Palladium in Iunio. Copiose etiam nuper Ioannes Bruyerinus lib. 5. de re cib. cap. 12. de alica scripsit. MVLSVM] Isid. Orig. lib. 20. mulsum potionem, ait ex aqua & melle confectam, quam græci μελίκρατον dicunt. Sed apud. Plin. lib. 22. cap. 24. traduntur varia genera mulsi, non ex aqua tantum, sed vino, eoque vario; laudatur illud, quod fit ex vetere. Pollio nihil præter mulsum bibit, aut edit plurimis annis, & vitam vltra centesimum annum propagauit. MITTERE DIVES] quia carius est alicâ, quæ respondet zytho nostro, siue ceruisiæ, quam potissimum plebs bibit.

De mulso infra suo lemmate.

SI TIBI NOLVERIT MITTERE, EME] facetum consilium, sed absque auxilio. quale illud, pauper quando esuriet quid faciet? comedet. sed vnde? Sensus est, Nos, mittimus tibi Alicam, quæ omnino mulso indiget, sed mulsum tibi diues mittet, aut si non mittet, emes, Alicam cum mulso fuisse apponi solitam, nulla est dubitatio, cum id Plinius, quem supra laudauimus, diserte affirmet.

Conchis faba.

VII.

Si spumet rubrâ Conchis tibi pallida testâ,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Conchis [illegible]

Schalbonen.

Si fabam folliculatam condimentis suis apparatam habes, poteris domi cœnare, nec desiderabis lautius conuiuium. Conchis faba est, à similitudine Conchæ, quæ carunculam cortice seu testa clausam habet. & accipitur pro edulio ex faba confecto. seu: Conchis est faba cum cortice elixa, ad discrimen fabæ fressæ, quæ sine cortice coquitur. Conchis enim appellatur faba, quæ cum suo folliculo est. Etiam Concha pro faba reperitur. Scribonius. *Ex faba quasi Conchâ, multo cum cumino cocta*; etsi hic folliculus ipse videtur. Tur. lib. 17. p. 156. de qua Martial. lib. 5. epigram. 40.

Et Iuuenal. Sat. 3. *Cum Conche tumet.* ———

Et dicitur Conchis, huius Conchis.

RVBERA TESTA] fictili vase; rubent enim testæ igni coctæ. Conchis porro nisi condiatur liquamine, coriandro, cimino, porro concisio, & oleo, (cuius maior addi copia debebat) erit fatua & sine sapore. SPVMET] cocta ne pe & f. ruens liquore. PALLIDA] elixa enim pallescit. LAVTORVM COENIS SÆPE NEGARE POTES] Inuitatus sæpe recusare potes; tam lautæ dulcesque sunt conches huiusmodi, vt diuitum mensa facile careas. De faba & conche Ioannes Bruyerinus lib. 7. cap. 2. toto vbi multa ex Æsculapij schola depromit, quæ huc parum faciunt. Conchem nonnulli fabam Romanam putant nunc albam meram putam, nunc puram putam nigram, nunc versicolorem. Poëtam vero hic non de viridi & folliculata, quæ cum aceto solet edi, sed matura & excussa exfolliculataq; volunt loquentem intelligi, quod viridis non spumet sed cocta, quam disceptationem cocis relinquo.

Far.

VIII.

Imbue plebeias clusinis pultibus ollas,
Vt satur in vacuis dulcia musta bibas.

Musta ex plebeis ollis pulte imbutis dulciora bibuntur.

Far dictum est à *frangendo*, quod pistillis olim frangeretur, vt docet Isidorus; vel à *faciendo*, teste Varone lib. 4. de lingua Latina; vel à *ferendo*, quod id ferat terra. Far significat frumentum cum omne fere, tum potissimum adoreum, deinde farinam ex eodem factam, & pultem. Columella sæpissime pro crassiore farina accipit. Chondrum Galeno dictum putant. IMBVE PLEBEIAS] *hoc præcipit* (inquit Turnebus lib. 25 cap. 28.) *disticho Martialis, vt in ollas, quæ clusini farris pulte imbutæ fuerint, mustum mittatur quod eo tanquam condiatur & ad bonitatem proficiat; commendeturq;*. Olim Romani trecentis annis farre hoc seu pulte victitarunt. Plinius lib. 18. cap. 8. *Ex omni genere durissimum far, & contra hyemes firmissimum, patitur frigidissimos locos, & minus subactos, vel æstuosos sitientesq;. Primus Latio cibus, magno argumento, in adorea donu, sicuti diximus.* Pulte autem, non pane vixisse longo tempore Romanos, manifestum, quoniam inde pulmentarij hodieque dicuntur, &c. IMBVE] Clusinis pultibus ollas plebeias, viles, quibus plebs vtitur; recentes, vt odorem hauriant serrentque, hoc enim est imbuere Hor. *Quæ semel est imbuta recens, seruabit odorem, Testa diu.* Inde vinum gratius bibitur. CLVSINIS PVLTIBVS] farre Clusino. Clusium est oppidum Tusciæ, mediterraneum Prole. Plinio, Ortelio; Vetus & nouum. Et Clusini dicti veteres & noui, vnde optimum far adferebatur. candidius est ab agrestibus blancæ dictum. Columella farris genera quatuor ponit. far Clusinum candoris nitidi, far venusculum, rutilum, & alterum candidum, semen trimestre, seu halicastrum. Clusium hodie Dusia vocatur. Plura de eius vsu in sacris & nuptijs lege apud Plinium varijs locis, Columellam, Varronem, Hieronymum Mercurialem lib. 4. Var. cap. 18. & lib. 2. cap. 23. Hotomannum de ritu veterum nuptiarum C. XIX. de nuptijs quæ farre contrahuntur. Ioann. Bruyer. VT SATVR IN VACVIS DVLCIA MVSTA BIBAS] reddunt enim vinum gratum, & dulce vasa, hac pulte, imbuta. MVSTA] quid mustum sit, nemo nescit; Quæ genera, lege apud Plinium lib. 14. cap 19. IN VACVIS] ollis nempe Clusinam pultem redolentibus. videtur autem mustum pro vino posuisse.

Pulte pleraq; Romani.

Lens.

IX.

Accipe Niliacam Pelusia munera lentem:
Vilior est alica, carior illa faba.

Lentem infra alicam, supra fabam ponit.

Lens Græcis φακὴ & φακὸς dicitur, nobis Linsen. Philosophorum quondam deliciæ. Apud Græcos in pretio fuit. Athenæus, Zenonem solitum fuisse lentes coquere scribit. Inde Stoicorum dogma erat. vt refert Athenæus lib. 4. Sapientem omnia bene agere, & lentem diligenter condire. Pherecrates tamen contra, μή μοι φακῆς, μὰ τὸν Δί', οὐ γὰρ ἥδομαι, ἢν γάρ τρώγῃ τις, ἐκ στόματος ὄζει κακόν. *ne mihi lentes, quæso, per Iouem; non enim mihi placent, si quis enim comederit, ore male olet.* Optima nasci ut circa Pelusium oppidum Ægypti teste Plinio, à quo Nili ostium Pelusiacum dictum est, Virgilius, *Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.* B. Hieronymus ad Ezechiam lib. 9. censet à poëta Pelusiacam vocitatam, non quòd ibi gignatur id genus leguminis vel maxime, sed quod è Thebaida, & omni Ægypto per riuum Nili illuc deferatur. Fuit hic cibus Ægyptijs quasi peculiaris, vnde & Elephas morbus ibidem vulgatissimus. Ex hoc legumine nata sunt non pauca prouerbia. vt *lente gaudere desiit, lenticulam angulo tenes, lenti vnguentum infundere, ante lentem vngere ollam*, lege Adagiographum. Esau ius primigeniæ, libertatemque lente commutauit Genes. 25. Plinius lib. 18. cap. 12.

Duo-

Duo genera eius (lentis) *in Ægypto, alterum rotundius nigriusq́, alterum sua figura.* Inuenio apud Auctores æquanimitatem fieri vescentibus ea. Vnde lenti homines non præcipites, & Lentuli nomen acceperunt, vt à cicere Cicerones, à faba Fabij. De lentis ingenio plura Ioann. Breyerinus lib.7. cap.3.

VILIOR EST ALICA, CARIOR ILLA FABA] Lens non est conferenda cum Alica, de qua paulo ante diximus; laudatior tamen faba seu conche, de qua item supra; fabæ lentique maiorem Græci honorem habuere, quam piso, & cæteris leguminibus, vt Theophrastus est auctor.

Simila ex tritico.

X.

Nec poteris similæ dotes numerare, nec vsus,
Pistori toties cum sit & apta coco.

Farinam similagineam varijs pistorum vsibus seruire dicit. Triticum, quod principatum tenet inter frumenta, fractum aut tritum cerni tur in tria genera; primum Pollinem seu volaticum appellant, quod parietibus vestibusque panificum, velut puluis adhæret. alterum similago seu simila dicitur farinæ flos, pars optima, de qua loquitur hic Mart. 3. genus est, vnde fit secundarius panis; vtriculum vocat Plinius. Furfures sunt recrementa, quæ in cribro subsident, dum farina excernitur. Similia igitur, nobilis & laudata farina est, quæ tot præstat commoda pistoribus. Græcis σεμίδαλις, Syracusijs σεμιδαλίς; Latinis similago & simila. flos farinæ. Platina lib.7. *Similam fieri è tritico loto, sicco, ac leniter mola diffractis dicunt medici*, &c. Plura Ioann. Bruyerinus libr.5. cap.7.

DOTES NVMERARE] *non potes*, inquit Domitius, *quia est minutim concisa simila.* ridiculam puto hanc interpretationem: quasi vero pulueris seu farinæ numerum vocarit dotes varias. & ob eam caussam numerari non posse dixerit quod puluis sit. Existimo dotes esse, varium vsum (vt ipse Poëta exponit) similæ, quem præstat coco & pistori, ad varia genera panum, placentarum, cibariorum conficienda. PISTORI] *Pistores Romæ non fuerunt ad Persicum vsque bellum, annis ab V. C. super D. LXXX. ipsi panem faciebant Quirites, mulierumq́, id opus erat, sicut & iam in plurimis gentium.* Plinius lib. 18. cap. 11. Apud nos in plerisque pagis Rusticanæ mulieres pinsunt. Nec coquos habebant in seruitio, sed conducebant è macello, quod ex Plauto intelligis. Pistor est, qui farinam facit, & panem. Coquus, qui cibaria conficit.

Ita & Domitius postea subijcit.

Hordeum.

XI.

Mulio quod non det taciturus, accipe, mulis,
Hæc ego coponi, non tibi, dona dedi,

Accipe hordeum, quo sæpe defraudat mulas mulio, sed tu acceptum vendes coponi; ita non tam tibi, quam cauponi dedi. Hordeum, cuius naturam, genus, laudes habes apud Plinium lib. 79. cap.7. notius est genus frugis, quam vt indigeat enarratore. Ex hordeo fiebat panis laudatus Græcis, damnatus Romanis, quem seruis gladiatoribus apponebant, vnde hordearij dicti. lege Mercurialem lib. 4. Variarum, cap.18. Ex hoc (quanquam non tantum) facta ptisana est, de qua Hippocrates condidit volumen. Plinius lib. 22. cap.25. & lib.18. cap. 7. Prisana autem à πτίσσειν, quod est pinsere vel decorticare, vocata est. & primum significat omnia frumentacea deglubata, ac pistillis decorticata, deinde cocta aquis. Postremo de hordeo proprie vel decorticato solum, atque deglubato, sicut monstrare videtur Pollux. Martialis lib. 12.

Frumentum milium ptisanamq́, fabamq́, solebas Vendere——

Et de quo loquitur Constantinus lib. 17. vbi pro curatione doloris capitis laudat ptisanam crudam, vel etiam de hordeo decocto. Quo pacto coqueretur, leges apud Mercurialem loco supra adducto. Præter hanc ptisanam fiebat apud Arabas & Latinos aqua ex hordeo tam decorticato, quam nō decorticato, quam ibidem describit Mercurialis: sed illa laudata fuit de octauo genere, cuius latus tota transit in alicam, continetque succum hordei, atque colata vocabatur, quam hodie Itali hordeatam nominant. Laudes ex Hippocrate ibidem describit Mercurialis. De pane hordeaco, & Ptisanis sic Plinius lib.18. cap.7. *Panem ex hordeo antiquis vsitatum, vita damnauit quadrupedumq́, tradidit refectibus. Ptisanæ inde vsus validissimus, saluberrimusq́, tantopere probatur. Vnī laudibus eius dicauit volumen Hippocrates, quas laudes ad Alicam transfert lib.22. cap. 25.* sed Itali faciebant Ptisanam ex oriza, quam reliqui mortales ex hordeo. Hæc ideo volui copiosius tractare, vt hic versus probè intelli-

telligeretur, quem aliter atque aliter video exponi. Domitius ex Plinio tradit ex hordeo panem in Italia factum, postea quadrupedibus hordeum tantum offusum; postremo factam ex ea prisanam de qua putat hic Martialem locutum; hordeum enim ait ad amicum à Martiale missum, non pecudibus & mulis obijciendum, sed cauponi dandum ad prisanam faciendam. Atqui Romani non ex hordeo prisanam, sed oriza fecerunt, vt docet Plinius lib.18. cap.7. præterea alica prisanæ præfertur à Plinio, omnesque laudes prisanæ, in alicam transferendas putat. Alicam etiam ante Pompeium non fuisse in vsu testatur Plinius. Prisanam antiquiorem multo reperies, si caput 18. lib.4. Var. Mercurialis probe expenderis. sentio tamen non ex sola oriza factam prisanam, sed ex hordeo etiam. Turnebus lib.25. cap.28. tota via abit à Domitio, sic enim versum hunc explanat. *Accipe (amice, scilicet,) quo quadrupedes sæpe defraudat mulio: quanquam, cum hordeum pecudum pabulo potius seruiat, quam hominum, dedi, quod tu potius cauponi vendes, quam comedes: nam cauponibus est eo opus ad iumentorum pastus.* Domitius ita exponit. *Accipe hordeum, quod non dabit amplius mulis tacituris, mulis tacituris, inquam, si enim subtractum fuerit illis pabulum, tacebunt probe, qui pasti modo rudunt hinniuntq.* Immo vero magis hinnient subtracto pabulo. Iob. 6 *Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante plenum præsepe steterit?* ad quem locum plura interpretes. Rescribunt alij *Mulio quod non des.* Mulio mitto tibi hordeum saturnale donum, quod des tuis mulis, immo non des; quamuis enim coponi dederis in stabulo vt offundat illud tuis mulis, ille tamen mulis non dabit, sed subtractum vendet, ita illi potius quam tibi dono, ille enim fruetur commodo illius mulis ablati. Notat ergo perfidiam coponum, qui iumentis furtim pabulum subducunt, & subductum reuendunt. HÆC EGO CAVPONI NON TIBI DONA DEDI] Hordeum tamen non tam tibi quam cauponi dedi, quia tu cauponi hordeum dabis, ille tibi prisanam pro hordeo reddet. Turnebi sententia placet.

Frumentum triticeum.

XII.

Tercentum Libyci modios de messe coloni
Sume, suburbanus ne moriatur ager.

Ne incultus ager suburbanus sterilescat, frumentum Libycum sere, quod maxime amat. Triticum, laudatissimum genus frugis, serebant in agro suburbano, seu proximo vrbi. Libyam porro tritici frumentique feracem scribit Horatius Od. 3.

Quicquid de Lybicis verritur areis
Et lib. 2. Sat. 3. *Frumenti quantum metit Africa:*
Seneca in Thes. *Non quicquid Libycis terit*
Feruens area messibus.
Et ipse Mart. lib. 6. e. *Possideat Libycas messes, Hebrumque Tagumque.*

Hinc Ceres Libyssa vocata est, quod inde frumentum sit allatum, Festus. Frumentariæ Romanorum prouinciæ fuere Africa, Sicilia, Ægyptus, Hispania, Sardinia, Bœotia, Macedonia Asia, Syria, Chersonesus. Poëta hic in aliena diuitis persona donat amico sterili trecentos modios tritici Africani, vt agrum suburbanum foueat: donat inquam vel potius optat, aut sibi donandum docet. Plinius tamen laudat potissimum ex Sophocle Italicum triticum à candore & pondere, quanquam non neget Thracium. lege de generibus tritici eundem lib. 8. cap. 7. TERCENTVM MODIOS] numerus certus pro incerto, quod more Poëtarum pro magna copia ponitur. DE MESSE LYBICI COLONI] de frumento quod ab Agricolis ex Libya adfertur. SVBVRBANVS NE MORIATVR AGER] ne sterilescat si satio cesset, & incultus relinquatur. De tritico triticique vario genere Ioannes Bruyerinus lib. 5. cap. 1. & 2. Galenus πολυχχρομώτατον, καὶ πολυχχρώτατον appellat.

Modium etiam Menen supra lib. 10. disputatum.

Betæ.

XIII.

Vt sapiant fatuæ, fabrorum prandia, Betæ,
O quam sæpe petet, vina, piperq́, cocus.

BETÆ] non piperatæ & vnctæ, fatuæ, id est, insipidæ. Plebeius cibus, vt coliculi trossulorum. Beta hortensium leuissima est, φύτλιον, εὔχυλον, tenuiorum mensis potissimum vsitata. Persius Sat. 2.

——Quod haud deceat plebeia radere beta,
Symposius Ænig. *Tota vocor Græce, sed non sum tota Latine*
Pauperibus semper proponor namq; tabernis.
In terris nascor, lympha lauor, vnguor oliuo.

A Beta

A Beta dicitur betizare & lachanizare, de quibus Adag. Insipidæ sunt, nisi pipere condiantur & vino coquantur. Diogenis notum est dictum, *canis non vescitur beta*; pro mollibus aut potius vilibus, & abiectis ac fatuis videtur accepisse. Fatuas betas dixit, salsi saporis expertes. fatui enim cibi dicuntur insipidi & inconditi, & quemadmodum insipientem hominem, translatione a cibis ducta, dicimus, ita etiam fatuum hominem, non qui euanuit, id est, in nihilum abijt, sed qui sapientia aut sapore caret Bud. in Pandectas. Betam à Græcis ex argento dicatam legimus Delphico Apollini, raphanum auro, rapam ex plumbo, vt quod nobilius esset genere metalli, significarent. Plinius lib. 19. cap. 5.

Witssel. O QVAM SAEPE PETET VINA] affectat vinum Beta, & betam vinum; odore enim betæ, folijs in dolium demersis vinum restituitur, vt tradit Plinius lib. 19. cap. 8. Apitius tamen lib. 3. cap. 9. nullam nec piperis, nec vini mentionem facit. Multa super beta Ioannes Bruyerinus lib. 8. cap. 8, sunt betæ vel albæ, vel sanguineæ, vtraque non mala, melior alba.

Lactuca.

XIV.

Lactucas olim postremas, aeuo suo primas fuisse appositas ait.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

LACTVCA] dicta, quod abundantia lactis exuberet. Palladius Ian. tit. 14. eius vsus principio cœnæ temporibus primum Domitiani videtur cœpisse. Plutarchus enim in symposio caussas morborum sui temporis, præter alias, enumerat mutationem victus. sic enim ille, *τὴν περὶ τὰ στρώματα καὶ τὰ ὄψα, καὶ τὰς ἄλλας διαίτας τοῦ σώματος διαλλαγὴν, καὶ τὴν τάξιν μετὰ τῶν ἐδεσμάτων καὶ μετακινούμενον οὐ μικρὰν ἔχειν διαφοράν.* Idem insinuat lib. 8. symp. 9. Idem Plinius epistola ad Erutium, *parata erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, oua bina alica cum mulso.* Et Athenæus lib. 2. Alioqui lactuca, & reliqua acetaria, prioribus sæculis vltimo loco inferebantur. Virgilius Moreto.

Grataque nobilium requies lactuca ciborum.

Idem Athenæus lib. 2. *οἱ μὲν ἀρχαῖοι*, &c. Veteres, inquit, omnes ante cœnam non inferebant, neque *μήτρας*, nec lactucas, neque aliud quicquam horum, vt nunc consuêrunt. Seneca epist. 115. *Deinde ad cœnas lautitia transfertur, & illic commendatio ex nouitate, & soliti ordinis commutatione captatur, vt ea quæ cludere solent cœnas, prima ponantur, vt quæ aduenientibus dabantur, exeuntibus dentur.* Lactucæ vero laudes ibidem describit copiose. Caussam, cur veteres in fine lactucam esitarint, habes apud Christophorum Vegam lib. 2. cap. 7. Cur alij principio, docet Martialis.

Lib. 11. epig. 53.

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo
Vtilis, & porris fila resecta suis.

CLAVDERE QVÆ MENSAS LACTVCA SOLEBAT AVORVM.] Vopiscus de Tacito Imperatore: *lactucis impatienter indulsit, somnum* enim *se mercari illa sumptus effusione dicebat.* Ob somnum ergo conciliandum in extrema mensa lactucis veteres vescebantur, vt affirmat Bisciola, hodieque Ligures id facere.

** Ita Isaacus Pontanus castigat in Macrobio.*

ET VERNÆ TVBERES] Eleganter transtulit hanc vocem Apuleius lib. de mundo ad minores maris extantes insulas: *Multaq; aliæ * tuberes admodum, sparsa hanc nostram insulam, id est, hunc nostrum terrarum orbem, ornamentis suis pingunt, & continuatione, vt quibusdam sertis coronant.* Petronius.

——lautior are vel rotundo
Horti tubere, quod creauit vnda,

Prioribus vero sæculis ostrea, oua, rutæ, mora, gobij sumebantur initio, vt testatur Martialis. Horatius Satyr. 3. Cicer. lib. 9. Epistolarum ad Varronem, Nonius, Athænæus lib. 2. Porphyrio lib. 2. Sat. 5. 2. ad illa verba, *ab ouo ad mala.* lege plura in Appendice Fuluij Vrsini ad Triclinium Ciaconij. Adde quod scribit Turnebus lib. 27. cap. 28. *Ad auertendam ebrietatem institutum antiquitus, vt lactucæ non in cœnæ proœmio vescerentur, quod ad conciliandam appetentiam nostra tempestate fieri nemo nescit, sed in fine: quoniam insita frigiditate retundat ebrietatem lactuca.* Vide Alciati emblemata. Auspicati sunt etiam cœnas ab oliuis, eisdemque finiebant, vt docet Martialis. Plura Ioannes Bruyerinus lib. 8. cap. 4.

Hæc quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliua dapes.

Ligna acapna.

XV.

Ligna in siluam ferenda, quod silua Nomentana sine silua.

Si vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam moneo, Rustice, ligna feras.

Ligna acapna dicuntur, quæ incensa nullum exhalant fumum; *καπνὸς* enim Græce dicitur fumus, *ἄκαπνος*, quod fumo caret. Coctilia ligna de quibus Theophrastus lib. 5. histor. Casaubonus in

nus in Capitolinum. p. 23. & 497. fusc. Hoc dicit Poëta. Qui ad Nomentum oppidum Latinorum, ab Vrbe ad decimum lapidem situm, prædia villasque habent, secum ligna amurcâ aspersa, soleque siccata ferant; illic enim, ob vliginem & paludes, omnia salictis plena; neque materia, nisi viridis, vlla, quæ fumum potius, quam igne excitet. De palude Nomentana Plutarchus in Cæsare.

Rapa.

XVI.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

Tam dulcia tibi rapa mittimus, quam dulcia Romulus in cœlo vorat. Rapum seu rapa tenuium hodie, quondam etiam illustrium victus. apud Mantinzam optima Cæl. Rhod. lib. 9. cap. 12. BRVMALI FRIGORE GAVDENTIA] *recentia enim seruantur frigore, calore spangiosa fiunt: nebulis & pruinis ac frigore vltro aluntur, amplitudine admirabili, vidi 40. libras excedentia, genera sunt tria, rotunda, vel lato fundo, vel radice in longitudinem procurrente, frigore dulciora fieri existimant & grandiora, tempore in folia exeunt.* Plinius lib. 18. cap. 13. De rapis qui plura desiderat, legat Columellam lib. 2. cap. 10. Cat. & Varronem. Athenæus multa multis locis. Platina Cremon. lib. 7. de rapo copiose. IN CŒLO ROMVLVS ESSE SOLET] tam dulcia sunt, vt ea vel Romulus in cœlo edere cupiat, imo edat. Credidisse videntur prisci Deos non tantum nectare & ambrosia pasci, verum etiam vilibus quibusdam cibis, vt Romulus rapis; credas de paupertate illius sæculi, quo Romulus vixerat. Proinde quasi in cœlis iisdem cibis victitet, quibus in terra alebatur. Seneca in Apocolocynthosi, *fitq́, è Repub. esse aliquem, qui cum Romulo possit feruentia rapa vorare.* Vorauit ea Q. Curtius Dentatus vir frugalissimus iuxta ac fortissimus. Cic. in Cat. Plutarchus in Catone Maiore. Val. Max. lib. 4. cap. 3. Athæn. lib. 10. cap. 3. Megacles de viris illustribus, ad quem allusit Iuuen. Sat. 11.

Has olim noster iam luxuriosa senatus
Cæna fuit, Curius paruo quæ legerat horto,
Ipse focis breuibus ponebat oluscula ——

Lege Plinium lib. 19. cap. 5. Alexandrum Neapol. lib. 3. cap. 11. Tiraquellum ibidem. Turnebum lib. 18. Ioannem Bruyerinum lib. 9. cap. 2. 3. 4.

Coliculi.

XVII.

Ne tibi pallentes moueant fastidia caules,
Nitratâ viridis Brassica fiat aquâ.

Nitrum custodit caulium viriditatem.

Brassicæ vim, laudes, medicinam Cato de re rustica cap. 156. commemorat. Caules (vnde Kôl. coliculi, pro cauliculi) sunt brassicæ pars interior. Dicuntur, vt vult Festus, à præsecando, quia præciduntur à thyrso. Varroni brassica quasi Passica, quod ex scapo minutatim præsecetur, & passa fiat. Populus Romanus D C. annis tantum brassicæ medicina vsus; Varro familiam suam tantum brassica tutam à pestilentia præstitit. Lege Ioannem Bruyerinum lib. 9. cap. 9. Sententia carminis est, vt suaues tibi coliculi seu cauliculi sint, & vti coctos nunquam fastidias, nitrum in coquendo adhibeas; illud enim viriditatem custodit. Brassica est eadem, quæ coliculi, vnde Brassica secta. FASTIDIA] vt Druso Cæsaris Tiberij filio mouerunt, non sine castigatione Patris, vt Plinius tradit lib. 19. cap. 8. NITRATA] ex nitro facta, Nitrum non multum distat à sale; optimum est, quod vocant chalactricum, in Clytis Macedoniæ natum, candidum purumque proximum sali. Plinius lib. 31. cap. 10. vbi copiose naturam eius & fontes aperit. Paratum cauliculorum varium vide apud Apicium. Brassica capitata Kabßkraut.

Porri sectiui.

XVIII.

Sectiui quod folia eius crebro secantur. Grauem ait porro odorem.

Fila Tarentini grauiter redolentia porri,
Edisti quoties, oscula clausa dato.

Porrum sectiuum idem, quod sectile. optimum quod Tarenti nascitur, hinc nominat præstantius. Porrum quibusdam pro Numine colebatur, vt est apud Alexandrum Neapolitanum. FILA] in multa enim crescit stamina adeo tenuia, vt fila quodammodo dicere possis. Sensus carminis est in promptu; qui enim grauiter redolet porrum, comedentis animam quoque reddit olidam; hinc oscula clausa iubet dari, nam ora aperta ingratum exhalarent odorem. Dicitur sectiuum ad discrimen capitati, de quo infra. Columella de re rustica lib. 11. cap. 3. & Plinius lib. 19. cap. 6. qui narrat Neronem vocis gratia, porrum ex oleo statis mensium omnium diebus, & nihil aliud, nec panem quidem comedisse. Eius succo, Mela reus à Tiberio factus, ad certum pondus hausto, subito & sine cruciatu expirauit.

Mela succo porri extinctus.

Porri Capitati.

XIX.

* Mittis. Vnde porri capitatum potendum.

** Mittit præcipuos nemoralis Aritia porros,*
In niueo virides stipite cerne comas.

Vt sectile porrum Tarenti, sic Aritiæ capitatum nascitur optimum, de quo sic Columella lib. 11. de re rustica cap. 3. *In eo autem, quod magni capitis efficere voles, seruandum sit, vt antequam translatum deponas, omnes radiculas amputes, & fibrarum summas partes intondeas. Tum testula vel concha, quasi sedes in singulis subiecta seminibus adobruuntur, vt fiant capita latioris incrementi. Cultus autem porri assidua sarritio & stercoratio est.* Ita fere Plinius lib. 19. cap. 6. *Antiqui silice vel tegula subiecta, capita dilatabant, nunc sarculo leuiter conuelluntur radices, vt delumbata crescant, neque distrahant. Laudatissimum in Ægypto mox Ostiæ atque Aritiæ.* ARITIA] Latij ciuitas. NEMORALIS] propter vicinum nemus de quo supra fusius in via Domitiana seu Appia. IN NIVEO STIPITE] in cano stipite, seu calamo; Porri, vbi maturuit, capita quidem virent, calamus autem albescit. Ita intelligo hunc locum. Virides comas caput comatum, & quasi hirsutum intellige.

Napi.

XX

* Nos.

** Hos Amiternus ager felicibus educat hortis,*
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Napi & Rapa adeo inter se vicina sunt, vt napi sæpe transeant in naturam & speciem rapi; & rapum in formam napi, vt testatur Columella libro 2. cap. 10. Napus tamen videtur species rapi, quod Genus est; Germani faciunt hoc discriminis, vt rapum quidem absolute vocent Rüben/ napum autem Stockrüben/ napi sunt minores rapis & instar fusi caudati & orbiculati. Plura apud Columellam loco citato, & libro vndecimo capite vltimo. Plinius lib. 19. cap. 5. quinque genera recenset, principatum dat Amiterninis, vt hic Martialis, secundas Nursinis, &c. Idem lib. 18. cap. 13. *Napi vero Amiternini* (subaudi palmam merentur) *quorum eadem fere natura, gaudent aquæ frigidis, &c.*

Hos AMITERNVS AGER] malim. Nos. Amiternum ciuitas Italiæ, patria Salustij historici ad amnem Aternum de quo libro 3. epigr. 67. FELICIBVS HORTIS] nam ibi nobilissimi napi feruntur. NVRSINAS PILAS] rotunda ad speciem pilæ rapa autem Nursina laudatiora cæteris, Plinius lib. 18. cap. 13. Nursia, teste Ptolomæo, ciuitas est Sabinorum hodie Norza dicta. Vnde Nursini & Nursinus ager, &c. PARCIVS] aut quia viliores & inferiores, aut cariores; viliores quidem contemnes, cum napi præstantiores: si cariores, poteris abstinere, cum Napi æque boni.

Asparagi.

XXI.

Asparagi laudatissimi.

Mollis, in æquorea, quæ creuit, spina, Rauenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

Asparagus Græca vox est, vsurpata Latinis, Germanis Spargel. Plinius batin hortensianam nominat. Legatur Cato de re Rustica cap. 16. Atheneus lib. 2. cap. 31. copiose de Asparagis. Ioannes Bruyerinus lib. 8. cap. 18. & 82. MOLLIS SPINA] Asparagus in totum spina est, nullum folium habet. Theophrastus, &c. & Plinius lib. 21. cap. 15. Cum Asparagus caret foliis & spinosus sit, quare vocat mollem? quia satum & hortensium Rauennatem intelligit. Etenim Asparagus incultus seu sponte natus, non inferior culto. Plinius libro 19. cap. 8. Est & aliud genus incultius asparago, mitius corruda, passim etiam in montibus nascens refertis superioris Germaniæ campis, non infaceto Tiberij Cæsaris dicto, herbam ibi quandam simillimam asparago nasci; nam quod in Neside insula sponte nascitur, longe optimum reputatur. De hoc Martialis in pentametro.

IN ÆQVOREA RAVENNA] Rauenna vrbs Italiæ in Boiis, auctore Plinio; [illegible] Ptolemæo. Zozimus Rhene vocatam scribit, quod eam aquæ ab omni parte circumeant; & hinc Martialis æquoream. De asparago vero Rauennatico. Plinius lib. 19. cap. 8. *Nullum gratius his solum, quam Rauennatium hortorum. Trium librarum asparagum Rauenna aliquando produxit.*

Vua

Vua duracina.

XXII.

Non habilis cyathis, & inutilis vua Lyæo.
Sed non potanti me tibi nectar ero.

Vua duracina est, quæ acinos, duro callo corioue tectos habet. Plinius lib. 14. cap. 1. *Vua non alicubi gratior callo, vt inde posit inuenisse nomen duracina.* Alij duracinas dicunt, quod acinos duros vt apianæ quædam, habeant. NON HABILIS CYATHIS] potari non potest. NEC VTILIS VVA LYÆO] nec vinum inde exprimi. SED NON POTANTI ME TIBI NECTAR ERO] comedenti nectar ero. Plinius lib. 14. cap. 3. *Sed sicut etiamnum insignes, vua non vino, ambrosiaca, duracina sine vllis vasis in vite seruabitur, tanta est in frigore astus, tempestatisq́ firmitas.* Columella lib. 3. de re rustica cap. 1. vocat duri acini vuas. Bruyerinus generatim de vuis lib. 11. cap. 40. & 39.

Chia ficus.

XXIII.

*Chia seni similis Baccho, * quam Setia misit,*
Ipsa merum secum portat, & ipsa salem.

* quem.

Ficorum varia sunt genera. de quibus scribit Columella, Plinius, Palladius, Macrobius, Cato. Martialis Chiam probat hic, & lib. 7. epig. 24. & vero Plinius non improbat. Enumerant hanc omnes, qui de generibus ficorum scribunt. Chios est Ægei Pelagi insula, quæ sola mastichen profert, de qua Plinius lib. 5. cap. 31. CHIA SENI SIMILIS BACCHO] Chia ficus vocatur, quia nata primum in Insula, translata postea, alibi quoque seri cœpit: hinc subiungit poëta. QVAM SETIA MISIT] Malim, *quem*, vt referatur ad priora *seni Baccho*. Setia oppidum fuit Cretæ Heraclium dictum, de quo Abrahamus Orthelius ex variis auctoribus. Sed nec arbitror hanc ficum ex illo oppido fuisse allatam; dicerem potius ex agro Campaniæ Setino missam, etsi nihil hic affirmo. Athenæus lib. 3. Chiam ficum Romæ adscribit: ἐπαινεῖται ἢ καὶ ἄλλα σύκων γένη, τῶν ἐν Ῥώμῃ γιγνομένων, χῖα καὶ τὰ λιβιανά, ἔτι δὲ καὶ χαλκιδικὰ ὀνομαζόμενα, καὶ τὰ ἀφρικανά, ὡς καὶ ἡρόδοτος ὁ λύκιος μαρτυρεῖ ἐν τῷ περὶ σύκων συγγράμματι. Laudantur & alia genera ficorum Romæ nascentium, nempe Chiæ, Liuianæ, & eæ, quas Chalcidicas vocant, & Africanæ, vt testatur Herododus Lycius, in opere de ficu. Sed Romam opinor pro Italia Athenæus accepit. IPSA MERVM SECVM PORTAT, ET IPSA SALEM] en laudes fici Chiæ, quæ vinum vetus redolet, & salsa est. Pro caseo & vino arida ficu Cato vsus est.

Cydonia.

XXIV.

Si tibi Cecropio saturata Cydonia melle,
Ponentur, dicas hæc melimela licet.

Si tibi Cotonea seu Chrysomela melle Attico imbuta apponentur, iure poteris illa melimela, hoc est, mellita poma appellare; sunt enim æque dulcia, ac mella. Scribit de iisdem Palladius in febr. Feruntur ex Creta; multa Plinius ex Catone: tu caput accipe: *His proxima amplitudine mala, quæ vocamus Cotonea, & Græci Cydonia, ex Creta insula aduecta. Incuruatos trahunt ramos prohibentq́ crescere parentem. Plura eorum genera. Chrysomela incisuris distincta, colore ad aurum inclinato. Quæ candidiora nostratia cognominata odoris præstantißimi.* Plura lib. 15. cap. 11. Docet & Platina Crem. lib. 2. de Cotoneis. Et Ioannes Bruyerinus lib. 11. cap. 20. de re cibaria. SI TIBI CECROPIO] Cecropius, Atticus à Cecrope. Laudatur præ cæteris Atticum mel. SATVRATA CYDONIA] quo pacto incoquantur melle Cydonia, docet Varro, & ex Varrone Plinius lib. 15. cap. 17. CYDONIA] à Cydone vrbe Cretæ. Serenus cap. 24.

Cotonea primo Cota appellaunt, Cydonia Græce dicta. Kütten.

Aut quis poma Cydon Creteis misit ab oris.

Ouid. 8. Met. *Armaq́, equosq́, habitusq́, Cydoneasq́, pharetras.*

Cydonia & Cydonea, dicitur.

DICAS HÆC MELIMELA LICET] mera quasi mella dicas. vox est Græca à μέλι καὶ μῆλον, à melle & pomo, vt si dicas mellitum pomum. Cydonea melle immersa vere dici possunt melimela, eingebüßte ins Hönig. Consule Palladium in febr. Columellam lib. 12. cap. 45. Genera sunt Struthea, mustea, mellita seu melimela, Dioscoridi, Plinio lib. 15. 11. & cap. 17. Aëtio. Melimela & reliqua dulcia stomachum & ventrem soluunt.

Nuces pineæ.

XXV.

Nux pinea Cybele sacra. ** absiste.*

*Poma sumus Cybeles, procul hinc * discede, viator*
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Venio ad insignia nostræ vrbis, Conum, inquam, & Strobilum pineum, cui pomo suus quoque debetur honos. Lege de hoc, si placet, rerum Augustanarum Scriptorem accuratissimum M. Velserum IIvirum; Græce dicitur πίτυς. Nuces seu strobili, colliguntur in conum, conus vero speciem propemodum imitatur. *Dioscorides lib. 1. cap. 76.* POMA SVMVS CYBELES] de his Plinius lib. 15. cap. 10. *Nucum pinearum genera sunt 4. Fructus, grandissimus pineu nucibus, altissimeq; suspensus, intus exiles nucleos lacunatis includit toris, vestitus alia ferruginis tunica. Alterum Tarentina digitis fragili putamine, auiumq; furto in arbore; tertium Sapima è satiua picea, quartum pityida vocant, è pinastris, &c.* POMA] omne genus fructuū significat, & nostra lingua recte dicitur Opß. CYBELES] pinus enim magnæ Matri seu Rheæ, seu Terræ sacra est, propter Atthin Phrygium Pastorem Calai filium, qui magnæ Matris cerimonias in Lydia monstrauit, eoque natus & cultus à Cybele, inuito Ioue, qui aprum immisit in Lydiam, à quo Atthis fuit interemptus, postea mutatus in pinum, quæ magnæ Matri ideo sacra est; lege Mythol. lib. 2. cap. 1. eadem pinus sacra Pani, qui montibus præsidet. *Phædrus lib. 3. Æsop. Fab. 56.* PROCVL HINC DISCEDE VIATOR] est enim conus pini grandissimus, vt scribit Plinius, qui offenderet subeuntem. NE CADAT IN MISERVM NOSTRA RVINA CAPVT] Iocus est Poëtæ, qui poma ipsa facit loquentia, nec tanta sunt, vt sternant viatorem. Esu vero laudatur à medicis. Paulum Æginetam, & Platinam Crem. lib. 3. de nucibus pineis adi.

Sorba.

XXVI.

Sorborū vis. ** damno.*

Sorba sumus molles nimium durantia ventres,
*Aptius hæc puero, quàm tibi, poma * dabis.*

Sorba Latine, Græce, οὔα, Germanice Speirling. Arbor ipsa Sorbus appellatur, Plinius lib. 16. cap. 21. quatuor facit Sorborum genera, quæ ibi leges. De sorbis Theophrastus lib. 3. cap. 12. SORBA SVMVS] vim & naturam sorborum exponit, quibusque magis apta in cibum. MOLLES NIMIVM DVRANTIA VENTRES] sic Plinius lib. 18. cap. 7. Idem Dioscorides lib. 1. cap. 173. Etiam Catoni non ignota, quæ sapa condiri iubet. Reliqua astringunt stomachum, sistuntque aluum. Item Sorba sicca, non recentia, stomacho & aluo citæ prosunt. MOLLES VENTRES] lubricam aluum vocat mollem ventrem. APTIVS HÆC PVERO] pueri facile deficiunt, & sæpe laborant profluuio alui, seu diarrhæa, viri non item. *Pueri molliore semper aluo viris.* Ioannes Bruyerinus lib. 11. cap. 22. affirmat sorbis se crudis à dysenteria curatum quatuor decennem.

Spathalion Cariotarum.

XXVII.

Cariota, id est, dactyli.

Aurea porrigitur Iani Cariota Calendis;
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Sensus est: ramus sputo splendente seu succo illitus, dependentibus cariotis datur Calendis Ianuarij, quamuis à tenuioribus. SPATHALION] est palmes seu termes, à quo pendent cariotæ poma. De Cariotis sic Plinius lib. 13. cap. 14. *Iam in Æthiopia fine, quinque earum* (palmarum) *nec plures arbores tradunt, non raritate magis, quam suauitate mirabiles. Ab his Cariotæ maxime celebrantur, & cibo quidem & succo vberrima. Ex his præcipua vina orienti, iniqua capiti, vnde pomo (Cariotæ) nomen.* SPATHALION] immane est, quam inhumane Domitium Merula tractet: legit enim Petalion, non Spathalion. Petalion significat folium, spathalion ramum. melius meo quidem animo conuenit sententia Merulæ, quam Domitij, sed non ideo tam fœde lacerandus erat, qui tametsi non pauca male, multa tamen & bene & præclare in rebus sane perobscuris, primus ipse facem luxit. Spathe valet palmæ ramum, spathalion, est diminutiuum, ramulus; sic enim Herododus deducit. vnde spathalion Cariotarum, est ramulus cum cariotis, seu balanis, hoc est, palmarum fructibus inde pendentibus. AVREA PORRIGITVR IANI CARIOTA CALENDIS] tegebatur, inquit Domitius, *Cariota leui Bractea auri* Calendis Ianuariis. Merula inauratas fuisse dicit, *quas*, inquit, *inaurata Calend. Ianuar. ex consuetudine mittebantur.* Sed longe aliter sentit Tertullianus, & ex Tertulliano Ios. Scaliger. Ex alio enim versu Martialis Scaliger videtur hunc interpretari lib. 8. epig. 33.

Hoc linitur sputo Iani Cariota Calendis.

Sputum, inquit Scaliger, *Tertullianus vocat corium, aut crustam, quæ ex illo tectorio inducebatur.* Sed quod illud tectorium, quod sputum, ex qua re natum? audi porro Scaligerum ad lib. 1. Tibulli El. quæ incipit. *Non ego celari possim, &c. splendens succus* (sic legit Scaliger, non fucus) *est crassius sputum, ex madido pane, vt ius Collyricum, cuius illitu genis splendorem conciliabant.* Tertullianus de cultu mulierum. *Ad mensuram neminem sibi adijcere posse pronuntiatum est. Vos plane adijcitis ad pondus Collyridas quasdam, sputorum vmbilicos ceruicibus astruendo.* Collyridas vocat à crassiore succo. vnde offas etiam appellat Iuuenalis.

> *Sed quæ mutatis inducitur atque fouetur*
> *Tot medicaminibus, coctaq; siliginis offas*
> *Accipit, & madida, facies ducetur, an vlcus?*

Ex pane enim siligineo id fiebat. Idem Iuuenalis. Sat. 2.

> *Et pressum in facie digitis extendere panem.*

Suetonius in Othone cap. 12. Quin faciem quotidie rasitare, ac panè madido linere consuetum, idq; instituisse à prima lanugine, ne barbatus vnquam esset. Ad Martialem igitur à Scaligero redeamus. Aurea, inquit, Caryota porrigitur, quomodo aurea? sputône illo, hoc est, corio tenui, quod vmbilicos, hoc est, bullas, & pompholygas in crustâ habebat? Ita sane ad mentem illius interpretari ausim, quando etiam sequens versus ad rem facit. SED TAMEN HOC MVNVS PAVPERIS ESSE SOLET] vnde enim aurum pauperi, quod donaret, accepturus donandum? Vilior est auro siligo, & succus ille splendebat, forte etiam croco infectus, vt, *Pallida, quam rubri diluit vnda croci* Enimuero non plane reiiciendam putem vel Domitij, vel Merulæ sententiam, fuisse inauratas, vel quasi tenuissima bracteola tectas. Hinc enim subiungit in pentametro. ET TAMEN HOC MVNVS PAVPERIS ESSE SOLET] Quod mirum videri merito possit, quo pacto pauperi tantum auri, quod adfricare Caryotis & palmulis possit; si aurum non fuisset, versus minorem & vim, & admirationem haberet. Addo etiam σύγκρισιν in hoc versu, si Romæ pauperes sibi mutuo aurum donant, quid donabunt diuites, quantæ erunt opes potentiorum? Lector, quam volet, sententiam sequatur. Diuitibus inauratæ cariotæ; pauperibus videntur donatæ, simplices ipsi inter se missitabant. lib. 8.

> *Hoc linitur sputo Iani cariota calendis*
> *Quam fert cum parco sordidus asse cliens.*

De his Cariotis loquitur Ouid. 1. Fast. etsi obscurius; palmam enim pro fructu accipit, cum dicit,

> *Quid vult palma sibi?* ——

cui simul adiungit cariceam & mella. caussamque reddit horum munerum; Iano fuisse hæc dulcia munera donata, vt esset auspicium anni, totusque annus dulcis, & gratus suauisque foret.

Coctana seu Cottana.

XXVIII.

> *Hæc, tibi quæ torta venerunt condita,* meta,*
> *Si maiora forent coctana, ficus† erat.*

* menta. † erunt.

Coctana seu Cottana, vt Plinius & Turnebus habent ficus carycis paulo sunt minores. Plinius libro 13. cap. 5. *In ficorum genere autem caryicas, & minores eim generis quæ Cottana vocant.* Syri nempe. nam κόττανα Syriaca vox est. Casaubonum ad lib. 3. Athenæi cap. 32. do testem. Non sunt Cottana caricæ Damascenæ, quas in epistolis laudat Iulianus. Iuuenalis Sat. 3. *quo pruna & cottana vento?* Hesychius κόττανα εἶδος σύκων, id est, Cottana sunt genus ficorum, nascuntur in Syria. TORTA] tota, legit Beroaldus, id est, plena, vt expono ego. Meta vas testaceum, quod metæ formam, siue turbinis ruentis habeat, vt loquitur Papinius. de qua lib. 5. epig. 18. ad illum versum. *Et acuta senibus testa cum Damascenis.* Seruo, torta; nam & meta torta seu rotundata. Sed meta præ menta placet. Quamuis ex mentæ surculis possit sportula contexi, vt illa quoque scriptura non omnino abs re videatur.

Pruna Damascena seu vas Damascenarum.

XXIX.

> *Pruna,* peregrina, carie † rugosa, senectæ*
> *Sume; solent duri soluere ventris, onus.*

* Plin. 15. c. 13. In peregrinis arboribus dicta sunt Damascena, &c. † In Italia nunquam in rugas siccantur. Plin. lib. 15. c. 13.

Ede pruna siccata vetustateque ipsa iam contracta in rugas. De his Plinius lib. 13. cap. 5. *Item pruna in Damasco monte nata & mixa, vtramque iam familiarem Italia.* Petronius Syriaca pruna nominat in Trimal. conuiuio. PEREGRINÆ] allata quondam ex Syria: Damascus enim Syriæ ciuitas. PRVNA] genera sunt admodum varia prunorum, sed Damascena grandia & subnigra laudem ferunt. lege Plinium, & alios. SOLENT DVRI SOLVERE VENTRIS ONVS] citant aluum pruna hortensia, omnia siluestria astringunt. Gal. lib. 2. Alim. Dioscorides lib. 1. cap. 74. idem poëta dicit de prunis, sed non Damascenis; κοκκυμηλέα δένδρον, &c. κακοστόμαχος, καθάπερ μᾶλα πρὸς τῶν ἐν Συ-

εὐστόμαχα δὲ μᾶλλον τῶν ἐν Δαμασκῷ γιγνομένων, ὅπερ τῆς ξηρανθέντος, ἐυστόμαχα καὶ κοιλίας σταλτικά. Prunus nota arbor, &c. Stomacho infestus, aluumque mollit. At Syriacarum, & earum maxime, quæ Damasci nascuntur, fructus exsiccatus, stomacho amicus, aluumque stringit. Gal. lib. 7. simpl. Pruna Damascena siccata non aluum quidem illico sistere, sed minus, quam cætera, quæ ex Iber. a importabantur, eandem subducere voluit, quod plurimum astrictionis habeant, vt clarius lib. 2. de fac. alim. loquitur. Plinius lib. 23. cap. 7. *Ipsa pruna aluum molliunt.* Idem Platina lib. 1. de prunis. Multa & Bruyerinus.

Caseus Lunensis.

XXX.

Caseus Etruscæ signatus imagine, Lunæ,
Præstabit pueris, prandia mille tuis.

A fructibus ad caseos transit. Laudat genus Casei. Plinius lib. 11. cap. 42. de diuersitate caseorum. *Mixtoq., inquit, Hetruriæ atque Liguriæ confinio Lunensem magnitudine conspicuum, &c. quippe ad singula millia pondo premitur.* Quare autem dicatur Lunensis, ipse Poëta docet, cum dicit *signatus imagine Lunæ.* An insigne habuit oppidi Lunæ? Luna inter Ligures & Etruscos. Persius *Lunai portum est opera precium cognoscere ciues, &c.*

PRÆSTABIT PVERIS PRANDIA MILLE TVIS] Romani, Græci item, semel in die cibum sumebant circa vesperum, pueri tantum ientacula seu prandia; nam idem significabant. lege Mercurialem Var. lib. 4. cap. 17. egregie de hac re tota disputantem. Certe cum hoc facit etiam illud Martialis carmen libro 4. epig. 8. quo describit rationem totius diei, vbi nullam ientaculi, nullam prandij mentionem facit. Zoroastres caseo viginti annis vixit ita temperate, vt vetustatem non sentiret. Plinius lib. 11. cap. 42. Hodie non minus nobilia celebrantur caseorum genera, quam olim iactabantur, vt narrat in Batauia sua Hadrianus Iunius. Et Platina lib. 2. de caseo. Athenæus lib. 14. cap. 326. qui laudat Siculum. Et nuper Ioannes Bruyerinus lib. 14. cap. 7. 8. & seq.

Vestinus.

XXXI.

Si sine carne voles ientacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Huic secundas dat Plinius lib. 11. cap. 42. loco obsonij erat, & pueris pro ientaculis dabatur. Si voles, inquit, opimum ientaculum ientare, Vestinum edas. Ientaculum quibusdam pro prandio sumitur, sed Tranquillus in Vitellio distinguit. MASSA VESTINO DE GREGE] Vestini populi sunt Italiæ, de quibus Plinius lib. 3. cap. 5. MASSA VESTINO DE GREGE] periphrasis casei; cogitur enim lac in massam & premitur.

Caseus Velabrensis. al. fumosus.

XXXII.

Non quemcunque focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.

Velabrum maius, locus Romæ Regione 11. P. Victor. Inter Auentinum fuit Velabrum ita dictum, quod cum locus esset paludosus, volentes transire in Auentinum, ferrentur cymbulâ, & soluerent stipem, Pecunia autem, quæ soluebatur nautis, velatura appellabatur: vnde Velabrum. Pomponius Lætus de Romana antiquit. Marlianus lib. 4. cap. 7. Qui sedem Velabri prope forum Boiarium ponit, vbi nunc ædes D. Gregorij cognomento in Velabro. Auentinus erat olim ab reliquis montibus disclusus. Itaque qui eo ex vrbe aduehebantur ratibus, quadrantem soluebant, vnde Velabrum à vehendo. *Velaturam facere,* inquit Varro, *etiam nunc dicuntur, quid id mercede faciunt.* Propertius.

At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus, pulsa per vada, linter, aqua.

Ouidius.

Qua Velabra solent in circum ducere pompas,
Nil præter salices, crassaq. canna fuit.
Hic vbi nunc fora sunt, lintres errare videres,
Quaq. iacent Valles, Maxime Circe, tua.

Merula aliter hic legit Plinium.

In Velabro multæ caseariæ siue casealia. Est autem Casearia, vt Vlpianus vocat taberna, vbi veteres caseos reponebant & fumos bibere insti tuebant. A Velabro deducitur Velabrensis; nam caseus in vrbe optimus in Velabro potissimum infumabatur. Plinius lib. 11. cap. 42. *Et caprarum gregibus*

gregibus suauius est, recenti maxime, eam augente gratiam fumo, qualis in ipsa Vrbe conficitur cunctis præferendus. Non puto Columellam de eodem locutum, quando lib. 7. cap. 8. scribit. *Est etiam non ingrati saporis muria perduratus, atque ita maligni ligni, vel culmi fumo coloratus.* Iam facile intelligitur distichon. ille caseus tantum est gratus, non qui vbicunque fit, qui fumum bibit, sed Velabrensem, qui in Velabro infumatur. (bibit) est enim recens fistulosus, & haurit fumum, &c.

Caseus Trebulanus.

XXXIII.

Trebula nos genuit, commendat gratia duplex,
Siue leui flamma, siue domamur aqua.

Trebulam Seruius putat Virgilianas Mutuscas, oppidum in Vmbria. quem corrigit Herm. Barbarus. Erythræus & Villanouanus putant Trebulam Ptolemæi, quos reiicit Abrahamus Ortelius. Plinius Trebulanos Balinienses cognominat, & Mutuscæos, & Suffenates cap. 12. Varro in Originibus affirmat oppidum esse in agro Reatino; sed hic, vt Domitius docet, Martialis laudat Trebulanos caseos, qui in coloniâ Romana iuxta Crustumium, oppido Trebulâ fiebant, de quibus Plinius lib. 11. cap. 42. qui tamen nullam facit mentionem ibi Trebulæ, sed campi tantum Ceditij, qui erat in Vestinis, verbaque illa referuntur ad caseum Vestinum, audi Plinium. *Proximum autem vrbi Vestinum, eumq́, à Ceditio campo laudatissimum,* ⟨eumq́,⟩ dubio procul refertur ad Vestinum. TREBVLA NOS GENVIT] facti pressique sumus Trebulis. Trebulæ supra fuit mentio lib. 5. *Humida qua gelidas submittit Trebula valles.* COMMENDAT GRATIA DVPLEX] vsus est nobis duplex, duobus modis cum suauitate in cibum paramur. SIVE LEVI FLAMMA] cum torremur modice leui fauilla, in partes secti. SIVE DOMAMVR AQVIS] seu delcobinati cibisque permisti, aut alia ratione, caldâ parati.

Lib. 3. cap. 4.

Lucanicæ.

XXXIV.

Filia Picenæ venio Lucanica Porcæ
Pultibus hinc niueis grata corona datur.

Lucanicum farcimen appellat filiam Picenæ porcæ; fiunt enim Lucanicæ ex aruina & pipere, cymino, concisis carnibus porcinis, vt docet Apicius, Lucanicam dicunt, quod hanc milites à Lucanis didicerint Varro de ling. lat. De hoc genere farciminum plura Apicius lib. 2. cap. 6. toto. Platina Crem. lib. 6. de Lucanicis. tribus etiam locis Athenæus Lucanicarum siue Isiciorum meminit. lib. 7. prorsus extremo lib. 9. his verbis, καὶ τὰ ἐκ τῶν σμικρῶν, εἰς λεπτὰ κατατεχνιζόμενα (seu κατατεχνιζόμενα) καὶ μετ' ἀρτυμάτων συμπλαττόμενα. Ἰσίκια γὰρ ὀνομάζειν αἰδοῦμαι τὸ Οὐλπιανόν, &c. Ad quem locum Casaubonus. *Inter cætera autem, quæ dicuntur in porcelli ventrem condita, nominantur* καὶ τὰ ἐκ τῶν, *&c. tot Græcis dictionibus* περιφράζει *Leonides siue Athenæus, quæ vno verbo Romani appellabant Isicia. Romanam autem esse vocem, constat ex Arnobio, Apicio, & Macrobio libro 7. capite 8. Alexander Aphrodisius problem 22. vocat Isicon.* Enimuero Apicius lib. 2. cap. 1. hysitia appellat, & distinguit à Lucanicis, de quibus seorsim agit lib. 2. cap. 6. distinguit & Platina. Macrobius Isicium prius Insicium ab insectione dictum docet. VENIO] missa ad amicum seu hospitem ab amico. PICENÆ PORCÆ FILIA] facta è carnibus porcæ, natæ in agro Piceno.

Lib. 11. Athenæus Lucanicam φύσκην appellat, vt interpres vertit.

PVLTIBVS HINC NIVEIS] Pultis varia erant apud veteres, & hodie sunt genera, quæ recenset Stuckius lib. 1. p. 55. Hic, candidum, hoc est, ex tritico factum intelligit, Martialis supra, *Et pultem niueam premens botellus.* De pultibus vide VVilichium de arte Magirica. GRATA CORONA DATVR] Vt hodie ad Brassicam apponuntur, ita vt ora patinæ farciminibus coronetur, sic intelligo Romanis in more fuisse.

Oliuæ, aut Cistella Oliuarum.

XXXV.

Hæc, quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliua dapes.

Primam arborum fuisse creditum antiquis.

Arboris Oliua nomen est, & fructus, seu baccæ oleæ. De arbore Plinius lib. 15. Dioscorides lib. 1. cap. 138. fructus colymbades & baccæ appellantur. De satione & cultu oliuarum à Columella, Catone, Palladio, & aliis tractatur. Hic Baccas accipe.

HÆC, QVÆ PICENIS VENIT SVBDVCTA TRAPETIS] Vsum oliuæ baccæ ostendit in mensis: ab illis enim inchoabant cœnam, & finiebant veteres, & hodie non nemo. Optimæ putabantur in Italia Picenæ, seu quæ in Piceno agro creuerant. Plinius. subducta, vel subiecta, vt

 est

est apud Q. Curtium lib. 6. de igne sarcinis subducto, id est subiecto. Vel subducta, accepta, subtracta hoc loco expone, non subiecta, non expressa, sed subtracta ne inde oleum exprimeretur, sed vt pomum mensæ inferretur. Quam ob caussam Italicis transmarinæ præferuntur in cibis, cum oleo vincatur. Et in ipsa Italia cæteris Picenæ, & Sidicenæ, sale illæ primum condiuntur, & vt reliqua, amurca sapaue. De Picenis etiam alibi Martialis.

Et quæ Picenum senserunt frigus oliuæ.

Varia eius genera leges apud Plinium & Mercurialem lib. 1. cap. 5. vbi disputat, quæ oliuæ stomacho magis prosint. Athenæus copiose de oliuis lib. 2. cap. 18. Romanis ait drupas appellatas. De eisdem Dioscorides, & multa multi eius interpretes. TRAPETIS] trapetes molæ oleariæ vocantur: trapetes à terendo. Varro de ling. lat. trapes trapetis, & trapetum trapeti, mola oliuaria à τρίπω, id est, verto seu voluo, inquit Seruius, Virgilius lib. 2. Georgicon. *Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.* Videtur autem trapetum non præcise mola olearia, sed prælum potius. Columella enim lib. 12. cap. 15. *Oleo autem conficiendo molæ vtiliores sunt, quam trapetum, trapetum, quam canalis & solea,* Cato de re rustica trapes & trapetum dicit, lib. 18. & cap. 22. vt putem apud Isidorum mendum esse, qui trapedum habet, sine auctore.

INCHOAT, ATQVE EADEM FINIT OLIVA DAPES] Principio fineque cœnæ apponitur, primum, credo, vt inuitet gulam, postremo fastidium arceat, etsi multos alios vsus habeat, de quibus Plinius Variis locis, & Mercurialis lib. Var. lect. lib. 1. cap. 3. omitto alios recentiores. Adagio circumfertur; vna sola sumpta aurum est; secunda argentum, tertia venenum.

Mala Citrea.

XXXVII. XXXVI.

Aut Corcyrei sunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Massyli poma Draconis erant.

Citrea mala Athenæus quasi cedria à cedro putat dici: plurima memoratu digna refert de vi contra venena & experientia lib. 3. cap. 43. & 4.

Laus Citreorum. Hæc poma, inquit, sunt vel ex Alcinoi, vel ex Hesperidum horto lecta. MALA CITREA] polyonymum est hoc aureum pomum, græce χρύσεον, μηδικὸν, ἑσπερικὸν μῆλον, ἀσσύριον μῆλον, κιτρόμηλον, περσικὸν κίτριον, κοκκύμηλον περσικόν. Latine malum aureum, Aurantium, malum Hesperium, Medicum, Assyrium, Citreum. Alij distinguunt malum aureum seu aurantium à citreo, medico, Assyrio & illud Pomerantzen/hoc citron nostrate sermone vocitant. Scribunt de his Athenæus, qui affirmat esse illa aurea Poëtarum mala apud Hesperidas. Galenus, Theophrastus, lib. 4. cap. 4. Plinius, Dioscorides lib. 1. cap. 136. recentiores plurimi. Virgilius lib. 2. Georg. egregie vim horum describit.

Pocula si quando, & quæ sequuntur.

Et in Bucolicis. *Aurea mala decem misi, cras altera mittam.*

AVT CORCYREI] Corcyra insula maris Ionij, dicta à Corcyra filia Asopi ibi sepulta. Apollonides in nauigatione Europæ: dicta Drepanum olim, de qua Dionysius de situ orbis.

Καὶ λιπαρὴ κέρκυρα φίλον πέδον ἀλκινόοιο
Et pinguis Corcyra gratus Alcinoi campus.

Homerus σχερίαν καὶ φαιακίαν nominat, aliaque varia nomina habet, hodie Corfu: estque in Venetorum ditione. Vlysses ibi naufragium passus Homerus libro Odyss. 5. de hac Virgilius 3. Æneid.

Protinus aerias Phæacum abscondimus arces.

Corcyram, inquit Seruius, *insulam dicit inter Epirum & Calabriam sitam, vbi regnauit Alcinous.* Mela libro 2. *& vicina Adriatico mari Corcyra.* HORTI] de hoc Plinius libro 19. cap. 4. sed Homerus & Regiam Alcinoi, quam solis splendori comparat, amplissimam, & hortum eleganter describit 7. Odyss.

Ἔκτοσθεν δ' αὐλῆς μέγας ὄρχατος ἄγχι θυράων, &c.

Plura Eustathius ad eundem locum, Virgilius lib. 2. Georg.

Pomaque & Alcinoi silua ———

Ouid. 13. Met. *Proxima Phæacum felicibus obsita pomis.*

Iuuenalis: *Qualia perpetuis Phæacum autumnus habebat,*
Credere quis possit surrepta sororibus Afris.

AVT HÆC MASSYLI POMA DRACONIS ERANT] Hesperidum poma intelligit, de quibus plura supra libro 2. in comparatione Herculis cum Domitiano. MASSYLI] sic Virgilius 4. Æneid.

Hinc mihi Massylæ gentis monstrata Sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasq́; Draconi
Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore fructus.

DRACO-

DRACONIS] Massyli Draconis; sic & gens Massyla vocabatur, & Massylia insula Hesperidum. Draconis nomen erat Ladon. Apollon. lib. 4. Typhonis & Echydnæ filius. de loco Hesperidum iam supra egimus. POMA] comparat Citrea mala ob nobilitatem aureis malis Hesperidum & Alcinoi.

Colostrum.

XXXVII. XXXVIII.

Surripuit Pastor quæ nondum stantibus hœdis,
De primo matrum lacte, Colostra damus.

Piest.

Colostrum seu colostra, vt Plinius loquitur, *est prima à partu spōgiosa densitas lactis. Maxime alit quodcunq; humanum, mox caprinum; vnde fabulæ Iouem ita nutritum dixere; dulcißimum ab homine camelinum, efficacißimum ex Asinis.* Colostrati infantes dicuntur à colostro. concipere enim nutrice exitiosum est. Plinius lib. 28 cap. 9. Hoc loco lac caprinum ait se donare Martialis, sed quod statim à partu sit exceptum. De Collostra sic Palladius in Nouemb. *Manu tamen prius exiguum lactis, in quo spißior est natura, mulgendum, apud Pastores Colustram vocant; namq; hæc agnis nisi auferatur, nocebit.* Aristoteles trophalida appellat. SVRRIPVIT PASTOR] quod lac capræ detraxit. & hœdo surripuit, ante quam admoueret vberibus ora. NONDVM STANTIBVS] recens proiectis ex vtero, necdum erectis. MATRVM] Capræ matres; hirci, viri & mariti appellantur poëtis.

Hœdus.

XXXVIII. XXXIX.

Lasciuum pecus, & viridi non vtile Baccho,
** Dat pœnas: nocuit iam tener ille Deo.*

* Dei.

Hœdilli mensis grati; tenerrima enim caro. Distichi sententia est; carpsit hœdus vites & corrupit; ideo mactatus est victima Deo. Nam caper seu hircus, Baccho sacer erat. Ouidius Fastorum 1.

> *Sus dederat pœnas. exemplo territus huius*
> *Palmite debuerat abstinuisse caper.*
> *Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,*
> *Talia non tacito dicta dolore dedit.*
> *Rode caper vitem: tamen hinc cum stabis ad aram,*
> *In tua quod spargi cornua poßit, erit.*
> *Verba fides sequitur, &c.*

In sententiam est illud Eueni Poëtæ,

> Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω
> Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί τράγε θυομένῳ.
> *Rodas me licet ad stirpem, de palmite, fundam*
> *Dulcia mactando vina sed hirce tibi.*

Hinc ludi Græcorum & Latinorum Ascolia dicti, quos describit Tzetzes in Hesiodum, & Virgilius 2. Georgicorum. Vtres enim ex pelle hirci faciebant inflatos vento, in quos humi depositos altero pede insiliebant, atque super iis ferebantur. tum sæpius labentes in terram decidebant. Virgilius.

> *Frigora nec tantum cana concreta pruina,*
> *Aut grauis incumbens, scopulis arentibus, æstus;*
> *Quantum illi nocuére greges, durique venenum*
> *Dentis, & admorsa, signata, in stirpe cicatrix.*
> *Non aliam ob caussam Baccho caper omnibus aris*
> *Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi, &c.*
> *Mollibus in pratis vnctos saliére per vtres.*

LASCIVVM PECVS] sic Virgil. Eccl. 2.

> *Florentem Cithisum sequitur lasciua capella*

VIRIDI] viti, Baccho nondum maturo. vineæ florenti.

Oua.

XXXIX. XL.

Candida si croceos circumfluit vnda vitellos,
Hesperius scombri, temperet oua, liquor.

Oui

Oui recentis vitellum iubet imbui liquore scombri piscis, quem Græci σκόμβρον, Germani Maccarell vocant; in aqua sulphureum induit colorem, extra communem, vt Plinius tradit. Liquor autem scombri præstantissimus est si Plinio credimus lib. 31. cap. 8. *Nec liquor vllus pene præter vnguenta, maiore in pretio esse cœpit.* CANDIDA SI VNDA] recentissima oua lac habent, quod vocat candidam vndam, quam liquore scombri nobilissimo miscendam docet coquus Martialis. Salis loco adhibent Græci garum, & oua condiunt. CROCEOS] flauos. Galenus *ouum cum melle vel garo, vel sale coctum, est compositum ex diuersis facultatibus.* Nec puto Martialem loqui de sorbilibus, cum Galenus dicat esse composita ex diuersis facultatibus. HESPERIVS LIQVOR] garum vocant, liquorem præstantissimum. Hesperius siue Hispanus; nam Hispania vocatur Hesperia, ad hesperum sita. Horatius dixit Iberum piscem. SCOMBRI] Latini lacertum vocant: genus est duplex scombri; maior Græce σκομβρὶς, minor Cotias, ætate tantum differt à priore. Gaza ex Aristotele vertit monedulam, Martiali putatur esse lacertus, Saxetum; Germanis vterque Maccarell. Quid garum aut garon sit, lege Plinium de Piscibus lib. 31. cap. 7. garum scombrorum nobilius cap. 8. lib. eodem, de quo hic Martialis. Scombros Mauritania, Bœtica, & Carteia capit. Plinius ibidem. De Garo Martialis infra,

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe, fastosum munera cara garum, Vbi plene de garo.

Porcellus * lactens.

* Aldus lactens.

XLI. XL.

Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum,
Ponat, & Ætolo de sue diues edat.

Lacte pasti porcelli, Apicius lib. 8. speciatim meminit.

Malo esse lactentem porcellum, quam aprum; ille mihi sapit, non inuideo lautis aprum. PORCELLVS LACTENS] (non lactens, vt Domitius) est modo raptus ab vbere matris, qui nihil aliud gustauit, quem lac de porca matre, sic lactentes pueri, infantes, miror à Parthio lactantem dici, mater lactans, Porcellus aut infans, lactens à scriptoribus appellatur. Varia porcellorum nomina Vitellinorum, Flaccianorum, Laureatorum, Frontonianorum, Cœsianorum, Hortulanorum, Traganorum cum suo apparatu describit Apicius libro 8. de re culin. & ex Galeno multa de eodem Ioannes Bruyerinus. LACTE MERO] ipsemet describit, quid sit lactens porcellus. PIGRÆ MATRIS] periphrasis effœtæ porcæ. lege Plinium lib. 8. cap. 51. ÆTOLO DE SVE] de lib. 1. cap. Idem Arcadius sus, occisus à Meleagro: lege Nat. in Meleagro & Hercule.

Spenser. Ecl.

Apyrina & Tuberes.

XLII. XLI.

Non tibi de Libycis Tuberes, & Apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Suetonius Domit. cap. 16.

Nomentum ciuitas, Nomentanus inde ager ferax tuberum & apyriniorum, quæ alioqui in Africa proueniebant, Romamque ferebantur. NON TIBI DE LIBYCIS TVBERES] de Libycis ramis poma ex Africa allata dicit (tuberes) tuberes & tubera dicitur; sed tubera ὕδνα genus fungorum sunt. Tuberes, mala sunt, de quibus Plinius libro 15. capite 14. *Æque, inquit, peregrina sunt zizipha & tuberes, quæ & ipsa non pridem venere in Italiam. hæc* (mala intellige seu tuberes) *ex Africa, illa* (zizipha) *ex Syria. Sext. Papinius, quem consulem credimus, primus vtraque attulit D. Augusti nouissimis temporibus, in castrorum aggeribus sata, baccis similiora, quam malis, sed aggeribus præcipue decora, quoniam & in tecta iam siluæ scandunt. Tuberum duo genera candidum, & à colore sericum dictum, Pœne peregrina sunt, in vno Italiæ agro Veronensi, nascentia quæ lanata appellantur, &c.* De Apyrinis idem Plinius lib. 13. cap. 19. *Sed circa Carthaginem Punicum malum cognomine sibi vendicat, (Africa) aliqui Granatum appellant. Diuisit & in genera, apyrina vocando, cui lignosus nucleus abest, sed candidior ei natura & blandiores sunt acini, minusq; amaris distincta sunt membranis.* De iisdem idem Plinius lib. 10. c. 6. *Punici mali nouem genera iterare superuacaneum. Ex his dulcia quæ apyrina alio nomine appellauimus, stomacho inutilia habentur, &c.* Seneca epist. 86. *Sic Peripateticus imperturbatus dicitur quomodo apyrina dicuntur, non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor.* Ergo Tuberes & Apyrina sunt genera pomorum, allata primum ex Africa, sata postea alibi, & Nomenti, quæ optima putabantur. DE NOMENTANIS] in quo agro villam habebat Martialis.

Tubera mox describemus.

Poma dicuntur propriè punica.

Idem.

Idem.

XLII. XLIII.

Lecta suburbanis mittantur apyrina ramis
Et vernæ tuberes; quid tibi cum Libycis?

Versus est leoninus, quales habet Virgilius, Ouidius, Homerus. Argumentum idem cum superiore, ac si dicat tam generosa nascuntur in suburbano agro, vicino Romæ, quam in Africa: quid ergo petis Libyca? APYRINA] ἀπὸ τῆς στερητικῆς α, καὶ πυρῆνος, quod nucleum signat, apyrina sine nucl. o. πυρὴν πυρῆνος quod in poma aut bacca ligneum est, aut osseum, granum item & ipse nucleus, & acini semina. VERNÆ] Vernæ, domi nati serui dicuntur, & fructus vernæ, domi nati. Nam tuber, generis virilis, cum fructum significat, arbor ipsa, tuber generis fœm. in neutro alia significatio. VERNÆ TVBERES] domi nati, in suburbano nostro. Tuberum mentionem facit Suetonius in Dom cap. 16. *Pridie, quam periret, cum oblatos tuberes seruari iussisset in crastinum, adiecit, si modo vti liceret.* De arbore Columella lib. 11 cap. 2. Eleganter transtulit, &c. ex Analectis p. 1015.

Sumen.

XLIII. XLIV.

*Esse * putes nondum sumen: sic vbere largo*
** Effluit, & viuo lacte, papilla * tumet.*

* potes.
* effluit vt niueo.
* effluis.
* tumes.

SVMEN] Græcis οὖθαρ & ὑπογάστριον. Athen. lib. 14. n 326. Proprie à sugendo dictum. Nam & mulieris mammam, sumen veteres dici voluerunt Lucil. Sat. lib. 4.

Quod si nulla potest mulier tam corpore duro
Esse, tamen tenero moueat succussa lacerto,
Et manus vberior lactanti in sumine sidat.

* Plinius sumen abdomini suis, nomen inditum refert primum à Publio mimographo. Et *suis sumen optimum, si modo fœtus non hauserit, euelsitia deterrimum.* ESSE PVTES NONDVM SVMEN: SIC VBERE LARGO EFFLVIT] sumen ex papillis porcæ post fœtum editum occisæ fiebat, antequam porcelli suxissent, quoque magis lacteum erat, hoc amplius commendabatur. Plutarchus inter delitias recenset sumen. Hinc Persius, --*Calidum scis ponere sumen*, lectam illi cœnam instruere. SVMEN] farciminis genus fuit ex suillis mammis post primum partum resectis, fiebat, antequam eas fœtus suxisset. Poeta suminis genus optimum describit, *Esse putes nondum sumen, sed adhuc viuas in sue papillas*, tanta inde copia lactis redundat, ac si ex vbere & papillis passis effluere et. --ET VIVO LACTE PAPILLA TVMET] Eleganter Cic. lib. 1. de diuin. lac appellat rorem vitalem.

* Lib. 8. c. 51.
Calius Rhod. lib. 4. cap. 12.

Hic siluestris erat Romani nominis altrix
Martia, quæ pueros Mauortis semine natos
Vberibus grauidis vitali rore rigabat.

TVMET] turget; sic gemmæ vitium tumere dicuntur, & turgere Ouidius.

Et noua de viridi palmite gemma tumet.

Virgilius 2. Georg. ——— *tumidis Bumaste racemis.*
——— *turgent in palmite gemmæ.* Virg.

Pulli Gallinacei.

XLIV. XLV.

Si Libycæ nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aues.

PVLLI GALLINACEI] sunt domesticæ aues omnibus notæ. SI LYBICÆ] si mihi copia esset peregrinarum auium illas mitterem, quæ cum desint, boni consule domesticas. LIBYCÆ] Numidicas gallinas dicit. Indianische Hennen/ videntur quibusdam hodie, quasi ex India allatæ, Sed non easdem Lybicas cum Indicis testatur Gesnerus de Gallina vbi diserte vtramque describit, & distinguit. PHASIDES] Phasianos, de quibus infra. CORTIS] cortes est spatium intra maceriam villarum. Non. De auiariis, & corte plura discas ex Palladio lib. 1. de re Rust. c. 22. & 23. Vitruuio lib. 6. cap. 9. cortes est ædificium in villa rotundum, vt mapale. [illegible] lege, quæ scripsimus lib. 7. epig. 30.

Persi-

Persica Nucipersica.

XLVI. XLV.

*Vilia maternis fueramus * præcoqua ramis,*
Nunc in adoptiuis persica cara sumus.

De Persica Athen. lib. 3.

In natiua stirpe nullius precij eramus, insita pruno nobilissima poma nascimur. Pallad. de Instit. lib. 14. de Persico.

Ipsa suos onerat meliori germine ramos
Persicus, & pruno scit sociare genus,
Imponitq; leues in stipite Phyllidis vmbras,
Et tali discit fortior esse gradu.

Persica dicuntur, quod primum credantur ex Perside delata. Nucipersica, quod à nuce ægre soluantur, vnde duracina vocantur. quæ Germani Pfersing appellant. Genera sunt plura, aliaque Gallica, alia Asiatica. Atque ex vtroque genere, alia duracina, quibus & palma debetur, iudice Plinio lib. 15. c. 12. quæ Dioscoridi sunt Armeniaca, & Persica præcoqua, æstate maturescunt, doctisque Trecacina nominantur, Germanis Möllelin & Molletin. *Præcocia*, inquit Plinius, *intra XXX. annos*, (ante Vespas. putat Domitius) *reperta, & prima denariis singulis singula venundata. Alia supernatia à Sabinis veniunt, popularia alia vndiq;. Pomum innocuum expetitur ægris, pretiumq; iam singulis tricens nummi fuere*, hoc est, florenus aut amplius, *nullis maiore. quod miremur, quia non aliud fugacius. Longissima namq; decerpto bidui mora est, cogitq; se venundari.* Plinius loco citato. PRÆCOQVA] Columella lib. 12. cap. 51. *Vuas præcoquas quam maturissimas legito.* Isidorus lib. 17. c. 5. de re Rust. Præcoquæ vocatæ quod cito maturescant, & ante omnes sole coquantur, has λαγωὰς dicunt quod currant ad maturitatem velociter vt lepus. Non excogitauit hanc vocem Martialis vt diceret *præcoqua* pro, præcocia. Columella maior est Martiale. Et Seneca Theb. act. 1. *Lethum præcoqui fati tulit*, quamuis Delrius ibi præcoquis legat. *Precias* videtur appellare Virgilius vuas & Columella quas Seruius *præcoquas* dici putat.

NVNC IN ADOPTIVIS RAMIS PERSICA CARA SVMVS] Ramis, à quibus adoptati sumus, qui maioris precij habentur; metaph. ab homine, qui adaoptat filios. Persica insititia intelligit.

Panes Picentini.

XLVII. XLVI.

Picentina Ceres niueo sic nectare crescit,
Vt leuis accepta, spongia turget, aqua.

Videntur buccellati esse Ammiano. Athenæus lib. 3. vocat panem Capyrium, hoc est, aridum friabilem hiulcum. Picenus ager in 5. Italiæ regione, de quo Plin. lib. 3. c. 13. de Picentinis Panibus idem lib. 18. c. 11. *Durat sua Piceno in panis inuentione gratia ex alica materia; eum nouem diebus macerant, decimo ad speciem tractæ subigunt vuæ passæ succo; postea in furnis, ollis inditum, quæ rumpuntur ibi, torrent. Neq; est ex eo cibus, nisi madefacto, quod fit lacte, maxime mulso.* Ex his verbis planissime intelligis carmen Martialis. Ceres enim panem significat, quia inuentrix & magistra Pistorum fuit. Macrobius panes Picentes laudat. Val. Max. lib. 9. cap. 15. Ne equitium furno Piceno veniens prætercam. NIVEO NECTARE] elegans lactis periphrasis. VT LEVIS] comparatio ad rem explicandam. Non aliter panis Picentinus lacte mersus ac arida spongia aqua imbuta, tumet ac imbibit lacteum humorem.

Boleti.

XLVIII. XLVII.

Argentum atq; aurum facilè est, lænamq; togamq;
Mittere, boletos mittere difficile est.

BOLETI] bolos, glebam, & rubricam pictoris sonat: vnde appellationem habent boleti, qui dehiscentes rubent forinsecus, interius luteo colore. Cælius Rhodig. lib. 11. cap. 16. Boletus genus est fungi optimi, cuius auidissimus erat Claudius Imperator, quo & ab Agrippina vxore veneno infecto periit. Suet. in Claud. 41. Plinius lib. 22. cap. 22. *inter ea, quæ temere manduntur, boletos merito posuerim, optimi quidem hos cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio Principi per*

hunc

hanc occasionem in Coniuge Agrippiana dato. Et paulo post: *Nec tunica minor gratia in cibo infantis boleti. Rumpitur hac, &c.* Et mox: *Et Boletis quidem ortus occasusq; omnis intra dues septem est.* Plura sequenti cap. & nos alio loco in illum versum. *Boletum, qualem Claudius edit, edas.* Seneca ep. 95. omnes boletos putat noxios. *Quid tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis iudicas facere, etiamsi præsentanei non fuerant?* Idem ep. 108. *Libebat circumscribere gulam & ventrem. Inde ostreis boletisq; in omnem vitam renunciatum est. Hæc enim non cibi, sed oblectamenta sunt, ad edendum saturos cogentia* ARGENTVM ATQVE AVRVM FACILE EST, LÆNAMQVE] Cui auri & argenti copia est, facilius mittit, quam boletos. quid ita? an quod iusti raro, ægreque reperiantur? an quod quisque maxime illos appetit, atque ipse sibi amicissimus consumit? de læna & toga superius actum. BOLETOS MITTERE] Turnebus lib. 15. p. 100. boletos ait esse delicatissimos pisces, & boletare halieuticon, id est, grandis discus, in quo velut stabularentur pisces, &c. hic genus fungi esse ne dubita; præparationem docet Apicius lib. 7. cap. 13.

De eod. Seneca in Apocolocyntosi.

Lænam describit Marcellus ad 1. Sat. Persii.

Ficedula.

XLVIII. XLIX

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus vuis;
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

FICEDVLA] Latine à ficu dicitur; græce συκαλίς, quod ea pinguis fiat, vel quod tempore ficorum capiatur. auicula Lusciniæ simillima, tum colore, tum magnitudine: nobis dicitur Graß-mück. Plura vide apud Gesnerum lib. 3. de auibus. v. ficedula. Est apud Alciatum elegans emblema de ead. *paruam culinam non sufficere duobus ganeonibus, &c.* CVM ME FICVS ALAT] Aristoteles ficedulas docet vermiculis ali: verum id, sed autumno ficis pascuntur. Varro de lingua lat. *ficum esu pinguis fit.* Idem Athenæus & Eustathius testantur; à ficedula prouerbium videtur dictum Græcorum.

Athenæus 2. Verbo συκαλίδες.

Σῦκα φίλ' ὄρνιθεσσι φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσι.
Grata auibus ficus sunt, sed plantare recusant.

CVM PASCAR DVLCIBVS VVIS] hinc putat Cælius Rhod. dictas esse *ampelidas.* vvedulas possis Latine reddere. licentia forte poëticâ magis, quam auctoritate. Refert Suetonius à Tiberio Cæsare, Asellio Sabino HS. ducenta donata, quod in dialogo quodam instituerit certamen inter boletos, ficedulas, ostreas, & turdos.

De ficedularum esu Gellius lib. 15. cap. 8.

CVR POTIVS NOMEN NON DEDIT VVA MIHI?] An quia serius cognitum est ficedulam vua vesci, & prius ficu? Græci videntur nomen etiam ab vuis dedisse, si tamen eædem sint ampelides, ἀμπελίδες. plura alibi.

Tubera.

XLIX. L.

*Rumpimus altricem tenero * de vertice terram*
Tubera; boletis poma secunda sumus.

* qua.

Tubera, (inquit Isidorus lib. 16. de re rust.) *tumor terræ prodit, eaq; caussa nomen illi dedit.* Sed hoc falsum esse ex Plinio, Dioscoride; & Galeno disces, qui tubera radicibus ademerunt. *Tubera vocantur: hæc vndiq; terra circundata, nullisq; fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec vtiq; extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas vrgente, nec ipsa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, vt plane nec terram esse possim dicere, neq; aliud quam terræ callum: siccis hæc fere, & sabulosis, fruticosisq; nascuntur. excedunt sæpe magnitudinem cotonei, etiam librali pondere. duo eorum genera; arenosa & dentibus inimica, altera sincera: distinguuntur & colore rufo, nigroq; & intus candido. Laudatissima, quæ Africa crescunt, &c.* Eadem describit cap. 2. li. 19. *De tuberibus,* inquit, *hæc tradũtur peculiariter. Cum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maxime è tonitribus, nec vltrà annum durare, tenerrima autem verna esse, Asiæ nobilissima circa Lampsacum, & Alopeconesum, &c.* Et hoc memorabile est, quod refert ibidem Plinius. *Laërtio Licinio prætorio viro iura reddenti, in Hispania, Carthagine, his paucis annis, accidisse mordenti tuber, vt deprensus intus denarius primos dentes inflecteret. Ex quo discimus naturam terræ in se globari, & tubera reddere.* De eisdem Dioscorides lib. 2. cap. 139. *Tubera rotunda radices sunt, sine caule, sine foliis flauescentes, vere effodiuntur. Cruda & cocta eduntur.* RVMPIMVS] Plinius. *Nec vtiq; extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas vrgente, nec ipsa terræ cohærent.* Quid igitur Martialis? an errare Poëtam dicemus? Iudicio Poëtam de effossione tuberum loqui; effodiuntur enim vere, vt docet Dioscorides. Plura vide apud Galenum libr. 2. de Alimentorum facultate. Auicennam, Mathiolum ad libr. 2. Dioscoridis & alios. Effodiunt & porci; vel scrophi

Plin. lib. 19. Iuuenalis. & tubera radere terra.

 pasci

Multa Athenæus lib. 2. Theophrasto & alijs.

pasci obseruarunt, qui porcis effossa extorquent, & ipsi ex certo herbæ genere discunt vbi lateant. Rumpinus dixit vt Seneca epist. 124. *Hoc bonum non est in prima fronde, quæ emissa cum maxime solum rumpit*; sic enim legendus hic locus, non vt vulgo: *quæ emissa cum maxime prorumpit*. Et ante Senecam Ouidius: *Nunc herba rupta tellure cacumina tollunt*. 4. Fast. ALTRICEM] Ita Virgilius 3. Æneid. *Et terram altricem sæui execramur Vlyssis*. Et Pindarus Olymp. αὐξομένην πεδόθεν πολύβοσκον γαῖαν. TENERO DE VERTICE] ob tenera credo gramina, quæ sunt in vertice terræ, vel multitudinem, ad quam ex imbribus redigitur; tunc enim nascuntur tubera. BOLETIS POMA SECVNDA SVMVS] boletos præfert tuberibus. POMA] dixit impropriè, quod illa arborum sunt, tubera terræ. Præparationem Apicius ostendit lib. 7. cap. 14.

Turdorum * corona.

** decuria.*

LI. L.

Texta rosis fortasse tibi, vel diuite nardo;
At mihi de turdis facta corona placet.

De Coronis more veterum in conuiuio vsurpatis, alibi egimus; quibus ex floribus, & quot genera coronarum fuerint, persequitur Athenæus lib. 15. fusissime. Tertullianus de corona militis, Plinius lib. 21. cap. 2. & 3. Clemens Alexand. Pædagog. lib. 2. cap. 8. Iocatur Poëta in genere coronarum, & sibi κατὰ εἰρωνείαν, nec è rosa, nec è nardo pactitiem placere, sed factam ex turdis, quæ non nares, sed stomachum impleant, dicit. DIVITE NARDO] Vbique sua Nardo laus est, delicias parit naribus, gratissimum exhalat odorem. Nobis dicitur spica nardi, latinis nardum, nardus, & nardi spica, plurima sunt eius genera, de quibus lege Dioscoridem lib. 1. cap. 6. & sequentibus, Mathiolum ad eundem. factas autem coronas è nardo conuiuiales testatur Plinius lib. 21. c. 3. *Lautissimum*, inquit, *habetur è nardi folio coronas dari*. hinc diuite, Martialis dixit.

Coronam hic accipi puto, vt supra de lucanicis, qua marginem patinæ coronabant.

AT MIHI DE TVRDIS FACTA CORONA PLACET] in Catino credo vel orbe, seu quadra illata, cocti turdi mihi placent. aut si mihi coronam texere mittereue cupis, è vimine pendentibus vndique turdis, mihi corollam texe, quam & gestabo libens, & postrẽ coctam deuorabo. Ein bieg el Vögel für ein Krans auß blumen. Sic hodie coronæ feruntur venum in forum è viminis circulo seu ramo in orbem flexo, factæ. DE TVRDIS] Turdi latine à tarditate dicuntur, quod sero ad calida se referant, vt vult Isidorus. Aristoteles τριχάδας, pilarem turdum Gaza vertit, Germani Kramervogel. Aristoteles quidem tria genera facit, nos pilarem turdum, quem ἐν ἀγρῷ ἀκτικὸς turdum vocari putamus, intelligimus. Turdus igitur Alberto, alijsque testibus, boni præcipuique saporis est, & vt Aristophanis Scholiastes tradit, præ cæteris auibus inter lautitias habebatur. Horatius certe 1. Epistola. *Nil melius turdo*, Martialis.

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

De corona vero turdorum etiam alibi Martialis:

Illic coronam pinguibus grauem turdis
Videres.

Plura qui desiderat, adeat Ornithographos lib. de auibus.

Anas.

LIII. LII.

Præparationem anatis, Apicius c. 8. toto docet.

Tota quidem ponatur anas; sed pectore tantum
Et ceruice sapit, cætera redde coquo.

Anas latinis, Græcis νῆσσα, & νῆσσα κατοικίδιος dicitur, nota auis, seu siluestris, seu domestica: anas dicta à nando. Varro de lingua lat. Apud varios populos varia sunt earum genera. De anatum natione multa Plinius, & nonnulla Athenæus lib. 9. Sed fuse omnia Ornitographi.

TOTA QVIDEM PONATVR ANAS] Quæ partes sint in anate nobiliores, & gulæ gratiores, describit hoc disticho. Inferatur quidem in mensam tota anas cocta, sed pectus & ceruicem ede, cætera remitte coquo. SED PECTORE TANTVM, ET CERVICE SAPIT] Auicenna alas, & ventrem, & hepata in anate commendat. Multa super anate Ioan. Bruyerinus lib. 15. capit. 31.

Turtur.

LII. LIII.

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe; perdere nolo famem.

Apposito turture cereo seu pingui, abstinendum à lactucis dicit, & cochleis, veluti vilioribus, stomachumque seruandum delicatioribus, & mitioribus cibis (exemplo Philippi Macedonum Regis) docet. Turtur de voce vocatur auis pudica, & semper in montium iugis, & in desertis solitudinibus commorans, Isid. libr. de brutis animalibus 12. & Albertus. Gemit pro cantu, τρύζειν est proprium turturum. Græcis τρυγών, nobis Turteltaub. plura apud Gens. lib. 3. de Turture. DVM PINGVIS MIHI TVRTVR ERIT] *turtures autumno magis conueniunt in cibum, quod eo tempore solum reperiantur: edi debent postridie, quam occisi sunt*, &c. LACTVCA VALEBIS] non attingam, nec gustabo. AT COCHLEAS TIBI HABE] principio, vt supra diximus, lactuca, pro anticœna ponebatur, & ostrea, cochleæ, &c. *Claudere quæ cenas lactuca solebat auorum*, &c. Ep. 4. De cochleis Plinij 5. epist. ad Erutium. *Parata erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, oua bina*, &c. PERDERE NOLO FAMEM] alioqui lactuca dabatur, vt omnia acetaria, ad irritandam gulam, Horat. libr. 2. serm. Sat. 4.

Tostis marcentem squillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea ———

Nam lactuca innatat, post vinum stomacho; sed Martialis locum seruare vult Turturi. Hoc vsitatum est, vt qui lautiores cibos exspectat, à vulgaribus & quotidianis abstineat. Plura apud Apicium lib. 6. cap. 3. Platinam Crem. lib. 5.

Petaso.

LIII. LV.

Musteus est; propera; caros ne differ amicos:
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

Petaso est porci pars ea, quam coxam vocant, & ab alis incipit, costas comprehendit, petaso igitur potius ex armis porci quam coxis fieri videtur: an hic sit, de quo Varro in libr. de re rustica, cap. 4. dubito, nec tamen valde, quia ibi de porco sermo. Iuuenalis à Petasone petasunculus dixit Sat. 7. *Quod vocis pretium? siccus petasunculus*. Hinc Martialis musteum petasonem, recentem, plenum succi & saporis, non siccum & duratum intelligit. Condimenta Petasonis apud Apicium lib. 7. cap. 9. reperies. Martialis sæpius vsurpat hanc vocem lib. 3. epig. 76. *Et pulpam dubio de petasone voras*. & hoc ipso lib. 13. sequenti disticho.

Perna.

LIV. LVI.

* *Cerretana mihi fiet, vel massa licebit*
De Menapis: lauti de petasone vorent.

* Caretana.

Perna à pede dicitur, vt Varro de ling. L. docet, de perna Cato cap. 162. lib. de re rustica. Diuidunt suillam carnem, in pernam, petasonem, & lardum. Et perna est coxa porcina salita. Athenæus lib. 14. κάλλισαι μὲν γὰρ αἱ γαλατικαὶ, ἢ οὐκ ἀπολείπονται ἢ αὐτῶν, ὅ τε αἱ ἀπὸ Κιβύρας τῆς Ασιατικῆς, ὅτι αἱ λυκίαι. Alia alijs locis de eadem perna. Horat. lib. 2. serm. Sat. 2. —*præter olus fumosa cum pede perna*. Siquidem petaso coxa est, ad petasi formam lata. Turnebus lib. 16. cap. 16. *Ego, inquit, putem petasonis partem pernam vocari, vel Athenæo auctore, cuius hæc verba sunt*, ἐπεὶ δὲ πετασῶν⊕ μέρ⊕ ἐκάστῳ κἀντων ἐῶ πέρναν καλῶσι. Sunt ergo pernæ suum crura. etiam in homine dixit Ennius.

Lege Symposii anig. 83. *Nobile duco genus*, &c.

His pernas succidit iniqua potentia Pœni.

Perna autem, & petaso græcam ostendunt originem; prius à πτέρνη ortum videtur, alterum latitudinis significationem præsefert. Est & Perna piscis, à similitudine pernæ suillæ dictus, Plin. lib. 32. cap. vltimo. CERRETANA MASSA] à Cerretanis Hispaniæ populis dicitur perna Cerretana; optima enim inde affertur: vt & Cerretanum vinum. Iunius. Apud Plinium reperio Cerretanos non Cæretanos, *perque Pyrenæum Cerretanos*, lib. 3. cap. 3. de Citeriore Hispania. Cære diphthongo, est oppidum Hetruriæ, à quo Cæretanus fluuius. vnde putat Domitius optimas pernas adfer-

ri, & Martialem de hac Italica perna locutum arbitratur. Sed falli videtur Domitius, cum diserte Strabo, & ex Strabone Athenæus libr. 14. tradant de Cerretana perna Hispaniæ. *Conualles montium, inquit, tenent Cerretani maxima Hispanorum natio, apud quos excellentes pernæ quæ vel cum Cantabricis de principatu contendant.* Codices tamen plerique omnes habent Caretana, & apri Tusci laudantur alibi poetæ, & hæc scriptura non paucis arridet, vti propemodum ad Domitij sententiam redeam. MASSA] intelligo carnis suillæ frustum sale maceratum: proprie dicitur farina aqua subacta: hinc & niuis massa, picis massa; Virgilius, ferrea massa. A Martiale prope vsurpatur, vt pulpa 3. lib. ep. 76. *Et pulpam dubio de petasone vores.* Massa ergo Cerretana est periphrasis pernæ, ex Menapijs vel Cerretanis allatæ. DE MENAPIS] Menapij hodie vocantur Geldrenses, Iuliacenses, & Cliuenses. Leodius, Iunius, Abrahamus Ortel. Iulio Cæsari, Straboni, Tacito, Ptolomæo sunt Galliæ populi, inter Belgas. Alij sunt Westphali, Meni accolæ, à quo Menapij. Horum pernæ laudabantur, & nunc, teste Iunio, præ cæteris expetuntur. LAVTI DE PETASONE VORENT] Apitiani & delicatiores de Petasone musteo nempe & recente, qui rariores edant. Præparat Petasonem, & pernam Apicius lib. 7. cap. 9. Platina Crem. lib. 6. Petaso à πεταννύνται, ὅτι πετάννυται quod latius extendatur.

Colocasia.

Colocasium neutrum g. & colocasia fœm. apud scriptores: sed colocasia est herba, colocasium est radix fabæ. Apicius colocasia apparat lib. 7. cap. 15.

LVII. LV.

Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces,
Improba cum morsu fila manuque trahes.

Colocasia, faba est Ægyptia, Græcis κύαμος αἰγύπτιος. Eleuat Poëta, contemnitque eius gustatum propter inhærentes, quasi fusos & fila, cum cocta non secus ac lanam aut fila trahas, & morsu dentibus hæreant, & extendantur. NILIACVM RIDEBIS OLVS] caules fabæ, olus vocat. Dioscorides lib. 2. cap. 99. *radice firmatur arundine crassiore, qua cruda coctaq; estur: et colocasia nomen est, sed virens mandatur, qua magnitudine vulgarem superat.* Matthiolus ad eundem locum. *Sunt qui Ægyptiam fabam sua radicis appellatione colocasiam nuncupent.* de eadem Theophrastus lib. 4 cap. 10. de plantarum hist. Et Plinius lib. 21. cap. 15. *In Ægypto nobilissima est Colocasia, quam cyamon vocant aliqui. Hanc à Nilo metunt, caule, cum coctus est, araneoso in mandendo. &c.* En cur dixerit Martialis fila manu lanasque sequaces trahi s. De colocasijs alibi Martialis lib. 8. epig. 33. *Lenta minus gracili crescunt colocasia filo.* Athenæus fuse de colocasijs lib. 3 ipso statim initio.

Iecur anseris.

LVIII. LVI.

Aspice, quàm tumeat magno iecur ansere maius:
Miratus dices, hoc, rogo, creuit vbi?

Iecur anseris notissimæ auis, Romani potissimum probabant. Plinius, *Nostri sapientiores, qui (anseres) iecoris bonitate nouere. Fartilibus in magnam amplitudinem crescit, exemptum quoq; lacte mulso augetur. Nec sine causa in quæstione est, quis primum tantum bonum inuenerit. Scipio Metellus vir consularis, an M. Sestius eadem ætate eques Romanus. &c.* Horat. serm. 2. Sat. 8.

Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi.

In omni iocinorum genere præstat anserinum, tanquam humidius, tenerius & suauius. Adhibetur & articori suum, sicut anserum: inuentum M. Apicij ficu, carica, saginatis à satietate necatis repente mulsi potu dato. Plin. de eod. Ouid. 1. Fast.

Nec defensa iuuant Capitolia, quo minus anser
Det iecur in lances, Inache laute, tuas.

ASPICE, QVAM TVMEAT MAGNO IECVR ANSERE MAIVS] Idem ferme Iuuenalis Sat. 5.

Anseris ante ipsum, magni iecur anseribus par.

Athen. lib. 9. [illegible]

MIRATVS DICES, HOC, ROGO, CREVIT VBI? In Culina nempe iecur ita creuit factum: sed hospes imperitus, primum iocinoris magnitudine perspecta, putabit anseres alicubi esse tanto maiores, & quæret, vbi tanti nascantur, aut vnde ferantur. Hunc sensum Martialis nemo, opinor, negabit. Nam qui in saginario seu [illegible] exponunt, non de iecore sed toto ansere loquuntur. Hic de iocinore tantum est sermo.

Glires.

Glires.

LVII. LIX.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo,
Tempore sum, quo me nil, nisi somnus alit.

Glires genus sunt murium, dicuntur à gliscendo; nam gliscere est crescere. Hyeme enim tota dormiunt, & immobiles quasi mortui iacent, tempore æstiuo reuiuiscunt. Isid. lib. 12. de brutis animal. TOTA MIHI DORMITVR] Plin. lib. 8. c. 52. *Sicut glires, quos Censoria leges, Princepsq; M. Scaurus in consulatu non alio modo cœnis ademere, quam conchilia, aut ex alio orbe conuectas aues. Semiferum & ipsum animal, viuaria in dolijs idem, qui apris instituit. Qua in re notatum, non congregari nisi populares eiusdem silua, & si misceantur alienigena amne, vel monte discreti, interire dimidicando genitores suos fessos senecta alunt insigni pietate: senium finitur hiberna quiete, conduti enim & hi cubant, rursus ætate iuuenescunt simili Nitelis quiete.* Habes apud eundem libr. 29. cap. vltimo, quid prosint, & obsint stomacho. Quo pacto & apud quos capiantur, saliantur, &c. leges apud Mathiolum lib. 2. ad Dioscoridem cap. 63. Apponuntur apud Petronium in Trimalcionis cœna. *Ponticuli etiam ferruminati sustinebant glires melle, & papauere sparsos.* Plura Varro lib. 3. de re rust. cap. 15. Amm. Marcell. lib. 28. Sed quorsum commemorat Martialis in Xenijs glires? nempe comedebantur, & hodie comeduntur; donabantur igitur, vt alia, cum Xenijs. Glirium apparatum tradit Apicius lib. 8. c. 9. Multa de gliribus recens auctor Ioannes Bruyerinus de re cibaria. Sed non accipe hic sorices pro gliribus.

Vulturio Hirpinus.

Cuniculus.

LVIII. LX.

Gaudet in effoßis habitare cuniculus antris:
** Monstrauit tacitas hostibus ille vias.*

* *Monstrabit.*

Dicti quasi caniculi, inquit Isid. quod canum indagine capiantur. melius Varro de re rustica lib. 3. cap. 12. *Tertij generis* (leporum) *est, quod in Hispania nascitur, similis nostro lepori, ex priori parte quem cuniculum appellant.* Hinc Catullus Celtiberiam vocauit cuniculosam epig. in Egnatium. Athenæus de cuniculo, lib. 9. cum leporem describit. Plinius & Halenus Hispanam vocem autumant. Polybius lib. 12. historiæ de eodem cuniculo. Cuniculi dicti, ab eo, quod sub terra cuniculos ipsi facere soleant, vbi lateant in agris. Plinius lib. 8. epist. 55. *Leporum generis sunt, & quos Hispania cuniculos appellat, fœcunditatis innumera, famemq; Balearibus Insulis populatis meßibus afferentes. Fœtus ventre excectos, vel vberibus ablatos, non repurgatis intraneis gratißimo in cibatu habent, laurices vocant. Baleares ab Augusto auxilium militare aduersus copias cuniculorum petiuere.* lege plura ibidem. IN EFFOSSIS ANTRIS] Archelaus auctor est, quot sint corporis cauernæ ad excrementa lepori, totidem annos esse ætatis?

MONSTRAVIT TACITAS HOSTIBVS ILLE VIAS] Habent enim ab animali hoc nomen cuniculi, quos miles fodit: Vegetius lib. 4. cap. 24. Cuniculi enim aguntur ad muros hostium & arces, quibus & multæ vrbes sunt captæ, & cunicularij sæpe ab obsessis etiam oppressi. lege Godescalum Stevvechium ad cap. 24. Vegetij. Liuium, Polyænum, Frontinum, &c. nihil etiam hodie vsitatius in bellis. Omnes prope historici meminêre cuniculorum. MONSTRAVIT TACITAS VIAS HOSTIBVS] Sic enim Varro apud Plinium narrat lib. 8. cap. 9. *A cuniculis suffoßum in Hispania oppidum, à talpis in Thessalia, &c.*

Attagenæ.

LIX. LXI.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus Attagenarum.

Ingens certamen est inter auctores, de nomine Attagenæ. Attici enim ἀτταγᾶς, alij dicunt ἀτταγῆν. Aristoteles in recto ἀτταγὴν, ἀτταγῆνος, à Polluce ἀτταγαὶ nominantur. Attice dici ἀτταγαῖ commun. ἀτταγῆνες, affirmat Eustathius. Oppianus lib. 2. Ven. dixit ἀτταγέων g. plur. Mirum igitur videri non debet, etiam apud Latinos variare Scriptores. Horatius dixit attagen. Ionici virili genere, Martialis Attagena, æ, genere & inflexione. vt & Gaza ex Aristotele transtulit. syllaba prima varie scribitur. simplici t, alij duplici. sed apud Græcos simplici nunquam, nisi versus gratia. Ergo extra metrum duplici scribendum: in carmine, si prima corripienda, exteri potest alterum. Germanis Hasselhun. INTER SAPORES] Inter delitias, & cupedias in gustatu. PRIMVS IONI-

CARVM GVSTVS EST ATTAG.] Versus sunt Choliambi seu Scazontes. Has mirifice cum Mart. laudat Phœnicides apud Athenæum lib. 14. qui affirmat varias delitias se gustasse, sed nihil conferri posse cum attagêne. Aristophanes similiter in Ciconijs apud Athenæum. *[Greek text, illegible]*. Et Gellius. *Attagen auis Asiatica inter cibos electiles, quondam numerata, maxime quæ in Ionia nascitur.* Plinius libr. 10. cap. 49.

Lib. 9.

Gallina altilis.

LXII. LX.

Pascitur & dulci facilis Gallina farina,
Pascitur & tenebris; ingeniosa gula est.

Eruditam gulam alias appellat.

Altiles Gallinæ dicuntur, quod sagina alantur & enutriantur. Platina: *saginare capos & gallinas inuenêre ipsi Liguritores, quo vultum, lautum deuorarent.* Interdictum est lege C. Fabij Cos. ne quid volucrum poneretur, præter vnam Gallinam, quæ non esset altilis. Gallinas saginare omnium primi cœpêre Deliaci. * Plinius. *Inuenit mille artes, viasq; deliciarum luxus, & gula.* Hoc exemplo Martialis ostendit, dum gallinam saginari in tenebris dicit; adeo nihil abditum tenebris latere potest, quod delitiosum ingenium non penetret. PASCITVR ET DVLCI FACILIS GALLINA FARINA] Quod de sagina Gallinarum scribit Columella, plane facit ad hunc locum. *Nam illi, qui volunt non solum opimas, sed etiam teneras aues efficere, mulsa recente aqua, prædicti generis farinam cõspergunt, & ita farciunt. Nonnulli tribus aquæ partibus vnam bonam vini miscent, madefactoq; triticeo pane, obesant auem, quæ prima Luna (quoniam id quoq; custodiendum est) saginari cœpta, vigesima pergliscit.* FARINA] Cibus autem præbetur hordeacea farina, quæ, cum est aqua conspersa & subacta, formantur offæ, quibus aues saginantur. sed hæc communis ratio est saginandi. de delicationibus loquitur Martialis, cum dicit, dulci farina. FACILIS] facilis paratu, vel facilis saginatu. PASCITVR ET TENEBRIS] audi Varronem lib. 3. cap. 9. extremo. *Gallinæ, inquit, saginantur maxime villaticæ. Eas includunt in locum tepidum, angustum, & tenebrosum quod motus earum & lux pinguedini inimica electæ ad hanc rem maximæ gallinæ.* Et Columellam. *Locus ad hanc rem desideratur, calidus maxime, & minimi luminis, &c.* Seneca epist. 123. *Aues quæ conuiuijs comparantur vt immotæ facile pinguescant, in obscuro continentur, ita sine vlla exercitatione iacentibus tumor pigrum corpus inuadit, & per vmbram iners sagina succrescit.* Hoc oraculum verius esse Delphico res præsens & & vsus vbique docet. INGENIOSA GVLA EST] omnia luxuriæ instrumenta condimentaque proceres gulæ inuenêre. Petronius Arbiter.

Ingeniosa gula est; siculo Scarus æquore mersus
Ad mensam viuus perducitur ———

* Libr. 10. cap. 50.

Perdix.

Rebhun.

LXV. LXI.

Ponitur Ausonijs † auis hæc rarissima mensis:
** Hanc in lautorum † mandere sæpe soles.*

† perdix.
** condere ventre.*
† Hanc in piscina ludere, in latrina.

Perdix lauta & nobilis ales. magnique pretij nobilium, & potentium mensis ponebatur, & hodie etiam ponitur. pauperes pultiphagi nunquam gustant. Perdicum aucupia tantum sunt principum & Toparchorum, rusticis interdicta, hinc rara in pauperum cœnis. HANC IN LAVTORVM] diuitum. magni fuêre pretij. vt 50. drachmis vnicam ab Aristippo emptam legamus. De natura, vi, ingenio, apparatu in cibis, vide Gesnerum lib. 3. in perdice.

LVDERE] Si legas: *Hanc in piscina ludere sæpe soles.* Poëta docebit perdices familiares & cicures cum heris lusisse & lusas fuisse, quemadmodum Porphyrius lib. 3. de abst. tradit se Carthagine perdicem aluisse, quæ sibi nôrit adulari, blandiri, & voci præter naturam perdicum quodammodo respondere, colludereque. Altera tamen & vsitata scriptura expeditior est & certior, quam retineamus. Emendant alij:

Hanc in latrina ludere sæpe soles.

Et ludum in piscina Romanis vsitatum qui *[Greek]* vel *[Greek]*, vel *[Greek]* sit dictus, interpretantur, sed absque auctore quod sciam.

De perdicibus Athenæus lib. 14. Plinius lib. 10. c. 33. Laertius in Aristippo.

Colum-

Columbini.

LXII. LXVI.

Ne violes teneras * *praeduro dente columbas,*
Tradita si Cnidiae sunt tibi sacra Deae.

* periuro.

Veneri columba sacra erat, vt scribit de Dijs Apollodorus. Plutarchus de Isid. & Osirid. caussam aiunt, quod saepius in anno pariat, sitque salacior auis. Religio erat Mystae Veneris, esse columbam, vel columbinos; Cnidos autem Insula admodum coluit Venerem. Ouid. 1. Metam.

——non tam Cythereia curat.
Littora, non alto repetit Paphon aequore cinctam,
Piscosamque Cnidon——

Fuit Cnidos Asiae oppidum in Doride Regione. Ptolemaeus & Strabo auctores. Plinius tradit primum Triopaeam, deinde Pegaseam, & Statiam appellatam. NE VIOLES TENERAS PRAEDVRO DENTE COLVMBAS] Lampridius Columbinos vocat Pipiones, siue, pullos columbae, Graeci περιστεριδεῖς, sed lepida & ridicula cuiusdam interpretatio. *De pullis*, inquit, *intelligere* * *videtur*, recte hoc. *Quibus dens hominis venenum est.* quomodo venenum? crudum nemo attingit, coctum fiedat, mirum videatur, si columbino dens hominis sit venenum; sic enim pani, sic boui, sic omnibus homo venenum est, quia perdit pecudes & deuorat. Nempe vt apud Plautum Ergasilus in Capteiuis.

* Martialis.

Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido,
Quanta sumini absumendo, quanta callo calamitas.

Caussam igitur aliam adferre oportet, cur non violandus pullus columbinus, quam illa. Audi poëtam ipsum.

TRADITA SI CNIDIAE SVNT TIBI SACRA DEAE] En tibi, quibus interdicat esum pipionum. Mystis nempe Veneris, quibus autem Veneri sacram esse, periculum erat. Cnidia enim Dea Venus est. Cnidius quippe cultrix Veneris, & columbae, columbiniq; victima Veneris. Hinc Aeneas vocat maternas aues. Ouid. 13. Metam.

Colla Cytheriaca splendent agitata columba.

Alex. apud Athen. λευκὸς Ἀφροδίτης εἰμὶ ὁ περιστερός. Quin & Veneris currum columbis tractum legimus, testis Apuleius lib. 6. Phornutus seu Cornutus, propter columbae, nempe puritatem & castitatem. Lege memorabilem historiam de columbis apud Athenaeum Venerem sequentibus, & comitantibus, &c. TRADITA SACRA] sacerdoti & Mystae Veneris. Proinde legerim potius *periuro dente* cum Mysta Veneris contra ius sacrorum suorum violet ministram Veneris columbam.

Galbula.

LXIII. LXVIII.

* *Galbula, decipitur calamis & retibus, ales,*
Turget adhuc viridi, cum rudis vua, mero.

* Galbina. Galpina.

Quo tempore capienda sit Galbula, docet. Circa Augustum nempe. Galbulam alij Galgalam appellant. Graeci ἴκτερος, seu ἰκτερός, de qua Oppianus & Epiphanius cap. 23. sunt qui putant esse peregrinam auem, nec in Germania reperiri, raro etiam in Italia. Alij tamen Charadrium galbulam Germanis appellari existimant, Gelbling aut Gemmerling/ &c. Graecis συκοφάγον, dici putant nonnulli, sicut ficedulam. Has describit Gesnerus lib. 3. de Galbula. DECIPITVR CAL.] arundine viscosa, res nota aucupibus. ET RETIBVS] In areis aucupiorum retia tenduntur auibus. offunditur esca. Plautus in Asin.

Ad Physiologum.

——hic noster quaestus aucupij simillimus,
Auceps quando concinnauit aream, offundit cibum
Aues assuescunt——
Saepe edunt, semel si sunt captae, rem soluunt aucupi. Et idem.
——sumere eum licet sine retibus.

Mira narrantur de hac aui. Epiphanius Constantiae Cypri Episc. Καὶ ἐὰν τῇ νόσῳ ὑπάρχῃ ὁ ἄνθρωπος ἐγγὺς εἰς θάνατον, ἀποστρέφει τὸν ὀφθαλμὸν ἀπὸ τοῦ νοσοῦντος ὁ χαραδριός, ἐὰν δὲ ὑγιαίνειν μέλλῃ, ἀτενίζει τὸν νοσοῦντα ὁ χαραδριὸς, καὶ ὁ νοσῶν τὸν αὐτόν. Lege Aelian. de eadem, Aristophanem & eius interpretem, Heliodorum lib. 3. Plinium, qui non Charadrium, sed Icterum, & Galgulum lib. 30. cap. 2. vocat. Suidas ait, proponi venalem, vt ab Ictericis inspiciatur.

TVRGET ADHVC VIRIDI CVM RVDIS VVA MERO] In Augusto nempe, apud nos etiam in Septembri, & maxime Septembri. Vuam autem immaturam periphrasticωs, viridem vuam appellat. maturæ enim aut flauescunt, aut nigrescunt, aut rubescunt; vuam acerbam Græcis ὄμφακα intelligit.

Cattæ.

LXIX. LXIV.

Pannonicas nobis nunquam dedit Vmbria Cattas;
Mauult hac Domino mittere dona Pudens.*

* Domitiano.

Has aues (nam auis nomen esse hic certum est) apud nullum auctorem reperio. Domitius, at sine teste, affirmat eas etiam in Vmbria capi, ductus credo auctoritate huius versus, cum tamen verba hoc non doceant: Missas enim ad Pudentem in Vmbriam ex Pannonijs, Romam ipse ad Imperatorem, credo, mittebat. PANNON. CATTAS] quæ in Pannonia capiuntur. Feles etiam nonnulli Cattos vel Cattas, sine Classici auctoritate appellant. Gulæ tamen insidias, nec felis effugere potuit. nam sunt, vt Io. Bruyerinus libr. 13. cap. 36. narrat, (nec res est obscura apud alias gentes) qui pro delicatissimis epulis vtuntur. Idem Cattum, inquit, quoque Latini vocant, sed ego testem probum desidero. NVNQVAM DED. VMBR.] Quia Pudens in Vmbria habitabat, Vmbria Italiæ Regio, quam hodie Spoletanam vocant, Græcis ὀμβρία. Inquilini Ombri & Ombrici: Stephanus.

MAVVLT HÆC DOMINO MITTERE DONA PVDENS] Dominum intellige Domitianum ipsum, quando absolute nominat Dominum, & propter raritatem credo auis, & nouitatem; recens enim tum in Italia visam probat silentium omnium auctorum veterum. Domitius ad diuitem refert, nec repugno. Pudens enim poëta fuit, & suos habuit Mœcenates. de hoc sæpius prioribus est libris actum.

Pauo.

LXX. LXV.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc sæuo reddere dure coquo?

Auis etiam infantibus nota ταὼς & ταὼς dicta, & à rerum naturalium Scriptoribus, Aristotele, Plinio, Oppiano, Varrone, Columella, Alberto, Gesnero, & innumeris alijs celebratissima. Carmen est apertum; miratur occidi & vorari posse tam venustam & elegantem auem. sed nimirum auara gula, nec venustati, nec elegantiæ parcit. GEMMANTES EXPLICAT ALAS] propter elegantiam immenso quondam precio empta; nam ex Asia in Europam primum tradunt inuectam. MIRARIS] Ex Barbaris enim ad Græcos primum delatus, longo tempore rarus, deinde studiosis elegantiæ & pulchritudinis precio spectatus est Athenis, & viros & mulieres admittentes, ad huiusmodi spectaculum, ex eo quæstum fecerunt, atque, vt Antiphon contra Erasistratum narrat, marem & fœminam mille drachmis æstimarunt. De quæstu ex hac aui facto ab Aufidio Lucrone scribit Plin. & alij. Macrob. lib. 3. Sat. *Ecce, inquit, non admiranda solum, sed & pudenda, vt oua pauonum, quinis denarijs veneant.* GEMMANTES ALAS] Ouid.

Centum Philippaei. 20. HS.

Laudatas homini volucris Iunonia pennas
Explicat, & forma multa superbit auis.

Eleganter hanc describit Tertullianus lib. de pallio. Lege Consalum Ponce ad cap. 12. Epiphanij ad Physiologum. Nec opus pluribus in re protrita.

COCO] Q. Hortensius hanc sibi seu laudem seu contumeliam peperit, cum primus Romæ pauonem occidit.

Phæ-

Phœnicopterus.

LXVI. LXXI.

Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis
Nostra sapit: quid si garrula lingua foret?

PENNA RVBENS NOMEN] Phœnicopterus Latinis, φοινικόπτερος Græcis, auis dicta ob puniceum colorem. Aristophanes in auibus. Martialis lib.3.ep.57. *Nomenq; debet, quod rubentibus pennis, solus animal est,* inquit Kiranides, cap.7. *habens alas puniceas, similis magnitudine Ciconiæ, etiam paullo maior. Nec forma plane, si colorem & rostrum extimum excipias, dissimilis; palustris est. Nili incola.* Heliod. lib.6. Hunc ita describit Scaliger ad Cardanum. *Rostrum neq; rectum plane, sed neq; aduncum habet, Scythici arcus partem potius imitatur. Cinereum colorem nobilitant alarum puniceæ pennæ, à quibus & nomen,* &c. Suetonius in Caligula, *Phœnicopterus auis circa lacus & paludes versatur, visu pulchra, & colore decora purpureo.* Videtur autem insignis esse magnitudine. Iuuenal. Sat. 2. ingentem nominat.

——SED LINGVA GVLOSSIS NOSTRA SAPIT] testatur hoc Plinius, cum dicit, Phœnicopteri linguam præcipui saporis esse. Apicius nepotum omnium altissimus gurges imponi eandem patinis suæ luxu ambitiosissimam voluit. Lampridius de cerebellis illius. *Heliogabalus,* inquit, *exhibuit Palatinis ingentes lapes extis illorum refertas, & cerebellis Phœnicopterorum.* Hanc autem sibi velut Deo mactari iussit Caligula, vt Gyraldus refert, cuius & sanguine pridie, quam periret, aspersum, narrat Suetonius. *Suet. Vitel- lio, cap.13.*

Tranquillus in Vitellio: *Hanc quoq; cœnam exsuperauit ipse dedicatione patina, quam ob immensam magnitudinem clypeum Mineruæ αἰγίδα πολιούχου dictitabat. In hac scarorum iecinora, linguas Phœnicopterum, murænarum lactes à Carpathio vsque, fretoq; Hispaniæ, per nauarchos ac triremes petitarum commiscuit.* Seneca ep 3. portenta luxuriæ indigitat. *Non magnam* inquit rem facis, quod viuere sine lecto apparato potes, quod non desideras m liarios apros, nec linguas phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ, iam tota animalia fastidientis, & certa membra ex singulis eligentis.

——QVID SI GARRVLA LINGVA FORET] Quantopere saperet, cum tacita tam grata sit? quid si, vt Psittaci, Lusciniæ, & aliæ, garrirem? dubio procul principatum tenerem inter aues, quando etiam muta sapio plus cæteris. Lege Ioannem Bruyerium de re cib.cap.45.lib.15. Apicius præparat lib 6. cap. 5. Æsopus histrio ex linguis canorarum auium fecit patinam, ad quem videtur poeta allusisse.

Phasianus.

LXVII. LXXIII.

** Argiua primum sum transportata carina,* ** Argoa.*
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

PHASIANVS] Græci hanc auem φασιανικὸν ὄρνιθα, καὶ φασιανὸν appellant, Germani Fasan/ Latini Phasiani à Phasi, seu Phaside Colchorum flumine, seu quod ibi sit frequens, seu inde ab Argonautis transportata; quod quidem hic insinuat Martialis. Eustathius in Dionysium, arbitratur dictos Phasianos à Phasianis populis. Athenæus ex Media in Europam ait asportatam. De hac scribunt Plin us. Auctor de natura rerum, Paullus Venetus, Albertus M. Obscurius Aristoteles de histor.animal.6.& 2.Galenus & plures recentiores. Auis est pulcherrima, de qua Longolius. *Phasianis nunquam quicquam speciosius contemplatus sum. Valeant omnes pictores, ipse Apelles si rediuiuus foret, varietatem & splendorem pennarum plumarumq; imitari non posset.* ARGOA CARINA] Argonautarum nauem dicit, de qua Val. Flaccus multos libros. ANTE MIHI NOTVM NIL NISI PHASIS ERAT] Hinc vocantur Phasides & Phasiani. Phasis autem fluuius dictus à Phaside patre Colchi. Eustathius Agatharchides Cnidius, de Phasi fluuio. πλῆθος, inquit, δὲ ὀρνίθων τῶν καλουμένων φασιανῶν φοιτᾷ, τροφῆς χάριν, περὶ ἐμβολαῖς τῶν ῥευμάτων. Petronius in Sat. *Martial lib. 3 ep.66.*

——*Iam Phasidos vnda, Orbata est auibus*——

Statius lib. 4. Sil. Martialis supra hoc eodem libro,

Si Libyca nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe Cortis aues.

Est hæc item ales longe pulcherrima Solonis elogio celebrata, qui ad Crœsum in regali solio, diademate & purpura auroque refulgentem, interrogantemque, numquid speciosius quicquam spectasset, dixisse fertur, Phasianos & pauones sibi venustiores videri, quod naturali ornamento, non adscititio suo spectabiles essent. In mensis Principum frequentes, Lampridius, habuit,

Vt Christus SS. de floribus Salomonis ornatioribus.

habuit, inquit, *Heliogabalus hanc consuetudinem, vt vna die non nisi de Phasianis tantum ederet, item alia de pullis*. Leonce, Psittacis, & Phasianis pauit, aliasque feras. Extat Vespasiani Strozæ carmen de Phasianis, seu Phaside.

Numicidæ.

LXXIII. LXVIII.

Ansere Romano quamuis satur Hannibal esset,
Ipse suas nunquam barbarus edit aues,

Gallinas Varro & Columella triplices faciunt, villaticas, rusticas, Africanas. Africanæ sunt eædem Numidicis. Numidicæ in ea parte Africæ, cui Numidia nomen, teste Plinio, celebrantur Varroni ead. est cum Meleagride. De his supra Mart. *Si Libyca nobis volucres, &c.* Describit has Plinius, Athenæus, alij, coquit Apicius. ANSERE ROMANO] In Italia bellum gessit Hannibal. 15. annis, sextodecimo, in Africam frendens gemensq; redire vocatu Senatus, est coactus. Liuius lib.10.dec.3. ANSERE ROMANO] pastus est anseribus, dum esset in Italia; cur abstinuit Numidicis, & patrijs auibus, melioribus ac Romani erat anseres? Nondum ea tempestate Numidicæ Gallinæ mensis illatæ erant, nec dum luxus in vrbem, atque Italiam immigrauerat. IPSE SVAS NVNQVAM BARBARVS EDIT] gentes omnes nationesque Romanis barbaræ erant, præter Græcos.

Anser.

LXXIV. LXIX.

Hæc seruauit auis Tarpeij templa tonantis:
Miraris? nondum fecerat illa Deus.

Anser, vel anseri notus. Martialis delibat historiam priscam, cum Galli, duce Brenno, capta Vrbe, sub noctis silentium falsis vigilibus, sopitisq; canibus Capitolium conscenderant, indeque, custode & indice ansere Iunoni sacro, deiecti erant. Liuius insignite rem describit lib. 5. Lucretius,

——humanum longe præsentit odorem,
Romulidarum arcis seruator candidus anser.

Ouid. 11. Met. *——canibusue sagacior anser.*

Virg. 8. Æneid. *In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis*
Stabat pro templo, & capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo,
Atque hic auratis volitans argenteus anser,
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant
Defensi tenebris & dono noctis opacæ, &c.

TEMPLA TONANTIS] Nam in capitolio templum Iouis erat Feretrij omnium Romæ primum à Romulo opima spolia referente votum.

——NONDVM FECERAT ILLA DEVS] Fœda in Domitianum adulatio. Quid ansere hic opus ad seruandum Capitolium? Humanum opus erat arx illa, & mortale, atq; à mortalibus custodiri debebat, & male custodiebatur: nunc quia Domitianus illud conflagratum nuper restituit, Domitianus, inquam, Dominus Deusq; noster, vt supra (dictante nempe & volente Domitiano) nunc immortalo, nec indiget alio custode, vti nec cœlum. Quicquid autem (vt supra dixerat) inuicta condidit manus, (Cæsaris) cœlum est.

Grues.

LXXV. LXX.

Turbabis versus, nec littera tota volabit,
Vnam perdideris si Palamedis auem.

Γέρανοι Græcis dicuntur, Germanis Kran vel Kren. Latinis Grues; vnde verbum congruere dictum est à Gruibus, quæ se non segregant, siue cum volant, siue cum pascuntur. Festus. congruere autem est conuenire. Mirum obseruant in volatu ordiné. de quo Aristoteles, Plinius, Ælianus, Albertus, alijq;, & nostri æui non pauci. TVRBABIS VERSVS] ordinem vocat versus; hoc enim versus Latinis significat. Isidorus, *Versus vulgo vocati, quia sic scribebant antiqui, sicut aratur terra. A sinistra [illegible]*

niam ad dextram primum deducebant stylum; deinde conuertebantur ab inferiore; & rursum ad dextram versu, quos & hodie agrestes versus vocant. Columella lib. 2. cap. 2. Varro de re rust. cap. 10. versum vocat centum pedum quaqua versum quadratum. Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet, alterisque versibus obliquum tenere gradum. Hic, vt dixi, versus, ordinem volandi, quem Grues seruant, significat. vt Virg. dixit 5. Æneid.

Lucanus lib. 6. Et turbata perit dispersis littera pennis.

——triplici pubes quem Dardana versu
Impellunt, terni consurgunt ordine remi.

Et 4. Georg. Ille etiam seras in versum distulit vlmos:

NEC LITTERA TOTA VOLABIT] littera quæ sit, Grammatici certent. Vinetus ad illa Ausonij: *Hac gruis effigies*--Υ intelligit Palamedicam litteram. Φ, vero gruis tantum vnius. Vbi de Υ plura ex Philostrato leges. Gropaldus, *Volantes*, inquit, *ordine quodam literam Ypsilon faciunt*. Id quod Palamedem deprehendisse legimus. Cælius Rhodiginus, vel Λ vel Υ, notari putat. *Inter volandum*, inquit, *littera Λ, ab eis delineari videtur, vel vt alijs amplius arridet Υ. Cuius inuentionem ex auium volatu Palamedi attribuunt.* Id quod indicare Philostratus aduertitur. Alij Δ, græcum intelligunt, vt D. Hieronymus ad Rusticum de vita monast. Et sane hæc sententia cum Cicerone, Æliano, & Tzetze facit, & veri simillima est. Cicero enim affirmat Grues calidiora petentes trianguli formam efficere. Et Ioannes Tzetzes. *Grues*, inquit, *vt facilius aerem rescindant, ordinem instruunt triangulum oxygonium.* Idem docet Ælianus: *Trianguli figuram efficiunt, vt hac forma facilius aëra aduersum secent. Et triquetra figura sexangulum edunt.* testantur idem de ordine Plinius, Gellius, Plutarchus, Seruius ad illud Virgilij 1. Æn. *Et cætu cinxere polum.* Ex Aristotele Ciceronem quæso rem disertissime explanantem audi lib. 2. de natura Deorum *Illud vero ab Aristotele animaduersum, in quo pleraque quis potest non mirari? grues, cum loca calidiora petentes, maria transmittunt, trianguli formam efficere. Eius autem summo angulo aer ab ijs aduersus pellitur: deinde sensim ab vtroq; latere, tanquam remis, ita pennis cursus auium leuatur. basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tanquam à puppi ventis adiuuatur, &c.* quid his verbis planius? quibus ipsissimum Δ exprimitur.

LITTERA TOTA VOLABIT] si enim vnam auem exemeris ex ordine volantium, litteræ Δ, symmetriam tolles & corumpes. hic ordo volantium non exprimit amplius totum Δ. PALAMEDIS AVEM] gruibus enim veluti magistris ordinem, & litteras didicit, & quas didicerat, homines docuit, ostenderem hoc singulis literis, nisi crescerent nimium litteræ. Fuisse dicuntur ab illo inuentæ hæ nouæ. Θ, Ξ, Φ, X. vel vt Philostratus vult, Υ, Φ. X. Palamedes fuit Nauplij Eubœæ Regis filius, de quo sic Philostratus in Heroicis. *Summo vir ingenio fuit, ordinem litterarum repperit, additis nonnullis quibusdam. Quas Vlysses cum inimicus ait non ab eo inuentas sed à Gruibus ex ordine volantium earum acceptas. Præterea calculorum, mensurarum & ponderum, dum etiam alea in castris apud Aulidem inuentor fuit. Astrologia insuper peritus, annum mensesq; ad cursum solis accommodauit. Primusq; in Castris visam ac reformidatam Solis eclypsin, dixit notatam, minimeq; timendam esse. Vlyssis primum insania simulatio ab eo fuit deprehensa: quapropter non destitit Vlysses, cum apud exercitum proditionis falso insimulare, donec lapidibus obrueretur: quem postea Græci fleuêre, & magnopere desiderauerunt.* De quo Virg. 2. Æneid.

Fando aliquid, si forte tuas peruenit ad aures
Belida nomen Palamedis & inclyta fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem infando indicio, quia bella vetabat,
Demisêre neci, nunc cassum lumine lugent.

De hoc, quem ἀηδόνα μουσῶν appellat Euripides, tragœdiam, Palamedes, inscriptam composuit, in qua dictum erat illud, ἐκάνετε, ἐκάνετε τὴν ... ἀηδόνα. Plato eiusdem facit mentionem in apologia Socratis. Plura apud Seruium ad 2. Æneidos.

Rusticula.

LXXI. LXXVI.

*Rustica * sum perdix; † quid refert, si sapor idem est?*
*Carior est perdix, * sic sapit illa magis.*

* sim. † in. * non.

Rusticula Græcis † σκολόπαξ Alberto snepa, Germanis Schnepff. Σκολόπαξ dicitur, quod rostrum longum, & rectum habeat instar pali, quem Græci σκόλοπα nominant: rusticam autem dictam putem ad contentionem alterius perdicis, quæ elegantior est. De hac sic Nemesius Poëta,

† σκολόπαξ. Plinius lib. 10. cap. 28. & 80. rusticulas ... commemorat.

——præda est facilis & amœna scolopax:
Corpore non Paphijs auibus maiore videbis:
Illa sub aggeribus primis, qua proluit humor,
Pascitur, exiguos sectans obsonia vermes, &c.

Quib

QVID REFERT, SI SAPOR IDEM EST] Albertus Magnus affirmat Rusticulam carnem habere suauem. Habetur quidem in delitijs, minus tamen, quam perdix, & carne minus alba est, & magis rubicunda, quam perdix.

CARIOR EST PERDIX: SIC SAPIT ILLA MAGIS] Temporum suorum luxum notat, quibus copiosiores, conuiuia sumptuosa pararent illudq; melius & delicatius censeretur, quod carius plurisque venderetur. Seneca ad Albinam matrem, cap. 90. *Miserabiles quorum nisi ad preciosos cibos non excitatur fames. Preciosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas & difficultas parandi facit.* lege Sat. 2. lib. 2. serm. Horatij. Et Petronius plane hoc ipsum dicit:

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afra volucres placent palato
Quod non sunt faciles: at albus anser
Et pictis anas enouata pennis,
Plebeium sapit, vltimis ab oris,
Attractus Scarus, atque arata Syrtis,
Si quid naufragio dedit, probatur:
Quicquid quaritur, optimum videtur.

Cygnus.

LXXVII. LXXII.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

Cygnus ex Græco est κύκνος, latine olor, symbolum Poetarum omnium prope decantatus versu, quin & ipsi Vates Cygni, & olores μεταφορικῶς appellantur. Pindarus ab Horatio Dircæus Cygnus. Vnde natum extitit illud anser inter olores. Virg. Eccl. 9. *sed argutos inter strepere anser olores.* Hinc & Phœbo sacer. Alciatus. emb. 183.

Gentiles clypeos sunt qui Iouis alite gestant,
Sunt, quibus & serpens aut Leo signa ferunt.
Dira sed hac vatum fugiunt animalia ceras,
Doctaque sustineat stemmata pulcher olor.
Hic Phœbo sacer, & nostra Regionis alumnus,
Rex olim, veteres seruat adhuc titulos.

Lege Claudium Minoëm ad hoc Emblema. DVLCIA DEFECTA MODVLATVR] laudat Cygnum ab extremo vitæ actu, quem dulci cantu suauissime finit. DEFECTA] Seneca pater in Suasoria pro Cicerone: *quippe non satiatus modo cadendis ciuibus (Antonius) sed defectus quoque.* Seneca filius Hippolyto. Act. 2. *Vadit incerto pede iam viribus defecta.* de voce deficio & defectus plura Parthius lib. 3. cap. 6. p. 117. CANTATOR CYGNVS FVNERIS IPSE SVI] Cygnum morti vicinum canere affirmant Plato, Aristoteles, Ælianus, Orus; qui cum Oppiano docet, non tantum sub finem, sed tota vita canere. Ouidius.

Sic vbi fata vocant, vdis abiectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.
——veluti canentia dura
Traiectus penna tempora cantat olor.

Statius Silu. *Non ego quas fati certus sibi voce canora*
Inferias promitt olor.——

** de Orat. Crassum cygno contendit.*

Cicero, *Horatius, Lucretius. Contra sentiunt Plinius lib. 19. cap. 23. Ælianus 1. Variarum. Alexander Mindius apud Athenæum. Lucianus in libro de Electro, vel Cygnis ait, illos κρώζοντας πάνυ ἀμουσον ἀσθενὲς, non secus ac coruos ac graculos, imo vt corui sirenes præ illis videri possint. Scaliger accedit ad Plinij sententiam, Pierius.

Porphyriones.

LXXVIII. LXXIII.

Nomen habet magni volucris tam parua gigantis,
Et nomen Prasini † Porphyrionis habet.

† Pimpator ...

Laudat Porphyrionem à nomine, quod commune cum gigante maximo, & nobilissimo habet. Hanc Gesnerus ex varijs scriptoribus ita describit. *Huic Porphyrioni caruleus toto corpore est color, media cauda extrema pars in cinerem albicat, oculi nigri sunt, rostrum & crura purpureo rubore splendent. Rara est*

auis,

aui, nifallor in Narbonensi prouincia frequentior. Ælianus ait, [Greek illegible] *animal est venustissimum, & nomine suo dignissimum.* NOMEN HABET MAGNI VOLVCRIS TAM PARVA GIGANTIS] Porphyrio filius Sisyphi, immanis gigas fuit, vt Apollonij in 3. Argon. Scholiastes scribit, quem Hercules telis confecit. Perottus, *constat,* inquit, *inter Gigantes principatum obtinuisse Porphyrionem & Alcyoneum.* Laudat eundem Horatius lib. 3. Carm. Ode. 4. *Aut quid minaci Porphyrion statu.* Et Eustathius Iliad. Ξ. quod Iunoni voluerit vim inferre ab Alcæo liberatæ. Claudianus Porphytion trepidam conatur vellere. Delon Pindarus hunc gigantem arcu Apollinis domitum canit Eid. 8. Pythijs. Prasinus vero Purpureo dictus, Neronis auriga fuit. Suetonius in Neron. TAM PARVA] Porphyrio par est, vt docet Oppianus, magnitudine gallinæ altili, sed crura ei longiora. Longe abeunt à vero, qui carduelem aut acanthida interpretantur. Moses Leuit. 11. Porphyrionem numerat inter immundas aues.

Pindarus in Pythijs cum scholiaste.

Mullus.

LXXIV. LXXIX.

Spirat, in aduecto, sed iam piger, æquore mullus
Languescit, viuum da mare, fortis erit.

Ab alite ad piscem transit poëta. Mullus Græcis τρίγλη, vel μύλλος. τρίγλη, quod ter in anno pariat. μύλλος videtur ex latinis acceptum, vel contra. *Mullus,* inquit Isidorus lib. 12. cap. 6 *vocatus, quod mollis atque tenerrimus, cuius cibo tradunt libidinem inhiberi, oculorum aciem hebetari: homines autem à quibus sæpe pastus est, piscem olent.* Mullus in vino necatus, his qui inde biberint, vini tædium adfert, quod potatoribus notandum. Plura leges apud Oppianum lib. 1. halieuticon & 3. & Scholiasten illius, Conradum Rittershusium. sed Plinius lib. 9. cap. 17. docet mullos ex Fenestella, à colore mulleorum calceamentorum nomen accepisse. Idem lib. 9. cap. 18. *mullum octoginta librarum, in mari rubro captum Licinius Mutianus prodidit.* Idem superiore capite, multa de hoc eodem ab Asinio Celere, & Caio Imperatore octo millibus nummûm vel vnico empto æstimat. Seneca etiam decem * millibus nummûm. Varios moriens induit colores. SPIRAT IN ADVECTO ÆQVORE] ægre spirat, quamuis in eadem aqua marina, qua captus est, feratur. Spirat ἀχύρως, vt enim Aristotelis alumnis placet, pisces non spirant, nec hauriunt animam; contra quos Plinius venit: *Spirant autem confessione omnium & paucissima alia in mari, quæ internorum viscerum pulmonem habent, quoniam sine eo nullum animal putatur spirare: nec piscium branchias habentes anhelitum reddere, ac per vices recipere existimant, quorum hæc opinio est: nec multa alia genera etiam branchijs carentia in qua sententia fuisse Aristotelem video, & multis persuasisse doctrina indaginibus. Nec me protinus huic opinioni eorum accedere haud dissimulo: quoniam & pulmonum vice alijs possunt alia spirabilia inesse viscera, ita volente natura: sicut & pro sanguine est multis alius humor.* Et quæ ibid. sequuntur, vbi copiose conatur ostendere pisces spirare, qua de quæstione erudite Rhodiginus cap. 15. lib. 4. Sed Aristoteles lib. de morte & vita validius suam sententiam confirmat, nihil spirare quod careat pulmone, amphibia vero, ranas, mures fluuiatiles & delphinos ac balænas pulmones habere, quod delphini dormientes caput exponant. Sed de his plenius physicorum sectæ ad libros Arist. de ortu & interitu solent pertractare. VIVVM DA MARE] verum mare non haustam partem illius. Vel: viuum mare recens haustum. FORTIS ERIT] viuet, vel pulsa pigritia, senties subito fugiturum. Plura apud Dioscoridem lib. 2. Athenæum, alios, præsertim Macrobium lib. 7. Sat. cap. 11.

Bärbel/ Meerbärbel.

* *Ducentis quinquaginta Philippicis.*

Lib. 8. cap. 7.

Muræna.

LXXV. LXXX.

Quæ natat in Siculo grandis Muræna profundo,
Non valet exustam mergere sole cutem.

Muræna similis anguillæ, duorum cubitorum, marinus est piscis. Græcis μύραινα. Germanis Meeraal/ id est, anguilla marina Latinis. Græcis posterioribus Exormistos, & ἔγχελυς, ἀπύρην ... anguilla exossis. Ausonio Mustella. Latinis etiam lampetra à lambenda petra. De hac scribunt Plinius, Ælianus, alij.

SICVLO MVRÆNA PROFVNDO] In mari Siculo Macrobius lib. 3. Satur. scribit olim murænas maxime in delicijs habitas fuisse Romæ, adeo vt ab vsque freto Siculo accerserentur. L. Crassus Orator murænam in piscina domus suæ mortuam, atratus tanquam filiam luxit. Vestierat illam puellari & eleganti cultu vt Ælianus narrat: lacrymas autem in eius morte à Crasso fusas tamque deforme crimen Domitius illi in senatu obiecit: *stulte* inquit, *murænam fleuisti mortuam. Ego vero* inquit, Crassus *fleui bestiam. Tu autem ne tres quidem vxores sepultas luxisti.* Addo ex Seneca lib. 3. de Ira, humanis corporibus pastas esse Murænas. *Fregerat vnus ex seruis eius* (Vedij Pollionis) *crystallinum, ad mortem rapi eum Vedius iussit, nec vulgari quidem periturum morte, murænis obijci iubebatur, quas ingens piscina continebat. Quis non hoc illum putaret luxuriæ caussa facere? sæuitia erat. Euasit è manibus puer, & confugit*

 ad Ca-

Oui recentis vitellum iubet imbui liquore scombri piscis, quem Græci σκόμβρον, Germani Maccarell vocant; in aqua sulphureum induit colorem, extra communem, vt Plinius tradit. Liquor autem scombri præstantissimus est si Plinio credimus lib. 31. cap. 8. *Nec liquor vllus pene præter vnguenta, maiore in pretio esse cœpit.* CANDIDA SI VNDA] recentissima oua lac habent, quod vocat candidam vndam, quam liquore scombri nobilissimo miscendam docet coquus Martialis. Salis loco adhibent Græci garum, & oua condiunt. CROCEOS] flauos. Galenus *ouum cum melle vel garo, vel sale coctum, est compositum ex diuersis facultatibus.* Nec puto Martialem loqui de sorbilibus, cum Galenus dicat esse composita ex diuersis facultatibus. HESPERIVS LIQVOR] garum vocant, liquorem præstantissimum. Hesperius siue Hispanus; nam Hispania vocatur Hesperia, ad hesperum sita. Horatius dixit Iberum piscem. SCOMBRI] Latini lacertum vocant: genus est duplex scombri; maior Græce σκόμβρος, minor Cotias, ætate tantum differt à priore. Gaza ex Aristotele vertit monedulam, Martiali putatur esse lacertus, Saxetum; Germanis vterque Maccarell. Quid garum aut garon sit, lege Plinium de Piscibus lib. 31. cap. 7. garum scombrorum nobilius cap. 8. lib. eodem, de quo hic Martialis. Scombros Mauritania, Bœtica, & Carteia capit. Plinius ibidem. De Garo Martialis infra,

Expirantis adhuc scombri de sanguine primò
Accipe, fastosum munera cara garum, Vbi plene de garo.

Porcellus * lactens.

* Aldus lactens.

XLI. XL.

Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum,
Ponat, & Ætolo de sue diues edat.

Lacte pasti porcelli, Apicius lib. 8. speciatim meminit.

Malo esse lactentem porcellum, quam aprum; ille mihi sapit, non inuideo lautis aprum. PORCELLVS LACTENS] (non lactens, vt Domitius) est modo raptus ab vbere matris, qui nihil aliud gustauit, quem lac de porca matre, sic lactentes pueri, infantes, miror à Parthio lactantem dici, mater lactans. Porcellus aut infans, lactens à scriptoribus appellatur. Varia porcellorum nomina Vitellinorum, Flaccianorum, Laureatorum, Frontonianorum, Cęsianorum, Hortulanorum, Traganorum cum suo apparatu describit Apicius libro 8. de re culin. & ex Galeno multa de eodem Ioannes Bruyerinus. LACTE MERO] ipsemet describit, quid sit lactens porcellus. PIGRÆ MATRIS] periphrasis effœtæ porcæ. lege Plinium lib. 8. cap. 51. ÆTOLO DE SVE] de lib. 1. cap. Idem Arcadius sus, occisus à Meleagro: lege Nat. in Meleagro & Hercule.

Spenfer. Cel.

Apyrina & Tuberes.

XLII. XLI.

Non tibi de Libycis Tuberes, & Apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Suetonius Domit. cap. 16.

Nomentum ciuitas, Nomentanus inde ager ferax tuberum & apyrinorum, quæ alioqui in Africa proueniebant, Romamque ferebantur. NON TIBI DE LIBYCIS TVBERES] de Libycis ramis poma ex Africa allata dicit (tuberes) tuberes & tubera dicitur; sed tubera ὕδνα genus fungorum sunt. Tuberes, mala sunt, de quibus Plinius libro 15. capite 14. *Æque*, inquit, *peregrina sunt ziziphæ & tuberes, quæ & ipsa non pridem venere in Italiam. hæc* (mala intellige seu tuberes) *ex Africa, illa* (zizipha) *ex Syria. Sext. Papinius, quem consulem credimus, primus vtraque attulit D. Augusti nouissimis temporibus, in castrorum aggeribus sata, baccis similiora, quam malis, sed aggeribus præcipue decora, quoniam & in tecta iam siluæ scandunt. Tuberum duo genera candidum, & à colore sericum dictum, Pœne peregrina sunt, in vno Italiæ agro Veronensi, nascentia quæ lanata appellantur, &c.* De Apyrinis idem Plinius lib. 13. cap. 19. *Sed circa Carthaginem Punicum malum cognomine sibi vendicat,* (Africa) *aliqui Granatum appellant. Diuisit & in genera, apyrina vocando, cui lignosus nucleus abest, sed candidior ei natura & blandiores sunt acini, minusq, amaris distincta sunt membranis.* De iisdem idem Plinius lib. 10. c. 6. *Punici mali nouem genera iterare supernacaneum. Ex his dulcia quæ apyrina alio nomine appellauimus, stomacho inutilia habentur, &c.* Seneca epist. 86. *Sic Peripateticus imperturbatus dicitur quomodo apyrina dicuntur, non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor.* Ergo Tuberes & Apyrina sunt genera pomorum, allata primum ex Africa, sata postea alibi, & Nomenti, quæ optima putabantur. DE NOMENTANIS] in quo agro villam habebat Martialis.

Tubera mox describemus.

[illegible] dicuntur propriè punica.

Idem.

Idem.

XLII. XLIII.

Lecta suburbanis mittantur apyrina ramis
Et vernæ tuberes; quid tibi cum Libycis?

Versus est leoninus, quales habet Virgilius, Ouidius, Homerus. Argumentum idem cum superiore, ac si dicat tam generosa nascuntur in suburbano agro, vicino Romæ, quam in Africa: quid ergo petis Libyca? APYRINA] ἀπὸ τοῦ στερητικοῦ α, καὶ πύρηνος, quod nucleum signat, apyrina sine nucleo. πυρὴν πυρῆνος quod in pomis aut bacca ligneum est, aut osseum, granum item & ipse nucleus, & acini semina. VERNÆ] Vernæ, domi nati serui dicuntur, & fructus vernæ, domi nati. Nam tuber, generis virilis, cum fructum significat, arbor ipsa, tuber generis fœm. in neutro alia significatio. VERNÆ TVBERES] domi nati, in suburbano nostro. Tuberum mentionem facit Suetonius in Dom cap. 16. *Pridie, quam periret, cum oblatos tuberes seruari iussisset in crastinum, adiecit, si modo uti licuerit.* De arbore Columella lib. 11. cap. 2. Eleganter transtulit, &c. ex Analectis p. 1015.

Sumen.

XLIII. XLIV.

Esse * *putes nondum sumen: sic vbere largo*
* *Effluit, & viuo lacte, papilla* * *tumet.*

* potes.
* effluit vt nimeo.
* effluit.
* tumes.

SVMEN] Græcis οὖθαρ & ὑπογάστριον. Athen. lib. 14. n 326. Proprie à sugendo dictum. Nam & mulieris mammam, sumen veteres dici voluerunt Lucil. Sat. lib. 4.

Quod si nulla potest mulier tam corpore duro
Esse, tamen tenero moueat successa lacerto,
Et manus vberior lactanti in sumine sidat.

* Plinius sumen ab dominis suis, nomen inditum refert primum à Publio mimographo. Et *fuit sumen optimum, si modo fœtus non hauserit, eiectitia deterrimum.* ESSE PVTES NONDVM SVMEN: SIC VBERE LARGO EFFLVIT] sumen ex papillis porcæ post fœtum editum occisæ fiebat, antequam porcelli suxissent, quoque magis lacteum erat, hoc amplius commendabatur. Plutarchus inter delitias recenset sumen. Hinc Persius, --*Calidum scis ponere sumen*, lectam illi cœnam instruere. SVMEN] farciminis genus fuit ex suillis mammis post primum partum resectis, fiebat, antequam eas fœtus suxisset. Poëta suminis genus optimum describit, *Esse putes nondum sumen, sed adhuc viuas in sue papillas*, tanta inde copia lactis redundat, ac si ex vbere & papillis passis efflueret. --ET VIVO LACTE PAPILLA TVMET] Eleganter Cic. lib. 1. de diuin. lac appellat rorem vitalem.

* Lib. 8. c. 15.
Calius Rhod. lib. 9. cap. 12.

Hic siluestris erat Romani nominis altrix
Martia, quæ pueros Mauortis semine natos
Vberibus grauidis vitali rore rigabat.

TVMET] turget; sic gemmæ vitium tumere dicuntur, & turgere Ouidius.

Et noua de viridi palmite gemma tumet.

Virgilius 2. Georg. *——tumidis Bumaste racemis.*

——turgent in palmite gemmæ. Virg.

Pulli Gallinacei.

XLIV. XLV.

Si Libycæ nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aues.

PVLLI GALLINACEI] sunt domesticæ aues omnibus notæ. SI LYBICÆ] si mihi copia esset peregrinarum auium illas mitterem, quæ cum desint, boni consule domesticas. LIBYCÆ] Numidicas gallinas dicit. Indianische Hennen/ videntur quibusdam hodie, quasi ex India allatæ, Sed non easdem Lybicas cum Indicis testatur Gesnerus de Gallina vbi diserte vtramque describit, & distinguit. PHASIDES] Phasianos, de quibus infra. CORTIS] cortes est spatium intra maceriam villarum. Non. De auiariis, & corte plura discas ex Palladio lib. 1. de re Rust. c. 22. & 23. Vitruuio lib. 6. cap. 9. cortes est ædificium in villa rotundum, vt mapale, lege, quæ scripsimus lib. 7. epig. 30.

Persi-

Persica Nucipersica.

XLVI. XLV.

*Vilia maternis fueramus * præcoqua ramis,*
Nunc in adoptiuis persica cara sumus.

De Persica Athen. lib. 3.

In natiua stirpe nullius pretij eramus, insita pruno nobilissima poma nascimur. Pallad. de Instit. lib. 14. de Persico.

Ipsa suos onerat meliori germine ramos
Persicus, & pruno scit sociare genus,
Imponitq; leues in stipite Phyllidis vmbras,
Et tali discit fortior esse gradu.

Persica dicuntur, quod primum credantur ex Perside delata. Nucipersica, quod à nuce ægre soluantur, vnde duracina vocantur. quæ Germani Pfersing appellant. Genera sunt plura, aliaque Gallica, alia Asiatica. Atque ex vtroque genere, alia duracina, quibus & palma debetur, iudice Plinio lib. 15. c. 12. quæ Dioscoridi sunt Armeniaca, & Persica præcoqua, æstate maturescunt, doctisque Trecacina nominantur, Germanis Mölleslin & Molletin. *Præcocia*, inquit Plinius, *intra XXX. annos*, (ante Vespas. putat Domitius) *reperta, & prima denariis singulis singula venundata. Alia supernatia à Sabinis veniunt, popularia alia vndiq;. Pomum innocuum expetitur ægris, pretiumq; iam singulis tricens nummi fuêre*, hoc est, florenus aut amplius, *nullis maiore. quod miremur, quia non aliud fugacius. Longissima namq; decerpto bidui mora est, cogitq; se venundari.* Plinius loco citato. PRÆCOQVA] Columella lib. 12. cap. 31. *Vuas præcoquas quam maturissimas legito.* Isidorus lib. 17. c. 5. de re Rust. Præcoquæ vocatæ quod cito maturescant, & ante omnes sole coquantur, has λάγως dicunt quod currant ad maturitatem velociter vt lepus. Non excogitauit hanc vocem Martialialis vt diceret *præcoqua* pro, præcocia. Columella maior est Martiale. Et Seneca Theb. act. 1. *Lethum præcoqui fati tulit*, quamuis Delrius ibi præcoquis legat. *Precias* videtur appellare Virgilius vuas & Columella quas Seruius *præcoquas* dici putat.

NVNC IN ADOPTIVIS RAMIS PERSICA CARA SVMVS] Ramis, à quibus adoptati sumus, qui maioris precij habentur; metaph. ab homine, qui adaoptat filios. Persica in insitiuia intelligit.

Panes Picentini.

XLVII. XLVI.

Picentina Ceres niueo sic nectare crescit,
Vt leuis accepta, spongia turget, aqua.

Videntur buccellati esse Ammiano. Athenæus lib. 3. vocat panem Capyrium, hoc est, aridum friabilem hiulcum. Picenus ager in 5. Italiæ regione, de quo Plin. lib. 3. c. 13. de Picentinis Panibus idem lib. 18. c. 11. *Durat sua Piceno in panis inuentione gratia ex alicæ materia; eam nouem diebus macerant, decimo ad speciem tracta subigunt vuæ passæ succo; postea in furnis, ollis inditum, quæ rumpuntur ibi, torrent. Neq; est ex eo cibus, nisi madefacto, quod fit lacte, maxime mulso.* Ex his verbis planissime intelligis carmen Martialis. Ceres enim panem significat, quia inuentrix & magistra Pistorum fuit. Macrobius panes Picentes laudat. Val. Max. lib. 9. cap. 15. Ne equitium furno Piceno veniens prætercam. NIVEO NECTARE] elegans lactis periphrasis. VT LEVIS] comparatio ad rem explicandam. Non aliter panis Picentinus lacte mersus ac arida spongia aqua imbuta, tumet ac imbibit lacteum humorem.

Boleti.

XLVIII. XLVII.

Argentum atq; aurum facilè est, lænamq; togamq;
Mittere, boletos mittere difficile est.

BOLETI] bolos, glebam, & rubricam pictoris sonat: vnde appellationem habent boleti, qui dehiscentes rubent forinsecus, interius luteo colore. Cælius Rhodig. lib. 11. cap. 16. Boletus genus est fungi optimi, cuius auidissimus erat Claudius Imperator, quo & ab Agrippina vxore veneno infecto periit. Suet. in Claud. 41. Plinius lib. 22. cap. 22. *inter ea, quæ temere manduntur, boletos merito posuerim, optimi quidem hos cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio Principi per hanc*

haec occasionem in Coniuge Agrippiana dato. Et paulo post: *Nec tunica minor gratia in tibe infantis boleti. Rumpitur hac,&c.* Et mox: *Et Boletis quidem ortus occasusq; omnis intra dies septem est.* Plura sequenti cap. & nos alio loco in illum versum. *Boletum, qualem Claudius edit, edas.* Seneca ep. 95. omnes boletos putat noxios. *Quid tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis iudicas facere, etiamsi præsentanei non fuerunt?* Idem ep.108. *Libebat circumscribere gulam & ventrem. Inde ostreis boletisq; in omnem vitam renunciatum est. Hæc enim non cibi, sed oblectamenta sunt, ad edendum saturos cogentia* ARGENTVM ATQVE AVRVM FACILE EST, LÆNAMQVE] Cui auri & argenti copia est, facilius mittit, quam boletos. quid ita? an quod iusti raro, ægreque reperiantur? an quod quisque maxime illos appetit, atque ipse sibi amicissimus consumit? de læna & toga superius actum. BOLETOS MITTERE] Turnebus lib.15.p.100. boletos ait esse delicatissimos pisces, & boletare halieuticon, id est, grandis discus, in quo velut stabularentur pisces, &c. hic genus fungi esse ne dubita; præparationem docet Apicius lib.7. cap.13.

De ead. Seneca in Apocolocyntosi.

Lænam describit Martialis ad 1. Sat. Persii.

Ficedula.

XLVIII. XLIX

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus vuis;
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

FICEDVLA] Latine à ficu dicitur; græce συκαλὶς, quod ea pinguis fiat, vel quod tempore ficorum capiatur. auicula Lusciniæ simillima, tum colore, tum magnitudine: nobis dicitur Graß-muck. Plura vide apud Gesnerum lib.3. de auibus. v. ficedula. Est apud Alciatum elegans emblema de ead. *paruam culinam non sufficere duobus ganeonibus, &c.* CVM ME FICVS ALAT] Aristoteles ficedulas docet vermiculis ali: verum id, sed autumno ficis pascuntur. Varro de lingua lat. *ficum esu pinguis fit.* Idem Athenæus & Eustathius testantur; à ficedula prouerbium videtur dictum Græcorum.

Athenæus 2. Verbo συκαλίδες.

Σῦκα φίλ' ὀρνίθεσσι φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσι.
Grata auibus ficus sunt, sed plantare recusant.

CVM PASCAR DVLCIBVS VVIS] hinc putat Cælius Rhod. dictas esse *ampelidas.* vvedulas possis Latine reddere. licentia forte poëtica magis, quam auctoritate. Refert Suetonius à Tiberio Cæsare, Asellio Sabino HS. ducenta donata, quod in dialogo quodam instituerit certamen inter boletos, ficedulas, ostreas, & turdos.

De ficedularum esu Gellius lib. 15. cap. 8.

CVR POTIVS NOMEN NON DEDIT VVA MIHI?] An quia serius cognitum est ficedulam vua vesci, & prius ficu? Græci videntur nomen etiam ab vuis dedisse, si tamen eædem sint ampelides, ἀμπελίδες. plura alibi.

Tubera.

XLIX. L.

*Rumpimus altricem tenero * de vertice terram,*
Tubera; boletis poma secunda sumus.

* *quæ.*

Tubera, (inquit Isidorus lib.16. de re rust.) *tumor terræ prodit, eaq; caussa nomen illi dedit.* Sed hoc falsum esse ex Plinio, Dioscoride, & Galeno disces, qui tubera radicibus ademerunt. *Tubera vocantur: hæc vndiq; terra circundata, nullisq; fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec vtiq; extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas vrgente, nec ipsa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, vt plane nec terram esse possim dicere, neq; aliud quam terræ callum: siccis hæc fere, & sabulosis, fruticosisq; nascuntur. excedunt sæpe magnitudinem cotonei, etiam librali pondere. duo eorum genera; arenosa & dentibus inimica, altera sincera: distinguuntur & colore rufo, nigroq, & intus candido. Laudatissima, quæ Africa crescunt, &c.* Eadem describit cap.2. li 19. *De tuberibus,* inquit, *hæc traduntur peculariter. Cum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maxime è tonitribus, nec vltra annum durare, tenerrima autem verna esse, Asia nobilissima circa Lampsacum, & Alopeconesum, &c.* Et hoc memorabile est, quod refert ibidem Plinius. *Lærtio Licinio prætorio viro iura reddenti, in Hispania, Carthagine, his paucis annis, accidisse mordenti tuber, vt deprensum intus denarium primos dentes inflecteret. Ex quo discimus naturam terræ in se globari, & tubera reddere.* De eisdem Dioscorides lib.2. cap.139. *Tubera rotunda radices sunt, sine caule, sine folijs flauescentes, vere effodiuntur. Cruda & cocta eduntur.* RVMPIMVS] Plinius. *Nec vtiq; extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas vrgente, nec ipsa terræ cohærent.* Quid igitur Martialis? an errare Poëtam dicemus? Iudicio Poëtam de effossione tuberum loqui; effodiuntur enim vere, vt docet Dioscorides. Plura vide apud Galenum libr. 2. de Alimentorum facultate. Auicennam, Mathiolum ad libr. 2. Dioscoridis & alios. Effodiunt & porci, vel scrophi

Plin. lib. 19. Iuuenalis, & tubera radere terra.

Nidea Athenaus lib. 2. Theophrasto & alijs.

pasci obseruarunt, qui porcis effossa extorquent, & ipsi ex certo herbæ genere discunt vbi lateant. Rumpimus dixit vt Seneca epist. 124. *Hoc bonum non est in prima fronde, quæ emissa cum maxime solum rumpit*, sic enim legendus hic locus, non vt vulgo: *quæ emissa cum maxime prorumpit*. Et ante Senecam Ouidius: *Nunc herba rupta tellure cacumina tollunt*. 4. Fast. ALTRICEM] Ita Virgilius 3. Æneid. *Et terram altricem sam execramur Vlyssis*. Et Pindarus Olymp. αὐξομέναν πεδόθεν πολύβοσκον γαῖαν. TENERO DE VERTICE] ob tenera credo gramina, quæ sunt in vertice terræ, vel multitudinem, ad quam ex imbribus redigitur; tunc enim nascuntur tubera. BOLETIS POMA SECVNDA SVMVS] boletos præfert tuberibus. POMA] dixit impropriè, quod illa arborum sunt, tubera terræ. Præparationem Apicius ostendit lib. 7. cap. 14.

Turdorum * corona.

** decuria.*

LI. L.

Texta rosis fortassè tibi, vel diuite nardo;
At mihi de turdis facta corona placet.

De Coronis more veterum in conuiuio vsurpatis, alibi egimus; quibus ex floribus, & quot genera coronarum fuerint, persequitur Athenæus lib. 15. fusissime. Tertullianus de corona militis, Plinius lib. 21. cap. 2. & 3. Clemens Alexand. Pædagog. lib. 2. cap. 8. Iocatur Poëta in genere coronarum, & sibi κατὰ ἀντιφρόνησιν, nec è rosa, nec è nardo pactilem placere, sed factam ex turdis, quæ non nares, sed stomachum impleant, dicit. DIVITE NARDO] Vbique sua Nardo laus est, delicias parit naribus, gratissimum exhalat odorem. Nobis dicitur spica nardi, latinis nardum, nardus, & nardi spica, plurima sunt eius genera, de quibus lege Dioscoridem lib. 1. cap. 6. & sequentibus, Mathiolum ad eundem. factas autem coronas è nardo conuiuiales testatur Plinius lib. 21. c. 3. *Lautissimum*, inquit, *habetur è nardi folio coronas dari*. hinc diuite, Martialis dixit.

Coronam hic accipi puto, vt supra de lucanicis, quæ marginem patinæ coronabant.

AT MIHI DE TVRDIS FACTA CORONA PLACET] in Catino credo vel orbe, seu quadra illata, cocti turdi mihi placent, aut si mihi coronam texere mittere ue cupis, è vimine pendentibus vndique turdis, mihi corollam texe, quam & gestabo libens, & posteà coctam deuorabo. Ein becgel Vögel für ein Krantz auß blumen. Sic hodie coronæ feruntur venum in forum è viminis circulo seu ramo in orbem flexo, factæ. DE TVRDIS] Turdi latinè à tarditate dicuntur, quod sero ad calida se referant, vt vult Isidorus. Aristoteles τριχάδας, pilarem turdum Gaza vertit, Germani Krametvogel. Aristoteles quidem tria genera facit, nos pilarem turdum, quem ἀντονομαστικῶς turdum vocari putamus, intelligimus. Turdus igitur Alberto, alijsque testibus, boni præcipuique saporis est, & vt Aristophanis Scholiastes tradit, præ cæteris auibus inter lautitias habebatur. Horatius certe 1. Epistola. *Nil melius turdo*, Martialis.

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

De corona vero turdorum etiam alibi Martialis:

Illic coronam pinguibus grauem turdis
Videres.

Plura qui desiderat, adeat Ornithographos lib. de auibus.

Anas.

LIII. LII.

Tota quidem ponatur anas; sed pectore tantum
Et ceruice sapit, cætera redde coquo.

Præparationem anatis, Apicius c. I. toto docet.

Anas latinis, Græcis νῆσσα, & νῆσσα κατοικίδιος dicitur, nota auis, seu siluestris, seu domestica: anas dicta à nando. Varro de lingua lat. Apud varios populos varia sunt earum genera. De anatum natione multa Plinius, & nonnulla Athenæus lib. 9. Sed fuse omnia Ornitographi.

TOTA QVIDEM PONATVR ANAS] Quæ partes sint in anate nobiliores, & gulæ gratiores, describit hoc disticho. Inferatur quidem in mensam tota anas cocta, sed pectus & ceruicem ede, cætera remitte coquo. SED PECTORE TANTVM, ET CERVICE SAPIT] Auicenna alas, & ventrem, & hepata in anate commendat. Multa super anate Ioan. Bruyerinus lib. 15. capit. 31.

Turtur.

LII. LIII.

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe; perdere nolo famem.

Apposito turture cereo seu pingui, abstinendum à lactucis dicit, & cochleis, veluti vilioribus, stomachumque seruandum delicatioribus, & mitioribus cibis (exemplo Philippi Macedonum Regis) docet. Turtur de voce vocatur auis pudica, & semper in montium iugis, & in desertis solitudinibus commorans, Isid. libr. de brutis animalibus 12. & Albertus. Gemit pro cantu, τρύζειν est proprium turturum. Græcis τρυγών, nobis Turteltaub. plura apud Gesn. lib. 3. de Turture. DVM PINGVIS MIHI TVRTVR ERIT] *turtures autumno magis conueniunt in cibum, quod eo tempore solum reperiantur: edi debent postridie, quam occisi sunt,* &c. LACTVCA VALEBIS] non attingam, nec gustabo. ET COCHLEAS TIBI HABE] principio, vt supra diximus, lactuca, pro anticœna ponebatur, & ostrea, cochleæ, &c. *Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum, &c.* Ep. 4. De cochleis Plinij 5. epist. ad Erutium. *Parata erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, oua bina, &c.* PERDERE NOLO FAMEM] alioqui lactuca dabatur, vt omnia acetaria, ad irritandam gulam, Horat. libr. 2. serm. Sat. 4.

Tostis marcentem squillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea ———

Nam lactuca innatat, post vinum stomacho; sed Martialis locum seruare vult Turturi. Hoc vsitatum est, vt qui lautiores cibos exspectat, à vulgaribus & quotidianis abstineat. Plura apud Apicium lib. 6. cap. 3. Platinam Crem. lib. 5.

Petaso.

LIII. LV.

Musteus est; propera; caros ne differ amicos:
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

Petaso est porci pars ea, quam coxam vocant, & ab alis incipit, costas comprehendit, petaso igitur potius ex armis porci quam coxis fieri videtur: an hic sit, de quo Varro in libr. de re rustica, cap. 4. dubito, nec tamen valde, quia ibi de porco sermo. Iuuenalis à Petasone petasunculus dixit Sat. 7. *Quod vocis pretium? siccum petasunculum.* Hinc Martialis musteum petasonem, recentem, plenum succi & saporis, non siccum & duratum intelligit. Condimenta Petasonis apud Apicium lib. 7. cap. 9. reperies. Martialis sæpius vsurpat hanc vocem lib. 3. epig. 76. *Et pulpam dubio de petasone voras.* & hoc ipso lib. 13. sequenti disticho.

Perna.

LIV. LVI.

* *Cerretana mihi fiet, vel massa licebit*
De Menapis: lauti de petasone vorent.

* Caretana.

Perna à pede dicitur, vt Varro de ling. L. docet, de perna Cato cap. 162. lib. de re rustica. Diuidunt suillam carnem, in pernam, petasonem, & lardum. Et perna est coxa porcina salita. Athenæus lib. 14. κάλλισται μὲν γὰρ αἱ γαλατικαί, καὶ οὐκ ἀπολείποντα ἢ αὐτῶν, ἥ τε αἱ ἀπὸ Κιβύρας τῆς Ασιατικῆς, ὅτι αἱ λυκίαι. Alia alijs locis de eadem perna. Horat. lib. 2. serm. Sat. 2. — *præter olus fumosa cum pede perna.* Siquidem petaso coxa est, ad petasi formam lata. Turnebus lib. 16. cap. 16. *Ego, inquit, putem petasonis partem pernam vocari, vel Athenæo auctore, cuius hæc verba sunt, ἐκ δὲ πετασῶν ὀπίσθιος μηρός ἐκάστω πέρναν ἐπικαλοῦσι.* Sunt ergo pernæ suum crura. etiam in homine dixit Ennius.

Lege Symposium enig. 83. Nobilis ducens genus, &c.

His pernas succidit iniqua potentia Pœni.

Perna autem, & petaso græcam ostendunt originem; prius à πτέρνα ortum videtur, alterum latitudinis significationem præsefert. Est & Perna piscis, à similitudine pernæ suillæ dictus, Plin. lib. 32. cap. vltimo. CERRETANA MASSA] à Cerretanis Hispaniæ populis dicitur perna Cerretana; optima enim inde affertur: vt & Cerretanum vinum. Iunius. Apud Plinium reperio Cerretanos non Cæretanos, *perque Pyrenæum Cerretanos*, lib. 3. cap. 3. de Citeriore Hispania. Cære diphthongo, est oppidum Hetruriæ, à quo Cæretanus fluuius, vnde putat Domitius optimas pernas adfer-

 ri, &

ri, & Martialem de hac Italica perna locutum arbitratur. Sed falli videtur Domitius, cum diserte Strabo, & ex Strabone Athenæus libr. 14. tradant de Cerretana perna Hispaniæ. *Conualles montium, inquit, tenent Cerretani maxima Hispanorum natio, apud quos excellentes pernæ quæ vel cum Cantabricis de principatu contendant.* Codices tamen plerique omnes habent Caretana, & apri Tusci laudantur alibi poëtæ, & hæc scriptura non paucis arridet, vti propemodum ad Domitij sententiam redeam. MASSA] intelligo carnis suillæ frustum sale maceratum: propriè dicitur farina aqua subacta: hinc & niuis massa, picis massa; Virgilius, ferrea massa. A Martiale prope vsurpatur, vt pulpa 3. lib. ep. 76. *Et pulpam dubio de petasone vores.* Massa ergo Cerretana est periphrasis pernæ, ex Menapijs vel Cerretanis allatæ. DE MENAPIS] Menapij hodie vocantur Geldrenses, Iuliacenses, & Cliuenses. Leodius, Iunius, Abrahamus Ortel. Iulio Cæsari, Straboni, Tacito, Ptolomeo sunt Galliæ populi, inter Belgas. Alij sunt Westphali, Meni accolæ, à quo Menapij. Horum pernæ laudabantur, & nunc, teste Iunio, præ cæteris expetuntur. LAVTI DE PETASONE VORENT] Apitiani & delicatiores de Petasone musteo nempe & recente, qui rariores, edant. Præparat Petasonem, & pernam Apicius lib. 7. cap. 9. Platina Crem. lib. 6. Petaso à πεπέτασται, ὅτι πετάννυται quod latius extendatur.

Colocasia.

Colocasium neutrum g. & colocasia fœm. apud scriptores: sed colocasia est herba, colocasium est radix fabæ. Apicius colocasia appellat lib. 7. cap. 15.

LVII. LV.

Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces,
Improba cum morsu fila manuque trahes.

Colocasia, faba est Ægyptia, Græcis κύαμος αἰγύπτιος. Eleuat Poëta, contemnitque eius gustatum propter inhærentes, quasi fusos & fila, cum cocta non secus ac lanam aut fila trahas, & morsu dentibus hæreant, & extendantur. NILIACVM RIDEBIS OLVS] caules fabæ, olus vocat. Dioscorides lib. 2. cap. 99. *radice firmatur arundine crassiore, quæ cruda coctaq; estur: ei colocasiæ nomen est, sata virens manditur, quæ magnitudine vulgarem superat.* Matthiolus ad eundem locum. *Sunt qui Ægyptiam fabam sua radicis appellatione colocasiam nuncupent.* de eadem Theophrastus lib. 4. cap. 10. de plantarum hist. Et Plinius lib. 21. cap. 15. *In Ægypto nobilissima est Colocasia, quam cyamon vocant aliqui. Hanc à Nilo metunt, caule, cum coctus est, araneoso in mandendo. &c.* En cur dixerit Martialis fila manu lanasque sequaces trahes. De colocasijs alibi Martialis lib. 8. epig. 33. *Lenta minus gracili crescunt colocasia filo.* Athenæus fuse de colocasijs lib. 3 ipso statim initio.

Iecur anseris.

LVIII. LVI.

Aspice, quàm tumeat magno iecur ansere maius:
Miratus dices, hoc, rogo, creuit vbi?

Iecur anseris notissimæ auis, Romani potissimum probabant. Plinius, *Nostri sapientiores, qui (anseres) iecoris bonitate nouere. Fartilibus in magnam amplitudinem crescit, exemptum quoq; lacte mulso augetur. Nec sine causa in quæstione est, quis primum tantum bonum inuenerit. Scipio Metellus vir consularis, an M. Sestius eadem ætate eques Romanus. &c.* Horat. serm. 2. Sat. 8.

Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi.

In omni iocinorum genere præstat anserinum, tanquam humidius, tenerius & suauius. Adhibetur & arsiecori suum, sicut anserum: inuentum M. Apicij ficu, carica, saginatis à satietate necatis repente mulsi potu dato. Plin. de eod. Ouid. 1. Fast.

Nec defensa iuuant Capitolia, quo minus anser
Det iecur in lances, Inache laute, tuas.

ASPICE, QVAM TVMEAT MAGNO IECVR ANSERE MAIVS] Idem ferme Iuuenalis Sat. 5.

Anseris ante ipsum, magni iecur anseribus par.

Athen. lib. 9. [Greek illegible]

MIRATVS DICES, HOC, ROGO, CREVIT VBI? In Culina nempe iecur ita creuit factum: sed hospes imperitus, primum iocinoris magnitudine perspecta, putabit anseres alicubi esse tanto maiores, & quæret, vbi tanti nascantur, aut vnde ferantur. Hunc sensum Martialis nemo, opinor, negabit. Nam qui in saginatio seu μεγέθει exponunt, non de iecore sed toto ansere loquuntur. Hic de iocinore tantum est sermo.

Glires.

Glires.

LVII. LIX.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo,
Tempore sum, quo me nil, nisi somnus alit.

Glires genus sunt murium, dicuntur à gliscendo; nam gliscere est crescere. Hyeme enim tota dormiunt, & immobiles quasi mortui iacent, tempore æstiuo reuiuiscunt. Isid. lib. 12. de brutis animal. TOTA MIHI DORMITVR] Plin. lib. 8. c. 52. *Sicut glires, quos Censoria leges, Princepsq. M. Scaurus in consulatu non alio modo cœnis ademere, quam conchilia, aut ex alio orbe conuectas aues. Semiferum & ipsum animal, vinaria in dolijs idem, qui apris instituit. Qua in re notatum, non congregari nisi populares eiusdem silua, & si misceantur alienigena amne, vel monte discreti, interire dimicando genitores suos fessos senecta alunt insigni pietate: senium finitur hiberna quiete, conduti enim & hi cubant, rursus atate iuuenescunt simili Nitelis quiete.* Habes apud eundem libr. 29. cap. vltimo, quid prosint, & obsint stomacho. Quo pacto & apud quos capiantur, saliantur, &c. leges apud Mathiolum lib. 2. ad Dioscoridem cap. 63. Apponuntur apud Petronium in Trimalcionis cœna. *Ponticuli etiam ferruminati sustinebant glires melle, & papauere sparsos.* Plura Varro lib. 3. de re rust. cap. 15. Amm. Marcell. lib. 28. Sed quorsum commemorat Martialis in Xenijs glires? nempe comedebantur, & hodie comeduntur; donabantur igitur, vt alia, cum Xenijs. Glirium apparatum tradit Apicius lib. 8. c. 9. Multa de gliribus recens auctor Ioannes Bruyerinus de re cibaria. Sed non accipe hic sorices pro gliribus.

Fabius Marpeanus.

Cuniculus.

LVIII. LX.

Gaudet in effoßis habitare cuniculus antris:
** Monstrauit tacitas hostibus ille vias.*

* Monstrabis.

Dicti quasi caniculi, inquit Isid. quod canum indagine capiantur. melius Varro de re rustica lib. 3. cap. 12. *Tertij generis* (leporum) *est, quod in Hispania nascitur, similis nostro lepori, ex priori parte quem cuniculum appellant.* Hinc Catullus Celtiberiam vocauit cuniculosam epig. in Egnatium. Athenæus de cuniculo, lib. 9. cum leporem describit. Plinius & Halenus Hispanam vocem autumant. Polybius lib. 12. historiæ de eodem cuniculo. Cuniculi dicti, ab eo, quod sub terra cuniculos ipsi facere soleant, vbi lateant in agris. Plinius lib. 8. epist. 55. *Leporum generis sunt, & quos Hispania cuniculos appellat, fœcunditatis innumeræ, famemq; Balearibus Insulis populatis messibus afferentes. Fœtus ventre exectos, vel vberibus ablatos, non repurgatis interaneis, gratißimo in cibatu habent, laurices vocant. Baleares ab Augusto auxilium militare aduersus copias cuniculorum petiuere.* lege plura ibidem. IN EFFOSSIS ANTRIS] Archelaus auctor est, quot sint corporis cauernæ ad excrementa lepori, totidem annos esse ætatis?

MONSTRAVIT TACITAS HOSTIBVS ILLE VIAS] Habent enim ab animali hoc nomen cuniculi, quos miles fodit: Vegetius lib. 4. cap. 24. Cuniculi enim aguntur ad muros hostium & arces, quibus & multæ vrbes sunt captæ, & cunicularij sæpe ab obsessis etiam oppressi. lege Godescalum Stevvechium ad cap. 24. Vegetij. Liuium, Polyænum, Frontinum, &c. nihil etiam hodie vsitatius in bellis. Omnes prope historici meminêre cuniculorum. MONSTRAVIT TACITAS VIAS HOSTIBVS] Sic enim Varro apud Plinium narrat lib. 8. cap. 9. *A cuniculis suffossum in Hispania oppidum, à talpis in Thessalia, &c.*

Attagenæ.

LIX. LXI.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus Attagenarum.

Ingens certamen est inter auctores, de nomine Attagenæ. Attici enim ἀτlαγᾶς, alij dicunt ἀτlαγῆν. Aristoteles in recto ἀτlαγlω, ἀτlαγlῶ, à Polluce ἀτlαγαὶ nominantur. Attice dici ἀτlαγαὶ communi. ἀτlαγlῶες, affirmat Eustathius. Oppianus lib. 2. Ven. dixit ἀτlαγlων g. plur. Mirum igitur videri non debet, etiam apud Latinos variare Scriptores. Horatius dixit attagen. Ionici virili genere, Martialis Attagena, æ, genere & inflexione. vt & Gaza ex Aristotele transtulit. syllaba prima varie scribitur. simplici t, alij duplici. sed apud Græcos simplici nunquam, nisi versus gratia. Ergo extra metrum duplici scribendum: in carmine, si prima corripienda, exteri potest alterum. Germanis Hasselhun. INTER SAPORES] Inter delitias, & cupedias in gustatu. PRIMVS IONI-

CARVM GVSTVS EST ATTAG.] Versus sunt Choliambi seu Scazontes. Has mirifice cum Mart. laudat Phœnicides apud Athenæum lib. 14. qui affirmat varias delitias se gustasse, sed nihil conferri posse cum attagêne. Aristophanes similiter in Ciconijs apud Athenæum. *Ἀτταγᾶς ἥδιστον ἐν ἐπινικίοις κρέας.* Et Gellius. *Attagen auis Asiatica inter cibos electiles, quondam numerata, maxime quæ in Ionia nascitur.* Plinius libr. 10. cap. 49.

Lib. 9.

Gallina altilis.

LXII. LX.

Pascitur & dulci facilis Gallina farina,
Pascitur & tenebris; ingeniosa gula est.

Eruditam gulam, aliqui appellitas.

Altiles Gallinæ dicuntur, quod sagina alantur & enutriantur. Platina: *saginare capos & gallinas inuenêre ipsi Liguratores, quo vnctius, lautius deuorarent.* Interdictum est lege C. Fabij Cos. ne quid volucrum poneretur, præter vnam Gallinam, quæ non esset altilis. Gallinas saginare omnium primi cœpère Deliaci. * Plinius. *Inuenit mille artes, viasq; delitiarum luxus, & gula.* Hoc exemplo Martialis ostendit, dum gallinam saginari in tenebris dicit; adeo nihil abditum tenebris latere potest, quod delitiosum ingenium non penetret. PASCITVR ET DVLCI FACILIS GALLINA FARINA] Quod de sagina Gallinarum scribit Columella, plane facit ad hunc locum. *Nam illi, qui volunt non solum opimas, sed etiam teneras aues efficere, mulsa recente aqua, prædicti generis farinam cõspergunt, & ita farciunt. Nonnulli tribus aquæ partibus vnam bonam vini miscent. madefactoq; triticeo pane, obesant aues, quæ prima Luna (quoniam id quoq; custodiendum est) saginari cœpta, vigesima pergliscit.* FARINA] Cibus autem præbetur hordeacea farina, quæ, cum est aqua conspersa & subacta, formantur offæ, quibus aues saginantur. sed hæc communis ratio est saginandi. de delicationibus loquitur Martialis. cum dicit, dulci farina. FACILIS] facilis paratu, vel facilis saginatu. PASCITVR ET TENEBRIS] audi Varronem lib. 3. cap. 9. extremo. *Gallinæ, inquit, saginantur maxime villaticæ. Eas includunt in locum tepidum, angustum, & tenebrosum quod motus earum & lux pinguedini inimica. electæ ad hanc rem maximæ gallinæ.* Et Columellam. *Locus ad hanc rem desideratur, calidus maxime, & minimi luminis, &c.* Seneca epist. 123. *Aues quæ conuiuijs comparantur vt immota facile pinguescant, in obscuro continentur, ita sine vlla exercitatione iacentibus tumor pigrum corpus inuadit, & per vmbram iners sagina succrescit.* Hoc oraculum verius esse Delphico res præsens & & vsus vbique docet. INGENIOSA GVLA EST] omnia luxuriæ instrumenta condimentaque proceres gulæ inuenêre. Petronius Arbiter.

Ingeniosa gula est; siculo Scarus æquore mersus
Ad mensam viuus perducitur ———

* Lib. 10. cap. 50.

Rebhun.

Perdix.

LXV. LXI.

Ponitur Ausonijs † auis hæc rarissima mensis:
** Hanc in lautorum † mandere sæpe soles.*

† perdix.
* condere ventre.
† Hanc in piscina ludere, in latrina.
De perdicibus Athenæus lib. 14. Plinius lib. 10. c. 33. Laertius in Aristippo.

Perdix lauta & nobilis ales. magnique pretij nobilium, & potentium mensis ponebatur, & hodie etiam ponitur. pauperes pultiphagi nunquam gustant. Perdicum aucupia tantum sunt principum & Toparchorum, rusticis interdicta, hinc rara in pauperum cœnis. HANC IN LAVTORVM] diuitum. magni fuêre pretij. vt 50. drachmis vnicam ab Aristippo emptam legamus. De natura, vi, ingenio, apparatu in cibis, vide Gesnerum lib. 3. in perdice.

LVDERE] Si legas: *Hanc in piscina ludere sæpe soles.* Poëta docebit perdices familiares & cicures cum heris lusisse & lusas fuisse, quemadmodum Porphyrius lib. 3. de abst. tradit se Carthagine perdicem aluisse, quæ sibi norit adulari, blandiri, & voci præter naturam perdicum quodammodo respondere, colludereque. Altera tamen & vsitata scriptura expeditior est & certior, quam retineamus. Emendant alij:

Hanc in latrina ludere sæpe soles.

Et ludum in piscina Romanis vsitatum qui πέρδιξ vel περδίκισμα, vel περδικισμὸς sit dictus, interpretantur, sed absque auctore quod sciam.

Colum-

Columbini.

LXII. LXVI.

Ne violes teneras * *praduro dente columbas,*
Tradita si Cnidiæ sunt tibi sacra Deæ.

* periuro.

Veneri columba sacra erat, vt scribit de Dijs Apollodorus. Plutarchus de Isid. & Osirid. caussam aiunt, quod sæpius in anno pariat, sitque salacior auis. Religio erat Mystæ Veneris, esse columbam, vel columbinos; Cnidos autem Insula admodum coluit Venerem. Ouid. 1. Metam.

——non tam Cythereia curat.
Littora, non alto repetit Paphon æquore cinctam,
Piscosamque Cnidon——

Fuit Cnidos Asiæ oppidum in Doride Regione. Ptolemæus & Strabo auctores. Plinius tradit primum Triopæam, deinde Pegaseam, & Statiam appellatam. NE VIOLES TENERAS PRÆDVRO DENTE COLVMBAS] Lampridius Columbinos vocat Pipiones, siue, pullos columbæ, Græci περιστεριδεῖς, sed lepida & ridicula cuiusdam interpretatio. *De pullis*, inquit, *intelligere* * *videtur*, recte hoc. *Quibus dens hominis venenum est.* quomodo venenum? crudum nemo attingit, coctum si edat, mirum videatur, si columbino dens hominis sit venenum; sic enim pani, sic boui, sic omnibus homo venenum est, quia perdit pecudes & deuorat. Nempe vt apud Plautum Ergasilus in Capteiuis.

* Martialis.

Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido,
Quanta sumini absumendo, quanta callo calamitas.

Caussam igitur aliam adferre oportet, cur non violandus pullus columbinus, quam illa. Audi poëtam ipsum.

TRADITA SI CNIDIÆ SVNT TIBI SACRA DEÆ] En tibi, quibus interdicat esum pipionum. Mystis nempe Veneris, quibus auem Veneri sacram esse, piaculum erat. Cnidia enim Dea Venus est. Cnidius quippe cultrix Veneris, & columbæ, columbiniq; victima Veneris. Hinc Æneas vocat maternas aues. Ouid. 13. Metam.

Colla Cytheriaca splendent agitata columba.

Alex. apud Athen. λευκὸς Ἀφροδίτης εἰμι. τὸ περιστερός. Quin & Veneris currum columbis tractum legimus, testis Apuleius lib. 6. Phornutus seu Cornutus, propter columbæ, nempe puritatem & castitatem. Lege memorabilem historiam de columbis apud Athenæum Venerem sequentibus, & comitantibus, &c. TRADITA SACRA] sacerdoti & Mystæ Veneris. Proinde legerim potius *periuro dente* cum Mysta Veneris contra ius sacrorum suorum violet ministram Veneris columbam.

Galbula.

LXIII. LXVIII.

* *Galbula, decipitur calamis & retibus, ales,*
Turget adhuc viridi, cum rudis vua, mero.

* Galbina. Galpena.

Quo tempore capienda sit Galbula, docet. Circa Augustum nempe. Galbulam alij Galgulam appellant. Græci ἰκτερόν, seu ἰκτερὸν, de qua Oppianus & Epiphanius cap. 23. sunt qui putant esse peregrinam auem, nec in Germania reperiri, raro etiam in Italia. Alij tamen Charadrium galbulam Germanis appellari existimant, Geibling aut Gemmerling/ &c. Græcis συκοφάγον, dici putant nonnulli, sicut ficedulam. Has describit Gesnerus lib. 3. de Galbula. DECIPITVR CAL.] arundine viscosa, res nota aucupibus. ET RETIBVS] In areis aucupiorum retia tenduntur auibus. offunditur esca. Plautus in Asin.

Ad Physiologum.

——hic noster quæstus aucupij simillimus,
Auceps quando concinnauit aream, offundit cibum
Aues assuescunt——
Sæpe edunt, semel si sunt captæ, rem soluunt aucupi. Et idem.
——sumere eum licet sine retibus.

Mira narrantur de hac aui. Epiphanius Constantiæ Cypri Episc. Καὶ ἐὰν τῇ νόσῳ ὑπόκειται ὁ ἄνθρωπος ἕως εἰς θάνατον, ἀποστρέφει ἀπὸ τοῦ νοσοῦντος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὁ χαραδριός, ἐὰν δὲ ἡ νόσος πρὸς ζωὴν ἐστὶν ἀτενίζει τὸν νοσοῦντα ὁ χαραδριός, καὶ ὁ νοσῶν τὸν αὐτόν. Lege Ælian. de eadem, Aristophanem & eius interpretem, Heliodorum lib. 3. Plinium, qui non Charadrium, sed Icterum, & Galgulum lib. 30. cap. 2. vocat. Suidas ait, proponi venalem, vt ab Ictericis inspiciatur.

TVRGET ADHVC VIRIDI CVM RVDIS VVA MERO] In Augusto nempe, apud nos etiam in Septembri, & maxime Septembri. Vuam autem immaturam periphrasticῶς, viridem vuam appellat. maturæ enim aut flauescunt, aut nigrescunt, aut rubescunt; vuam acerbam Græcis ὀμφακα intelligit.

Cattæ.

LXIX. LXIV.

Pannonicas nobis nunquam dedit Vmbria Cattas;
Mauult hæc Domino mittere dona Pudens.*

* Domini.

Has aues (nam auis nomen esse hic certum est) apud nullum auctorem reperio. Domitius, at sine teste, affirmat eas etiam in Vmbria capi, ductus credo auctoritate huius versus, cum tamen verba hoc non doceant: Missas enim ad Pudentem in Vmbriam ex Pannonijs, Romam ipse ad Imperatorem, credo, mittebat. PANNON. CATTAS] quæ in Pannonia capiuntur. Feles etiam nonnulli Cattos vel Cattas, sine Classici auctoritate appellant. Gulæ tamen insidias, nec felis effugere potuit. nam sunt, vt Io. Bruyerinus libr. 13. cap. 36. narrat, (nec res est obscura apud alias gentes) qui pro delicatissimis epulis vtuntur. Idem Cattum, inquit, quoque Latini vocant, sed ego testem probum desidero. NVNQVAM DED. VMBR.] Quia Pudens in Vmbria habitabat, Vmbria Italiæ Regio, quam hodie Spoletanam vocant, Græcis ὀμβρία. Inquilini Ombri & Ombrici: Stephanus.

MAVVLT HÆC DOMINO MITTERE DONA PVDENS] Dominum intellige Domitianum ipsum, quando absolute nominat Dominum, & propter raritatem credo auis, & nouitatem; recens enim tum in Italia visam probat silentium omnium auctorum veterum. Domitius ad diuitem refert, nec repugno. Pudens enim poëta fuit, & suos habuit Mœcenates. de hoc sæpius prioribus est libris actum.

Pauo.

LXX. LXV.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc sæuo reddere dure coquo?

Auis etiam infantibus nota ταὼς & ταὼς dicta, & à rerum naturalium Scriptoribus, Aristotele, Plinio, Oppiano, Varrone, Columella, Alberto, Gesnero, & innumeris alijs celebratissima. Carmen est apertum; miratur occidi & vorari posse tam venustam & elegantem auem. sed nimirum auara gula, nec venustati, nec elegantiæ parcit. GEMMANTES EXPLICAT ALAS] propter elegantiam immenso quondam pretio empta; nam ex Asia in Europam primum tradunt inuectam. MIRARIS] Ex Barbaris enim ad Græcos primum delatus, longo tempore rarus, deinde studiosis elegantiæ & pulchritudinis precio spectatus est Athenis, & viros & mulieres admittentes, ad huiusmodi spectaculum, ex eo quæstum fecerunt, atque, vt Antiphon contra Erasistratum narrat, marem & fœminam mille drachmis æstimarunt. De quæstu ex hac aui facto ab Aufidio Lucrone scribit Plin. & alij. Macrob. lib. 3. Sat. *Ecce, inquit, non admiranda solum, sed & pudenda, vt oua pauonum, quinis denarijs veneant.* GEMMANTES ALAS] Ouid.

Centum Philippais. 20. H S.

Laudatas homini volucris Iunonia pennas
Explicat, & forma multa superbit auis.

Eleganter hanc describit Tertullianus lib. de pallio. Lege Consalum Ponce ad cap. 12. Epiphanij ad Physiologum. Nec opus pluribus in re protrita.

COCO] Q. Hortensius hanc sibi seu laudem seu contumeliam peperit, cum primus Romæ pauonem occidit.

Phœ-

Phœnicopterus.

LXVI. LXXI.

Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis
Nostra sapit: quid si garrula lingua foret?

PENNA RVBENS NOMEN] Phœnicopterus Latinis, φοινικόπτερος Græcis, auis dicta ob puniceum colorem. Aristophanes in auibus. Martialis lib. 3. ep. 57. *Nomenq; debet, quod rubentibus pennis, solum animal est,* inquit Kiranides, cap. 7. *habens alas puniceas, similis magnitudine Ciconiæ, etiam paullo maior. Nec forma plane, si colorem & rostrum maximum excipias, dissimilis; palustris est. Nili incola.* Heliod. lib. 6. Hunc ita describit Scaliger ad Cardanum. *Rostrum neq; rectum plane, sed neq; aduncum habet, Scythici arcus partem potius imitatur. Cinereum colorem nobilitant alarum puniceæ pennæ, à quibus & nomen, &c.* Suetonius in Caligula, *Phœnicopterus auis circa lacus & paludes victitat, visu pulchra, & colore decora purpureo.* Videtur autem insignt esse magnitudine. Iuuenal. Sat. 2. ingentem nominat.

—SED LINGVA GVLOSSIS NOSTRA SAPIT] testatur hoc Plinius, cum dicit, Phœnicopteri linguam præcipui saporis esse. Apicius nepotum omnium altissimus gurges imponi eandem patinæ suæ luxu ambitiosissimam voluit. Lampridius de cerebellis illius. *Heliogabalus,* inquit, *exhibuit Palatinis ingentes lances extis illorum refertas, & cerebellis Phœnicopterorum.* Hanc autem sibi velut Deo mactari iussit Caligula, vt Gyraldus refert, cuius & sanguine pridie, quam periret, aspersum, narrat Suetonius.

Sueton. Vitellio, cap. 13.

Tranquillus in Vitellio: *Hanc quoq; cœnam exsuperauit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem clypeum Mineruæ αἰγίδα πολιούχου dictitabat. In hac scarorum iocinora, linguas Phœnicopterûm, murænarum lactes à Carpathio vsque, fretoq; Hispaniæ, per nauarchos ac triremes petitarum commiscuit.* Seneca ep. 3. portenta luxuriæ indigitat. *Non magnam* inquit rem facis, quod viuere sine lecto apparato potes, quod non desideras miliarios apros, nec linguas phœnicopterorum, & alia portenta luxuriæ, iam tota animalia fastidientis, & certa membra ex singulis eligentis.

—QVID SI GARRVLA LINGVA FORET] Quantopere saperet, cum tacita tam grata sit? quid si, vt Psittaci, Lusciniæ, & aliæ, garrirem? dubio procul principatum tenerem inter aues, quando etiam muta sapio plus cæteris. Lege Ioannem Bruyerium de re cib. cap. 45. lib. 15. Apicius præparat lib. 6. cap. 5. Æsopus histrio ex linguis canorarum auium fecit patinam, ad quem videtur poeta allusisse.

Phasianus.

LXVII. LXXIII.

* *Argiua primum sum transportata carina,*
Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

* Argoa.

PHASIANVS] Græci hanc auem φασιανικὸν ὄρνιθα, καὶ φασιανὸν appellant, Germani Fasan/ Latini Phasianum à Phasi, seu Phaside Colchorum flumine, seu quod ibi sit frequens, seu inde ab Argonautis transportata; quod quidem hic insinuat Martialis. Eustathius in Dionysium, arbitratur dictos Phasianos à Phasianis populis. Athenæus ex Media in Europam ait asportatam. De hac scribunt Plinius. Auctor de natura rerum, Paullus Venetus, Albertus M. Obscurius Aristoteles de histor. animal. 6. & 2. Galenus & plures recentiores. Auis est pulcherrima, de qua Longolius. *Phasianis nunquam quicquam speciosius contemplatus sum. Valeant omnes pictores, ipse Apelles si rediuiuus foret, varietatem & splendorem pennarum plumarumq; imitari non posset.* ARGOA CARINA] Argonautarum nauem dicit, de qua Val. Flaccus multos libros. ANTE MIHI NOTVM NIL NISI PHASIS ERAT] Hinc vocantur Phasides & Phasiani. Phasis autem fluuius dictus à Phaside patre Colchi. Eustathius Agatharchides Cnidius, de Phasi fluuio. πλῆθος, inquit, δὲ ὀρνίθων τῶν καλουμένων φασιανῶν φοιτᾷ, τροφῆς χάριν, περὶ ἐμβολὰς τῶν ῥευμάτων. Petronius in Sat.

Martial lib. 3. ep. 66.

—Iam Phasidos vnda, Orbata est auibus—

Statius lib. 4. Sil. Martialis supra hoc eodem libro,

Si Libycæ nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe Cortis aues.

Est hæc item ales longe pulcherrima Solonis elogio celebrata, qui ad Crœsum in regali solio, diademate & purpura auroque refulgentem, interrogantemque, nunquid speciosius quicquam spectasset, dixisse fertur, Phasianos & pauones sibi venustiores videri, quod naturali ornamento, non adscititio suo spectabiles essent. In mensis Principum frequentes, Lampridius.

habuit,

Vt Christus SS. de floribus Salomone ornatioribus.

habuit, inquit, *Heliogabalus hanc consuetudinem, vt vna die non nisi de Phasianis tantum ederet, item alia depulsis.* Leones, Psittacis, & Phasianis pauit, aliasque feras. Extat Vespasiani Strozæ carmen de Phasianis, seu Phaside.

Numicidæ.

LXXIII. LXVIII.

Ansere Romano quamuis satur Hannibal esset,
Ipse suas nunquam barbarus edit aues.

Gallinas Varro & Columella triplices faciunt, villaticas, rusticas, Africanas. Africanæ sunt eædem Numidicis. Numidicæ in ea parte Africæ, cui Numidia nomen, teste Plinio, celebrantur Varroni ead. est cum Meleagride. De his supra Mart. *Si Libyca nobis volucres, &c.* Describit has Plinius, Athenæus, alij, coquit Apicius. ANSERE ROMANO] In Italia bellum gessit Hannibal. 15. annis, sextodecimo, in Africam frendens gemensq; redire vocatu Senatus, est coactus. Liuius lib. 10. dec. 3. ANSERE ROMANO] pastus est anseribus, dum esset in Italia; cur abstinuit Numidicis, & patrijs auibus, melioribus ac Romani erat anseres? Nondum ea tempestate Numidicæ Gallinæ mensis illatæ erant, nec dum luxus in vrbem, atque Italiam immigrauerat. IPSE SVAS NVNQVAM BARBARVS EDIT] gentes omnes nationesque Romanis barbaræ erant, præter Græcos.

Anser.

LXXIV. LXIX.

Hæc seruauit auis Tarpeij templa tonantis:
Miraris? nondum fecerat illa Deus.

Anser, vel anseri notus. Martialis delibat historiam priscam, cum Galli, duce Brenno, capta Vrbe, sub noctis silentium falsis vigilibus, sopitisq; canibus Capitolium conscenderant, indeque, custode & indice ansere Iunoni sacro, deiecti erant. Liuius insignite rem describit lib. 5. Lucretius,

——humanum longe præsentit odorem,
Romulidarum arcis seruator candidus anser.

Ouid. 11. Met. *——canibusue sagacior anser.*

Virg. 8. Æneid. *In summo custos Tarpeia Manlius arcis*
Stabat pro templo, & capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo,
Atque hic auratis volitans argenteus anser,
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant
Defensi tenebris & dono noctis opacæ, &c.

TEMPLA TONANTIS] Nam in capitolio templum Iouis erat Feretrij omnium Romæ primum à Romulo opima spolia referente votum.

——NONDVM FECERAT ILLA DEVS] Fœda in Domitianum adulatio. Quid ansere fuit opus ad seruandum Capitolium? Humanum opus erat arx illa, & mortale, atq; à mortalibus custodiri debebat, & male custodiebatur: nunc quia Domitianus illud conflagratum nuper restituit, Domitianus, inquam, Dominus Deusq; noster, vt supra (dictante nempe & volente Domitiano) nunc immortale, nec indiget alio custode, vti nec cœlum. Quicquid autem (vt supra dixerat) inuicta condidit manus, (Cæsaris) cœlum est.

Grues.

LXXV. LXX.

Turbabis versus, nec littera tota volabit,
Unam perdideris si Palamedis auem.

Γέρανοι Græcis dicuntur, Germanis Kran vel Kren. Latinis Grues; vnde verbum congruere dictum est à Gruibus, quæ se non segregant, siue cum volant, siue cum pascuntur. Festus. congruere autem est conuenire. Mirum obseruant in volatu ordinē. de quo Aristoteles, Plinius, Ælianus, Albertus, alijq;, & nostri æui non pauci. TVRBABIS VERSVS] ordinem vocat versus; hoc enim versus Latinis significat. Isidorus, *Versus vulgo vocati, quia sic scribebant antiqui, sicut aratur terrā. A sinistra ad*

neam

dem ad dextram primum deducebant stylum; deinde conuertebantur ab inferiore; & rursum ad dextram versus, quos & hodie agrestes versus vocant. Columella lib. 2. cap. 2. Varro de re rust. cap. 10. versum vocat centum pedum quaqua versum quadratum. Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet, alternisque versibus obliquum tenere gradum. Hîc, vt dixi, versus, ordinem volandi, quem Grues seruant, significat. vt Virg. dixit 5. Æneid.

Lucanus lib. 6. Et turbata perit dispersis littera pennis.

> *——triplici pubes quem Dardana versu*
> *Impellunt, terni consurgunt ordine remi.*

Et 4. Georg.

> *Ille etiam seras in versum distulit vlmos:*

NEC LITTERA TOTA VOLABIT] littera quæ sit, Grammatici certant. Vinetus ad illa Ausonij: *Hæc gruis effigies*--Υ intelligit Palamedicam litteram. Φ, vero gruis tantum vnius. Vbi de Υ plura ex Philostrato leges. Gropaldus, *Volantes, inquit, ordine quodam literam Ypsilon faciunt.* Id quod Palamedem deprehendisse legimus. Cælius Rhodiginus, vel Λ vel Υ, notari putat. *Inter volandum,* inquit *littera Λ, ab eis delineari videtur, vel vt alijs amplius arridet Υ. Cuius inuentionem ex auium volatu Palamedi attribuunt.* Id quod indicare Philostratus aduertitur. Alij Δ græcum intelligunt, vt D. Hieronymus ad Rusticum de vita monast. Et sane hæc sententia cum Cicerone, Æliano, & Tzetze facit, & veri simillima est. Cicero enim affirmat Grues calidiora petentes trianguli formam efficere. Et Ioannes Tzetzes. *Grues, inquit, vt facilius aerem incidant, ordinem instruunt triangulum oxygonum.* Idem docet Ælianus: *Trianguli figuram efficiunt, vt hac forma facilius aëra aduersum secent. Et triquetra figura sexangulum edunt.* testantur idem de ordine Plinius, Gellius, Plutarchus, Seruius ad illud Virgilij 1. Æn. *Et cœtu cinxere polum.* Ex Aristotele Ciceronem quæso rem disertissime explanantem audi lib. 2. de natura Deorum *Illud vero ab Aristotele animaduersum, in quo pleraque quis potest non mirari? grues, cum loca calidiora petentes, maria transmittunt, trianguli formam efficere. Eius autem summo angulo aer ab ijs aduersus pellitur: deinde sensim ab vtroque latere, tanquam remis. ita pennis cursus auium leuatur. basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tanquam à puppi ventis adiuuatur, &c.* quid his verbis planius? quibus ipsissimum Δ exprimitur.

LITTERA TOTA VOLABIT] si enim vnam auem exemeris ex ordine volantium, litteræ Δ, symmetriam tolles & corrumpes. hic ordo volantium non exprimit amplius totum Δ. PALAMEDIS AVEM] gruibus enim veluti magistris ordinem, & litteras didicit, & quas didicerat, homines docuit; ostenderem hoc singulis literis, nisi crescerent nimium litteræ. Fuisse dicuntur ab illo inuentæ hæ nouæ. Θ, Ξ, Φ, Χ. vel vt Philostratus vult, Υ, Φ, Χ. Palamedes fuit Nauplij Eubœæ Regis filius, de quo sic Philostratus in Heroicis. *Summo vir ingenio fuit, ordinem litterarum repperit, additis nonnullis quibusdam. Quas Vlysses eius inimicus ait non ab eo inuentas sed à Gruibus ex ordine volatus earum acceptas. Præterea calculorum, mensurarum & ponderum, dum etiam alea in castris apud Auliden inuentor fuit. Astrologia insuper peritus, annum mensesque, ad cursum solis accommodauit. Primusque, in Castris visam ac reformidatam Solis eclypsin, dixit notatam, minimeque timendam esse. Vlyssis primum insania simulatio ab eo fuit deprehensa: quapropter non destitit Vlysses, eum apud exercitum proditionis falso insimulare, donec lapidibus obrueretur: quem postea Græci fleuêre, & magnopere desiderauerunt.* De quo Virg. 2. Æneid.

> *Fando aliquid, si forte tuas peruenit ad aures*
> *Belidæ nomen Palamedis & inclyta fama*
> *Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi*
> *Insontem infando indicio, quia bella vetabat,*
> *Demisêre neci, nunc cassum lumine lugent.*

De hoc, quem *ἀηδόνα μουσῶν* appellat Euripides, tragœdiam, Palamedes, inscriptam composuit, in qua dictum erat illud, *ἐκάνετε, ἐκάνετε τὰν Ἑλλήνων ἀηδόνα*. Plato eiusdem facit mentionem in apologia Socratis. Plura apud Seruium ad 2. Æneidos.

Rusticula.

LXXI. LXXVI.

> *Rustica* * *sum perdix;* † *quid refert, si sapor idem est?*
> *Carior est perdix,* * *sic sapit illa magis.*

* *sum.* † *m.* * *nec.*

Rusticula Græcis † *σκολόπαξ* Alberto snepa, Germanis Schnepff. *Σκολόπαξ* dicitur, quod rostrum longum, & rectum habeat instar pali, quem Græci *σκολόπακα* nominant: rusticam autem dictam putem ad contentionem alterius perdicis, quæ elegantior est. De hac sic Nemesius Poëta.

† *σκολόπαξ.* *Plinius lib. 10. cap. 48. vo. eo. rusticulam facit gallinaceam.*

> *——præda est facilis & amœna scolopax:*
> *Corpore non Paphijs auibus maiore videbis:*
> *Illa sub aggeribus primis, qua proluit humor,*
> *Pascitur, exiguos sectans obsonia vermes, &c.*

Quid

cus, ni fallor in Narbonensi provincia frequentior. Ælianus ait, ἱερώτατον εἶναι ὄρνιν καὶ φιλογαμώτατον τῶν ζῴων, animal esse venustissimum, & nomine suo dignissimum. NOMEN HABET MAGNI VOLVCRIS TAM PARVA GIGANTIS] Porphyrio filius Sisyphi, immanis gigas fuit, vt Apollonij in 3. Argon. Scholiastes scribit, quem Hercules telis confecit. Perottus, constat, inquit, inter Gigantes principatum obtinuisse Porphyrionem & Alcyoneum. Laudat eundem Horatius lib. 3. Carm. Ode. 4. Aut quid minaci Porphyrion statu. Et Eustathius Iliad. Ξ. quod Iunoni voluerit vim inferre ab Alcæo liberatæ. Claudianus Porphyrion trepidam conatur vellere. Delon Pindarus hunc gigantem arcu Apollinis domitum canit Eid. 8. Pythijs. Prasinus vero Purpureo dictus, Neronis auriga fuit. Suetonius in Neron. TAM PARVA] Porphyrio par est, vt docet Oppianus, magnitudine gallinæ altili, sed crura ei longiora. Longe abeunt à vero, qui carduelem aut acanthida interpretantur. Moses Leuit. 11. Porphyrionem numerat inter immundas aues.

Pindarus in Pythijs cum scholiaste.

Mullus.

LXXIV. LXXIX.

Spirat, in aduecto, sed iam piger, æquore mullus
Languescit, viuum da mare, fortis erit.

Ab alite ad piscem transit poëta. Mullus Græcis τρίγλη, vel μύλλος, τρίγλη, quod ter in anno pariat. μύλλος videtur ex latinis acceptum, vel contra. Mullus, inquit Isidorus lib. 12. cap. 6 vocatus, quod mollis atq; tenerrimus, cuius cibo tradunt libidinem inhiberi, oculorum aciem hebetari: homines autem à quibus sæpe pastus est, piscem olent. Mullus in vino necatus, his qui inde biberint, vini tædium adfert, quod potatoribus notandum. Plura leges apud Oppianum lib. 1. halieuticon & 3. & Scholiasten illius, Conradum Ritterschusium. sed Plinius lib. 9 cap. 17. docet mullos ex Fenestella, à colore mulleorum calceamentorum nomen accepisse. Idem lib. 9. cap. 18. mullum octoginta librarum, in mari rubro captum Licinius Mutianus prodidit. Idem superiore capite, multa de hoc eodem ab Asinio Celere, & Caio Imperatore octo millibus nummû n vel vnico empto æstimat. Seneca etiam decem * millibus nummû n. Varios moriens induit colores. SPIRAT IN ADVECTO ÆQVORE] ægre spirat, quamuis in eadem aqua marina, qua captus est, feratur. Spirat ἀνύγρως, vt enim Aristotelis alumnis placet, pisces non spirant, nec hauriunt animam; contra quos Plinius venit: Spirant autem confessione omnium & paucissima alta in mari, quæ internorum viscerum pulmonem habent, quoniam sine eo nullum animal putatur spirare: nec piscium branchias habentes anhelitum reddere, ac per vices recipere existimant, quorum hæc opinio est: nec multa alia genera etiam branchijs carentia in qua sententia fuisse Aristotelem video, & multis persuasisse doctrina indaginibus. Nec me protinus huic opinioni eorum accedere haud dissimulo: quoniam & pulmonum vice alijs possunt alia spirabilia inesse viscera, ita volente natura: sicut & pro sanguine est multis alius humor. Et quæ ibid. sequuntur, vbi copiose conatur ostendere pisces spirare, qua de quæstione erudite Rhodiginus cap. 15. lib. 4. Sed Aristoteles lib. de morte & vita validius suam sententiam confirmat, nihil spirare quod careat pulmone, amphibia vero, ranas, mures fluuiatiles & delphinos ac balænas pulmones habere, quod delphini dormientes caput exponant. Sed de his plenius physicorum sectæ ad libros Arist. de ortu & interitu solent pertractare. VIVVM DA MARE] verum marenon haustam partem illius Vel: viuum mare recens haustum. FORTIS ERIT] viuet, vel pulsa pigritia, sentiet subito fugiturum. Plura apud Dioscoridem lib. 2. Athenæum, alios, præsertim Macrobium lib. 7. Sat. cap. 11.

Barbel/ Meerbärbel.

** Ducentis quinquaginta Philippicis.*

Lib. 8. cap. 7.

Muræna.

LXXV. LXXX.

Quæ natat in Siculo grandis Muræna profundo,
Non valet exustam mergere sole cutem.

Muræna similis anguillæ, duorum cubitorum, marinus est piscis. Græcis μύραινα. Germanis Meeraal/ id est, anguilla marina Latinis. Græcis posterioribus Exormistos, & ἔγχελυς, ἀνόστεος, anguilla exossis. Ausonio Mustella. Latinis etiam lampetra à lambenda petra. De hac scribunt Plinius, Ælianus, alij.

SICVLO MVRÆNA PROFVNDO] In mari Siculo Macrobius lib. 3. Satur. scribit olim murænas maxime in delicijs habitas fuisse Romæ, adeo vt ab vsq; freto Siculo accerserentur. L. Crassus Orator murænam in piscina domus suæ mortuam, atratus tanquam filiam luxit. Vestierat illam puellari & eleganti cultu vt Ælianus narrat: lacrymas autem in eius morte à Crasso fusas tamque deforme crimen Domitius illi in senatu obiecit: stulte inquit, murænam fleuisti mortuam. Ego vero inquit, Crassus fleui bestiam. Tu autem ne tres quidem vxores sepultas luxisti. Addo ex Seneca lib. 3. de Ira, humanis corporibus pastas esse Murænas. Fregerat vnus ex seruis eius (Vedij Pollionis) crystallinum, ad mortem rapi eum Vedius iussit, nec vulgari quidem periturum morte, murænis obijci iubebatur, quas ingens piscina continebat. Quis non hoc illum putaret luxuriæ caussa facere? sæuitia erat. Euasit è manibus puer, & confugit ad Ca-

ad Cæsaris pedes, nihil aliud petiturus quam vt aliter periret, nec esca fieret. Motus est nouitate crudelitatis Cæsar, & illum quidem mitti, crystallina autem omnia coram se frangi iussit, compleriqu͂e piscinam. Fuit Cæsari sic castigandus amicus, bene vsus est viribus suis. hæc & plura Seneca cap. 40. Idem confirmat lib. 9. Plinius cap. 29. *Inuenit in hoc animali documenta sæuitiæ Vedius Pollio eques Romanus, ex amicis D. Augusti, viuariis earum immergens damnata mancipia, &c.* Varro de re rustica lib. 2. cap. 6. *non enim si murenæ fuerunt in Sicilia, &c.* Plinius de eadem muræna lib. 32. cap. 2. & lib. 9. cap. 55. Et generatim Macrobius lib. 2. Sat. cap. 11.

NON VALET EXVSTAM MERGERE SOLE CVTEM] Varro in Gallo narrat Murænam pinguissimam innatare mari, & tergus sole exustum curuare amplius non posse, cum branchijs careat, indeque manu capi.

Rhombus.

LXXXI. LXXVI.

Quamuis lata gerat patella Rhombum,
Rhombus latior est tamen patella.

Græce idem nomen habet, nobis Meerbutt & Tharbot/ sonat. Duplex genus est, asperum & planum, latissimus piscis, cuius formam habes apud Gesnerum lib. de piscibus. à latitudine Martialis Epigrammatis occasionem accepit. Rhombus triplicem significatum habet. Primum instrumentum est mathematicum, & magicum tetragonon, quo sagæ vtuntur ad deducendam lunam, de quo alibi. deinde piscem significat, vt hoc loco: tertio rotam, * quam agitando tramam glomerant. Sed de pisce agit Plinius pluribus locis, & affirmat Rauennæ optimum inueniri, & lib. 32. cap. 9. Verborum sensus est in promptu, Rhombum aliquando esse tam latum, vt quamuis latam patinam excedat. LATA] sic Iuuenalis. *Incidit Hadriaci spatium admirabile Rhombi.* Horat. serm. 2. Sat. 2. vocat grandes Rhombos. PATELLA] à patina: patina à patendo.

* *Eandem vero formam magi ex rhombi.*

Ostrea.

LXXXII. LXXVII.

Ebria Baiano veni modo concha lucrino,
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Græca vox est ostreon: dicitur ostrea, & ostreum in recto sing. Nonius. Isidorus sic originatur: *Ostrea dicta est à testa, quo mollities interior carnis munitur, græci enim testam ὄστρακα vocant. Ostrea autem neutro: carnes eius muliebri dicuntur genere.* Nonius quidem vtrumque genus agnoscit, sed testam & carnes non distinguit genere. Germanis Ostern. Oppianus lib. 5. ἁλιευτ. v. 589. Genera omnia ostreaca, in mari serpentia, luna augescente, carne repleta esse affirmat, & maiorem domum habitare, decrescente vero tenuioribus membris contineri, & corrugari, idem docet, omnia nasci è limo, non semine, Cynig. 2 à quo stat & Seneca epist. 95. *Quid illa ostrea inertissimam carnem cœno saginatam nihil existimas limosæ grauitatis inferre?* De ostreis Baianis seu Lucrinis, ita Macrobius lib. 2. Sat. cap. 11. *Hic est Sergius Orata, qui primus balneas pensiles, primus ostrearia in Baiano locauit, primus omnium saporem ostreis Lucrinis adiudicauit.* EBRIA BAIANO VENI MODO CONCHA LVCRINO] è lacu Lucrino, qui in Campania est. Erythrei, & quorundam aliorum sententia. Lucrinus lacus mare mortuum appellatur, vnde ferebantur ostreæ nobilissimæ, quas hic conchas vocat; lautorum mensis apponebantur. Petronius Arbiter,

——atque lucrinis
Eruta littoribus condunt conchilia cœnas,
Vt renouent per damna famem.——

BAIANO] à Baijs, de quibus supra sæpius. EBRIA] saturata, vt ipse alibi exponit Martialis. NOBILE NVNC SITIO LVXVRIOSA GARVM] Ante quidem satur aquæ Lucrinæ, nunc sitio garum; liquorem intelligit, de quo paullo ante hoc ipso libro dictum, & infra dicetur suo lemmate, Garum sociorum. ante potaui lacum, inquit concha, Lucrinum, nunc bibam garum ad dapes paranda.

Squillæ.

LXXXIII. LXXVIII.

Cæruleus nos Liris amat, quem sylua Maricæ
*Protegit: hinc * squillæ maxima turba sumus.*

* *scyllæ.*

Squillæ Romanis, Græcis σκύλλαι, cancer, pinnoteres, pinnophylax. De Squilla Cic. de nat. Deorum. *Pinna vero (sic enim græce dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parua squilla, quasi societatem*

tatem coit comparandi cibi, Itaq; cum pisciculi parui in cõcham biantem intrauerint, tum admonita à squilla, pinna morsu comprimit conchas, sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum est, congressúne aliquo inter se, an iam inde ab ortu natura ipse congregata sint. Idem dicit alijs verbis 3. de finibus: *At illa quæ in concha, &c.* De eadem Plinius lib. 9. cap. 24. *Concharum generis & pinna est. Nascitur in limosis subrecta semper, nec vnquam sine comite, quem pinnoterem vocant, alij pinnophylacem. is est, squilla parua, alibi cancer dapis assectator. Pandit se pinna luminibus orbum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant illi protinus, & vbi licentia audacia creuit, implent: eam Hoc tempus speculatus index morsu leuem significat. illa compressu, quicquid inclusit, exanimat, partemq; socio tribuit.* Eadem prorsus habet Oppianus lib. 2. Halieut. v. 187. &c. Athenæus lib. 3. qui addit prioribus, eas duas bestiolas sibi cognatas, perinde ac si ex eodem semine creatæ essent. Plutarchus *πότερα τῶν ζώων*. Nemesius cap. 1. de natura hominis, & Phile in Iambis. Orus Niliacus Hieroglyph. Artemidorus lib. 2. cap. 14. scribit pinnam & pinnophylacem visas homini per quietem bonum signum esse ad nuptias &c. Horatius. lib. 2. serm. Sat. 4. & 8. Iuuenalis Sat. 5. COERVLEVS NOS LIRIS AMAT] Liris Latij fluuius, olim Clunius, deinde Liris, vt Plinius, & Strabo lib. 5. testantur: *παρὰ τὰς Φρεγγέλλας ὁ Λεῖρις ὁ εἰς τὰς Μιντούρνας ἐκδιδούς*, dictus. Appianus Alexandrin. Linternum putat vocatum suo tempore: hodie Garigliano nuncupatur Leandro. Oritur in Apennino, alluit Minturnas. Horatius li. 1. Od. 31. vocat taciturnum amnem. Et Cic. lib. 2. de legibus. *Fibrenus statim præcipitat in Lirim, &c.* CÆRVLEVS] à forma aquæ. SILVA MARICÆ] Virgil. 7. Æn. eandem commemorat.

Hanc Fauno & Nympha genitum Laurente Marica.

Ad quem locum Seruius. *Marica Dea est littoris Minturnensium. iuxta Lirim fluuium. Quod si voluerimus accipere vxorem Fauni Maricam, non procedit. Dij enim Topici, id est, locales, ad alias regiones nunquam transeunt, sed potest dictum esse per licentiã poëticam, cum sit Minturnensis.* Dicunt alij per Maricã, Venerem intelligi debere, cuius sacellum fuit iuxta Maricam. Horatius eiusdem facit mentionem lib. 3. car. od. 17. Marica & Fama eadem, est vxor Fauni. Vide Lambinum ad Horatij locum iam adductum. HINC SQVILLÆ MAXIMA TVRBA SVMVS] Ex Liri fluuio; vbi squillerum est, Cic. teste. in orationibus pro L. Agraria.

Scarus.

LXXIX. LXXXIV.

Hic Scarus, æquoreis qui venit obesus ab vndis,
Visceribus bonus est: cætera vile sapit.

Ein Meerbrachs / *vulgo Saphyrus à cæruleo colore.*

Græce *σκάροι* vel *σκάροι* dicuntur, qui tamen, vt nouus Oppiani scholiastes notat, apud Athenæum distinguuntur. Distinguit & Plinius lib. 32. cap. vlt. dicti *ἀπὸ τοῦ ἀναπαίρειν* vel *σκαίρειν*, quod nassæ inclusi caudæ ictibus crebris euersi laxent fores, atque ita retrorsum erumpant. Ouid. siue quis alius Halieut. auctor

——sic & scarus arte sub vndis
Contextam si forte leui de vimine nassam
Incidit, assumtamque dolo tandem pauet escam,
Non audet radijs obnixa occurrere fronte
A versus crebro veniens sed verbere cauda
Laxans subsequitur, tutumque euadit in æquor
Quin etiam si forte aliquis, dum pone nataret,
Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit
A versi caudam morsu tenet, atque trahendo
Captiuum texto socium de carcere soluit.

Idem ex Ouidio Plinius de Scaro. Scribunt de hoc pisce Oppianus lib. 1. halieut. v. 109. & v. 134. lib. 2. extremo. Isidorus lib. 12. cap. 6. Athenæus lib. 7. Plinius libris varijs & locis. A ruminando nomen habet; solus enim ex piscibus ruminat, vt Plinius tradit, herbis vescitur, vt Oppianus docet. Ennius piscem hunc vocat cerebrum Iouis. *Scarum*, inquit, *præterij cerebrum Iouis.* Ouidius in halieut. Horatius lib. 2. Sat. 2. Macrobius lib. 2. Satur. *Optatus præfectus classis sciens scarum adeo Italicis littoribus ignotum, vt hoc nomen Latinum eius piscis nõ habeamus, incredibilem scarorum multitudinem vinarijs, nauibus huc aduectam, inter Hostiam & Campaniæ littus in mare sparsit, miroq; ac nouo exemplo pisces in mari, tanquã in terra fruges aliquas seminauit. Idemq; tanquam summa in hoc vtilitatis publicæ versaretur, quinquennio dedit operam, vt si quis inter alios pisces scarum forte cæpisset, incolumem confestim & inuiolatum mari redderet.* Petronius.

Ingeniosa gula est Siculo Scarus æquore mersus
Ad mensam viuus perducitur.——

Plinius lib. 32. cap. vlt. *Scarus qui hodie principalis est*, & 32. cap. 2. HIC SCARVS ÆQVOREIS] est enim maximus piscis. Plinius lib. 32. cap. 8. & alibi. OBESVS] præpinguis. VISCERIBVS BONVS EST CÆTERA VILE SAPIT] Lege Gesnerum de Scaro, & Apicium. Plinius maxime iocinoris

nora commendat, quæ hoc loco viscera appellat Martialis. CÆTERA] κατὰ, subaudi more Græcorum, cætera Graij. Virgilius: Consertum tegmen spinis, at cætera Graius, sic Apuleius & alij, nusquam tamen Cicero vti notauit Scioppius lib. 5. susp. lect. cap. 20.

Coracinus.

LXXXV. LXXX.

* Niliaci. † macelli.

*Princeps * Niliacis raperis, Coracine, † macellis,*
Pellea prior est gloria nulla gulæ.

Ein Meerkarpf/ *forte rectius,* Meerrapp.

Coracinum Ægyptium piscem Græci κορακῖνον, Ausonius Coruum vocant. Græcis dictus est vel ἀεὶ τὰ κινεῖν διηνεκῶς τὰς κόρας, καὶ οὐδέ ποτε παύεσθαι, vel παρὰ τὸ κορὸν τὸ μέλαν. Ausonius,

Nec duraturi post trina trihoria corui.

Vide Oppianum lib. 1. halieut. & Ritterschusium. PRINCEPS NILIACIS RAPERIS CORACINE MACELLIS] Plinius lib. 32. cap. 5. *Coracini pisces Nilo peculiares sunt, sed nos hoc omnibus terris demonstramus,* sententia est. Alexandriæ coracinis nullum genus piscium habetur delicatius & nobilius. Princeps) nobilissimus Niliacis macellis ex Ichtyopolio caperis, Romam aducheris. Sed Athenæus vilem esse scribit ex Amphide.

Ὅστις κορακῖνον ἐσθίει θαλάττιον
Γλαύκου παρόντος, οὗτος οὐκ ἔχει φρένας
Quicunque coracinum vorat maritimum,
Glauco præsente, non habet cerebrum.

Sic apud eundem Archestratus vocat φαυλότατον κορακῖνον. Plinius tamen lib. 9. cap. 18. *In Ægypto optimum esse testatur.* PELLEÆ PRIOR EST GLORIA PRIMA GVLÆ] Pellea vocatur Alexandria ab Alexandro M. cuius pater Philippus (& ipse Alexander) Pellæ vrbe Macedoniæ natus est, vnde vterque vocatur Pellæus: Iuuenalis, *Vnu pelleo.--- &c.*

Echinus.

LXXXVI. LXXXI.

Erinaceus. Ygel/ Meerygel

Ille licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis Echinus erit.

De Echino plurima congessit Ritterschusius ad Oppianum lib. 2. Cyn. vers. 598. cap. 604. Non pauciora Gesnerus: Sed clarius differit Mathiolus ad lib. 2. Dioscoridis cap. 1. vbi ex Aristotelis libr. 4. de historia animalium, multa Echinorum genera commemorat. Nos hic diuidimus Echinum in terrestrem & marinum; terrestrem, in caninum, & suillum, à quibus diuersus est, qui vocatur histrix, maior cæteris, &c. Martialis potissimum de marino loquitur, qui turbinati, patellique sunt, quos ex Aristotele Mathiolus ibidem describit. In Italia circa mare Tyrrhenum & Adriaticum frequentes. circa Toronem habentur Echini marini candidi testa, spina, & ouo. ILLE LICET DIGITOS TESTVDINE PVGNAT ACVTA] omnes quidem Echini spinas habent, nec tamen omnes æque acutas; nam circa Toronem sunt spinis paruis, non rigidis, sed mollioribus. Genus aliud est minutum spinis longis perdurisq; gigni in alio gurgite solitum. Histrix terrestris maxime pungit, de vtroque agit Gal. lib. 11. simplic. medicamentorum. CORTICE DEPOSITO MOLLIS ECHINVS ERIT] testam, vocat corticem. MOLLIS] in cibo gratus, non omnia genera cibo apta. *Primum,* inquit Aristoteles, *quod cibo idoneum est, oua sunt magna esculentaq; pariter in maiori corpore & minore nam nouellis adhuc paruiq; pleniusculi illis constant.* Vide Plinium. Idem Isidorus docet lib. 12. cap. 8. *Echinus à terrestri Echino* (quod & Varro de lingua latina testatur) *nomen traxit quem vulgus erytium vocat. cuius testa duplex spinis aculeata, in modum castanearum, quando adhuc operta, de arboribus cadunt. Caro eius mollis & minio similis.* Vide Græcum epigramma, & prouerbia de Echino. Refert Athenæus à Lacone quodam echinum integrum cum testa comesum, affirmante, non se reiecturum per os testam, quamuis offenderet, nec de cætero eo vsurum.

Murices.

LXXXVII. LXXXII.

Sanguine de nostro tinctas ingrata lacernas,
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Queruntur Murices iniquam sortem suam, & crudelitatem hominum, vt, quod sanguinem ones suum hauriant, carnes vero homines absumant. Murex latior est purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha, vtroq; latere sese colligit,

ligit, quibus inhærentibus plenam ventis stetisse nau. m, portantem nuntios à Periandro, vt castrarentur pueri nobiles, conch. q. æ, quæ id prælliterant, apud Gnidiorum Venerem coli fertur; rostrum pedale est, crassitudine quinque digitorum; naues moratur; in sale asseruatum, extrahit aurum, quod in puteos decidit, si admoueatur. Quod de nauibus dicebatur, confirmant plures historiæ, Olorius, Gulielmus Rondeletius apud Rittershusium. Oppianus lib. 1. halieut. Idem legitur de Echeneide seu remora apud Plinium lib. 32. cap. 1. & alios. sed non est idem Echeneis, & Murex murex concha est, Echeneis piscis. Plinius ibidem: Murex Baianus optimus, Horat. serm. 2. Sat. 4. *Murice Baiano melior.* SANGVINE DE NOSTRO] vestes imbuuntur: florem in ore habet, vt docet Plinius, quem moriens expuit, hunc à nautis, vti viuus in potestatem veniat, curatur. Purpurandæ lanæ artificium inuenit Hercules Tyrius miro sane modo quem in Chronico Alexandrino & Cedreno alijsque cognosces. ESCA SVMVS] mensis inferimur, vt reliquæ testæ, & ostrea; à murice pisce dicuntur saxa & scopuli murices & machinulæ. Steuuechium ad lib 3. Vegetij lege.

Gobius.

LXXXIII. LXXXVIII.

In Venetis sint lauta licet conuiuia terris,
Principium cœnæ Gobius esse solet.

Duplex est fluuialis & marinus, Græcis κωβιὸς καὶ κωθὸς καὶ κωθων dicitur Athenæo teste. Germanis Groppen. Ouid. in halieut. *Lubricus & spina nocuus non Gobius vlla.* Oppianus lib. 2. halieut. Gobium ait virulentum, cui repugnat Solonis apophthegma: Vide nouum Scholiasten Oppiani. IN VENETIS] Veneti, Cæsari sunt Galliæ populi, quos Vannes Martianus appellat, in minore Britannia, quorum vrbem Cæsar Venetiam appellat. De his non est hic sermo, sed de Venetis Italiæ, qui antea Heneti, à quibus, cognomines Veneti ortum habent. Plinius lib. 6. cap. 27. dicebantur ijdem Euganij, &c. Venediger. Vrbs tamen Venetorum condita primum est anno Christi CCCC. LII. Marciani III. LAVTA CONVIVIA] Sensus epigrammatis; quæ apud alios vilia censentur, Venetis sunt in delicijs. Ita fit, vt ab alijs plus minusue sapiant; singulæ fere gentes suis quibusdam peculiaribus capiuntur ciborum cupedijs. PRINCIPIVM COENÆ GOBIVS ESSE SOLET] De antecœnis Romanorum, hoc est, ouis, lactucis, ostreis, antea diximus, hic quasi peculiarem gentis morem commemorat. Vnus Oppianus, si obsistat omnibus, reijciendus videtur in hac sententia. Nam Gobium non virulentum Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus his verbis docet: *Gobius littoralis est, ex eorum numero, qui parui perpetuo manent, præstantißimus autem ad voluptatem, coctionem, simul ac distributionem, & succi bonitatem est, is qui in arenosis littoribus, aut saxosis promontorijs viuit. At qui in fluminum ostijs, aut stagnis marinis versatur, non æque suauis est, neq; boni succi, neq; concoctu facilis* (& hoc forte genus damnat Oppianus) Cæterum Mathiolus lib. 2. ad Dioscoridem cap. 19. de Gobio huncin modum scribit. *Gobij in Venetis Ichtyopolis frequentißimi conspiciuntur, quod inibi in finitimis lacunis mirum in modum fœtificent ac numerosi prouenient, quos Veneti go, appellant, capite sunt amplo, gustuq; persuaues, quod carnem habeant tum pinguem, tum etiam friabilem, quorum iecur maximam init à palato gratiam. Athesis, Nosim, aliiq; plurimos alunt, larius item lacus. Sunt hi pisciculi non modo concoctu facillimi, sed & ori suauißimi & gratioßimi, præsertim, cum ouis turgent.* Plura habes apud Mathiolum. Oppiani versus sunt hi.

Κέντρα δὲ κευθμῶνι μετ' ἰχθύσιν ...
Κωβιὸς, ὃς ψαμάθοισι χαίρει καὶ πέτρῃσι μιγῇσι.
Aculeos autem lethales inter pisces exerunt
Gobius, qui arenis, & qui scopulis gaudet.

Sed de veneno Gobij etiam Ouidius:

Lubricus & spina nocuus non gobius vlla
Et nigrum niueo portans in corpore virus.

Lupus.

LXXXIV. LXXXIX.

Laneus Euganei lupus excipit ora Timaui
Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.

Lupus, græce λάβραξ, dicitur Isidoro teste lib. 12. cap. 6. à vorandi auiditate propter similitudinem lupi terrestris. non est idem cum Lucio quem Hechten Germani appellamus; Lupus nobis ignotus est, Gallis Lubin, alijs Lonazo alijs Anauolo dictus. Est & Lupus marinus monstrum potius quam piscis Meerwolff / de quo hic non locus. De fluuiatili Ouidius:

Clausus rete Lupus quamuis immanis, & acer
Dimotis cauda latitat submissus arenis.

Tholm / capitones dicunt.

Et de eod.

——Lupus acri concitus ira
Discursu fertur vario, fluctusque ferentes
Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere saucus
Laxato cadat hamus, & ora potentia linquat.

LANEVS] Laneus lupus, albus, candidus instar lanæ detracta squama. EVGANEI TIMAVI ORA EXCIP.] maris frontem, vt appellant incolæ, teste Polybio apud Strabonem. Timauus autem fons & fluuius, vel lacus est Venetus, hoc enim Euganeus significat, vt Virgilius, Liuius, & Plinius sunt auctores. à Varrone mare appellatur. Leander ponit illum in foro Iulio eumque vulgo, Timauo, nuncupari affirmat. ÆQVOREO DVLCES CVM SALE PASTVS AQVAS] explicat sequens versus priorem, quomodo excipit ora Timaui? Lupus in confinio maris salsi, & dulcis aquæ fontis, vel fluuij Timaui, haurit partim dulces, partim amaras aquas. Nam illi maxime probantur Lupi, qui in huiusmodi concursu aquarum degunt & capiuntur. Macrobius lib. 2. Satur. tradit olim lupum Tiberinum, præcipue qui inter duos pontes captus esset, Romæ à gulosis in honore fuisse, quod & Horat. confirmat serm. lib. 2. Sat. 2.

Vnde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet, pontes inter iactatus, an amnis
Ostia sub Tusci.——

De ingenio piscis.

Plura leges apud Rittershusium in 1. halieut. Oppian. v. 112. Gesnerum lib. de piscibus in lupo, Aristotelem, Plinium, Athenæum, Albertum, & alios. ad hunc locum explicandum hæc satis.

Aurata.

XC. LXXXV.

Non omnis laudem pretiumq; Aurata meretur,
Sed cui solus erit concha lucrina cibus.

Orata siue Aurata dicitur. quod (vt scribit Isid. lib. 12. cap 6.) in capite auri colorem habeat, dicuntur & varij, à varietate. Germanis Forällen/Goldbreme/Goldbrächßn/ quasi varioli. Græcis χρύσοφρυς, & apud Athenæum, ταινίας. χρύσοφρυς quidem etiam ab auro, vt Oppianus 1. halieut. Ἀγλαίη χρύσοφρυς ἐπώνυμος. Ouid. *Auri Chrysophrys inuiolata decus.*

NON OMNIS LAVDEM PRECIVMQVE AVRATA MERETVR] Athenæus lib. 7. sine discrimine huius vel illius loci plurimum commendat auratam, eumque omnium piscium suauissimum esse affirmat. Sed Martialis ex Lucrino lacu, conchis pastum, vt Apicius ex eodem mullos, reliquis anteponit. De Aurata. Aristoteles lib. 8. hist. anim. Plinius pluribus locis facit mentionem Auratæ, nec tamen describit. Ælianus. Gesnerus plura. Lege Macrobium lib. 2. Sat. cap. 11. qui Sergium Oratam ab hoc pisce, quem amabat, cognominatum ait, vt Licinios Muranas.

** Aldi editio Acipenser habet, & in accus. Acipenseram.*

* Acipensis.

XCI. LXXXVI.

Ad Pallatinas Acipensem mittite mensas,
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Stör/ Stierle, Græce ἔλλοψ, & ἀκκιπήσιος.

Acipiensis seu acipenser piscis, quem vulgo Sturionem dicunt. Contentio est inter authores de hoc pisce, quem illi forte nunquam gustarunt. Eundem Ellopem nonnulli existimant, Germanis idem est Stör. Hunc piscem intulit mensis Gallonius Romanus præco, de quo Cic. in orat. pro Quinctio: *Qui relicta bonorum virorum disciplina, & quæstum & sumptum Gallonij sequi maluerunt, atque etiam, quod in illo fuit, cum audacia perfidiaque vixerunt.* Lucill.

O Publi gurges Galloni, es homo miser, inquit,
Cœnasti in vita nunquam bene, cum omnia in ista
Consumis squilla, atque acipensere cum in Decumano.

Horat. serm. 2. Sat. 2.

——haud ita pridem
Galloni præconis erat Acipensere mensa
Infamis?

** ἀκκιπήσιον habet Casauboni editio.*

Archestratus apud Athenæum lib. 7. putat γαλεὸν eundem esse piscem, atque eum, qui apud Romanos cum tibijs & coronis ad cœnas cum pompa quadam circumfertur, coronatis etiam ijs, qui eum ferunt: qui appellatur Acipenser, audi ipsum Athenæum, Ἀρχέστρατος δ' ὁ τὸν αὐτὸν Σαρδαναπάλῳ ζήσας βίον, περὶ τῷ ἐν Ῥόδῳ γαλεῷ λέγων τὸν αὐτὸν εἶναι ἡγεῖται, τῷ παρὰ Ῥωμαίοις μετ' αὐλῶν καὶ στεφάνων εἰς τὰ δεῖπνα περιφερομένῳ ἐστεφανωμένων καὶ τῶν φερόντων, καλουμένῳ δ' * ἀκκιπησίῳ, id est: *Archestratus autem, qui eandem Sardanapalo vitam viuebat, de Galeo Rhodio loquens existimat eundem esse, qui apud Ro-*

pud Romanos cum tibijs & coronis in cœnam ferebatur, coronatis etiam ijs, qui eum ferebant dictum acipenserem. Appio vero Grammaticus in lib. de Apicij delitijs & luxuria, eum piscem ἔλοπα vocant Græci, Acipenserem Romanorum esse ait. Gellius lib.7.cap.16. ἔλοπα, unc. cibos lautos, opiparos & exquisitos memorat. Et Cic. in Fragm. de Fato. *Nam cum esset apud se ad Lauerinum Scipio, vnaq; Pontius, allatus est forte Scipioni Acipenser, qui admodum raro capitur. Sed est piscis, vt ferunt imprimis nobilis. Cum autem Scipio vnum & alterum ex ijs, qui eum salutatum venerant, inuitasset pluresq; etiam inuitaturus videretur, in aurem Pontius: Scipio inquit, vide quid agas, Acipenser iste paucorum hominum est* lege Macrobium lib.2. Sat.cap.12. Lambinum ad 2.Satyr. Horatij lib.2. Iunium voce Acipenser, Ouid halieut.

Tuque peregrinis Acipenser nobilis vndis.

Plinius lib.9.cap.17.Iul.Scal.Exercitat.218.cap.3. Oppianus 1.halieut.v.749.qui vocat Acipenserem χαλεὸν γλαῦκον, à quo dicit partum defendi à grandibus rictuque aperto recipi, donec terriculamentum abscesserit, tuncq; respuere ex gula; vide ad eundem locum Rittersehusium & Philæ Iambos. PALLATINAS] Principum in Palatio habitantium Romæ. AMBROS. DAP.] nobiles, diuinas, cælatibus dignas, immortales quasi Deorum. (RARA] raro enim capitur, vt supra Cicero ostendit, figuram & longitudinem Acipenserum habes apud Gesnerum expressam, describit eandem accurate Athenæus lib. 7.

Lepus.

LXXXVII. XCII

*Inter aues turdus (si * quis me iudice † certet)*
*Inter quadrupedes * gloria prima lepus.*

* quid. † certum. al. * mattya, id est, delitia, al. mattea.

A piscibus ad feras transit. Turdo ex auibus, lepori ex quadrupedibus Martialis in delitijs principatum tribuit; de Turdo iam supra hoc libro dictum. Leporem L. Ælius, Varrone teste, & Isidorus quasi leuipedem putauit dici, sed Varro de lingua latin. lib.4. græcum verbum & priscum desitu inque esse docet. Leporis naturam, vsum in medicinis, carnium bonitatem intelliges, ex Aristotele, Plinio, Dioscoride, Mathiolo, Gesnero, Oppiano. Nos supra lib.5.ep.30.ad Gelliam plenius. INTER QVADRVPEDES * GLORIA PRIMA LEPVS] aliqui legunt Mattya vel potius, mattea, non gloria, vtraque vox quadrat. Mattea cupedias, delitias, & quicquid exquisitissimum est, valet, gloria, principatum in Epulis. Mattea deriuatur à græco μάζα. Maza porro fiebat ex farina, oleo, & aqua: Suidas addit lac, vnde mox & mattea est. dictaque eo nomine pretiosa omnia edulia, vt scribit Athenæus lib.14. Tertullianus, & Iunius, &c. Leporinum sanguinem velut omnium suauissimum magno in pretio apud veteres habitum scribit Galen. lib. 3. de alim. facult. Atque vt sanguis, ita caro. hinc est, quod prouerbio dicitur, ἐν λαγῴοις ζῆν, quod de lautis & delicatis intelligebatur, qui in leporinis, id est, in delitijs viuerent. Apud Callimachum λαγωβόλα pro omni genere venationis, accipitur, κατ' ἐξοχὴν nempe. De opinione vulgi, ex leporina venustatem conciliari, antea dictum est, lib 5. ep. 30. sed aliter sentiunt nonnulli de carne leporina, illas in cibis esitatas, præter id, quod ægre concoquantur, generare crassum & atrabiliosum sanguinem. Lege Mathiolum lib. 2. Dioscoridem c. 18. lege & Mercurialis varias lectiones, & Brassicani prouerbia p. 1205. num. 6. Apud Lucianum & Athenæum in Græcorum delitijs etiam apponuntur turdi & lepores.

Galen. Rhod. lib. 9. cap. 12.

Vide paræmiographum.

Aper.

LXXXVIII. XCIII.

Qui Diomedæis metuendus setiger aruis
Ætola cecidit cuspide, talis erat.

Xenium lautum erat aper, quem confert cum apro Mænalio, qui Arcadiam & Thraciam vastauit, atque à Meleagro est interfectus, de quo libr. 1. egimus. DIOMEDÆIS ARVIS] Thracijs; nam Diomedes Tidei filius, Thraciæ Rex erat. ÆTOLA CVSPIDE] à Melagro vide libr. 1.

Damæ.

XCIV. LXXXIX.

Wilde Gaiß. Gembsin. κεμάδες.

Dente timetur aper, defendunt cornua taurum,
Imbelles Damæ quid nisi præda sumus.

Dama seu damula, inquit Isidorus, dicta quod de manu fugiat. Hic sortem suam queruntur, quod cum alijs feris arma sint data, ad vim defendendam, ipsæ canibus, & hominibus prædæ relinquantur. DENTE TIMETVR APER] de igneo apri dente mira refert Xenophon lib. de Venatione. Dentes ita accendi, cum agitatur, vt canes, cum medios secant, adurant, & mortui etiam apri dentes aliquandiu vim ardoris retineant. Idem Pollux ex Xenophonte docet. Ouid. 10. & 11. Met. atque alibi. *Fulmineo rapidos cum rotat ore canes.*

Martialis lib. 11. epig. 70.

Fulmineo spumantis apri sum dente perempta.

De cane lydia loquitur. Statius etiam, & Virgilius vocant fulmineos sues, Oppianus πυρόεντας κάπρους. Idem Oppianus lib. 3. Cyn. egregie, cum totum aprum, tum sigillatim dentes, his versibus describit, quæ & ipse ex Xenophonte creditur transcripsisse.

Ἔστι δέ τις κἀκεῖνο φάτις πέρι, λευκὸν ὀδόντα
Λάθριον ἐντὸς ἔχειν μαλερὴν πυρόεσσαν ἀϋτμήν·
Σῆμα δ᾽ ἐφημερίοισιν ἀριφραδὲς ἐρρίζωται.
Ὁππότε γὰρ πολὺς ὄχλος ἐπήτριμος ἀγρευτήρων
Σὺν κυσὶν ἐν πάλμοισι ποτὶ χθόνα θῆρα βάλωσιν
Αἰχμῇσιν δολιχῇσιν ἐπασσύτερον δαμάσαντες,
Δὴ τότ᾽ ἀπ᾽ αὐχένος εἴ τις ἀειράμενος τρίχα λεπτὴν,
Θηρὸς ἔτ᾽ ἀσθμαίνοντος ἐνιχρίμψειεν ὀδόντι
Αἶψα μάλα σφαιρηδὸν ἀνέδραμεν αἰθομένη θρίξ.
Καὶ δ᾽ αὐτοῖσι κύνεσσιν ἐπὶ πλευρῇσιν ἑκάτερθεν,
Ἔνθα συὸς γενύων πέλασαν αἴθωνες ὀδόντες
Ἴχνεα πυρσευθέντα διὰ ῥινοῖο τέτυκται.

Est vero quædam de apro fama in albo dente,
Occultam inesse ardidam & igneam vim.
Signum autem hominibus certum constat,
Quando enim magna turba & conferta venatorum
Cum canibus audacibus humi feram prostrauerint,
Hastis longis alternatim domitam,
Si tunc e ceruicibus aliquis sublatum pilum tenuem
Feræ adhuc anhelantis admoueat denti,
Illico valde in gyrum conuoluitur adustus pilus,
Atque etiam in ipsis canibus super latera vtrinque secus
Vbi apri malarum admoti sunt ardidi dentes,
Vestigia vstulata per pellem extensa sunt.

DEFENDVNT CORNVA TAVRVM.] Anacreon. εἰς γυναῖκας:

Φύσις κέρατα ταύροις	*Tauro ferire cornu,*
Ὁπλὰς δ᾽ ἔδωκεν ἵπποις	*Equo ferire calce*
Ποδωκίην λαγωοῖς	*Lepori valere cursu*
Λέουσι χάσμα ὀδόντων	*Natura dat leoni*
	Dentes, hiante rictu
Τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτὸν	*Pisces docet natare,*
Τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι	*Aues docet volare,*
Τοῖς ἀνδράσι φρόνημα, &c.	*Prudentiam viris dat, &c.*

IMBELLES DAMÆ QVID NISI PRÆDA SVMVS] valent tamen plurimum cursu, atque si inter agitandum tantum interualli habeant, vt vrinam facere possint, celeriores redduntur ad fugam. Oppianus lib 3. Cyneg. v. 440. &c. Imbelles etiam supra vocauit; nulla enim arma ad vitam tuendam habent præter pedes, in quibus omnis salus, vt & lepori. Seneca 4. de Ben. cap. 28. Sic loquuntur homines, quid sumus? præda animalium bellius; vilissimus ac facillimus sanguis.

Wilde Gaiß.

Oryx.

XC. CXV.

Matutinarum non vltima præda ferarum
*Sæuus Oryx, constat * qui mihi morte canum.*

* Malim legere, constat quot mihi morte canum? al. quod Crudelis spectaculo matutino ordinario, non semper.

Vide Merulam contra Domitium, qui hunc versum inerudite exponit, imo plane absurde. Venationes ante meridiem dabantur in amphitheatro, quibus homines cum feris congrediebantur. de hac re lib. spect. copiose disseruimus. Seneca epist. 7. lib. 1. *mane leonibus & vrsis homines, meridie spectatoribus suis obijciebantur.* ORYX] græca vox immanem feram significat, quam describit Oppianus lib. 2. Cyneg. v. 445 & seq. Plinius lib. 2. cap. 40. *Orygem appellat, Ægypti feram quam in exortu eius, id est, caniculæ stellæ contra stare, & contueri tradit, ac velut adorare cum sternuerit.* Idem Ælianus, & rursus Plinius lib. 2. c. 46. Aristoteles lib. 2. de hist. animalium, cap 1. Orygem vnicornem & bisulcum. Ælianus lib 14. cap. 14. quadricornem affirmat, regibus Indiæ adferri de vno cornu affirmat etiam Oppianus. Lege Horapollonis hieroglyph. 49. & notas Dauidis Heschelij ad eum locum. SÆVVS ORYX] sic Oppianus ἀγελαόφυμος ὄρυξ. De eiusdem indomito furore idem Oppianus lib. 2. Cyn. CONSTAT QVOT MIHI MORTE CANVM?] si legas (quod) sequentia verba caussam epitheti notabunt, sæuus quia occidit canes: malim tamen, quot, in quo maior energia, & Oppianus scribit Orygem prorsus contemnere canes, immo quamuis feram, sed κυνεροῖς θήρεσσι μάλιστα. omnibus feris infestam: si legas ergo (quot) sensus est ἐνεργητικώτερος, vt capiam aut occidam orygem, opus erit prope innumeris canibus, ex quibus magnam partem occidit.

Ceruus.

XCI. XCVI.

Hic erat ille tuo domitus, Cyparisse, capistro,
An magis iste tuus, Siluia, ceruus erat?

Ceruus sacer Nymphis erat magnitudine corporis ingens & forma pulcherrimus, qui cicuratus à Cyparisso adolescente patiebatur se tractari, frænari, & pro arbitratu pueri regi, quem cum Cyparissus per imprudentiam iaculo interfecit, quo errore dolens mori puer constituit, quem Apollo in Cyparissum arborem conuertit, ad hanc primum fabulam respicit, quam Ouid. libr. 10. Met. exponit. deinde ad ceruum Tyrrhidæ pueri, & sororis eius Siluiæ, æque mansuetum. quem Virgil. 7. Æn eleganti ssime depingit. Mira feruntur de ceruo Alexandri, M. Sertorij, S. Eustathij, S. Ægidij. HIC ERAT ILLE TVO DOMITVS, CYPARISSE, CAPISTRO] Martialis ceruum hunc Xenij loco missum, similem illi fuisse dicit, quem Ouid. his versibus describit.

Ingens ceruus erat, lateque patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus vmbras,
Cornua fulgebant auro, demissaque, &c.

CAPISTRO] Ouid.

Nunc eques in tergo residens huc lætus & illuc
Mollia purpureis frænabas ora capistris.

Capistrum à capite Iumentorum dictum, Isid. lib. 20. cap. 16. græce χειλοτήρ, quod labra seruet, & περιστόμιον. AN MAGIS ISTE TVVS, SILVIA, CERRVVS ERAT] Hic Ceruus apud Virgilium 7. Æneid. caussa malorum, seu belli fuisse dicitur, cum ab Iulo agitaretur,

Vt ceruum ardentes agerent: quæ prima malorum
Caussa fuit, belloque animos accendit agrestes,
Ceruus erat forma præstanti & cornibus ingens
Tyrrhidæ pueri. &c.

SILVIA] soror Tyrrhidæ Tyrrhi filia. Virgil.

Assuetum imperijs soror omni Siluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis, &c.

Vide interpret. Virgil.

Lali-

Lalisio.

XCVII. XCII.

Ein junger wilder Esel.

Dum tener est onager, solaque Lalisio matre
Pascitur, hoc infans sed breue nomen habet.

Onagri pullus Lalisio vocatur Plin. lib 8. cap. 44. *Onagri in Phrygia & Lycaonia præcipui.* (Strabonem vide & Aristotelem) *Pullis eorum ceu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos Lalisiones appellant.* DVM TENER EST ONAGER] periphrasis Lalisionis, quem & infantem postea vocat. Lalisio vox est Punica. Amant Pœni finire nomen litera o, vt Hanno, Mago, Gisco, Gildo, Namphanio. SOLAQVE LALISIO MATRE PASCITVR] dum lactens est onager, vocatur Lalisio; hoc enim significant verba, sola matre, id est, solo lacte matris, non, vt Isidorus, præsente sola matre, sine comitatu aliorum onagrorum. HOC INFANS SED BREVE NOMEN HABET] hoc nomen Lalisionis, onager, dum est infans & lactens tantum, habet. simulac à lacte depellitur, onager, non Lalisio appellatur. Non est breue nomen si spectes syllabas, sed tempus breue est quo fert hoc nomen.

Caprea.

C. XCIII.

Reh oder Rehbock.

Pendentem summa Capream de rupe videbis,
*Casuram speres, * decipit illa canes.*

* despicit.

Dumosa pendere procul de rupe videbo.

Caprea, dum agitatur à canibus, rupes ascendit canibus inuias; canes infra casum feræ exspectabundi falluntur. nam casuræ similis iam iamque cadenti cadit nunquam; de pendentibus à rupe capellis supra lib. 1. egimus ex Virg. & alijs.

Dorcas.

XCIX. XCIV.

Deinlin. *Hoc desideratur in Domitio Calderino.*

Delitium paruo donabis Dorcada nato,
Iactatis solet hanc mittere turba togis.

Non est eadem Dama & Dorcas; Dorcas accedit magis ad naturam cerui, quamuis inter siluestres capras numeretur, à græca voce δέρκω, video; valent enim oculis, teste Plinio, vt qui plurimum: permiscentur tamen subinde verba.

Dorcades admodum familiares fiunt, cum aliquandiu inter homines fuêre, ita vt se tractari à pueris sinant, & è manu illorum cibum capiant; quod in Germania, quia frequentes sunt, vsitatum est & nemini ignotum. eas Dorcadas delicias fecisse prætextatis & ingenuis probat Martialis. IACTATIS SOLET HANC MITTERE TVRBA TOGIS] Duo plane sensa continentur hoc epigrammate. Primum in Heroico, alterum in Pentametro. In heroico docet bestiolas Dorcades donari solitas pueris, quibuscum luderent. In altero in caueam seu arenam missas, dato signo à populo, quod fiebat toga iactata. A me stat Turnebius lib. 25. cap. 28. sic enim ille: *Suspicor huius distichi (mallem monostichi tantum seu Pentametri) sententiam esse, Dorcadem in arenam mitti, dato à Quiritibus signo, vestis iactata sinu, vt & ab Ouidio scribitur:*

Fauimus ignauo, sed eum reuocate Quirites
Et date iactatis vndique signa toga.

Iactabantur togæ vel vt lætitiæ signum. Mamertinus in Paneg. Iuliano dicto. *Illa iactatio togarum, illa exultatio corporum.* Vel indignationis caussa. Actor. Apostol. cap. 22. vel in studijs Circensibus, vt hic Martialis & Ouidius testatur. Turba igitur plebs & populus Romanus est, vniuersus in theatro vel amphiteatro collectus in spectaculo. Non reor iactatas togis vt libros de quibus supra. Sunt qui dicant in cauea liberatas à canibus per populum iactatis togis.

Ona-

Onager.

XCV. CI.

Pulcher adest onager, mitti venatio debet
** Dentis Erythræi: iam remouete sinus.*

* Gentis Erythrææ.

PVLCHER ADEST ONAGER] sic Oppianus lib. 3. Cyneg.

Ἑξείης ἐνέπωμεν ἐΰσφυρον ἠερόεντα
Κραιπνὸν ἀελλοπόδην κρατερώνυχον αἰπὺν ὄναγρον
Ὅστε πέλει φαιδρὸς δέμας ἄρκιος εὐρὺς ἰδέσθαι
Ἀχύμιος χροιὴν δολιχούατος, &c.

Et plura ibidem lib. 3. Cyneg. MITTI VENATIO DEBET DENTIS ERYTHRÆI] Dentis Erythræi, aliter gentis Erithreæ. sensus; missus est onager in arenam, dimittantur elephanti, spectemus venationem onagri, vel, mitti, immitti debent elephanti cum onagris congressuri. DENTIS ERYTHRÆI] elephanti vel Indici vel Æthyopici; pars pro toto *συνεκδοχικῶς*: aut gentis Erythrææ) quæ mari Erythræo adsita, vbi elephantorum copia; nam elephanti ab elephantarchis in pugnam cogebantur. Plinius lib. 8. cap. 7. *Pompei quoq; altero consulatu dedicatione templi Veneris Victricis, pugnauere in circo viginti, aut, vt quidã tradunt, 28. Getulis ex aduerso iaculantibus, mirabili vnius dimicatione, qui pedibus confossis repsit genibus in cateruas arrepta scuta iaciens in sublime, quæ decidentia voluptati spectantibus erant in orbem circumacta, velut arte, non furore beluæ iacerentur.* Plura ibidem. Ex quo loco intelligis, sicut Getulos, ita Erythræos contra Elephantes pugnasse, & hinc Martialem dixisse, venationem Gentis Erythrææ mittendam, seu missam faciendam, vt onagri venatio multo gratior spectetur. IAM REMOVETE SINVS] retia, inquit Domitius, quibus non indigemus ad venationem onagri, quasi dicat ad Elephantorum venationem venatoribus opus fuisse retibus, quod hic non disputo, sed fortean rectius de retibus podio contra Elephantos obtentis intelligatur. Nam in Venatione Pompeiana acciderat, vt vna tentarent Elephanti eruptionem, vexarentque populum, quod ne fieret, Cæsar quidem Euripis, vt docet Plinius lib. 8. cap. 7. arenam circumdedit, quos Nero sustulit. Ad casus igitur eiusmodi inopinatos etiam retia valida, nodosa in orbem vndique podium cingebant. Quæ Plinius intelligit lib. 37. De Neronis locutus munere; *Tanta*, inquit, *copia succini inuenta, vt retia arcendis feris podium protegentia succino nodarentur.* Et Calpurinus, qui retia illa in Carini venatione torquet ex auro,

Lipsium in Amphit. 19.

——auro quoque tanta refulgent
Retia, quæ totis in arenam dentibus extant.

Hæc igitur retia, hos sinus insinuat hic Martialis remouendos, quod non æque periculosa sit venatio onagrorum, ac Elephantorum erat, non quod ipsi Elephanti retibus sint irretiti, contra quos Venatores velut in acie stabant, & pugnabant. Lege Plin. lib. 8. cap. 7. nonnunquam autem adhibita in venatione ferarum retia nunquam ego negarim.

Oleum Venafranum.

XCVI. XCVIII.

Hoc tibi Campani sudauit bacca Venafri
*Unguentum; quoties sumis, & istud * oles.*

* al. olet.

Olei varia sunt genera Martialis illud laudat, quod etiam apud Plinium lib. 15. cap. 2. principatum obtinet. Sic enim Plinius: *Principatum in hoc quoq; bono obtinuit Italia toto orbe, maxime agro Venafrano, eiusq; parte, qua Licinianum sudat oleum, vnde & Licinia præcipua gloria oliuæ.* Idem, Varro lib. 1. de re rustica laudat: & Strabo lib. 5. Horat. Carm. lib. 2. Ode 6.

——vbi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro.

Idem serm. lib. 2. Sat. 4.

——insuper addes
Pressa Venafranæ quod bacca remisit oliuæ.

Et Sat. 8.

His mistum ius est oleo, quod prima Venafri
Pressit cella.——

Casinum bonitate vel par, vel præstantius erat Venafrano, vt scribit Cato c. 156 Rei rust. Alexander Neap. lib. 5. cap. 21. Venafrum autem, vt Geographi Antoninus Plinius, Ptolemæus, tradunt, Hirpinorum ciuitas est, sed ager Venafranus videtur in Campania esse, in quo oleæ liquor nobilis-

nobilissimus à Plinio nasci scribitur, Iuuenalis Sat. 5. *Ipse Venafrano piscem perfudit.* BACCA] poma oliuæ, fœtus olææ. SVDAVIT] per sudorem emisit, inquit Domitius, non expressit ad fecem, sed non video, cur non potuerit exprimi, imo cur nō sit expressum. nam sudauit more poëtico dicitur, seu vi seu natura. VNGVENTVM QVOTIES SVMIS ET ISTVD OLES] Plinius loco dicto; *Vnguenta hanc palmam dedêre, accomodato ipsis odore. dedit & palatum delicatiore sententia.* Domitius exponit (*sumis*) id est, olfacis; causam nullam docet. Iudico proprie capiendum verbum sumpsis, pro vteris vnguento ad caput seu corpus imbuendum. ISTVD OLES] oleum Venafranum ita redolet vnguenta, ac si ipsum oleum esset, non vnguentum, cui tamen vnguento oleum admixtum odorem reddit. Oles malim, quam olet. si olet leues, dices, oleum olet ipsum vnguentum. odorem vnguenti fundit.

Quia & vnguenta basi seruit vt supra docui.

Garum *Scombrorum.

CII. XCVII.

** Al. sociorum, emendatius.*

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
*Accipe * fastosum munera rara Garum.*

** Faecosum.*

Fastosum legit Scaliger etiam ad Auson. lib. 2. cap. 28. Muria enim pauperum, garum diuitum munus erat. SCOMBRI] ex scombro, gari liquor laudatissimus fuit, idem dictus est sociorum liquor, vt Plinius lib. 9. & Ausonius in epistola ad Paullinum scribunt. epist. 95. Seneca vocat sociorum garum preciosam malorum piscium saniem, quæ salsa tabe vrat præcordia, ad quem locum vide Gruteri animaduersiones. Plinius lib. 31. clarius hoc garum describit his verbis: *Aliud etiam nunc liquoris exquisiti genus, quod Garum vocauere, intestinis piscium cæteris quæ abijcienda essent sale maceratis, vt sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci Garon vocant. Nunc è scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetarijs: Sociorum id appellatur, singulis millibus nummum permutantibus congios pene binos. nec liquor vllus pene, præter vnguenta maiore in precio esse cœpit, nobilitatis etiam gentibus.* Multa discis ex verbis Plinij, primum vnde liquor hic, ex quo genere piscis. deinde quanti fuerit. nempe sex mensuræ nostrates quinis, supra vicenos, philippicis. tertio quare sociorum dictum sit. Garum, non à foro Iuliensibus, vt Domitius errat, cum ibi è lupo, non scombro garum sit confectum, sed Sociorum accipe Hispanorum, Carthaginensium nempe Spartariorum. Est enim in Hispania Tarraconensi noua Carthago, Contestanorum maritima vrbs, quam Appianus, Plinius, Antoninus Carthaginem Spartariam seu σπαρταρίαν cognominant, diligēter Polybio lib. 10. descriptam. Quod vero Hispani socij essent P.R. nemo nescit, quos à garo nobilitatos ait Plinius. Recte igitur Poëta supra garum vocauit Hesperium liquorem. ad occidentem enim est Hispania. scombros autem Mauritania, Bætica, Carteia ex Oceano intrantes capiunt. De garo salsamento etiam Athen. lib. 2. ex Cratino & Æschylo. & lib. 9. de Ponticorum oxygaro. ex aceto & garo mixto. *Garum*, inquit, Isid. lib. 20 *est liquor, qui olim conficiebatur ex pisce quem Græci γάρον vocabant. Et quamuis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum retinet. à quo initium sumpsit.* Martialis supra,

Ep. 40. supra.

Hesperius scombri temperet ora liquor.

Garum enim ex scombro seu lacerto saxetano, Macarell, vt Germani vocant hunc piscem, factum erat præstantissimum.

EXPIRANTIS ADHVC] docet, quod genus gari optimum sit, confectum nempe è sanguine scombri palpitantis in cæde. Audiatur Iunius lib. 6. Anim. cap. 7. *Garum tantopere prisco seculo nobilitatum, constat saniem fuisse cruentam ex intestinis piscium, præcipue Scombrorum, quos macquarellos recentior ætas nominat, eliquatam, quod à salsamenti condistaneo iure πελαγηρόν epitheto dixit in Triptolemo Pabula Pherecrates Comicus. Laudatissimum autem maximiq; pretij fuit, quod garum Sociorum vocitabant, superbo admodum titulo*: Gari porro genera fuere complura, hydrogarum, œnogarum, elæogarum, garelæum, oxygarum. legendus Donatus Marcellus & Casaubonus ad Lampridium. FOECOSVM] Domitius, *nam qui multam*, inquit, *habebat fæcem, commendabatur, & garum nihil aliud est, quam fex, liquore denso: fastorum*, ait idem Domitius, *lege* i. lautorum. Sed Iunius legit fastosum, non fastorum. atque ex vetustissimo, eoque emendatissimo M. S. *Qui potuit*, inquit, *commendare garum fæcosum rarissimi muneris nomine, cum illud, quod fæculentum, aut fæcis instar, in cophino delituerit, halecis nomine nuncupatum fuerit. Ac ne quis fastosum respuat ecclipticè pro fastuoso, velut alienum à poëticis numeris, exemplum ex Lucani ad L. Calpurnium, Pisonem, opusculo depromptum audiat.*

Raraque non humilem calcat fastosa clientem.

De alece liquamine ipse Domitius testatur sequenti versu fuisse ex fœce tantum factum. Garum laudat Manilius lib. 5. vt Seneca,

Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris
*Euomit, & misto gustum sale temperat * oris.*

** oris. Martial. sup. Hesperius scombri temperet ora liquor.*

De eod. Diosc. lib. 2. cap. 31. Strabo lib. 3.

Muria.

Muria.

XCVIII. CIII.

Antipolitani fateor sum filia thinni:
Essem si Scombri, non tibi missa forem.

Proprie Muria dicitur (teste Isidoro lib. 20. cap. 3.) aqua sale commixta, affectaque gustu in modum maris. Quo vero pacto Muria hæc sale commixta fiat, leges apud Columellam lib. 12. cap. 7. & cap. 25. *Deinde salsugo piscium. Pisces enim in liquamine seu salsamento soluti humorem liquant, quem salsuginem seu muriam appellant.* De qua Muria hoc loco Martialis. Muriam enim viliorum & pauperum donum ex thinno pisce faciebant, nobiliorem è scombro, vti supra dictum, vilissimam, quam alec vocabant, ex fœce colata. Nam tria liquaminum erant genera, primum quod è Scombro garum appellabant. alterum ex thynno pisce factum, quod Muriam, tertium quod ex quouis minutiore, halece nempe, vt Isidoro placet, deterrimum, idque alec dicebant. Horatius de extremo sat. 4. serm. 2.

—ego fæcem primus & alec Inueni,

De eodem Plautus in Aul.

Qui mihi olera cruda ponunt & alec danunt.

ANTIPOLITANI THYNNI] Antipolis Romæ locus, vbi postea Ianiculum: & ciuitas prouinciæ Narbonensis. Plinius lib. 3. cap. 9. Vnde laudatissimum thynnum adferri scribit Gellius, muriamque eam laudat Plinius 31. cap. 9. Antipolin Asiæ oppidum dicit Domitius, vnde adferebantur thynni Antipolitani. THYNNI] præcipua huius magnitudo: nam latitudo duorum cubitorum, & palmi valebat 15. talenta.* Alexandro M. vt Plinius tradit, agminatim occurrêre, vt instructa classe dissipandi fuerint, Nascuntur etiam in amnibus Nilo, Rheno, Pado: longissima vita, est biennium. plenil uniis pinguescunt. Verno tempore capiuntur in sinu Bizantino, hiberno in ponto latent. lege Platinam Crem. Oppianum lib. 2. haleut. & Aristotelem lib. 8. hist. animalium Athenæum lib. 7. FILIA] nata nempe ex sanguine Thinni. Muria. Ex eodem enim Thinno fit salsamendum, quod Thinninum appellant, in aque tepida horas sex hæc innatet oportet, si purgatam velis. plura apud Plat.

* 9. millia Philippicorum.

ESSEM SI SCOMBRI NON TIBI MISSA FOREM] pauperi, sed diuiti; garum est diuitum, quod fit è Scombro.

Mel Atticum.

IC. CIV.

Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti
Pallados è siluis nobile nectar apis.

POPVLATRIX] periphrasis apis, quæ & mellilegæ puellæ dicuntur, quarum regnum, & politiam Virgilius 4. Georg. describit. Attica mella reliquis anteferri constat ex Plinio, & poetis omnibus. HOC TIBI THESEI] Theseus Rex Atheniensium. HYMETTI] hymettus mons Atticæ. PALLADOS] Pallas enim præses Atticæ. NOBILE NECTAR] periphrasis mellis. Plinius diuinum nectar. Virgilius cœleste donum appellauit.

Faui Siculi.

C. CV.

*Cùm dederis Siculos * mediis de collibus Hyblæ.*
Cecropios dicas tu licet esse fauos.

* medio.

Melli Siculo dat secundas. Nam Hybla mons est Siciliæ, & oppidum ab Hyblone Rege CECROPIOS] Atticos: confert mel Siculum cum Attico. Cecrops, Atheniensium Princeps

Passum.

CVI. CI.

Gnosia Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

Passum vt docet Nonius cap. 4. dicitur, quod ex vua passa cogitur. Virgil. lib. 2. Georg. *Et passo Psythia vtilior.* Et cap. 17. *Passum nominabant. si in vindemia vuam diutius coctam legerent, eamq; in sole aduri passi essent.* Ibid. lib. 20. cap. 3. *Passum, quicquid ex vua passa compressum effluxerit, dicitur autem passum, à patiendo, nam percutitur vua sucior, & decoquitur, & inde fit passum.* Et Plinius: *Quin & à Patientia nomen acinis datur passis.* lib. 14. cap. 1. sed notant alij Plinium, & a pandendo passum non à patientia deducunt. passas enim vuas dici volunt quod ad solem expandantur. legatur Dalechamp. ad Plin. sed quo pacto passum fiat, docet Columella l. 12. c. 39. & Palladius Octob. tit. 19.

Liquor dulcis ex passo.

GNOSIA MINOÆ CRETÆ VINDEMIA] Creta Gnosia vocatur à Gnossa vrbe Cretæ, & regia Minois. De hac vindemia Plinius lib. 14. cap. 9. *Passum à Cretico, Cilicium probatur, & Africum, & in Italia prouinciisq; finitimis. Fieri certum est ex vua, Græci sticam vocant, nos apianam. Item scirpula, diutius in vite sole adustis, aut feruente oleo. Quidam è quacunq; dulci, dum præcocta alba faciunt, siccantes sole, donec paullo amplius dimidium ponderis supersit, tusasq; leniter exprimunt. Deinde quantum expressere adiiciunt, vinaceis aqua puteana, vt & secundarium passum faciant.* Plura de pluribus passis ibidem.

HOC TIBI QVOD MVLSVM PAVPERIS ESSE SOLET] Passum vilius est (præsertim secundarium) mulso: mulsum enim ex melle & falerno fiebat, aut alio nobili vino. passum ex vuis quidem, nec tam præstantibus, aqua semper in secundario affusa. Hoc ergo tibi genuit vindemia Cretæ seu expressit liquoris, quod pauperibus mulsum est, non item diuitibus.

Picatum vinum.

CVII. CII.

Hæc de vitifera venisse picata Vienna
Ne dubites, misit Romulus ipse mihi.

Picatum vinum duplex est, alterum arte factum, ex resinæ fluxu, alterum, quod sponte naturæ suæ picem resipit, quod, illo facto, melius est, & hoc propriè Picatum appellatur, vt me docet Plinius lib. 23. cap. 1.

Viennam Allobrogum intellige.

HÆC DE VITIFERA VIENNA] Dubitas, an hoc vinum picatum sit Viennense, quod resipiat picem? ne dubita, est Viennense, hoc enim verba docent. De Viennensi vua Plinius lib. 14. cap. 1. *Iam inuenta vitis per se in vino picem resipiens, Viennensem agrum nobilitans, Aruerno, Sequanoq; & Heluico generibus non pridem illustratur. Atq; hæc Virgilij ætate incognita, à cuius obitu nonaginta aguntur anni.* Viennam hic Galliarum, non Germaniæ intellige.

MISIT ROMVLVS IPSE] si Vienna Allobrogum ex Narbonensi prouincia sunt allata, hæc picata, vt ex Plinio doctum, quomodo Romulus ipse misit? An idem in Italia postea natum? Hoc Domitius affirmat, sed absque tabulis, nihil enim de hac re Plinius, qui Allobrogicum & Viennense appellat. Quomodo ergo misit Romulus? quia apud Romanos hoc genus vini in summo precio fuit. Plutarchus lib. 5. Symp. quæst. 3. ἐκ δὲ τῆς περὶ Βίενναν Γαλατίας ὁ πισσίτης οἶνος κατακομίζεται, διαφερόμενος ὑπὸ τῶν ῥωμαίων. *Ex Vienna Galliarum fertur picatum vinum, immenso precio Romanis æstimatum*, vt Romulo dignum munus videri possit. Laudat idem Celsus lib. 4. c. 5. vbi de stomachi morbis agit, *potui aptissimum est vinum*, &c. Rheticum vel Allobrogicum, aliudue quod & austerum & resina conditum est. Miror recentiores Oenographos in suis immanibus libris nihil de eo nobili vino affudisse aut saltem aspersisse suis libris. ROMVLVS IPSE] An Romulus hic ambigue accipiendus pro Romulo vrbis conditore, & cognomine aliquo poetæ amico, qui ex Gallia transmisit munus suo vati?

Mulsum.

CIII. CVIII.

Attica nectareum turbatis mella Falernum:
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Mulsum à mulcendo dicitur, quasi melle permulsum, est potio ex melle & vino confecta, vt cum Martiale, Plinius lib.22.cap.24. his verbis docet: *Semper mulsum ex vetere vino vtilissimum, facillimeq; cum vino concorporatur, quod in dulci nunquam euenit.* De eius vsu& vtilitate ibi plura.

ATTICA MELLA TVRBATIS NECTAREVM FALERNVM] alloquitur ipsa mella, à quibus Falernum turbari, id est, misceri dicit, simulque docet, quid sit mulsum, & vnde fiat, ex melle nempe & vino. optimum mulsum erit, si Attica mella temperabunt Falernum, hoc est, optima mella optimum vinum.

MISCERI DECET HOC A GANYMEDE MERVM] dignum est, inquit, mulsum, quod à Ioue bibatur; tam dulce & gratum est; diuitum erat potio, vt Martialis supra ostendit, cum dixit,

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere diues.

Et paullo ante de passo, *——quod mulsum pauperis esse solet.*

Eiusdem mulsi frequens mentio est apud Cic. 2. de Finib. & 2. de Orat. lepidum dictum Granij, qui patrono seu Oratori inepto suadebat, vt simulac domum rediisset, mulsum frigidum biberet. *Perdam*, inquit, *vocem, si id fecero. Melius est*, inquit, *quam reum.* A mulsi dulcitudine sunt illa Plautina. *Mulsa loqueris, mea mulsa*, id est, mea suauitas, *mulsa dicta*, id est, dulcia & blanditia dicta. De eodem mulso ex melle, & Falerno vini commodante ieiuno stomacho. Horatius lib.2.serm.sat.4.

Asperat enim frigidū & calidum. liquidam & puram reddit vocem.

Aufidius forti miscebat mella Falerno,
Mendose: quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet: leni pracordia mulso
Prolueris melius——

Athenæus duo genera Falerni facit, alterum austerum, dulce alterum. Austerum melle lenire, & mitigare solebant veteres, ex eoque mulsum conficere. nec tamen ita potuit misceri, quin aliquid austeritatis remaneret. Vide Lambinum ad Horat. & Iuuen. sat.13.

——densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.

Albanum.

CIV. CIX.

Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis
Misit, Iuleo quæ sibi monte placet.

Optima vini genera enumerat, quæ Xeniorum vice donabant, inter quæ mulsum quasi præfationem & procemium posuit, quod in *antecœnio ponebatur ad vacuum stomachum recreandum. Albanum Plinius in tertio genere ponit, quod & dulce sit, & in Albano agro nascitur. de quo sic Athenæus lib.1. γίνεται καὶ περὶ τὴν ναυταρίας κώμην ὁ Ἀλβανός, πότιμος, κοῦφος ἀπὸ ἐτῶν πέντε. *Nascitur & in agro Campania Cumano vinum Albanum quod appellatur, ad potionis vsum accommodatum, & leue ab annis quinq;.* Plinius lib.23.cap.1. *Albana neruis vtiliora & virium plus Surrentino, austeritas Albano, &c.* Et lib.14.cap.2.&.cap.6. *Ad tertiam palmam varie venere, Albana Vrbi vicina predulcia rara in austero. Eugeniam* (sub. vitem) *Tauromintanis colles cum generositatis cognomine* (id est, Eugenia) *misere Albano tantum agro, quoniam translata statim mutatur.* id laudat Horat. lib. serm.2.sat.8.

*Petronij Trimalcionem lege.

Cæcuba vina ferens: Alcon Chium maris expers
Hic herus Albanum Mæcenas, siue Falernum.

Et Iuuenalis sat.13.
——sed vina Rufellus
Exputt: Albani veteris pretiosa senectus
Displicet, ostendas melius- - -

Et lib.4. Carm od.2.
Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus- - -

DE CÆSAREIS CELLIS] Albanus mons & ager, secessus erat Principum, vt supra ex Suetonio docuimus. De cellis vinariis lege Plinium lib.14.cap.21. Dedit poeta huic primas propter Domitianum Cæsarem, qui frequens in Albano erat.

VINDEMIA] causa pro effectu, vindemia expuit vinum. MITIS] quia Albanum vinum non acre, sed prædulce, vt Platina docet.

Liuius lib. 1. & alij.

IVLEO] ab Iulo Æneæ filio, qui Albam condidit, vocat montem Iulæum. Vindemia, quæ sibi placet ob montem Iulæum Cæsarum, illa vinum mite misit Albanum dictum.

Surrentinum.

CX. CV.

Surrentina bibis, nec myrrina picta, nec aurum
Sume, dabunt calices hæc tibi vina suos.

Surrentum Picentinorum vrbs est iuxta mare Thyrrenum. Strabo, Ptolemæus, &c. Hinc vinum Surrentinum. De Surrentino Plin. l. 14. c. 6. *Item Surrentina* (ad tertiam palmam venêre) *in vineis tantum nascentia, conualescentibus maxime probata, propter tenuitatem, salubritatemque. Tiberius Cæsar dicebat consensisse medicos, vt nobilitatem Surrentino darent, alioqui generosum esse acetum. C. Cæsar, qui successit illi, nobilem Vappam.* Athenæus l. b. 1. cap. 24. *Surrentinum XXV. a* [illegible] *incipit esse potui, quia est pingue & valde debile, ac vix digeritur, atque inueterascens solum fere est idoneum illis continuo vtentibus.*

NEC MYRRHINA PICTA] pocula intellige myrrhina vel aurea. Nam vinum surrentinum surrentinis vasis bibendum: sunt enim & illa quamuis fictilia, non tamen ignobilia. De Myrrhinis seu Murrhinis lib. 14. ep. 113. Ibidem de calicibus surrentinis 108. epig.

Muscateller.

Falernum.

CXI. CVI.

De Sinuessanis venerunt Maßica prælis,
Condita quo, quæris, consule? nullus erat.

Oppidum Sinuessa extremum in adiecto Latio, quod quidam Sinopen dixêre vocitatum. Plin. lib. 3. c. 5. *Secunda nobilitas Falerno agro erat.* Idem lib. 14. cap. 6.

MASSICA] Plinius eodem loco videtur Massica distinguere à Falernis. FALERNVM] de hoc Athen. l. 1. c. 24. ὁ Φαλερῖνος οἶνος ἀπὸ ἐτῶν δέκα, &c. *Falernum ab annis decem est potui aptum, & à 15. vsque ad 20. Quod autem spacium hoc pertransierit graue est capiti, & neruos accendit: species ipsius duæ sunt, austerum & dulce, &c.*] Dicuntur Falerna à Falerno agro Campaniæ, vel Falerno agricola, qui primus coluisse: falernam vitem traditur à Sillo. Optimum vini genus. Platina. Falernum laudauêre omnes, maxime vero Maro omnium continentissimus, sæpius Martialis supra.

DE SINVESSANIS VENERVNT MASSICA PRÆLIS] Sinuessa prius Sinope, auctoribus Liuio & Plinio dicta, Campaniæ maritima vrbs est: vnde Sinuessanum vinum, & Sinuessanæ aquæ, virorum abolentes insaniam, vt non plane inanis videatur fabula, quæ circumfertur apud Germanos de insanis fonte tingendis.

SINVESSANIS PRÆLIS] Sinuessæ enim Maßica seu Falerna coquebantur. Maßicos Montes à Falernis. Plinius lib. 3 cap. 5. distinguit, quos tamen ait esse vicinos. *Hinc Setini & Cæcubi, inquit, obtenduntur agri. His iunguntur Falerni, Calem. Dein consurgunt Maßici, Caurani, Surrentinique montes.* Nihil tamen prohibet idem genus Falernum & Maßicum fuisse.

CONDITA QVO QVÆRIS CONSVLE? NVLLVS ERAT] Ætatem Falerni laudat, quem statu consulari maiorem, seu antiquiorem [illegible] affirmat.

* L. Opimius Consul ab V. C. DCXXXIV. * L. Anitius DXCIII. De Opimiano tractat Plin. vbertim l. 14. cap. 14.

NVLLVS ERAT] vinum hoc conditum est cum adhuc Reges imperarent. Plinius vetustissimum vinum ducentorum annorum non amplius ab Opimio Consule prodit lib. 14. cap. 4. quando scribit. *Anno fuit omnium generum bonitas. L. Opimio Consule cum C. Gracchus Trib. plebem seditionibus agitans, interemptus, ea cœli temperies fulsit, quam cocturam vocant, solis opere. Natali Vrbis D.C.XXXIV. durantque adhuc vina ducentis fere annis, iam in speciem redacta mellis asperi. Et enim hæc natura vinis in vetustate est: nec potari per se queunt si non peruincat aqua, vsque in amaritudinem carie indomita.* De Falerni vetustate Cic. in Bruto, Vt si quis, inquit, *Falerno vino delectetur, sed eo nec ita nouo, vt proximis Coss. natum velit, nec rursus ita veteri, vt Opimium † aut Anitium * Coss. quærat. Atque hæ notæ sunt optimæ credo, sed nimia vetustas, nec habet eam, quam quærimus, suauitatem, nec est iam sane tolerabilis.* Hinc Iuuenalis Falernum vocauit *indomitum*, quod vix etiam plurima aqua affusa temperari possit ad potionem. Contraria vini genera sunt apud Galenum ὀλιγοφόρα, quæ parum aquæ patiuntur, subito enim aquescunt propter tenuitatem, supra Horat. passim de Falerno. Plinius lib. 23 cap. 1. *Falernum nec in nouitate, nec in nimia vetustate corpori salubre est. media eius ætas à decimo quinto anno incipit, &c.*

Sci-

Setinum.

CVII. CXII.

*Pendula * Pontinos quæ ſpectat Setia campos,*
Exigua vetulos miſit ab vrbe cados.

* Pomptinos.

Setina Campaniæ oppidum eſt, vnde Setini & vinum ſetinum. Plinius lib. 3. cap. 5. & libro 23. cap. 1. *Cæcuba iam non gignuntur: at quæ ſuperſunt Setian, cibos concoqui cogunt.*

PENDVLA SETIA] in edito ſitam loco docet; nec magna erat & ampla ciuitas, vt ſequens verſus oſtendit, *exigua ab vrbe.* Pontinos ſeu Pomtinos, campos, palude, pontinas dicit, quas Cæſar conatus eſt ſiccare, de quibus ſupra lib. 2. retulimus ex Plauto. De Setino Athenæus lib. 1. c. 24. ὁ δὲ Σητῖνος τῶν πρώτων ἐστὶν οἶνων, ἐμφερὴς τῷ Φαλέρνῳ ὁ πλακτικὸς Setinum prioribꝰ ſimile, Falerno lenius, nec capiti nocet. *Diuus Auguſtus Setinum prætulit cunctis, & ferè ſeculi Principes confeſſa propter experimenta non temere, cruditatibus noxiis ab ea ſaliua, naſcitur ſupra forum Appij.* Plinius lib. 14. cap. 6.

Fundanum.

CVIII. CXIII.

Hæc Fundana tulit fœlix autumnus Opimi,
*Expreſſit * mulſum conſul, & ipſe bibit.*

* muſtum redimo.

Fundanum; inquit Athenæus lib. 1. cap. 24. *robuſtum eſt, & multum nutrit, caputq́; & ſtomachum pertentat, quare non multum bibitur in ſympoſiis.* Plinius Setino, Pucino, & Statano primas dat, ſecundas Falerno, Fauſtiano, Gaurano ſeu Maſſico, quæ tria ſunt genera Falerni; tertias Albano, Surrētino, Fundano & Caleno, quæ poſtrema prioribus nobiliora duobus. Quartas ex Plinio meretur Mamertinum, Potulanum, Taurominitanum, &c. Fundana in vineis arbuſtiſque naſcuntur.

Lib. 14. c. 6.

HÆC FVNDANA] vina. AVTVMNVS FOELIX] Opimio Conſule, ea cœli temperies fulſit, quam tocturam vocant. hoc eſt, qua optima & generoſiſſima vina fæliciſſimè proueniebant. eam tempeſtatem Martialis fælicem autumnum nominat. Fundana autem à Fundis oppido Campaniæ dicuntur. OPIMI] Conſulis. Omnia tunc genita vnum habent Conſulis huius nomen. Plinius lib. 14. hinc omnia vina tunc dicebantur Opimiana. Cicero vini Aniriani mentionem facit, vt ſuprà diximus.

De Opimio Cos. Plinius l. 14 cap. 14. Multa de hoc Opimio Velleius l. 2.

EXPRESSIT MVLSVM CONSVL, ET IPSE BIBIT] Expreſſit mulſum, vinum, quod vetuſtate naturam mellis induit: nobis ergo mulſum, ſibi muſtum; legendum muſtum potius, niſi poeta tralatè locutus. IPSE BIBIT] muſtum, quod ex Fundana vua tam dulce eſt, ac mulſum. De Opimiano vino ſæpe ſuprà actum.

Trifolinum.

CIX. CXIV.

Non ſum de primo fateor Trifolina Lyæo
Inter vina tamen, ſeptima vitis ero.

De Trifolino Athenæus lib. 1. c. 24. *Tardius*, inquit, *ad vigorem accedit Trifolinum, eſt enim Surrentino craſſius.* De eodem Plinius lib. 14. cap. 6. *Campania nuper excitauit nouis nominibus auctoritatem ſiue cura, ſiue caſu, ad quartum à Neapoli lapidem, Trebellicis iuxta Capuam, Caulinis, & in ſuo agro Trebulanis, alioquis ſemper inter plebeia & Trifolinis gloriata.*

NON SVM DE PRIMO] Ego vitis trifolina non accedo ad primam vini palmam, procul tamen recedo ab extrema, ſum aliquo numero. quamuis inter plebeiam non ita pridem numerata.

INTER VINA TAMEN SEPTIMA VITIS ERO] Nam, ſex genera iam enumerauerat: Fundanum, Setinum, Falernum, Surrentinum. Albanum, primum Picarum natiuum. Galenus apud Athenæum lib. 1. c. 24. hoc orgine Italica vina laudat, vt ſeptimum ſit Trifolinum. Quod vt videas, ipſa vina eo ordine ponam, quo ſunt apud Athenæum. Falernum primum; proximum Albanum, tertium, Surrentinum, ſequitur Rheginum, deinde Priuernas; ſextum Formianum, ſeptimum Trifolinum.

Iuuen. ſat. 9 Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet.

Cœcubum.

CXV. CX.

Cœcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis,
Vitis & in media nata palude viret.

Cœcubi agri in Cãpania. Plinius lib. 8 cap. 5.

Nomen, locum, no[...]em Cœcubi, pręedicat hoc disticho. De nobilitate & nomine Horatius lib. 1. Carm, od. 37.

Ante hac nefas deprōmere Cœcubum
Cellis auitis. ———

Et lib. 2. od. 14. *Absumet hares Cœcuba dignior*
Seruata centum clauibus ——

Et lib. 1. od. 20. *Cœcubum & prælo domitam Caleno*
Tu bibes vuam ———

Et od. 28. lib. 3. & lib. Epod. od. 9. & lib. ser. 2. sat. 8. Tarenti est apud Horatium Cœcubũ, De generositate Cœcubi Athenæus lib. 1. c. 24. Generosum præterea Cœcubum, percutitque, & est robustum, inueterascit post annos multos. Plinius l. 23. c. 1. Cœcuba iam gignuntur.

CŒCVBA FVNDANIS GENEROSA COQVVNTVR AMYCLIS. VITIS ET IN MEDIA NATA PALVDE VIRET] Ad eandem sententiam Plinius l. 14. c. 6. *Antea Cœcubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano: quod iam intercidit, & incuria coloni, locíq; angustia. Magis tamen fossa Neronis, quam à Baiano lacu Ostiam vsq; nauigabilem inchoauerat.* Amyclas autem Strabo vrbem Laconiæ facit. & Plinius l. 4. c. 5. Dehinc à Tænaro ager Laconicus, &c. oppida Tænarum, Amyclæ, Phocæ, Leuctra, & intus Sparta, &c. Sed fuere etiam Amyclæ in Italia, teste Plinio libr 18. c. 29. à serpentibus deletæ: vnd tiuus Amyclæus vocatur, de quo loco Martialis. Seruius ad 10. Æneid.

———*tacitis regnabit Amyclis.*

Amyclæ oppidum inter Caietam & Tarracinam à Laconibus excitatam, qui comites Castoris & Pollucis fuerunt, & ab Amyclis prouincia Laconica ciuitati nomen indidere. Et quia Pythagoræi erant, serpentibus parcebant, à quorum succrescente multitudine sunt deleti. Taciti verò, quia Pythagoræi, vel quia silentio vrbem perdiderunt. *Mihi necesse est loqui; nam scio Amyclas silentio perisse.* quo pacto id acciderit, leges apud Seruium.

FVNDANIS] vide vinum Fundanum. De hoc ita Brodæus lib. 2. ad epig. græce. *Cœcubi agri mentio est apud Plinium, Columellam & Strabonem lib. 5. à quo & vinum Cœcubum denominatum ostendunt cum Martiale. Nec te lateat Falernum & Massicum pro eodem sumi ob vicinitatem agri. De vinis Italicis consule Athenæum, Plinium, Dioscoridem, Galenum.*

Signinum.

CXVI. CXI.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem,
*Ne nimium * sistant, sit tibi parca sitis.*

* sitiat, melius sistant.

Vini Signini vim & naturam exprimit, aitque modicè bibendum, ne nimium astringat aluum.

POTABIS LIQVIDVM] si lubrico solutoque laborabis ventre, signinum bibes; sistet enim aluum. Athenæus de vinis Ital. *Signinum bonum est ad annos sex, vetus multò etiam melius.*

MORANTIA VENTREM] Ita testatur Plinius lib. 14. c. 6. *Nam quod Signiæ* (oppido Italiæ) *nascitur, austeritate nimia continenda vtile aluo inter medicamina numeratur.* Lege Platinam.

SISTANT] sitias legunt alij, quod hoc genus vini quo plus potatur, plus accendat sitim. Generatim potest gnome videri, vt illa:

Quo plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ.

Ita qui magnis & frequentibus adsuescunt, iecur inflammant, vt assiduè sitiant. Sed retineo *sistant*, quod primo versui melius respondet.

PARCA SITIS] causa pro effectu, ad potionem inuitat sitis, multa sitis ad multos haustus.

Mamertinum.

CXII. CXVII.

Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta
Si detur, quoduis nomen habere potest.

Messana, vt Plinius, & Cicero, Massena, vt Strabo, Ptolemæus & Stephanus vocant, Siciliæ Vrbs & Emporium est, ad fretum Mamertinum, Mamertinum à Mamertinis, incolis Siciliæ. Cic. in Verrinis dicitur Athen. de vinis Italicis. *Mamertinum nascitur extra Italiam quod in Sicilia Iotalinum dicitur, suaue est & robustum.*

AMPHORA NESTOREA SENECTA] Laudat Mamertinum vetus. Nestor enim trisæclis, hoc est, 90 annorum (aut trecentorum, vt alij volunt, de qua re supra dictum) Poeta hic Nestoream senectutem ponit pro vino vetustiore. Amphora autem est vas vinarium, quod in omnem partem pedem continet. hic species pro genere ponitur.

MAMERTINA] Mamertino vino Iulius Cæsar auctoritatem conciliauit. quod his verbis testatur Plinius: *Quartum curriculum* (quartam palmam) *publicis epulis obtinuere à D. Iulio (is enim primum auctoritatem his tribuit, vt in epistolis eius apparet.* MAMERTINA] circa Messanam in Sicilia genita. QVODVIS NOMEN HABERE POTEST] seu Falernum, seu Setinum, tunc cura de nomine, siue Iotalinum, siue mamertinum, siue Siculum nominetur: sed pota largiter, est enim & dulce & egregium.

Tarraconense.

CXIII. CXVIII.

Tarraco Campano tantùm cessura Lyæo;
Hæc genuit Tuscis æmula vina cadis.

Tarraco ciuitas Hispaniæ citerioris, quæ & à ciuitate Tarraconensis Hispania appellatur. Ptolemæus, Plinius & alij. Hinc vinum Tarraconense. Condita à Scipionibus (non Phocensibus, vt Domitius errat) Plinius, Solinus, Merula. Laudat Hispanum vinum, Hispanus Poeta, & (præter Falernum & Albanum nataque in Campania) cæteris omnibus Tarraconense anteponit.

TARRACO CAMPANO TANTVM CESSVRA LYÆO] Idem scribit Plinius lib. 14. cap. 6. *Hispaniarum Laletana copia nobilitantur, elegantia vero Tarraconensia, atq; Lauronensia, & Balearica ex Insulis conferuntur Italiæ primis.* Hæc) Tarraco ciuitas.

GENVIT VINA] quis non intelligat metaphoram? ÆMVLA VINA TVSCIS] Italicis pars pro toto, Tarraconense enim vinum par Italicis, imo melius præter vina Campaniæ, Cæcuba, Setina, Falerna, Calena, Massica, Gaurana, Surrentina Faustiana. Tuscum vinum erat laudatissimum: Plat. lib. 10. de vino. Plinius lib. 14.

Nomentanum.

CXIV. CXIX.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum,
Si te Quinctus amat, commodiora bibes.

Non admodum laudat suum vinum, id est, in agro Nomentano natum, vbi prædium habebat Martialis. De Nomentano tamen, Athenæus lib. 1. cap. 14. *Nomentanum, inquit, cito ad vigorem accedit, & ab annis quinq; potui aptum. est enim neq; valde dulce neq; tenue.* De vitibus Nomentanis Plinius lib. 14. ca. 2. *Proxima dignitas Nomentanis rubente materia, quapropter rubellas quidam appellauere vineas. Hæ minus fertiles vino, acinis & feceni[illegible], contra pruinas fortissima, siccitate magis, quam imbre, æstu, quam algore vexantur. Quamobrem in frigidis, humidisq; principatum obtinent, &c.* Nomentanum agrum excoluit Abilius Sthenelus è plebe Libertina LX. iugerum, non amplius M.CCCC. nummûm venundatum, vt Plinius ibidem tradit. forte legendum CCCCM. numûm. MAVM] ibi enim villam, fundum & prædium habebat.

SI TE QVINCTVS AMAT] Nomentum erat ad X. Lapidem ab vrbe, vb Palæmon Grammaticus habitauit, & Quinctus Ouidius Martialis amicus, ad quem plura extant epigrammata. si fueris amicus Quincti, meliora bibes. Quinctus enim diligentius agrum colit, quam ego, aut

Quinctus reponere potest Nomentanum vinum in quinquennium; ego cogor hornum bibere; reponere nihil possum nisi in stomacho.

Spoletinum.

CXX. CXV.

De Spoletinis, quæ sunt cariosa, lagenis,
Malueris, quàm si musta Falerna bibas.

Spoletinum vrbs Vmbrorum, Italiæ populi Spoletani Plinio. Vinum inde spoletinum, quod à vetustate commendat. vetusq; tam dulce, quam recens Falernum ait. Athenæus *spoletinum scribit dulce in gustu, colore aureo.*

DE SPOLETINIS LAGENIS] lagena, vas vinarium, seu testaceum. Symposius his versibus Lagenam describit.

Mater erat tellus, genitor fuit ipse Prometheus,
Auriculaq; regunt redimita ventre cauato.

Fiebant Lagenæ tum etiam ex filis rad cum, tum fici, tum siluestrium arborum. Plinius lib. 31. cap. 16. *Ex quibus montani pertenuia fila decerpentes spectabiles lagenas, & alia vasa nectunt.* De spoletinis Lagenis alibi Martialis in Panaretum lib. 6. ep. 89.

Spoletina data est, sed quàm siccauerat ipse,
Nec fuerat soli tanta lagena satis, &c.

CARIOSA] vetusta & rugosa. MVSTA FALERNA] recens expressum Falernum, hornum.

Pelignum.

CXXI. CXVI.

* Marsica, lege, non Massica.

**Massica Peligni mittunt turbata coloni;*
Non tu, Libertus sed bibat illa tuus.

Massica vina in monte Gaurino nascuntur, qua Baias & Puteolos prospectant. Iunguntur Massici, Gaurini, Surrentini montes in Campania, Plinius lib. 3. cap. 5. Illa certant cum optimis & primis & Martialis supra in Falerno Falernum vocauit Massicum. Pelignum autem vinum vt alibi, & hoc loco docet Poeta, vinum erat parum egregium.

Non hac pelignis agitur vindemia prælis.

Vnde non dubito legendum esse Marsica. Nam massici montes non sunt in Pelignis. De Marsico vino Athenæus, *Marsicum valde austerum. & confert stomacho.* Sed rursus turbat Athenæus, cum dicit, illa nasci in Campania circa Cumas. Ne moueare; idem circa Cumas dixit nasci optimum Albanum. Intellige vites ex Marsicis primum in Campaniam omnibus vini generibus aptam esse translatas. NON TV, LIBERTVS] Tu here bibes melioris notæ. Marsica, vt austera, da clientibus tuis.

Acetum.

CXXII. CXVII.

Amphora Niliaci non sit tibi vilis aceti;
*Esset cùm *vinum, vilior illa fuit.*

* Vino.

Acetum describit Platina lib. 2. de aceto. Plinius eius vim prædicandam laudat cap. 1. lib. 23. Vbi infinita commoda narrat, & quendam ab aspide calcata percussum, dum aceti vtrem ferret, nihil doloris sensisse, simul ac deposuisset, dolore cruciatum esse. M. item Agrippam supremis annis graui pedum morbo conflictatum, cum dolorem eum perpeti nequiret, vnius medicorum portentosa scientia crura in acetum calidum demersisse in ipso acerrimo impetu morbi. Milites olim, semper acetum secum habere soliti sunt, & in æstu bibere. M. Cato certe legitur in ardentissima siti acetum gustasse. Hinc Christo de cruce clamanti sitio, milites (qui de more acetum semper in promptu habebant) acetum propinarunt. Plura de aceto Dioscor. lib. 14. cap. 12.

Quintianus in Asconio Plutarchus in Catone C. Volcatius in Auidio, alii.

AMPHORA NILIACI ACETI NON SIT TIBI VILIS] Chrysippus Philosophus apud Athenæum lib. 2. cap. 30. commendabat Cnidium & Ægyptium acetum. Carminis sententia est:

acetum

acetum ex Ægyptio vino præstantissimum est, plurisque constat, ac vinum, antequam acescat. Sed quod Domitius refert, acetum fieri ex vino Mareotico, verisimile non est. Illud enim antequam acescat, est nobile, & apud Athenæum lib.1.cap.30. laudatissimum, & laudatius adhuc Tæniacum. Circa Nilum vero vinea multa est, ex qua Niliacum crediderim acetum factum.

VILIOR ILLA FVIT] amplioṙa vinacea, non tanti, quantum factum inde acetum, æstimabatur. Eulalius Patriarcha Alexandrinus S. Gregorio Pontifici de Mareotico vino misit, vt est in Greg. epistolis, & alij obseruarunt. malim legere vini, quam vinum. Extat Symposij ænigma de aceto e vino,

Sublatum nihil est. nihil est extrinsecus auctum.
Quod fuerat non est, cœpit quod non erat esse,
Nec tamen inueni, quicquid prius esse reliqui.

Masilianum.

CXVIII. CXXXII.

Cum tua centenos expugnet sportula ciues,
Fumea Massiliæ ponere vina potes?

Massilianum vinum non vituperat Athenæus, *bonum*, inquit, *densum, corpulentumq́, sed exiguũ reperitur.* Sententia Distichi videtur. cum alas tuis sportulis distribuendis centum clientes, hoc est, cum tam diues sis, cur potas Massiliensem fumum, seu vinum infumatum? aut cur aliis potandum apponis? cum interrogatione. cum possis melius & salubrius ponere & potare. Est enim vt docet Plinius lib. 23. cap.1. fumo inueteratum insalubeṙrimum. Cum in sportulis sis tam liberalis, cur in vino tam parcus? vel cum inuites illos ad te colendum, cur fumo Massiliensi arces & sportulis necas? Altera explanatio est sine interrogatione. Cum centum alumnos habeas, merito apponis Massiliense, hoc est, ingratum, vt parum inde bibatur. parcaturque sumtui. si alud genus poneres, exhaurirent opes tuas tot clientes, turbę sufficit hoc. Hæc ita placent, dum meliora occurrant. Martialis prioribus libris sæpe reprehendit idem Massiliense lib. 3. ep. 82. & lib.10. ep. 36. & 12. ep. 84. & c. *vel cocta fumis musta Massilitanis.* Ios. Scalig. multa Andreas Baccius lib. 6. de vinorum historia. Massilitanis legendum est propter scazontem, non Massilianis.

Lib. 1.

Superior tamen hoc malior videtur.

Cæretanum.

CXIX. CXXIV.

Cæretana Nepos ponat, Setina putabis:
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

Laudat Cæretanum vinum, & cum Setio primæ notæ contendit, idque non turbæ, vt Massiliense, sed paucis, ob præstantiam ponendum docet. De agris Cæretanis, & quatuordecim eius iugeribus habes apud Martialem lib. 6. ep. 73. ad Priapum.

Nam Caeretan cultor notissimus agri
*Hos * Hilarus colles & iuga lata tenens*
Vicini, moneo, sanctum celebrate Priapum
Et bis septenis parcite iugeribus.

[b] Hilarii.

Cære est vrbs Tusciæ, si Cæretanus fluuius, Cæretani agri in eadem vicinia. Philippus Beroaldus Cæretana non à Cæretibus Hetruscis, sed Hispanis à Martiale dicta asserit. NEPOS] nomen proprium, amicus fuit Martialis, de quo lib.10. ep. 48.

De Cæretanis Tuscis supra cap. 34.

Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis,
Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.

SETINA PVTABIS] De Setinis iam paullo ante dictum. NON PONIT TVRBÆ CVM TRIBVS ILLA BIBIT] est enim nobile vinum amicissimis tantum intimisque propinandum. Vinum Dominicum Petronius appellat, quod conuiuator, non conuiuæ bibebant. supra in lemmate Perna, laudauit Cæretanam Pernam sed ibi putatur locutus de perna Hispana Cerretanam legunt alij ex Athenæo. cum de Hispanis est sermo. Cæretana porro Tusciæ balnea celebrantur Cæreque, nobilissimum quondam fuisse oppidum scribit Mercurialis ex Strabone lib.1. Var. cap 15. Vini Cæretani nec Athenęus, nec Plinius, quantum meminisse possum mentionem faciunt. Iunius etiam putat vinum Cæretanum, esse non Italum, sed Hispanum. De Cæretanis Plinius lib. 3. cap. 3.

CVM TRIBVS] an amicis, an cum vxore & filia, quam vnicam tantum habuit, vt ex 6. lib. ep. 27. discis? amicis credo.

Taren-

Tarentinum.

CXXV. CXX.

Nobilis & lanis, & fœlix vitibus Aulon,
Det pretiosa sibi vellera, vina mihi.

Tarentum Ouidio & Virgilio OEbalia dicta. Aulon autem iuxta Tarentum Achiuorum monumentum, & opus nobile lanis & vino, vt Domitius censet: at ego nomine αὐλῶν intelligo sinum Tarentinum. Martialis vellera seu lanas Tarentinas non expetit, vinum maxime sitit. Tarentinum vinum Athenæi testimonium celebrat lib. 1. cap. 24. *Tarentum*, inquit, *& reliqua sub hoc climate nascentia vina mollia sunt, ac neq; percutiunt, neq; intendunt, & conferunt stomacho.* Et Plinij libro 14. c. 9. *Verum & longinquiora Italiæ ab Ausonio mari non carent gloria Tarentina & Surrentiana.*

NOBILIS ET LANIS] natiuis & infectis. Plinius de lanis Tarentinis lib. 8. c. 48. *Circa Tarentum Canusiumq; summam nobilitatem habent.* De infectis Horatius lib. 1. epist. —— *Quid placet ergo Lana Tarentinis violas imitata veneno.*

AVLON] αὐλῶνα, sinum, portum maris angustum significat. Hic sinum Tarentinum intelligit de quo Plinius lib. 3. c. 11. Est conuallis à Tarento Brundusium vsque. Aulonem laudat Hor. lib. 2. carm. c. 6. Virg. 3. Æn. Caulonem appellat:

Caulonisq; arces & nauifragum Scylaceum.

Ad quem locum multa Nicolaus Erythræus in voce Scylacæum, Caulonia, quasi Vallonia à vicina conualle nominata, ab Achiuis ædificata. Horatius montem agri Tarentini laudat aulona Od. 6. lib. 2. 4. —— *amicus Aulon Fertili Baccho minimum Falernis Inuidet vuis.*

Vnguentum.

CXXVI. CXXI.

Vnguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas,
Ille habeat nummos; hæc tibi tota dato.

Vnguentorum vsus tantus erat apud veteres, vt non solum humanis corporibus, iisque viuis ac mortuis adhiberentur, sed etiam aquilæ bellicæ, in castris festa luce imbuerentur. L. Plotius à Triumuiris proscriptus in Salernitana cauerna latitans odoris fragrantia proditus interiit. Addiderunt etiam in potu vnguenta, sed de hoc genere toto sæpe iam dictum. legatur de ratione & generibus vnguenti Plinius lib. 13. c. 2. & prioribus. Athenæus l. 15. cap. 14. & sequentibus. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pæd. cap. 8. de vnguentis & coronis. Tertullianus, & alij.

Videtur alludere mori funebrium epularum.

VNGVENTVM HÆREDI NVNQVAM] Præceptum hoc ex Epicuri disciplina, vt quisque suis bonis præsens præsentibus fruatur, præsertim quæ ad cutem curandam pertinent. In quo genere vina, odores, vnguenta, cupediæ, &c. numerantur.

VNGVENTVM HÆREDI NVNQVAM] nec omne genus vnguenti relinqui potest, tametsi quædam ipso tempore fiunt meliora. Attende Plinium. *Hæc est*, inquit, *natura luxus, è cunctis maxime superuacui. Margaritæ enim gemmæq; ad hæredem tamen transeunt, vestes prorogant tempus: vnguenta ilico expirant, ac suis moriuntur horis.*

NEC VINA] Haud negatum it poeta subinde, & vnguenta, & vina fuisse hæredibus relicta sed monet, vt abutatur his Dominus, nec curet legare, quando ad præsentem voluptatem sunt comparata. Alioqui legimus apud Varronem, vel ab vnico Hortensio, super decem millia cadûm hæredi relicta esse.

Plinius lib. 14. c. 14.

ILLE HABEAT NVMMOS: HÆC TIBI TOTA DATO] quæ sint leganda, quæ vsu absumenda, docet. lege ep. 77. lib. 8. ad liberum amicum.

Corona rosea.

CXXVII. CXXII.

Dat festinatas, Cæsar, tibi bruma coronas,
Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est.

Extremo disticho adulatur Cæsari Domitiano velut Deo (vt supra cum conuiuium Xeniorum inchoaret à ture) ad cuius nutum natura vertat vices, solita prius rosam vere tantum gignere, nunc æ. & autumno, imo ipsa hyeme. quod hominum solertia fiebat, id Cæsaris diuinitati attribuit. De rosis hibernis & luxu Romanorum multa Liuineius ad Mamertini panegyr. Iuliano dictum p. 316.

DAT

DAT FESTINATAS CORONAS] De coronis in cœnis & conuiuiis priscorum vsurpatis disputatum multis locis supra. festinatas vocat præcoces, & ante tempus prouenientes. Brumam exponit Domitius Domitianum mensem, Octobrem, sed October est medius autumni mensis, non hyemis Bruma autem hyemem significat. dicta enim est bruma, docente Varrone de lingua lat. *quod breuissimus dies est*, qui in Decembrem sine controuersia semper incidit quo Saturnalia celebrabantur & Xenia mittebantur. Et vero de hibernis hic agi nulla est dub ratio, cum lib. 6. ep. 80. diserte dicat, Romæ omnes vias rubere sertis brumalibus roseis; credas, licet, ipsi poetæ sic canenti,

Bruma solstitium hibernum significat, vt supra dictum.

Vt noua dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas.
Nauita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Vrbis vt intrauit limina prima tuæ.
Tantus veris honos & odora gratia Floræ, &c.

Sed cur Poeta? *Quondam Veris erat, nunc tua facta rosa est.* Quia Ver ipsum per se natura sua gignit rosam. bruma non nisi iussu & voluntate Cæsaris, ad cuius nutum se natura accommodat. hinc rosa hiberna Cæsaris rosa, cum natura parere Cæsari cogeretur. Cæterum, De hibernis rosis Plinius lib. 21. cap. 4. *Carthagine Hispaniæ hyeme tota præcox*, quo loco de rosis plura leges. Nos Apophoreta prælegemus.

MATTH.

MATTHÆI RADERI AD M. VAL. MARTIALIS EPIGRAMMATON LIBRVM DECIMVMQVARTVM, QVI ET APOPHORETA.

COMMENTARIVS.

QVARTVS DECIMVS LIBER. APOPHORETA, inscriptus, omnis generis sibi munera subministrat. Sunt enim Apophoreta, seu ἀποφόρητα dona Saturnalia, quæ conuiuis dantur domum auferenda, vt ipse poeta exponit. *Præmia conuiuæ det sua quisq; suo.* Eodem intellectu Suetonius in Caligula. *Agitatori Cythico, seu Eutycho, comissatione quadam, in Apophoretis vicies HS. contulit.* Et in Vespasiano. *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita Cal. Martiis fœminis.* D. Ambrosius clarius & dilertius exhortatione ad virgines. *Qui ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta secum reportare consueuerunt. Ego ad Bononiense inuitatus conuiuium, vbi sancti Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis & gratiæ reseruaui,* Lampridius Eliogabalo. *Eunuchos pro Apophoretis dedit.* Isidorus ait esse vas escarium plenum pomis, seu aliis rebus inferendis, vocatque Apophoretam. Scribunt super his præter iam laudatos etiam huius æui lumina, Turnebus lib. 9. Lipsius Satur. 1. cap. 16, Docetque ex Symachi lib. 2. & lib. 5. in editionibus munerum donata quoque Apophoreta: Quod fortasse & Suetonius in Caligula astruit, si commissione (vt alij sentiunt) non comissatione legas. Alij Apophoreta aiunt esse dona pro Xeniis remissa, sed auctorem non laudant, nec probant, nec suadent. Obseruandum præterea, non eadē pauperum ac diuitum fuisse dona, eoque poetam dicere: *Diuitis alternas & pauperis accipe sortes.* Erant diuitis pugillares citrei, quincuplices pauperis; eburnei diuitis, triplices pauperis; chartæ maiores diuitis, epistolares pauperis; loculi eburnei diuitis, lignei pauperis. & sic deinceps in plerisque omnibus. Quod si interdum, plura lemmata vnius sortis continentur, subiicitur tamen diuersa, alternanturq; diuitum & pauperum sortes. Hæc ad totius libri intellgentiam, non parum habebunt momenti, si notatis. Nos ad epigrammata properamus.

I.

Synthesibus dum gaudet eques, * *dominusq; Senatus,*
Dumq; decent nostrum pilea sumpta Iouem.
Nec timet Ædilem moto spectare fritillo,
Cùm videat gelidos † *iam prope verna lacus*
Diuitis alternas, & pauperis accipe sortes?
Præmia conuiuæ det sua quisque suo.
Sunt apinæ, tricæque, *& si quid vilius istis:*
Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus,
Quos tibi pro cælo filius ipse dedit?
Vis scribam Thebas, Troiamque, malasq; Mycenas?
Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces.

* *dominusq; legit. Alciat. libr. 1. præterm. quod dominis tum seruis monstrarit.* † *tam. Seneca epist. 18. Lips. 1. c. Sat. 1. Turneb. libr. 23. cap. 18.*

Quo

Quo vis cunq; loco, potes hunc finire libellum:
Versibus explicitum est omne duobus opus.

SYNTHESIBVS] Ad lectorem est Epigramma, quasi præfatiunculæ loco, quo describit carptim Saturnaliorum celebrationem, & libri materiam humiliorem excusat, opusque à breuitate distichorum commendat. Et conueniebant leuia carmina ac facilia facili tempori. Seneca epist. 18. December est mensis, &c.

SYNTHESIBVS DVM G. E. D. SENATVS] Saturnalibus synthesinati incedebant & equites & senatores, hoc est, vestes Cenatorias tota die gestabant, cum extra Saturnalia, non nisi vesperi in cœna, & domi, non in foro, synthesibus vterentur. Caussam eandem cum Lipsio facile coniicio, quod per eos dies quasi continua conuiuia agitarentur, maneque lauarent, velut statim ad cœnam transituri. Obtinuit hic mos Imperatorum æuo primum, cum de synthesi sumpta nihil ante ea tempora legatur; togám positam, seruisque per Saturnalia indutam non nego. Ostendit hoc Lipsius lib. 1. Sat. cap. 2. vbi de synthesi & cœnatoria plene & plane disputat; Cur autem poëta dicat, senatum & equites tantum synthesinatos, facile tute coniicis lautiorum hominum fuisse synthesin, non plebeiorum, quod Martialis & alibi insinuauit.

Vndecies vna surrexti, Zoile, cœna,
Et mutata tibi synthesis vndecies.

Nec sentio cum Baysio, qui synthesin viliorem ait vestem; quid enim ostentasset Zoilus. Imò nec est credibile, Neronem Imperatorem plerumque synthesinatum viliori cultu indutum. Multo minus placet dicere morionum fuisse cultum, quod dixere quidam nescio quam σοφοὶ σοφῶς. Synthesis generatim pro qualibet veste sæpe ponitur, hic proprie pro cœnatoria, quæ picta plerumque & florida seu ianthina, seu purpurea fuit. DVMQVE DECENT NOSTRVM PILEA SVMPTA IOVEM] Iouem Domitianum intelligit, nec tu intellige Traianum; Xenia & Apophoreta non vt vltimo loco sunt posita, sic vltimo poetæ æuo sunt scripta, vt infra clarius disces. Pileos ferebant Romani Saturnalibus, quod supra lib. 11. ep. 7. monuimus ad illum versum:

Permittis puto pileata Roma.

Vbi de pileo & hominum genere, & tempore, locoque pilei ferendi dictum vbertim. NEC TIMET ÆDILEM] Ædiles animaduertebant in aleatores extra Saturnaliorum dies, vt lib. 5. epig. vltimo docet.

Arcana modo raptus è popina
AEdilem rogat vdus aleator.

Idem Seneca loca Ædilem metuentia popinas, vbi plerumque luditur alea, & prostibula nominat. Lege Cuiacium ad lib. 3. Cod. Iust. Titulo de aleæ lusu, & aleatoribus, vbi multa de pœna, & infamia aleatorum.

FRITILLO] Fritillus aliis est alucolus seu abacus, campus, tabula, inquam, lusoria, in quam iaciebantur tesseræ, aliis, Porphyrioni, Turnebo, pluribusque vasculum oblongum & teres, vt imaginem rotundæ turriculæ referat, quod & vocatur pyrgos seu turricula, è qua tali ad fraudem cauendam excutiebantur. Ausonius:

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,
Omnes, qui fuerant, enumerasse bolos.
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu,
Fundunt excussi per caua buxa gradus.

Sed Calcagninus ostendit fuisse ipsum Abacum seu tabulam, adfirmatque loco Senecæ de morte Claudij, quem eundem locum alij ad contrariam opinationem suam flectunt, vt prope dubius hæream, quam in partem discedendum sit. Accedo tamen Porphyrioni & Grammaticis; nam quo pacto potuerit Claudius pertuso fritillo, hoc est, tabula ipsâ, in quam tesseræ iactabantur ludere, non intelligo: Intelligo tamen fritillum pyrgon, seu scalam cauam & rotundam carere fundo potuisse, vt immissas tesseras in vasculum teres, in manus receperit, & per digitos in alueolum miserit, mala fide. Excussimus hunc locum supra lib. 13. epig. 1. & lib. 4. epig. 14. lib. 5. epig. 85. lib. 11. epig. 7. & infra de turricula. CVM VIDEAT GEL. IAM PROPE VER. LACVS] Sensus distichi est: dum Verna non timet Ædilem alea lusurus, cum videat tam prope gelidos lacus, hoc est, cum sentiat adesse Decembrem, quo gelantur aquæ, & aleæ ludus per Saturnalia conceditur. Dum domini sunt synthesinati, dum omnes sumunt pileos, dum serui ludunt, nec timent pœnam, accipe tu à me Apophoreta distichis descripta. Quod existimant nonnulli gelatis per Decembrem lacubus in vrbe vernas fuisse otiosos, & alea in popinis lusisse, ego nullus credo. Primum Valerius noster non lacus fuisse gelatos sed gelidos, hoc est, frigidos aut frigidiores quam aliis temporibus consuêrint; sic lib. 10. epig. 87. ipsum Decembrem vocat gelidum. Deinde non lego vernas, tantum in haurienda ex lacubus aqua fuisse occupatos. Poëta hoc docet vernas cum videant adesse Saturnalia non timere Ædiles dum ludunt in popinis alea, quod id per Saturna-

lia non sit versum. DIVITIS ALTERNAS ET PAVP. ACC. SORTES] Sortes munera Saturnalia & mutua, quæ inter pauperes & diuites missitantur.

PRÆMIA CONV. DET SVA QVISQVE SVO] apophoreta, quæ secum auferat domum à conuiuio. SVNT APINÆ TRICÆQVE] Sunt nugæ exiliaque carmina, in quibus ne diutius verser, & bis idem, regredere ad lib. 1. epig. 114. *Apinasq; nostras quas nec ipse iam noui.* Hunc versum (sunt apinæ tricæque, &c.) fingit à lectore dici. QVIS NESCIT] Respondet poëta, non ire se negatum, non esse grandia carmina, sed conuenire hæc Saturnalibus ad nugas omnes destinatis. PRO COELO D.] Eiecto è regno superûm. VIS, SCRIBAM THEBAS] bellum Thebanum, Troianum, aut raptam Helenam, expeditionemque Agamemnonis. LVDE NVCIBVS] Ex more, quod fiebat Saturnalibus. QVOVISCVMQVE LOCO] Commendatio libelli à breuitate distichorum. EXPLICITVM EST] alludit ad volumen. Olim libri perpetua charta inuoluebantur, & legendi explicabantur. Explicitum ergo absolutum, euolutum est. supra eodem modo est locutus lib. 11. epig. 180.

Explicitum nobis vsq; ad sua cornua librum.

Apophoreta.

II.

Lemmata, si quaris, cur sint adscripta, docebo:
Vt si malueris, lemmata sola legas.

LEMMATA] Ad lectorem est distichon, quo monet singulis Apophoretis adscripta argumenta, quæ lector fastidiosus sola possit legere, si disticha euoluere pigeat. Lemma est breuis comprehensio, & summa seu ὑπόθεσις, argumentumque epigrammatis à Græco λῆμμα, quod à λαμβάνω descendit. Rectius fortean huius distichi lemma primo epigrammati præponas, & hoc distichon à primo non separes.

Pugillares citrei.

III.

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Lybici nobile dentis onus.

SECTA NISI] Hi diuitum munus sunt, vt quincuplices pauperum. pugillares, seu pugillaria Gellio, & pugilar Ausonio dicuntur, neutro & virili genere, Græcis δίπτυχα, σανίδες, πινακίδες. Homerus lib. 6. Iliad. πτυκτὸν πίνακα appellet, vnde apparet antiquissimus pugillarium vsus, qua de re & Eustathius ad Homerum lib. 3. & 6. Iliad. plura. Forma quadrata, olim etiam trigona, vnde δελτίον δίπτυχον Herodoto dictû. materia varia è buxo, vnde πυξίον, citro, lapide atro in laminas tenues secto, quem Ardæsiam appellant, laminis membranis, ebore. A numero paginarum, duplices, Græcis δίπτυχα, triplices τρίπτυχα quintuplices πεντάπτυχα à quinque paginis. Secabantur ligna in laminas tenuissimas, cera illinebantur, & stylo exarabantur, vt Gellius lib. 17. cap. 9. exponit. *Pugillaria*, inquit, *noua, nondum etiam cera illita accepisse, litteras in lignum incidisse*: postea tabulas (vti solitum est) cera colliuisse, &c. Addo ex Guilandino & Alexandro Neapol. colore diuersos fuisse. luteos, virides, croceos, purpureos, albos; Alios Vitellianos à Vitellio aliquo dictos. In triplicibus potissimum epistolæ fuerunt perscriptæ. in quincuplicibus honores & magistratus, in duplicibus si quid esset arcanum & subticendum, interioresque animi notæ. Triplices etiam amatoriis literis seruiebant. Martialis infra.

Tunc triplices nostras non vilia dona putabis
Cum se venturam scribet amica tibi.

ESSEMVS LIBYCI NOBILE DENTIS ONVS] Ipsi pugillares loquuntur. Nisi in tenues laminas dissecta ligna fuissemus, eramus in mensam formanda. De mensis citreis supra dictum, infraq; fusius dicetur. LIBICI DENTIS] imposita pedibus eburneis seu elephantinis. Elephanti frequentes in Libya, qui & Libycæ belluæ audiũt. pressissemus orbibus nostris ebur, ex quo pedes eburnei.

Quincuplices.

IV.

Cæde iuuencorum domini calet area fœlix,
Quincuplici cera cum datur altus honor.

Quincuplices sunt pugillares quinque foliorum, vt supra d. Viliora quidem erant, πεντάπτυχα sed vsu honoratissima, quod triumphus Imperatori vel magistratu decretus hoc genere pugillarium denunciaretur. COEDE IVVENCORVM] triumphantes Diis victimas mactabant. Imo tota ciuitas sacrificabat, lege ep. 15. lib. 8. & lib. eiusd. ep. 4. DOMINI] Domitiani. AREA] vbi cædeban-

debantur. ALTVS HONOR] triumphi. Refert hæc distichon Domitius ad Triumphum Domitiani, sed sine teste. Videtur potius ad consulatum respicere poëta. Mactabant quidem triumphantes victimas Ioui taurum candidum. Seruius ad 9. Æneid. Ioui de tauro non immolabatur, nisi cum triumphi nomine sue vel tauro fiebat. Iuuen. *duc in Capitolia magnum Cretatumq; bouem*. de consulibus Ouid. 4. de ponto.

At cum Tarpeias esses deductus in arces,
Dum caderet iussu victima sacra tuo.

Idem fiebat in supplicationibus, Cæsarum caussa susceptis. Ouid. ibid. *Nunc pro Cæsaribus superis decernere grates,*
Albaue opimorum colla ferire boum.

Vt dubitem, ad triumphum ne, vel consulatum, vel supplicationem distichon accommodem. Velim ad consulatum per pugillares à Cæsare designatos delatum referre, & à Consulibus in atrio Cæsaris Domitiani hostias cæsas dicere, cum dicat poëta *Domini calet area felix* in qua sacrificabant consules, tus adolebant, victimas cædebant, Domitiani æuo, qui volebat videri & dici Deus. Alioqui in capitolio consules faciebant.

Pugillares eburnei.

V.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niueum littera pingat ebur.

LANGVIDA] Qui obtusa oculorum acie laborabant, vt lippi, senesue, vtebantur eburneis pugillaribus, nec cera, sed atramento scriptis: ater quippe color albo iunctus acrius ferit sensum.

Pugillares eburnei (vt Carrio lib. 2. Emend. cap. 6. notauit) videntur duplices, hoc est, duarum paginarum fuisse, omniumque, exceptis citreis, preciosissimi. Triplices & Quincuplices exerte nominat, nempe viliores: δίπτυχα intelligere putandus est, cum numerum in citreis & eburneis tacet. Vlpian. s leg. 52. lib. de leg. 3. *Librorum appellatione continentur omnia volumina siue in charta, siue in membrana siue in quauis alia materia, sed & in philyra aut in tilia, vt nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio, idem erit dicendum. Quod si in codicibus sint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis, an debeantur, videamus.* Symmachus lib. 3. epist. 30. mentionem eburneorum facit. Multa super his Cario. *Non assequor, &c.* ex Anallectis p. 1075.

NIGRA TIBI NIVEVM LITTERA PINGAT EBVR] Non assequor, quamobrem Ios. Scaliger Animad. in Guilandinum neget scriptum esse in eboreis, siue eburneis pugillaribus nisi cera illitis, cum diserte Martialis contra clamet, ac doceat:

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niueum littera pingat ebur.

Nempe ne hebetent aciem luminum tuorum litteræ ceræ inscriptæ, quæ oculos facile sua coloris obscuritate confundunt, inscribe ebur, vt nigror ex candore clarius emicet. Sed affirmat Iosephus ebur esse ineptissimum adscribendum, quod litteræ fiant caducæ, & in lubrico materiæ fugiant? calamos ergo acutos adhibuisse, & humorem sepiæ temperasse, aut certe scribendi (nam scripsisse certum est) rationem nobis ignotam habuisse. Placet autem cum docet diuersos esse eburneos ab elephantinis, Elephantinos ex omento elephanti, eburneos ex dente factos. & in elephantinis maiores historias perscriptas.

Pugillares membranei.

VI. VII.

*Esse * puta ceras, licet hæc membrana vocetur:*
Delebis, quoties scripta nouare voles.

* *V. putes.*

Tales hodie passim fiunt delebiles membranæ vel vna pagina vel pluribus, quæ gypso cretaque obducuntur illinunturque Plinius lib. 13. cap. 11. ex Varrone tradit membranas Pergami inuentas, cum Ptolomæus Rex charta suppressisset, ne Eumenes Rex Pergami bibliothecam augeret. De membranæ inuentione multa ad Plinium Guilandinus.

nobilissimus à Plinio nasci scribitur, Iuuenalis Sat. 5. *Ipse Venafrano piscem perfudit.* BACCA] poma, oliuæ, fœtus ol. æ. SVDAVIT] per sudorem emisit, inquit Domitius, non expressit ad fecem, sed non video, cur non potuerit exprimi, imo cur nō sit expressum. nam sudauit more poëtico dicitur, seu vi seu natura. VNGVENTVM QVOTIES SVMIS ET ISTVD OLES] Plinius loco dicto; *Vnguenta hanc palmam dedêre, accomodato ipsis odore. dedit & palatum delicatiore sententia.* Domitius exponit (*ut sumis*) id est, olfacis; causam nullam docet. Musico proprie capiendum verbum sumis, pro, vteris vnguento ad caput seu corpus imbuendum. ISTVD OLES] oleum Venafranum ita redolet vnguenta, ac si ipsum oleum esset, non vnguentum, cui tamen vnguento oleum admixtum odoriferum reddit. Oles malim, quam olet. si olet leues, dices, oleum olet ipsum vnguentum. odorem vnguenti fundit.

Quia & vnguenta hau serunt vt supra docui.

Garum * Scombrorum.

CII. XCVII.

Al. sociorum, emendatius.

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo
*Accipe * fastosum munera rara Garum.*

* *Facosum.*

Fastosum legit Scaliger etiam ad Auson. lib. 2. cap. 28. Muria enim pauperum, garum diuitum munus erat. SCOMBRI] ex scombro, gari liquor laudatissimus fuit, idem dictus est sociorum liquor, vt Plinius lib. 9. & Ausonius in epistola ad Paullinum scribunt. epist. 95. Seneca vocat sociorum garum preciosam malorum piscium saniem, quæ salsa tabe vrat præcordia, ad quem locum vide Gruteri animaduersiones. Plinius lib 31. clarius hoc garum describit his verbis; *Aliud etiam nunc liquoris exquisiti genus, quod Garum vocauere, intestinis piscium, cæteris quæ abijcienda essent sale maceratis, vt sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci Garon vocant. Nunc e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetarijs: Sociorum id appellatur, singulis millibus nummum permutantibus congios pene binos. nec liquor vllus pene, præter vnguenta maiore in precio esse cœpit, nobilitatis etiam gentibus.* Multa discis ex verbis Plinij, primum vnde liquor hic, ex quo genere piscis. 2d. inde quanti fuerit. nempe sex mensuræ nostrates quinis, supra vicenos, philippicis. tertio quare sociorum dictum sit. Garum, non à foro Iuliensibus, vt Domitius errat, cum ibi è lupo, non scombro garum sit confectum, sed Sociorum accipe Hispanorum, Carthaginensium nempe Spartariorum. Est enim in Hispania Tarraconensi noua Carthago, Contestanorum maritima vrbs, quam Appianus, Plinius, Antoninus Carthaginem Spartariam seu σπαρταγένη cognominant, diligēter Polybio lib. 10. descriptam. Quod vero Hispani socij essent P.R. nemo nescit, quos à garo nobilitatos ait Plinius. Recte igitur Poeta supra garum vocauit Hesperium liquorem. ad occidentem enim est Hispania. scombros autem Mauritania, Bætica, Carteia ex Oceano intrantes capiunt. De garo salsamento etiam Athen. lib. 2. ex Cratino & Æschylo. & lib. 9. de Ponticorum oxygaro. ex aceto & garo mixto. *Garum*, inquit, Isid. lib. 20 *est liquor, qui olim conficiebatur ex pisce quem Græci γάρον vocabant. Et quamuis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum retinet. à quo initium sumpsit.* Martialis supra,

Hesperius scombri temperet ora liquor.

Ep. 40. supra.

Garum enim ex scombro seu lacerto saxetano, Macarell, vt Germani vocant hunc piscem, factum erat præstantissimum.

EXPIRANTIS ADHVC] docet, quod genus gari optimum sit, confectum nempe è sanguine scombri palpitantis in cæde. Audiatur Iunius lib. 6. Anim. cap. 7. *Garum tantopere prisco seculo nobilitatum, constat saniem fuisse cruentam ex intestinis piscium, præcipue Scombrorum. quos macquarellos recentior ætas nominat, eliquatam, quod à salsamenti conditaneo iure ταριχηρὸν epitheto dixit in Triptolemo Fabula Pherecrates Comicus. laudatissimum autem maximiq; pretij fuit, quod garum Sociorum vocitabant, superbo admodum titulo:* Gari porro genera fuere compluria, hydrogarum, œnogarum, elæogarum, garelæum, oxygarum. legendus Donatus Marcellus & Casaubonus ad Lampridium. FOECOSVM] Domitius, *nam qui multam, inquit, habebat fæcem, commendabatur, & garum nihil aliud est, quam fex, liquore denso: fastorum,* ait idem Domitius, *lege* t. lautorum. Sed Iunius legit fastosum, non fastorum. atque ex vetustissimo, coque emendatissimo M.S. *Qui potuit*, inquit, *commendare garum fæcosum rarissimi muneris nomine, cum illud, quod fæculentum, aut fæcis instar, in cophino delituerit, halecis nomine nuncupatum fuerit. Ac ne quis fastosum respuat, ecliptice pro fastuoso, velut alienum à poeticis numeris, exemplum ex Lucani ad L. Calpurnium, Pisonem, opusculo depromptum audiat.*

Raraque non humilem calcat fastosa clientem.

De alece liquamine ipse Domitius testatur sequenti versu fuisse ex fœce tantum factum. Garum laudat Manilius lib. 5. vt Seneca,

Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris
*Euomit, & misto gustum sale temperat * oris.*

De eod. Diosc. lib. 2. cap. 31. Strabo. lib. 3.

* *oni. Martial. sup. Hesperius scombri temperet ora liquor.*

Muria.

XCVIII. CIII.

Antipolitani fateor ſum filia thinni:
Eſſem ſi Scombri, non tibi miſſa forem.

Proprie Muria dicitur (teſte Iſidoro lib. 20. cap. 3.) aqua ſale commixta, affectaque guſtu in modum maris. Quo vero pacto Muria hæc ſale commixta fiat, leges apud Columellam lib.12. cap. 7. & cap. 25. *Deinde ſalſugo piſcium. Piſces enim in liquamine ſeu ſalſamento ſoluti humorem liquant, quem ſalſuginem ſeu muriam appellant.* De qua Muria hoc loco Martialis. Muriam enim viliorum & pauperum donum ex thinno piſce faciebant, nobiliorem è ſcombro, vti ſupra dictum, viliſſimam, quam alec vocabant, ex fœce colata. Nam tria liquaminum erant genera, primum quod è Scombro garum appellabant. alterum ex thynno piſce factum, quod Muriam, tertium quod ex quouis minutiore, halece nempe, vt Iſidoro placet, deterrimum, idque alec dicebant. Horatius de extremo ſat. 4. ſerm. 2.

——ego fœcem primus & alec Inueni,

De eodem Plautus in Aul.

Qui mihi olera cruda ponunt & alec danunt.

ANTIPOLITANI THYNNI] Antipolis Romæ locus, vbi poſtea Ianiculum: & ciuitas prouinciæ Narbonenſis. Plinius lib. 3. cap. 9. Vnde laudatiſſimum thynnum adferri ſcribit Gellius, muriamque eam laudat Plinius 31. cap. 9. Antipolin Aſiæ oppidum dicit Domitius, vnde adferebantur thynni Antipolitani. THYNNI] præcipua huius magnitudo: nam latitudo duorum cubitorum, & palmi valebat 15. talenta.* Alexandro M. vt Plinius tradit, agminatim occurrêre, vt inſtructa claſſe diſſipandi fuerint, Naſcuntur etiam in amnibus Nilo, Rheno, Pado: longiſſima vita, eſt biennium. plenil uniis pingueſcunt. Verno tempore capiuntur in ſinu Bizantino, hiberno in ponto latent. lege Platinam Crein. Oppianum lib. 2. haleut. & Ariſtotelem lib. 8. hiſt. animalium Athenæum lib 7. FILIA] nata nempe ex ſanguine Thinni. Muria. Ex eodem enim Thinno fit ſalſamendum], quod Thinninum appellant, in aque tepida horas ſex hæc innatet oportet, ſi purgatam velis. plura apud Plat.

* 9. millia Philippicorum.

ESSEM SI SCOMBRI NON TIBI MISSA FOREM] pauperi, ſed diuiti; garum eſt diuitum, quod fit è Scombro.

Mel Atticum.

IC. CIV.

Hoc tibi Theſei populatrix miſit Hymetti
Pallados è ſiluis nobile nectar apis.

POPVLATRIX] periphraſis apis, quæ & mellilegæ puellæ dicuntur, quarum regnum, & politiam Virgilius 4. Georg. deſcribit. Attica mella reliquis anteferri conſtat ex Plinio, & poetis omnibus. HOC TIBI THESEI] Theſeus Rex Athenienſium. HYMETTI] hymettus mons Atticæ. PALLADOS] Pallas enim præſes Atticæ. NOBILE NECTAR] periphraſis mellis. Plinius diuinum nectar. Virgilius cœleſte donum appellauit.

Faui Siculi.

C. CV.

*Cùm dederis Siculos * mediis de collibus Hyblæ.*
Cecropios dicas tu licet eſſe fauos.

* medio.

Melli Siculo dat ſecundas. Nam Hybla mons eſt Siciliæ, & oppidum ab Hyblone Rege
CECROPIOS] Atticos: confert mel Siculum cum Attico. Cecrops,
Athenienſium Princeps

Passum.

CVI. CI.

Gnosia Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

Liquor dulcis ex passo.

Passum vt docet Nonius cap. 4. dicitur, quod ex vua passa cogitur. Virgil. lib. 2. Georg. *Et passo Psythia vtilior.* Et cap. 17. *Passum nominabant. si in vindemia vuam diutius coctam legerent, eamq́; in sole aduri passi essent.* Ibid. lib. 20. cap. 3. *Passum, quicquid ex vua passa compressum effluxerit, dicitur autem passum, à patiendo, nam percutitur vua siccior. & decoquitur, & inde fit passum.* Et Plinius: *Quin & à Patientia nomen acinis datur passis.* lib. 14. cap. 1. sed notant alij Plinium, & à pandendo passum non à patientia deducunt. passas enim vuas dici volunt quod ad solem expandantur. legatur Dalechamp. ad Plin. sed quo pacto passum fiat, docet Columella l. 12 c. 39. & Palladius Octob. tit. 19.

GNOSIA MINOÆ CRETÆ VINDEMIA] Creta Gnosia vocatur à Gnossa vrbe Cretæ, & regia Minois. De hac vindemia Plinius lib. 14. cap 9. *Passum à Cretico, Cilicium probatur, & Africum, & in Italia, prouinciisq́; finitimis. Fieri certum [illegible] ex vua, Græci sticam vocant nos apianam, Item scirpula, diutius in vite sole adustis, aut feruente oleo. Quidam è quacunq́; dulci, dum præcocta alba faciunt, siccantes sole, donec paullo amplius dimidium ponderis supersit. tusasq́; leniter exprimunt. Deinde quantum expressêre adiiciunt vinaceis aqua puteana, vt & secundarium passum faciant.* Plura de pluribus passis ibidem.

HOC TIBI QVOD MVLSVM PAVPERIS ESSE SOLET] Passum vilius est (præsertim secundarium) mulso: mulsum enim ex melle & falerno fiebat, aut alio nobili vino. passum ex vuis quidem, nec tam præstantibus, aqua semper in secundario affusa. Hoc ergo tibi genuit vindemia Cretæ seu expressit liquoris, quod pauperibus mulsum est. non item diuitibus.

Picatum vinum.

CVII. CII.

Hæc de vitifera venisse picata Vienna
Ne dubites, misit Romulus ipse mihi.

Viennam Allobrogum intellige.

Picatum vinum duplex est, alterum arte factum, ex resinæ fluxu, alterum, quod sponte naturæ suæ picem resipit, quod, illo facto, melius est, & hoc propriè Picatum appellatur, vt me docet Plinius lib. 23. cap. 1.

HÆC DE VITIFERA VIENNA] Dubitas, an hoc vinum picatum sit Viennense, quod resipiat picem? ne dubita, est Viennense, hoc enim verba docent. De Viennensi vino Plinius lib. 14. cap. 1. *Iam inuenta vitis per se in vino picem resipiens, Viennensem agrum nobilitans, Aruerno, Sequanoq́; & Heluico generibus non pridem illustratur. Atq; hæc Virgilij ætate incognita, à cuius obitu nonaginta aguntur anni.* Viennam hic Galliarum, non Germaniæ intellige.

MISIT ROMVLVS IPSE] si Vienna Allobrogum ex Narbonensi prouincia sunt allata, hæc picata, vt ex Plinio doctum, quomodo Romulus ipse misit? An idem in Italia postea natum? Hoc Domitius affirmat, sed absque tabulis, nihil enim de hac re Plinius, qui Allobrogicum & Viennense appellat. Quomodo ergo misit Romulus? quia apud Romanos hoc genus vini in summo precio fuit. Plutarchus lib. 5. Symp. quæst. 3. ἐκ δὲ τῆς περὶ Βίενναν γαλατίας ὁ πισσίτης οἶνος κατακομίζεται· διαφερόμενος ὑπὸ τῶν ῥωμαίων *Ex Vienna Galliarum fertur picatum vinum, immenso precio Romanis æstimatum,* vt Romulo dignum munus videri possit. Laudat idem Celsus lib. 4. c. 5. vbi de stomachi morbis agit, *potui aptissimum est vinum,* &c. Rheticum vel Allobrogicum, aliudue quod & austerum & resina conditum est. Miror recentiores Oenographos in suis immanibus libris nihil de tam nobili vino affudisse aut saltem aspersisse suis libris. ROMVLVS IPSE] An Romulus hic ambigue accipiendus pro Romulo vrbis conditore, & cognomine aliquo poetæ amico, qui ex Gallia transmisit munus suo vati?

Mulsum.

Mulſum.

CIII. CVIII.

Attica nectareum turbatis mella Falernum:
Miſceri decet hoc à Ganymede merum.

Mulſum à mulcendo dicitur, quaſi melle permulſum, eſt potio ex melle & vino confecta, vt cum Martiale, Plinius lib.22.cap.24. his verbis docet: *Semper mulſum ex vetere vino vtiliſſimum, facilliméq; cum vino concorporatur, quod in dulci nunquam euenit.* De eius vſu & vtilitate ibi plura.

ATTICA MELLA TVRBATIS NECTAREVM FALERNVM] alloquitur ipſa mella, à quibus Falernum turbari, id eſt, miſceri dicit, ſimulque docet, quid ſit mulſum, & vnde fiat, ex melle nempe & vino. optimum mulſum erit, ſi Attica mella temperabunt Falernum, hoc eſt, optima mella optimum vinum.

MISCERI DECET HOC A GANYMEDE MERVM] dignum eſt, inquit, mulſum, quod à Ioue bibatur; tam dulce & gratum eſt; diuitum erat potio, vt Martialis ſupra oſtendit, cum dixit,

Nos alicam, mulſum poterit tibi mittere diues.

Et paullo ante de paſſo, *——quod mulſum pauperis eſſe ſolet.*

Euſdem mulſi frequens mentio eſt apud Cic. 2. de Finib. & 2. de Orat. lepidum dictum Granij, qui patrono ſeu Oratori inepto ſuadebat, vt ſimulac domum rediiſſet, mulſum frigidum biberet. *Perdam*, inquit, *vocem, ſi id fecero. Melius eſt*, inquit, *quam reum.* A mulſi dulcitudine ſunt illa Plautina. *Mulſa loqueris, mea mulſa*, id eſt, mea ſuauitas, *mulſa dicta*, id eſt, dulcia & blandientia dicta. De eodem mulſo ex melle, & Falerno vini commodante ieiuno ſtomacho. Horatius lib.2.ſerm.ſat.4.

Aſperat enim frigidum & calidum. liquidam & puram reddit vocem.

Aufidius forti miſcebat mella Falerno,
Mendoſe: quoniam vacuis committere venis
Nil niſi lene decet: leni præcordia mulſo
Proluerit melius——

Athenæus duo genera Falerni facit, alterum auſterum, dulce alterum. Auſterum melle lenire, & mitigare ſolebant veteres, ex eoque mulſum conficere. nec tamen ita potuit miſceri, quin aliquid auſteritatis remaneret. Vide Lambinum ad Horat. & Iuuen. ſat.13.

——denſiſſima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.

Albanum.

CIV. CIX.

Hoc de Cæſareis mitis vindemia cellis
Miſit, Iulæo quæ ſibi monte placet.

Optima vini genera enumerat, quæ Xeniorum vice donabant, inter quæ mulſum quaſi præfationem & procemium poſuit, quod in * antecœnio ponebatur ad vacuum ſtomachum recreandum. Albanum Plinius in tertio genere ponit, quod & dulce ſit, & in Albano agro naſcitur. de quo ſic Athenæus lib.1. γίνεται ἢ περὶ τὴν καμπανίαν κύμινὸ χαλλιυτος ἀλβανὸς, ποτιμος, κοῦφος ἀπὸ ἐτῶν πέντε. *Naſcitur & in agro Campaniæ Cumano vinum Albanum quod appellatur, ad potionis vſum accommodatum, & leue ab annis quinq;.* Plinius lib.23.cap.1. *Albana neruis vtiliora & virium plus Surrentino, auſteritas Albano, &c.* Et lib.14.cap.2.& cap.6. *Ad tertiam palmam variè venêre, Albana Vrbi vicina prædulcia rara in auſtero. Eugeniam* (ſub. vitem) *Taurominitani colles cum generoſitatis cognomine* (id eſt, Eugenia) *miſere Albano tantum agro, quoniam translata ſtatim mutatur.* id laudat Horat. lib. ſerm.2.ſat.8.

** Petronij Trimalcionem lege.*

Cæcuba vina ferens: Alcon Chium maris expers
Hic herus Albanum Mæcenas, ſiue Falernum.

Et Iuuenalis ſat.13. *——ſed vina Rufellus*
Expuit: Albani veteris pretioſa ſenectus
Diſplicet oſtendas melius- - -

Ed lib.4.Carm od.2. *Eſt mihi nonum ſuperantis annum*
Plenus Albani cadus- - -

DE CÆSAREIS CELLIS] Albanus mons & ager, ſeceſſus erat Principum, vt ſupra ex Suetonio docuimus. De cellis vinariis lege Plinium lib. 14.cap.21. Dedit poeta huic primas propter Domitianum Cæſarem, qui frequens in Albano erat.

VINDEMIA] cauſa pro effectu, vindemia expuit vinum. MITIS] quia Albanum vinum non acre, ſed prædulce, vt Platina docet.

Liuius lib. 1. & aly.

IVLEO] ab Iulo Æneæ filio, qui Albam condidit, vocat montem Iulæum. Vindemia, quæ sibi placet ob montem Iuliæum Cæsarum, illa vinum mite misit Albanum dictum.

Surrentinum.

CX. CV.

Surrentina bibis, nec myrrina picta, nec aurum
Sume, dabunt calices hæc tibi vina suos.

Surrentum Picentinorum vrbs est iuxta mare Thyrrenum. Strabo, Ptolemæus, &c. Hinc vinum Surrentinum. De Surrentino Plin. l. 14. c. 6. *Item Surrentina* (ad tertiam palmam venere) *in vineis tantum nascentia, conualescentibus maxime probata, propter tenuitatem, salubritatemque. Tiberius Cæsar dicebat consensisse medicos, vt nobilitatem Surrentino darent, alioqui generosum esse acetum. C. Cæsar, qui successit illi, nobilem Vappam.* Athenæus lib. 1. cap. 24. *Surrentinum XXV. anno incipit esse potile, quia est pingue & valde debile. ac vix digeritur, atque inueterascens solum fere est idoneum illis continuo vtentibus.*

NEC MYRRHINA PICTA] pocula intellige myrrhina vel aurea. Nam vinum surrentinum surrentinis vasis bibendum: sunt enim & illa quamuis fictilia, non tamen ignobilia. De Myrrhinis seu Murrhinis lib. 14. ep. 113. Ibidem de calicibus surrentinis 108. epig.

Muscateller.

Falernum.

CXI. CVI.

De Sinuessanis venerunt Maßica prælis,
Condita quo, quæris, consule? nullus erat.

Oppidum Sinuessa extremum in adiecto Latio, quod quidam Sinopen dixêre vocitatum. Plin. lib. 3. c. 5. *Secunda nobilitas Falerno agro erat.* Idem lib. 14. cap. 6.

MASSICA] Plinius eodem loco videtur Massica distinguere à Falernis. FALERNVM] de hoc Athen. l. 1. c. 24. ὁ Φαλερνῖνος οἶνος ἀπὸ ἐτῶν δέκα, &c. *Falernum ab annis decem est potus aptum, & à 15. vsque ad 20. Quod autem spacium hoc pertransierit graue est capiti, & neruos accendit: species ipsius duæ sunt, austerum & dulce, &c.*] Dicuntur Falerna à Falerno agro Campaniæ, vel Falerno agricola, qui primus coluisse falernam vitem traditur à Silio. Optimum vini genus. Platina. Falernum laudauêre omnes, maxime vero Maro omnium continentissimus. sæpius Martialis supra.

DE SINVESSANIS VENERVNT MASSICA PRÆLIS] Sinuessa prius Sinope, auctoribus Liuio & Plinio dicta, Campaniæ maritima vrbs est: vnde Sinuessanum vinum, & Sinuessanæ aquæ, virorum abolentes insaniam, vt non plane inanis videatur fabula, quæ circumfertur apud Germanos de insanis fonte tingendis.

SINVESSANIS PRÆLIS] Sinuessæ enim Maßica seu Falerna coquebantur. Maßicos Montes à Falernis. Plinius lib. 3 cap. 5. distinguit, quos tamen ait esse vicinos. *Hinc Setini & Cæcubi, inquit, obtenduntur agri. His iunguntur Falerni, Caleni. Dein consurgunt Maßici, Caurani, Surrentinique montes.* Nihil tamen prohibet idem genus Falernum & Massicum fuisse.

CONDITA QVO QVÆRIS CONSVLE? NVLLVS ERAT] Ætatem Falerni laudat, quem statu consulari maiorem, seu antiquiorem πατρικῶς affirmat.

NVLLVS ERAT] vinum hoc conditum est cum adhuc Reges imperarent. Plinius vetustissimum vinum ducentorum annorum non amplius ab Opimio Consule prodit lib. 14. cap. 4. quando scribit. *Anno fuit omnium generum bonitas. L. Opimio Consule cum C. Gracchus Trib. plebem seditionibus agitans, interemptus, ea cœli temperies fulsit, quam cocturam vocant, solis opere. Natali Vrbis D.C.XXXIV. durantque adhuc vina ducentis fere annis, iam in speciem redacta mellis asperi. Et enim hæc natura vinis in vetustate est, nec potari per se queunt si non peruincat aqua, vsque in amaritudinem carie indomita.* De Falerni vetustate Cic. in Bruto, *Vt si quis,* inquit, *Falerno vino delectetur, sed eo nec ita nouo, vt proximis Coss. natum velit, nec rursum ita veteri, vt Opimium † aut Anitium * Coss. quærat. Atque hæ notæ sunt optimæ credo, sed nimia vetustas, nec habet eam, quam quærimus, suauitatem, nec est iam sane tolerabilis.* Hinc Iuuenalis Falernum vocauit *indomitum*, quod vix etiam plurima aqua affusa temperari possit ad potionem. Contraria vini genera sunt apud Galenum ὀλιγοφόρα, quæ parum aquæ patiuntur, subito enim aquescunt propter tenuitatem, supra Horat. passim de Falerno. Plinius lib. 23 cap. 1. *Falernum nec in nouitate, nec in nimia vetustate corpori salubre est. media eius ætas à decimo quinto anno incipit, &c.*

** L. Opimius Consul ab V. C. DCXXXIV. * L. Anitius DXCIII. De Opimiano tractat Plin. verbatim l. 14. cap. 14.*

Setinum.

CVII. CXII.

*Pendula * Pontinos quæ ſpectat Setia campos,*
Exigua vetulos miſit ab vrbe cados.

* Pomptinos

Setina Campaniæ oppidum eſt, vnde Setini & vinum ſetinum. Plinius lib. 3. cap. 5. & libro 23. cap. 1. *Cæcuba iam non gignuntur: at quæ ſuperſunt Setian, cibos concoqui cogunt.*

PENDVLA SETIA] in edito ſitam loco docet; nec magna erat & ampla ciuitas, vt ſequens verſus oſtendit, *exigua ab vrbe.* Pontinos ſeu Pomtinos, campos, paludes pontinas dicit, quas Cæſar conatus eſt ſiccare, de quibus ſupra lib. 2. retulimus ex Plauto. De Setino Athenæus lib. 1. c. 24. ὁ δὲ Σετῖνος τῶν πρώτων ἐστὶν οἴνων, ἐμφερὴς τῷ Φαλερίνῳ ἀλλ' ἐλαφρότερος Setinum prioribꝰ ſimile, Falerno lenius, nec capiti nocet. *Diuus Auguſtus Setinum prætulit cunctis, & ferè ſeculi Principes confeſſa propter experimenta non temere, cruditatibus noxiis ab ea ſaliua, naſcitur ſupra forum Appij.* Plinius lib. 14. cap. 6.

Fundanum.

CVIII. CXIII.

Hæc Fundana tulit fœlix autumnus Opimi,
*Expreſſit * mulſum conſul, & ipſe bibit.*

* muſtum roſtrum.

Fundanum; inquit Athenæus lib. 1. cap. 24. *robuſtum eſt, & multum nutrit, caputq; & ſtomachum pertentat, quare non multum bibitur in ſympoſiis.* Plinius Setino, Pucino, & Statano primas dat, ſecundas Falerno, Fauſtiano, Gaurano ſeu Maſſico, quæ tria ſunt genera Falerni; tertias Albano, Surrẽtino, Fundano & Caleno, quæ poſtrema prioribus nobiliora duobus. Quartas ex Plinio meretur Mamertinum, Potulanum, Taurominitanum, &c. Fundana in vineis arbuſtiſque naſcuntur.

Lib. 14. c. 6.

HÆC FVNDANA] vina. AVTVMNVS FOELIX] Opimio Conſule, ea cœli temperies fulſit, quam cocturam vocant. hoc eſt, qua optima & generoſiſſima vina fæliciſſimè proueniebant. eam tempeſtatem Martialis fælicem autumnum nominat. Fundana autem à Fundis oppido Campaniæ dicuntur. OPIMI] Conſulis. Omnia tunc genita vnum habent Conſulis huius nomen. Plinius lib. 14. hinc omnia vina tunc dicebantur Opimiana. Cicero vini Anitiani mentionem facit, vt ſuprà diximus.

De Opimio Coſ. Plinius l. 14 cap. 14. Multa de hoc Opimio Velleius l. 2.

EXPRESSIT MVLSVM CONSVL, ET IPSE BIBIT] Expreſſit mulſum, vinum, quod vetuſtate naturam mellis induit: nobis ergo mulſum, ſibi muſtum; legendum muſtum potius, niſi poeta tralatè locutus. IPSE BIBIT] muſtum, quod ex Fundana vua tam dulce eſt, ac mulſum. De Opimiano vino ſæpe ſuprà actum.

Trifolinum.

CIX. CXIV.

Non ſum de primo fateor Trifolina Lyæo
Inter vina tamen, ſeptima vitis ero.

De Trifolino Athenæus lib. 1. c. 24. *Tardius, inquit, ad vigorem accedit Trifolinum, eſt enim Surrentino craſſius.* De eodem Plinius lib. 14. cap. 6. *Campania nuper excitauit nouis nominibus auctoritatem ſiue cura, ſiue caſu, ad quartum à Neapoli lapidem, Trebellicis iuxta Capuam, Caulinis, & in ſuo agro Trebulanis, alioqui ſemper inter plebeia & Trifolinis gloriata.*

NON SVM DE PRIMO] Ego vitis trifolina non accedo ad primam vini palmam, procul tamen recedo ab extrema, ſum aliquo numero, quamuis inter plebeiam non ita pridem numerata.

INTER VINA TAMEN SEPTIMA VITIS ERO] Nam, ſex genera iam enumerauerat: Fundanum, Setinum, Falernum, Surrentinum. Albanum, primum Picatum natiuum. Galenus apud Athenæum lib. 1. c. 24. hoc ordine Italica vina laudat, vt ſeptimum ſit Trifolinum. Quod vt videas, ipſa vina eo ordine ponam, quo ſunt apud Athenæum. Falernum primum; proximum Albanum, tertium, Surrentinum, ſequitur Rheginum, deinde Priuernas; ſextum Formianum, ſeptimum Trifolinum.

Iuuen. ſat. 9 Te Trifolinus ager fæcundis vitibus implet.

Cœcubum.

CXI. CX.

Cœcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis,
Vitis & in media nata palude viret.

Cœcubi agri in Cāpania. Plinius lib. 3 cap. 5.

Nomen, locum, no[illegible]cem Cœcubi, prędicat hoc disticho. De nobilitate & nomine Horatius lib. 1. Carm, od. 37.

Ante hac nefas deprōmere Cœcubum
Cellis auitis. ——

Et lib. 2. od. 14. *Absumet hæres Cœcuba dignior*
Seruata centum clauibus ——

Et lib. 1. od. 20. *Cœcubum & prælo domitam Caleno*
Tu bibes vuam ——

Et od. 28. lib. 3. & lib. Epod. od. 9. & lib. ser. 2. sat. 8. Tarenti est apud Horatium Cœcubū. De generositate Cœcubi Athenæus lib. 1. c. 24. Generosum præterea Cœcubum, percutitque, & est robustum, inueterascit post annos multos. Plinius l. 23. c. 1. Cœcuba iam gignuntur.

CŒCVBA FVNDANIS GENEROSA COQVVNTVR AMYCLIS. VITIS ET IN MEDIA NATA PALVDE VIRET] Ad eandem sententiam Plinius l. 14. c. 6. *Antea Cœcubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano: quod iam intercidit. & incuria coloni, locique angustia. Magis tamen fossa Neronis, quam à Baiano lacu Ostiam vsque nauigabilem inchoauerat.* Amyclas autem Strabo vrbem Laconiæ facit. & Plinius l. 4. c. 5. Dehinc à Tænaro ager Laconicus, &c. oppida Tænarum, Amyclæ, Phocæ, Leuctra, & intus Sparta, &c. Sed fuere etiam Amyclæ in Italia, teste Plinio libr. 18. c. 29. à serpentibus deletæ: vnd sinus Amyclæus vocatur, de quo loco Martialis. Seruius ad 10. Æneid.

——tacitis regnabit Amyclis.

Amyclæ oppidum inter Caietam & Tarracinam à Laconibus excitatam, qui comites Castoris & Pollucis fuerunt, & ab Amyclis prouinciæ Laconicæ ciuitati nomen indidere. Et quia Pythagoræi erant, serpentibus parcebant, à quorum succrescente multitudine sunt deleti. Taciti verò, quia Pythagoræi, vel quia silentio vrbem perdiderunt. *Mihi necesse est loqui; nam scio Amyclas silentio periisse.* quo pacto id acciderit, leges apud Seruium.

FVNDANIS] vide vinum Fundanum. De hoc ita Brodæus lib. 2. ad epig. græce. *Cœcubi agri mentio est apud Plinium, Columellam & Strabonem lib. 5. à quo & vinum Cœcubum denominatum ostendunt cum Martiale. Nec te lateat Falernum & Maßicum pro eodem sumi ob vicinitatem agri. De vinis Italicis consule Athenæum, Plinium, Dioscoridem, Galenum.*

Signinum.

CXVI. CXI.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem,
*Ne nimium * sistant, sit tibi parca sitis.*

*sitiat, melius sistant.

Vini Signini vim & naturam exprimit, aitque modicè bibendum, ne nimium astringat aluum.

POTABIS LIQVIDVM] si lubrico solutoque laborabis ventre, signinum bibes; sistet enim aluum. Athenæus de vinis Ital. *Signinum bonum est ad annos sex, vetus multò etiam melius.*

MORANTIA VENTREM] Ita testatur Plinius lib. 14. c. 6. *Nam quod Signia* (oppido Italiæ) *nascitur, austeritate nimia continendæ vtile aluo inter medicamina numeratur.* Lege Platinam.

SISTANT] sitias legunt alij, quod hoc genus vini quo plus potatur, plus accendat sitim. Generatim potest gnome videri, vt illa:

Quo plus sunt pota, plus sitiuntur aqua.

Ita qui magnis & frequentibus adsuescunt, iecur inflammant, vt assiduè sitiant. Sed retineo *sistant*, quod primo versui melius respondet.

PARCA SITIS] causa pro effectu, ad potionem inuitat sitis, multa sitis ad multos haustus.

Mamertinum.

CXII. CXVII.

Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta
Si detur, quoduis nomen habere potest.

Messana, vt Plinius, & Cicero, Massena, vt Strabo. Ptolemæus & Stephanus vocant, Siciliæ Vrbs & Emporium est, ad fretum Mamertinum. Mamertinum à Mamertinis, incolis Siciliæ. Cic. in Verrinis dicitur Athen. de vinis Italicis. *Mamertinum nascitur extra Italiam quod in Sicilia Iotalinum dicitur, suaue est & robustum.*

AMPHORA NESTOREA SENECTA] Laudat Mamertinum vetus. Nestor enim trisæclis, hoc est, 90 annorum (aut trecentorum, vt alij volunt, de qua re supra dictum) Poeta hic Nestoream senecturem ponit pro vino vetustiore. Amphora autem est vas vinarium, quod in omnem partem pedem continet. hic species pro genere ponitur.

MAMERTINA] Mamertino vino Iulius Cæsar auctoritatem conciliauit. quod his verbis testatur Plinius: *Quartum curriculum* (quartam palmam) *publicis epulis obtinuere à D. Iulio (is enim primum auctoritatem his tribuit, vt in epistolis eius apparet.* MAMERTINA] circa Messanam in Sicilia genita. QVODVIS NOMEN HABERE POTEST] seu Falernum, seu Setinum, tunc cura de nomine, siue Iotalinum, siue mamertinum, siue Siculum nominetur: sed pota largiter, est enim & dulce & egregium.

Tarraconense.

CXIII. CXVIII.

Tarraco Campano tantùm cessura Lyæo;
Hæc genuit Tuscis æmula vina cadis.

Tarraco ciuitas Hispaniæ citerioris, quæ & à ciuitate Tarraconensis Hispania appellatur. Ptolemæus, Plinius & alij. Hinc vinum Tarraconense. Condita à Scipionibus (non Phocensibus, vt Domitius errat) Plinius, Solinus, Merula. Laudat Hispanum vinum, Hispanus Poeta, & (præter Falernum & Albanum nataque in Campania) cæteris omnibus Tarraconense anteponit.

TARRACO CAMPANO TANTVM CESSVRA LYÆO] Idem scribit Plinius lib. 14. cap. 6. *Hispaniarum Laletana copia nobilitantur, elegantia vero Tarraconensia, atq; Lauronensia, & Balearica ex Insulis conferuntur Italiæ primis.* Hæc) Tarraco ciuitas.

GENVIT VINA] quis non intelligat metaphoram? ÆMVLA VINA TVSCIS] Italicis pars pro toto, Tarraconense enim vinum par Italicis, imo melius præter vina Campaniæ. Cæcuba, Setina, Falerna, Calena, Massica, Gaurana, Surrentina Faustiana. Tuscum vinum erat laudatissimum: Plat. lib. 10. de vino. Plinius lib. 14.

Nomentanum.

CXIV. CXIX.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum,
Si te Quinctus amat, commodiora bibes.

Non admodum laudat suum vinum, id est, in agro Nomentano natum, vbi prædium habebat Martialis. De Nomentano tamen, Athenæus lib. 1. cap. 24. *Nomentanum*, inquit, *cito ad vigorem accedit, & ab annis quinq; potui aptum est enim neq; valde dulce neq; tenue.* De vitibus Nomentanis Plinius lib. 14. ca. 2. *Proxima dignitas Nomentanis rubente materia, quapropter rubellas quidam appellauere vineas. Ex minus fertiles vino, acinis & fecinis a, contra pruinas fortissimæ, siccitate magis, quam imbre, æstu, quam algore vexantur. Quamobrem in frigidis, humidisq; principatum obtinent, &c.* Nomentanum agrum excoluit Abilius Sthenelus è plebe Libertina LX. iugerum, non amplius M. C C C C. nummûm venundatum, vt Plinius ibidem tradit. forte legendum C C C C M. numûm. MEVM] ibi enim villam, fundum & prædium habebat.

SI TE QVINCTVS AMAT] Nomentum erat ad X. Lapidem ab vrbe, vbi Palæmon Grammaticus habitauit, & Quinctus Ouidius Martialis amicus, ad quem plura extant epigrammata. si fueris amicus Quincti, meliora bibes. Quinctus enim diligentius agrum colit, quam ego, aut

acetum ex Ægyptio vino præstantissimum est, plurisque constat, ac vinum, antequam acescat. Sed quod Domitius refert, acetum fieri ex vino Mareotico, verisimile non est. Illud enim antequam acescat, est nobile, & apud Athenæum lib.1.cap.30.laudatissimum, & laudatius adhuc Tænlacum. Circa Nilum vero vinea multa est, ex qua Miliacum crediderim acetum factum.

VILIOR ILLA FVIT] amphora vinacea, non tanti, quantum factum inde acetum, æstimabatur. Eulalius Patriarcha Alexandrinus S. Gregorio Pontifici de Mareotico vino misit, vt est in Greg. epistolis, & alij obseruarunt. malim legere vini, quam vinum. Extat Symposij ænigma de aceto e vino,

Sublatum nihil est, nihil est extrinsecus auctum,
Quod fuerat non est, cœpit quod non erat esse,
Nec tamen inueni, quicquid prius esse reliqui.

Massilianum.

CXVIII. CXXXII.

Cum tua centenos expugnet sportula ciues;
Fumea Massiliæ ponere vina potes?

Massilianum vinum non vitupetat Athenæus, *bonum*, inquit, *densum, corpulentumq́ sed exiguũ reperitur.* [Lib. 1.] Sententia Distichi videtur. cum alas tuis sportulis distribuendis centum clientes, hoc est, cum tam diues sis, cur potas Massiliensem fumum, seu vinum infumatum? aut cur aliis potandum apponis? cum interrogatione. cum possis melius & salubrius ponere & potare. Est enim vt docet Plinius lib. 23 cap.1. fumo inueteratum insaluberrimum. Cum in sportulis sis tam liberalis, cur in vino tam parcus? vel cum inuites illos ad te colendum, cur fumo Massiliensi arces & sportulis necas? Altera explanatio est sine interrogatione. Cum centum alumnos habeas, merito apponis Massiliense, hoc est, ingratum, vt parum inde bibatur, parcaturque sumtui. si aliud genus poneres, exhaurirent opes tuas tot clientes, turbę sufficit hoc. Hæc ita placent, dum meliora occurrant. Martialis prioribus libris sæpe reprehendit idem Massiliense lib. 3.ep. 82. & lib.10.ep. 36.& 12.ep.84.&c. *vel cocta fumis musta Massilitanis.* Ios. Scalig. multa Andreas Baccius lib.6.de vinorum historia. Massilitanis legendum est propter scazontem, non Massilianis. [*Superior tamen hoc melior videtur.*]

Cæretanum.

CXIX. CXXIV.

Cæretana Nepos ponat, Setina putabis:
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

Laudat Cæretanum vinum, & cum Setio primæ notæ contendit, idque non turbæ, vt Massiliense, sed paucis, ob præstantiam ponendum docet. De agris Cæretanis, & quatuordecim eius iugeribus habes apud Martialem lib.6.ep. 73. ad Priapum.

Nam Cæretan cultor notissimus agri
Hos * *Hilarus colles & iuga læta tenent* [* Hilarii.]
Vicini, moneo, sanctum celebrate Priapum
Et bis septeni parcite iugeribus.

Cære est vrbs Tusciæ, si Cæretanus fluuius, Cæretani agri in eadem vicinia. Philippus Beroaldus Cæretana non à Cæretibus Hetruscis, sed Hispanis à Martiale dicta asserit. NEPOS] nomen proprium, amicus fuit Martialis, de quo lib.10.ep.48. [De Cæretanis Tuscis supra ep. 54.]

Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis;
Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.

SETINA PVTABIS] De Setinis iam paullo ante dictum. NON PONIT TVRBÆ CVM TRIBVS ILLA BIBIT] est enim nobile vinum amicissimis tantum intimisque propinandum. Vinum Dominicum Petronius appellat, quod conuiuator, non conuiuæ bibebant. supra in lemmate Perna, laudauit Cæretanam Pernam sed ibi putatur locutus de perna Hispana Cerretanam legunt alij ex Athenæo. cum de Hispanis est sermo. Cæretana porto Tusciæ balnea celebrantur Cæreque nobilissimum quondam fuisse oppidum scribit Mercurialis ex Strabone lib.1. Var. cap.13. Vini Cæretani nec Athenæus, nec Plinius, quantum meminisse possum mentionem faciunt. Iunius etiam putat vinum Cæretanum, esse non Italum, sed Hispanum. De Cæretanis Plinius lib.3.cap.3.

CVM TRIBVS] an amicis, an cum vxore & filia, quam vnicam tantum habuit, vt ex 6.lib. ep.27. discis? amicis credo.

Taren-

Tarentinum.

CXXV. CXX.

Nobilis & lanis, & fœlix vitibus Aulon,
Det pretiosa sibi vellera, vina mihi.

Tarentum Ouidio & Virgilio OEbalia dicta. Aulon autem iuxta Tarentum Achiuorum monumentum, & opus nobile lanis & vino, vt Domitius censet: at ego nomine αὐλῶν intelligo sinum Tarentinum. Martialis vellera seu lanas Tarentinas non expetit, vinum maxime sitit. Tarentinum vinum Athenæi testimonium celebrat lib. 1. cap. 24. *Tarentum*, inquit, *& reliqua sub hoc climate nascentia vina mollia sunt, ac neq; percutiunt, neq; intendunt, & conferunt stomacho.* Et Plinij libro 14. c. 9. *Verum & longinquiora Italiæ ab Ausonio mari non carent gloria Tarentina & Surrentiana.*

NOBILIS ET LANIS] nat iuis & infectis. Plinius de lanis Tarentinis lib. 8. c. 48. *Circa Tarentum Canusiumq; summam nobilitatem habent.* De infectis Horatius lib. 2. epist. —— *Quid placet ergo Lana Tarentino violas imitata veneno:*

AVLON] αὐλῶνα, sinum, portum maris angustum significat. Hic sinum Tarentinum intelligit de quo Plinius lib. 3. c. 11. Est conuallis à Tarento Brundusium vsque. Aulonem laudat Hor. lib. 2. carm. c. 6. Virg. 3. Æn. Caulonem appellat:

Caulonisq; arces & naufragum Scylaceum.

Ad quem locum multa Nicolaus Erythræus in voce Scylacæum, Caulonia, quasi Vallonia à vicina conualle nominata, ab Achiuis ædificata. Horatius montem agri Tarentini laudat aulona Od. 6. lib. 2. 4. —— *amicus Aulon Fertili Baccho nimium Falernis Inuidet vuis.*

Vnguentum.

CXXVI. CXXI.

Vnguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas,
Ille habeat nummos; hæc tibi tota dato.

Vnguentorum vsus tantus erat apud veteres, vt non solum humanis corporibus, iisque viuis ac mortuis adhiberentur, sed etiam aquilæ bellicæ, in castris festa luce imbuerentur. L. Plotius à Triumuiris proscriptus in Salernitana cauerna latitans [illegible] oris fragrantia proditus interijt. Addiderunt etiam in potu vnguenta, sed de hoc genere toto sæpe iam dictum. legatur de ratione & generibus vnguenti Plinius lib. 13. c. 2. & prioribus. Athenæus l. 15. cap. 14. & sequentibus. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pæd. cap. 8. de vnguentis & coronis. Tertullianus, & alij.

Videtur alludere mori funebrium epularum.

VNGVENTVM HÆREDI NVNQVAM] Præceptum hoc ex Epicuri disciplina, vt quisque suis bonis præsens præsentibus fruatur, præsertim quæ ad cutem curandam pertinent. In quo genere vina, odores, vnguenta, cupediæ, &c. numerantur.

VNGVENTVM HÆREDI NVNQVAM] nec omne genus vnguenti relinqui potest, tametsi quædam ipso tempore sint meliora. Attende Plinium. *Hæc est*, inquit, *natura luxus, è cunctis maxime superuacui. Margaritæ enim gemmæq; ad hæredem tamen transeunt, vestes prorogant tempus: vnguenta ilico expirant, ac suis moriuntur horis.*

NEC VINA] Haud negatum it poeta subinde, & vnguenta, & vina fuisse hæredibus relicta sed monet, vt abutatur his Dominus, nec curet legare, quando ad præsentem voluptatem sunt comparata. Alioqui legimus apud Varronem, vel ab vnico Hortensio, super decem millia cadûm hæredi relicta esse.

Plinius lib. 14. c. 14.

ILLE HABEAT NVMMOS: HÆC TIBI TOTA DATO] quæ sint leganda, quæ vsu absumenda, docet. lege ep. 77. lib. 8. ad liberum amicum.

Corona rosea.

CXXVII. CXXII.

Dat festinatas, Cæsar, tibi bruma coronas,
Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est.

Extremo disticho adulatur Cæsari Domitiano velut Deo(vt supra cum conuiuium Xeniorum inchoaret à ture) ad cuius nutum natura vertat vices, solita prius rosam vere tantum gignere, nunc æ. & autumno, imo ipsa hyeme. quod hominum solertia fiebat, id Cæsaris diuinitati attribuit. De rosis hibernis & luxu Romanorum multa Liuineius ad Mamertini panegyr. Iuliano dictum p. 316.

DAT

DAT FESTINATAS CORONAS] De coronis in cœnis & conuiuiis priscorum vsurpatis disputatum multis locis supra. festinatas vocat præcoces, & ante tempus prouenientes. Brumam exponit Domitius Domitianum mensem, Octobrem, sed October est medius autumni mensis, non hyemis. Bruma autem hyemem significat. dicta enim est bruma, docente Varrone de lingua lat. *quod breuissimus dies est*, qui in Decembrem sine controuersia semper incidit quo Saturnalia celebrabantur & Xenia mittebantur. Et vero de hibernis hic agi nulla est dubitatio, cum lib. 6. ep. 80. diserte dicat, Romæ omnes vias rubere sertis brumalibus roseis; credas, licet, ipsi poetæ sic canenti,

Bruma solstitium hybernum significat, vt supra dixim.

> *Vt noua dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus*
> *Miserat hibernas ambitiosa rosas.*
> *Nauita derisit Pharios Memphiticus hortos,*
> *Vrbis vt intrauit limina prima tuæ.*
> *Tantus veris honos & odora gratia Floræ, &c.*

Sed cur Poeta? *Quondam Veris erat, nunc tua facta rosa est.* Quia Ver ipsum per se natura sua gignit rosam. bruma non nisi iussu & voluntate Cæsaris, ad cuius nutum se natura accommodat, hinc rosa hiberna Cæsaris rosa, cum natura parere Cæsari cogeretur. Cæterum, De hibernis rosis Plinius lib. 21. cap. 4. *Carthagine Hispaniæ hyeme tota præcox*, quo loco de rosis plura leges. Nos Apophoreta prælegemus.

MATTH.

MATTHÆI RADERI
AD
M. VAL. MARTIALIS
EPIGRAMMATON LIBRVM DECIMVMQVARTVM, QVI ET APOPHORETA.
COMMENTARIVS.

QVARTVS DECIMVS LIBER. APOPHORETA, inscriptus, omnis generis sibi munera subministrat. Sunt enim Apophoreta, seu ἀποφόρητα dona Saturnalia, quæ conuiuis dantur domum auferenda, vt ipse poeta exponit. *Præmia conuiuæ det sua quisq; suo.* Eodem intellectu Suetonius in Caligula. *Agitatori Cytheo, seu Eutycho, comissatione quadam, in Apophoretis vicies HS. contulit.* Et in Vespasiano. *Sicut Saturnalibus dabat viris apophoreta, ita Cal. Martiis feminis.* D. Ambrosius clarius &c. sertius exhortatione ad virgines. *Qui ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta secum reportare consueuerunt. Ego ad Bononiense inuitatus conuiuium, vbi sancti Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis & gratiæ reseruaui.* Lampridius Eliogabalo. *Eunuchos pro Apophoretis dedit.* Isidorus ait esse vas escarium plenum pomis, seu aliis rebus inferendis; vocatque Apophoretam. Scribunt super his præter iam laudatos etiam huius æui lumina, Turnebus lib. 9. Lipsius Satur. 1. cap. 16. Docetque ex Symachi lib. 2. & lib. 5. in editionibus munerum donata quoque Apophoreta: Quod fortasse & Suetonius in Caligula astruit, si commissione (vt alij sentiunt) non comissatione legas. Alij Apophoreta aiunt esse dona pro Xeniis remissa, sed auctorem non laudant, nec probant, nec suadent. Obseruandum præterea, non eadē pauperum ac diuitum fuisse dona, eoque poetam dicere: *Diuitis alternas & pauperis accipe sortes.* Erant diuitis pugillares citrei, quincuplices pauperis; eburnei diuitis, triplices pauperis; chartæ maiores diuitis, epistolares pauperis; loculi eburnei diuitis, lignei pauperis. & sic deinceps in plerisque omnibus. Quod si interdum, plura lemmata vnius sortis continentur, subiicitur tamen diuersa, alternanturq; diuitum & pauperum sortes. Hæc ad totius libri intelligentiam, non parum habebunt momenti, si notatis. Nos ad epigrammata properamus.

I.

*Synthesibus dum gaudet eques, * dominusq; Senatus,*
Dumq; decent nostrum pilea sumpta Iouem.
Nec timet Ædilem moto spectare fritillo,
Cùm videat gelidos † iam prope verna lacus.
Diuitis alternas, & pauperis accipe sortes?
Præmia conuiuæ det sua quisque suo.
Sunt apinæ, tricæque, *& si quid vilius istis:*
Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus,
Quos tibi pro cœlo filius ipse dedit?
Vis scribam Thebas, Troiamque, malasq; Mycenas?
Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces.

* dominus, legit. Alciat. libr. 1. præterm. quod domini tum seruis ministrarent. † tam. Seneca epist. 18. Lips. 1 c. Sat. 1. Turneb. libr. 23. cap. 18.

Quo

Quo vis cunq; loco, potes hunc finire libellum:
Versibus explicitum est omne duobus opus.

SYNTHESIBVS] Ad lectorem est Epigramma, quasi præfatiunculæ loco, quo describit carptim Saturnaliorum celebrationem, & libri materiam humiliorem excusat, opusque à breuitate distichorum commendat. Et conueniebant leuia carmina ac facilia facili tempori. Seneca epist. 18. December est mensis, &c.

SYNTHESIBVS DVM G. E. D. SENATVS] Saturnalibus synthesinati incedebant & equites & senatores, hoc est, vestes cenatorias tota die gestabant, cum extra Saturnalia, non nisi vesperi in cœna, & domi, non in foro, synthesibus vterentur. Caussam eandem cum Lipsio facile coniicio, quod per eos dies quasi continua conuiuia agitarentur, maneque lauarent, velut statim ad cœnam transituri. Obtinuit hic mos Imperatorum æuo primum, cum de synthesi sumpta nihil ante ea tempora legatur; togam positam, seruisque per Saturnalia indutam non nego. Ostendit hoc Lipsius lib. 1. Sat. cap. 2. vbi de synthesi & cœnatoria plene & plane disputat; Cur autem poëta dicat, senatum & equites tantum synthesinatos, facile tute coniicis lautiorum hominum fuisse synthesin, non plebeiorum, quod Martialis & alibi insinuauit.

Vndecies vna surrexti, Zoile, cœna,
Et mutata tibi synthesis vndecies.

Nec sentio cum Baysio, qui synthesin viliorem ait vestem; quid enim ostentasset Zoilus. Imò nec est credibile, Neronem Imperatorem plerumque synthesinatum viliori cultu indutum. Multo minus placet dicere morionum fuisse cultum, quod dixere quidam nescio quam σοφοὶ σοφῶς. Synthesis generatim pro qualibet veste sæpe ponitur, hic proprie pro cœnatoria, quæ picta plerumque & florida seu ianthina, seu purpurea fuit. DVMQVE DECENT NOSTRVM PILEA SVMPTA IOVEM] Iouem Domitianum intelligit, nec tu intellige Traianum; Xenia & Apophoreta non vt vltimo loco sunt posita, sic vltimo poëtæ æuo sunt scripta, vt infra clarius disces. Pileos ferebant Romani Saturnalibus, quod supra lib. 11. ep. 7. monuimus ad illum versum:

Permittis puto pileata Roma.

Vbi de pileo & hominum genere, & tempore, locoque pilei ferendi dictum vbertim. NEC TIMET ÆDILEM] Ædiles animaduertebant in aleatores extra Saturnaliorum dies, vt lib. 5. epig. vltimo docet.

Arcana modo raptus è popina
AEdilem rogat vdus aleator.

Idem Seneca loca Ædilem metuentia popinas, vbi plerumque luditur alea, & prostibula nominat. Lege Cuiacium ad lib. 3. Cod. Iust. Titulo de aleæ lusu, & aleatoribus, vbi multa de pœna, & infamia aleatorum.

FRITILLO] Fritillus aliis est alueolus seu abacus, campus, tabula, inquam, lusoria, in quam iaciebantur tesseræ, aliis, Porphyrioni, Turnebo, pluribusque vasculum oblongum & teres, vt imaginem rotundæ turriculæ referat, quod & vocatur pyrgos seu turricula, è qua tali ad fraudem cauendam excutiebantur. Ausonius:

Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,
Omnes, qui fuerant, enumerasse bolos,
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu,
Fundunt excussi per caua buxa gradus.

Sed Calcagninus ostendit fuisse ipsum Abacum seu tabulam, adfirmatque loco Senecæ de morte Claudij, quem eundem locum alij ad contrariam opinationem suam flectunt, vt prope dubius hæream, quam in partem discedendum sit. Accedo tamen Porphyrioni & Grammaticis; nam quo pacto potuerit Claudius pertuso fritillo, hoc est, tabula ipsa, in quam tesseræ iactabantur ludere, non intelligo: Intelligo tamen fritillum pyrgon, seu scalam cauam & rotundam carere fundo potuisse, vt immissas tesseras in vasculum teres, in manus receperit, & per digitos in alueolum miserit, mala fide. Excussimus hunc locum supra lib. 13. epig. 1. & lib. 4. epig. 14. lib. 5. epig. 85. lib. 11. epig. 7. & infra de turricula. CVM VIDEAT GEL. IAM PROPE VER. LACVS] Sensus distichi est: dum Verna non timet Ædilem alea lusurus, cum videat tam prope gelidos lacus, hoc est, cum sentiat adesse Decembrem, quo gelantur aquæ, & aleæ ludus per Saturnalia conceditur. Dum domini sunt synthesinati, dum omnes sumunt pileos, dum serui ludunt, nec timent pœnam, accipe tu à me Apophoreta distichis descripta. Quod existimant nonnulli gelatis per Decembrem lacubus in vrbe vernas fuisse otiosos, & alea in popinis lusisse, ego nullus credo. Primum Valerius noster non lacus fuisse gelatos sed gelidos, hoc est, frigidos aut frigidiores quam aliis temporibus consuêrint; sic lib. 10. epig. 87. ipsum Decembrem vocat gelidum. Deinde non lego vernas, tantum in haurienda ex lacubus aqua fuisse occupatos. Poëta hoc docet vernas cum videant adesse Saturnalia non timere Ædiles dum ludunt in popinis alea, quod id per Saturna-

lia non sit vetitum. DIVITIS ALTERNAS ET PAVP. ACC. SORTES] Sortes munera Saturnalia & mutua, quæ inter pauperes & diuites missitantur.

PRÆMIA CONV. DET SVA QVISQVE SVO] apophoreta, quæ secum auferat domum à conuiuio. SVNT APINÆ TRICÆQVE] Sunt nugæ exiliaque carmina, in quibus ne diutius verser, & bis idem, regredere ad lib. 1. epig. 114. *Apinasq; nostras quas nec ipse iam noui.* Hunc versum (sunt apinæ tricæque, &c.) fingit à lectore dici. QVIS NESCIT] Respondet poëta, non ire se negatum, non esse grandia carmina, sed conuenire hæc Saturnalibus ad nugas omnes destinatis. PRO COELO D.] Eiecto è regno superûm. VIS, SCRIBAM THEBAS] bellum Thebanum, Troianum, aut raptam Helenam, expeditionemque Agamemnonis. LVDE NVCIBVS] Ex more, quod fiebat Saturnalibus. QVOVISCVMQVE LOCO] Commendatio libelli à breuitate distichorum. EXPLICITVM ESI] alludit ad volumen. Olim libri perpetua charta inuoluebantur, & legendi explicabantur. Explicitum ergo absolutum, euolutum est. supra eodem modo est locutus lib. 11. epig. 180.

Explicitum nobis vsq; ad sua cornua librum.

Apophoreta.

II.

Lemmata, si quaris, cur sint adscripta, docebo:
Vt si malueris, lemmata sola legas.

LEMMATA] Ad lectorem est distichon, quo monet singulis Apophoretis adscripta argumenta, quæ lector fastidiosus sola possit legere, si disticha euoluere pigeat. Lemma est breuis comprehensio, & summa seu ὑπόθεσις, argumentumque epigrammatis à Græco λῆμμα, quod à λαμβάνω descendit. Rectius fortean huius distichi lemma primo epigrammati præponas, & hoc distichon à primo non separes.

Pugillares citrei.

III.

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Lybici nobile dentis onus.

SECTA NISI] Hi diuitum munus sunt, vt quincuplices pauperum. pugillares, seu pugillaria Gellio, & pugillar Ausonio dicuntur, neutro & virili genere, Græcis δίπτυχα, σανίδες, πινακίδες. Homerus lib. 6. Iliad. πτυκτὸν πίνακα appellet, vnde apparet antiquissimus pugillarium vsus, qua de re & Eustathius ad Homerum lib. 3. & 6 Iliad. plura. Forma quadrata, olim etiam trigona, vnde δελτίον δίπτυχον Herodoto dictũ. materia varia è buxo, vnde πυξίον, citro, lapide atro in laminas tenues secto, quem Ardæsiam appellant, laminis membranis, ebore. A numero paginarum, duplices, Græcis δίπτυχα, triplices τρίπτυχα quintuplices πεντάπτυχα à quinque paginis. Secabantur ligna in laminas tenuissimas, cera illinebantur, & stylo exarabantur, vt Gellius lib. 17. cap. 9. exponit. *Pugillaria*, inquit, *noua, nondum etiam cera illita accepisse, litteras in lignum incidisse*: postea tabulas (vti solitum est) cera colliuisse, &c. Addo ex Guilandino & Alexandro Neapol. colore diuersos fuisse, luteos, virides, croceos, purpureos, albos; Alios Vitellianos à Vitellio aliquo dictos. In triplicibus potissimum epistolæ fuerunt perscriptæ. in quincuplicibus honores & magistratus, in duplicibus si quid esset arcanum & subticendum, interioresque animi notæ. Triplices etiam amatoriis literis seruiebant. Martialis infra.

Tunc triplices nostras non vilia dona putabis
Cum se venturam scribet amica tibi.

ESSEMVS LIBYCI NOBILE DENTIS ONVS] Ipsi pugillares loquuntur. Nisi in tenues laminas dissecta ligna fuissemus, eramus in mensam formanda. De mensis citreis supra dictum, infraq; fusius dicetur. LIBICI DENTIS] imposita pedibus eburneis seu elephantinis. Elephanti frequentes in Libya, qui & Libycæ belluæ audiũt. pressissemus orbibus nostris ebur, ex quo pedes eburnei.

Quincuplices.

IV.

Cœde iuuencorum domini calet area fœlix,
Quincuplici cera cum datur altus honor.

Quincuplices sunt pugillares quinque foliorum, vt supra d. Viliora quidem erant, πεντάπτυχα sed vsu honoratissima, quod triumphus Imperatori vel magistratu decretus hoc genere pugillarium denunciaretur. COEDE IVVENCORVM] triumphantes Diis victimas mactabant. Imo tota ciuitas sacrificabat, lege ep. 15. lib. 8. & lib. eiusd. ep. 4. DOMINI] Domitiani. AREA] vbi cædeban-

debantur. ALTVS HONOR] triumphi. Refert hoc distichon Domitius ad Triumphum Domitiani, sed sine teste. Videtur potius ad consulatum respicere poëta. Mactabant quidem triumphantes victimas Ioui taurum candidum. Seruius ad 9. Æneid. Ioui de tauro non immolabatur, nisi cum triumphi nomine sue vel tauro fiebat. Iuuen. *duc in Capitolia magnum Cretatumq; bouem.* de consulibus Ouid. 4. de ponto.

At cum Tarpeias esses deductus in arces,
Dum caderet iussu victima sacra tuo.

Idem fiebat in supplicationibus, Cæsarum caussa susceptis.
Ouid. ibid.
Nunc pro Cæsaribus superis decernere grates,
Albaue opimorum colla ferire boum.

Vt dubitem, ad triumphum ne, vel consulatum, vel supplicationem distichon accommodem. Velim ad consulatum per pugillares à Cæsare designatos delatum referre, & à Consulibus in atrio Cæsaris Domitiani hostias cæsas dicere, cum dicat poëta *Domini calet area felix* in qua sacrificabant consules, aut adolebant, victimas cædebant, Domitiani æuo, qui volebat videri & dici Deus. Alioqui in capitolio consules faciebant.

Pugillares eburnei.

V.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niueum littera pingat ebur.

LANGVIDA] Qui obtusa oculorum acie laborabant, vt lippi, senesue, vtebantur eburneis pugillaribus, nec cera, sed atramento scriptis: ater quippe color albo iunctus acrius ferit sensum.

Pugillares eburnei (vt Cario lib. 2. Emend. cap. 6. notauit) videntur duplices, hoc est, duarum paginarum fuisse, omniumque, exceptis citreis, preciosissimi. Triplices & Quincuplices exerte nominat, nempe viliores: δίπτυχα intelligere putandus est, cum numerum in citreis & eburneis tacet. Vlpian. s leg. 52. lib. de leg. 3. *Librorum appellatione continentur omnia volumina siue in charta, siue in membrana siue in quauis alia materia, sed & in philyra aut in tilia, vt nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio, idem erit dicendum. Quod si in codicibus sint membraneis, vel chartaceis, vel etiam eboreis, vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis, an debeantur, videamus.* Symmachus lib. 3. epist. 30. mentionem eburneorum facit. Multa super his Cario. *Non assequor, &c.* ex Anastectis p. 1075.

NIGRA TIBI NIVEVM LITTERA PINGAT EBVR] Non assequor, quamobrem Ios. Scaliger Animad. in Guilandinum neget scriptum esse in eboreis, siue eburneis pugillaribus nisi cera illitis, cum diserte Martialis contra clamet, ac doceat:

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niueum littera pingat ebur.

Nempe ne hebetent aciem luminum tuorum litteræ ceræ inscriptæ, quæ oculos facile sua coloris obscuritate confundunt, inscribe ebur, vt nigror ex candore clarius emicet. Sed affirmat Iosephus ebur esse ineptissimum adscribendum, quod litteræ fiant caducæ, & in lubrico materiæ fugiant: calamos recte acutos adhibuisse, & humorem sepiæ temperasse, aut certe scribendi (nam scripsisse certum est) rationem nobis ignotam habuisse. Placet autem cum docet diuersos esse eburneos ab elephantinis, Elephantinos ex omento elephanti, eburneos ex dente factos. & in elephantinis maiores historias perscriptas.

Pugillares membranei.

VI. VII.

Esse * *puta ceras, licet hæc membrana vocetur:*
Delebis, quoties scripta nouare voles.

* *V. puta.*

Tales hodie passim fiunt deleiles membranæ vel vna pagina vel pluribus, quæ gypso cretaque obducuntur illinunturque. Plinius lib. 13. cap. 11. ex Varrone tradit membranas Pergami inuentas, cum Ptolomæus Rex charta suppressisset, ne Eumenes Rex Pergami bibliothecam augeret. De membranæ inuentione multa ad Plinium Guilandinus.

Chartæ maiores.

X.

*Non sunt munera, quæ * putas, puella,*
Cùm donat vacuas poeta chartas.

* V. petis.

Vel Claudiam intelligit vel Macrocolium, sunt enim genera chartarum hæc diuersa vt contra Perottum Guilandinus ostendit. Enimuero quia hic locus est proprius de charta disputandi, iuuat aliquid afferre primum de veteri charta, tum de nostrate veteribus ignota. De prisca compendio Pancirolus ex Guilando. Chartæ etiam inuentum satis est vtile. Antea enim maiori cum sumtu scribebatur. Atque vt de hoc paulo agam pluribus, dico, in * palmarum foliis primo scriptatum fuisse, vt Plinius refert lib. 13. cap. 11. & Virgilius lib. 3. innuit; ita de Sibylla canens.

* Malvarũ, legendum apud Pliniũ.

Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisq; notas, & carmina mandat.
Quæcunq; in foliis descripsit nomina Virgo,
Digerit in numerum, atq; antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neq; ab ordine cedunt.

Indeque est, quod etiamnum folium Chartæ scriptum dicamus, etiamsi in * palmæ folio non scribatur. Postea scribi cœptum in tenuioribus arborum philyris, quæ inter ipsum corticem & arboris lignum sunt, & à Latinis Libri dicuntur. Hinc vsus obtinuit, vt in quacunque materia scriptum sit, Libri tamen nomen retineatur. Sed cum materia hæc fragilis esset, publica monumenta in plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici cœpta: tandem & in ceris scribendi modus inuentus. Sumebantur tabellæ subtiles, in quas cera protendebantur: postea cum stylo ferreo literæ in ceram infigebantur. Sic euenit, vt modus scribendi Stylus nominaretur. Tabulæ istæ apud Latinos varia sortitæ fuerunt nomina. Nam & Pugillares dicebantur, à pungendo; & tabulæ, & codicilli cerati; sicuti eas I. Consultus appellat in l. librorum. 52. in princip. ff. de legat. 3. Codicem autem nominabant lignum. Idque etiam ante bellum Troianum fuit obseruatum. Nam vt Homerus lib. 6. Iliad. scriptum reliquit, Prætus Bellerophonti codicillos dedit, alio deferendos. Non igitur video, qua fronte Iosephus edito contra Appionem grammaticum libro ausus fuerit scribere, Homeri ætate nondum etiam repertas fuisse litteras. Fundata postea ab Alexandro Magno nobili illa ciuitate Alexandria, papyrus, quæ veluti iuncus quidam est, in palustribus Ægypti, & quiescentibus Nili vndis, fuit inuenta. Iuncum enim illum, filis quibusdam acu extractis, in subtiles philyras diuidebant: quas Chartam ab vrbe Tyri, cui Charta nomen, & quam prope iuncus ille repertus fuit, nuncuparunt. Ideoque cum apud Latinos scriptores Chartæ nomen legitur, de papyro intelligitur. Id quod Vlpianus clare demonstrat in d. l. librorum. 52. §. chartis. dum ait: Chartis legatis papyrum ad chartas paratam non contineri. Sed & cum Ptolemæus Philadelphus insignem bibliothecam, in qua ingens librorum numerus ad millia ferme voluminum septingenta haberetur, instituerer, vt ait Paulus Orosius lib. 6. cap. 15. Eumenes vero æmulatione ductus, aliam, quæ eum superare conabatur, instauraret: euenit vti Ptolomæus id rescissens prohiberet, ne papyrum ex territorio suo exportaretur, atque vt hoc modo facultas Eumeni præcisa esset, Charta inde confecta, libros conscribendi. Verum Eumenes id intelligens, Pergami alium conficiendæ chartæ modum inuenit. Excoriatis enim animalibus, è membranis pelli proximis, chartam scriptioni aptam fecit. quæ membrana, à tectu membrorum animalium, vel quod corium aut pellem Latini Membranam, fuit nuncupata: vti & Pergamena, ab vrbe Pergamo, in qua primum fuit reperta, teste Plinio lib. 13. cap. 11. Iosephus tamen lib. 12. Antiquit. Iudaicarum author est, Eleazarum principem Sacerdotum Biblia in subtilissimis membranis conscripta, cum LXXIII. Interpretibus ad Philadelphum Ptolomæum modo nominatum misisse. Quod si ita est: dicamus oportet, Membranam etiam ante Eumenem repertam fuisse illam quidem; sed Eumenem magnam illius copiam præparari curasse, & per Asiam ac Græciam diuulgasse; ideoque Auctorem eius fuisse laudatum. Cum in Italiam venissent Longobardi, è tabulis rasis subtilissimas fecerunt schedas: quas egomet sæpius vidi ac legi, quamquam Longobardicis literis consignatas. Denique excogitatum fuit, ex linteolis contritis & aquâ maceratis Chartam conficere, in qua magna cuiusuis cum commoditate scriberetur. Et huic quidem pristinum papyri nomen remansit: licet payrus proprie charta dicatur. Atque ita breuiter & historice materia scripturæ concinnandæ apta & idonea, est descripta. Hæc Pancirollus, cui nos addamus de nostratis chartæ inuentore, antiquitate, eiusquê conficiendæ ratione. De auctore quæsiui diu multumque, neque tamen eruere potui, Germanum Germani testantur, vt mox docebo. Theodorus Bibliander Sibillam de ea vaticinatam putat cum scriplit λίνον ... ὅτι λίν... ἐλθέτω. Et stolide interpretatur de Romano Pontifice quem ait Antichristum l... hoc est, charta ex lino confecta, & verbi diuini notis inscripta periturum. Sed pessimus & mendacissimus interpres

* Malua.

pres nec versum Sibillæ intellexit, nec quorsum Sibylla vel de quo loqueretur cognouit. Versus à Castalione sic tralatus est.

Ex illo tempus flendum, quia reste peribit.

Sed male & vitiose, nec enim ita legendus vt Opsopæus obseruauit; sed rescribendum pro λίνῳ λίϐῳ quod aquæ stillam seu guttam sonat.

Carmen Sibyllæ est octauo libro Sibyllinorum oraculorum vbi Sibylla de Adriano imperatore speciatim agit & de Antinoo puero in Deos relato. Mox subiicit mortem Adriani. Periit autem Adrianus aqua intercute, siue abdomine aqua distento seu hydrope. λίϐῳ ergo aquæ guttam significat, qua paulatim aucta periit Adrianus, nequaquam reste vt Castalio vertit, & Bibliander mentitur. Nihil ergo somniauit ibi Sibylla de nostrate charta. Auctor & repertor chartæ nostratis latet, quod mireris ab ingratis Musis non custoditum nomen, à quo ipsæ sempiterna memoria custodiuntur. Sed nec de anno conuenit: Multis annis ante formas typographorum fuisse in vsu ex ipsis codicibus discimus. Basiliæ ferunt autographum S. Athanasij extare, sed ij qui inspexerunt negant esse manum ipsam Athanasij, cum ea tempestate nostras charta nondum fuerit reperta, & codex ille nostrate charta constet:

Artificium tamen eius conficiendę exponit poëta Germanus vti non valde delicatus, ita non pessimus, si mores & religionem excipias; sed versus annummero. Cicero loquitur in Iulio Cæsare rediuiuo, cum Germano: Eobanus

Apud nos longe est expeditior ratio. CIC. *dic quomodo?*
Nam lubet audire. EOB. *papyrum qui confecturi sunt, hi legunt*
Primum lintea: eaq; per olidum madefacta imponunt solo:
Deinde frustillatim scindunt: atq; in cupas ingerunt:
Vbi computrescant. Mox putrida quaternis pistillis, rota
Versatili sursum & deorsum acta, tundunt in mortario,
Aqua repleto: eamq; tunsionem reiterant: postea
Vasa hauriunt lintea, minutim contusa, è mortario;
Atque in cortinam aqua calida refertam, indunt. CIC. *quid postea?*
EOB. *Formam capiunt, craticulam quandam ferream.* CIC. *cuiusmodi*
Craticulam? EOB. *Qua materiam è cortina hauriunt.* CIC. *Qui ferream*
Eobane? EOB. *Non intelligis? qua ferramentis tenuibus*
Contexta, aquam transmittat, & lintea contusa retineat
Summa in superficie: quasi quoddam colum. CIC. *Quasi colum?* EOB. *edepol.*
Nam aqua percolata relinquit in colo contusa lintea.
CIC. *Quid deinde fit?* EOB. *Chartarius secundus de primi manu*
Arripit: & formam in pannum villosum euacuat: mox altero
Panno imposito papyrum tegit, intelligis? CIC. *Vt qui poculum*
Lesbium combibit. EOB. *Inuoluta folia pannis, vti modo*
Dixi, & sibi à secundo tradita euoluit vir tertius:
Semperq; pannos reddit alteri: ipse folia collocat:
Atq; hæc summa administrantur celeritate. CIC. *quid vltra? cedo.*
EOB. *Vbi volumina aliquot fuerint sic disposita: ibi quatuor*
Viri validissimi submotam prælo materiam premunt:
Dum pene omnis decedit humiditas. CIC. *Quod autem est vltimum?*
EOB. *Demum aere exiccant suspensa: & exiccata glutino*
Percurrunt: glutinata leuigant. CIC. *define: iam sat habeo.*

Chartæ * epistolares.

VIII. XI.

Seu leuiter noto, seu charo missa sodali;
Omnes ista solet charta vocare suos.

* Epistolica.

Augustæa seu Augustæ chartæ Plinius, in epistolis auctoritatem ait relictam. SEV LEVITER NOTO] Inscriptio epistolæ vsitata veteribus, erat ferme hæc. M.T. Cicero Attico S. vel. Cic. Attic. S. vel. M. Tull. Cic. Prætor Lentulo Sulpitio, &c. S.P.D. Quod si cognati, amici, propinqui, coniuges, liberi liberti aut familiarissimi essent, addebant *suo* vel *suis*. quod ex lib. Cic. 14. epist. discis ad Terentiam, Tulliolam, &c. & lib. ad Tironem. Deinde vt viderentur omnes charissimi, familiarissimique, passim addebatur suo. Quod Plinius secundus lib. 8. potissimum ostendit. Et hic poëta affirmat. Quod æuo Quintiliani, hoc est, nostri poëtæ, & Plinij, obtinuit, vt Ludouicus Viues, Rochus Perusinus, aliique sunt auctores. Neque inferiores maioribus facile addebant suis vel suo. De Epistolarum forma & materia Lipsius in Instit. Epist. cap. 1.

Loculi eburnei.

XII. IX.

* Flaua.

*Hos nisi de * fulua loculos implere moneta*
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

Magni pretij erant loculi ex ebore facti, vt poëta dicat, non esse in his nisi aurum seruandū. Prò fulua legunt docti flaua. quemadmodum lib. 12. epig. 66. dixit decem Cæsaris flauos, hoc est, decem aureos, alludit simul Flauios ex quibus Domitianus. Hic forte quæras, quæ forma loculorum fuerit. Iudico capsulam fuisse quadratam longiusculam, quod loculi à similitudine dicerentur etiam feretra. quamuis Isidorus lib. 20. orig. cap. 9. de vasis repositoriis doceat, loculum esse ad aliquid ponendum in terra factum locum, seu ad vestes, seu pecuniam custodiendam; vnde & per diminutionem dictum scriniolum. Capsulam interpretor hoc loci; qualia hodie aurea, argentea, ferrea, lignea ad pecuniam custodiendam scriniola fiunt. Formam tamen haud omnibus vnam fuisse crediderim. De loculis eburneis Iuuenal. Sat. 13. *Gemmaq; princeps Sardonicum; loculis quæ custoditur eburnis.* Loculi eburnei fuerunt arculæ obseratæ, de quibus multa Brissonius de verborum signif. lib. 10. Addo, quæ Meursius part. 2. Crit. cap. 25.

Loculi lignei.

XIII. X.

Si quid adhuc superest in nostri fæce locelli,
Munus erit: nihil est; ipse locellus erit.

Pauperum munus, vt superius diuitum. Si quid, inquit, in imis loculis æris aliquid, vt feces, supererit, id tibi donabo; sin autem, ipsos tibi loculos pro nummis dabo: Iocus est, nemo amat inanes loculos, multo minus inanes, & viles, seu ligneos. Ego tamen, quidquid habeo, dabo. pecunia careo, loculos habeo, hos tibi do.

Tali eborei.

XIV. XI.

Cùm steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Diuitum munus: tali tum fœlicissime iacti putabantur, cum omnes diuersam haberent figuram & faciem, vocabaturque is iactus Venus. Talorum ludum lib. superiore vtcumque exposuimus. Hic iuuabit paullo curiosius talos inspicere, & nomen talorum, originem, figuram, numerum, iactus, aleamque accuratius inuestigare, quando ea res mirifice facit ad antiquitatem cognoscendam & auctores pernoscendos. Talus est latinis idem, qui Græcis ἀστράγαλος, taxillus. Plinius lib. 34. de Polycleto disserens. *Fecit, inquit, & distringentem se & nudum telo incessentem, duosque pueros item nudos talis ludentes qui vocantur ἀστραγαλίζοντες.* Interpretatur, vt vides, Astragalizontes, talis ludentes. Translata vox est à talo animalium. Talus enim proprie est bisulcorum, in suffragine pedum posteriorum ossiculum, non rotundum plane, sed rotunditatis tamen parte magna particeps. Sed nec omnia bisulca talos habent, nec non bisulca omnia talis carent. In leone talum agnoscit Aristoteles ὁ δὲ λέων, οἷόνπερ πλάττουσι λαβυρινθώδης. Leo contortū habet & implicatū, qualem formant vulgo & effingunt. Hominem talo carere, præter vnum Galenum, affirmant omnes. Vocant eosdem Astragalos Græci & ἀστρίας & ἀστρίχους & ἄστριας. Ἀστράγαλος autē velut ἀστράβαλος, παρὰ τὸ ἀστραβῆ καὶ ὀρθὴν φυλάττειν τὴν βάσιν, quod muniat & rectam seruet basim corporis. vel ὁ μὴ πρὸς τὸ μένειν καὶ ἑστάναι γεγονὼς, ἀλλὰ πρὸς τὸ κινεῖσθαι ἀστάγαλος τις ὢν καὶ κατὰ πλεονασμὸν τοῦ ρ, &c. ἀστράγαλος. Quod non ad manendum neque standum à natura institutus, sed ad motum quasi astagalus, & additione literæ r. astragalus. Aliis ab astro dictus videtur ἀστράγαλος, quod ita suffragini pedis insertus sit, vt astrum cœlo. Latini talum aiunt dictum, quod τηλόθεν iaciatur, vel quasi telum, quod posterioribus pedibus vice teli quædam talo prædita vtantur. Ad quam sententiam Plinius accedit, & ipsa natura clamat, ea, quæ cornigera non sunt, vngula pro telo vti. Enimuero nec hoc vbique verum; vulpes, lupi, canes, leones, & alia non talo, sed dentibus aut vnguibus se defendunt depugnantque. Isidorus talum à tolo deducit. *Nam tolus, inquit, eminens rotunditas est, vnde & fastigium templi rotundi tolus vocatur, talus autem subcrure est, subtalo calcanei.* A telo potius dictum reor. Talorum inuentum Philostratus Palamedi Euboico tribuit in Heroicis. cum quo faciunt Pausanias in Argolicis, Sophocles in Palamede, Polemon etiam æuo suo saxum & abacum Palamedeum tradit extitisse.

Formam

Formam seu figuram talorum, tute coniectare potes, cum ad similitudinem talorum, qui in pedibus animalium sunt, eff. cti dicantur, & maxime * leonis. Nec rotundi plane, nec quadrati. Sex habent latera, sed quatuor tantum in vsu ludentium; duo quippe sunt incurua, vt illis talus vix possit insistere, consistit tamen aliquando rectus, vt supra, lib. 13. epig. 1. dictum, duo illa incurua Graeci κεραίας, hoc est, antennas appellitant. Binarius igitur & quinarius in talis desiderantur. Ex reliquis quatuor partibus vna supina, altera prona dicitur: quae duae ternarij & quaternarij vices obeunt. Vnitas autem & senio duabus reliquis partibus tribuuntur. Senionem choum, vnitatem chium vel canem vocabant. Talorum porro ludus talis quatuor exercebatur, quorum quisque lapsus quatuor habebat, non sex, quemadmodum tesserae seu cubi. Casus seu iactus talorum ex consuetudine ludentium fiebant quinque & triginta, quorum alij à Diis, alij ab Heroibus, alij à claris hominibus, alij à foeminis etiam impuris, alij ab animalibus, euentibusque nomen accepe-runt. Inde casus octonarius à sepulchro Stesichori octogono Stesichorius; quadragenarius Euripideus, quod exactis triginta tyrannis, ex quadraginta praefectus vnus Euripides fuerit, diceba-tur. Casus senarius ἑξίτης & κῷος latine senio, vocatus est, & hic caeteris foelicior. vt infoelicissimus, qui κῴῳ seu senioni opponebatur chius seu canis κύων, vnum tantum, hoc est, minimum in talis momentum valebat. Vnde nata prouerbia χῖος παρεστὼς κῷον οὐκ ἐάσει, & χῖος παρεστὼς κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν; de iis, qui multo inferiores, maiores tamen & superiores impediunt & compescunt. Postremo vt canis infoelix, ita foelix senio. foelicissimus ille iactus, quem Venerem dicebant, diuersus omnino (quod multi non obseruarunt) à senione; senio quippe vnius tali facies erat, vti & canis. Venus autem, cum omnes quatuor tali diuersam faciem in casu praeseferebant. Ita vt vnus talus canem, alter ternarium, tertius quaternarium, quartus senionem ostenderet, qui casus vt rarissimus, ita fortunatissimus habebatur, tollebatque sine controuersia praemium, cui is casus obtigisset. Hoc apud Suetonium ex Augusti epistola ad Tiberium discis, cuius haec verba sunt. *Lusimus, mi Tiberi, γεροντικῶς heri & hodie. Talis iactatis, vt quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios conferebat: quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat.* Quid hoc loco clarius, vbi disertissime planissimeque senio à Venere secernitur. Idem Cicero de diuinatione insinuat, sententiam Aristotelis insinuans. *Itane vero, inquit, quicquam potest esse casu factum, quod omnes in se numeros habet veritatis? quatuor tali iacti venerium efficiunt: Num etiam centum venerios si quadringentos talos ieceris, casu futuros putas?* Et apertissime Lucianus in dialogo cui ἔρωτες nomen fecit. μάλιστα δ᾽ εἴποτε τὴν θεὸν αὐτὴν (Venerem intellige) ἐπιβαλὼν μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι προσεκύνει τῆς ἀεὶ θυμίας τεύξεσθαι νομίζων. *Tum insuper si quando Deam ipsam iactasset, nullo videlicet talo in eandem seriem obseruo, pronus Deum adorabat, se consecutum se voti compotem futurum.* Hinc apud Plautum in Asinaria, Propertium, Ouidium, Horatium, & alios scriptores tantopere laudatur casus hic venerius. Hinc intelligis varis nostri praesens distichon. CVM STETERIT NVLLVS V. T. EODEM] hoc est, cum Venerem ieceris. MVNERA D. M. DEDISSE TIBI] tolles omnia in ludo talorum deposita. Hinc adagia.

Si saepe iactaueris aliquando Venerem iacies.

Hinc Archiposian in symposiis & compotationibus, seu principatum sortiebantur veteres iactu venerio. Horat.

Nec regna vini sortiere talis
Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

Iaciebantur autem hoc ordine & numero. missus seu iactus fiebant triginta quinque, vt Eustathius probat, Acron enim vitiosus est in Horatium. primo quatuor talis (quod in omni missu fiebat) quatuor simplices iactus, ita vt omnes tali in eandem faciem caderent. seu chium, seu senionem, seu ternarium, seu quaternarium. Deinde octodecim iactus geminatos, hoc est, vt quatuor tali in duas tantum facies inciderent. Tertio duodecies iactabant talos ita vt tres tali eandem figuram haberent. Postremo vnum tantum quadriformem, & si tum vltimo iactu diuersae omnium talorum facies extitissent, Venus dicebatur & vincebat. Hoc obiter sciendum, non fuisse perpetuum numerum astragalorum, vt quatuor adhiberentur, quod Calcagninus libello de talorum ludo, & Iunius in Animaduersionibus notauerunt. Materia talorum nunc ossea, nunc aurea, nunc alia erat. Aureos talos Apollonius in Argon. lib. 3. de Cupidine & Ganymede describit. Eisdem aureis vtebantur Parthorum pueri, & Tiberius apud Suetonium talos aureos iecit in Aponum fontem. de eboreis hic apud Martialem habes, osseos plerosque vt tesseras, fuisse dubium non est. Haec potissimum ex doctissimo Calcagnino, qui caeteris planius de talis scripsisse iudicatur; testes ille passim amplissimos adducit, quos ego breuitatis caussa omitto.

Delrius noster multos laudat auctores in comment. ad Senecam in Herculem fur. Calcagnium tamen vt video non vidit, Itaque diuersam talorum descriptionem adfert quam apud illum reperiet lector.

* aliter infra D. [illegible]

Iactus Basilicus senio, venerius, canis vultur.

Lipsium de Bodisser. adi. lib. 1. Antiq. cap. 11.

Explicatio distichi.

Tessera.

XV. XII.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Maior, quàm talis, alea sæpe mihi.

NON SIM TALORVM] Diuersi sunt ludi talorum, tesserarum, & calculorum. De talis dictum modò & de tesseris, sed addo propter versum. Tesseræ se numero quidem inferiores talis, sed præmio quandoque superiores iactant; æque enim multo, imo sæpius plura in tesserarum ludo deponebantur, quam talorum. Sed duabus tantum, summum tribus tesseris ludebatur, cum quatuor tali iacerentur. Et hoc est, quod se imparem talo tessera numero fatetur. ALEA] propria est huius ludi, quamuis de omni generatim ludo alea dicatur, speciatim tamen tesseræ conuenit, & prohibita quidem alea Romanis extra Saturnalia. Ludus porro tesserarum æque nobilis antiquitate sua, quam talorum; Palamedem etiam harum Pausanias in Corinthiacis facit auctorem. Græci κύβους cubos vocitant, vt Gellius, Sextus Pompeius, Varro, Vitruuius, Macrobius, Censorinus, aliique contestantur, quantumuis obsistat Domitius & alij quidam. Est tessera cubus seu corpus ex lateribus sex æquali latitudine planorum per quadratum, vel vt Varro definit κύβος, est figura ex omni latere quadrata, quales sunt tesseræ, quibus in alueo luditur, ex quo ipsæ appellatæ κύβοι. In tesseris πτώματα casus seu lapsus omnino sex sunt. in quibus quomodocunque cadant, semper septem sibi puncta opponuntur, sex vni, tribus quatuor, duobus quinque opposita, qua ratio tantum in cubos seu tesseras cadit cum sex latera habeant. Visi sunt veteres tribus frequentius, quod adagium ostendit, ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι, aut ter sex aut tres tesseræ, hoc est, aut maximus numerus aut minimus, hoc est, aut omnia, aut nihil, aut Cæsar, aut nihil, aut fælicissimes, aut miserrimus. Hesychius de eod. ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι παροιμία ἐπὶ τῶν ἐπιτυγχανόντων ἢ ἀποτυγχανόντων· πάλαι γὰρ τρισὶ ἐχρῶντο πρὸς τὰς παιδιὰς κύβοις, καὶ οὐχ ὡς νῦν δύο. Ex quo intelligis vsos veteres frequenter tribus tesseris. Eustathius ad Iliad. ψ. v. 88. --- ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς. ἐπαίζετο δὲ ἡ παιδιὰ τέσσαρσιν ἀστραγάλοις, ὧν ἕκαστος πτώσεις εἶχε τέσσαρας, οὐ μὴν ἓξ κατὰ τοὺς κύβους, ἐξ ἑβδομάδος κατ' ἀντίθεσιν συγκειμένας. ἀντίκειται γὰρ μονὰς καὶ ἑξὰς, εἶτα τριὰς καὶ τετρὰς. δυὰς καὶ πεντὰς ἐπὶ μόνων κύβων ἦν, ὡς ἐχόντων ἐπιφανείας ἕξ. *Ludebatur hic ludus talis quatuor, quorum singuli casus habebant quatuor, (non sex vt tessera) ex septenario opposita compositos, respondebat enim ex opposito monas senioni; deinde ternio quaternioni; dyas vero & pentas in solis tesseris reperiebantur, vti quæ sex facies seu plana continerent.* Sequitur in Eustathio, τῶν δὲ βόλων φασὶν ὁ μὲν τὰ ἓξ δυνάμενος, κῷος ἐλέγετο, καὶ ἑξίτης, ὁ δὲ τὸ ἕν, χῖος καὶ κύων. *Bolorum autem seu iactuum, vt aiunt, ille qui valet sex, Cous dicebatur, & senio; sed qui vnum, Chius & Canis.* Posteriores etiam duabus, quod Martialis item scribit de duabus.

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto.

MAIOR ALEA] Tranquillus Neronem refert quadringentis in punctum alea lusisse, hoc est, in singula puncta deposuisse decem millia Philippæorum, vt quoties alter punctis superasset, toties decem millia tolleret, aut amitteret, si minus altero iecisset. Materia tesserarum ex dente plerumque, vt tali.

Arca Beroaldo An. 24.

Turricula.

XVI. XIII.

* *Quæ sit, emendatius.*

* *Quærit compositos manus improba mittere talos:*
Si per me misit, nil nisi vota facit.

QVÆRIT COMPOSITOS] Ad fraudem veteranorum, in ludo talorum vitandam, excogitata est turricula cylindro mathematico similis, caua tamen & intus capreolatim gradatimque efficta, vt tali excutiendi impingerent. Hanc Græci πύργον dicunt, imo & Horatius serm. 2. Sat. 7.

—— qui pro se tolleret, atq;
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pauit.

Fritillum eundem iudicat lib. 9. Turnebus, idem tamen lib. 27. diuersum censet πύργον à fritillo. Calcagninus Fritillum omnino abacum ipsum seu tabulam, fundumue tabulæ lusoriæ existimat. Nos superiori disticho & aliàs sæpe de Fritillo & turricula disputauimus. Hic addo à poeta diserte distingui turriculam seu pyrgum à tabula. Lambinus etiam ad Horatium; *Pyrgus*, inquit, *non est tabula, vt quidam putant, sed vasculum in turriculæ figuram conformatum, ex quo tali in alueum coniiciebantur, ne, si manu iacerentur, fraus à lusoribus admitteretur.* Turriculam appellat Martialis latino nomine, quod Græco πύργος fere æqualiter respondet. Idem tamen φιμὸν tabulam, non turriculam exponit, & camum aliàs dictum, à quo diuersus abit Casaubonus ad Theophrasti characteres. vbi prius multa de decadiis talis, & quos Græci ἀκαίρους appellant non sonoros, vt Lambinus,

nus, sed agitatos & concussos. Mox subiungit: *Romani fritillo vtebantur ad hanc talorum agitationem Iuuenal. paruoq, eodem mouet arma fritillo.* Vetus interpres ibi. *Fritillus pyxis cornea, qui φιμὸς Graece dicitur.* Apud antiquos: *in cornu mittebant tesseras, mouentesq, fundebant. aut fritillum pyrgum dixit idem vetus interpres Horatij.* Acron tamen variat. Seneca fritillum pro turricula quoque accipit in Apocolocyntosi; *Qui concusso magna parastis lucra fritillo.* Plura Casaubonus. Et Sauaro ad lib. 5. epist. 17. lib. 2. ep. 9. lib. 8. epig. 12. COMPOSITOS] arte manus ita iunctos, vt in iactibus certa puncta, & optata appareant, quasi per casum. NIL NISI VOTA FACIT] nullus arti doloque locus, cum turricula adhibetur, lusoresque tantum optant fœlices casus Deosque secundos, Mercurium & Venerem.

Tabula lusoria.

XIV. XVII.

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Turn. 9. cap. 13.

HIC MIHI BIS SENO] tabulam lusoriam aleæ seu tesseris & calculorum ludo seruire dicit. dicitur abacus, alueolus, τάβλα, ἀβάκιον. BIS SENO PVNCTO] duabus tesseris vt plurimum ludebatur, vt hodie, quarum summus numerus *δωδεκὰς* duodenarius duplex nempe senio. CALCVLVS HIC GEMINO D. H. PERIT] In ludo calculorum seu latrunculorum, vt infra disces, calculi seu milites & hostes, coloribus distinguebantur, vnus autem à duobus aduersariis discoloribus circumuentus peribat, & hoc est, quod dicit, calculus discolor, gemino hoste circumuentus, perit, tollitur. idem dixit Ouidius in 3. de Arte.

Cautaq, cum fictos latronum prælia ludas
Vnus cum gemino calculus hoste perit.

Hinc natum vulgo: Nec Hercules contra duos.

Nuces.

XV. XVIII.

Alea parua nuces, & non damnosa videtur:
*Sæpe tamen pueris abstulit * illa nates.*

ALEA PARVA] Permissus & hic ludus nucum erat in Saturnalibus, quem si vltra diem præscriptum luderent pueri, de corio suo magistris satisfaciebant. De ludo nucum varia docui supra lib. 5. & lib. 13. ep. 1. ALEA PARVA] pro re deposita in ludo hic capitur, quæ parua est, & nec damnum facit, nec lucrum, pueris tamen sat grandis est, cum vapulant. ABSTVLIT NATES] nudauit nates cæsas à magistro, & virgis aut flagellis laceratas.

Torrentius ad Suet. Aug. c. 71.

Theca calamaria.

XVI. XIX.

Sortitus thecam calamis armare memento:
Cætera nos dedimus, tu leuiora para.

Carmen apertum; theca à Græco θήκη, quamuis Isidorus à tegendo deducat. Est in quo aliquid reponitur seruandum, quasi diceret conditorium, aut repositorium, vel armarium. Composita sunt varia bibliotheca, vbi libri reponuntur, chirotheca, qua manus teguntur, & huius generis alia, sic vno verbo diceres, calamotheca, calamis reponendis facta.

Calculi.

XVII. XX.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

INSIDIOSORVM] Æque celebratus est ludus calculorum seu latrunculorum veteribus, atque talorum & tesserarum, diuersus plane à duobus illis, quem & duodecim scrupotum (scriptorum vitiose legunt, & emendant, aut corrumpunt nonnulli) appellat Cicero 1. de oratore, & Quintilianus lib. 11. Institut. Calculi fuere lapilli, quales in ripis per lusum sæpe legimus, quos Oceani spolia Claudius Cæsar apud Suetonium appellauit. Græci ψήφους vocabant, quibus & numerabant.

rabant, & suffragia ferebant, Aristotele teste. 1. Elenchorum. Eosdem Calcagninus putat fuisse πεσσοὺς, de quibus Homerus in Odissea de procis Penelopes. Theocritus videtur in Bucoliaste λίθους appellare, cum dicit. καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον, hunc & à linea sacra mouet lapidem. Calculis vtebantur in hoc 12. Alueolus seu abacus, lineis erat quinque distinctus, quæ transuersariæ & decussatæ regiones seu campos, vrbesue, mandras, vt Græci appellitabant, efficiebant 25. singulis latrones, seu canes, seu calculi (sic enim vocabantur) quinque insidebant præter mediam, cui quatuor tantum tribuebantur, coloribus distincti, hostili animo insidiantes aduersariis. Ea enim fuit ratio ludi: vt si vnus ex hostili agmine incomitatus deprehenderetur, ita vt circumueniri posset: captiuus ex acie traheretur. Media linea sacra habebatur, ex qua mouere calculum religio erat, ni si magna & ineuitabilis quædam vrgeret necessitas. Vnde datus adagio locus κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς, hunc moueo è sacra. Vtitur eodem prouerbio Plato in 5. legum, Plutarchus in lib. an seni gerenda sit respublica. Egimus de hoc ludo alibi ad hunc versum, lib. 7. ep. 71. copiose.

Si vincas Nouiumq, Publiumq,
Mandris & vitreo latrone clausos.

Ouid. eundem celebrat 2. de Arte, vnde sua Martialis.

Siue latrocinij sub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Ex hoc ludo nata & illa prouerbia, calculum reducere, cum dati pœnitet, aut facti, aut sententiæ, datum dicebatur, cum quis calculum è regione in aliam promouisset, quod si incautius factum esset, reducebant quod liberaliores inter se homines facile permittebant. Delectabantur hoc ludo viri principes fœminæque, vt Cicero Quintilianus, Plinius vterque, tradunt. Quin & simias lusisse calculis scribit Plinius cum Mutiano. Fiebant ex vitro gemmis aliisue materiæ generibus coloribus geminis, vt calculi inter se secernerentur, quid latrones, qui milites essent. Quod igitur poeta dicit, *Si ludis bella latronum, gemmeus iste tibi miles & hostis erit*, gemmeum vocat vtriusque partis calculum, quod vitreus vterque esset, tantum colore candido alter, alter cæruleo aliove distinctus. Lucanus, *vitreo pugnantur milite bella*. Petronius, *calculus in tabula nobile ducit opus*, ad quem vide Obseruationes vv. dd. Lege, quæ Sauaro ad Sidonij, lib. 8. epist. 12. scribit.

MILES ET HOSTIS] hostem latronem insidiantem militi vocat. Ludus latrunculorum simulacra quædam belli ostendebat. Pyrrhus enim Epirotarum Rex, artem militarem per calculos in tabula tradidit. Vnde nonnulli descenderunt in eam sententiam, ludum scachorum, quem docte Calcagninus ostendit, qui & de hoc duodecim scruporum, & aliis generibus ludi calculorum copiose disputat in libello de ludo talorum, tesserarum, & calculorum, ex quo & nos hæc per capita delibauimus.

Lege quæ Sauaro ad Sidonij lib. 8. epist. 12. scribit.

Graphiarium.

XXI. XVIII.

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leue munus erit.

HÆC TIBI ERVNT] Graphiarium est theca graphiorum. Graphium autem à Græco γραφεῖον, stilum valet, quo Latini Græcique vtebantur scribendo, cum ceratas tabulas, & pugillares exararunt; ferreus erat, cuius extrema pars, qua scribebatur, acumen vocabatur; ferrum admodum acutum, quo D. Cassianum, vt alibi copiosius dictum, scelerati discipuli confixerunt, vt canit Prudentius. Stili metaphoras & prouerbia hic non expono. Domitium etiam cum Beroaldo reprehendo, qui graphiarium vertit stilum, cum stili quasi vagina aut repositorium fuerit. Armata enim graphiaria suo ferro, vocat poëta thecam graphij, seu stilis armatum. Calami & cultelli scriptorij recte vocantur, vt infra auriscalpum, arma.

Dentiscalpium.

XXII. XIX.

Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis
*Defuerit, dentes * penna leuare potest.*

* al. pinna.

Donum & hoc Saturnalitium, quamuis vile, quo dentes repurgabantur, fiebant ex Lentisco arbore, aut metallo. Plura leges lib. 6. epig. 74. ad Æsculanum.

Foditq, tonsis ora laxa lentiscis.

PENNA] ex rubentibus etiam pennis fiebant, quod alibi docet poëta. Trimalcio spina argentea dentes perfodiebat, vt est apud Petronium. lentiscum neutro g. lignum, lentiscus f. arbor.

Auriſcalpium.

XX XXIII.

Si tibi moroſa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Si moleſta eſt prurigo aurium è ſordibus nata, purgabis aures auriſcalpio, quo titillantur etiam aures. Celſus appellat ſpecillum oricularium lib. 7. & 6. MOROSA PRVRIGINE] moleſto pruritu. LIBIDINIBVS] prurigini aurium. VERMINAT] vexatur, nec enim hic morbum aurium verminoſarum, aut verminantium interpretor, qui non eſt auriſcalpio, ſed aliis curis ſanandus, vt lib. 6. & 7. ſcribit Celſus, & Plinius variis locis; grauior enim eſt, quam vt prurigo moroſa vocetur, vel auriſcalpio curetur; verminare hic non proprie accipio.

Acus aurea.

XXI. XXIV.

Tenuia ne madidos violent bombycina crines,
Figat acus, tortas ſuſtineatq; comas.

Al. Tænia. al. ſplendida ne madidi. Turnebus Tænia. Vide Ioſ. Scal. in Fe- ſtum Acuſ.

Crines in gradus quoſdam & annulos velut ſuggeſtum erigebat Romanarum fœminarum ſuperbia, quod munus quę obibant, concinnatrices vel ornatrices appellabantur, grauiterque puniebantur infœlices ancillæ, ſi vel vnus annulus in illo erecto orbe eſſet extra orbem, quod ſupra Martialis in crudelem Lalagen dixit.

Vnus de toto peccauerat orbe comarum
Annulus incerta non bene fixus acu, &c.

Et Iuuenalis Sat. 6. *Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum*
Ædificat caput. ——

Greg. Nazianz. Μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις πλοχμοῖσι γυναῖκες.
Ne caput ædificet aſcito fœmina crine.

Acus erat, quæ ſuſtinebat illum ſuggeſtum & gradus. Plurima ſuper hac re Iunius, de coma, cap. 7. & nos lib. 2. ep. 66. Acum comatorium appellat Petronius, *acum crinalem.* Apul. lib. 8. Mileſ. Martianus ſpicam crinalem. Iſid. Acum ſiue calamiſtratorium. Xiphilinus βελόνην ᾗ τὰς τρίχας ἀνῄρειν, acum diſcriminalem. Hieronymus aduerſus Rufinum. Ornabant has acus gemmis Vlp. L. Argumento §. Ornamento D. de auro & arg. leg. TÆNIA] V.C. habet Tenuia. alius ſplendida, ne madidi crines violent tœnia bombycina, ſolœcus ſermo, nec enim rauus tæniorum, ſed tænia tæniæ dicitur. Lego igitur vel tenuia, cum ſynalephe, vt Virgil. 1. Georg.

Tenuia nec lana per cælum vellera ferri.

Vel ſplendida, vt τὸ bombycina pro ipſo nomine ponatur materia pro forma; ne igitur reticula bombycina & ſubtilia & tenuia violent madidi capilli, ſic enim reſcribendum, ſi legas ſplendida bombicina, *Splendida ne madidi violent bombicina crines.* acus ſuſtineat madidas amomo comas, nec diſplicet, ſplendida; erat enim in reticulis, faſciis vittiſque luxus ingens, vt & hodie; quod alibi monſtrauimus. MADIDOS] Ita Iunianum exemplar. Monachienſe vetus, madidi crines Turnebus:

Tænia ne madido, violet bombicina crines.

Sed contra potius dictum vult poëta, ne bombicina veſtis violetur à capillis fluentibus. Expone ergo: Ne madidi crines violent bombicina ſplendida, ſeu veſtes bombicinas & ſericas ſuſtineat acus tortas comas. Partho placet *Tenuia.* Cæterum ſparſæ comæ haud dubie colligebantur in orbes variis annulis inſertos quos omnes acu traiecta ſuſtinebat.

Pecten ad Caluum.

XXII. XXV.

Quid faciet nullos hic inuentura capillos,
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

Iocus in Caluum, cui fruſtra donatur pecten, cum, quod pectat, non habeat. MVLTIFIDO BVXO] pectenes hodie vt plurimum eburnei ſunt, ſunt tamen & buxei, vt olim apud Græcos & Latinos. buxum etiam vocat Ouid. 6. Faſtorum συνεκδοχικῶς.

Non mihi detonſo crinem depectere buxo.

Clau-

Claudianus eburnei mentionem facit in nuptiis Honorij:

Longos huc Nestoris imbres,
Irrigat hac morsu numerosi dentis eburno;
Multimodum discrimen erat, sed tertia retro
Dat varios nexus & iusto diuidit orbes, Ordine. ———

Aureum Callimachus laudat.

Οἴσετε καὶ κτένα οἱ παγχρύσεον ὡς ἀπὸ χαίταν
Πέξηται λιπαρὸν σμάσαμένα πλόκαμον.
Pectinem & ex auro producite, possit vt vdos
Extergens crines pectine diuidere.

Multa leges apud Iunium de pectine in Coma, cap. 7.

De caluis notum, fuisse calumniis obnoxios, & generatim caluitium priscis probrosum. Eleganter S. Ambrosius l. 6. Hexam, scribit, *comam esse reuerendam in senibus, venerandam in sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adolescentibus, comtam in mulieribus, dulcem in pueris; tolle arboris comam arbor ingrata est, tolle humani capitis capillum tota pulchritudo flaccescit.* Apuleius: Mulier etiam venustissima, si capillitio nudetur, licet illa cœlo deiecta, mari edita, fluctibus educata, licet inquam Venus fuerit, licet omni Gratiarum choro stipata; & toto Cupidinum populo comitata, & balteo suo cincta, cinama fragrans, & balsama rorans, si calua processerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem suo. Exagitati ob caluitium Elisæus à lasciuia puerorum, Iulius Cæsar à milite in triumpho dictus, *caluus mœchus*, Domitianus *caluus Nero*, plura Donatus Marcellus ad Suet. in Othone. cap. 12.

Sapo.

XXVI. XXIII.

* Castica.

**Caustica Teutonicos accendit spuma capillos,*
Captiuis poteris cultior esse comis.

CAVSTICA] Sapo; quod fiat ex cinere & seuo, vim causticam seu vsticam habet, rufatque capillos. De hoc Plinius lib. 28. cap. 12. *Prodest* inquit, *& sapo. Optimus fagino & caprino, duobus modis spissus ac liquidus: vterq; apud Germanos maiore in vsu viris, quam fœminis.* ACCENDIT] rufat. caustica spuma, periphrasis saponis. TEVTONICOS] dixit; quod Germanis vsus rufandi capillos. CAPTIVIS] à Domitiano subactis κολακικῶς. CVLTIOR] Germanis. si caustica vtare, superabis Germanorum Cæsariem. Iam sæpe dictum his libris de rufandis capillis.

Mattiacæ pilæ.

XXVII. XXIV.

* V. quid.

Si mutare paras longæuos cana capillos,
Accipe Mattiacas (quo tibi calua?) pilas.*

SI MVTARE] Ad canos mutandos, denigrandosque aut rutilandos capillos, trochiscos è sapone factos, adhibe, anus, non calua tamen, sed cana; nam canos mutabunt, caluam nil iuuabunt. Turnebus plura super hoc versu lib. 9. cap. 23.

MATTIACÆ] Haud dubie à Mattio oppido Cattorum, vt est apud Tacitum Annal. 1. vel Mattiaco Ptolemæi in Germania oppido, quod Lipsius Marspurgum Hassiæ coniectat. Ab hoc Mattio Mattiacos suos, & conterminos, & consanguineos deducit idem Lipsius. *quid ni & ego inde dictas credam has ex Sapone pilas Mattiacas, cum & Plinius lib. 31. cap. fontes Mattiacos in Germania vltra Rhenum agnoscat.*

*Vmbella.

* Suet. Cal. cap. 20. Terentius.

XXVIII. XV.

Accipe, quæ nimios vincant vmbracula soles,
Sit licet & ventus, te tua vela tegent.

ACCIPE] Vmbella ab vmbra dicta, quam facit, Græcis σκιάδιον fœminis hodie nobilioribus vsitata, frequens in Italia. caput velut cœlum quoddam tegit, vsus in theatris, via, æstu, vento. TVA VELA] erant aliàs in theatris vela, quæ supra explicauimus, vehementi vento reuolutabantur, spectatorum vertices nudabant, ad quod incommodum vmbellæ velut priuata cuiusque vela

reperta.

reperta, quæ pro affectu vario in 4 factiones, erant vel virides, vel prasinæ, vel cerulea, vel candidæ, &c. A similitudine vmbellarum claui capitati, paulatimque velut meta acuminati, appellantur item non nulli flores hortenses. Lipsius c.10. Amphit plura apud Bulengerum de Circo. SI ALBET] sit, licet, emenda.

Gausapa, seu Causia.

XXVI. XXXI.

*In Pompeiano * tectus spectabo theatro,*
Nam ventus populo vela negare solet.

* tectum.

IN POMPEIANO] Causia, legunt omnes cati & eruditi, etiam Domitius, quamuis pleraque scriptura præferat Gausapa. Pompei theatrum sæpius ingressi sumus antea, nunc tantum de causia ago. quam docte exponit Lipsius c.18. Amphit. *Duplex*, inquit, *in* (spectatoribus) *tegmen fuit pilei, siue vmbella. Pilei quidem Thessalici, vt supra ex Dione retuli, quem eundem ego censeo cum Macedonico fuit causia inductum à Martiale, qui inter Apophoreta lemma habet causiam (male enim in plerisq. libris Gausapa) & accommodat ad hunc theatralem ritum. Significat diserte vsurum se tegmine causia contra solem, si ventus inuidisset vela.* Ad eundem vsum refero pileos in theatris ab editoribus interdum datos, siue birros. Vopiscus in Carino: *Donati sunt ab Atrebatis birri petiti, donati birri Canusini.* Birri mentio est apud Isidorum lib.19. cap.24. de palliis virorum. De Gausapis & Gausapinis infra suo lemmate referemus. Lego tamen apud Arbitrum Trimalcionem caput gausaba inuoluisse. Et Gruterus pugnat pro hac scriptura, quod non bene sit tectus totus homo causia, sed ille rursum secum pugnat, cum pro tectus rescribit tecum.

Venabula.

XXVII. LXX.

Excipient apros, expectabuntq. leones:
Intrabunt vrsos; sit modò firma manus.

EXCIPIENT] diuitis munus, vt culter venatorius pauperis. Venabulum est telum venantium latissimum, aciei longissimæ. Virgilius lib.9.

——*Supra venabula fertur.*

Varro σῦς ἄγριος, nempe Siuaticas sues in montibus secteris venabulo, ceruos. Isidorus dicta ait venabula quasi venatori habilia. nos plura lib. Amphit. SIT MODO FIRMA MANVS] Vrsi enim & apri excutiunt ictum, & inuadunt venatorem, vt Xenophon de apro, alij plures de vrso tradunt, nos libro A. ep.11. & ep.13.

Culter venatorius.

XXVIII. XXXI.

*Si deiecta * geres longo venabula rostro:*
Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.

* v. geres.

SI DEIECTA] Hæc probatur scriptura præ illa in antiquo C. Seneca l.2. de tranquil. vitæ c.7. Vt intentam manum deiicere aliquis casus potest, & emissa tela declinare, ita iniurias qualescunque potest aliqua res depellere, & in medio intercipere, vt & factæ sint, nec acceptæ. [SI DEIECTA] Apri enim facile eludunt ictus & petitiones venatoris, qui nisi alio armatus sit telo, eliditur à fera neque nego opus fuisse etiam cultro tum, cum venabulum reiecit bellua, quo sine cultro ægre conficitur. lib. A. de hoc plura, & lib.7. ep.26. LONGO ROSTRO] Iam superiore carmine ex Nonio Marcello docuimus longissima acie Venabulum fuisse porrectum.

Parazonium.

XXXII. XXIX.

*Militiæ * decus hoc, & grati nomen honoris;*
Arma tribunicium cingere digna latus.

* Parazon. Breuel. * V. qua veri gat: decus omni honoris. al. gratiq; erit omen. al. gratis nomen. * al. hoc ingeni & omen.

MILITIÆ DECVS] munus diuitum teluni à zona pendens, inde παραζώνιον dictum, aut cingulum cum ense; in Traiani vita B. alij gladium aiunt, qui ad zonam accingebatur. Eodem quo sensu dixisse Athenæum l. 4. ζωνίδιον. παραζωνίδια καὶ λογχάρια. ... gladiolos lateri accinctos & lanciolas ærugine & sordibus obsitas. Quæ si vera sunt, errat Calderinus qui hanc vocem negat apud Græcos legi, omnique ratione exagitat eos, qui hoc loco scribunt παραζώνιον & paracon legendum contendit. Parac. n autem populi caput esse docet Varro. Festus parscon à parricida deducit, & ait rerum capitalium quæstorem, quod nihil ad rem: tenio cum vulgari editione, & parazonium lego, quod recte vocat militiæ decus; militibus enim sunt balthei, cingula, gladij. Ita Turbe... * etiam doctorum senatu hodie vniuerso sentit. Parameriuma & parazonium Lipsius de Militia Romana interpretatur pugionem, sed interpres Vegetij absolute gladium, noster poeta diserte separat pugionem & parazonium. Sed hunc locum illustrabit face Lipsius in Analectis ad Dialog 3. Parazonium aliter Græci παραμήριον, quia pendulus ad femur. Leo Imperat. *Habebant spathas romano more ab humeris pendentes, & parameria.* In glossis παραμήριον μάχαιρα, sica. Sozomenus in Ecclesiastica hist. de quodam Gerontio Romano. ... τὸ παρὰ μηρὸν ξιφίδιον, distringens gladiolum, qui ad femur. Solebant autem milites illos gladiolos ornare auro & argento, quisque pro fortuna. Herod. in Seuero. *Et gladiolis (Iuliani militibus prætorianis) abstinuerunt, quos suspensos gestabant auro & argento tulitos.* Vsi & veteres Græci parameriis Hom. Iliad. γ. ed & Hispani, & Persæ, & Galli, & Germani quoque. Auctores Pollux, Diodorus, Dio pugna Cæsari in Ariouistum. Donabantur hoc tribuni militares ab imperatoribus, & ... honoris caussa grati principibus. Ita factus tribunus honoratius noster Martialis.

* Laninus Torrent. in notis ad Martialem idem sentit.

Pugio.

XXXIII. XXX

*Pugio, quem curuis * signat breuis orbita venis;*
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

* V. cingit.

Pauperum munus, pugio Hispaniensis, pugio dictus, quod punctim pugnet, vt pompeius Festus arbitratur. Nonius breuem gladium vocat. Isidorus pungendo etiam & transfigendo deriuat, gladiumque paruum & bisacutum dicit, lateri adhærentem, eundemque clunabulum quod ad clunem religetur, appellatum. Sunt qui à pugno dictum affirmant. BREVIS ORBITA] circulos venarum curuatum appellat orbitam; venæ autem apparent in ferro polito & temperato. CVRVIS VENIS] per pugionem politum sparsis. SALO] flumius ad Bilbilin, quem à ferro temperando & durando supra ex ipso poeta laudauimus.

Falx ex ense.

XXXIV. XXXI.

*Pax me certa * ducis placidos curuauit in vsus,*
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

* v. domini ducdos.

PAX ME CERTA DVCIS] Falx ut fecit ense telo in meliorem vsum beneficio Domitiani, bella componentis & pacem reducentis, versum de qua supra.

Nuda ducum feritas, nulla est insania ferri;
Pace frui certa, lætitiaq; licet.

CERTA] Non fuit diu certa & firma. Decibalus seu Decabalus Dacorum dux mox rebellauit, magnasque clades Romanis intulit, vt est apud Dionem. PLACIDOS] Agriculturæ quæ pace floret, contra, cum bella fremunt, falces dicuntur conflari in enses. Virg. 1. Georg.

Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem

Securicula.

XXXII. XXXV.

Cum fieret tristis soluendis auctio nummis,
Hæc quadringentis millibus empta fuit.

CVM] inter bella ciuilia, cum rerum omnium est summa caritas, securiculam hanc bellicam ait quadringentis emptam, hoc est, decem millibus Philip. non reor tamen ob caritatem tanti fuisse, sed vel propter artificē nobilem & antiquum, vel propter operis artificium, vel quod miserētus beatior aliquis miseri ciuis & equitis (cuius bona sub hasta venibant) vt retineret dignitatem; quadringenta enim sestertia efficiunt equestrem censum, quæ de ciuili bello dicta sunt, ex coniectura Domitij dictum est, qui nullum testem excitat suspicionis. Securis enim præter alios vsus etiam belli instrumentum scribitur Polluci, vnde Securicula. Securis inuentio tribuitur Pentesileæ Amazoni. Plinius lib.7.cap.56. Fuerunt & consulibus secures prælatæ, quibus interfecti sontes. Securibus vsos veteres in bello scribit Virg.7.Æneidos.

--- *Subiguntq; in cote secures.*

AVCTIO TRISTIS] Proscriptionem insinuat & subhastationem.

Ferramenta tonsoria.

XXXIII. XXXVI.

Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis:
Vnguibus hæc longis, vtilis illa genis.

TONDENDIS] Triplicia chirurgorum seu potius tonsorum instrumenta enumerat; forpicem seu forpiculam qua caput tondetur, aliud, quibus vngues præsecantur, seu cultellus, seu forpex; tertium, quo genæ & mentum raduntur, nouaculam. non puto hic de volsella agi.

Scrinium.

XXXIV. XXXVII.

* *Constrictos nisi das mihi libellos,*
Admittam tineas, trucesq; blattas.

* V. Constructos.

Componendos ait & constringendos in Scrinio libros, ne soluti corrumpantur, & tineis blattisque librorum pestibus ludibrium fiant. Inter blattam & tineam discrimen fere nullum ponunt. Vestibus & libris infesti vermiculi. Est apud Theodorum Gazam non inelegans epigramma in tineam Musarum victimam.

Si rogas Cereremq; Liberumq;
Vita sobrietus sua colonus:
Si Mauortis opem petit cruentus
Miles, solicitus sua salutis:
Quid ni Calliope, tibi tuisq;
Iura sacra feram, quibus placere
Est vnum studium mihi, omnibusq;
Qui vatum è numero volunt haberi?
Vobis ergo ferenda sacra Musæ
Sed qua victima grata? qua Camanis
Dicata hostia? parcite ô Camana
Noua hæc victima, sed futura vobis
Suauis arbitror, admodumq; grata.
Accede ô tinea, illa quæ pusillo
Ventrem corpore tam geris voracem.
Tene Pieridum aggredi ministros?
Tene arrodere tam sacros labores?
Nec factum mihi denega. Ecce furti
Tui exempla, tuæ & voracitatis:

Pereas tu mihi Passerem Catulli
Peras tu mihi Lesbiam abstulisti
Nunc certe meus ille Martialis
Ima ad viscera rosus vsque languet:
Immo & ipse Maro, cui pepercit,
Iusto Cæsare sic iubente, flamma
Læsus dente tuo, scelesta, mæret
Quid dicam innumeros bene eruditos,
Quorum tu monimenta, tu aborti
Isto pessimo ventre deuorasti?
Prodi, iam cuniculum relinque, prodi.
Vah, vt callida stringit ipsa sese,
Vt mortem simulet scelesta prodi
Pro tot criminibus daturi pœnas.
Age istum iugulo tuo cruento
Mucronem excipe. & istum, & istum, & istum.
Vide vt palpitat, vt cruore largo
Aras polluit hæc profana sacras?
At vos Pierides, bonæq; Musæ
Nunc gaudete: iacet fera ingenti
Iacet sacrilega illa, quæ solebat
Sacros Pieridum vocare seruos.
Hanc vero tunicam, Camœnæ,
Vobis exuuias, vt hinc tropæum
Parnasso in medio locetis, & sit
Hæc inscriptio: DE FERA INTEREMPTA
GALLVS DAT SPOLIA HÆC OPTIMA MVSIS.

Vt non attingerentur tineis, libri Cedro, vt supra diximus, inungebantur. vt hodie absinthio alphitocolla seu glutinum bibliopegorum. Scriniis seruatos olim libros lib. 1. ep. 2. & aliisque locis, ex Iuuenale itam & Horatio didicisti. De Scrinio Alexandri nota res.

Fasces calamorum.

XXXVIII. XXXV.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Vt hodie ex alis auium pauonum, olorum, anserum, ita olim arundinibus calami fiebant, ad quem vsum expetebatur potissimum auctore Plinio libro 16. cap. 36. Aegyptius calamus. Chartis, inquit, *seruiunt calami Ægyptij maxime, cognatione quadam papyri.* Ægyptiis tamen probatiores ait Gnidios & Asiaticos circa Anaiticum lacum. Poeta noster Ægyptios tantum laudat. MEMPHITICA TELLVS] Ægyptus est, cuius olim caput Memphis, de qua ep. 1. lib. A. Interim vt hodie ex auro, argento, ære, ferro passim fiunt, ita olim factor ex Ouidij calamo argenteo, nostro æuo apud Dacos inuento credi potest.

TEXANTVR RELIQVA TECTA PALVDE TIBI] Ægyptius, inquit, calamus seruit chartis, reliqui aliarum gentium tectis muniendis. Plinius eodem libro & loco, Tegulo, inquit, earum (arundinum) domus suas Septentrionales populi operiunt, durantque æuis tecta alta, neque tectis tantum adhibebantur, sed sagittis, spiculis, tibiis, fistulis, vt ibid. Plinius, Virgilius, alij, cum historici, tum poetæ narrant canuntque.

Candela.

XL. XXXVI.

Ancillam tibi sors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras.

ANCILLAM] Candela pauperum munus, lucerna diuitum. Sensus est. Tibi pauperi sors dedit candelam, quæ est ancilla lucernæ. Vt enim pauperiores fœminæ & puellæ ancillantur ditioribus, ita candela, quæ pauperum est munus, lucernæ quodammodo ancillatur. Candelam Isido-

rius à candendo ducit, quod candendo deleatur. IVTAS EXIGIT TENEBRAS] Ne offendas, aut offendaris, ne tenebriones & grassatores parietem perfodiant, aut surrepant, dum coniectant ex lumine familiam vigilare.

Lucerna Polymyxos.

XXXVII. XLI.

Illustrem cùm tota meis conuiuia flammis,
*Totq́ geram * myxos, vna lucerna vocor.*

* myxas

Lucerna Varroni lib. 4. de ling. lat. à luce dicta. Græcis λύχνος, candelabro posterior est, priusque repertus candelabri vsus. & noster paullo infra:

Non norat certos vncta lucerna patres.

Vide Athenæum & Casaub. lib. 15. Animad. cap. qui multa de lychnis & Xylolychnis & inuentione lychnorum.

Isidorus non à luce, sed licinio dictam contendit. Sequor Varronem. Nam quod ad versum Persij attinet, quem adducit Isidorus.

Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Nihil ibi de etymo lucernæ dicitur, sed quod fumum crassiorem halent. Ægyptiis lucernarum vsum repertum tradit Eusebius de Præp. Euang. harum erant, vt hodie, variæ formæ, aut simplices, aut dimyxi, aut polymyxi. Distichon sic intellige. Cum totum triclinium illustrem meis luminibus, & plura habeam ellychnia, cur dicor vna lucerna, cum sim multiplex lucerna. POLYMYXOS] Græcanica vox à πολὺ & μύξα. Vnde δίμυξος, τρίμυξος, πολύμυξος, hoc est, lucerna duorum ellychniorum, trium, & plurium. μύξα propriè Græcis est humor ex naribus profluens. Iulius Pollux. ῥεῦμα τῆς ῥινός. Hippocrates humorem pituosum, lentum & altum appellat. Est præterea humor & mucus in ostreis, & testudinibus Galeno, Eustathio, aliis. In multitudinis numero μύξαι nares Sophocli dicuntur, vnde μυξωτῆρες, seu μυξητῆρες. μύξα est idem, quod ἐλλύχνιον, seu fomes lychni. & lucernæ, πολύμυξος, lucerna plura habens ellychnia seu funiculos Dacht. Hoc est ambiguum quibusdam, an in eadem cera, vel oleo, vel seuo sint intelligenda illa ellychnia eiusdem lucernæ, ita vt lucerna vnum tantum lumen habeat, pluribus ellychniis instructum, vt faces hodie nonnullæ & tædæ quatuor habent ellychnia: an sint μύξαι, seu ellychnia illa duo, tria vel pluria in eadem lucerna separata & diuersa, vt diuersa, sint lumina in diuersis velut angulis lucernæ, vnaque lucerna velut tria quatuorque, & pluria contineat distincta lumina, vis vocis vtroque modo exponitur. Hic de diuersis accipio, quod poeta insinuat, cum dicit, cur vna lucerna vocor, cum tot luceam flammis. Sunt ergo in vna lucerna plures lychnuchi, seu nasi, rostraue, quæ sustinent vel candelas, vel cereos, vt plerumque sunt pensiles lychnuchi qui sex, septem aut plura lumina in orbem ferunt; sed poeta de olearibus lucernis videtur loqui.

TOTQVE GERAM MYXOS] μύξας lego non μύξος, aliud valet Græcis μύξος, nihilque ad rem facit præsentem. tot μύξας tot funiculos & ellychnia Dacht. Apud Suidam λύχνον εἴκοσι μύξαις lucernam viginti ellychniorum lego in epigrammate.

Τῷ μ' ἐκανωπίτᾳ Καλλίστιον εἴκοσι μύξαις
Πλούσιον ἡ Κριτίου λύχνον ἔθηκε θεῷ
——ἐς δ' ἐμὰ φέγγη,
Ἀθρήσας, φήσεις ἕσπερε πῶς ἔπεσες.

Cereus.

XXXVIII. XLII.

Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes:
Subducta est puero namq́ lucerna tuo.

Donari solitum in Saturnalibus cereum, seu ceream candelam diximus lib. 1. ep. 18. & aliis libris ex Macrobio: munus erat diuitum, quod humiliores potentioribus offerebant, ipsi vero candelis vtebantur, vt Festus docet. Varro etiam lib. 4. de LL. Quare quod cœlum principium, à satu dictus est Saturnus, & quod ignis, Saturnalibus cerei superioribus mittuntur. SVBDVCTA EST PVERO) sublata est furto lib. 8. ep. 59. de Lusco fure.

Nec dormitantem Vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat ipsa licet.

Candelabrum Corinthium.

XLII. XXXIX.

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt,
Non norat parcos vncta lucerna patres.

De candelabris Corinthiis Plinius tractat lib. 34. cap. 3. *Sed cum esse,* inquit, *nulla Corinthia candelabra constet, nomen præcipue in his celebratur, quoniam Mummij quidem victoria Corinthum diruit, sed compluribus Achaia oppidis simul æra dispersit.* Omnia vasa Corinthia, ærea; & æs Corinthium præcipuum habebatur. Plinius cap. 2. eiusdem lib. i. *Ex illa autem antiqua gloria Corinthium maxime laudatur, hoc casus miscuit Corintho, cum caperetur incensa. Eius tria genera, candidum argento nitore proximum, alterum auri fului natura, tertium, in quo æqualis omnium temperatura.* Muretus lib. 3. Var. c. 5. alias ex aliis causas nominis & æris Corinthij narrat, quem tute leges. *Deliaco æri antiquissima laus proxima Æginetico, Æginetici candelabrorum superficiem artificiose elaborarunt. Scapos Tarentini,* vt Plinius auctor.

NON NORAT PARCOS VNCTA LVCERNA PATRES] Ex Varrone docuimus, posterius inuentam fuisse Lucernam, quam candelabrum. Græcis vsitatissima, vnde & multa iactantur hodie adagia, *lucernam olere lucernam meridie accendere, &c.* Parcos vocat frugales primos Romanos, quales Curij, Fabritij, Cincinnati, &c. fuere. de origine Casaub. ad Athen. l. 15. Anim. c. 20.

Candelabrum ligneum.

XLIV XL.

Esse vides lignum: serues nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

ESSE VIDES LIGNVM] locus est custodiendum esse candelabrum, ne accensum per imprudentiam, ipsum candelabrum fiat lucerna, & totum ardeat. Candelabrum Græcis λυχνοῦχος: quasi candelam ferat, aut quod in eo candelæ figantur. Varro l. 4. de ling. lat. *Candelabrum,* inquit, *à candela, quod in his funiculi ardentes figebantur.* ξυλολυχνοῦχος Alexidi, M. Tullio ad verbum lychnuchus ligneolus nominatur. Obseruatio est Athenæi, Οὐ παλαιὸν ἢ εὕρημα λύχνος φλογός. οἱ δὲ παλαιοὶ τῇ τε δᾳδὶς, καὶ τῶν ἄλλων ξύλων ἐχρῶντο. Ita est: antiquitus, ignotis adhuc lucernis, facibus, cãdelis & similibus omnibus, in vsum nocturni luminis tædam accendebant, aut ligna alia. In Etymologico scriptum verè, οἱ παλαιοὶ οὐκ ἐχρῶντο ἐλαίῳ καὶ λύχνῳ ἀλλὰ ξύλοις. Pater vatum λαμπτῆρας nominat ligna in foculis ardentia ad faciendam lucem. Ὀδυσσ. σ.

Αὐτίκα λαμπτῆρας τρεῖς ἵστασαν ἐν μεγάροισιν
Ὄφρα φαείνοιεν.

Ad eum locum notat Eusthatius, durare eum morem apud rusticos. Ἰστέον, ait, ὅτι λαμπτῆρας λέγει ἃς νῦν οἱ ἀγροτικοὶ λυχνίας φασίν. ἐφ' ὧν δᾷδες κείμεναι (aut potius ἱστάμεναι) κατὰ δέσμον ἀνάπτονται. ἢ ξύλα ξηρὰ διὰ τὸ ἄκαπνον, ἢ καὶ ἀμφω ἀνάμιξ. Virgilius Homerum imitans.

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Poeta alibi vocat βωμοὺς, focos sublimes in hunc vsum fabricatos in ædibus beatorum: aut sedes simulachrorum quæ ligna vel facem tenentia prælucebant. Ὀδυσσ. ῥαψ. η. quo referri forte possit obscurus Glossarij locus, qui ita editur: Laterna, φανὸς ἱστία πλατείας κειμαίνη. Doctissimi viri qui non videbant quid sibi magister hic vellet, vocem ἱστία putarunt esse vitiosam. Nos ipsum potius interpretationis huius auctorem falli censemus, vt sæpe incognitæ significationis vocibus. Putauit latinæ vocis laterna adeo late patere significationem, vt etiam foculos illos denotaret, in cubiculis olim altiusculé ędificari solitos ad lucendum. Lychnos vero inuenerunt Ægyptij, auctore Clemente Alexandrino in stromatibus. Lampadum quoque & vsum & nomen à Syris acceperunt Græci: nam lampas est Hebræorum. Lucernæ διμύξου, ait noster meminit Μεταγένης ἐν Φιλοθύτῃ καὶ Φιλωνίδης ἐν Κοθόρνοις. Metagenis Philotytam inuenio nominatam Polluci l. 9. c. 23. at Philonidæ verba extant apud eundem lib. 10. cap. 26. ὥσπερ οἱ δίμυξοι τῶν λύχνων.
Idem libro 6. capite 18. λύχνου καὶ διμύξου τῶν κωμῳδῶν Φιλύλλιος μνημονεύει.

Pila

Pila paganica

XLI. *XLV.*

Hac, qua difficili turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

Describit pilam paganicam, vt ab aliis pilarum generibus hanc distinguat. Dicta paganica est vel ab hominibus paganis, vel pagis vrbanis, quibus erat in vsu. Vrbs enim antiquitus, Dionysio lib. 4. referente in 4. diuisa tribus, quæ pagi, & incolæ pagani appellabantur. Pila paganica pluma farciebatur, mollior erat pilâ, durior folle, maior trigonali, minor folle. Excussa hæc lib. 4. ep. 19. lib. 7. ep. 31. quare hic operam non ludo. DIFFICILI] quia ægre stipatur in pilam pluma pagani militibus opponuntur.

Pila trigonalis

XLII. *XLVI.*

*Si me * nobilibus scis expulsare sinistris,* **mobilibus.*
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

Sinistra dextraque opus erat in hoc ludo, quique sinistram magis habebat exercitatam, sæpius vincebat, lib. 7. de hac locutus canit.

Sic palmam tibi de trigone nudo
Vncta dat fauor arbiter corona,
Nec laudet Polybi magis sinistras.

Et lib. 12. ep. 84. *Captabis tepidum dextra leuaq; trigonem.*

Trigonalis dicta non à figura trigonali seu tribus angulis, quod triquetra fuerit, sed à situ ludentium, qui in trigono stabant aut à loco trigonali. Pila erat parua, quæ nonnunquam, sine adiecta alia voce, pila nominatur. Disputauimus copiosè de hac lib. 4. ep. 19. & 7.

RVSTICE REDDE PILAM] Ita Horatius disco. *Abstinet à campo qui nescit.* Videtur legendum *nobilibus* vt opponatur τῷ *ludere disco rustice.* quamuis *mobilibus* non mendosè videatur admitti posse, quod mobiles & agiles, vt Paulus & Polybus, in hoc ludo desiderarentur.

Follis.

XLIII.

Ite procul iuuenes: mitis mihi conuenit ætas
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Libro quarto ep. 19. quinque pilarum genera descripsimus, inter quæ primum erat follis, quem duplicem fuisse diximus; maiorem, qui bracchiis vt hodie, expellebatur; minorem, qui pugno, iactabatur. Vterque vento & anima inflabatur. Hic facile crediderim de minore intelligendum, quod maior bracchiis propellenda labore & robere indigeret, non item qui manu aptior senibus fessis, & pueris inbecillis. Quod autem follis vento plenus, vt Vlysis vter, libro 4. dicatur plumeum pondus: *Plumea seu laxi partiris pondera follis*, non est ita accipiendum vt credatur pluma fuisse infartus follis, sed quod tam leuis pondere fuerit ac pluma: eo enim vocat *plumea pondera.* Huius minoris follis vsus hodie desitus est apud nos & forte etiam alias gentes. Maioris vbique ferè vsus.

Harpasta.

XLIV. *XLVIII*

Hæc rapit Antæi velox in puluere † draucus, *†dractei, à δράσσω corripio, premo, lacertis.*
Grandia qui vano colla labore facit.

Harpastum ab ἁρπάζω dictum, quod in hoc ludo præcipuum erat, vt impulsionibus extrusionibusque sibi mutuo pilam eriperent; pilam paruam ex corio factam suspicatur Mercurialis adeo vsitatam priscis, vt nemo, quod omnibus esset nota, descripserit accuratius. Græci etiam σφαιρίδαν appellant. Plenissime de hac lib. 4. ep. 19

ANTÆI DRAVCVS] palęstrita, Antæi quasi discipulus valens & robustus, qualis erat Antæus palæstrita, qui cum Hercule certauit. De quo Diotimus lib. 1. Anthol.

Τὰν ἥβαν ἐς ἄεθλα παλαιστικὰ ἤσκησε κρατερὰς
Ἀπὸ Ποσειδῶνος καὶ Διὸς ἡ γενεά·
Κεῖται δ' ἐν σφίσιν οὐχ ὁ χαλκείης ἀντὶ λέβητος,
Ἀλλ' ὅτις ζωὰν οἴσεται ἢ θάνατον.
Ἀνταίου τὸ πτῶμα. πρέπει δ' Ἡρακλέα νικᾶν
Τὸν Διός. Ἀργείων ἁ πάλα, οὐ Λιβύων.

Incaluere animis dura certare palæstra
Neptuni quondam filius atq; Iouis.
Nec certamen erant operose ex ære lebetes.
Sed quod vel vitam, vel ferat interitum.
Occidit Antæus, Ioue natum vincere fas est,
Estq; magistra pales Græcia non Libya.

Immanis erat gigas hic Afer & hospites lucta victos necabat. Pindarus Isthm. 4. carm. Mela in Mauritania narrat sepultum.

Drauci longo collo erant, & collum data opera producere studebant, quod ea res palęstritis commodaret. Scio, quid Turnebus lib. 9. cap. 13. super hoc verbo disputet, nobis vti prætextatis, religiosum. VANO LABORE] inutili expono, stulto & inani, cum vulius agro fodiendo se exercerent, vt proximo epigrammate docet.

Cælius Rhod. l. 7. c. 26.

Halteres.

XLIX. XLV.

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

* Quod malim, quod.

De Alteribus indicta omnia. Accipe ergo Dicti sunt ab ἅλλομαι Salio, latine quidam vertunt bracchialia. Figura erat, circuli dimidium, oblongioris nec rotundationis absolutæ: ita prorsum efformabantur, vt manuum inseri possent digiti, velut per scuti ochana. Instrumenta Gymnastica sunt, massæ nimirum lapideæ vel metallicæ, ansa vel manubrio addito, quo commodè leuarentur ab Halterobolis, vnde & ἀρτῆρες dicuntur. Omnino similes fuisse massas hasce contendunt iis, quibus hodie in examinandis ponderibus passim vius. Hos Halteres loqui videtur Iuuenalis Sat. 6.

Rhod. l. 14. c. 4. Pausan. in 5. Eliacō.

Et lassata manu ceciderunt bracchia massa.

Seneca epist. 57. Cum fortiores exercentur & manus plumbo graues iactant, cum aut laborant, laborantem audio, quoties recentem spiritum remiserunt, sibilos, & acerbissimas respirationes.

Et noster hoc loco. Nam illud lib. 7. ep. 66. non ita, vt plerique: *Halteres agili rotat lacerto*, sed, *alternos facili rotet lacerto.* Aliud genus halterum Cælius Aurelianus Medicus perantiquus describit lib. 4. Chro. cap. 2. quos manipulis comparat. Arthriticis enim ait conuenire ceram digitis emolliendam dare, vel manipulos tenendos, quos palęstritæ halteras appellant. Explicat Mercurialis lib. 2. cap. 12. *Ex quibus verbis*, inquit, *constat halteres massulas quasdam siue manipulos ex variis materiis modo leuioribus, modo grauioribus confectos, ea magnitudine, vt manu qualibet caperentur.* Horum halterum imaginem ex gemma Ligorij spectandam proponit. Atque hæc de nomine & forma halterum. Vsum duplicem, imo quadruplicem apud scriptores reperio. Primus est in saltu, vnde nomen accepere, de quo Aristoteles li. de communi gressu animaliū, vbi de duobus generibus ἁλμάτων, seu saltuum loquitur; altero vacuo & inani manu, altero, cum manu pondiuscula capiebant vt illis firmati vehementius saltarent, quæ pondiuscula ab Aristotele, & Theophrasto lib. περὶ κόπων, ἁλτῆρες nuncupantur. Idem Budæus in Pandectas dixit ex Aristotelis V. Problem. 8. & Theophrasti lib. de lassitud. certantes saltu halteribus vsos, pilas quippe seu massulas vtraque manu librabant, vt certius assilirent. [Quinquertiones enim & alios melius saltare, si lapidem vel halteres manu gestent, quam si brachio inani. Sed Budæum notant Cornarius ad secundum Galeni de compos. med. & Henricus Stephanus in thesauro linguæ Græcæ, qui saltatores non halteribus, sed alcteribus vsos scribunt: alcteres autem esse adminicula velut hastas seu palos, perticasue, quibus nixi altiorem longioremque saltum edant, vt hodie pastores & agrestes factitant; halteres autem ineptissimos esse ad saltum. Enimuero ego à Mercuriali sto, qui pro Budæo propugnat; halteres enim ab ipso saltu nomen habent; alcteres non nego, nego tamen huc facere. Aristotelis enim & Theophrasti verba clara sunt de Quinquertionibus loquentium. Quod ad verba Galeni lib. 1. de val. tuenda attinet, quæ Henricus adfert, ea de vno genere exercitationis expono, exerci-

exercitationes autem erant, vt dixi, variæ, quæ halteribus fiebant, verba Galeni sunt hæc: ἔνιοι μὲν καταθέντες ἁλτῆρας ἐν τῷ πρόσθεν διαστήματος ὀργυιᾶς, εἶτ' ἐν μέσῳ ἑστῶτες αὐτῶν ἀναιροῦνται προσνεύοντες, τῇ μὲν δεξιᾷ χειρὶ τὸν ἐν τοῖς ἀριστεροῖς, τῇ δὲ ἀριστερᾷ τὸν ἐν τοῖς δεξιοῖς, καὶ αὖθις ἐκφέρουσιν εἰς τὴν οἰκείαν κατατιθέντες χώραν καὶ τοῦτο ποιοῦσιν ἐφεξῆς πολλάκις ἀτρεμίζοντες τῇ βάσει. Quæ ego verba sic intelligo. *Quidam sanè deponentes halteres ante se in medio internallo vnius passus deinde stantes, sisiq; inflectentes illos tollunt, dextra quidem manu sinistrum, sinistra vero dextrum, & rursum alternatim, in suum locum reponunt, hocq; sæpius deinceps faciunt, in eodem semper vestigio persistentes.* Verum est, hic de saltu nihil dici, sed à Galeno non omnes halterum exercitationes ibi enarratas scias. De hoc forte velut secundo genere halterum Martialis, velut inani labore dixit.

QVID PEREVNT STVLTO FORTES HALTERE LACERTI] Apud Galenum lib. 2. de tuenda val. & Artemidorum Mercuriali, non putat legendum ἁλτῆρες & ἁλτῆρσι, sed, ἀλτῆρες, & ἀλτῆρσι, quod eam vocem alibi nusquam legerit. Ratio saltandi varia fuit, aliquando per plana, vt hodie iuuentus solet, cum à principio, quod pallio, aut alio signo apud Græcos βατῆρα dicunt, signant: deinde metam ἐσκαμμένον appellatam, medium spatium κανόνα: attigisse metam laudis est: infra constitisse inertiæ: transiliisse victoriæ. Duo alia genera halteribus ludendi habes in imagine Mercurialis, cum vel protendunt manus, vel ipsos halteras iaciunt, quo genus cum verbis Oribasij conuenit: vel rotant, quod aliqui (Alex. Neop. l. 3. c. 21.) quintum addunt ludendi genus, corrupto tantum loco Martial. l. 7. adducti. Mercurialis censet etiam halteribus funiculos seu lora circumfusa, interque proiiciendum explicata. Martialis porro stultum haltera appellat, quod sine operæ pretio fieret ea exercitatio, & plus noceret corpori, quam prodesset, quod & Mercurialis lib. 5. Gymnast. c. 9. de conditionibus halterum ostendit. Multa de halteribus Biscíola lib. 3. c. 9. toto quem consules singularia docentem.

Galericulum.

XLVI.   L.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Galericulum, geminum habuit vsum, ad caluam tegendam, & capillos à ceromate, vnguento, quod è luto, cera, oleoque fiebat, palæstritis adhibito, defendendos. Caluitium quidem probrosum erat, & hominum dicacium iocis dictisque obnoxium. Quare vt id calui celarent, pelles instituerunt quasdam appositis humanis crinibus, easque capiti applicuerunt tanta arte, vt cutis vera, non coma ascititia videretur, illisque pellibus & galericulis, tam viri quam fœminæ passim vtebantur.

Sed nigrum flauo caput abscondente galero.

Galerum enim & galericulum vocabant. Anienus:

Nam mox detecto nituit frons nuda galero
Discolor apposita quæ fuit ante coma.

Suetonius in Othone cap. 12. *Galericulo propter raritatem capillorum adaptato & annexo.* Tertullianus de cultu fœminarum: *Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium & textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in ceruice retro suggestum.* Martialis per iocum hoc galericulum calceum capitis vocat, & caput calceatum lib. 12. ep. 45. ad Phœbum.

Hedina tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticemq; caluæ;
Festiuè tibi Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

Alterum vsum hic ipse poeta ostendit. LVTET] inquinet, collutulet, vt Plautus loquitur. NITIDOS) vnguentatos. Cic. 2. in Catilinam. *qui nitent vnguentis, qui fulgent purpura.* Et mox, *sertis redimiti, vnguentis obliti.* Et paullo infra: *quos pexo capillo nitidos aut imberbes, &c.* Noster poeta sæpius carpsit superioribus libris hunc luxum, & mollitiem Romanorum.

Strigiles.

XLVII.   LI.

Pergamus has misit curuo distringere ferro,*
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

* distringere al. vt stringeres.

Strigilis à stringendo tergendoue corpore dicta, Græcis στλεγγίς, ξυστρίς, ξύστρα, ἀπόξυσις, vt est apud Pollucem στλεγγίσματα χειρῶν &c. Formam describit Apuleius lib. 2. Floridorum, his verbis

Hippiam laudant, *Qui magno in turba predicauit fabricatũ semet sibi ampullam quoq́; Oleariam, quam gestabat, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate, iuxtaq́; honestam strigileculam; recta fastigatione clausula, flexa tubulatione ligula, vt & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea riuulo laberetur* Symposius ænig. 86. sic depingit.

Rubida, curua capax, alieno humida gutta,
Luminibus falsis auri mentita colorem.
Dedita sudori, modicè succumbo labori.

Sed tu fortasse ex hac descriptione figuram nondum assequeris, quam ære descriptam spectabis melius lib. 1. cap. 8. apud Mercurialem, qui has olim inter Traiani Imperatoris thermarum ruinas, ait repertas. Philander ad lib. 5. cap. 11. Vitruuij figuram strigilis exsculptam tradit in marmore, ad balneas Pauli, in cliuo Quirinali, eam tamen non appressit. Strigiles porro, si materiam spectes, ferreas (ferreas, inquam; non ferreos, vt Mercurialis, ne rei violati iuris grammatici ad tribunal Prisciani sistamur) vel aureas, vel argenteas, vel corneas, vel æreas fuisse lego. Vsum duplicem, ante balneas & in balneis. Antequam balneas ingrederentur, collectum in palæstra, in conisterio & ceroma, sordesque & sudorem in alipterio. seu vnctuario strigilibus, seu ferreis, seu alterius materiæ radebant, totumque puluerem cum sordibus ceromate destringebant, quod munus erat Mediastanorum, hoc est, humilium & vilium seruorum. Oleum porro puluis, & sordes, quæ deradebantur, simul mixta in vsum medicum adseruabantur, & ab Atticis κονίοσαλ@, vel πάτ@ appellabatur, quod lib. 1. c. 30. Dioscorides lib. 34. c. 8. Plinius l. 8. simp. Med. Galenus, aliique docent. qui se distringit, dicitur ἀποξυόμεν@, vel si vndique περιξυόμεν@. In balneis vero Galeni ætate strigiles è spongia fiebant, aut lino, suasque fere secum quisque delicatior ferebat, quod à communibus abhorrebant. Persius Sat. 5.

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

PERGAMVS HAS MISIT] Ex Asia primum allatas dicit. Pergamus enim oppidum Asiæ, vnde & charta pergamena, & vasa figlina Romam deportabantur. Quin Romæ etiam factæ sint postea, nemo sanus dubitet. CVRVO] instar falcis enim quodammodo curuantur, vt in Mercurialis imagine vides.

DESTRINGERE] Videtur interpungendus versus hoc modo:

Pergamus has misit, curuo destringere ferro,
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Vt, destringere sit imperandi modus, destringere destringitor. Si absque interpunctione legas modo infinito, erit græca syntaxis: Pergamus misit strigiles, ferro destringere, vti te destringas illis in balneas; vel misit has tui destringendi caussa, vel tibi destringendo. Ita Sallustius proœmio de bello Iugurthino: nisi forte quem inhonesta & perniciosa lubido tenet potentiæ paucorum decus ac libertatem suam gratificari, pro. gratificandi.

LINTEA] Si probè te strigilibus destrinxeris, non contaminabis in balneo lintea, nec opus erit ea tantopere à fullone teri. quando illa lauabit. Fullonum enim erat munus non tantum maculas eluere, cretare togas, sed lauare vestes.

Guttus corneus.

LII. XLVIII.

Gestauit modo fronte me iuuencus.
*Verùm Rhinocerota me * putabis.*

* *v. putabas*

Pauperum munus, sicut rhinoceros diuitum. Vsus erat gutti in balneis, in sacrificiis, in vsu domestico. Fiebat è cornu tauri & rhinocerotis, è ligno & argilla. Dictus est à guttis, quod vinum aquam seu oleum guttatim funderet, vt auctor est Varro lib. 4. ling. lat. In vsu domestico fuisse ostendit Gellius l. 17. c. 8. *Guttum*, inquit, *hominum ore tenus imprudens tanquam si inesset oleum affert, &c.* Et mox: *Adspicit puer guttum atrocibus oculis, & concussum vehementius iterum in ollam vertit, &c.* In sacrificiis vsum fuisse gutti docet Plin. l. 16. c. 38. *Curius iurauit se ex præda nihil attigisse præter guttum faginеum, quo sacrificaret.* De gutto balnei Iuuenalis Sat. 3.

——patellas
Iam leuat & bucca foculum excitat, & sonat vnctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.

Eundem fuisse cum lecytho, vel ampulla credunt aliqui. GESTAVIT FRONTE] Ex cornu factus est guttus tantus, vt posset videri è naso rhinocerotis effictus, fiebant enim, vt iam dicemus gutti & ex rhinocerote.

Rhinoceros.

XLIX. LIII.

Nuper in Ausonia domini spectatus arena,
*Hic * erit ille tibi, cui pila taurus erat.*

E naso rhinocerotis vasculum corneum fiebat oleo seruando in balneis, quod rhinoceros synecdochicè appellabatur. Iuuenalis Sat. 7.

——Exitus hic est,
Tongilli magno cum rhinocerote lauari.

Hic vt Mercurialis ref.. it, rhinocerota nonnulli labrum, in quo lauabantur exponunt, imperitè sanè cum nec cornu sit tam capax. Et Martialis guttum corneum dixit tam similem, vt possit rhinoceros videri, non reor guttum fuisse labrum, in quo lauabantur, nisi forte pulices aut culices sed vasculum olearium. Quod autem Mercurialis putet metaphoricas dictum nasum, & scomma intelligendum apud Iuuenalem, sequius existimo; diuitem enim describit ibi caussidicum, illumque dicit plurimas agere caussas, qui cum rhinocerote, & magna turba comitatus lauet. qui annulos gestet, qui octo seruis feratur, decem stipetur, & c. Et vas esse balneis destinatum ex Martiale constat, si neges Iuuenalem.

NVPER] Hic rhinoceros erit tibi nunc vasculum in balneo, cui nuper in ludo Amphitheatrali taurus erat pila, qua de re lib. Amph. diximus ad illum versum:

Hic ille videtur, de quo in amph.

O quam terribiles exarsit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat?

Si legas *erat* sensus erit: Hic Rhinoceros erat ipse, cui nuper in amphitheatro taurus pila erat. *tibi*, est casus communis, vt illud: Quid tibi vis, vrbem quid Fabiane petis? Et illud: sed *tibi* non creui, & hoc genus alia.

Crepitaculum.

L. LIV.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hac quatiat tenera garrula sistra manu.

Crepitaculis, cymbalis, sistrisue vagitus infantium sisti docet non poeta tantum, sed vsus ipse. SISTRA] Sistrum instrumentum erat Aegyptium è metallo arguto, quo in Isidis sacris vtebantur; ab agitatione nomen habet; Græcis enim σείω valet idem quod moueo, quatio; nam agitatum & concussum, tinnitus argutos edebat, eratque parte sui superiore, vt scribit Plutarchus rotundum, celaturisque in summo capidis vertice vultus felis, qua concutiebatur Isidis facies. Cymbalum interpretatur Hesychius. Sistra qualia in sacrificio adhibe entur, cum sacra hostia tollitur. Crepitacula passim hodie à nugiuendis circumferuntur. VERNA PLORATOR] puer aut puella è seruo, vel ancilla, domi tuæ nata.

Flagellum.

LI. LV.

Proficies nihil hoc, cædas licet vsque flagello:
Si tibi purpureo de grege currit equus.

PROFICIES NIHIL HOC] Triplex occurrit interpretatio: si de factione russata, seu purpurea sis, non vinces prasinam, aut aliam factionem, quamuis assidue verberes equos tuos purpureos qui sunt multo tardiores prasinis, &c. Ita supra libro sexto epigrammate 46. de Veneta dixit.

Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello,
Nec currit, magnam rem Catiane facit. per ironiam.

Altera est. Equi è russata factione tam sunt celeres, vt non sit opus vllis flagellis, nec possis celeriores efficere, si velis, *labor est inhibere volantes*, quæ contraria est priori. Domitianus (cui poeta blanditur semper) factionem purpuream cum aurata cæteris primus adiunxit. Lege Panuin. lib. 1 de lud. Circ. c. 10. p. 22. Postrema videtur paulo longius petenda, vt equos è purpureo grege, nō intelligas è factione purpurea seu russata sed è grege Purpurionis aurigatoris factionis Prasinæ. Aurigatores enim tā amarunt equos suos, vt sua illis nomina inderent, illorumq; memoriam ad posteros propagarent. Quod D. Basilius p. 84. docet: ἤδη δέ τινες, inquit, καὶ ὀρῶμεν ἵππων τῶν ἑαυτῶν προσηγορίαις ἐνσημαινόμενοι, ἐπὶ πολὺ συμπαρατείνειν τῷ βίῳ τὴν μνήμην αὐτῶν ἐπινοοῦσι. Iam inquit sunt qui gregib. equorū sua ipsorum nomina induunt, vt eos vna secum ad memoriam vitæ posterosue transmittāt.

Hæc

Hæc sententia etiam Domitio placet. Quæ si tibi Lector amice displicet, delige, quæ placet, aut nouam conde. De Purpurione, vt hic moneam, dictum lib. 13. ep. 78.

Et nomen Prasini Purpurionis habet.

Prima videtur ex mente poetæ.

Dentifricium.

LVI.

Quid mecum est tibi? me puella sumat;
Emptos non soleo polire dentes.

Ad edentulam & emptitios dentes habentem, est geminus hic hendecasyllabus. Loquitur ipsum dentifricium. nihil tibi prosum, quæ habes emptitios dentes, puellis seruio, quarum dentes candefacio. Est dentifricium prorsus distinctum à dentiscalpio. quod ex pennis, lentisco, aliáue materia fieri amat. Dentifricium non instrumentum sed medicamentum est dentium, fit vel ex caninorum dentium cinere cum melle, vt Plinius lib. 30. cap 3. tradit, vel ex Arabo lapide ebori simili cremato, vel pumicis arena, vt idem est auctor lib. 36. cap. 21. & aliis locis. Samonicus de dentifricio his versibus canit:

Quod vero assumpsit nomen de dente fricando.
Ceruino ex cornu cinis est, aut vngula porca
Torrida, vel cinis vel ouis, sed non sine vino,
Muricis aut tosti, ex bulbi extincta fauilla,
Ambitiosa putas? sunt ista salubria cunctis.

Memini supra alicubi latius super dentifricio dictum. lib. 5. epig. 58. p. 357 & lib. 6. p. 426. vbi de nitela ex Apuleio doceberis. Edentulæ porro dentes emebant, quos pro vsu inserebant & eximebant vt supra didicisti.

Myrobalanum.

LVII. LII.

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex vnguento constat, & ex balano.

QVOD NEC VIRGILIVS] Vox μυροβάλανον ab heroi versus maiestate excluditur, propter syllabarum plurium breuitatem, eaque nec à Virgilio, nec ab Homero vsurpatur. Fit tamen μυροβάλανον ab vnguento & palmulis, quod μυροβάλανον Græci vocant, vt Celsus refert lib. 4. cap. 9. Plinius μυροβάλανον interpretatur glandem vnguentariam; μύρον enim vnguentum est, βάλανος glans, seu nux vnde vnguentum exprimi solet. *Myrobalanum*, Plinius li. 12. cap. 21. ait, *glandem vnguentariam diuersam ab Arabum Myrobalano, similem glandem arboris heliotropij folio.* βάλανος glandem valet, Arabica & Syriaca candida est, nigra in Thebaide. Plinius alibi. *Mirobalanus arbor est vnguentis aptam ferens glandem.* Idque Troglodytis & Thebaidi, & Arabiæ, quæ Iudæam ab Aegypto disterminat, commune est; nascens vnguento, vt ipso nomine apparet. Ab hac Persius Sat. 4. dixit.

Cum tu maxillis balanatum gausape pectis.

Balanino oleo vnctam barbam. Loquitur de Myrobalano Dioscorides lib. 4. ep 160. & de Arabico vno verbo lib. 1. cap. 148. Arabicam myrobalanum nominat. Arbor enim & fructus est muliebris generis in us, in um neutrum est, myrobalanum fructus tantum. Carmen non expono, vt Domitius, qui dicit apud Homerum non reperiri latinam vocem vnguentum. Mirum acumen, non reperiri apud Græcum auctorem & poetam antiquissimum, Latinam vocem quæ tum in nulla erat scriptura. interpretor igitur. QVOD NEC VIRGILIVS NEC CARMINE DIXIT HOMERVS] Quod genus vnguenti, & quæ vox non reperitur, vel apud Virgilium, vel apud Homerum. Homerus enim hanc vocem μύρον nunquam vsurpauit. Et virgilius nunquam dixit vnguentum. De Homero testatur Eustatius Illiad ψ his verbis, cum ad illum Homeri versum:

- - - Ὃς σφῶιν μάλα πολλάκις ὑγρὸν ἔλαιον
Χαιτάων κατέχευε λοέσας ὕδατι λευκῷ.

Ita scribit Ὅμηρος γάρ φασι, μύρων μὲν χρῆσιν οἶδεν. ἔλαιον δὲ αὐτὰ καλεῖ. μύρου δὲ φασιν ὀνόματι πρῶτος Ἀρχίλοχος ἐχρήσατο. *Homerus, aiunt, vnguentorum vsum non ignorauit, sed olei nomine vnguenta expressit. Voce a. μύρου seu vnguenti primus vsus est Archilochus.* Intelligis hinc Homerum nunquam dixisse μύρον, sed eius loco ἔλαιον. Vti & Virgilius nunquam posuit in suis scriptis vocem, vnguentum. βάλανον, id est, glandem, Homerus vsurpauit, vti & Virgilius dixit glandem, & glandes sæpiuscule. Poterit ergo cæteris Homeri vocibus, omissis (ab * Eustathio. † Macrobio, * Porphyrio, iterum Eustatio Odyss. M. & Iliad. ψ Sophoclis interprete Græco in Oedip. Plutarcho de Homero, & ab aliis passim expressis, vt τύχη. Τύχη tamen in hymnis Cereris tegi docet Paus. in Arcad. τρόπαιον Brod. negat Homero vsurpatu. ὀχέω, τύραννος, νόμος, δακτύλιον, σίδηρον, quas aiunt nusquam in Hom.

* Odyss. α. 1182. † 5. Sat. c. 16. p. 16.

scriptas

ſcriptas legi) etiam addi μύρον. Quid iam clarius verſu Martialis? Homerus in carmine nunquam vſurpauit hoc nomen μύρον, Virgilius nunquam vnguentum, quod Græcis eſt μύρον. Ex quo conſtat vox μυροβάλανον glans vnguentaria. Compoſitam autem vocem neuter etiam, nec Homerus inquam nec Virgilius vſurpauit, quamuis vox toto ſit Græca, & tota à nonnullis ſequioris æui Latinis frequentia. Vnguen vnguinis tamen apud Virgilium legitur. Georg. 3. v. 450.

Ideaſque pices & pinguen vnguine ceras.

Aphronitrum.

LIII. LVIII.

Ruſticus es, neſcis, quid Graco nomine dicar:
Spuma vocor nitri; Græcus es? aphronitrum.

Bu, Graeis; lingua rude vocat ruſticos, Cicero, pecudes, ad. uertens pueri, vres.

RVSTICVS ES] Apronitrum ait factum ex duabus Græcis vocibus ἀφρὸς καὶ νίτρον. Ἀφρὸς ſpuma latinis eſt ἀφρόνιτρον nitri ſpuma. Sed aphronitrum, & ἀφρὸν νίτρου affirmat Dioſcorides, Plinius, Martialis idem eſſe & ſignificare. negat Galenus lib. 9. ſimplicium ἀφρὸν νίτρου, ſeu ἄνθος νίτρου, ſpuma ſeu flos nitri, eſt ſimilis albæ & triticeæ farinæ. Aphronitrum vero neutiquam farinæ ſpeciem habet, ſed quiddam coactum compactumque eſt. Hoc ſciendum, dici Ἀφρόνιτρον, ſeu ἀφρόλιτρον, eodem ſignificatu, & ἀφρὸς, ſeu ἄνθος νίτρου, ſeu λίτρου etiā eodem, quamuis ἀφρόνιτρον, ſeu ἀφρόλιτρον, non ſit idem, quod ἀφρὸς, ſeu ἄνθος νίτρου, ſeu λίτρου. Lege, quæ Ian. Antoninus Saracenus ad lib. 5. Dioſcoridis cap. 131. Carnarius & Matthiolus lib. 5. cap. 89. ſcribunt. *Proxima ætas*, inquit Plinius, *tradidit Aphronitrum in Aſia colligi, in ſpeluncis mollibus diſtillans. Specus eos Colycas vocāt, dein ſole ſiccant. Optimum putant Lydium.* Nitri natura non multum à ſale diſtat. Sunt, qui ſalnitrum putent idem eſſe cum nitro, quod Matthiolus negat. ſalnitro vtuntur hodie ad puluerem tormentarium conficiendum. Spuma nitri eſt tenuiſſima, & candidiſſima, nitri pars, & velut flos nitri. RVSTICVS] Indoctus, quales habebantur, & Ciceronis & Martialis æuo, qui Græcas literas non attigiſſent. Cicero quidem lib. 2. de oratore Græcæ linguæ ignaros pecudes appellat.

Opobalſama.

LIV. LIX.

Balſama me capiunt, hæc ſunt vnguenta virorum,
*Delicias * Nini vos redolete nurus.*

* Hini. V. nimio. ſed G. trumq; vitioſe. Coſmi, Gruter. forte. Nili nam Coſmi nimis obit à ductu literarum, forte Nini.

BALSAMA ME CAPIVNT] *Balſamum*, inquit Seruius, *eſt ipſa arbor, Opobalſamum ſuccus collectus ex arbore, Xylobalſamum lignum ipſius arboris*. Scribunt de hac arbore Pauſanias in Bœoticis, quam naſci ait, in Arabia, magnitudine fruticis myrti, folijs Sampſuchi herbæ. Solinus ſimiles vitibus ſtirpes tradit. Ita & Plinius arbuſculam viti, quam myrto ſimiliorem voluit, foliumque illi eſſe rutæ proximum. Theophraſtus 9. de plantis cap. 6. punicæ malo geminam, folio rutæ, fructu terebintho. Strabo lib. 16. cythiſo, & terebintho ſimilem affirmat. Iuſtinus pineis arboribus. Dioſcorides Lycio ſeu pyxacanthæ. Monordis Hiſpalenſis malo punico maiorem ex India occidentali allatam ſcribit folio vrticæ. Tanta eſt ſententiarum varietas in arbore. Succum inde ſtillantem, quem Opobalſamum vocant, Theophraſtus & Dioſcorides aiunt, hunc in modum hauriri. Arborem ipſam ferreis vnguibus ſcalpi ſeu incidi ſolitam. Quod & Claudianus in epithalamio Palladij canit.

Gemmatis alij per totum balſama tectum
Effudere cadis, duro quæ ſaucius vngue
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.

Plinius, Solinus, Tacitus vitro, lapide, oſſeiſue cultellis, teſta, vel fragmine lapidis, venas aperiri volunt; pauere enim hanc arborem, imo emori protinus, ſi vim ferri adhibeas. Quod aliqui exiſtimant tum fieri, cum detracto iam cortice ipſa nuda arbor ferro violatur, & in hanc ſententiam accipienda eſſe verba Plinij, Solini, Taciti. Theophraſtum autem & Dioſcoridem de cortice abradendo intelligendos. Dioſcorides, vt & Claudianus, in Iudææ certa quadam valle naſci, & Ægypto tradit, Plinius, Theophraſtus, Iuſtinus in Iudæa tantum. Opobalſamum ſudat menſe Iulio, tam paucum, vt quotannis vix plures, quam ſeptem congij colligantur: duplo argento rependuntur.

VNGVENTA VIRORVM] tam nobilem generoſum & præſtantem, Opobalſami ſuccum ait, vt viris tantum, non mollibus fœminis putet adhibendum, quanquam Iuuen. nec viris conuenire Opobalſama dicat, niſi effœminatis. Sat. enim 2. ſic canit.

——— *Hirſuto ſpirant opobalſama collo,*
Quatibi. ——— & noſter ipſe lib. 3. epiſt. 59.

DELICIAS NINI] Vos fœminæ Assyrios quærite liquores amomum, nardum aliaue id genus pigmenta & vnguenta delicata. Ninus Rex fuit Assyriorum. De quo Iustinus lib. 1. *Primus omnium Ninus Rex Assyriorum veterem, & quasi auitum gentibus morem noua imperij cupiditate mutauit.* Alias huius loci scripturas negligo, hæc placet. Nam Assyriorum luxus regum tantus erat, vt Sardanapalus etiam muliebri habitu colo purpuram neret, & pensa virginibus partiretur. Athenæus lib. 12. cap. 12. De Assyrio porro vnguento sæpius poëta lib. 8. epig. 77.

Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat.——

Lib 5. epigr. 7. Assyrios Phœnicis nidos ab odorum copia laudat. Gruterus ex tribus MSS. propugnat pro voce Cosmi, cuius multa supra mentio.

Lomentum.

LX. LV.

Gratum munus erit, scisso nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes.

GRATVM MVNVS ERIT] Si non vis rideri in balneis Stephani, velut rugosus, & sulcis exaratus, vtere farina fabacea, quæ rugas abolet. Lomenti, quod Græci λῶμα, hoc est, tritum vocant, mentio est supra libr. 3. epig. 42. *Lomento rugas vteri quid condere tentas Polla, &c.* & Plinius lib. 33. *Subtilissimum genus Lomenti quod tritum vocant, quinis assibus æstimandum.* VENTRI SCISSO] rugoso & sulcis exarato. STEPHANI BALNEA] Stephani balnea non procul ab ædibus Martialis aberant lib. 11. epig. 53.

Scis, quam sint Stephani balnea iuncta mihi.

CLARA LVCE] de die, quo videntur omnia. PETES] probo hanc scripturam veris codicibus conuenientem. Puterat lomento M. Marcellius ille victor victoris Hannibalis vt iniusi vir fuisset, & illa tempora luxum nescissent, quæ fines non rugas & nugas extendebant.

Laterna cornea.

LXI. LVI.

Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parua lucerna meo.

Laterna dicitur, quod ignis lateat intus clausus. Aliud est laterna, aliud lucerna, hæc immunita, illa velut ædicula vndequaque clausa, ita vt laterna etiam lucernam condat, quemadmodum ipse poëta canit. Erant corneæ aliæ, vt & Plautus testatur in Amphitruone. Mercurius ad Sosiam.

Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?

Et Sympos.

Cornibus apta cauis, tereti perlucida vitro,
Lumen habens intus diuini sideris instar.

Et Lucretius lib. 6. 2. *Præterea lumen per cornu transit.* Aliæ vitreæ, papyraceæ aliæ vt hodie, aliæ è vesica, vt infra.

Laterna è visica.

LXII. LVII.

Cornea si non sum, nunquid sum fuscior? aut me
*Vesicam, contra qui venit esse, * putat?*

* putet.

Crediderim Laternas è vesica pauperum fuisse, & corneas diuitum, gloriatur hic vesica lucida, se non minus esse claram, quam corneam, neque à contrauenienite corneam à vesica discerni posse.

Fistula.

LXIII. LVIII.

Quid me compactam ceris, & arundine rides?
*Quæ primum * extructa est fistula, talis erat.*

* stricta.

QVID ME] Fistulæ inuentionem plerique concedunt Pani Ouid. 1. Metam.

Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
Inter se iunctis nomen tenuisse puella.

Vbi de Pane Syringa persequente agit. Apuleius 1. met. *Et Paniscus ad fistulam diceret.* Vnde Sidonio dicuntur *cicuticines*, quasi fistulicines. Virgilius Ecl. 2.

Mecum vna in siluis imitabere Pana canendo,
Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit.

Ecl. 8. *Panaque, qui primus calamos non passus inertes.*

Lucretius lib. 4. de Pane canens.

Vnco sæpe labro calamos percurrit hiantes.

Et Nemesianus. *——nulli fas est inflare cicutas,*
Quas ego Mænaliis cera coniungo sub antris.

Plinius lib. 7. cap. 56. Pani quoque laudem fistulæ repertæ tribuit. Isidorus, *quidam putant à Mercurio inuentam, alij à Fauno, quem Græci Pana vocant.* Nonnulli ab Idi pastore Agrigentino ex Sicilia. Fistula autem dicta, quod vocem emittat. Græcis σύριγξ appellatur. COMPACTAM CERIS] Theocritus Idyllio 8.

Σύριγγ' ἂν ἐποίησα καλὰν ἔχω ἐννεάφωνον
Λευκὸν καρὸν ἔχοισαν ἴσον κάτω, ἶσον ἄνωθεν.
Fistula', quam feci bonam ego nouem vocum
Albam ceram habentem æque inferne atque superne.

Et Virgilius: *Est mihi disparibus septem compacta cicutis*
Fistula.——

Dicitur igitur à cera compacta Græcis κηρόδετος, quasi cera vincta, seu iuncta, vt Virgilius interpretatur, Item κάλαμος κηρόδετος, & apud Æschylum δονακοκηρόπλαστος. Virgilius Ecl. 3.

——aut vnquam tibi fistula cera
Iuncta fuit.——

Quot autem cannarum fuerit, inter Græcos & Latinos, non conuenit, Græci enim ἐννεάφωνον, id est, nouem vocum appellant σύριγγα, Latini ἑπτάφωνον, septem. Theocritus enim Idyll. 8. ἐννεάφωνον sæpius appellat. Virgil. 2. Ecl. è septem cicutis compactam ait, & 6. Æn. In Orphei cithara 7. ponit discrimina vocum. Ouid. 2. Met.

——dispar è septem fistula cannis.

Idem lib. 13. fistulam per auxesim Polyphemi describit compactam arundinibus centum.

Sumptaque arundinibus compacta est fistula centum.

Hoc quoque ex Ouidio animaduertendum, sic fistulam fuisse factam, vt auenæ seu cannæ essent impares, &, velut organum, paulatim crescerent, proque longitudine aut breuitate maiorem minoremque sonum ederent, quod aperte docet Ouid. 8. Met. cum pennas Dedali fistulæ componit: *——Nam ponit in ordine pennas*
A minima cœptas, longam breuiore sequente,
Vt cliuo creuisse putes. sic rustica quondam
Fistula disparibus paullatim surgit auenis,
Tum lino medias, & ceris alligat oras.

Tibiæ.

LIX. LXIV.

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis:
Sæpe duas pariter sæpe monaulon habet.

EBRIA] Differt à fistula tibia forma, non materia semper; nam & tibia fiebat è cicutis, cannis, calamis, buxo, vti & fistula; quanquam tibia etiam ex ære, loto, cornu, osse, lauro, ex aquilarum, vulturum, anserum, gruum, ceruorum tibijs & ossibus, vnde & nomen habent. Forma non eadem omnibus, aliæ linguatę, aliæ elingues; alias μοναύλους, alias διαύλους, hoc est, simplices & geminas appellabant, alias ἀσκαύλους, χοραύλους, &c. hodie vulgo respondent nostris, quas appellamus, fistulis. Nã ἑπτάφωνον vel ἐννεάφωνον σύριγγα raro vsurpamus, sed fistulas obliquas, quas tibias dextras vel sinistras appellabant, quæ è latere, non à summo inflantur, illasq; linguatas, quas hodie peregrino verbo Phagoth indigitant. Buccinas, tubas, cornua, ad tibias non adnumerauerim. Scribit de varijs tibiarum generibus Solinus cap. 11. in hæc verba. *Thermitanis locis insula est arundinum ferax. quæ commodissima sunt in omnem tibiarum sonum, siue Præcentorias facias, quarum locus est ad puluinaria præcinendi. siue vascas, (vastas legunt alij) quæ foraminum numeris præcentorias antecedunt, seu puellatorias, quibus à sono clariore vocamen datur. siue Gyngrinas, quæ breuiores licet, subtilioribus tamen modis insonant, aut Milueinas. quæ in accentus exeunt acutissimos, aut Lydias, quas & Thurarias dicunt, vel Corinthias, vel Ægyptias, aliasue. Musicis per diuersa officia, & nomina separatas.* Addit Solinus memorabile naturæ miraculum, quod ad tibiæ sonum fieri narrat. *In Halesina regione fons, aliàs quietus & tranquillus, cum siletur, si insonent tibiæ, exultabundus ad cantum eleuatur, & quasi miretur dulcedinem vocis, vltra margines intumescit.*

 Modos

Modos habebant veteres plures, Lydijs læta, Phrygijs tristia canebantur, de quibus Apuleius lib. 1. Florid. de Antigenida tibicine. *Tibicen quidam fuit Antigenidas omnis voculæ mellitus modulator, & idem omnimodis peritus modificator, seu tu velles Lydium querulum, seu Phrygium religiosum, seu Dorium bellicosum.* Vsus primus ad funera adhibebatur, qui & monumentarij choraulæ dicebantur. Inuentionem tibiæ alij Mercurio, Palladi alij tribuunt. Apuleius 1. Floridorum, Hiagnim Marsyæ patrem principem eius artis laudat. Prorsus igitur ante Hiagnim, nihil aliud plerique callebant, quam Virgilianus Opilio seu subulcus.

Stridenti miserum stipula deperdere carmen.

SÆPE DVAS PARITER, SÆPE MONAVLON HABET] Tibiam aliam simplicem, hoc est enim μόναυλον, aliam geminam dicit. de qua Apuleius loco modo adducto. Quæ sint tibiæ pares, quæ impares, docet Brodæus Miscell. lib. 5. cap. 31. Nannius Miscell. lib. 1. vbi de figura, numero, &c. plura. Fuerunt vsitatæ in conuiuijs, quod ex Plutarchi Problem. 8. lib. 7. Sympos. Quod si quis videbatur paulo largius in arte promouisse, ei quoque tamen mos fuit vna tibia velut vna turba personare. *Primus Hiagnis in canendo manus discapedinauit, primus duas tibias vno spiritu animauit, primus læuis & dextris foraminibus acuto tinnitu, & graui bombo concentum musicum miscuit.* Quibus verbis subiungit elegans certamen Marsiæ cum Apolline. Qui de tibia plura desiderat, quanquam & nos alijs libris, adeant Plinium lib. 16. cap. 37. Censorinum cap. 13. Martianum lib. 9. Iulium Pollucem lib. 4. Horatij interpretes ad finem 4. carm. Vadianum ad Solinum. Cælium Rhodig. Turnebum. Athenæum lib. 14. & 13. & 14. Virgilij interpretes ad illum eclog. versum.

Hinc Martialis ebriam tibicinam vocat.

Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.

Et alios, sed hos forte multos nimis nominaui.

Soleæ lanatæ.

LXV. LX.

Defuerit si forte puer, soleasque libebit
*Sumere: pro puero * proderit ipse sibi*

* *proderis ipse tibi. pes eris ipse tibi.*

Soleæ genus pedum indumenti, vt Gallicæ, castrense; calcei, forense. Soleas, Gellio auctore cap. 20. lib. 13. omnia ferme id genus dixere veteres, quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cætera prope nuda, & teretibus habenis iuncta seu vincta sunt. Nonnunquam Græca voce crepidulas. Gallicis ait nouum verbum, nec multo ante Cicer. æuum repertum, quo Cic. in 2. Antoniana vtitur. *cum Gallicis & lacerna cucurristi.* Festus ait dictas, quod solo pedis subijciuntur, alij, & à solo, quod calcant. Omnino eius formæ reor fuisse, cuius sunt hodie agrestium calones, hoc est ligneæ soleæ, loris pedi supernè alligatæ. Solearum domi tantum vsum fuisse constat, quod Cicero Antonium, & Titus Castricus Rhetor, discipulos suos senatores soleatos per publicum incedentes reprehenderint. Has soleas etiam domi ponebant ad cœnam accubituri. Quod Horatius lib. 2. Sat. 8. Plautus in Truculento, & noster supra in Cottam, pluresque alij ostendunt. Carminis sensus est. Qui tam pauperes, vt puerum non habeas, qui tibi soleas induat, ipse tibi puer eris. Puerorum & seruorum viliorum hoc munus erat. Sunt qui legant pes eris ipse tibi; vel proderis ipse tibi. hoc sensu reor. soleæ laneæ poterant ferri occulte à Domino, & in accubitu etiam retineri cum essent puræ. proinde si carebis puero, pes erit tibi loco pueri, qui indutus soleis laneis non indigebit pueri opera. Aut: proderis ipse tibi, cum apud te retinueris soleas, quas ipse mox indues sine puero.

Muscaria pauonina.

LXVII. LXI.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fumus.

Muscariorum & flabellorum, quibus abiguntur mensarum asseclæ & Harpyæ illæ minores, varia etiam hodie genera cernuntur è raso dolabrâ subtiliter ligno, è membranis in lora concisis, è pellibus, vt mox infra, alijsque pennis. Caudæ tamen pauoninæ nobilioribus vsurpatissimæ. CAVDA SVPERBA] de hac dictum lib. 13. epig. 70. De muscarum autem natura & muscarijs multis agit Bisciola lib. 16. cap. 23.

Copta Rhodia.

LXVIII. LXII.

Peccantis famuli pugno ne percute dentes:
Clara Rhodos coptam, quam sibi misit, edat.

PECCANTIS] Copta placentæ vel panificij genus, cui quædam confuse, aut legumina commisceri solebant, vt nuclei pinei, amygdalæque. Trallianus Alexander ex his rebus conficit, ἀμυγδάλων ἢ λαμβανέτωσαν, ἢ στροβίλων, ἢ στα φίδων, ἢ στροβίλων, καὶ τὰς ἐκ τούτων κοπτάς. *Sumant amygdalas, aut nuculas, aut passulas, aut nucleos pineos, aut coptas, quæ ex his omnibus fiunt.* Oribasius etiam libro Medicaminum κοπτάριον purgans facit è simila, nucleis pineis, dacrydio, pipere, melle despumato; & alterum è similia scammonia, nucleis pineis, pipere, melle, vt Turnebus lib. 10. cap. 10. refert. Iulius Pollux lib. 6. cap. 11. coptam Rhodiam ἰχαρίτην appellat, mediam inter panem & placentam, ὁ δὲ ἰχαρίτης, inquit, ῥόδιακος μεθόριος ἄρτου καὶ πλακοῦντος. Eandē putant Athenæo κοπλακοῦντα dictam, quod inter esum dentes feriat & percutiat, etsi possis sectam placentam vel placentas, quæ secari soleant, interpretari, de qua alias Martialis.

Et secta plurima quadra de placenta.

De qua hic non est sermo. Rhodia igitur copta (seu placenta, seu panis) adeo dura erat, vt buccellatus panis, ita vt dentes, nisi firmos, pœne eliderer. Vnde poëtæ iocus in hanc coptam, quæ domino pugni loco erat multare seruum cupienti. Merula Domitium; Merulam Vitellius coptà verberat, spero nos poëtæ sensum assecutos. Copta certè, si à græco, vt Rhodij Græci, κόπτω deduces, & incido & pulso valet; hic poëta posteriorem significatum nemine negante, qui modo versum intelligat, arripit. dictum etiam de hac copta lib. 2. epig. 85. *Vimine clausa leui niuea custodia copta.*

Obiurgant seruos colaphis & pugnis, Petronius in Trimal. conuiuio.

Porcus.

LXIII. LXX.

Iste tibi faciet bona Saturnalia *porcus,*
Inter spumantes Ilice pastus apros.

Porcus saginatus haud dubie potentiorum munus erat. BONA SATVRNALIA] de alijs acclamandi in Saturnalibus formulis dictum supra, inter quas & hæc vna, *Bona Saturnalia*, vt est apud Arianum in dissertationibus Epicteti. τοῖς γὰρ παιδίοις ὅταν προσελθόντα κροτῇ καὶ λέγῃ, σήμερον Σατουρνάλια ἀγαθά, λέγομεν, οὐκ ἔστιν ἀγαθὰ ταῦτα ἴδε ἀμώς, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ ἐπικροτοῦμεν. *Pueris, cum appetunt, Saturnalia clamatur & dicitur: Bona Saturnalia; nos hæc mala vituperamus? immo etiam acclamamus.* Hinc Catullus forte dixit.

Saturnalibus optimo dierum.

INTER SPVMANTES] Porcus sus est domesticus, pascitur glande, cuius ferax ilex arbor, eâque saginatur, vti & apri.

Muscarium bubulum.

LXIV. LXXI.

Sordida si flauo fuerit tibi puluere vestis,
*Colligat hunc tenui verbere cauda * leuis.*

** bouis.*

Ex Aldi inscriptione, totum versum intelligis. Si puluere inquinatam geris vestem, caudâ bouis excute puluerem. TENVI VERBERE] sic non tam excutitur, quam vertitur & colligitur, minusque vestis læditur, versus alioqui vix cauda bubula dignus.

Cauda ad tergendas vestes.

Botulus.

LXV. LXXII.

Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

pomolo, botulus Blutwurst alij; Bratwurst Lucanica. Vide Tertull. Apolog. Vbi botulos appellat cruore distentos. nos supra lib. 5. ep. 79. & 11. epig. 34.

Botulum seu botellam, esse genus farciminis nulla est dubitatio, cum præter Festum (qui propter connexionem à bolis ait botulum appellatum) id doceat Apicius libr. 2. de re culinaria, cap. 5. *Botellum, inquit, sic facies ex oui vitellis coctis, nucleis pineis concisis, quibus cepam & porrum concisum, iusq; crudum admiscebis cum pipere modico, atque ita intestinum denique farcies, adiectoque liquamine, & vino decoques.* Egimus de hoc supra. MEDIO TEMPORE BRVMÆ] Saturnalibus medio decembri celebratis. Sic Mannius dixit.

——nostri maiores bene
Multa instituere, sic hoc optime, frigore
Fecere summo dies septem Saturnalia.

SATVRNI SEPTEM VENERAT ANTE DIES] Sensus est. Botulus, qui tibi dono mittitur Saturnalibus, mihi venerat ante Saturnalia. Initio enim hyemis fieri solebant. Cæterum Saturnalia cæpere consulum æuo 14. Cal. Ian. Cæsaris 16. Cæsar enim correxit Fastos & ante Satur-

nalia dies adiecit duos; ita saturnalia migrarunt à 14. in 16. diem Calend. Ian. Primum antiquitus vnus tantum dies Saturnalibus datus. Cæsar duos adiecit. Augustus sanciuit, & postrem o suo videtur quartum etiam addidisse, quintum Caligula condidit, Claudius firmauit. Atque hi legitimi dies Saturnalium fuere, vt supra ad illos Martialis versus planum fecimus.

Et iam Saturni quinque fuere dies.

Item: *Hæc signata mihi quinque diebus erant.*

Hoc loco septem numerat ascitis etiam sigillaribus, quæ sigillaria duos obtinebant dies, & proxime Saturnalia Opaliaq; sequebantur. Ex Luciano tamen, Nonio, & Mummio etiam prisci videntur septem dies Saturnalibus dedisse, quos viri docti lætitiæ potius, non festi, putant fuisse. Atque hæc omnia, quæ strictim de Saturnalibus libauimus testimonijs Macrobij, Varronis, Martialis, Dionis, & aliorum confirmantur apud Lipsium lib. 1. Sat. 3. & 4. quæ hic breuitatis caussa transeo.

Psittacus.

LXXII. LXVI.

Psittacus à vobis aliorum nomina discam:
Hoc didici per me dicere: Cæsar aue.

Tacita adulatio, quasi Cæsar numine suo linguas auium faciat cum velit, disertas, vt ad ipsius nutum loquantur. Magna mihi copia foret dicendi de forma, ingenio, docilitate, variaque ex varijs scriptoribus historia Psittaci, sed memor distichorum, non texam longos multosque versus. Accipe intellectum carminis. Alias voces, sæpius inculcatas à magistris accepi, Cæsarem salutare sine magistro didici: historicane an poëtica fide? historica, eor vti coruus per se didicit *oleum & operam perdidi*, vt ille Philippus in Anthol. εἰς ψιττακόν.

Ψιττακὸς ὁ βροτόγηρυς ἀφεὶς, &c.

Extant & Ouidij Amorum lib. 6. el. 6. in mortem Psittaci, Corinnæ, & Statij silua lib. 2. in Psittacum Melioris nobiles lacrymæ. Eloquentiam huius auis omnes certatim laudant scriptores. Sed iuuat ex Apuleio 2. Florid. elegantissimam eius descriptionem transcribere. *Psittacus, auis Indiæ auis est, instar illi minimo minus quam columbarum sed nec colorum columbarum, non enim lacteus ille, vel liuidus, vel vtrumq; subluteus, aut sparsus est: Sed color Psittaco viridis, & intimis plumulis, & extimis palmulis, nisi quod sola ceruice distinguitur. Enimuero ceruicula eius circulo mineo velut aurea torqui, paris fulgoris circumiectu cingitur, & coronatur. Rostri prima duritia, cum in petram quampiam concitus altissimo volatu præcipitat, rostro se velut anchora excipit. Sed & capiti eadem duritia, quæ rostro. Cum sermonem nostrum cogitur æmulari, ferrea clauicula caput tunditur, imperium magistri vt persentiscat: hæc ferula discentis est. Discit autem pullus vsq; ad duos ætatis suæ annos, dum facile os vti conformetur, cum tenera lingua vti conuibretur. Senex autem captus & indocilis est, & obliuiosus. Verum ad disciplinam humani sermonis facilior est Psittacus, glande qui vescitur: & cuius in pedibus vt hominis, quini digituli numerantur. non enim omnibus Psittacis hoc insigne, sed illud omnibus proprium, quo eius lingua latior. quam cæteris auibus, eo facilius hominis articulantur patentiore & palato. Id vero quod didicit, ita similiter nobis canit, vel potius loquitur, vt vocem si audias, hominem putes. Nam quidem si videas idem conari, & eloqui. Verum enimuero, & coruus, & psittacus nihil aliud, quam quod didicerunt pronunciant.* Iucundam & memorabilem insaniam Psaphonis, seu Annonis narrat Maximus Tyrius, de loquacibus auiculis, collectis & edoctis hæc verba sonare, μέγας θεὸς Ψάφων, quæ emissæ simul voces, quas didicerant, in aëre cantarent; homines rati Psaphonem Deum esse, diuinum illi cultum adhibuêre. Cælius Rhod. Ascanio Cardinali, Psittacum fuisse scribit, qui totum nostræ religionis symbolum potuerit articulatissime pronunciare. Non minus iucunda refert de coruis simul, & Psittacis Macrobius lib. 2. Sat. cap. 4. in locis Augusti. Multa de Psittaco, Plinius lib. 10. cap. 24. Interpres ad Persij prologum, Ouidij elegiam. Gesnerus multa nimis lib. 3. de auibus Brodæus ad Philippi epigramma Opsopæus, vt nihil de recentioribus dicam. Laudatur hodie* magni principis pyrrhula, tam eleganter & erudite cantillans, vt ipsos Orpheos & musicos in admirationem trahat, sed vt ille non omnibus dormiebat, sic ista fertur non nisi ad principis sui nutum modos meditari & canere.

*Ioan. Conradi à Gemmingen Episc. Aichstadiani.

Pica.

LXXVI. LXVII.

Pica loquax dominum certa te voce saluto:
Si me non videas, esse negabis auem.

Non cedit Psittaco loquacitate pica, quæ à poëtis singulare hoc epithetum retulit, vt diceretur loquax, Auctor Philom.

Pica loquax varias modulatur gutture voces
Scurrilis strepitu, quidquid & audit, ait.

Non

Non tam elegans est, nec tam articulate format verba, quam psittacus, psittacus eloquentiæ symbolum meretur, pica vulgi loquacis, & incondite garrientis. Vide adagionem. *Pica loquacior.* SI ME NON VIDEAS, ESSE NEGABIS AVEM] tam accurate voces non humanas tantum, sed quaslibet alias cum auium, tum ferarum exprimit, vt nonnunquam etiam homines fallat. *Ego*, inquit Oppianus, *aliquando garrientem picam audiens hedi vocem arbitrabar, qui à matre separatus iuxta arborem eam requireret, cui clamans insidebat. Et iterum edito mugitu, vitulum referebat. Deinde ouis instar balabat; Postremo fistulam, siue sibilum pastoris imitabatur, quo ille post pascua oues ad potum ducit. Vix vero tandem pica per ramos saliente conspecta, miratus sum cum in cæteris rebus, tum in auibus diuinæ largitatis dona splendere.* Hæc Oppianus, cum Ouid. 5. Met.

Insiterant ramis imitantes omnia picæ.
Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit:
Raucaque garrulitas studiumque immane loquendi.

Martial. lib. 9. ep. 55. *Inde salutatus picæ respondet arator.*

Extat apud Plutarchum in libello, vtra animalium, &c. prope miraculum de pica tibicines audiente, quod tu apud Pierium in pica leges. Est & Archiæ epigramma Græcum εἰς κίτ7αν lib. 3. Anthol. εἰς ἔρις, & Persij prologus vti & de psittaco coruoque. Arbiter in Trimalcionis conuiuio: *Super limen autem cauea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat:* regredere ad ep. 77. Qui plura desiderat, Plinium & Physiologos consulat, ne picam imiter, hæc dicta satis.

Cauea.

LXXVII.

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
*Lesbia * plorabat, hic habitare potest.*

* *plorabat.*

SI TIBI TALIS ERIT] Caueam elegantem, & eburneam intelligit, dignam in qua passer Lesbiæ habitet, qualem Statius Silua. 2. in Psittaco Melioris describit.

At tibi quanta domus nihil à testudine fulgens,
Connexusque ebori virgarum argenteus ordo.

Et mox: ——— *vacat ille beatus*
Carcer, & angusti nusquam conuitia tecti, &c.

Auream Trimalcio suspenderat apud Petronium. *Super limen autem cauea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat.*

POTES] omnino potes legendum; potest notæ Gryphij, sed quo sensu? Neque alloquitur ipsum passerem, sed amicum, vt vides; lego igitur potes.

Narthecium.

LXVIII. LXXVIII.

*Artis ebur medicæ arthecia * cernis habere*
Munera, quæ cuperet Paccius esse sua.

* *cernis habebis Munera, &c.*

Arcula medicamentaria.

ARTIS EBVR MEDICÆ] Narthecium est capsa, seu theca medicamentaria. vnde à Chirurgis & medicis medicamenta recondita promuntur. Fiebat primum è ligno, & arbore, quam ferulam Latini, Græci Narthecea, seu Nartheciam appellant, quamuis narthex maior, narthecia minor sit Plinio. Deinde eædem thecæ, seu capsulæ fiebant ex ebore, nomen tamen retinebant, & perinde narthecia vocabantur, atque si facta essent ex narthece. Mens distichi, & compositio est: cernis te accipere, & habere ebur, hoc est, narthecia eburnea, seu Medicorum narthecia ex ebore facta, munera tam præclara, vt ea ipse Pactius chirurgus sibi exoptet. Vel, vt narthecia in ipso versu sit appositum (nam in lemmate est substantiuum) cernis ebur habere artis medicæ narthecia munera, quæ, &c. Vel si cum nota interrog. legas: Cernis artis medicæ ebur. i. narthecia? habebis munera quæ Paccius optaret. Calderinus Narthecium exponit virgam medicam è ferula, sed vere digna est hæc interpretatio, ferulâ cui manum nondum subduxit Calderinus. Ipse Cicero 2. de finibus diserte narthecium, pro repositorio, & theca medicamentaria ponit, cuius hæc verba: *Iam dolorum medicamenta illa Epicurea, tanquam de narthecio promant, &c.* PACCIVS] alij Pacchius legunt, alij Pactius alij Pachius, cuius mentio est apud Scribonium Largum. Iuuenalis Satyr. 13. diuitem Paccium nominat & orbum,

———*sentire calorem*
Si cœpit Locuples Gallita, & Paccius orbi.

Flagra.

LXXIX. LXIX.

Ludite lasciui, sed tantum ludite serui:
*Hæc signata mihi * quinque diebus erunt.*

* Saturnalibus quibus domini famulabantur, serui accumbebant.

LVDITE LASCIVI] Saturnalibus non verberabantur serui, quibus domini famulabantur, suumque ius remittebant, quemadmodum iam sæpe enarratum est. Poëta quinque saturnalium diebus (tot fuisse legitimos dies Saturnaliorum paulo supra ostendimus) ait signata esse flagra, & inclusa seruisque non timenda, luderent ergo, nullum esse his diebus periculum flagrorum.

TANTVM LVDITE SERVI] Vox hæc tantum, vel ad verbum ludite, vel nomen serui refertur, diuerso intellectu (TANTVM LVDITE) & aliud non tentate facinus aut scelus, alioqui nec quinq; diebus signata erunt flagra. ad seruos refer vt tantum, non ad ludite. (TANTVM SERVI) quorum dies saturnaliorum proprij: & quibus tantum timenda flagra, liberi enim flagris non cædebantur. SIGNATA] anulo signata & inclusa, vti Pompeius signarat olim gladios militum. Hoc te moneo per transennam, tria veteribus verberationum genera fuisse visitata, fustuarium, quod fustes & vites continebat, virgas, quibus liberi & serui puniebantur. Flagra solis seruis adhibebantur. Fustuarium autem capitale supplicium, aut pœna certo modo definita fuit. Romani plerumque milites in castris vite, barbari fuste cædebantur. Quod è lib. 6. Polybij, & lib. 7. Liuij discis. Virgis cædebantur damnati ad supplicium, cuius rei multa extant apud Liuium passim testimonia, serui vero damnati flagris, & loris cædebantur. Virgis tamen & loris etiam extra capitis supplicium serui παιδεύσεως ἕνεκα, vel publice, vel priuatim cædebantur. Liberi nunquam. De virgis & loris multa passim apud Plautum testimonia reperies. vnde illi ioci verberum virgidemia, virgatores vlmei stili Amphit. vlmorum acheruns, mortui boues, virgis calefacta bere Asinaria, bubulis corijs onustus sis. Item in Asinaria.

Vbi sæpe ad languorem tua duritia dederis octo
Validos lictores vlmeis affectos lentis virgis.

Lex tamen Porcia virgas omnino à ciuibus remouit, non à seruis, Cicero pro Rabirio, & in Verrem. Qui plura de flagris virgisque desiderat, Iacobi Gretseri lib. 1. de S. Cruce cap. 8. 9. 10. legat, vbi fuse de his disputat; me flagris dignum iudices, si verbosior in re hic non necessaria esse velim.

Brissonius lib. 3. sel. ex Iur. Ant. cap. 10. quæ sint seruilia verbera.

Ferulæ.

LXXX. LXX.

Inuisæ nimium pueris, grataque magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

Ferulam ait igni seruando vtilem, & pueris verberandis. Addo senibus scipionis vsum, sanistis rudem præstitisse. Fecit poëta supra mentionem ferulæ libro 19. vbi sceptra pædagogorum appellauit. Aiunt dictas à feriendo, vel à medulla, vt vult Isidorus, quod medullam ferulæ illam esse Varro tradat. rectius fortè à ferendo dixeris ferulam, quod illa Prometheus ignem tulerit. Ferula genus fruticis est, nec lignum vere, nec caulis, quare Clearchus hanc ænigmaticôs lignum, non lignum appellauit, propter caulem crassiorem, & duriorem, medullosum tamen: nam corticis loco, quasi lignum habet, ligni autem loco fungosam intus medullam vt sambuci. Ex quibus intelligis ferulas vt bacillos fuisse, quibus vapulabat pueritia à magistris, vnde fluxit, vt in triuialibus hodie scholis, magistri, & præceptores virgam longiusculam, & lentam gerant, qua & in scholis, & templis vtuntur, feriuntque capita puerorum; Alij magistrorum ferulas cubitali stilo in orbitam planam desinentes, qua plana & explicata manus verberatur, efformant, vnde natum adagium, manum ferulæ subducere.

Stragl.

INVISÆ PVERIS] Quintilianus lib. 1. cap. 3. negat pueros verberandos, quod tamen passim & fit, & fiebat semper, vt Horatius, Columella, Iuuenalis, & Martialis docent. Plinius ingenuos pellibus anguillarum ait pulsatos. PROMETHEO MVNERE] Hac de re Æschylus, vt supra monuimus, in Prometheo plurima. Hesiodus πυρὸς ἔργων χαλκομεγέων. Lege Mythicos, & Natalem Comitem fuse super hac re fabulantes. Prometheus enim ignem superis ferula subduxit, hominibusq; vsum eius ostendit, vt apud Æschylum gloriatur, quam ob culpam ad Caucasum est relegatus & ligatus.

Pera.

Pera.

LXXI. LXXXI.

Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
*Dormiat & * tetrico cum cane, pera rogat.*

* tristi.

Mens est. Pera, qua vtuntur plurimum Cynici philosophi, rogat, ne detur Cynico, & cogatur ferre emendicata frusta Cynici, & cum eodem dormire: nec enim aliam habebant supellectilem Cynici, quam scipionem & peram. Pera est sacculi viatorij genus, quo opsonia feruntur, alioqui pellis à collo ad lumbos pendens. super culta Cynico plene dissertatum est lib. 4. epigr. 53. ad versum.

Cum baculo, peraque senem, cui cana, putrisque
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.

CVM CANE] Cynici canes audiebant, quod obuios dictis morderent, mendicato viuerent & in vsu vitæ canum impudentiam sequerentur. Plura ex epigrammatis Græcis εἰς φιλοσόφους supra memorauimus.

Scopæ.

LXXII. LXXXII.

In pretio scopas testatur † palma fuisse:
** Sed pretium scopis nunc analecta dabunt.*

† Palma
* Otia sed scopis.

Scoparum, id est, verriculorum vsum docet & vnde earum pretium. Olim è palma fiebant, quibus mensæ abstergebantur purgabanturque. Nunc, inquit, analecta, hoc est, dapum reliquiæ in pauimento, pretium dabunt scopis. Horat. Sat. 2. lib. 2.

Ten' lapides varios lutulenta radere palma?

Palmæ vsus trecentos sexaginta Babylonij recensebant, de quibus Pierius in palma. Palma hic quibusdam est nomen viri illustris, de quo scriptum lib. 12. ep. 9. à quo disputatum aiunt de optimo conuiuio, ego nullus credo. Analecta supra fusius descripsimus, de quibus Turnebus, Cælius Rhodiginus, alij. sunt reliquiæ ciborum in terram cadentes. Initium pentametri aliqui aliter legunt, & interpretantur. OTIA SED SCOPIS NVNC ANALECTA DABVNT] Scopis pauimenta, seu asarota negant verri, quod ex Iuuenale, & Plinio refutat Calderinus. Sed Calderinum refellit Alexand. Neapol. lib. 4. cap. 21. quod totum est super hoc disticho. Cum Calderino tamen sentio, pro quo apertus est locus apud Petronium. *Cæterum*, inquit, *inter tumultum cum forte parapsis excidisset, & puer iacentem sustulisset, animaduertit Trimalcio, colaphisq. obiurgare puerum ac proijcere rursus parapsidem iussit. Insecutusq. est * lecticarius, argentumq. inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere.* Verrendi ministerio addicti alias Scoparij appellati. id est, μέσαυλα σαροῦντες, vt Græci interpretantur lib. 8. D. de Instit. vel Instrum legito. Hoc forte non vbique factum; nam & serui, analectæ dicti, sub mensa incuruati, reliquias sub mensam cadentes, vt ossa, micas, & alia, tollebant, & pauimenta, quod pretiosiora essent, non scopis, sed spongijs extergebant. L. quæsitum. §. item spongiæ ff. de de fund. inst. De his plura Gruterus ad epist. Sen. 27. *Vt Grammaticos haberet analectas, &c.*

Hac & nobis scriptura placet. Pictas coloribus micas, & analecta putant. Aliciatus Parerg. 8. c. 25.
* *Supellectilarius alij legunt.*

Scalptorium.

LXXIII. LXXXIII.

Defendet manus hæc scapulas mordente molesto
Pulice, vel si quid pulice sordidius.

Scalprum, scalpellumque memini legere, scalptorium nusquam exsculpo. sed quid scalptorium sit, nullo labore ex ipso poëta discis, qui docet instrumentum esse manui geminum, quo scapulæ (in quas digiti se non extendunt) prurientes, aut bestiolarum, pulicum inquam, aut pediculorum morsiunculis scalpurientes fricantur, & scalpuntur.

Manuale.

LXXIV. LXXXIV.

Ne toga barbatos faciat, vel pœnula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Ipsa vox ostendit vsum manualis, seu enchiridij; abiegnis enim tabulis manualia fiebant, quibus libri tegebantur, ne manibus, aut sinu gestari, versatique atterrerentur in cornibus, quod neces-

necessario fiebat, si muniti fortioribus inuolucris non essent. Manuale alioqui dicitur à manu, quod vel manu capiatur, vel manum impleat, quæ vox apud Plinium sæpius legitur, nescio, an apud alium, cui auctoritas constet.

BARBATOS] villosos, quales tironum libri plerumque spectantur cornibus comatis, intortisque: barbatos vocat poëta, quod vsu detriti, quæ natura chartæ est, vt libri pilos, villosque velut barbas acquirant. POENVLA] qua atteritur liber in frontibus, nisi tabulis sit tectus. ABIES] è qua fiebant inuolucra, & arma librorum.

Lectus pauoninus.

LXXXV. LXXV.

Nomina dat spondæ pictis pulcherrima pennis
Nunc Iunonis auis: sed prius Argus erat.

Ne fallare lector: non fuêre lecti, seu spondæ tectæ pennis, aut oculis pauonum tantum, sed citreis tabulis, quæ plumas gemmasq; pauonum æmulabantur. Plinium audi lib. 13. cap. 15. in hæc verba, de citreis mensis loquentem. *Sunt & vndatim crispa, maiore gratia, si pauonum caudæ oculos imitantur.* Factos autem lectos etiam citreos ostendit Seneca, qui scribit citri radices, insanis licitari solitas pretijs, ad mensarum & lectorum ornamenta. & Persius.

——non quicquid denique lectis
Scribitur in citreo——

In quo versu interpretando, non sequor tantum Foquellinum, sed Britannicum etiam, & Fuluium Vrsinum. Fuerunt tamen & citrei pugillares, in quos vel memoriæ caussâ referebant, quæ volebant, vel quos carminibus scribêdis adhibebant. Martialis sup. epig. 3. Suet. Ner. cap. 52. Plinius epist. 27. lib. 7. Scribebant veteres in lectis cubantes, & carmina, aliaue meditabantur. Hor.

Suet. in Aug. lucubratorium lectulum appellat, in quo studebat Augustus.

Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant.

Plinius epist. 27. lib. 7. *Venit Athenas Philosophus Athenodorus, &c. vbi cœpit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares, stilum, lumen, suos omnes in interiora dimittit, ipse ad scribendum animum, oculos, manum intendit, &c.* De citreis lectis, accipe Martialis versum lib. 12.

Gemmantes prima fulgent testudine lecti
Et Maurusiaci pondera rara citri.

Ab oculis igitur pauonis, quos citreus lectus imitabatur, ipse lectus appellabatur pauoninus. IVNONIS] pauonem Iunoni sacrum, & supra docuimus, & hodie ne tiro quidem nescit. ARGVS] custos Iûs conuersus in pauonem. legatur Ouid. Metam. Carmen tamen ipsum videtur de lecticis seu lectis penna caudaque pauonina ornatis: pennæ enim non sunt citreæ, præterea inscriptio est de pauonino lecto alioqui fuisset de citreo lecto.

Ephippium.

LXXXVI. LXXVI.

Stragula succincti venator sume veredi:
Nam solet à nudo surgere ficus equo.*

** pellis.*

Veredum de quo intelligendum lib. 12. monitus es. hic insternit veredum equum cursorem ephippio suo, seu sella equo imposita, cui eques insideat. Vocat poeta stragula generali verbo, quicquid insternitur, stragulum latinis dicitur, quod antea docuisse non ignoro. Ephippium tamen non pro stragulo puto poetæ dictum, sed equum iam succinctum, hoc est, ephippio onustum, ait stragulis quoque insternendum, seu stragula ephippio iniicienda, quorum loco hodie adhibent puluinos equestres, Reitküß. FICVS] vlcus inde natum, si nudo insideas, quem morbum Germani lupum appellant. De fico morbo supra fuse disputatum lib. 1. ep. 65.

Den Wolff reitten.

Stibadia.

LXXXVII. LXXVII.

Accipe lunata scriptum testudine† sigma*
Octo capit: veniat, quisquis amicus erit.

** lunatum.*
† signum sed emendatius sigma. Rumars maceam sentit Stibadium esse idem, quod sigma.

Stibadium est lectus accubitorius, qui figurâ sua Græcum sigma exprimit hac formâ, C vnde poëta lunatam testudinem vocat; testudinem autem, à materia, lecti enim, & mensæ concharum testis operiebantur, & sigma, non signum, quod apud Athenæum lib. 10. arcui Scythico comparatur. Σκυθικῷ τόξῳ τρίτον ἴσον σίγμα εφεστεθεν. Sedebant in eo conuiuæ non incuruatis genibus procumbentes, sed coxim interpositis puluinis insidentes, vt Sagarij solent apud Italos. Erat enim sigma, lectus, seu torus ad mensas rotundas accomodatus, quem semirotundum suggestum vocat

Apuleius

Apuleius lib. 5. *Visoq; statim proximo semirotundo suggestu, propter cænatorium, rata refectui suo commodum libens accumbit.* Fiebant stibadio um tori ex herbis primulum, vnde & nomen accepere, στιβάδας enim herbas vocant. Plato περὶ πολ. lib. 2. ἐπὶ καλαμίαν τινὰ παρεβαλόμενοι, ἢ φύλλα καθαρὰ κατακλινέντες ἐπὶ στιβάδων ἐστρωμένων μίλακί τε, ἢ μυρρίναις εὐωχήσονται αὐτοί τε, ἢ τὰ παιδία ἐπὶ πίνοντες τοῦ οἴνου ἐστεφανωμένοι, ἢ ὑμνοῦντες τοὺς θεούς. Seruius ad 1. Æneid. versum.

Aurea composuit sponda, mediamque locauit.

Stibadia, inquit, *antiqui non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur.* Theocritus tamen, & Plato τῶν στιβάδων, mentionem faciunt, hic lib 2. de Rep. ille in Adonidis epitaphio. Isidorus stibadium à stipitibus deducit, quasi stipadiū. Suidas στιβάδες τράπεζαι ἢ στρωμναὶ Stipades sunt aut mensæ aut lecti. Athenæus item mensas intelligit. Lampridius in Heliogabalo, seu Elagabalo *Primus,* inquit, *instituit sigma in terra sternere, non in lectulis, vt à pedibus vtres per pueros ad reflandum spiritum soluerentur.* Idem in eodem. *Illud sane mirum videtur, quod dicitur ab eo factum, vt de croco sigma strauerit, cum summos viros rogasset ad prandium, pro eorum dignitate se dicens fœnum exhibere.* OCTO CAPIT] supra lib. 10. dixerat.

Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.

Intellige septem opportune, & laxe sigmati insedisse, octo ægre, & arcte. Quare Lampridius de Elagabalo, *habuit,* inquit, *hanc consuetudinem, vt octo caluos rogaret ad cænā, item octo luscos, & item octo podagrosos octo surdos octo nigros, octo longos, & octo pingues, cum capi non possent omnes vno sigmate, vt de his omnibus risum citaret.* Et Sidonius lib. 11. epistola ad Domitium docet certum numerum stipadio fuisse. *Ita,* inquit, *vt ministeriorum sese non impediente famulatu tot posit recipere sellas quot solet sigma personas.* Idem tamen Martialis supra testudinem hexaclinon à sex personis vocauit stipadium. heptaclinon igitur à septem. Erat & antisigma, quod sigmati respondebat, & vnus veluti circulus (sic tamen vt ministri possent transire) efficiebatur. Stibadij mentio est apud Plinium libr. 5. epi. 6. Eiusdem ideam, & schema ex antiquo marmore Romæ expressum spectabis in append. Fuluij Vrsini,* qui multa de stibadio, vti & Cælius Rhodig. lib. 12 cap. 18. Stuckius de Antiquit. Conuiuial. Catanus ad Plinium. Bayfius, & alij, præsertim Sauaro. Marcellus Donatus in Dulcid. ad Lampridium in Heliogabalo negat stibadium fuisse lectos in quibus ad mensam accumbebant, sed ipsas mensas, sed videtur nescisse quid esset Græcum sigma, facit tamen sententiam suam vtcunque probabilem. apponam ipsius verba, vt lector quam volet sententiam sequatur, mihi nondum persuasit. Ioannes, inquit, Baptista Egnatius in suis annotat. inquit: Sigma veteres sellam in formam S. litteræ constantem dixere, spiris inuolutam, de qua Martialis & Sidonius meminere. Rhodig. lib. 12. c. 18. scribit: Lego non semel apud Lampridium sigma pro diæta positum, siue stibadio, siue cœnatione. Et paulo post: Et pro ingenij captu sigma posse dici videbam ab eius elementi titulo, qui foribus superpositus foret, qua nota discubituris silentium indici videbatur, vt à conuiuio surgentes, si quid forte licentius obloquutus foret quispiam, volentes obliuiscerentur. At sigma nec sellam nec cœnationem fuisse, ex præsenti loco colligimus, siquidem ait, Lampridius: Vt de croco sigma strauerit, quum summos viros rogasset ad prandium, pro eorum dignitate se dicens fœnum exhibere. Ex quibus manifestum fit, sigma mensam fuisse non sellam. Et paulo post: Habuit & hanc consuetudinem vt octo caluos vocaret ad cœnam, item octo luscos, item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, octo pingues, quasi capi non possent vno sigmate, vt de his omnibus risum citaret. Et iterum: Primus denique inuenit sigma in terram sternere, non in lectulis, vt à pedibus vtres per pueros ad reflandum spiritum soluerentur. Ex quibus palam fit, sigma mensam fuisse vltra octonarium numerum conuiuarum non capiens. Quod manifestum etiam fit ex Martiale scribente lib. 14.

Accipe lunata scriptum testudine sigma,
Octo capit, veniat quisquis amicus erit.

Et alibi: *Septem sigma capit; sex sumus, adde Lupum.*

Ex quibus colligimus etiam, sigma fuisse mensam incuruam & lunatis formæ S enim ex duabus semilunis apposite incuruatis consistere oculata fide probatur; & talis formæ fuisse mensam sigma dictam existimandum; nam testudine Lunatam incuruaturam ad Lunæ figuram interpretantur. Huiusmodi mensam alibi idem Martialis Haxaclion vocauit, id est, sex capiens conuiuas, inquiens:

Et testitudineum mensis quater Hexacleon,
Ingemuit citrio non satis esse suo.

Huiusmodi autem mensæ forma commodissima erat cum in curuaturis illis binis sedentes conuiuæ mutuo se respicere possent, & alioqui cum diætarijs seu mensæ seruientibus, nullo impedimento obstante, à parte conuexa ministrantibus. Hæc habui quæ in re perdifficili adnotarem, & in qua recentiores scriptores non modo sobrij sed propemodum ieiuni fuere.

Sed contra venit Casaubonus qui nobiscum ex asse facit in Not. ad Ælium Lampridium p. 342.

* De Triclinio ad Canonicum.

Gusta-

Gustatorium.

LXXVIII. LXXVIII.

Fœmineam nobis cherson si credis inesse,
Deciperis: pelagi mascula præda sumus.

Gustatoriũ idem quod repositoriũ, in quo gustus, seu antecœna apponebatur. Petronius. Cum subito signum symphonia datur, & gustatoria pariter à choro rapiuntur. Repositoria pro quauis etiam mensa accipiuntur.

Gustatorium genus mensæ est, sectâ testudine vestitum. Plinius lib. 9. cap. 11. *Testudinum putamina secare in laminas, lectosq; & repositoria his vestire, Corbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij.* Apud Iuniorem Plinium lib. 5. ep. 6. videtur locum potius, quam ipsam mensam significare; quanquam Catanæus ad mensam referat. *gustatoriũ,* ait, *grauiorq; cœna margini imponitur.* Tantæ porro magnitudinis testudines Indicũ mare mittit, vt habitabiles casæ singulis his integantur, atq; inter insulas rubri præcipue maris, his nauigant cymbis, quod Diodorus & Plinius credidêre, scriptisq; prodidêre plura de testudinibus Ælianus. Poëta noster ait gustatorium hoc factum ex testudinibus masculis & marinis, non terrestribus, quæ fœmineæ habebantur. Plinius de terrestribus, *sunt & terrestres, quæ ob id in operibus Chersinæ* (nam χέρσος Græcis terram sonat, vnde chersonesus peninsula) *vocantur in Africa desertis, qua parte maxime sitientibus harenis squalent, roscido, vt creditur, humore viuentes.* Neque aliud ibi animal prouenit. Hic ipsum gustatorium loquitur, & se non ex terrestribus & chersinis, sed masculis & marinis testudinibus factum gloriatur.

Mensa citrea.

LXXXIX. LXXIX.

Accipe fælices, Atlantica munera, syluas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Fortean ad lib. 12. ep. 67. satis fuse exposita & laudata mensa citrea, cum illum versum interpretarer? *Et Maurusiaci pondera rara citri.*

ATLAS] mons Mauritaniæ. AVREA MINORA] duodecim millibus, & quingentis philippæis, Cic. citream, Asinius Pollio XXV. millibus emit. Seneca vnam citream senatorio censu emptam ait. Senatorius porro census erant XXX. millia coronatorum, sicut equitum decem millia. Triginta aureorum millia conflata in massam, mensam vtique magnam efficerent. Poëta noster citreas auro cariores fuisse ostendit. Seneca quingentas citreas habuit, Dione Cassio teste, vbi κεδρίνα ξύλα, interpretantur mensas citrei ligni. Dioscorides lib. 1. cap. 89. Cedrum & eius ingenium describit. Ad quem locum Matthiolus multa disputat, negatque cedrum, & citrum eandem arborem. Citrea certe mala Medica sunt, nec cedrorum fœtus. Auctores videntur cedrum, & citrum confundere. In Atlante monte cedrum, non citrum fuisse Plinius tradit, qui citri nullam facit ibi mentionem, cum de mensarum insania disputat. Plinij verba sunt. *Atlas mons peculiari produtur silua, de qua diximus; Confines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri, & mensarum insania, quas fœmina viris contra margaritas regerunt, &c.* Et infra: *Anchorarius mons vocatur citerioris Mauritaniæ, qui laudatissimam dedit cedrum iam exhaustus Mensis præcipue dos in venarum crispis, &c.* De citreis mensis. Lucanus lib. 1. *Mensasq; priores Aspernata fames.* Lib. 9.

In nemus ignotum nostræ venêre secures,
Extremoque epulas mensasque petiuimus orbe.

Petronius Satyr. *——ecce Afris eruta terris*
Citrea mensa——

ACCIPE FELICES ATLANTIA MVNERA SILVAS.] Docui diuersas videri arbores cedrum & citrum, & perseuero docere cum Dioscoride, qui de Cedro lib. 1. cap. 89. de citro cap. 131. separatim tradit, & reapse distinctæ sint, cum altera baccas, altera pomum ferat, altera abieti, altera malo similior sit; & citrea mala Citronäpfel gignant. Hoc lubens admiserim, nomina cedri, & citri quod & antea affirmaui, ab auctoribus misceri, ac permutari. Lælius noster lib. 10. cap. 15. de cedro & citro & Thyo erudite disputat, quamuis non ex omni parte nobiscum faciat.

Plutarchus, Cicer. Pluta lib. 12.

Mensa acerna.

XC. LXXX.

Non sum crispa quidem, nec silua filia Maura:
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Secundam à citro palmam obtinuit Acer, arbor amplissima operum elegantia, ac subtilitate, vt Plinius est auctor lib 16 cap. 15. vnde sic dictam volunt, quod acria in ea artificum ingenia exerceantur, cuius quidem aceris plura sunt genera, quorum pulcherrimum Plinius ait bruscum, multaque etiamnum excellentia mollusc um, sed bruscum intortius crispum, molluscum simplicius sparsum. de his acernis mensis, Horatius lib. ser. 2.

Hæc

Hæ ubi sublatis, puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam ——

FILIA] Non sum nata in Atlante monte, & silua Maurorum, vt citrea, &c.

Dentes eborei.

LXXXI. XCI.

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris,
An Libycas poßint sustinuisse trabes?

Dentes elephanti sustinebant mensas citreas in omnes figuras effictas. Lucanus.

Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes. Et
Dentibus his niueis sectos Atlantide silua
Imposuere orbes, quales ad Cæsaris ora
Nec capto venere Iuba ——

Iuuenal. Sat. 11.

—— latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis Pardus hiatu
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.

Plura de dentibus eburneis citreas sustinentibus Plinius lib. 12. cap. 5. TAVRORVM CORPORA QVI PORTANT] in amphitheatro exhibiti elephanti iactabant dentibus tauros, vti & rhinocerotes. Martialis lib. A. c. 11.

Quod pius & supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Hic modo qui tauro tam metuendus erat.

Et 19. *Qui modo*, &c.

Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Argumentatur poëta à maiori. Eburnei dentes potuêre ingentes tauros tollere & ferre, quomodo non leues citri orbes ferent?

* Quincupedal.

* Al. de, Quincupeda.

LXXXII. XCII.

Puncta notis ilex, & acutâ cuspide clausa,
Sæpe redemptoris prodere furta solet.

Ilignem quincupedam describit, eiúsque vsum. dicta est quincupeda, seu quincupedal, à mensura quinque pedum, vt decempeda à decem pedibus, ad quam redemptorum opera exigebantur, ne fallerent, & aliquid de materia detraherent. Redemptores propriè Festo dicuntur, qui cum quid publicè faciendum, aut præbendum conduxerant, effeceràntque; tum demum pecunias accipiebant. nam antiquitus emere pro accipere ponebatur: Redemptor statuæ est cui locata est statua facienda; Redemptor ædium templorum, palatiorum, cui locata sunt hæc ædificanda, &c. Cic. in Cat. & Verrem. Res vulgaris est. At ij nunc dicuntur redemptores, qui quid conduxerunt præbendum, vendumue. PVNCTA NOTIS] distincta signis, varijs nempe digitis, palmis, & pedibus. ILEX] synedoche materiæ pro forma. FVRTA] in dimensione prodit.

Pocula archetypa.

LXXXIII. XCIII.

*Non est ista recens, nec nostri * gloria cæli:*
Primus in his † Mentor, dum facit illa, bibit.

* v. doctæ.
† v. merito dum facit illa bibit.

Etsi archetypa supra lib. 8. ep. 6. descripsimus ad illum versum:

Archetypis vetuli nihil est odiosius, Eucti.

Iuuat tamen versus caussa verbum addere. Archetypa, sunt pocula auctorum tam arte, quam antiquitate nobilitata, quæ toreumata vocat Cic. sexta in Verrem, * Mentoris, cælatoris eximij manu facta, seu alterius antiquitate elaborata. Archetypon Græcum est ab ἀρχὴ & τύπος, principium & forma, quasi prima figura & forma, ad quam alia fiunt. Est hæc vox apud Cic. Varronem, Plinium, Iuuenalem, & alios. CÆLI] Instrumenti cælatorum, quo scalpunt & cælant. sæpicule vsus hac voce Martialis.

* Sic sæpe Martialis.

* Audaces.

* Calices.

XCIV. LXXXIV.

* Non. Vipi, luminoso vitro, Ald.

** Nos sumus audacis plebeia toreumata vitri:*
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Pauperum dona hæc, vt archetypa diuitum. Carmen ita intelligo, vt loquantur ipsi calices fictiles, qui se audaces dici aiunt, quod crystallina quam proxime imitentur, audeantque se cum crystallinis conferre, de quibus Plinius lib. 36. c. 26. qui Obsidianum vitrum appellat ab Obsidio dictum, qui lapidem in Æthiopia inuenit Obsidianum nigerrimi coloris, ad cuius similitudinem, & vitra fiebant, & gemmæ ex eod. lapide sculpebantur, & imagines effingebantur. Augustus quatuor elephantos Obsidianos in templo Concordiæ dicauit. Ex eod. Obsidiano vitro fiebant vasa escaria. Erat rubens, translucens hæmatinon, album item, murrhinum, hiacinthos, sapphirosque mentitum, & omnibus alijs coloribus. Maximus honos in candido translucentibus, qua proxima crystallini similitudine. Vsus vero huius vitri tantus erat, vt argenti, & auri metalla pepulerit. Alij legunt; Non sumus——

NOSTRA NEC ARDENTI GEMMA FERITVR AQVA] Hoc miror. Nam Plinius ait diserte Obsidianum, vnde audaces fiebant, caloris esse impatiens, nisi præcedat liquor frigidus. Et omnia fere vitra aqua feruenti rumpuntur. Hinc mihi suspicio nata, non agi de audacibus calicibus, sed fictilibus ex argilla & ligno, quales erant fraxinei, buxeine. Quod si verum est retinenda erit vulgata scriptura: *Non sumus audacis*——hoc intellectu; nos plebeia toreumata non sumus ex eo genere vitri quod audaces præbet calices, sed ex luto ficta, quæ non læduntur aqua feruenti. Possis tamen etiã hoc sensu legere. *Nos sumus audacis*—— Nos plebeia toreumata nõ sumus ex vitro seu luto (nam vitrum hic καταχρηστικῶς vsurpatur) audaci, vnde calices fiunt qui audaci manu, non timidà vt crystallina, tractari possunt, nec enim facile rumpuntur aqua, nec si frangantur tanti sunt vt iacturam doleas. Ex vitro tamẽ calices factos qui etiam proiecti in pauimentum non elidebantur narrat Trimalcio apud Arbitrum, *qui fabrum, ait fuisse, qui vitrea vasa fecerit tenacitatis tanta, vt non magis, quam aurea vel argentea frangerentur. Quum ergo phialam huiusmodi de vitro purissimo, & solo, vt putabat, dignam Cæsare fabricasset, cum munere suo Cæsarem adiens admissus est. Laudata est species muneris commendata manus artificis, accepta deuotio donantis. Faber vt admirationem intuentium verteret in stuporem, & sibi plenius gratiam conciliaret imperatoris, petitam de manu Cæsaris phialam recepit, eamq. validius proiecit in pauimentum tanto impetu, vt nec solidissima & constantissima aris materia maneret illæsa. Cæsar autem ad hæc non magis stupuit, quam expauit. At ille de terra sustulit phialam quæ quidem non fracta erat, sed collisa, ac si aris substantia vitri speciem induisset. Deinde martiolum de sinu proferens, vitrum correxit aptissime, & tanquam collisum vas æneum crebris ictibus reparauit. Quo facto se cœlum Iouis tenere arbitratus est, eo quod familiaritatem Cæsaris & admirationem omnium se promeruisse credebat. Sed secus accidit. Cæsar enim illum duci iussit & decollari ne aurum vilesceret.*

TOREVMATA] etiam vitra torno fiebant. Plinius. *Ex massis rursus funditur in officinis, fingiturque, & aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur.* Audaces credo ex Ægypto allatos, de quibus infra ep. 115. De audacibus fictilibus etiam lib. 12. ep. 75. ad Amœnum plura leges.

Hic magis Audaces, an sunt, qui talia mittunt
Munera?——

Et:

Nullum solicitant hæc, Flacce, toreumata furem;
Et nimium calidis non vitiantur aquis.

Non dubito, cum alia torno fierent, & cælari possent, non fuisse eiusdem materiæ, cum ijs, quæ flatu figurabantur. Ita nec aqua feruenti vnquam solutos calices tornatos, aut celatos, sed anima factos. nec fuisse vitreos vere ex lemmate infrà posito colligas, ne bis idem, aut si vitrei, diuersæ tamen materiæ cum vero vitreo,

Phiala aurea cælata.

XCI. LXXXV.

Quamuis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis: nam meus iste labor.

Diuitis munus. Phialam descripsimus lib. 8 epig. 33. ad Paullum. genus erat poculi ex auro facti patulum. E Thuscia ferebatur. Athenæus lib. 1.

Τυρσηνὴ δὲ κρατεῖ χρυσότυπος φιάλη.
Ex auro sculptas Thuscia dat Phialas.

Hic

Hic gloriatur Phiala, qua auro, qua arte. Aurum à calore, & loco commendat. Iubet enim Callaicum, de quo Plinius lib. 33. cap. 4. Gallæciam vocat, Callaicos Hispaniæ populos, quorum regio hodie Gallæcia. LABOR MEVS EST] Ex mea materia, ex auro, non ascita aliunde gemma. Ita Domitius, sed testor mentem: uam lector non agi de materia vltimis his verbis sed ingenio artificis, cum dicit: *Glorior arte magis, nam meus iste labor*; caussam vt vides addit, cur artem præponat auro & materiæ. Vox ergo *meus* non quadrat huc magis quam virgultea scapha: Obseruarunt hoc etiam alij qui rescribunt *Myos: Nam Myos iste labor.* Omne tulit punctum hæc scriptura: Martialis libro 8. ep. 51.

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?

Mys, Myos, nobilis cælator; Plinius libr. 33. cap. 12. Mys me fecit, glorior ergo arte & artifice magis quam auro. Mys latine etiam murem valet; est & testudinis genus, mus aquatilis. Hic proprium viri. Pitheas, vt Plinius lib. 33. cap. 12. docet, duas fecit Phialas bonarum vnciarum viginti vncijs æstimatarum. Vlysses & Diomedes Palladium surripientes erant in phialæ emblemate.

Calices Vatinij.

LXXXVI. XCVI.

*Vilia sutoris * calicem monumenta Vatini*
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

* V. calices monumentum.

Pauperum munus. Calices Vatiniani seu Vatinij vitrei erant, vt lib. 10. ep. 3. docuimus. Vatinij à Vatinio sutore Beneuentano dicti, qui ad tantas opes peruenit, vt munus ederet, quod Tacitus, & Iuuenalis præter Martialem queruntur. Lubet optimam nostri Andreæ Schotti notam apponere. *Hic locus male, inquit, intelligitur ab interpretibus. Vatinium confecisse calices, nasis prominentibus, cum esset sutor. Iste enim Vatinius erat sutor, & erat nasutus, hoc est, magnum habens & prominentem nasum ad cuius similitudinem confi iebant calices vitrearij, &c. Inde Nasiterna, genus vasis aquarij ansati & patentis, dicta quod tres nasos, hoc est, ansas haberet.* NASVS LONGIOR ILLE FVIT] calices Vatini erant nasuti, eoque artifi io facti, vt modo plures, modo pauciores nasos prominentes haberent. Refert carmen poeta ad corpus & animum. De vtroque Tacitus his verbis 15. Annal. *Vatinius inter fœdissima eius aulæ ostenta fuit, sutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetijs scurrilibus: primo in contumelias assumptus, deinde optimi cuiusque criminatione eousque valuit, vt gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos præmineret. Eius munus frequentanti Neroni ne inter voluptates quidem à sceleribus cessabatur.* Poëta noster vt distortum, simul, & nasutum taxat. Turnebum transeo; ad nostram sententiam accedit Lipsius. *Ego, inquit, sententiam* (huius epigrammatis) *puto, cum quatuor nasos haberet ille Vatinianus calix, tamen longiorem fuisse Vatinij nasum, notatque callide eum, vt acrem & sagacem inquisitorem, criminatoremque.* Ita enim fuit. Xiphilinus testis, cum ait adeo eum hostem optimatibus fuisse, vt semper in ore haberet, μισῶ σε καῖσαρ, ὅτι συγκλητικὸς εἶ. de poculo Iuuenalis.

Tu Beneuentani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor ——

NASVS LONGIOR ILLE] Ille Vatinius, quantus quantus fuit, nasus fuit, & longior calice, quamuis longo & nasuto.

Lances chrysendetæ.

LXXXVII. XCVII.

*Grandia ne viola paruo chrysendeta * mullo:*
Vt minimum, libras † debet habere duas.

* *f. mullo lege non mulso, vt vulgo.*
† *V. duas.*

Escaria vasa aureis crustis illig ta, & exornata erant, quibus pisces inferebantur. dicuntur crysendetæ & chrysendeta, quasi auro vincta. Turnebus lib. 13. cap. 3. ex Plutarcho docet chrysendeta esse vasa, quorum gemmæ auro consertæ, & contextæ tenerentur. NE VIOLA] latæ chrysendetæ latos magnosque pisces desiderant; alioqui indignantur, cum non dign m sua nobilitate cœnam ferunt. PARVO MVLLO] Mullum non edat, qui legit hic mulsum, quo nihil insulsius. Martialis ipse lib. 2. ep. 33. nobis chrysendeta mullo onerat.

Immodici tibi flaua tegant chrysendeta mulli;

Iuuenalis item escariam, & piscariam lancem nominat forte chrysendetam. Sat. 5.

—— aspice quam distendat pectore lancem
Quæ fertur domino squilla ——

LIBRAS DVAS] minimum sit, mullus bilibris.

Vasa Aretina.

XCVIII. LXXXVIII.

Aretina nimis ne spernas vasa, monemus:
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Fictilia erant pauperum munus, quæ lib. 1. e. 54. componit cum crystallinis, vt vilissima nobilissimis.

Sic Aretina violant crystallina testa.

Laudat fictilia Aretina ab vsu antiquitatis, quæ olim fictilibus vtebatur, nec vulgus tantum, sed reges ipsi, Numæ, Porsenæ, Agathocles, alij. Aretium seu Arretium vrbs Tusciæ. Aretini Etruriæ populi Porsenæ subiecti. Ciuitatis meminêre Plinius, Strabo, Ptolemæus; colonia fuit Romana, vnde vasa fictilia afferebantur. De vasis Aretinis Iuuenalis Sat. 12.

Bascauda.

XCIX. LXXXIX.

Barbara de pictis veni bascauda Britannis:
Sed me iam mauult dicere Roma suam.

Et bascauda vas escarium est, ex Britannia primum allatum, à quibus nomen accepit, deinde & Romæ factum, & vsurpatum, vt merito poëta dicat: SED ME IAM MAVVLT DICERE ROMA SVVM] Est eiusdem mentio apud Iuuenal. Sat. 12.

Adde & bascaudas, & mille escaria——

PICTIS BRITANNIS] Inficiebant corpora cæruleo colore, Cæsar lib. 5. bello Gallico. *Omnes vero se Britanni luteo.* (variat hic scriptura, leguntque varij varie: vitro, nitro, glasto, luteo, glauco, vltro. Hotomanus legendum contendit luteo ex Dioscoride) *inficiunt, quod caruleum efficit colorem. atq, hoc horribiliore sunt in pugna aspectu. Incertum*, inquit, *ob decorem, an quid aliud vltro* (lutro lege) *corpora infecti*, Græcis lytron, Dioscoridi Lysimachia dicitur.

Panaca.

C. XC.

Si non ignota est docti tibi terra Catulli,
Potâsti testâ Rhætica vina meâ.

Testas Veronenses laudat, quibus vinum Rhæticum bibitur; nam Rhætia Veronam vsque pertinebat. scribitur Rætia & Rœtia sine afflatu, item Rhetia, & Rhætia, & Retia. Rhæti autem Cisalpini, & Transalpini populi Straboni, & Plinio, Comumque Venerorum, & Vulturenos continebat, ad quorum radices Rhæticum vinum Augusto, Suet. 77. c. Virgilioque laudatum, qui 2. Georgicõr.

——& quo te carmine dicam,
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis,

Vbi ambigue locutum poëtam tradit Seneca, Plinius; à poëta haud dubie laudatum Rhæticum. Cæterum de Rhætia accuratissime noster, & omnium litteras amantium præses, ac Mœcenas M. Velserus lib. 1. Antiquit. August. scripsit. PANACA] vasa θηρίκλειος, panaca testa, panacum vas. TERRA CATVLLI] Verona. de qua lib. 1.

Panaci populi Rhætia vnde panaca pocula.

Boletaria.

CI. XCI.

Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen,
*Prototomis, pudet heu, seruio * coliculis.*

** O. caulibculis.*

Boletarium seu boletaria dicitur patina, qua boleti inferebantur, queritur hic boletarium, se cogi ad ferendos coliculos, qui erant viliores boletis; boleti enim genus sunt nobilissimum fungorum, de quibus cum aliâs, tum lib. 13. ad illum versum, dictum est:

Argentum, atq, aurum facile est, lanamque, togamque
Mittere: boletos mittere difficile est.

NOBILE NOMEN] boletarium à boletis dicitur. PROTOTOMIS] prototomi caules sunt, qui adhuc teneri primo vere succiduntur, Plinius li. 19. c. 8. *Cymas à prima sectione præstat proxime vere.*

His

Hic est ipsorum caulium delicatior, tenteriorq́; caliculus Apicij luxuria, & per eum Druso Cæsari fastiditus, non sine castigatione Tiberij patris. Prototomi autem à Græco πρῶτος, & τέμνω, vnde τόμος sectio, quasi dicas prima sectio; pluris enim fiunt brassicæ æstiuæ, & autumnales, & circa solstitium. de prototomis Columella.

Sed iam prototomis tempus succidere caules.

Martialis, & nos ad Martialem lib. 13. lemmate Coliculi. cauliculi, seu còliculi à caule dicuntur, sicut aula olla, Claudius Clodius, caudex, codex, plaustrum plostrum, &c. Plura Bisciola lib. 13. cap. 11.

Calices Surrentini.

XCII. CII.

Accipe non vili calices de puluere natos:
Sed Surrentinæ leue toreuma rotæ.

De calicibus Surrentinis Plinius lib. 35. cap. 12. *Retinet hanc nobilitatem, & Arretium in Italia, & calicum tantum Surrentum.* Surrentum Picentinorum vrbs iuxta Tyrrhenum mare; lege, quæ ad lib. 13. de vino Surrentino dicta. Plura Leander, Andreas Baccius, Ortelius, alij. LEVE TOREVMA] politi rotâ calices; nam vasa fictilia etiam rotâ fieri nemo, qui Plinium legit, & figlinam vidit. ibit negatum.

Colum niuarium.

XCIII. CIII.

Setinos, moneo, nostrâ niue frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Colum niuarium, quod & qualum dixere, vas erat, quo aqua ex niuibus colari solebat, quod in hunc fiebat modum. niues in colum inijciebantur, deinde vinum infundebatur, quod per niues dum flueret, frigus induebat, secumque trahebat. quo pacto & aqua, lac, aliaque colabantur. De niuibus mox infra plura. FRANGE] transmitte per colum, quo nonnihil vini vis frangebatur. Setinum autem præstantissimum erat, de quo libr. 13. suo lemmate. PAVPERIORE MERO] vilius vinum lino transmittere, non colo potes, neque dignum est, quod, vt Setinum coletur.

Saccus niuarius.

XCIV. CIV.

Attenuare niues nôrunt, & lintea nostra:
Frigidior colo non salit vnda tuo.

Facile colligis saccum niuarium, & colum niuarium distingui, saccumque linteum, colum ex alio genere materiæ, & vas potius quam saccum fuisse, quod ex Pomponio in L. in argento D. de auro & argento legato discis, vbi inter vasa colum niuarium, vti & vrceolos numerat. An colum ex corio factum erat? Ita memini quosdam scribere sed tabulas non addunt. Saccus porro erat in modum vesicæ factus, vnde Sammonicus.

Quod facit ex asino saccatus corporis humor.

Lege Turnebum lib. 17. cap. 18. & alijs locis. ATTENVARE] defæcare & eliquare. tam, inquit, aqua sacco transmissa redditur frigida, quam colo, quamuis ego nobilitate cedam colo. dictum, & lib. 2. de hoc.

Cæcuba saccentur, &c.

Vrceoli ministratorij.

CV. XCV.

*Frigida non * desit, non † deerit calda * petenti:*
Sed tu morosa ludere parce siti.

* deerit.
† desit
* bibenti.

Vrceus vas aquarium, vnde vrceolus. vrceus frigidæ, Bayfius lib. de vase, & Martialis infra ipse docet de vrceo, *Stoicus hoc gelidum, &c.* vrceoli calidæ seruiebant. ministratorij dicti, quod ijs aqua ministraretur, aut à ministris misceretur. Poëta vsum ostendit hoc disticho. FRIGIDA NON DESIT] frigidam vocat arte frigefactam, non natura frigidam; quæ enim natura frigida erat, vt aqua generatim, illa poetæ calda appellatur, * vt sentit Mercurialis lib. 1. Var. c. 8. vbi copiose, & erudite disputat vir eruditus de more temperandi, & refrigerandi vina, & aquam. Non negat idem, aquam calefactam igne, ante cœnam potari solitam ad vomitiones. Frigida autem carior erat calida, hoc est, naturali. Et hoc est, quod poëta dicit non defuturam calidam, si frigida non desit. caldæ enim seu naturalis vbiq; magnam esse copiam, frigidam arte comparatam pecunia emendam. Sed hæc omnia ruent, si legeris vtrobique *deerit.*

* alij aliter docent. Calida duplex, Mercurialis calefacta igne, & naturalis non frigefacta igne. Frigida item duplex, naturalis & arte nimium gelata prius, que calefacta.

Frigida non deerit, non deerit calda ministro.

Sensu plano, expedito & ex mente poetæ.

Siue petas tu conuiua frigidam, siue caldam, neutra deerit tibi, si propinatam statim hauseris alioqui vtraq; deerit, nam frigida arte facta mox intepescet, & calda redibit ad frigus suum, si lente biberis, & poculum diu manu versatis. Proinde moram pone, & mixtam extemplo ebibe. Ita tibi neutra deerit. Hæc arridet modo & scriptura & enarratio distichi, meliorem propinanti libenter respondebimus. De calda frigida iustos libellos scripsere Ioan. Castalio, & Petrus Cassianus de quibus supra. Adde Senecam de mora bibendi lib. 4. Quæst. Nat. extremo. *Videbis quosdam graciles & palliolo, focaliq; circundatos pallentes & agros non sorbere solum niuem, sed etiam esse, & frusta eius in scyphos suos deijcere, ne inter ipsam bibendi moram tepescant.* Vrceolorum figuram inspice apud Bayfium ex antiquis marmoribus descriptam. SED TV MOROSA PARCE SITI] Tu in temperatura aquæ frigidæ, & calidæ cum vino, non nimis esto exquisitus & difficilis. morosa sitis est delicata sitis, cui nihil nisi exquisitum sapit; vel Morosa sitis videtur hic dici pro mora, & raritate potandi, qua hospes per speciem impediebat conuiuas, ne sæpe biberent: & hoc forte est, quod dicit, ludere parce.

Vrceolus fictilis.

CVI. XCVI.

*Hic tibi donatur * panda ruber vrceus ansa:*
Stoicus hoc gelidam Fronto † petebat aquam.

* laxa.
† Q. bibebat.

Vrcei frigidam ministrabant, quod exponit ipse, cum Frontonem inde gelidam bibisse dicit. FICTILIS] ex argilla nempe factus & vstus igni, vt lateres. rubebat. PANDA ANSA] magno lato ambitu, qualem apud Bayfium lib. de vasculis spectas. STOICVS FRONTO] vt ab alijs cognominibus separaret hunc Frontonem à secta appellauit. Frontones lego plures apud scriptores. Iulium Frontonem celebrat Tacitus in rebus Othonis, Titi Imperatoris familiarem. alium Iosephus. Frontonem consulem laudat Dion in Nerua, Licinium Frontonem Vlpianus sub Antonino Imperatore. Martialis lib. 1. ep. 56. Frontonem consulem illo versu. *Clarum militia, Fronto, decusq; togæ.* de quo Iuuen. Sat. 1. & Iosephus. Poëta lib. 5. ep. 36. patrem suum Frontonem nominat. Hoc versu, dicerem laudari Cornelium Frontonem Catium, Oratorem clarissimum, Antonini Philosophi præceptorem, virum Dioni in Adriano, Plinio lib. 2. epist. 11. & 6. epist. 13. commendatum, quod verosimile videatur discipuli philosophi, philosophum fuisse magistrum, & Stoica disciplina probatum, quæ plurimum ea tempestate à sapientioribus celebrabatur. Seneca inquam, & Plutarcho, qui item Stoici, & imperatorum magistri extitere. Sed refragatur opinationi nostræ, quod poeta videatur, i. in de mortuo loqui, cum dicit, bibebat. Dicam potius de illo intelligendum, ad quem lib. 1. ep. 56. scripsit: De quo forte & Iuuenalis meminit. Hic vrceus gloriatur, quod quamuis sit fictilis, clarissimis tamen viris aquam ministrarit. PETEBAT] magis arridet lectio oræ ascripta, etsi sensus idem in vtroque.

Calathi.

XCVII. CVII.

Nos * *Satyrus, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,*
Perfusos domini lambere docta pedes.

* Satyri.

Calathorum varia sunt significata; alias enim idem, quod quali vel quasilli valent, hoc est, vasa viminea, in quibus mulieres lanam, flores, vnguenta condunt. Exempla sunt apud Virgilium ecl.2. & 7. Æneid. Catullum. Ouidium. Alias æreum vas, in quo humor lactis, aut ipse caseus ferebatur, vt est apud Columellam, & Virgilium. Hic pro calice rebus sacris destinato ponitur. vt apud Virgilium 5. ecl.

Körbl. Gölten. Kändle. Becher.

Vina nouum fundam calathis Aruisia nectar.

NOS SATYRVS, NOS BACCHVS AMAT] in sacris Bacchi, & Satyrorum calathi vsum fuisse ostendit, antea Virgilio ostensum ecl. 5.

Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho,
Ante focum si frigus erit, si messis in vmbra,
Vina nouum fundam calathis Aruisia nectar,
Cantabunt mihi Damatas & Lyctius Ægon,
Saltantes Satyros imitabitur Alphesibæus.

Est huius calathi mentio apud nostrum Martialem lib. 9. ep. 6. in Mamurram. Est & apud Arnobium, & Eusebium. EBRIA TIGRIS] tigrides cicuratæ ex India, & Hircania, ferebantur. Indi enim, vt [illegible]lianus est auctor lib.15.cap.14. suo Regi quotannis adferunt tigrides, pardos, oryges cicures. [illegible]iam vocat, quod historici tradant tigres, Baccho sacras, currui triumphali iunctas fuisse. [illegible]de Hieroglyphici, cum docent vini moderatum vsum animi ferociam demulcere, pro symb[illegible]o geminas tigres iungunt Bacchi currum trahentes. Plura super tigribus lib. A. ad illum versum.

Lambere securi dextram consueta magistri
Tigris ab Hircano gloria rara iugo.

Calices Saguntini.

XCVIII. CVIII.

Quæ non solicitus teneat, seruetque minister,
Sume Saguntino pocula facta luto.

Fictilia pocula & vilia erant Saguntina Sagunti facta, aut terra inde allata, illa ciuitas est in Tarraconensi Hispania, quæ Hannibali direpta, & restituta, nouaque Carthago dicta apud Liuium; Calicum Saguntinorum mentio sæpicule fit, apud nostrum lib.8. epig.6. lib.4 epig. 46. Iuuenalem, Papinium, & Plinium, nos de his supra. Non solicitus, vt crystallina, peccant enim securæ nimium solicitæque manus.

Calices gemmati.

XCIX. CIX.

Gemmatum Scythicis vt luceat ignibus aurum,
Adspice quot digitos exuit iste calix.

Duobus modis fiebant pocula gemmata, vel vt ipse calix totus esset ex gemma, (qualis fuit illa, de qua Cic. in Verrem. *Erat etiam vas vinarium ex vna gemma pergrandi, trulla excauata manubrio aureo*) aurumque tantum accederet gemmis, vt alias solent gemmæ auro; vel auro fiebat calix, quem insertæ passim gemmæ exornarent, quos calices, chrysendetas putat Turnebus [illegible]alius secus. De Gemmatis etiam Plinius lib. 33. cap. 1. *Nec hoc fuit satis, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ caussa tenere Indiam iuuat, & aurum iam accessio est.* Et lib.37.cap.2. *Quinimmo etiam ius videmur perdidisse corripiendi gemmata potoria.* Item: *eo vsq; procedente luxu, vt multi gemmas digitis detractas poculis insererent.* Martialis lib. 9.

Gemmæ duobus exempla poculis inserebantur. Hoc est quod noster dicit quot digitos exuit iste calix.

Et virides picto gemmas miratur in auro.

SCYTHICIS IGNIBVS] smaragdis nempe, de quibus d. alias. DIGITOS EXVIT] vt inserantur calicibus, detrahuntur digitis. Iuuenalis.

Nam Virro, vt multi, gemmas ad pocula transfert.

Et Plinius supra adductus. Hic intelligo poculum gemmis distinctum.

* *sed Potoria.*

Ampulla potoria *.

CX. C.

Hac licet in gemma, quæ seruat nomina Cosmi,
Luxuriose bibas, si foliata sitis.

Ampulla nomen vasis, vnguentarijs conuenit. Additur potoria, quod cœperit ad vsum bibendi adhiberi. Porro vnguentaria vasa erant pyxides, alabastra, seu alabastri holcia, lecythi, crossi, pychi, onyches ampullæ. HAC LICET IN GEMMA] sensus est. Luxuriose, si foliata seu vnguenta nardina sitis, bibas licet hac gemma Cosmiana vnguentis destinata. GEMMA] onyche lapide, quem gemmam vocat. de quo lib. 11.

Profertur Cosmi nunc mihi sic. m onyx.

Vel alabastro. NOMINA COSMI] ampullam intelligo Cosmianam dictam: aut generatim, quamuis ampulla sit iam vas potorium, non vnguentarium, tamen adhuc ei vatnomen ampullæ, hoc est, vasis vnguentarij, vt Cosmus accipiatur pro vnguentario, species pro genere, quod sæpe supra Martialis fecit. Sed expresse lib. 3 ep g 81.

Et Cosmiano ipse fusus ampullis.

Ampullæ meminit Plinius epist. 30. lib. 4. vbi angusti oris vas ostendit his verbis: *Quod in ampullis cæterisq; generis eiusdem videmus accidere, quibus non h a s, nec statim patens exitus.* figuram ampullæ ex antiquis marmoribus delineatam habes apud Bayfium. lib. de vasculis. pag. 140. & in plerisque D. Magdal. imaginibus adpictam. FOLIATA] Nardinum seu foliatum vnguentum constat omphacio, balanino, iunco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo. Plinius lib. 13. cap. 1. BIBAS] notat poëta luxum sui æui; reuera enim etiam vnguenta potabant, testis Plinius lib. 13. cap. 3. *At Hercule iam etiam in potu addunt, tantiq; amaritudo est, vt odore prodigo fruantur ex vtraq; parte corporis.* Sed hoc luxuriosi.

Crystallina.

Crystallina.

CXI CI.

* *frangis. V. pec. ni Securæ nimium solicitæq; manus.*

Frangere dum metuis, frangis crystallina:* peccant
Securæ nimium, solicitæque manus.

Carmen vt crystallum lucet, meæ lucis non indigum. Crystallus nihil aliud est quam longo tempore, & denso frigore gelata glacies, quam descripsit fuse, varieque Plinius lib. 37. cap. 2. sunt tamen alij in alia sententia. Bernartium ad Siluas Papinij consule. Poëta monet seruos ne nimium sint solliciti in porrigendis, aut tenendis crystallinis; ipsam enim nimiam curam curæ obliuisci. Curam autem eam seruis adferebat dominorum immanis crudelitas, qui ob crystallina fracta seruos in cruciatum dabant, imo necabant. Vedius certe puerum, cui casu crystallinum manu lapsum erat, vinctum, viuumque iussit murænæ deuorandum obijci. Quod alibi plenius ex Seneca recensuimus. Verus Imperator, auctore Capitolino, crystallinum habuit calicem nomine Volucrem ex eius equi nomine, quem dilexit.

Nimbus vitreus.

CXII. CII.

Ab Ioue qui veniet miscenda ad pocula, largas
*Fundet nimbus aquas: hic * tibi vina dabit.*

* *V. quod.*

Ὁμωνυμίαν huius vocis exponit hoc disticho. Et nimbum ait alias imbrem esse, hic vero vas vitreum vino seruando aptum. priore significatu lib. A. epig. 3. lib. 5. epig. 26. lib. 9. epig. 39. metaphorice tamen pro sparsione theatri vsurpat. hoc posteriore, tantum hic; neque assentimur Domitio, qui lib. A. & alijs locis pro vase nimbum accipit. AD POCVLA] neque enim Romani merum bibebant, sed dilutum aqua vinum. HIC] vas vitreum vino ferendo dicatum.

❧(o)❧

Myrrhina.

Myrrhina.

CIII. CXIII.

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Conuenit, & melior fit sapor inde mero.

Calidum seu ardens, vt lib. 9. 75. appellat, ex poculis myrrhinis hauriendum suadet, quod inde vinum gratiorem trahat odorem & saporem. Qui mos etiam hodie seruatur in conuiuijs, vbi Creticum, Falernum, aliaque id genus raro vitro, argento semper vel auro propinantur. Quanquam Clemens Alex. lib. 2. Pæd. c. 3. vsum auri damnet in poculis. *Argenteorum & aureorum gemmeorumq. poculorum irritus & inutilis est vsus, vt qui sit visus solum deceptio. Nam siue ijs calidum liquorem infuderis, & calefactorum vasorum molesta est traditio; siue rursus frigidum infuderis, qualitatem materia transfundit liquorem corrumpens, & est damnosus potus.* De myrrhinis & myrrhina potione singularem librum scripsit noster Gretserus in Mantissa ad lib. 1. de S. Cruce, quem consules.

Patella Cumana.

CIV. CXIV.

Hanc tibi Cumano rubicundam puluere testam,
Municipem misit casta Sibylla suam.

Fictiles Cumanas laudat, quarum generatim apud Romanos maximus quondam luxus. Vitellius Imperator CC. sestertijs condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat: *quoniam*, inquit Plinius lib. 35. cap. 12. *eo peruenit luxuria, vt etiam fictilia pluris constent, quam myrrhina.* De fictilibus Cumanis speciatim Plinius. *Nobilitantur ijs oppida quoq., vt Rhegium & Cuma.* E Sibyllis vna Cumana fuit, de qua multa narrata nobis lib. 9. epig. 30.

Euboica nondum numerabat longa Sibylla
Tempora. ——

MVNICIPEM SVAM] factam Cumis, vbi Sibylla nata. municipes enim sunt ciues eiusdem oppidi, pagiue. hic figurate. arenam Cumanam præter Plinium mirifice prædicat Vitruuius lib. 2. cap. 6.

Calices vitrei.

CV. CXV.

Adspicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus.

Diuersicoloris & magno artificio Ægyptia vitra, calicesque fiebant. Hos poëta describit, quos dum nimia in illis ars quæreretur, arte perditos ait. Græcis dicti sunt hi calices *ἀλλάσσοντες*, quia vt palumborum colla, ad omnem motum diuersos colores efficiebant. Adrianus Imperator in epistola ad Seruianū: *Calices tibi allassontes versicolores misi.* hos Propertius intellexit lib. 4. Elegia 5.

Seu quæ palmifera mittunt venalia Thebæ.

Quas merces Ægyptij annuo vectigali miserint Romam, Cicero pro C. Rabirio, Vopiscus in Aureliano. Arrianus in periplo Erythræi maris, Cedrenus docent: quorum verba adscribit Robertus Titius lib. 3. Contr. cap. 25.

Lagena niuaria.

CVI. CXVI.

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis,
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

Aquam decoctam negat conuenire vino Spoletino vel Peligno, quæ sunt deterioris notæ. Aqua autem decocta ex niuibus, iterumque refrigerata magno in precio habebatur. Inuentum fuit hoc Neronis, vt Plinius lib. 31. cap. 3. narrat. *Neronis*, inquit, *principis inuentum est, decoquere aquam, vitroq. demissam in niues refrigerare.* Seneca epistola 78. *O infœlicem agrum, quare? quia non vino niuem diluit: quia non rigorem potionis suæ quam capaci scypho miscuit, renouat fracta insuper glacie.* Redit Plinius lib. 19. cap. 4. *Heu*, inquit, *prodigia ventris. aquæ quoq. separantur, & ipsa naturæ elementa vi pecuniæ discreta sunt. Hi niues, illi glaciem potant, pœnasq. montium in gulæ voluptatem vertunt. Seruatur algor æstibus, excogitaturq. vt alienis mensibus nix algeat. decoquunt alij aquas, & mox hiemant.* Easdem niues soluit iterum Seneca epist. 15. ad Lucilium. *Quid tu æstiuam illam niuem, &c.* Enimuero niuem potare non Romanorum tantum, sed Græcorum gula fuit, etsi Romani primi decoxerint. Apud Theocritum Idyllio 11. Cyclops.

Ἐστι ψυχρὸν ὕδωρ τό μοι ἡ πολυδένδρεος Αἴτνα
Λευκᾶς ἐκ χίονος, ποτὸν ἀμβρόσιον προΐητι.
Est gelida aqua, quam mihi nemorosa Ætna
Candida ex niue, potum diuinum, demittit.

Apud Athenæum ex Alexi, Dexicrate, Euthycle, & Xenophonte, multa huius rei testimonia leges. His adde Plutarchum in 6. sympoliacon, Lampridium in Elagabalo, Ioannem Meursium pag.56. ad II. Idyll. ad Theocritum, Iuuenalem,

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Quam hodie passim apud gentes varias. Suetonium in Nerone. Dictum etiam sæpius supra, & mox infra dicetur. SPOLETINA] lege quæ ad lib.13. epig.20. de Spoletino vino exposita. MARSIS] Pelignis, vnde Ouidius oriundus. de vino Marsico, seu Peligno lib.13.

Marsica Peligni mittunt turbata coloni,
Non tu: libertus sed bibat illa tuus.

Viliora igitur Spoletina, & Marsica ponit.

Niues.

CXVII. CVII.

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem
De niue, commenta est ingeniosa sitis.

Aquam veteres vel ex niue solutam sine decoctione, vel decoctam, & refrigeratam bibebant, quam proximo disticho eliquauimus, vel puram aquam niue circumiecta, non mixta, gelatam, atque ad summum frigus perductam. De hac scripsit Macrobius lib.7. sat. *Iamdudum Auienus, inquit, hauso, cur aqua, quæ obsita globis nubium* (niuium legunt alij) *perducitur ad niualem rigorem, non minus in potu noxia est, quam ex ipsa niue aqua resoluta.* Quo loco non sentio cum Isaaco, qui hic putat omittendam negationem, vt sic legatur, minus in potu noxia. Cum tamen ratio, quam adducit ex Aristotele Macrobius, & Gellius lib.19. cap.5. æque ad glacialem, quam niuatam aquam referatur. Iuuat ipsum ponere testimonium Aristotelis. Διὰ τί τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλου ὕδατα φαῦλά ἐστιν; *Quare, inquit, è niuibus & glacie expressa sunt vitiosa aqua?* addit caussam, ὅτι παντὸς ὕδατος πηγνυμένου τὸ λεπτότατον διαπνεῖται, καὶ ἐξατμίζει. *Quoniam, inquit, omnis aquæ gelatæ, quod tenuissimum est, exhalat, & quod leuissimum, expirat.* Pergit Aristoteles, & hoc ipsum, quod docuerat, confirmat. σημεῖον δὲ ὅτι ἔλαττον γίνεται ἢ πρότερον, ὅταν τακῇ παγέν. ἀπεληλυθότος οὖν τοῦ ὑγιεινοτάτου, ἀνάγκη τὸ καταλειπόμενον χεῖρον εἶναι. *Argumento autem est, quod minor sit aqua modus, postquam frigore concreta est, quam erat antequam concresceret.* Detracto ergo quod erat in aqua saluberrimum, *necesse est id relinqui, quod est deterius.* Vides caussas hasce æque ad glaciem, quam niues referri. Aristotelis sententiam Macrobius quasi παραφραστικῶς exposuit. *Omnis, inquit, aqua habet in se aëris tenuissimi portionem, quo salutaris est, habet terream fecem, quæ est corpulenta post terram. Cum ergo aëris frigore, & gelu coalescit; necesse est per euaporationem velut exprimi ex ea auram illam tenuissimam, qua discedente, conueniat in coagulum sola terrea in se remanente natura, quod hic apparet, quia cum fuerit eadem aqua solis calore resoluta, minor modus eius reperitur, quam fuit antequam congelasceret. Deest autem quod solum euaporatio in aqua salubre consumpsit.* Gellij tamen locus me dubium animi reddit, quod addit in eo libro (Aristotelis) scriptum fuisse deterrimam esse potui aquam è niue. Namq; solidius, & latius concretam esse eam, quam κρύσταλλον, id est, glaciem Græci appellant. Inde apparere videtur, aliquid salubrius esse in glaciali aqua, quam niuali; quanquam verba Aristotelis id non doceant. Aquam niuatam decoctam, & refrigeratam Plinius testatur innoxiam, sed de ea Aristoteles non loquitur, cum Neronis inuentum sit. Qua vero arte niue seruatæ sint in æstate & æstu, & antea exposuimus, & dicunt copiose Plutarchus problem.6 Sympos. Athenæus lib.3. non tacent Plinius, Seneca, D. Augustinus 21. de ciuit. Dei, alij. Poetæ iam verba clarent; globis enim niuium, aquæ circumuallabantur, donec gelidissimæ fierent, itaque hauriebantur. Et agit hic de aqua pura gelata niuibus. Non, inquit potare niues, sed aquas niue refrigeratas, & quasi gelatas docuit ingeniosa sitis. hoc est, quod dixit Plinius & Seneca, *glaciem potare*: non accipio tamen hic decoctam, sed aquam naturalem ad frigus ingens arte perductam. Legantur Castalio & Pierius in Castalionem auctores noui.

Lib. 31. cap. 3.

Idem.

CVIII. XCVIII.

* V. fumum.

*Massiliæ * fumos miscere niualibus vndis*
Parce, puer, constet ne tibi pluris aqua.

Aqua lucidius hoc carmen, si modo fumos Massiliæ excutias. Massilianum vinum fumosum seu infumatum, fumoue inueteratum erat, ingrati saporis & austeri, vt ex Plinio, Athenæo, & alijs docuimus libro superiore, lemmate *Massilianum*, & prioribus sæpe libris. si suuat plura legere de hoc vino, adi Baccium lib. 6. de vinorum historia. Poëta niuatam aquam vino Massiliensi ait cariorem.

Ligula argentea.

CIX. CXX.

Quamuis me ligulam dicant equitesq;, patresque:
Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.

Disputat de etymo ligulæ, & carpit Grammaticos, quod ab vsu loquendi discedant, & lingulam vocent, cum ab elegantioribus etiam hominibus ligula, non lingula appelletur. quamuis ligula à linguâ per diminutionem descendat. Grammatici autem contra torrentem populi, originem sectando, nitebantur, immemores dicti, loquendum, vt multi, sapiendum, vt pauci. Lingulam veteres dixêre, vt Gellius lib. 10. cap. 25. definit. *gladiolum oblongum in speciem linguæ factum*, cuius meminit Næuius in Hesiona:

Sine mihi gerere morem non linguâ sed lingulâ.

Constat ergo fuisse ligulam, seu, vt Grammatici cum Gellio malunt, lingulam instrumentum cauum & oblongum, in speciem linguæ factum, cuiusmodi est, quo vtuntur pigmentarij ad extrahenda è vasis vnguenta, de quo Plinius lib. 21. cap. 14. Col. lib. 6. cap. 2. Est & genus mensuræ, vt lib. 5. disputaui, quarta nempe pars cyathi, velut & cochlear, vt erudite disserit Lucas Pœtus lib. 3. de antiq. liquidis aridisq; mensuris. Sed quamuis idem cæperit ligula, & cochlear, nequaquam tamen eandem vtriusque formam fuisse contenderim, cum poëta noster velut de diuersis instrumentis disertissime loquatur.

Dialectus mutauit ligula, cochlear pauperum.

Apud Petronium ligula pro cochleari videtur accipi.

Cochlearia.*

CX. CXXI.

Sum cochleis habilis, sed nec minus vtilis ouis:
Numquid scis, potius cur cochleare vocer?

Originem vocis ostendit dictæ, quod Cochleis ferendis cochlear aptũ sit, nec minus tamen ouis, vt æque nomen ab ouis habere potuerit, quam cochleis; sed quia ad vsum cochlearum primulum inuentum reor, nomẽ inde retinuit potius, quam ab ouis accepit. Cochlear autem & mensuræ genus iam esse dixi, & Columella lib. 12. c. 21. docet. Copiose tractat de cochleari Lucas Pœtus loco supra adducto. pendet cochlear aqua aut vino plenum drachmas tres, scripulum vnum.

Ovis] Ex Petronio vsum cochlearum disces. *Accipimus nos cochlearia, non minus sex libras pendentia, ouaq; ex farina pingui figurata pertundimus.* Hic tamen legunt alij selibram; pro sex libris. Alium item vsum cochlearium ostendit Plinius lib. 28. cap. 2. cum dicit calices ouorum, & cochlearum simul ac exsorpta sunt cochlearibus perforari, ne incantationibus dirisque imprecationibus defigantur conuiuæ.

** An subintelligitur ligula Cochlearis seu cochlearis? Alioqui vox fui est foeminea, habilis, & vtilis cochleare seu cochlear.*

Anuli.

CXI. CXXII.

Ante frequens, sed nunc rarus nos donat amicus:
Felix cui comes est non alienus eques.

Equitum Romanorum erat annulos aureos donare & ferre; donabant autem ante legem Othonis reuocatam multi, vt equites haberentur, post legem prope nullus, quod pauci se pro equite gerere possent, cum illis CCC. sestertia non essent, qua de re memini lib. 5. plenius dicere. Cæterum de iure annulorum aureorum, seu equestri dignitate, deque eius origine, more, & vario variarum gentium ritu partim Plinius lib. 33. cap. 1. partim. Alex. Neap. lib. 2. cap. 19. ad quem locum multa ex eruditis scriptoribus Tiraquellus, Petrus Faber lib. 2. Sem. cap. 6.

Prisci vngulos vocabant, Plinius.

Ante freqvens] Annuli ipsi loquuntur; ante legem Othonis de 14. gradibus à Domitiano reuocatam. Rarvs nos donat] nunc post restitutam legem raro donamur, quia pauci habent ius annulorum. Felix cvi comes est non alienvs eqves] Iam supra distinximus verum iustumq; equitem ab alieno. Alienus autem est, aut eques conductus ad militiam, aut, qui tantum equestrem habet dignitatem nomine, tituloque tenus, quales erant libertini apud Cic. Suetonium, Dionem, &c. quales item Martialis eques, & tribunus. Iustus autem eques, qui censu & iure patris, suoque nobilis est. Turnebus lib. 9. 24. versum exponit aliter, & fœlicem dicit diuitem, qui non alienum habeat equitem, comitem, sed suum, id est, à se factum, suaque liberalitate

beralitate incensum equestrem ascitum. Felix iam amicus, cui comes est verus eques, qui amicum habet certum, & tutum equitem, quia admodum rari.

FELIX CVI COMES EST NON ALIENVS EQVES.] Hunc locum præ cæteris illustrare mihi videtur Isaacius Pontanus Notis ad Macrobium: Quo lemmate, inquit, duplicem ritum noto, alterum hunc seu vulgarem de donandis inter amicos anulis: Alterum vero non ita tritum, soluisse videlicet veteres, & potissimum magnates amicis digredientibus comites adesse, idq; ad anulos hærere nuncupatum. Martialem sane ita capio, & corrigo locum è panegyrico Constantino Cæsari dicto, qui iam diu summa torsit ingenia: cui tu summa & diuersissima bona priuatum otium, & regias opes dederas: cui digredienti ad anulos sederas: cui impensius etiam quam tibi occurrere obsequia nostra mandaueras. Corrigo, inquam, cui digredienti ad anulos sederas. Plinius Panegyr. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes hæserat. Iterum Martialis.

Quis largitur opes veteri fidoq; sodali?
Aut quem prosequitur non alienus eques?

Et hinc natum reor amicos primos, secundos. de quibus. 5. de benefic. Seneca. Dextram sinistram magnatum indigitatos. Statius.

——vidi omni pridem in flore iuuenta
Te magne propius, propiusque accedere dextra.

Martialis clarius: *Lydia dicebar domino fidissima dextra.*

Hæc Isaacius & plura. Anulis donabantur, qui spectabant equestrem dignitatem, vti Suetonius in Vitellio, & Galba narrat. Enimuero nuper elegantem vulgauit librum Abrahamus Gorleus in sua Dactylotheca, quando omnis generis anulos signatarios etiam artificis manu expressos dedit spectandos; addam ego vnicum ex thesauro nobiliss. V. M. Velseri, eumque octogonum genio Cassij dedicatum. Et quia Grotius nobili carmine anulos nobilitauit, in quo omnem fere vsum anulorum eleganter exposuit, idem in gratiam lectoris apponam.

GENIO C. ASSI. SIGNIF



HVGONIS GROTII
Carmen in Dactyliothecam
V. C.
ABRAHAMI GORLÆI.

Annule Principis nusquam pereuntis imago,
Et cui vel finis nulla, vel ipse tibi:
Annule, qui Cæli specie redeuntis in orbem
Telluris cohibes omniparentis opes:
Annule, qui rigido Lapidem redimite Metallo
Fixa Promethea vincula rupe refers:
Annule, qui tribuis quod ius Natura negauit,
Ingenuosque tuo solus honore facis:
Annule testis opum, quo plebs Romana carere
Cogitur, Augustus quem sibi Clauus habet:
Annule, Legatis sacra quem, quem Iudicis æqua,
Quem scutata manus Centurionis amat:
Annule quem donant Reges, quem donat amator,
Quem fouet in tepido dulcis amica sinu:
Annule, cui commissa penus, commissa supellex
Seruitij fures non metuere manus:
Annule, qui missæ signas arcana tabellæ,
Legitimi factum pignus & arrha thori

Annule

Annule secreti vindex custodia veri,
Qui perhibes pactis, muneribusq; fidem:
Annule, cui moriens & villas credit & agros,
Tutelamq; suæ prolis, opesq; pater.
Annule, qui pestem, sæuumq; arcere venenum
Pectore, qui Philtri crederis esse loco.
Annule qui Magicæ non ferris inutilis arti,
Cum tua sidereis est rota picta notis.
Annule, quo solo si cedit dextra sinistra
Fallitur: armillis est, puto, sus us idem.
Annule, quem minimus digitorum gessit, & Index:
(Scilicet hic Achares, hic Corianus eras:)
Annule, quem poscit minimo qui proximus vngui est,
Eq; tuo digitus nomine nomen habet:
Annule, subtili vis ad præcordia venâ
Cuius inexplicitâ traditur ire viâ:
Annule, quem ferro procudit & ære Vetustas:
Optimus, argenti non graue pondus eras:
Annule sed cassum cui nunc vix sufficit aurum;
Tale tamen Prisci leua Dialis habet:
Annule qui totos minimo comprendere census,
Qui pretium fundi claudere paruus amas.
Annule qui mistis etiam spectare metallis,
Vnaq; quem totum gemma cauata facit.
Annule qui Sardâ fulges, qui vinctus Achate,
Quem decet ex Arabum littore vectus Onyx:
Annule Beryllo renitens, viridiq; Smaragdo,
Cuiq; Adamas, & cui fuluus Iaspis adest.
Annule, qui totos hyberno sole premebas
Articulos: pretij cui modus æstus erat:
Annule sigillum cui mobile dextera mollis
Ventilat, & gemmam vertit in orbe suo.
Annule, Pyrgoteles duro quem incidere ferro,
Quemq; Dioscoridæ scalpere docta manus:
Annule cui scalpro quæ sæpe incisa figura est,
Hac aliàs cali munere tuber habet.
Annule, materies in quo ne sola placeret,
Sæpe triumphales adijciuntur aui:
Annule, qui Sphingas, qui turpia corpora ranas,
Sed tamen & magnos dignus habere Deos:
Annule, Cæsareos qui fers in imagine vultus:
(Ah capital Paulo quam prope crimen eras?)
Annule, qui Gygi Lydorum sceptra dedisti,
Qui te Perseæ cassidis instar habet:
Annule, & Euphratis quem contrà ripa Seleuco
Abstulit, & regni spem dedit esse ratam.
Annule, qui Samio iactura negata Tyranno,
Quem miser, heu, nollet non perijsse sibi:
Annule, Cannensis quo sanguinis indice, mensa est
Carthago modiis Romula castra tribus.
Annule, Proscriptor Noni: quo Cæpio Drusum
Odit, & in Syllam se tulit ira Mari.
Annule, quem Fatum docuit Demosthenis, & quem
Annibalis celerem mortis habere viam:
Annule, quem loculo varium qui condidit vno
Romuleâ primus Scaurus in vrbe fuit.
Annule, quo Magni lauru ditata, Latinus
Cum Mithridateas Iuppiter hausit opes:
Annule quem senis distinctum à Cæsare thecis,
Marmoreâ Genitrix visit in æde Venus.
Annule, non vnum quem sacra Palatia seruans
Marcello acceptum pulcher Apollo refert:

Annule, te quicquid (nam non est omnia nostrum
Dicere) quæ sequitur charta fuisse docet:
Annule, qui quondam gemmis insignis & auro,
At nunc Gorlæi parua papyrus eris:
Annule, quem gemmis, & quem nunc præferat auro,
Quisquis erit, veterum quem Monimenta iuuant:
Annule, priscorum Vindex rediuiue dierum,
Heu mihi cur lucem nox premit alta tuam?
Annule, qui nobis Latium, qui reddis Athenas,
Hei mihi cur turpi conderis ipse situ?
Annule, vir magnus prohibet, qui sorde remota
Dat tibi candorem, quem neq; gemma dedit.
Annule si carie tamen & rubigine scabra
Roderis, antiqui temporis ista nota est:
Annule, ne pudeat: numerat non pondus, at annos
Qui sapit, & vitium diligit ille tuum.
Annule, quot longos senuisti marcidus annos,
GORLÆO totidem patre renatus ages:
Annule, nunc te iterum Procerum manus asseret, & tu
Nunc iterum dignum Principe munus eris.
Annule, qui THECAM poteras habuisse sepulchrum,
Hic natalis erit nunc tibi, THECA, locus.

* Dactylotheca.

**Dactyliotheca. Turn.*

CXXIII. CXII.

Sæpe grauis digitis elabitur annulus vnctis:
Tuta meâ fiet sed tua gemma fide.

Nulla dubitatio est Græcè docto, quin legendum sit δακτυλιοθήκη, & latine dactyliotheca, hoc est, theca annulorum; δακτύλιος, enim anulum sonat, δάκτυλος digitum, vnde δακτύλιος, & δακτυλιοθήκη, δακτυλιογλύφος, δακτυλιουργός. Hoc epigrammate ostendit vsum dactyliothecæ, ad anulos seruandos vtilem, cum ex digitis subinde cadant, ex theca nunquam, nisi totam thecam amittas. Dactyliothecas aliquot Plinius lib. 37. c. 1. laudat. *Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine Dactyliothecam, primus omnium Romæ habuit priuignus Syllæ Scaurus. Diuq; nulla alia fuit, donec Pompeius Magnus eam, quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, vt M. Varro, aliiq; eiusdem ætatis auctores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo Cæsar dict. sex dactyliothecas in æde Veneris genitricis consecrauit; Marcellus Octauia genitus in Palatina Apollinis æde vnam.*

GRAVIS] Plinius: *Iam alij pondera eorum ostentant, aliis plures, quam vnum gestare, labor est, alij bracteas infarcire leuiore materia propter casum tutius gemmarum solicitudini putant.* Eò vero deliciarum & mollitiei mores Romanorum venerant, vt anulos æstiuos & leuiores, alios hibernos & grauiores gestarent. Iuuenal. Sat. 1. in Crispinum. ——*cum verna Canopi*

Et Martialis supra.

Ventilet æstiuum digitis sudantibus aurum.
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ,
Difficile est Satyram non scribere.

Plura supra de annulo ex Gorlæo.

Toga.

CXXIV. CXIII.

Romanos rerum dominos, gentemq; togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

Palpat Domitianum, cui adscribit, quod Romani togati sint & diuites. Versus est ex Virgilij primo Æneidos, quem apud Suetonium Augustus pro concione citat, cum indignatur pullatos & pœnulatos passim astare. *En*, inquit, *Romanos rerum dominos, gentemq; togatam, dedit q; negotium ædilibus, ne quem post hac paterentur in foro, circoue nisi positis lacernis consistere.* Hinc putat Petrus Faber l. 2. sem. hoc distichon ad Augustum potius, quam Domitianum pertinere. Cui sane non valde repugnarim. Augustus enim primus Cæsarem publicè consecrauit, quamuis Romulus vnus & solus è regibus in numerum Deorum est relatus, vt Cicero testatur. De Iulij ἀποθεώσει Manilius. *Iam facit ipse Deos, &c.* Suetonius de eodem in Iul. cap. 88. vide Casaubonum. Propria vero ciuium Romanorum vestis forensis toga fuit, eaque alba, quam vestem passim tum gestabant: tenuiores posita toga in tunicis prodibāt, vt Horat. Tacitoq; dict⁹ sit tunicatus populus, alij lacernas & pœnulas

nullas togis iniiciebant, multi sordidati incedebant. Togam accurate Lipsius in Elect. Baysius de vestibus, aliique describunt. super hoc Virgilij versu multa ex multis noster Pontanus.

ASTRA PATRI] Vespasiani ἀποθέωσιν intelligit. Domitianus enim Flauiæ genti etiam templum condidit, vt Suetonius monet in Domitiano.

Idem.

CXIV. CXXV.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos:
Attrita veniet sportulâ sæpe togâ.

Vsum togæ ostendit iam sæpe superioribus libris ostensum; clientes enim togati officia obibant, Regesque suos & patronos salutabant, comitabantur, deducebant, cuius operæ pretium erat sportula, hoc est, vel cœna recta, vel decem nummi sestertij, seu 10. cruciferi. SI] mane, inquit, potes vigilare, & obire salutationes, atteres togam, & accipies sportulam.

Endromis.

CXV. CXXVI.

Pauperis est munus, sed non est pauperis vsus:
Hanc tibi pro togula mittimus endromida.

Endromide potentiores tecti faciebant spectacula, cœlo frigido, aut in gymnasio se exercentes. Erat villosa, caloremque fouebat, quam poeta singulari epigrammate lib. 4. ep. 10. describit,

Hanc tibi sequanica, &c.

Canusinæ fuscæ.

CXVI. CXXVII.

Hæc tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit. gaude, non citò fiet anus.

Fuscas Canusinas componit cum turbido mulso, laudatque à diuturnitate. Fuscus color est quasi vt hic poeta describit, ex fulso rufoque temperatur, quem castaneum, seu aquilum, & subnigrum appellant, Braun/nostrate lingua vocitamus. Vtebantur Romani hoc colore in pœnulis sæpius, quam ruso, vt infra de rufis Canusinis docet. Pœnulati vero vt plurimum serui, quos à Canusinis Canusinatos nuncupant. Videntur Canusinæ pœnulæ dici à Plinio fuluæ, & suę puliginis quas fuscas & mulso tamen similes noster ait. Canusium Apuliæ oppidum est.

ANVS] Antheticōs vt charta anus, apud Catullum. non cito veterascet, perennabit. De Canusinis mox plura.

Bardocucullus.

CXVII. CXXVIII.

Gallia Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum pœnula nuper erat.

Et bardocucullum lib. 1. ep. 54 descripsimus ad illum versum,

Vrbica lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Est genus pallij, vestisque seruorum potissimum, nec tamen seruorum tantum, vt nec hic de seruis mentio. cucullus, & cucullio & bardocucullus inter viliores vestes numerantur haud dubiè Lege Lipsium lib. 1. Elect. cap. 25.

Libr. 5. de Manio festo equestr.

GALLIA] gallica enim vestis bardocucullus. SANTONICO] Santones (vnde Santonicus) Galliæ Aquitanicæ populi, Cæsare, & Ptolemæo auctoribus diximus plura lib. 9. ep. 40. & 96.

CERCOPITH.] simiorum caudatorum de quibus infra lemmate 101.

Hæc Bay-
fius vocat
Bayſum.

Canuſinæ ruſæ.

CXIXX. CXVIII.

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris, militibusq́; color.

Canuſium oppidum Apulorum Dauniorumq́ Cannarum vico XXV. ſtadia diſſitum, vt Procopius ſcribit. Lanas Canuſinas laudat Plinius, *Apuliæ,* inquit, *lana breues villo, nec niſi pænulis vtiles circa Tarentum, Canuſiuntinq́; ſummam nobilitatem habent.* Et quia ſerui Romanorum ſ œnulati erant vocantur ſæpe à colore (ruffo nempe, vel fuſco potius) Canuſinati, vti noſter Martialis.

Vt Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.

Ita Nero apud Suetonium muliones habuit canuſinatos, cum iter faceret. Militibusq.] Chlamydem dicit militarem. Cur autem milites coccina chlamide vterentur, Laconum ritu, apud Plutarchum in inſtitutis Laconicis leges.

Pœnula ſcortea.

CXXX. CXIX.

Ingrediare viam cœlo licet vſq́; ſereno,
*Ad ſubitas * nuſquam ſcortea deſit aquas.*

*V. numquã

Pœnula è ſcorto, ſeu corio, pelleue facta viatoribus ſeruiebat, vt hodie longiores peregrinationes obeuntibus. Scortum autem olim corium, ſeu pellem vocabant à σκύτος pellis, vt Feſtus putat. Sueuorum tunicæ agreſtium pleræq; hodie ſcorteæ. Pœnulatus iter fecit Milio apud Ciceronem, ſed non, reor, ſcorteatus. De pœnula Cicero ad Atticum lib. 13. Lampridius in Alexandro. Spartianus in Hadriano. Tacitus ſeu quiſquis alius in dial. Orat. Baronius Cardin. Annal. I. p. 542. Edit. 4. Scortea pænula è craſſo fiebat corio; ſed non omnis pænula ſcortea; pænula etiam aliis rebus ſeruiebat.

† Lacernæ coccineæ.

†al. coccinæ.

CXXXI. CXX.

Si Veneto, Praſinoue faues, qui coccina ſumis?
*Ne * fias iſta transfuga ſorte vide.*

* V. ſiâs illa.

Coccina, malim legere, vt Martialis lib. 2.

Coccina famoſæ donas, & ianthina mœchæ.

Petronius de Trimal. coccina gauſapa inuolutum.

Coccum frutex eſt fullonius, Græcis κόκκος βαφική, frutici grana adhærent, quibus fit color ille lanarum præcipuus, cuius copia ſumma in ea Hiſpaniæ parte, quæ Turdetania appellatur, vt eſt auctor Strabo in 3. ſunt qui putent noſtrum, quem appellamus Carmeſinum. color eſt purpureo geminus, vt ſæpius inter ſe commutentur, qua de re Bayſius de re veſtiaria. Inter rufos & rubros numerantur fuluus, flauus, rubidus, phœniceus, rutilus, luteus, ſpadix, croceus, coccinus purpureo, etiam rufo tribui poteſt.

Si Veneto, Prasinove faves] ſenſus eſt, ſi in Circo ſpectator aurigarum ſedes, & faues aurigis Venetis, hoc eſt, cæruleis, aut Praſinis, hoc eſt, viridibus, caue, ne hoc colore tuo coccino, qui medius eſt inter Venetum, & Praſinum, transfuga fias à tua factione, & vincente Veneta, dicas te fauere Venetæ, cum faueas Praſinæ, aut vincente Praſina acclames Praſinæ, cum ſis Venetæ factionis. Fuerunt & ruſſatæ, & albæ, vt alibi dictum.

Pileus.

CXXXII. CXXI.

Si poſſem, totas cuperem miſiſſe lacernas:
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Pauperum munus.

Carmen per ſe liquet. Illud exponendum eſt, cur pileos in Saturnalibus donarint. & quare mentionem faciat hic lacernarum. Enimuero quod ad munus & tempus attinet, iam ſupra ad illum verſum fere docuimus, ep. 1. lib. 14.

Dumq́; decent noſtrum pilea ſumpta Iouem.

Et plenius lib. 11. ep. 7.

Permittis, puto, pileata Roma.

Satur-

Saturnalibus enim pileos sumebant Romani libertatis indices. Iouem enim Domitianum intelligit. E lacernis vero pileos, vt nonnulli scribunt, efficiebant. poeta ergo, vt pauper, se pileum ait mittere, hoc est, partem lacernæ, quod totam non posset.

Lacernæ Beticæ.

CXXII. CXXXIII.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aeno:
† Sic placeant Tyriæ, me mea tinxit ouis. † V. Si.

Hispanas lanas, & Beticas supra aliquammultis locis celebrauit poeta, lib. maximè 12. ep. 100. ad Bœtim fluuium.

Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Prædicat hic easdem à natiuo colore, non ascititio; mendax lana fucata, infecta purpura. Virgil. Ecl. 10. *Nec varios discet mentiri lana colores.*

Ad quem locum interpretes Virg lij consule. SIC PLACEANT] Hinc colorem Bœticarum lanarum intelligis, quando eas confert cum Tyriis, & præfert, quòd eæ sint infectæ purpura, hæ natiuæ. Si ergo placent illæ, cur non placeant hæ, aut si malis legere (Sic) precantis vel componentis modo, vt sæpe supra accipe. Gratus sit Tyrius color, gratus erit & Bœticus, an forte & gratior quia natiuus?

Cœnatoria.

CXXIII. CXXXV.

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota
Hic opus est pictis accubuisse toris.

Pallia cœnatoria loquuntur, & se domi tantum sumi profitentur. Dicitur cœnatoria vestis, & cœnatorium pallium. Verum est interpretem lapsum, vt notauit Bayfius, dum genere muliebri exponit cœnatoria. cum subaudiatur, pallia. Quod autem videatur negare, dici vestem cœnatoriam, ipse Bayfius fallitur. Audiamus Capitolinum in vita Maximini: *Cum ad cœnam ab Alexandro esset vocatus, in patris honorem, quod ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit.* Iustus Lipsius lib. 1. Satur. cap. 2. diserte cœnatoriam vestem appellat. *Cœnatoria*, inquit, *quam non fas videre lucem*, vbi plura erudite eruditionis princeps. Hic obserua inter synthesin & cœnatoriam hoc videri discriminis, quòd synthesis species, cœnatoria genus sit. Synthesis lautiorum & delicatiorum ex purpura plerumque, cœnatoria quæuis ad cœnam seruiens, qua nefas esset vti in foro. plura ibidem Lipsius. VADIMONIA] forum & iudicia, quæ exercentur in foro. Plura Budæus ad Pandectas. PICTIS TORIS] tricliniis magnificis & sumptuosis, & stragula veste, variaque stratis.

Cœnatoria vestis & cœnatorium pallium, & sine alia voce Cœnatoria hic neutro genere.

Læna.

CXXIV. CXXXVI.

Tempore brumali non multùm læuia prosunt:
*Calfaciunt villi pallia * vestra mei.* * V. nostra

Etiam læna videtur inter cœnatoria numeranda, cum dicat Persius sat. 1.

Hic aliquis, cui circum humeros hyacynthina læna est.

Vbi de poematis inter conuiuia recitati solitis agit. Lænæ palliis induebantur hyeme, vt ipse poeta docet. & hibernam vestem fuisse adagio clarum est, ἐν θέρει τὴν χλαῖναν (sic Græci, lænam appellant) κατατρίβεις. ἐπὶ τῶν μὴ καθ' ὥραν τοῖς ἀναγκαίοις χρωμένων. *Æstate lenā deteris: in eos qui nō suo tempore rebus necessariis abutuntur.* Eandem etiam militarem fuisse Nonius probat, regesque vt Plutarchus in Numa tradit vtebantur. Erat & in sacrificiis vsus læ næ. Cicero in Bruto: *Licet aliquid etiam de M. Popilij ingenio suspicarij, qui cum consul esset, eodemq; tempore sacrificiū publicū cū læna faceret, quod erat flamen Carmētalis, plebis contra patres concitatione, & seditione nunciata, vt erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionem cum auctoritate, tum oratione sedauit.* Pro cœnatoriis vsurpauit Martialis lib. 8. ep. 59. *Et tectus lænis sæpe duabus abit.*

Adhuc multa Adnotabo.

Non fuisse longas lænas lib. 12. ep. 36. monet.

Algentemq; togam, breuemq; lænam.

Galli, Strabone in 4. auctore, sagis villosis olim vtebantur, quæ lænæ dicebantur ἡ δ' ἐρέα τραχεῖα μὲν, ἀκρόμαλλος δ' ἀφ' ἧς τοὺς δασεῖς σάγους ἐξυφαίνουσιν, οὓς χλαίνας καλοῦσι *Lanea vero hirta villoso pilo, ex quo saga pexa crebra cōtexunt, quas lænas appellant.* Plura Bayfius lib. de re vestiaria. LEVIA] cuiusmodi sunt linea, & quædam serica, quæ calorem non fouent, sed villosa, qualia stragula cum floccis.

Al. lepidam lænam cuiusmodi sindones erās etiam cœnatoria, vt supra ostendi.

Lacernæ albæ.

CXXXVII. CXXV.

Amphitheatrales nos commendamur ad vsus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Lacernæ breuia fuere palliola, qualia hodie penulæ scorteæ peregrinorum, aut Canonicorum Doctorumue epomides, quæ longis vestibus iniiciuntur. Longiores tamen epomidibus, lacernæ medium opinor virum tegebant. Color lacernarum erat apud veteres varius, pullus vulgo quod ex Martiale discis:

Amator ille tristium lacernarum, &c.

Et de Horatio quodam pullato, de quo mox infra Amethystinus, coccineus, purpureusque lautiorum, vt alibi docuimus. Albus item, de quo hoc loco Martialis, vbi vsum albarum lacernarum ostendit esse in spectaculis, cum dicit albas commendari ad vsus amphitheatrales. Causam ipse addit frigus. *Cum tegit algentes nostra lacerna togas.*

Spectasse autem albatos ciues, docet Martialis in Horatium, præter consuetudinem pullatum.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis;
Cum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet, &c.

Plura Lipsius in Electis. & Baysius de re vestiaria.

Gausapa villosa vel mantile.

CXXXVIII. CXXVI.

Nobilius villosa * *tegant tibi lintea citrum:*
Orbibus in nostris * *circulus esse potest.*

* V. tegunt
* Quilibet.
Τόππιο.
† Turnebus, lib. 2. c. 17.

Vt mensæ puræ, & absque labe seruarentur, mantilibus, seu mappis, gausapisque vt hodie fit insternebantur. Poeta dicit mantilibus seu gausapis tantum opus esse iis, qui citreas haberent mensas, suam mensam nota aspergi, quam circulum † appellat, parum referre, cum non sit nobilis. nisi mantile in modum circuli explicatum intelligit, quod non raro in hospitiis, præsertim tenuioribus, fieri solet. Scaliger de macula suspicatur ex lagenis impressa. Quanquam idem scribat in Festum, solitos caupones, ne mappa aut mantile maculam contraheret circulos mensis imponere è ligno factos, super quibus statuerentur lagenæ. Diuitiores gausapas insternebant, pauperes incitegas. Incitega dicta ab integendo. Dicebant veteres incitegere, pro integere, sicut concipilare, pro compilare. Gausape, vt alias monui, dicitur ἀκλιτον & ἄκλιτον, & gausapes gausapis, gausapa gausapæ, gausapum gausapi, gausapina vestis, &c. Villosam appellat à floccis, quod ἀμφίμαλλα essent gausapa, id est, vtrinque villosa, vel tantum ex altera parte. De mantili lege Seruium ad primum Æneid. Ciaconium, & Vrsinum de Triclinio, seruiebat mensis tegendis, & manibus tergendis.

Cuculli liburnici

CXXXIX. CXXVII.

Iungere nescisti nobis ô stulte lacernas,
Indueras albas, exue * *callaicas.*

* Callainas.

Pallia cucullata liburnica, hoc est, quæ ex lana liburnia fiunt rufa, sed colorem vicinæ vesti adfricante, poeta dicit male coniungi cum lacernis albis, quæ liburnicis inficiantur. IVNGERE NESCISTI] lacernas apto colore. INDVERAS ALBAS] lacernas cum liburnicis male iunctas. EXVE CALLAICAS] Induisti albas, exues mox rutilas, infectas à liburnicis, quale est Callaicum aurum. Alij legendum putant Callainas ex veteri codice. id est, cæruleas, qui color venetus dicebatur. & gemma callais sapphiri imitatrix. Alba vestis inquinata rubro colore, & quasi semitincta videtur cærulea. lector sequatur, quam volet. neutra videtur improba. Cæterum de lanis liburnicis Plinius in hæc verba loquitur, lib. 8. cap. 48. *Istria liburnicaque,* (est autem liburnia Ptolemæo Illyridis regio, & liburna vrbs circa Dalmatiam Straboni) *pilo propior, quam lanæ, pexis aliena vestibus, & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania.*

Ydones

Vdones Cilicij.

CXXVIII. CXL.

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti:
Cinyphio † poterit planta latere sinu.

† V. poterit [illegible]

Vdones Cilicij sunt calceamenta ex pilis hircinis caprinisue contexta. Vlpianus tit. de auro & argento legato. *Alia caussa est udonum quia vsum calceamentorum præstant.* Martialis diserte de calceo loquitur. NON HOS LANA DEDIT] Certatum olim inter quosdam an caper haberet lanas, an setas vel pilos. Videtur poeta voluisse litem dirimere, hircos, capros & capras pilos habere non lanas. Horat. Alter rixatur de lana sæpe caprina. Prodiit his diebus ingeniosus ludus & libellus de LANA CAPRINA, cuius hæc inscriptio. Tityricæ decisiones de lana caprina, nec non de capratum stupendis virtutibus ac vitiis, &c. MARITI] De hac αἰχμαλογία multa noster Pontanus Ecl. 7. ad Virgil *Vir gregis ipse caper.* CINYPHIO POTERIT PLANTA LATERE SINV] Cinyps, vt Plinius & Mela scribunt, seu Cinyphos, vt Ptolemæus & Strabo, seu κίνυψ vt Herodotus, seu κίνυφος vt Lycophron, est fluuius propriè Africæ, ad quem frequentes hirci Cinyphij à fluuio dicti, quorum & superioribus libris sæpius Martialis meminit. Ne te igitur moueat Iunius nomenclator, qui contra Ludouicum Viuem negat vdones esse genus soccorum, seu calceorum. Vdones enim recte vocauit, quos Apuleius *linteos calceos* appellat, quos soccos nominamus. CILICII] à Cilicia regione.

Vide Casaubonum ad Athen. l. 6. c. 25. Vdones Græcis [illegible] [illegible] [illegible] ignorat. [illegible] vdones impilia vertit è Græco. Ex quia impilia vestes quadam [illegible] fiebant. Turnebus l. 1. cap. 27.

Synthesis.

CXXIX. CXLI.

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.

Synthesin domesticam & cœnatoriam vestem iam hoc lib ep. 1. & paullò ante in cœnatoriis & superioribus libris plenissime explicauimus, vt hominis otio intemperanter abutentis putem hic verbum addere. QVINAS LVCES] dies quinque erant legitimi Saturnalium, vt supra ep. 79. ostendimus ad illum versum:

Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

His autem feriis Saturnalibus licebat synthesinatis incedere, quod essent continua quasi conuiuia. Senatus autem & equites syntesibus potissimum vtebantur, quo cœnatoriis syntheses essent sumptuosiores.

Focale.

CXXX. CXLII.

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas asserat auriculas.

Focalia à faucibus dicta sunt, quibus hærent, quorum vsus imbecillis ad arcendum frigus à collo, & faucibus; mulieribus item & delicatis; poetis etiam recitaturis, ne raucescerent. Hoc dicit poeta. Si recitauero libellum malum tibi, auditor, datum; moneo, vt focale seu focal, (quod alioqui poetæ adhibent ad fauces & collum, ne raucescant) tu auribus admoueas, easq; obstruas, ne mala carmina audias. Iocum poetæ vides? aliorumque simul errorem, qui alio versum interpretantur? neque enim focalia sunt aurium ligamina, sed faucium & colli tegumenta. Eod. ioco vsus est lib. 4. epig. 41.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conueniunt nostris auribus illa magis.

Quintilianus lib. 11. cap. vlt. distinxit disertè palliolum, quo caput velabant; focal, quo fauces fouebant; aurium ligamenta siue ἀμφωτίδας, quibus aures à strepitu defendebant. Vtitur hoc verbo Horatius Sat. 3. lib. 2. Quintilianus. Seneca, alij. Putabat non nemo scribendum esse: *Si recitaturo dedero tibi forte libellum.* Quasi poeta suum libellum alteri consuerit mittere recitandum. Sed pentameter non bene respondet hoc intellectu, heroico. Retineo primam lectionem, & addo missos videri à recitatoribus scripta amici quibusdam, quæ erant recitanda, vt attentius & libentius attenderent, quemadmodum hodie Theses & dramata nonnullis dantur. Non inficior tamen carmina Martialis ab aliis fuisse recitata, quod ipse sæpius docet, sed non cum pompa consueta, tantumque inter priuatos. Hoc miror de missis libris priusquam recitarentur, non plura legi apud scriptores.

Tunicæ Patauinæ.

CXLIII. CXXXI.

Vellera * *cum sumant Patauina multa* * *trilices,*
Et pingues tunicas serra secare potest.

*malim, assumunt. *multa strilices & pingues

Zemmet. Sogen/ fortè, Filz.

Tunicarum genera priscis varia fuisse leguntur. tunica ima seu intima, de qua Ouid.3.Am. noster alicubi. hodie linea passim vtimur pro intima, quam interulam, aut camisiam vocant. Altera media est cuiusmodi rubra aut textilis, quæ intimæ iniicitur. Tertia, quam Græci χιτῶνα dicunt, & hodie agrestes vtuntur, & ipsi Romani extra vrbem. de quibus copiosè Bayfius. Sed quæ sunt Patauinæ; tunicæne crassæ & triplici licio contextæ, cuiusmodi sunt hodie equitum pœnulæ, & agrestium tunicæ, pileique. trilices vestes bifariam exponuntur, vel contextæ tribus liciis versicoloribus, quo sensu tela seu pannus simplici licio fieri potest, sic vt variegatus & polymitus, hoc est, tribus liciis diuersi coloris sit distinctus. Plinius lib. 8 cap.48, Plurimis vero liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit. quo pacto nonnulli exponunt Virgilij versum 3. & 5. & 7. Æneidos, de lorica trilice tribus filis aureis distincta. quanquam sunt, qui pro triplicato licio, & filo accipiant. quo sensu Statius intelligendus 7. Theb.,

——ter insuto seruant ingentia ferro,
Pectora.

Et 3. Argon. Flaccus. *Per clypei cedentis opus, partemq; trilicem.*

Ita haud dubie tunicæ Patauinæ erant consutæ triplici licio, ita denso & firmo, vt instar asseris, aut tabulæ secari posse viderentur, quod quidem poeticè & hyperbolicè dictum accipe. Vestimentorum Patauinorum Strabo meminit lib. 5. in descriptione Patauij.

Spongia.

CXLIV. CXXXII.

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis
Vtilis, expresso cum leuis imbre tumet.

Columnæ, pauimenta, podia tergebantur multa de ysu spongiæ Caiacius obseruat. lib. 13. c. 13.

Spongiarum pueris non ignotarum vsum etiam hodie videmus plurimum. de virgæ spongia dictum supra, item de strigilibus. tergendis vero mensis & emaculandis plurimum seruiebant. triplex spongiarum genus enarrat ex Aristotele Plinius lib. 9. cap. 45. vbi de sensu, vita, natura spongiarum lectu digna. Et Dioscorides lib. 5. cap. 96. Aristoteles lib. 5. cap. 16. de historia animalium Galenus lib. 11. de simp. med. SORTE] An xenia seu apophoreta per sordem tributa? Ita videtur; Nam infra in signo victoriæ *Hoc illi sine sorte datur, &c.* Ergo cætera per sortem. EXPRESSO IMBRE] premere spongiam plenam aquai dixit Lucretius lib. 4. Græcis dicitur σπόγγος. LEVIS] Sympos. *Ipsa grauis non sum, sed aqua mihi pondus inhæsit.*

Pænula gausapina.

CXLV. CXXXIII.

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Vt me vel media sumere messe velis.

Pænulæ vulgo vt lacernæ pullæ erant, lautiorum purpureæ; candidarum in theatro vsum fuisse vt lacernarum crediderim, nec extra negauerim. hic villosam pænulam & hibernam commēdat à candore villorum eximio, qui quemuis quouis tempore ad gestamen pænulæ gausapinæ inuitare possit. de pænula ante dictum, & pluries aliis libris.

Ceruical.

CXLVI. CXXXIV.

Tinge caput † *nardi folio, ceruical olebit:*
Perdidit vnguentum cum coma, pluma tenet.

†Costi, al. Cosmi.

Ceruical puluinus ceruici subiectus, vt cubital cubito apud Horat. lib. 2. Sat. 2. infecta autem & imbuta liquoribus & vnguentis ceruix inficit etiam ceruical, vt nardum spiret. NARDO] vnguento nardino. dictum accuratius libris prioribus de nardo & nardino.
Maluntalij Cosmi folio, alij Costi, seruo vel nardi vel Costi.

Lodices.

CXXXV. CXLVIII.

Nudo stragula ne toro paterent,
Iunctæ nos tibi venimus sorores.

Lodices operimenti genus, quo ipsa lecti stragula, totusque lectus tegebatur, ita vt plicatæ coirent. est mentio lodicum apud Iuuenalem, Sat.6.& 7. Suetonius lodicula Augustum ait vsum in exercitatione cap.83. *Mox nihil aliud quam vectabatur & deambulabat, ita vt extremu spa ciu subsultim decurreret, segestri vel lodicula inuolutus.* Veronæ fiebant, vt infra canit. *Lodices mittet, &c.*

Lodix ein Decken. *Casaub. cop̄ esse de segestri vel segestro ad Suetoniū.*

Cubicularia polymita.

CXXXVI. CL.

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera: victa est
Pectine Niliaco iam Babylonis acus

Stragulam vestem intelligo polymitam vario filo & licio contextam, Ægyptium inuentum antiquissimum, etiam diuina histo ria celebratum. Genes. 37. *Fecitq, ei tunicam polymitam.* Μίτος Græcis filum seu licium sonat. vi ergo verbi polymita vestis significat vestem tantum è pluri bus liciis factam, seu vnius, seu diuersi coloris, vnde μονόμιτος vnius fili. ceterum tamen multicolorem fuisse polymitam. Plinius polymita Ægyptiis tribuit lib. 8. cap. 48. *Aurum intertexere in eadem Asia inuenit Attalus rex, vnde nomen Attalicis. Colores diuersos picturæ intexere Babylon maxime celebrauit, & nomen imposuit. Plurimis vero liciis texere, quæ polymita appellant Alexandria instituit.* Poeta polymita Ægiptia textis Babylonicis anteponit.

MEMPHITIS TELLVS] Memphitica tellus, Virgilius ita more Græcorum etiam est locutus, *Libystidis vrsæ* Memphis caput Ægypti vt primo carm ine dictum lib. A. PECTINE] *instrumento textorio pensili quo densatur tela. ACVS] acu pingebant vestes, hoc est, diuersos colores intexebant. alioqui inuentum est Phrygum. Plinius lib. 8. cap. 48. *Acu facere, id Phryges inuenerunt, ideoq; Phrygiones appellati.* BABYLONIS] dicitur poetis acus Babylonica, Semiramia, Assyria &c. Vocat autem cubicularia polymita, quod essent etiam alia polymitorum genera.

* κτεὶς in Græco Blat/ Weberblat.

Zona.

CXXXVII. CLI.

Longa satis nunc sum: dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi Zona breuis.

Zona se satis ait longam, vacuo ventri, sed grauido vtero fieri breuiorem. dicuntur autem fœminæ grauidæ Græcis, φέρειν ὑπὸ ζώνης. Varia sunt admodum significata huius vocis, sæpe pro pudicitia, vnde vetus verbum, zonam deponere, soluere apud poetas. sunt & zonæ pro loculis positæ. Horatius zonam perdere dixit, pro amittere pecuniam. Et Plutarchus in Sympos. Euangelica item historia Christo suadente, ne ferant æs in zona. Zonæ item cœlestes Mathematicis, quasi cingula cœli. prætermitto alia, Ouid. 2. Metam. Hic cingulum valet.

Gausape quadratum.

CXXXVIIII. CLII.

Lodices mittas docti tibi terra Catulli:
*Nos * Helycaonia de regione sumus.*

Docet lodices Veronæ, gausapa quadrata, qualia hodie passim fiunt, Patauij texi. TERRA CATVLLI] Verona, vt lib.1. dictum. HELYCAONIA] Patauina, Patauium condidit Agenor, cuius filius Helycaon audiebat, vnde Helycaonia. Scripturas alias repudiamus, de hac eadem re supra memini dicere, lib.10. epig.93.

* Lycaonia. Decken.

Semi-

Semicinctium.

CLIII. CXXXIX.

*Det tunicam * diues: ego te præcingere possum,*
Essem si locuples, munus vtrumq; darem.

* *V. locuples.*

Semicinctium dictum, quod non totum hominem cingat. semicinctia ventralia dici reperio apud Plinium. sunt tamen, qui ad superiorem corporis partem tegendam referant, exponantque quasi thoracem, & abollam coriaceam, à quibus abeo, redeoque ad ventralia, quæ non possunt nisi de inferiore corporis parte intelligi, & sint fortasse, qualia hodie pistores & ceruisiarij gestant. Quanquam semicinctium accipi posit, quod anteriora hominis cingat à zona & lumbis ad poplites demissum, quales sunt artificum pelles præcinctæ, aut longiora etiam fœminarũ ventralia. In Apostolorum gestis cap. 19. Paulli semicinctia ad ægros curandos lego missa, quæ aliqui pro linteo exponũt, vtorarium. Σιμικίνθια, inquit Hesichi⁹ [illegible] Casaubonus ad Vopiscũ: *Erant veteribus, vt hodieq; nobis linteamina quædam parua, ad munditiẽ corporis vsus magni & multiplicis. Eius generis sunt sudaria, semicinctia, oraria, & quorum vnius meminit Arnobius lib. 11 muccinia, &c. Semicinctia, vt nomẽ indicat, & testatur Martialis epigramma, inuenta sunt, vt iis se præcingerent vel cum lauarent in balneis vel cum ministrarent: ministrabant enim præcincti, vt ex Suetonio & aliis scimus. Sed postea etiam ad alia semicinctiis vsi sunt, quod constat etiam ex sacra historia actorum Apostol. &c.* Sed contra me & Casaubonum plures veniunt, Meursius in criticis exercitat. ad Plauti Pœnulum. G. Erhardus in symbolis Petronianis, ipse etiam Isidorus lib. 19. cap. 33. *Cinctus*, inquit, *est lata zona, & minus lata semicinctium, & vtriũq; minimum cingulum.* Petronius: *Inclusus ego suspendio vitam finire constitui, & iam semicinctio stanti ad parietem spondæ me vinxeram, ceruicesq; nodo condebam.* Vsurpat hanc vocem Plautus in Pœnulo, *Deglupta mænas, Serapis semicinctium,*
Mastruga ———

Gürtel. Fürtuch. Schermsel. Schößel. *Apud ceteros veteres est hu-ius mentio.* Köller / Hanreclein.

Dubium me faciunt cum Petronius cum Plautus vtram in partem discedam. Plauti scriptura etiam anceps est, legitur passim *senicinctium* non *semicinctium*: vel, *arra pisa ementium*. Apud Petronium reperitur pro *semicinctio hemicyclo.* VVouvverius ad illum locum: *Semicinctio stanti*: locus inquit desperatus, quales plures in hoc scriptore. Maneo ergo in sententia semicinctium non esse zonam minus latam, sed vt dixi, artificum ventrale, vel pistorum, tinctorum, ceruisianorum, &c. cinctum à lumbis ad femoralia circum circa pendentem. Isidorus tantum originatur, vsum non totum vocis ostendit. Martialis enim à zona distinguit & latius docet semicinctium, quando cum tunica componit, quæ superiorem & inferiorem partem, hoc est, totum hominem tegit, semicinctium tantum medium. Nec tamen pugnatius hic disputo contra doctos viros, quod cuique arriserit per me licet sequamur, quid sentiam dixi.

Lanæ Amethystinæ.

CLIV. CXL.

Ebria Sidoniæ cùm sim de sanguine conchæ,
Non video, quare sobria lana vocer.

Amethystus gemma, quæ leniter purpureum colorem affectat, ὑπήρεμα πορφυρέουσα; inquit Dionysius Afer, à vini colore dicitur, quem priusquam degustet, in violam desinit. Theophrastus etiam vineo colore affirmat. Tryphiodorus coloris diluti colorem docet referre. lanæ igitur aut vestimenta purpura infecta; eo temperamento, vt amethystum referant, amethystina dicuntur. Plinius de his 37. lib. *Indicæ absolutum purpuræ colorem habent, ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit autem cum aspectu leniter blandum, nec in oculos, vt carbunculi vibrat.* Ouidius inde amethystos purpureos. *Hic Paphias myrtos, hic purpureos amethystos.*

EBRIA SIDONIÆ CONCHÆ SANGVINE.] ludit in originatione amethystinæ; ἀμέθυσος enim Græcis sobrius dicitur, seu non ebrius. Lanę autem sydoniæ inbutæ purpura certo temperamento, de quo Plinius: *Non est satis abstulisse gemmæ nomen amethystum, rursus absolutum inebriatur Tyrio vt sit ex vtroq; nomen improbum, simulq; luxuria duplex.* Sidon vrbs Palestinæ fama & antiquitate nobilissima, vt Q. Curtius lib. 4. narrat, Achilles Statius copiosè 1. Amorum describit. dicta vel à multitudine piscium, vel vt Eustathius sentit, à Sida Beli filia, vel vt Iosepho placet, à Sichem filio Chanaan: celebratissima est poetis, & historicis sacris, & profanis. Vnde Sidonius & Sidonia concha purpuram significat, aut conchylium. Cum ergo bibam conchylij seu purpuræ sanguinem, cur dicor sobria? sunt qui putent amethystos dictos, quod pellant, & arceant temulentiam, quod sanè inficiatur Plutarchus, vini quippe colorem sic refert, vt priusquam colorem quasi degustet desinat in violam, vt dixi lib. superioribus pluries de amethystinis.

Tyriamethystina sunt dicta, & gemma Tyriamethystus.

Lanæ albæ.

CXLI. CLV

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ouis.

Albarum lanarum principem ait Apulam, cui dat cum Plinio lib.8.cap.48.primas ex lanis albis. Parmensi secundas: Altino tertias. Parmensem & Altinianam Plinius ibid. Circumpadanas appellat: *Alba, inquit, Circumpadanis nulla praefertur, nec libra centenos nummos ad hoc aeui excessit illa.* Altinum & Parma Padanæ ciuitates in Æmilia. breuior sum in his, iam sæpe supra longius laudatis.

Lanæ Tiriæ.

CLVI.

Nos Lacedæmoniæ pastor donauit amicæ,
Deterior Ledæ purpura matris erat.

Purpureæ eæque nobilissimæ laudatæ Ouidio, Iuuenali (qui & Sarranas, nam Sarra olim Tyros dicebatur, nominat) Martiali, aliisque recentioribus. Tyrum eleganter describit Curt. lib. 4. De lana Tyria multa Plinius, Strabo, & alij. Tyriæ igitur lanæ seu purpureæ tam fulgent, vt nostræ lucis non egant. Plurima de his Bayfius l. de re vestiaria. Carmen exponamus. PASTOR] Paris Priami filius, Lacedæmonicæ amicæ) Helenæ, quam rapuit, Ledæ) matris Helenæ quæ Lacedæmonia. Lacedæmonij vero purpura vtebantur, quia magis ad sanguinis colorem accederet; & Phœnicea esset, Græcis φοινικὶς, nec tam læta & ardens erat, atque Tyria. Hinc poeta deteriorem ait Lacedæmoniam Tyria. Vtebantur Lacedæmonij etiam in bello sua purpura seu Phœnicide, quod cum sanguinei coloris esset, falleret vulneratos, si sanguis defflueret, quod ex Græcorum commentariis planum facit Bayfius. Hercules autem Tyrius sapientiæ laude hodieque florens purpuram à carne accepit, vt supra de eius inuectione ex Chronico Alexandrino MS. & Cedreno docui.

Lanæ Pollentinæ.

CXLII. CLVII.

Non tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet & calices hæc dare terra suos.

Plinius lib.8.cap.48. Pollentinam lanam cani ait esse velleris, *Pollentia, inquit, iuxta alpes cani intellige velleris.* Sed enim duplex est Pollentia, altera Polentia, vt Ptolemæus scribit Liguriæ vrbs quam Iornandes in alpibus Cottiis ponit. Plinius, Martialis, Silius, Prudentius duplici ll. exprimunt. Leander in Lombardia Cispadana eam collocat. Altera Balearidis maioris oppidum, Plinius lib. 3. cap. 5. Hic sane Italicam lanam, non Hispanam acceperim, quamuis Plinius lanas in Hispania nigri velleris præcipuas haberi tradat, subiungit tamen Polentiam iuxta alpes cani, vbi Polentiam non Hispanam sed Italam insinuat. Arbiter est apertus Silius, qui lib.8. de bello punico 17. catalog. Latinarum vrbium viros ad arma mittentium, enumerat Pollentiam his verbis:

Vercellæ fuscique ferax Pollentia villi.

Sed inepte Leander versum Martialis de lana Bœtica transcribit Pollentiæ, nec Plinius lanæ Pollentiæ maximum pretium tribuit, quam ait esse canam, sed Hispanæ nigri velleris, cum tamen Leander non de Pollentia Hispana sed Itala agat. LVGENTES] plurimarum gentium pullus in luctu habitus. Homerus, Varro, Macrobius, Apuleius, & alij auctores.

* * *

Idem

Idem.

CLVIII. CXLIII.

Lana quidem tristis, sed tonsis apta ministris,
Quales non primo de grege mensa vocat.

TRISTIS] pullus nempe & funebris, sordidæque plebi, & pauperrimæ vsitatus. sic Calpurnius pullam dixit paupertatem, quòd tenuiores pulla vterentur.

—— sed mihi sordet
Pullaq; paupertas, & adunco fibula morsu
Obstiterat

Suetonius pullatos vocat plebeios in popularibus sedentes, vt & Calpurnius. Eadem pulla veste teg. bantur mancipia viliora & tonsa; nam intonsi erant pueri venusti & elegantes administri, primo nempe de seruorum grege & nobilissimo, quales Poeta insinuat lib. 8. epig. 51. & 58. aliisque compluribus locis, pretiosa nempe mancipia. TONSIS] atriensibus & cocis, iam adolescentiores tondebantur, cùm barba succresceret. De tonsura veterum copiosè Iunius in coma, vbi docet, rasos etiam moriones. MENSA VOCAT] administros nempe vocat.

Tomentum * lingonicum.

* V. Leuconicum.

CLIX. CXLIV.

Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ?
*Vellera * lingonicis accipe rasa sagis.*

*Leuconicis

Tomentum Isidorus à tumendo deducit, quod in filo seu tela intumeat. Rectius à τέμνω formaueris, vnde τόμ☉ sectio, sed prima syllaba repugnare videtur, tomentum enim primam tendit, à τέμνω autem τόμ☉ prima breui nascitur, tomentum lana pannis vestibusque abrasa dicitur, quicquid farciminis ex quacunque re seu fæno seu palea plumaue fuerit, quo culcitæ farciuntur. Alludit infra ad etymon poeta, cum dicit, *Tomentum concisa palus ——*

LINGONICVM] Luconicum & leuconium alij, Plinius lib. 27. cap. 10. Guaphalium alij χαμαίζηλον vocant, cuius foliis albis mollibusque vtuntur pro tomento. Martial. lib. 11. epig. 22.

Culcita leuconico quam viduata suo.

Turnebus lib. 8. cap. 4. legit in M. scripto C. leuconicis, à leuconico loco, vnde tomenta leuconica. Alij tomenta leuconica dicunt esse decurtes floccos ex alba lana, quod Græc λευκὸς album valeat. Est mentio lingonicarum seu leuconicarum apud Martialem lib. 11.

Lingonicis agedum tumeat tibi culcita lanis

Est autem Leuconium Æolidis oppidum apud Tucididem, Lingones vero Celtarum sunt populi Iulio Cæsari. Et sanè malim retinere lingonicum, quam leuconicum, quod Gallicanæ vestes, vt suprà vidimus, in vrbem sunt importatæ. OPPRESSÆ PLVMÆ VICINA FASCIA] fasciis & restibus, quod & hodie fit cu citas imponebant. quod lib. 5. epig. 64. Poeta docuit.

Nulla tegit fractos, nec inanis culcita lectos,
Putris & abrupta fascia veste iacet.

Vbi plenius de fascia: Sensus distichi est. Pluma cum premitur, extenuatur nimium, & cedit ad fasciam & restes vsque, quæ iacentem secant & torquent. Tomentum Lingonicum à sagis abrasum, fortius sustinet iacentem, magisque densatur, cui lenius incumbes.

Tomentum Circense

CLX. CXLV.

*Tomentum * concisa palus Circense vocatur:*
*† Hæc pro * lingonico † stramina pauper emit.*

* Concisa palus, arundines concisa sunt potius quam palea. † Hoc. * Leuconico. † stramina. * Alii cõcisa arundinum.

Diuitum est lingonico seu leuconico tomento farcire culcitas, pauperum, * palea, Circense vocatur, quod haud dubiè initio Circensibus ludis sibi spectatores sufternebant, vel potius quod in Circo venderetur. Sari Tuscum vocant, quo faciebant toros tunicati. regredere ad lib. 8. epig. 44. Beatiores implebant culcitas villis ex Lingonicis sagis detasis. Intelligit autem, Turnebo interpretante, panniculos, quos pauperes pro tomento culcitarum emeb. nt. Strabo lib. 5. de his intelligendus. Τύφη τε καὶ πάπυρ☉, ἀνθήλη τε πολλὴ κατακομίζεται ποταμοῖς εἰς τὴν Ῥώμην, πρὸς ἀνθήλην, multam paniculorum lanuginem appellat. Seneca de beata vita, capite 25. Circensi

tense tomentum vocat. *Super Circense tomentum per* * *farturas veteris lintei influens intabebo.* Lege Bulengerum lib. de Circo, cap. 32. Gruterum ad Senecam. Emendant aliqui. Hos pro Lingonico stramine -- vt stramen à sternendo accipiatur non tantum pro palea, imo & arundine sed vellcribus etiam & lanis, & omnibus stramentis quæ cubantibus subiiciuntur.

* *fasciis.*

Pluma.*

CXLVI. CLXI.

Lassus Amyclæa poteris requiescere pluma,
Interior cycni quam tibi lana dedit.

Diuitum lecti pluma farti, & pluma cygnæa. Est planum carmen. Tenerior auium penna lanæ similis est, vt Poëta etiam lanam appellarit. vere nec aues, nec capræ laná habent AMYCLÆA] Amyclas Lacedæmonij condidêre, oppidum in Latio inter Caietam & Tarracinam. Iam dictum supra. Cygni autem dicuntur Amyclæi seu Lacones ob Lædam Lacænam, ad quam Iupiter cygnum ementitus venit.

Fœnum.

CXLVII. CLXII.

Fraudata tumeat * *facilis tibi culcita pluma,*
Non venit ad duros pallida cura toros.

* *Fœno.*

Duram quidem ait culcitam fœno fartam, & inculcatam, sed carentem curis; paupertas enim nescit curas, secure dormit, vt cui nihil possit auferri. Auaros iuxta ac obæratos vexat insomnia: vt merito Augustus sit miratus illius equitis Romani ære alieno oppressi culcitam, in qua somnum cœpit, vnde ex auctione eam ipse velut miraculum sibi emi iussit. Macrob. Satur. 2. cap. 4. Pro, facilis lege fœno, quanquam placeat non nemini: *Frondata tumeat facilis*, vel Fœnicea tumeat: sed neutrum arridet: malo scribas *fœno* pro *facili*.

Tintinnabulum.

Turnebus 7. cap. 4.

CXLVIII. CLXIII.

Redde pilam: sonat æs thermarum. ludere pergis?
* *Virgine vis sola lotus abire domum.*

* *Aqua Virgine sic dicta vt supra lib. 5.*

Post ludum & palæstras Romani ante cœnam lauabant, vt legisti superioribus libris. ad balnea vero tintinnabulo, vt hodie subinde pelui, citabantur, quæ certo tempore claudebantur. Galenus notauit priscos secundum pilæ ludum calidis balneis lauari consueuisse, ad quas tintinnabulo signum dabatur, quas si neglexissent, aqua Virgine vel Martia lauabant. Capitolinus prodit ante Alexandri Seueri tempora, nunquam thermas ante auroram apertas fuisse, & semper ante solem occasum claudi consuesse, Mercurialis plura lib. 1. cap. 10. Tintinnabulum Symposius describit Ænig. 79.

Æs crigens curuo, patulo componor in orbe,
Mobilis est intus lingua crepitantis imago.
Non resonat positus, motus quoq; sæpe resultat.

ÆS THERMARVM] periphrasis tintinnabuli. quanquam sunt qui velint clypeum in thermis æreum fuisse, de qua re in hæc verba Hieronymus Magius in postumo suo de tintinnabulis cap. 3. scribit: *Nemine* inquit, *qui in humanioribus literis vel parum fuerit versatus, obscurum esse debet, antiquos non solum minora sed etiam maiora tintinnabula vsurpasse. Notum satis est illud Martialis,*

—— sonat æs thermarum, ponite pilam.
Virgine vis sola lotus abire domum?

Quanquam sunt qui illud æs ad clypeum æreum referant, qui cathena pendebat ex orbiculari fenestra fornicis Laconici, per cuius deductionem ac reductionem, nunc augebatur nunc minuebatur calor, de quo clypeo mentionem facit Vitruuius. In Laconico tamen Pisano, qui integer adhuc è maximis thermis ad portam, qua itur Lucam, spectatur, & de quo Robertus meus libellum edidit (vt hoc obiter adnotemus) non vt in cæteris, orbicularis fenestra in fornicis medio spectatur, sed multilatera, & aliæ multæ circum quadrilateræ altera parte longiores, quas, pendente è medio clypeo, speculari lapide aut velo, aliaue materia, quæ lucem transmitteret, claudi consueuisse, ne vapor flatim effiueret facile crediderim. Nunc ad rem nostram redeamus. Qui id de clypeo illo existimant, magno, vt mihi

 videtur,

videtur, in errore versantur; quod vnius duntaxat scriptoris auctoritate apertum facio. Siquidem Ælius Spartianus ait, nescio quem Romanum Imperatorem e thermis tintinnabulum emouisse. Si vero aliquis tintinnabulum pro clypeo illo accipi contendat; erroris facile conuinci poterit. Nā amoto è thermis, id est Laconico, æreo clypeo, haud satis intelligo, quo pacto sudatorij ratio constaret. Ad hæc si clypeū pulsari consueuisse dicamus, vt hoc pacto lauaturi conuocarentur, non satis perspicio, quam cōmode id fieri posset, illo ex alto satis loco propendente. Altum nam Laconici Pisani fornicem esse vnusquisq; videre potest: locus enim Robortelli cura, dum humaniores literas in Pisano gymnasiō profiteretur, optime fuit repurgatus. Quod si è superiore fornicis parte malleo, vel alia pradura materia clypeum tundi solitum suspicetur aliquis; & hic videat quam recte id, & sine catbenæ deductione, vt calor exhalaret, ac sudatorium nonnihil refrigesceret, fieri potuerit. Accedat eo, quod cum thermarum constructio late pateret, vsq; adeo vt Romæ thermæ Diocletianæ, quantum hodie è ruinis cognoscere licet, municipij magnitudinem facile æquarent, sonitus ex ictu clypei intra fornicem illum clausumq; locum editus, ad omnes, qui in thermis agerent, & lauaturi conuenissent, peruadere non poterat. Nec ad rem pertinet, si quis dicat, locum, in quo lauaturi pila prius exercebantur, fuisse Laconico proximum, vt vel à surdastris clypei sonus audiretur. nam respondeo, tinnitum æris thermarum, hoc est, tintinnabuli, quo de agimus, procul etiam audiri, & percipi consueuisse, vt nō solū qui pila exercerentur, & in thermas conuenissent, sed & qui à thermis longe abessent conuocarentur lauatum: quod Ciceronis auctoritate probatur, siquidem in Tusculanis (nisi me fallit in loci indicio memoria) ait, simulatq; increpuisset, id est (vt ego interpretor) thermarum tintinnabulum tinnitum edidisset, Romanos, relictis Philosophis & præceptoribus, vnctum (nam qui lauissent, vngebantur) ire solitos. Sed in re aperta testibus vtor non necessariis. Tintinnabulorum maiorum non solum in thermis, sed etiam in aliis vrbium partibus si non apud Romanos saltem apud alias nationes nonnullas, locum fuisse ad conuocandos in mercatum homines, ex Strabone cognoscere est: rem enim non fictam sed factam Lissi refert, scitu dignam, Citharœdum canentem ea in vrbe homines non paucos circumstetisse; eos è re nata vniuersos, præter surdastrum, statim discessisse; citharœdum ad surdastrum conuersum, illi gratias agere cœpisse eo nomine, quod cum ad tintinnabuli sonum reliqui omnes eum reliquissent, solus ille auditor perstitisset; qua re surdaster cognita, vale homini dixerit, quod sonus ille iam vendi pisces indicaret. Credere autem par est, tintinnabulum illud Iassicum; & magnum fuisse, & edito loco suspensum, vt ab omnibus ciuibus illius posset sonus audiri. Alia de maioribus publicisq; tintinnabulis à me hactenus non sunt obseruata, quamobrem hic caput reprimo.

Non pauca vero de vsu tintinnabuli Illustriss. Baronius Annal. 1. p. 562. edit. 4. Poëta amore pilæ negligentem thermas ait frigida ablutum domum rediturum. VIRGINE SOLA] Aqua virgine, quam supra lib. 5. & alias laudauimus. Romani, vt fuse docet in gymnasticis Mercurialis lauabant frigida, calida, tepida. De virgine apertissime loquitur Martialis lib. 6. cap. 42.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore
Cruda virgine Martiaq; mergi.

Scripsit de ea Frontinus de aquæ ductibus, & Plinius lib. 31. cap. 3. Lucas Pætus libellum singularem de restitutione Aquæ virginis, quos lege.

Discus.

CLIV. CXLIX.

Splendida cùm volitent Spartiani pondera disci,
Este procul pueri: sit semel ille nocens.

Discum Mercurialis ex Dioscoride similem forma lenticulæ describit. Est lenticula rotunda tumente vtrinque vmbilico, cuius figuram in ædibus Ioannis Baptistæ Victorij Romæ seruari tradit, formamque inde descriptam suis libris apposuit. Eustathius ad secundum Iliados: δίσκος ἐστὶ βαρὺς λίθος, ὃν ἐρρίπτον οἱ γυμναζόμενοι, τὴν δὲ σιδηρᾶν σόλον προσαγορεύουσι. *Discus est lapis grauis, quem proijciebant se exercentes, ferream eam massam vocabant.* De pondere Solon apud Lucianum, & D. Hieronymus scribunt, Mercurialis ait laminam fuisse trium vel quatuor digitorum crassitudine, longiorem paulo plus pede, alias lapideam, alias ferream, æneam alias, quam ad metas proijciebant, vt hodie passim fit; ita vt is qui proximus metam accedit, victor pronuncietur, qui infra hæret, aut metam excedit, vincatur. Lusus appellabatur δισκοβολία, lusores δισκοβόλοι. Non negat tamen formas discorum varias extitisse, aliosque rotundos, & in meditullio foramen habuisse, quales Aurelij Imperatoris nummis spectantur. Hæc summatim ex Mercuriali. Plura nec minus docta Petrus Faber lib. 2. cap. 1. & 4. Agon. vbi illud de foramine affirmat, & amentum quoque addit, atque discos etiam ligneos fuisse ostendit, eisdemque discobolos tunicatos, ex arte aperto capite certasse docet. Nunc ad carmen accedamus. SPLENDIDA PONDERA] ænea nempe aut ferrea eaque grauia. SPARTANI DISCI] Antiquissimam esse δισκοβολίαν vel ex Homero discas, qui de agonibus apud Phæacas Odyss. disci mentionem facit.

Ἦ ῥα, καὶ αὐτῷ φάρει ἀναΐξας λάβε δίσκον.

Et secundo Iliad. vt ante d. Apud Lacedæmonios vero tam vsitatam lego, vt & virgines, ex instituto Lycurgi, sese in hac palæstra exercerent. Qua de re Xenophon in Rep. Lacedæmon.

Platten schiessen.

Plato

Plato lib. de legibus, & 5. de repub. Plutarchus in vita Lycurgi. Propertius, Ouidius & noster lib. 4. cap. 5. Tiraquellus de legibus connubialibus, leg. 4. n. 29. Et hinc Poëta noster discum vocat Spartanum, sic enim & Alex. Neapolitanus lib. 2. cap. 25. *Spartanæ vero virgines nondum adultæ in disforum iactu, cursibus, & palæstra exercentur.* Ciceronem alibi adduximus. ESTE PROCUL PUERI SIT SEMEL ILLE NOCENS] Fabulam Phœbi Hyacynthum disco occidentis alludit, de quo infra aperte epig. 173.

Flexit ab inuiso morientia lumina disco
Oebalius Phœbi culpa dolorq; puer. Vnde cætera pete.

Cithara.

CL. CLXV.

Reddidit Eurydicen vati: sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Cithara notum musicæ instrumentum, quanquam inter scriptores variat, quæ propric cithara dicatur. Testudo enim, psalteria, lyræ, barbita, Phœnices, pectides, & quæ dicuntur Indicæ vno nomine citharæ comprehenduntur, ita vt cithara genus ad alia dicatur similia instrumenta. Hodie plectro carpitur, & pueris etiam nota est. Inuentor traditur à Mose Tubal. Græci Apollini citharam inuentam adscribunt. Rem certe antiquissimam, præter diuinas litteras etiam profanæ docent. Celebratissima est Orphei & apud Homerum lib. 9. Iliad. Achillis & Virgilium lib. 1. Æneid. Iope cithara. Forma principio similis pectori humano, quod veluti vox de pectore, ita ex ipsa cantus ederetur, appellataque ead. de causa. Nam pectus Dorica lingua κιθάρα vocatur. Legendus Isidorus lib. 3. Orig. cap. 21. REDDIDIT EVRIDICEN VATI] Citharâ, inquit poëta, ab inferis Orpheus vxorem suam Eurydicen reuocauit, sed cum respiceret, antequam in auras lucis apertas euaderet, eandem amisit: quod Pelignus vates longo & eleganti carmine describit lib. transformationum decimo, ab ipso statim initio. Virgil. 4. Georgicorum Seneca in Hercule furente act. 2. NEC PATIENTER AMAT] dum nimis amat vxorem, amore perdidit. Ouid.

Apuleius L. Floridorum lyrã tribuit Apollini.

Nec procul abfuerant telluris margine summa
Hinc ne deficeret metuens, auidusq; videndi
Flexit amans oculos, & protinus illa relapsa est, &c.

Idem.

CLI. CLXVI.

*De Pompeiano sæpe est * eiecta theatro,*
Quæ duxit siluas, detinuitq; feras.

** alij electa vitiosè.*

Orpheum actum in Pompeiano theatro cithara canentem, ferasque & siluas trahentem. describsit lib. A. ep. 21.

Quidquid in Orpheo Rhodope, &c.

Theatrum Pompeij descripsimus lib. 10. ep. 51. sed & Marcelli Pomp. & aliâs plurles. SILVAS] redi ad librum spectaculorum. & Ouid. Met. 10. Virg. Horat. ELECTA] alij eiecta, & fortè rectius; nam citharœdi, poëtæ recitatores subinde lapidibus excipiebantur si non placuissent. Petronius. Ex his qui in porticibus spaciabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt. At ille qui ingenij sui plausum nouerat, operuit caput, extraque templum profugit. Timui ego ne me poëtam vocarent. Itaq; subsecutus fugientem ad litus perueni, & vt primum extra teli coniectum licuit consistere; Rogo inquam, quid tibi vis cum isto morbo? Minus quam duabus horis mecum moratus, & sæpius poëtice quam humane locutus es. Itaque non miror si te populus lapidibus prosequitur. Ego quoque sinum meum saxis onerabo, vt quotiescunque cœperis à te exire sanguinem tibi à capite mittam. Mouit ille vultum, O mi, inquit, *Adolescens, non hodie primum auspicatus sum: immo quotiens theatrum vt recitem aliquid, intraui, hac me aduentitia excipere frequentia solet.* Notus est Æsopi citharœdus.

Eiecta legendum.

Plectra.

CLXVII. CLII.

* Pusula male, pusula & pustula dem sunt.

*Feruida ne trito tibi pollice * pusula surgat:*
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Calamo fides plectuntur, quem plectrum appellant, inuentum, quod digitis succederet, qui assiduo pulsu lædebantur. Hinc plectrum sæpe vsurpatur pro omni fere genere musicorum instrumentorum & carminum. PVSVLA] Ita lege. Idem enim pusula, quæ pustula, tumor ex attritu digitorum existens. multa super hac pusula & pustula lib. 8. ep. 51. de phiala Rufi, & lib. 7. ep. 85. in Sextum, *Argenti tibi libra postulati*, seu pustulati. LYRAM] Sæpe auctores lyram cum cithara confundunt. Ouidius enim Orphei citharam modo citharam, modo lyram appellat. Lyra hodie non plectro feritur, sed manu ducitur. FERVIDA] ex motu & pulsu feruefactis digitis excitata.

Trochus.

CLXVIII. CLIII.

* Al. canthus.

Inducenda rota est: das nobis vtile munus,
*Iste trochus pueris, at mihi * cantus erit.*

Trochus & Græca vox est, & Græcus ludus. Fallitur Acron & Merula ad Ouidium, & alij, qui turbinem scutica verberatum interpretantur. Trochus rota est, non turbo, sic habet vetus lexicum; *Trochus rota genus ad ludum*. Iterum, *ludentium rota*. Persuadeat Ammianus lib. 21. Turnebus lib. 27. cap. 33. Mercurialis lib. gymnast 3. cap. 8. Ammianus in hæc verba trochum depingit. *Cum apud Parisios adhuc Cæsar Iulianus quatiens scutum variis motibus exerceretur in campo, axiculis, qui orbis erat compaginatus, in vanum excussis, ansa rem auferat sola, quam retinens valida manu stringebat.* Turnebus eandem clarius subiicit oculis. *Erat*, inquit, *genus ludi Græcanici, vt nomine ipso indicatur: rota enim erat ansam habens, vt facilius mitteretur, axiculus compacta transuersis iaciebatur: quorum clauicula & commissura adunca, dum versabatur missa rota, vel missus orbis tinniebant & crepabant. Mittere autem scienter artis erat non vulgaris.* Omnium clarissime Æsculapius Medicorum Mercurialis. *Trochus*, inquit, *in publicis aliisue locis peragebatur. Secundo, annulum vel annulos habebat strepitum edentes, vt homines per viam ambulantes sonitu audito longius ab incursu trochi cauerent. Postremo ex ære conflabatur, atq; clauem aduncam habebat.* Deinde ipsam formam ex antiquissimo coruici vel Satyrici poëta monumento expressam adiungit, *qua tamen præter annulos dentes circulo infixos habebat, mobiles ad maiorem strepitum edendum.* Idem paullo supra: *In trocho namque primo erat circulus, & in circulo annulus, qui sono spectatoribus voluptatem adferebat, aderat & impulsor cum ansa, quam Propertius clauem appellat.*

Iam crepat & versi clauis adunca trochi.

Quæ omnia Antyllus in Circulasia sua appositissime depinxit, nisi quod Antyllus circulo tenues annulos, non annulum circumpositos tradit. Martialis puerilem quendam ludum trochum fuisse significauit. Quo loco plenius ostendit Mercurialis, trochum nihil commune habuisse cum turbine, vt reipsa forma circuli seu rotæ plane diuersa est à turbine. Trochi mentio est apud Horatium lib. 3. car. Ode 24. & lib. de arte poëtica.

Indoctusq; pilæ, discique trochiue quiescit.
Ne spissæ risum tollant impune coronæ.

Et Ouid. 3. de art. *Sunt illis celeresq; pilæ, iaculumq; trochiq;, &c.*

Hinc facile iam capis, cur poëta noster trochum appellarit rotam, cum reipsa fuerit circulus seu rota; capis etiam, cur dixerit trochum puerorum, sibi cantum esse; cum enim æneus esset, & annulos plures haberet, cum denticulis, qui gratum sonum edebant, poëta se non tam ludo & cursu rotæ, quam ipso sono delectari dixit. Si legas *canthus* aliter canendum erit: Casaubonus ad illum Persij versum:

Vertentem sese frustra sectabere canthum.

Canthus, inquit, συνεκδοχικῶς pro rota. ea voce ante Persium vsus nemo. ideo donatus hic locus antiquis criticis. Quintilianus lib. 1. Barbarismum pluribus modis accipimus: vnum gente: quale si quis Afrum vel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat. vt ferrum quo rotæ vinciuntur, dici solet canthus. quanquam eo tanquam recepto vtitur Persius. Non agnoscit Quintilianus pro Græca hanc vocem: neque nos sane apud vllum è veteribus Græcis id verbi meminimus legere. Etsi Grammatici Græci vtuntur, sed tanquam petito è vulgi sermone: Auctor Etymologici magni: Ἐπίσωτρα, οἱ ἔξω τῶν τροχῶν σιδήρεοι κύκλοι, οἱ ἐπὶ γῆν κυλιόμενοι. τὸ κύκλῳ τῶν τοῦ ἅρματος τροχῶν σίδηρος. τὰ ἴτυα τῶν τροχῶν σίδηρα ἢ χαλκᾶ, ἅπερ λέγεται κανθοί. eadem verba leges

apud

apud Suidam, Eustathium & alios Grammaticos. est tamen puta puta vox veteris Græciæ κανθὸς ἐπὶ ὀφθαλμοῦ, aiunt iidem Grammatici, οἱονεὶ κυνθός τις ὤν, ὅτι ἡ κινεῖται συνεχῶς. oculi angulos medici vocant κανθοὺς, canthos: sed orbem totum ea voce designari placet nonnullis. Hesychius, κανθὸς ὁ ὀφθαλμοῦ κύκλος. ergo etiam cum ferrum illud significatur, quo totæ curuatura præmuniitur ad compagem totam constringendam, vox Græca erit: nam & ille canthus orbis quidam est siue circulus. Hieronymus libro tertio in Ezechielem, circulos rotarum canthos ferreos appellauit, quibus lignorum rotunditas arctatur & stringitur. in textu prophetæ est אופנים quæ vox Hæbrea totam rotam designat. alibi vetus interpres pro חשק ἐπίσωτρον posuit canthus. Martialis canthum assimilat puerili trocho, quem constat habuisse instar rotæ, illo versu:

Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Diomedes lib. 3. rotæ satis latus ac breuiatus canthus, radiatus luminibus in angustum modioli circulum cohibetur. videtur diuersa paululum notione hanc vocem vsurpare, ac scriptores superiores. canthis vtebantur etiam in illis vehiculis siue plostris, quorum rotæ pro radiis tympana habebant. Probus in illud Virgilij:

Tardaq; Eleusinæ matris voluentia plaustra:

Imperiti, inquit, ea plostra vocant: sunt enim vehicula, quorum rotæ non sunt radiatæ, sed tympana cohærenti axi, & iuncta cantho ferreo. Meminit canthi etiam B. Augustinus in lib. De vera religione: eiusdem verba sunt in libro De principiis Dialecticæ: via dicitur à flexu, quia flexum veluti incuruum vietum veteres dixerunt: vnde vietos quod cantho ambiuntur rotarum ligna vocant. legendum est, vnde vitos. nam Latini canthos etiam vitos dixerunt: quæ vox apud Marium Victorinum extat & alios. Glossæ: κανθὸς τροχοῦ vitus. scribe cum Scaligero, vitus. à via, vitus vt ostendit Augustinus: qui tamen inter vitum & canthum discrimen facit. Isidorus vero quamlibet facetus est, qui centum vocem deriuat à cantho, siue canto. nam vtroque modo scriptum inuenias. Hæc Casaubonus.

INDVCENDA ROTA EST] in saturnalia & ludum; vel ferro seu cantho inducenda est extrema curuatura rotæ; vel in sortem munerum Saturnalitiorum inducenda. VTILE MVNVS] videtur in dilogia vocis ludere. Diceret, cui donata est rota: Das mihi vtile munus, vis me vt Ixionem reor, in rotam agere. Fuit veteribus genus supplicij, vt ex D. Catharinæ certamine discis, est hodie apud nos quoque genus supplicij, quo latrones mactantur. Hic pro annulo seu circulo accipitur, quem modo descripsimus. MIHI CANTHVS] Hispano, cui vocatur canthus.

Idem.

CLIV. CLXIX.

Garrulus in laxo cur anulus orbe vagatur,
Cedat vt argutis obuia turba trochis?

Iam ex superiore descriptione intelligis, vt reor, & hoc distichon, in quo caussam annuli adiungit, qui edebat cantum, vt turbæ sibi ab eius improuiso incursu cauerent; garrulum ergo vocauit à sono, quem edit. Hoc tantum obserua, poëtam vnius duntaxat anuli mentionem facere, cum in Græco plures, vt ex Antyllo cognosti, fuisse videantur.

Signum Victoriæ.

CLV. CLXX.

** Hac illi sine sorte datur, cui † nomina Rhenus*
*Vera dedit: * decies adde Falerna puer.*

* *Hoc, lego.* † *Germanici.* * *Germanicus decem habet litteras.*

Signum victoriæ, vt ex antiquis numis intelligo, erat alatæ fœminæ statua dextra laurum tenentis; sinistra palmam, quæ quidem in omnibus fere signis victoriæ spectantur. Cæterum, vt varia sunt genera victoriarum, ita variis quoque modis eadem est effigiata, nunc bigis vehens, nunc naui insistens, nunc Cæsarem coronans, nunc aliis, aliisque modis figurata. Poëta noster cum alia signa, aut munera sorte * diuiderentur, signum victoriæ datum ait Domitiano Germanico, sine sorte; quod opus non esset vlla sortitione in Cæsare, qui toties vicisset hostem, à quo deuicto dictus sit Germanicus. RHENVS] Germania Germanico. VERA] perinde quasi alij imperatores non iure sibi nomen Germanici vsurparint. Res ita se habet. Drusus Liuiæ filius Augusti priuignus primus nomen à victa Germania, reportauit, sed mortuus. Illius filius Cæsar Germanicus primus ex viuis id nomen meruit. Reliqui imperatores vsque ad Domitianum dicti sunt Germanici

* *Supple, sp[?]ongio, Hoc sibi forte datur, &c.*

manici, à primo Germanico vt Cæsares à Iulio Cæsare, vt Augusti ab Octauiano Augusto. Domitianus se appellauit Germanicum Secundum, quod ipse in Germanos pugnarit, & ab eisdem victis nomen sibi iure asciuerit, vti supra explanatum est. DECEM] Germanicus enim decem habet litteris. Morem bibendi veterum ad litteras nominum amicorum exposui non semel superioribus libris.

Sauroctonos Corinthius.

CLXXII. CLVI.

Sauroctonos. ad-ed est. victor lacerta.

Ad te reptanti, puer insidiose, lacerta,
Parce: cupit digitis illa perire tuis.

Sigillum ex ære Corinthio factum puta. dicitur Sauroctonos, quasi lacertam occidens. à κτείνω & σαῦρος, vel σαύρα, lacerta. De Sauroctono hoc Plinius lib. 34. cap. 8. *Fecit* (Praxiteles ex ære nempe) *puberem subrepenti lacertæ cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonum vocant.* CVPIT) à tam nobili puero occidi, vt claro fato pereat, aut potius cupit, quia facit id, vt cupere videatur, quod minime cupit, dum inscia ad mortem repit.

Hyacinthus in tabula pictus.

CLXXIII. CLVII.

Extat in Vrsini formis Hyacinthi facies.

Flectit ab inuiso morientia lumina disco
Oebalius, Phœbi culpa, dolorq́; puer.

Hyacinthi Spartani discum, quo periit, auersantis imaginem depingit, quam non tacuit Plinius lib. 35. cap. 11. *Hyacinthus* (est Niceæ Atheniensis) *quem Cæsar Augustus delectatus eo, secum deportauit Alexandria capta, & ob id Tiberius Cæsar in templo eius dicauit hanc tabulam.* OEBALIVS, PHOEBI CVLPA, DOLORQVE PVER] Ouidius mortem eleganter describit his versibus in 12. Met.

Laberis Oebalide prima fraudate iuuenta,
Phœbus ait, videoq́; tuum, mea crimina vulnus,
Tu dolor es, facinusq́; meum. mea dextera letho
Inscribenda tuo est, ego sum tibi funeris auctor,
Quæ mea culpa tamen. ———

Tu lege totam ibi fabulam ipso Hyacintho non ineleganitiorem. In qua velim te notare lapsum Pet. Fabri lib. 2. Agon. negantis discobolos ante exercitationem disci inunctos esse, cum disertissime versibus hisce id Ouid. ostendat, vbi & nudos lusisse affirmat.

Corpora veste leuant, & succo pinguis oliuæ
Splendescunt, latiq́; ineunt certamina disci.

Nec est, quod rectum & simplicem Ciceronis sensum, discum & actionem coniungentis in 2. de orat. ad metaphoricum transferat. OEBALIVS] OEbali patruus fuit Hyacinthus, cuius parens Cynorta Hyacinthi frater. Alij OEbaliam vrbem Laconiæ dicunt ab OEbalo conditore. Hyacinthus vero Amyclæ Lacedæmoniorum regis filius erat, vt Pausanias in Laconicis, & Nicander in Theriacis prodidere. Phœbus autem disco per imprudentiam Hyacinthum, quem amabat, occidit.

Persona Germanica.

CLXXVI. CLVIII.

† Rufi; forte rufi.
** Rosso, Aldus. puer ora timet, nisi malis timet ora puer. Si tamen Aldus, nam meus habet, pater.*

Sum figuli ludus † Rufi persona Bataui,
*Quæ tu derides, hæc * timet ora pater.*

Fictilem vultum Bataui hominis militaris & atrocis intelligit. Bataui enim feroces & bellicosi habiti. Et populo Romano bellicis tantum rebus seruiebant, vt Tacitus de Germania scribit. RVFI] alij Rusi legunt; suspicor esse legendum *rufi* vt non sit proprium. Bataui enim rufi. coma, quam rufabant, vt cæteri Germani, vti sup. epig. 26. de Sapone. d. An Rufus fuit figulus, qui Batauum ex argilla finxit? TIMET ORA PATER] Domitius puer, dum legit pater. Domitius Domitianum patris nomine exponit, sed poeta tam stultus non fuit, vt timeri à Domitiano Batauum dicat, quando paullo ante signum victoriæ Domitiano sine sorte dedit. Lego igitur cum Aldo & viris doctis puer, non pater. Nam pueri vultus atrocitate terrebantur, vt hodie. Seneca nobis facet. l. 2. de Ira. *Ira per se deformis est, & minime metuenda. at timetur à pluribus, sicut deformis persona ab infantibus.* Idem lib. 2. de vitæ tranquill. c. 4. *Ad tantas ineptias peruentum est, vt non dolore tantum, sed doloris opinione vexemur more puerorum, quibus metum incutit vmbra & personarum deformitas, & deprauata facies. Ita Astyanax puer apud Homerum auersatur galeam patris.* ORA] personæ; Virgilius:

Oraq;

Oraq; corticibus sumunt horrenda cauatis.
Vide Isacium Pontanum ad Macrobij lib. 6. cap. 6.

Hercules Corinthius.

CLIX. CLXXVII.

Elidit geminos infans, nec respicit angues,
Jam poterat teneras hydra timere manus.

Hercules ære Corinthio factus & fictus, vt infans, serpentes eliserat. Celebrat Xeuxidis picturam Plinius lib. 25. cap. 11. non æream statuam Martiali hic laudatam. Corinthius enim Hercules dictus ab ære Corinthio, vt supra Sauroctonos Corinthius. De Hercule picto sic Plinius: *Magnificus est Iuppiter eius in throno astantibus, & Hercules infans dracones strangulans, Alcmena matre coram pauente & Amphitryone.* Fabula nota quam iactant mythici.

Hercules fictilis.

CLX. CLXXVIII.

Sum fragilis: sed tu moneo ne sperne sigillum:
Non pudet Alciden nomen habere meum.

Ex argilla formatus; quales erant priscorum imagines, Iuppiter in Capitolio, & in eod. fictiles quadrigæ Tucianus. *Plasten Tarquinius Priscus à Fregellis accersitus Herculem finxit, quem suo æuo Plinius à materia nomen in vrbe retinuisse tradit.* FRAGILIS] ex fragili argilla formatus quidem sum, sed sum tamen Hercules, de quibus ex luto fictis Plinius. *Hæ enim tum effigies deûm erant laudatissimæ, nec pœnitet nos illorum qui tales coluêre, &c.*

Fragilis. Lib. 35. c. 12.

Mineruа argentea.

CLXI. CLXXIX.

Dic mihi virgo ferox, cum sit tibi cassis & hasta,
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

Diuitis haud dubio munus, vt Hercules Corinthium.

Sigillum Mineruæ argenteum describit, gerentis hastam & cassidem sine ægide, seu scuto. Poëta quærit, cur ægidem non ferat: respondet illa, Cæsarem ferre, quasi Domitiano ægidem illa concesserit; Poëta palpat Domitianum, qui se filium Palladis credi volebat, seque in eius sinu consecrabat. Lege commentarium ad lib. 7. epig. 1.

Pectore cum sacro sederit Ægis erit.

Effigiem Palladis armatæ litterarum tironibus haud ignotam non describo, qui spectare volet, Golzij & Occonis numos atque Alciati emblema 22. inspiciat vbi graphice depictam cernet; galeam nempe cristatam vertice gerentem, dextra hastam, læua ægidem Gorgonis seu Medusæ ore terribilem, thoracatam clamidatamque, nec non iuxta, draconem nunquam conniuentem. totum enarrationem adiungit Claudius Minos.

Sigillum * Giberij fictile.

** Sigerij, de quo supra Sigeriosque modos, &c.*

CLXII. CLXXXII.

Ebrius hæc fecit terris puto monstra Prometheus:
Saturnalicio lusit & ipse luto.

Retineo veterem scripturam, & lego, Giberij à gibbere dicti; quorsum enim Sigerus ille Dionis, quamuis Domitiano à cubiculo? Rem tibi planam faciam, & originem huius sigilli monstrosi tradam. Gegania prædiues fœmina candelabrum emit nobile L. sestertiis, quod ea lege vendebatur, vt simul Clesippus fullo, monstrum hominis, gibbere nempe & alio fœdus aspectu, vt Plinius lib. 34. cap. 3. refert, emeretur. Clesippo postea suo Gegania nupsit eumque mox ex asse hæredem scripsit, qui prædiues candelabrum illud, cuius beneficio emptus erat, numinis loco coluit. Fœmina summa laborauit apud omnem posteritatem infamia, cuius vir ob deformitatem, vt monstrum aliquod & naturæ portentum, est effigiatus, in quam effigiem est hoc epigramma,

Mille ducentis quinquaginta Plin. lippocis.

ma, quo focatur in Prometheum Martialis. Prometheus enim, vt fingunt poëtæ, primus hominem è luto formauit, eumque, vt est, pulchrum & venustum. At Clesippum, inquit turpissimum, idem puto fecit Prometheus fictilem, sed ebrius, & in Saturnalibus. Ionem tibi lapidem iurarim hanc esse mentem poëtæ: apage igitur cum Sigero Domitiani. Hic Prometheus pro figulo accipitur in quo alluditur ad primum figulum qui fuit Prometheus.

Homeri batrachomyomachia.

CLXXXIII. CLXIII.

Perlege Mæonio cantatas carmine ranas,
Et frontem nugis soluere disce meis.

Abiudicant hoc opusculum Homero viri docti, duce Plutarcho. Brodæus ad lib. 4. epigr. Græcorum. Henricus Stephanus extrema pagina Heroicorum poëtarum. *Verum enimuero, inquit, hæc de suspectis versibus mentio Batrachomyomachiam Homeri in memoriam mihi reuocat. Nam si & tam ego suspectam non* *Iliadem & Odysseam (si quid iudicio valeo) suspectam habere deberem. At Batrachomyomachiam eum scripsisse multi tradunt; fateor, sed hanc scripsisse non tradunt. Fateor etiam multa ibi esse quæ in aliis Homeri locis reperiantur, sed ea versibus sunt permixta, qui habent non solum, quæ in nullo alio Homeri loco extent, sed ne poetica quidem sint. Idem vero & de multis loquendi generibus dici potest. Cui tamen poemati qualecunque, & cuiuscunque est suam non deesse gratiam fateor.* Hæc Stephanus. Vox, pugnam ranarum & murium sonat. MÆONIO] à Mæonia Asiæ regione, Plinio & Ptolomæo, vnde Homerum aiunt oriundum. FRONTEM NVGIS] foriis putat Lipsius scribendum lib. 1. epist. epi. foriæ sunt battæ, quisquiliæ Nonio. Poëta suas nugas excusat per Virgilium & Homerum, quorum hic batrachomyomachiam (Martialis, Statiusque epist. 1. ad 1. Siluarum, aliique agnoscunt) scripsit, Virgilius culicem. Brodæus confirmat idem, quod vox τρόπαιον in Homero non reperiatur, & ponatur tamen in Batrachomyomachia, cum mos figendi tropœa non videatur tam vetustus, quem ætas Homeri nescierit. Batrachomyomachiam ergo Homero scriptam non negant, hanc autem, quæ hodie extat, pernegant: Plutarchus in vita Homeri, prorsus negat Batrachomyomachiam illi lusam. Ἔγραψε δὲ ποιήματα δύο, Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν, ὡς δέ τινες οὐκ ἀληθῶς λέγοντες, γυμνασίας καὶ παιδιᾶς ἕνεκα, καὶ Βατραχομυομαχίαν, πρὸς δὲ τοῖς καὶ Μαργίτην. Herodotus vero diserte illi Batrachomyomachiam elaboratam tradit in vita Homeri: Ὁ δὲ ἐποίησε ταῦτα καὶ τοὺς Κέρκωπας, καὶ Βατραχομυομαχίαν καὶ Ψηχιλίδας, καὶ τἆλλα πάντα, ὅσα παίγνια ἐστὶν Ὁμήρου, ἐνταῦθα ἐποίησε παρὰ τῷ Χίῳ ἐν Βολισσῷ. Zenon contra & ipse negauit quicquam horum esse Homeri, præter Iliadem & Odysseam, vt Dio Chrysostomus in Encomio Homeri tradit. Sententia distichi est, si contemnis mea apophoreta & nugas carminum lege Homeri vatum principis Batrachomyomachiam, & ex illa, pronuncia de meis, vtra sint leuiora. At si nemo non miratur ingenium poëtæ in tam facili argumento, mirare & meum genium in re saltem vltiore si non grauiore.

*Haberem.

Batrachomyomachia quid.

Homerus in membranis.

CLXXXIV. CLXIV.

Ilias & Priami regnis inimicus Vlysses,
Multiplici pariter condita pelle latent.

Iliadem & Odysseam & indubitatos Homeri, partus mittit. Saturnus enim omnis elegantioris vitæ cultusque auctor habebatur. Poëta hostes duos acerrimos Priamum & Vlyssen ait simul habitare. In membranis autem olim ad diuturnitatem valentibus pleraque scribebantur, vt & Cœnobiorum volumina scripta copiose testantur. Vnde illud Horatianum, *vt toto non quater anno, membranam poscas.* Poscere membranam ille videtur, vt Turnebo placet, qui ea scripsit, quæ in membranam efferenda sint, nec retinenda in aduersariis aut palimpsesto, nec delenda sint, sed edenda, & hominum lectioni committenda: Vlyssis nomine Odysseam intellige, quæ ab Vlysse nomen habet.

De forma membranarum fortasse quis quærat, an habuerint eam figuram, quam nostri hodie libri, an aliam. Aliam videntur habuisse, volumina enim vocabantur, quod vna eademq; pellis continuata inuolueretur, euolueretúrque, quæ ratio sane tam commoda non erat ac nostra.

Dubito

Dubito tamen, an hic perpetuum volumen, an distinctas plagulas poëta signet, cum dicat, multiplic., vt infra de Virgilio. prima tabella, videntur paginatim consutæ fuisse membranæ, vt nostratia volumina. Vidimus in Iconibus Fuluij Vrsini magistrum è volumine tale aliquid pro cathedra quasi legentem, ita vt manu vtraque teneret oris extremis vtrinque inuolutis volumen apertum.

Virgilij Culex.

CLXV. CLXXXV.

Accipe facundi culicem studiose Maronis:
Nei nugis positis † arma virumq́; * canas.*

* Ne nucibus.
† En iterum ponit Aeneidos, principium, Arma virumq;.
* V. legas.

Sunt qui culicem Virgilio quindecenni scriptum tradant; nam Virgilianum poëmatium esse, nemo sanus ibit negatum, sed Iosephus Scaliger culicem Virgilij non pueri, sed plane viri, & maturi ἀνδρὸς χαὶ τελείου, opus esse ex Suetonio de vita Lucani nondum edito confirmat, rationesque addit tam certas, vt me facile in sententiam trahat. Quod si plura libet de hoc Virgiliano lusu nosse, eiusdem Scalig. notas ad Append. Virgil. adi. NEI] legit Marcilius & probe, & illud lib. 8. epig. 11.

Nullum Roma ducem nei (id est, nisi) *te. sic Cæsar amauit.*

NEI NVGIS POSITIS ARMA VIRVMQVE CANAS] Legas, non canas, habet antiquus & melior codex; neque enim hic de poëta, sed poëtæ lectore agit Martialis. Sensus est accipe nunc per Saturnalia, culicem Virgilij, nisi positis nugis forte legas Æneidem. Ludrica variorum scripta supra notauimus. Aliter exponas, si aliter cum quibusdam legas: Ne nucibus positis, arma virumque canas. Quasi moneat studiosum Maronis puerum; prius legendum tironi poëseos culicem Virgilij quam Æneidem.

Virgilius in membrana.

CLXVI. CLXXXVI.

Quàm breuis immensum cepit membrana Maronem?*
Ipsius vultus prima tabella gerit.

* V. intonsum.

QVAM BREVIS IMMENSVM] tenui paruoque charactere scriptum ait, totum Virgilij opus in exigua membrana, quasi pugillaribus. Aut, immensum dicit, non tam ob operis magnitudinem, quam dignitatem, maiestatem, & diuinitatem poëseos. Malim priori & simplici intellectu accipere, sic vt tamen ad argumenti nobilitatem respiciat. Plinius ex Cicerone refert totam Homeri Iliadem membranis perscriptam nuce fuisse inclusam. Mermecidem vero quendam fuisse tam solertem, vt ex ebore quadrigas fabricaretur, quas musca alis integeret, & nauem, quam apicula pinnis absconderet. Aliis placet legere: *Quam breuis intonsum*, vt illius imaginem, qua intonsus & hederatus pingitur alludat. Mihi placet *immensum*, ponit enim duo contraria *breuis & immensus*: alioqui tota vis epigrammatis perit.

IPSIVS VVLTVS PRIMA TABELLA GERIT] Germanam Virgilij & virgineam plane frontem inter Fuluij Vrsini icones spectabis, præfixit eam noster Pontanus suis symbolis Virgilianis. Sed cum antea diximus membranas fuisse vnam paginam seu pellem, & instar pepli largam & extensam, quomodo intelligendum, quod hic poëta dicit de prima tabella. quasi Virgilius fuerit scriptus & missus in pugillaribus, quod equidem non inficiabor fieri potuisse. Sic enim ipse poëta de suis carminibus lib. 1. epig. 2. loquitur.

Hos eme quos arctat breuibus membrana tabellis.

Et de pugillaribus plane videtur loqui, cum addit.

——me manus vna capit.

Cicero in membranis.

CLXVII. CLXXXVIII.

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

SI COMES] Super hac re ex ipso Cicerone multa nobis narrata lib. 1. epig. 2.

Qui tecum cupis esse meos vbicunq; libellos
Et comites longa quæris habere via.

Iconem Ciceronis habes apud Fuluium Vrsinum; posticam eius partem hic dabo ex amplissimi viri M. Velseri Iconotheca cum hac inscriptione ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΤΩΝ. ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ ΘΕΟΔΩΡΟΥ, Theodorum existimo artificem cum Marco, non magistratum.



Liuius in membranis.

CXC. CLXVIII.

Pellibus exiguis arctatur Liuius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

PELLIBVS EXIGVIS] Pelles vocat, credo, vt paginas & tabellas distinguat à continua pelle, & vero volumine. Omnino igitur descendo in eam sententiam, omnes auctores, quos hoc loco in membranis describit, fuisse in formam nostrorum libellorum & enchiridiorum compositos. Laudat Liuium hoc disticho, & ab operis magnitudine. (Libros enim 140. vt breuiaria docent, composuit) & à stili granditate, sic enim expono illud *Liuius ingens*, vt poëta simul vtrunque respiciat. MEA BIBLIOTHECA] quam aut nullam habuit, aut tam paruam, vt vix ipsum poëtam Martialem ceperit. Paullo aliter noster Pontanus in Atticis Bellar. exponit epigramma: Sensus inquit, verus ac Germanus hic est, nisi me fallit sententia. Liuium & præstantia scriptionis seu lactea fandi copia (quam illi D. Hieronymus tribuit) & librorum multitudine magnum (quadraginta enim duos supra centum historiæ Romanæ conscripsit, vt Carolum Sigonium in castigationibus docere memini) Liuium ergo isto modo quo dixi, ingentem, ait exiguis pellibus, id est membranaceis paginis, non ampla forma, in bibliotheca, quam viderat contineri: quem sua bibliotheca, quanta quanta sit, non capiat totum: quia videlicet non habebat totum, sed partem duntaxat, puta vnam vel alteram decadem tantum fortasse. Vides leporem in ambiguo. Sed quod dicit Pontanus à Martiale non totum possessum Liuium, & vocem *totum* illuc refert valde apud me dubium est; existimo potius lusum esse in paruitate loci, quam quod non totum habuerit, nondum enim erat amissus. Iocus est poëtæ. Liuium à S. Gregorio combustum tradit S. Antoninus, & Io. Hesselius quod in superstitionibus & sacris Romanorum assidue versetur.

p. 594. tit. Var. lect. c. 18.

Sallustius.

CXCI. CLXIX.

† Hic erit, vt perhibent doctorum corda virorum,
** Primus Romana * Crispus in Historia.*

† Hic erat. Cic. in Acad. * Crispus. * primus.

Principem Historicorum constituit Sallustium poëta noster, non sui tantum vnius, sed optimorum auctorum Iudicio. Ciceronis in Academ. Senecæ declamatoris, Quintiliani, Taciti qui Crispi & summus fuit semper admirator, & studiosissimus imitator, vt ipse Sallustius coryphæi Græcorum historicorum Thucididæ; cui Fabius ipsum Sallustium opponit. Neque nescio sinistram Asinij Pollionis censuram. qui, vt priscorum verborum affectatorem damnat Crispum Catonis tamen verborum furem nescio quis illum postulet poëta:

Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe Iugurthinæ conditor historiæ.

Sallustij Elogia ex variis scriptoribus collecta, suis notis præfixit Petrus Ciaconius. Quid de eod. sentiat Lipsius leges præfatione ad Tacitum.

Ouidij

Ouidij Metamorphosis in membranis.

CLXX. CXCII.

Hæc tibi multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque, decemque, gerit.

Transformationum libros quinos denos mittit. MVLTIPLICI TABELLA] multis paginis compactum librum aut volumen, quod massam vocat; malim de forma libri nostratis accipi. CARMINA] pro libris hic accipe carmina, vt Lucretius lib. 6. quod in primo iam carmine claret. Ouid. 1. Met. eodem sensu vsurpauit.

Lucanus.

CLXXI. CXCIV.

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poëtam:
Sed qui me vendit bibliopola putat.

SVNT QVIDAM] De Lucano nobis multa ad lib. 7. ep 18. 19. & 20. dicta. Hic poëta ex communi doctorum iudicio pronunciat Lucanum videri non poëtam. Et sane Cicero generatim de Cordubensibus sui temporis poëtis non bene sensit, quos nescio quid pingue & peregrinum sonare affirmauit. Cordubensis autem Lucanus. Quintilianus lib. 10. cap. 1. *Lucanus*, inquit, *ardens & concitatus & sententiis clarissimus, & vt dicam, quod sentio magis oratoribus quam poetis annumerandus.* Seruius 1. Æneid. *Lucanus namque in numero poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse non poema.* Petronius Arbiter de eodem videtur loqui, cum scribit in Satyrico, quem 7. epig. 22. ad testimonium citauimus. Gyraldus deterrimum fert de Lucano iudicium dialog. 4. histor. poët. quem tute videbis. Poëta Lucanum siue poëtam, siue non poëtam à Bibliopolis æque feliciter & frequenter vendi pro poëta atque alios affirmat, quo ostendit, legi frequenter solitum, & in manibus hominum assidue versatum. Multa de Lucano, Silio, Empedocle, Nicandro, Arato, Sereno, Manilio, Vida, Fracastorio, Sanazario noster Bisciola. lib. 5. c. 12.

Vide Scaligeri poetica.

Catullus.

CLXXII. CXCV.

Tantum magna suo debet Verona Catullo
Quantum parua suo Mantua Virgilio.

Quantum parua Mantua magno Virgilio debet, tantum magna Verona paruo Catullo. à contrariis locus: tantum paruus Catullus illustrauit magnam patriam, quantum magnus Virgilius suam paruam Mantuam. Plura super his lib. 1. ep. 62. ad illos versus.

Verona docti syllabas amat Vatis
Marone fœlix Mantua est.

Porro de amplitudine magnitudineque nobilissimæ & antiquissimæ Veronæ scripsit plenissime Taurellus Sarayna Veronensis. Leander in Marchia Taruisana & alij.

* Calda & frigida aqua.

CLXXIII. CXCVI.

*Hæc tibi, quæ fuerint Caldarum nomina, * dicunt:*
*Ipsa suas melius charta * natabit aquas.*

* Calui de aqua frigida vsu.
* dicit.
* v. notabit.

Non est in promptu intellectus huius distichi, quod ego sic interpretor. HÆC] hæc quæ tibi de aqua calida muneris loco mitto, carmina nomina caldarum aquarum exprimunt. SVAS AQVAS] frigidas vero, ipsa charta cum carmine in flumen abiecta notabit, seu natabit: vtraque enim scriptura probari potest. Ita poëta abiicit sua Apophoreta, velut nugatoria & leuia, quæ sint in aquas spargenda, vt lib. 1. ad Cæsarem.

Vis puto cum libro Marce natare tuo.

De calda, & frigida, & hoc, & aliis libris dictum copiose. Et suis libris exposuêre Castalio & Cassianus Pierius. Gruterus hoc habet lemma: Calui de aquæ frigidæ vsu. Sed primum carmen omnino

omnino epigraphæ non respondet; cum sit hæc sententia heroici versus. Hæc carmina Calui docent aquarum calidarum nomina. Epigraphe est de aqua frigida, carmen de calda. Proinde legunt alij;

Hæc tibi quæ fontes & aquarum nomina dixit
Vsa suis melius charta natabit aquis.

Audax hæc cura & periculosa, longiusque à literarum ductu recedens. Tutius seruarim primum lemma, DE CALDA ET FRIGIDA AQVA.] In senario enim de caldâ, in quinario de frigida loquitur. Hoc intellectu. Hæc (audi carmina) tibi ostendunt quæ sint nomina calidarum aquarum, quod illarum ingenium, quæ vis & natura, quibus in terris nascantur, id quod Plinius & alij tradunt: Ipsa vero charta coniecta & sparsa in aquas, frigidam suam notabit per se cum natabit, & delebitur aquis, vt supra:

Lib.9.ep.59. *Nympharum templis quisquis sua carmina donat*
Quid fieri libris debeat ipse monet.

Et lib.5.ep.55. *Materia est mihi crede tuis aptissima chartis*
Deucalion ——

Et lib.3. ep. vlt. *Imbribus immodicis cœlum nam forte ruebat*
Non aliter mitti debuit iste liber.

* Paulla i. e. exigua, parua.

Mulæ * Pomiliæ.

CXCVII. CLXXIV.

* Huc refer illud. Non aliter videtur Atlas cum compare mulo.

His tibi de mulis non est metuenda ruina:
Altius in terra pœnè sedere soles.

In precio habiti quondam muli, seu mulæ pumilâ staturâ, mannuli item, quos paruis liberis emerunt potentiores, vt ex epistola Plinij de morte Reguli minoris discis. Poëta mulas breuissimas pumilias magis deprimit, tamque humiles ait, vt ipsa terra, quam premunt, humiliores videantur. diximus de hoc quoque disticho lib. 6. ep. 77. ad illum versum,

Non aliter videtur Atlas cum compare mulo.

Atlas ex contrario dictus mulo pumilo. Lege Politianum lib. Miscell. cap. 23. Etsi non desunt qui Atlantem reuera pumilionem fuisse dicunt, & per antiphrasin dictum Atlantem. Nascuntur parui muli, seu mulæ pumilæ, ex equa & mulo, vt tradit lib. 8. cap. 44. Plinius. dicunturque * hinni. Muli ipsi ex asino & equa, ex equo & asina hinnuli.

* Ini, vel ginni.

Catella Gallicana.

CXCVIII. CLXXV.

Delicias paruæ si vis audire Catellæ,
*Narranti breuis est pagina * tota tibi.*

* v. primo.

Hanc poëta descripsit lib. 1. epig. 110. & hoc loco legerim potius *Narranti breuis est, pagina prima mihi*, vt primum librum insinuet. vbi Issam Catellam Publij describit.

Asturco.

CXCIX. CLXXVI.

Hic breuis, ad numerum rapidos qui colligit vngues,
Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

Austurcones equos constat ab Asturia Hispaniæ Gallaicæ regione auri diuite, vt alibi d. appellatos Asturcones, quibus Plinio teste lib 8.cap.43. *non vulgaris in vsu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio*: Varro dixit tollutim incidere. Virg. 3. Georg. *Superbos glomerare gressus.* Silius. *glomerare vestigia.* equi erant cæteris minores, bello inutiles, vt canit Silius. Equus propriè gradarius, tollutaris vel tollutarius, & Asturco appellatur. Græcis ὑποχειρίζειν, quod noster dixit, ad numerum colligere vngues. A gradario equo Seneca epist. 4. Ciceronem appellaui gradarium, quod molliter leniterque velut asturco eius orationes incederent. Arbiter laudat Asturconem Macedonicum. Cras puero Asturconem Macedonicum optimum donabo.

Petronius in Satyr. Suet. Neron. c. 46.

Canis

Canis vertagus.

CLXXVII. CC.

Non sibi sed domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Disputat de hac voce, vertagus, Turnebus aduerſ. lib. 8. cap. 1. Et modo vertrahus, quaſi fertrahus, hoc eſt feram trahens, modo vertagus, aut vertragus mutato afflatu ing. (vt tragula pro trahula dicitur) appellandus viro docto videtur. Nonnulli à vertendo, & agendo deducunt, quorum nulla eſt auctoritas. canes ſunt, prompti in feras, quas venatori viuas, & illæſas deferunt. videtur peregrina vox. NON SIBI] Vt Virgilius de apibus, auibus, bubus, ouibus. Sic vos non vobis, &c. Et noſter infra captas non ſibi mæret aues. Canum elogium, & quaſi hiſtoriam breuem leges apud Lipſium Cent. 1. ad Belgas ep. 44. cuius hoc initium. Adeſte mei iuuenes.

Simius.

CLXXVIII. CCI.

Callidus emiſſas eludere ſimius haſtas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Simius dicitur Horatio, Claudiano, Martiali, & inde Ciceroni ſimiolus, contra quos ſentit Porphyrio, qui ſimiam tantum ait dici. vſitatum animal, & Æliano hiſtor. animalium laudatur. Mutiani ſimia latrunculis ludens celebrata Plinio. Ælianus infantem à ſimia interfectum ait, cum nutricem imitaretur puerum lauantem. Alia multa paſſim Ælianus; de haſta tamen neuter meminit, quamquam Ælianus neget ſimiam capi poſſe vel canibus, vel retibus, ſed ſpeculo, viſco, plumbatis calceis, &c. ELVDERE] declinatione corporis vel galea & parma inſtructus & armatus: Id enim turpiſſimum animal inquit Rutgerſius lib 3. Var. cap. 15. ab agyrtis lucelli cauſſa iaculo inſtitui ſolere & nos ipſi Lutetiæ ac Londini non ſemel vidimus; & id iam olim quoq; factitatum Martialis teſtis eſt *Callidus amiſſas &c.* Iuuenal.

Qui tegitur parma & galea metuenſq; flagello.

CERCOPITHECVS ERAM] Simiarum varia genera deſcribit & Plinius, & Ælianus, quæ cauda inter ſe diſtingui tradunt, ita vt ſimiæ ſine cauda dicantur Græcis πίθηκοι, caudati κερκοπίθηκοι. κέρκος enim caudam ſonat. Enimuero nomen Cercopitheci paullo largius, vſurpatur etiam de Cynocephalo, quem canicipitem appellarent Latini, quod eadem prope formâ & figurâ ſit, qua ſimia caudata, vnde & idem illi nomen habet. De his Plinius lib. 8. cap. 21. Cercopithecus Cynocephalus Ægyptijs ſacerrimum animal, quod lib. 6. tradit Ioannes Pierius, & Iuuenalis Sat. 15. de ſuperſtitione Ægyptiorum.

Quis neſcit Voluſi Bithynia qualia demens
Ægyptus portenta colat: crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus ibim
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.

De Cercopithecis plura pag. 483. Strabo de India.

De ſimijs plura Ariſtoteles lib. 2. hiſt. anim. cap. 8. Athenæus lib. 14. Ælianus lib. 2. Var. Orus. Scal. Exerc. 215. Claudianus. Oppianus 2 Cyneg. Illius Interpretes ibi. Artem aurigandi quoque ſic addidicere, vt facile aurigatores etiam homines ſuperarent. Sed omnes ſuperaſſe, videtur illa, quam aula Iulij II. Pontif. Max. patrum memoria aluit. Viri nobiles, & qui ab officio noctu plerumque, cum hiems anni eſſet, coire ad focum, mollire in fauillis caſtaneas, cædere varios ſermones, & multifariam illas horas decipere ſolebant, quoad ſe lecto & quieti traderet ſummus Antiſtes. Ibi quoque cernere erat ſimiæ feſtiua exodia, præſertim cum illi feruentiores caſtaneæ, (quas auidiſſime eſitabat) vel caſſæ tunicæ pro aſſe iacerentur. Nam illis manus fauceſque adurebat vehementius, iſtas cum exanimes ſentiret, in coronam lepide remouebat. Accidit aliquando, vt omnem illum cœtum ſubita quædam negotia ſoluerent, multis interea nucibus de more in camino ſepultis. Tum Simia, ne tam opimam prædam amitteret, occaſionis oblatæ haud oblita, dum abſunt iſti, accingitur in nouum facinus. Circumſilit caminum, iam ſummos cineres, iam omnem conturbat focum; vſta viuere vbique ſentit & candere ſcintillas, quoties tendat falculis. Poſtquam igitur nec ſic potiri poſſet dapibus paratis, in omnes ſe partes & artes vertit. Redit in memoriam conſueſſe famulos batillis ridiculiſque nuces illas expedire è prunis. Circumfert oculos, nihil eorum ſubit. Nec tamen à loco aut ſpe diſcedit. Audi rem miram; conſilium ad ingenium acceſſit. Aderat forte felis; hanc corripit extemplo, auerſamque arcte pectori adſtringit, & ad focum defert. Dein primores pedes necquidquam obluctantis dirigit in fauillas, ſcrutaturque audaciter, & excutit liberaliter ceu vicaria forcipe caſtaneas. Enim vero cum extrema digitorum deurerentur dirius, & hæc ſine miſſione exhauriret & harpagaret nuces, atrociſſime

Ex Maiol. Colloquio VII. de quadrupedibus, fol. 344.

vlulare cœpit felis, concurritur, spectatur, ridetur largissime. Cæterum quia tam docte nauasset operam simia, præmiorum nolebant expertem abire. Castaneis abunde cumulant & ad satietatem implent. Tardius humano occurrisset ingenio, quod tam l[illegible]bito fera inuenit. Mira sunt etiam quæ de Indicis Simiis, lib. 17. tradidit Diodorus Siculus quem videbis, pag. 560.

Vicarius.

CCII. CLXXIX.

Brodaeus Miscell. lib. 4. c. 9. Euset. Ttolog.

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Varia notio est huius verbi; à notis vtique vox ipsa deducitur, vt Hammonius sensit, & Paullus de testamento militari. *L. Titius notario suo testamentum scribendum notis dictauit.* Dicti sunt igitur notarij primulum, qui excipientes verba dictantis, per notas & compendia scribebant tam celeriter & expedite, vt linguam dicentis, vel dictantis etiam anteuerterent. Deinde erant notarij actuarij apud Senecam; & Tranquillum, quod in acta referrent, quæ dicebantur in senatu, & ad populum. Postremo (qui & hodie dicuntur ab illo munere) dicti sunt notarij, quibus publica cura stipulandorum instrumentorum ab Imperatore commissa fuit. Lampridius. *Eum, notarium, qui falsum caussæ breue in consilio imperatorio retulisset Seuerus incisis digitorum neruis, ita vt nunquam posset scribere, deportauit.* Huius familiæ sunt, quos hodie notarios Pontificios Cæsarios Reip. ciuitatum Academiarum appellant. Nobis de primo genere sermo. hos Græci σημειογράφους, aut ταχυγράφους nominant, à signis nempe, seu notis, quod διὰ σημείων πρὸς τάχος scribebant. S. Basilius in epistola, οἱ λόγοι τὴν φύσιν ὑπόπτερον ἔχουσι, διὰ τῶν σημείων χρήζουσι, ἵνα ἱπταμένων αὐτῶν λάβῃ τὸ τάχος ὁ γράφων. Eleganter eosdem laudauit Manilius lib. 4. Astronomicōn, vbi notarios ait sub virgine nasci.

Graphiarij

Hic & scriptor erit fœlix, cui littera verbum est.

Aut litteræ, aut imagines quædam rerum, & σημεῖα, vt Plutarchus in Cic. vocat. Quintil. lib. 11. cap. 2. imagines. Solinus ita per compendia scriptam Homeri Iliad. in nucis putamine tradit. En compendia scribendi, cum singulæ litteræ singula prope verba significant. Adiungit Manilius.

Quique notis linguam superet, cursimque loquentis,
Excipiens longas noua per compendia voces.

Eadem scribendi compendia notat Seneca ad Lucilium. *Quid verborum notas quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus sequitur: vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* Sed longo & venusto dimetro disertissime prædicat suum præpetem notarum ministrum Ausonius.

Tu me loquentem præuenis,
Quis quæso, quis me prodidit?
Quis ista iam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere.

Sidonius de eodem, epistola nona, libro nono: *Tradit & quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas saltuosa compendium, qui comprehendebant signis, quod litteris non tenebant.* Erant autem ij, qui singulis scribebant, notarij Imperatori Iustiniano σιγγλάριοι dicti. Græci enim duplex, vt Scaliger ad Ausonium notat, genus scriptorum erat, quos aut τοὺς γράφοντας εἰς κάλλος, nos antiquarios, aut τοὺς γράφοντας εἰς τάχος vocabant, quos posteriores non appellamus notarios. Sunt horum libri quinque Anthol. anathemat. Auctores non pauci, separant omnino litteras singulas, siue quæ vno verbo singulæ appellantur à notis. Ita vt notæ non sint litteræ. Singula autem sunt litteræ singulariæ, vt Gellius lib. 17. loquitur, sine coagmentis syllabarum. Ita notas separat Manilius, cui littera verbum est. Quique notis linguam superet, exempla proponit Cuiacius lib. 12. Obser. cap. vlt. Notarij ergo dicuntur, qui notis scribunt; Singularij, qui singulis. Multa & Sauaro ad lib. 9. Sid. epist. 9. Bernartius ad 1. Sil. Statij. p. 4. Brissonius lib. 12. de Verb. signif. Iuretus ad epist. Symmachi 37. lib. 5. De auctore harum notarum quæritur inter auctores. Plutarchus hanc laudem in vita Catonis Vticensis Ciceroni tribuit. Eusebij chronicon Tironi Ciceronis. Seneca seruis quibusdam forte Ciceronis aut Mæcenatis; Mæcenas enim, auctore Dione, primus excogitauit σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος, multosque eadem docuit per Aquilam libertum suum. Extant hodie libri bene magni de hoc & alio genere notarum & compendiorum. Diaconi de notis. In quo L. Annæus Seneca laudatur velut is, qui hanc artem scribendi compendiariam illustrauit, digesserit, auxeritque, vt quinque millia notarum seu τῶν σημείων contraxerit. Cæterum multis annis ante Ciceronem Iudæi notarum videntur artem inuenisse, capta ex Danielis diuinissimi vatis interpretatione huius compendij occasione. Daniel enim illa cœlesti digito exarata verba MANE, THECEL, PHARES. Sic est interpretatus, vt singula verba singulas obseruarent orationis sententias. Magistri ergo, & diuinarum litterarum interpretes, genus inde interpretandi nouum inuenerunt, quod chabalisticum appellarunt, quo non tantum sententias, & integras diuinæ scripturæ orationes explanant, sed etiam syllabas, & singulas quasque litteras separatim expendentes, quasi lateat in singulis aliquid mysterij, excutiunt, & varijs tam historicis, quam mysticis sensibus

bus interpretantur. Plura de hoc Pererius lib. 6. ad cap. 5. Danielis. Sixtus Senensis in lib. 3. bibliothecæ sanctæ. Et coniectura est, hinc à Iudæis manasse rationem, hac methodo non interpretandi tantum, sed etiam scribendi. Refert Hieron. Osorius lib. 3. de rebus gestis Emanuelis Regis Lusitaniæ, inuentas esse litteras in arcu crucis, repertæ Malipuræ seu Meliapore, vt Mastæus appellat, nunc S. Thomæ colonia est, quarum singulæ notæ, vel decem, vel quindecim, vel viginti litterarum officio fungerentur. Quæ scribendi legendique scientia an ab Indis, vel Iudæis propagata sit, nihil affirmauerim. Inclinat animus Iudæis eam transcribere, quod Osorius referat duas item tabulas æneas in eadem vrbe litteris incisis repertas, quas Iudæus legerit, quanquam alias illas in arcu crucis Brachmanem referat intellexisse. Porro traiectionem litterarum cum quarta pro prima, aut secunda pro prima, tertia pro secunda, &c. vsurpatur, qua arte Iulius Cæsar, Augustus item, & alij sunt vsi ad familiares, de rebus quas emanare in alios, aut ab alijs intelligi nolebant, scripturi, huc non pertinentem omitto. Hæc liberalis cognitionis caussâ putaui animaduertenda. Versus poëtæ iam claret. Valerius Probus Grammaticus libellum de notis Romanorum interpretandis conscripsit, vti & Aldus Manutius. P. F. earundem explanationem, Copiose de eisdem nuper Octauianus Ferrarius lib. de Orig. Romanorum p. 35. & seq. vsque ad 42. Iustus Lipsius erudite epist. 27. Cent. 1. ad Belgas Leonardo Lessio Societatis Iesu inscripta: incipit, in varijs & pœne cotidianis, &c.

Concha.

CLXXX. CCIX.

Læuis ab æquoreâ cortex Mareotica conchâ
**Fiat: inoffensa curret arundo via.*

* *Fit licet, offensa curret.*

Scabritiam papyri dente conchaue læuigari dicit Plinius lib. 13. cap. 12. sed fieri caducas litteras recte addit, minusque sorbere politura chartam, & magis splendescere. Vsum igitur conchæ exponit, qua politur charta, vt calamus expedito cursu campos aret papyraceos, ac sine offensa percurrat.

CORTEX MAREOTICA] Ægyptia. Mareotis enim Ægypti pars est Seruio & Ptolemæo. Strabo lib. 17. Mareotin lacum Mariæ appellat, & Mareotin Alexandriam alluentem. Genere porro muliebri, vsurpauit corticem etiam Virgilius Ecl. 6.

Tum Phaëtontiadas musco circumdat amaræ
Corticis——

Quem locum tractat Quintilianus lib. 1. cap. 5. vbi de solœcismo agit, an in verbo, vel sermone fiat, cum, siue amaræ corticis, seu medio cortice, per genus, facit solœcismum, *quorum*, inquit Fabius, *neutrum quidem reprehendo, cum sit vtriusq. Virgilius auctor*. Concludo igitur & Virgilium & Martialem schemate per genus vsos esse. Nam solœcismi arguere tantos scriptores, grauissimus esset solœcismus. Verba sic compone: Cortex Mareotica siue papyrus Ægyptia, fiat læuis & plana ab æquorea concha & expedite scribes.

Morio.

CLXXXI. CCX.

Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa:
Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.

Morionem verum describit, hoc est, ridicule fatuum & sapienter desipientem, non stupidum, non fictum. Dictum aiunt à Græco μωρός, id est, stultus, fatuus, per diminutionem μωρίων, cui testem quæro idoneum. Noster poëta sæpicule morionis facit mentionem, lib. 3. ep. 82. lib. 6. ep. 39. lib. 8. ep. 13. lib. 9. ep. 34. lib. 12. ep. 95. Morionum ergo duplex genus fictum alterum & improbum, quod in principum aulis nonnunquam videmus. Et huiusmodi morionem ioci caussa egisse refert Herodotus Amasin Ægypti regem. Eiusmodi & Romani mensis adhibebant, vt conuiuas exhilararent. de quibus Cicero in secundo de oratore: hos saniones appellitabant latini. Alterum genus, natura & ingenio non ficto ridiculum ob errorem aliquem mentis à sanitate detortum. quod hic intelligit poëta, talemque morionem ait sapere. Nam ille sapit, qui plus iusto non sapit, hoc est, qui sapit, quantum illi natura largita est; hic est morio. sed ego in morione diutius non morabor.

Caput arietinum.

CCXI — CLXXXII.

Mollia Phryxei secuisti colla mariti.
Hoc meruit, tunicam qui tibi sæpe dedit?

Pauperibus per Saturnalia caput veruecinum mittebatur, vt ex Iuuenalis Sat. 5. disco, apud quem ebrius, consuetudinis huius memor, interrogat pauperem.

Cuius concha tumes, qui tecum sectile porrum
Sutor & elixi veruecis labra comedit?

Est autem veruex aries. astratus. PHRYXÆI MARITI] periphrasis arietis, Aries enim Phryxum per Hellespontum deportauit, à quo Phryxæus est appellatus. TVNICAM] ex vellere detonso. Sic Ouid. 15. met.

Quid meruistis oues * *placidum pecus, inque tuendos*
Natum homines, pleno quæ fertis in vbere nectar,
Mollia quæ nobis vestras velamina lanas
Præbetis, vitaque magis, quam morte iuuatis?

* vt morerentur nempe.

Merito igitur Virgil. *Infelix ô semper oues pecus,*
Et noster supra lib. 13. ep. 87.

Pumilio.

CCXII. — CLXXXIII.

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas;
Si stantem videas, Astyanacta putes.

Nani & Pumiliones seu pumili illustribus viris in delicijs, vt moriones: *Nanum*, inquit Festus, *Græci vas aquarium dicunt, humile & concauum, quod vulgo vocant situlum barbatum, vnde nani pumiliones appellantur.* SI SOLVM] si sedentem videas capiteque tenus extantem, prope gigantem credas; sunt enim bone capitati pumiliones. HECTORA] Troianorum ἕρκος & murum ingentem nempe virum, & Heroëm Homeri Iliade nobilitatum. ASTYANACTA] * puerum Hectoris in excidio vrbis præcipitem actum. Plinius lib. 11. cap. 49. in omni genere animalium, etiam auibus agnoscit pumiliones, etiam arboribus. Caussas adfert Rhodiginus lib. 3. cap. 11.

* filium.

Parma.

CCXIII. — CLXXXIV.

Hæc, quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro,
Parma tibi, scutum Pumilionis erat.

Adulatur poëta Domitiano, qui Thracum factionem oderat, ita vt patremfamilias feris obijceret, quod parmularijs faueret, vt supra dictum. Parma Varroni lib. 4. de LL. dicitur, quod à medio in omnes partes par, hoc est, rotunda pelta tripedalis, haud dubie in ambitu & perimetro, non diametro, seu dimetiente, Rotundam esse ostendit Polybius his verbis: περιφερὴς τῷ σχήματι τρίπεδον ἔχει διάμετρον. *Cum enim forma rotunda sit tripedalem habet dimensionem.* In arenâ Thrax peltam, siue parmam gerit, quæ quia parua, male muniebat magnum corpus, vt recte poëta pumilioni eam conuenire dicat, locoque scuti futuram; scutum autem legionarij militis, quatuor pedes habebat in longitudine, duos & semis in lato. Plura qui desiderat, Lipsium adeat de militia Rom. lib. 3 dial. 1. Eiusdem Satur. lib 2. cap. 9. Tibi ergo viro iusto parma vere erit parma; at ead. puero & nano erit loco iusti & magni scuti.

Bruti puer, siue pusio.

CLXXXV.

Gloria tam parui non est obscura sigilli,
Istius pueri Brutus * *amator erat.*

Iam supra huius quoque mentio facta est, lib. 2. ep. 77. & lib. 9 ep. 51. *Nos facimus Bruti puerum nos lagon vinum* Scribit de hoc Plinius lib. 74. c. 8. *Item fecit* (Strongylion fictor) *puerum, quem amando Brutus Philippensis cognomine suo illustrauit.* SIGILLI] Sigilla sunt icunculæ infra humanam staturam,

* Strongylionis statuam amauit propter artificium. Plinius lib. 34. c. 8.

ram, quæ missitabant Saturnalibus, cuius originem Macrobius lib. 1. Sat. 11. his verbis aperit. *Epicadus refert Herculem, occiso Geryone, cum victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui nunc sublicius dicitur, ad tempus instructo, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluuium demisisse, vt aqua secunda in mare deuecta, pro corporibus defunctorum veluti patrijs sedibus redderentur, & inde vsum talia simulacra fingendi inter sacra mansisse. Sed mihi huius rei origo verior æstimatur, quam paullo ante memini retulisse. Pelasgos (postquam fælicior interpretatio capita non viuentium sed fictilia, & φωτὸς æstimationem non solum hominem, sed etiam lumen significare docuisset) cœpisse Saturno potius cereos accendere, & in sacellum Ditis aræ Saturni cohærens oscilla quædam pro suis capitibus ferre: ex illo traditum, vt cerei saturnalibus missitarentur, & sigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur, quæ homines pro se atq; suis, piaculum pro Dite Saturno facerent. Ideo Saturnalibus talium commerciorum cœpta celebritas septem occupat dies, &c.* PARVI] sed magno artificio expressi. Parua, summa arte efficiebantur, lege Plinium, lib. 34. cap. 8.

Accipiter.

CLXXXVI. CCXVI.

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, & captas non sibi mæret aues.

Accipitrum genera aiunt esse sex, alij decem. Nam qui ex Plinio sedecim ponunt, falsi putantur, ex mendo numeri. vt ostendit Gesnerus, apud quem infinita de hoc prædone, vt cicuretur, prædamque ad aucupem deferat.

PRÆDO FVIT] Sibi, prius quam mansuesceret, prædam captabat. cicuratus seruit aucupi, vt antea de vertago cane dixerat. *Non sibi sed domino venatur vertagus acer.* Decipit, Parthius legit: *Et capit, & captos non sibi mæret auis.* quæ mihi scriptura valde arridet. MÆRET] dolet se præda sua non frui. Aucupio hodie nihil vsitatius inter nobiles & principes viros, & olim fuisse, omnia litterarum docent monumenta. Extat de auium aucupio volumen iustum Friderici II. Imperatoris, & Alberti M. de falconibus, Asturibus, accipitribus. Carmen item venustum ex lib. 2. Hieracosophis, incerti auctoris, de initio rei accipitrariæ, quod patronus & Mæcenas communis literarum, & litteratorum Marcus Velserus II. vir Augustanus ad insigne pinus elegantibus formis curauit edi. Bisciolam quoq; consule lib. 16. multis super hoc versu agentem.

Obsonator.

CLXXXVII. CCXVII.

*Dic quotus * es, quanti cupias cœnare, nec vnum*
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

* v. es

DIC QVOTVS ES] Qui cibis & opsonijs comparandis præerat, obsonator vocabatur apud Marcellum, in l. legatis seruis. Græci ἀγοραστὴν vocant, vt Athenæus est auctor & ὀψώνην. est enim obsonator ὁ τὰ ὄψα ὠνούμενος. Opsonium autem dicitur, quidquid, præter panem & vinum, mensæ infertur, vel quod igne paratur ad epulandum: sic Athenæus ὅτι ὄψον κυρίως καλεῖται, πᾶν τὸ πυρὶ κατασκευαζόμενον εἰς ἐδωδὴν. Ipsa porro vox obsonator est quasi Græca, quod videatur ab ὄψου, & ὠνητοῦ dictus obsonator. Habebant porro in mandatis, vt pro ratione & numero conuiuarum splendidum, aut frugale conuiuium appararent. QVANTI] quàm caro vis cœnare. Hic poetæ obsonator maxime illustrabitur Luculli Apolline, de quo Plutarchus in eius vita, extremis fere paginis, vbi incipit ὄντος ἤ περὶ τούτου λόγου πολλοῦ, &c. *Cicero igitur salutatum rogauit, vacaretne ei colloqui? Quo annuente, & ad fabulandum inuitante. Nos hodie constituimus, inquit, apud te cœnare. Verum cœna solita tua. Hic recusare Lucullo simulante, atq; in diem posterum eos reijciente, negauerunt se concessuros neq; alloquendi potestatem fecerunt seruis, ne quid parari quotidiano iuberet amplius. Id modo largiti sunt petenti, palam vt vni seruo diceret, hodie ipsum in Apolline cœnaturum. Id vni ex splendidis tricliniis nomen erat. Quod eius commentum fefellit illos. Nam singulis scilicet triclinijs certa summa in cœnam taxata erat, peculiaresq; impensas & paratum habebant. vt audito, serui vbi cœnare vellent, scirent quantum impendendum, quo esset cœna ordine & digestione instruenda. Cœnare in Apolline quinquaginta millibus denariorum solenne habebat.* Hæc Plutarchus. Vnde discis, quomodo serui & obsonatores sumptum & apparatum norint, domino numerum conuiuarum, & caput sumptus exprimente. Imo Lucullianis seruis tantum opus erat scire, vbi vellet cœnare. In Apolline quinis millibus Philippicorum cœnabatur. Quare pro lauta cœna dicitur in Apolline cœnare.

Calami aucupatorij.

CCXVIII. CLXXXVIII.

Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales.
Pallida dum tacita crescit arundo manu.

Aues non viscatis tantum virgis, sed cantu etiam decipi dicit. De virgis poeta lib. 9. ep. 55. *Pinguis & implicitas virga teneret aues.* Idem cecinit in moralibus distichis, nescio sanè quis Cato post Neronem reuiuiscens, quando Ausonij esse negantur & pernegantur. Prisci non esse vilius Catonis certum, cum Lucanus citetur. Catonis nomen distichis illis à gnomographo propter Catonis probitatem inditum putat Ios. Scaliger lib. 2. ad Auson. cap. 32. vbi multa super illorum distichorum auctore contra Baptistam Pium disputat.

CRESCIT ARVNDO] auceps sub arbore latitans inuitabat cantu aues, quibus iam arbori insedentibus infra auceps paullatim assurgens viscatas virgas subiiciebat capiebatque. Et hoc est, quod poeta dicit, crescere arundinem seu virgam, dum paulatim ab aucupe in digitos pedum surgente tollitur, auiumque pedibus subiicitur, vt crescere sensim videatur. Hodie siluestres ædificant casas, aut cortes, quas & secum aucupes circumferunt per siluas, ex quibus decipulam seu bifidum protendunt bacillum, (amitem nonnulli ex Horatio vocant, sed ames est pertica bifurcata sustinens retia) quem claudere opportune norunt. Deinde cantillant tantisper, dum autem ferulæ insidentem, vnguibus clauso bacillo teneant. Aliter possis distichon intelligere: Non tantum capitur auis virgis visco litis sed etiam cantu, qui cannâ sensim ritu organi in manu crescente editur, fistula enim multiplex est & ex cannis pluribus, vt supra explicatum, & disparibus componitur. Ita pentameter versus explanat modum quo fallitur ales cantu. Sed versus plane est ambiguus. Cum vt dixi recte etiam explices: Cum calamos & arundinem auceps tendit, allicit etiam cantu & fistula aues, vt simul cantu & calamis capiantur. De arundine viscata, & calamo crescente idem Silius canit. Capiuntur & retibus l.b. 11. ep. 22. Quam quæ rura vagos expectant retia turdos. Sed plura leges apud eos, qui de aucupio scribunt.

*Corculum.

* Corbubulum lego cum Torrentio alij corbulum. Lipsius probat corculum.

CCXIX. CLXXXIX.

Pauper caussidicus nullos referentia nummos
Carmina cum scribas: accipe cor, quod habes.

Sentiebam legendum esse corculum. sed cum antiqua exemplaria scripturam hanc habeant, & sensus carminis sit æque acutus, vel argutior etiam. Muto sententiam & expono. Cor bubulum vecordi caussidico & pessimo poëtæ frustra laboranti nec cessanti, missum, quale nempe ipse habebat, hoc est, æque stupidum & stolidum, atque bouis est. Accipe, inquit, cor, quod habes, bouis, non hominis cor habes, quia tam sapis, quam bos sapit; bubulum ergo cor habes, bubulum dono, vt simile simili iungatur, cor nempe sine corde. Tu enim dies & noctes, sine omni operæ precio, sudas, & sudando plus perdis, quam acquiris. Placet & Parthio corbubulum & explanatio nostra.

Cocus.

† al. parato. palatum Melo, cocus. Atque cocus. aliter coci seruitio. Turnebū de hoc versu vide libr. 19. cap. 24.

CCXX. CXC.

Non satis est ars sola coco, seruire † palato:
Namque cocus domini debet habere gulam.

Plautus docet, coquos apud Romanos ex macello conductos domi non habitos. Aulularia.

Postquam obsonauit herus & conduxit coquos, &c.

Hinc nundinalis coquus apud eundem, qui nono quoque die conducebatur ex macello, quod Festus annotauit. Plinius idem testatus lib. 18. cap. 11. *Nec coquos vero habebant in seruitijs, eosque ex macello conducebant.* Coquorum vicem quotidie obibant ancillæ, & familiæ cibos apparabant, vti fit hodie, præter illustrium & principum aulas. Tandem priuatos etiam coquos domi seruosque habuerunt, quod ex Plutarcho in vita Antonij, & nostro poeta pluribus locis constat, Lib. 3. ep. 93.

Esse negas coctum leporem, poscisque flagella;
Mauis, Ruse, coquum scindere, quam leporem.

Et lib. 5. ep. 51. *Atque aliquando meus det tibi verba coquus.*

Et lib. 8. ep. 23. *Esse tibi videor, &c.*

Athe-

Athenæus refert lib. 18. cap. 31. ex Menandri adulatore magno quondam in honore fuisse Græcis coquos, eosque præfuisse lactis & nuptijs dictosque μαγείρους, ἀρχιμαγείρους, ὀψοποιοὺς, καὶ ὀψοπώλας eo tamen discrimine, vt magirus præesset, opsopæus esset popinarius Sudelkoch/ Kuchelbub. Iam quod versum attinet, male mihi interpunctus videtur, cum sic legitur:

Non satis est ars sola coquo seruire palato:

Vel etiam hoc commate:

Non satis est ars sola coquo: seruire palato
Namque——

Sed ita emendo:

Non satis est ars sola coquo: seruire palato
Atque coquus domini debet habere gulam.

Vel:

Non satis est ars sola coquo seruire palato:
Namque coquus domini debet habere gulam.

Vel quod optimum videtur.

Non satis est ars sola coco, seruire palatum
Nolo, cocus domini debet habere gulam.

Vt dicat poëta: nolo seruire palatum coci sed dominari, seruiant manus, pedes, oculi, aures, sed palatum imperet, & gulam habeat domini [illegible] sui.

Turnebus meo animo non recte interpunxit, mens poëtæ clara. Coci officium esse, non tantum, vt sit peritus artis, sed seruiat etiam tempori, & indicet palatum domini sui. Seneca idem de obsonatoribus. Adde obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est. qui sciunt, cuius rei sapor illum excitet? ep. 47. diuersis enim diuersa sapiunt, vt Horatius eodem sensu docet, ep. 2. libr. 2.

Tres mihi conuiuæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diuersa palato;
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter.
Quod petis, id sane est inuisum acidumque duobus.

Paullo aliter interpretatur versum Turnebus lib. 9. cap. 24. cui non repugnamus.

Craticula * cum veru.

CXCI. CCXXI.

*abs. veru, Turnebus. male, cum veru.

* *Parua tibi curuâ craticula sudet ofella:*
Spumeus in longa cuspide fumet aper.

* *Rara, placet parua vt exponatur magno apro.*

An ofellam hic pro tomacula accipit, de quo Petronius. *Fuerunt & tomacula supra craticulam, feruentia, argenteam posita,* &c. vide Clem. Pæd. lib. 2. cap. 3. Hexametro vsum craticulæ, pentametro veru exponit. Craticulis imponuntur torrendæ ofellæ. Veru vero assantur apri, cerui, alia. ofellas lib. 10. ep. 48. descripsimus ex lib. 4. Apicij de re culinaria. Sunt varia genera globulorum, oblonga, frixa, elixa. Hic de longiusculis, & farcimini propioribus loquitur, cum curuam ofellam appellat.

Pistor dulciarus

CXCII. CCXXII.

* *Mille tibi dulces operum manus ista figuras*
† *Extruit: huic vni parca laborat apis.*

* *Mille.* † *Extruit.*

Pistor dulciarius est, vt describit eum Apuleius lib. 10. Met. qui panes & mellita concinnabat edulia. à conficiēdis ergo dulcijs & mellitis dulciarius est appellatus. quæ mellita Græci μελίπηκτα dicunt. Lampridius de Elagabalo, scribit, eum altero die tantum de dulcijs, alio de opere lactario cœnitasse. Erat pistor alius dulciarius, alius lactarius. Lucianus ἄρτους πέττειν καὶ μελίπηκτα κεράν ἐπιστάμενος. Dulciariorum variorum apparatus leges apud Apicium lib. 7. cap. 11.

MILLE FIGVRAS] vt hodie fit. cum formantur in varias hominum, & pecudum, & aliarum rerum figuras ex saccaro, ouis, & farina. Apuleius formas aliquot enumerat lib. 10. *Hic panes crustula, iucunculos* hamos, lacertulos plura scitamenta mellita.* quæres qui sint iucunculi? Varia est scriptura, placet ex omnibus lucunculos legere, vt & apud Statium Silua 6. lib. 1.

(*Lucunculos Pal. vincunculos. al. iecunculos.)

Iam bellaria adorea pluebant.
Hunc rorem veniens profudit Eurus
Quicquid nobile Ponticis Nucetis
Fœcundis cadit aut iugis Idumes
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quas præcoquit Ebosia cannas

Largis

Largis gratuitum cadit rapinis
Molles * *Caioli, Languriculique.*

* Casoli, lucunculi.

Vbi Turnebus legit. *Molles Caioli lucunculique.* Lucunculus siquidem edulij vel panificij genus quod lucunculum diminutionis forma vocatur. Afranius.

Pistori cur non . cur non se sibi litario,
Vt mittat fratru filio lucunculos.

Absque diminutione *Lucuns,* Varro.

Ac nulla ambrosia ac nectar, non allia sarda
Panu, pemma, lucuns, cibus qui purissimus multo est

Et idem. *Vinum pemma, lucuns nihil adiuuat ista ministrat.*

Sunt tamen qui laguneulos apud Statium interpretentur à Lagone puero panificij similitudo dictos sicut & Caiolus à Caiò, exprimebant enim vt hodie, quemadmodum dixi omnis generis formas. Hodie bellaria dicuntur, de quibus Varro, Gellius, Macrobius, qui ea vocant maxime mellita, quæ mellita non sunt, hoc est, sine melle concinnata, vt optime olet fœmina, quæ nihil olet. Beroaldum adi ad Apuleium. & Suetonium Tib. cap. 34. de pistoribus alijs alibi dictum.

* Ientacula adipata Turneb.

* Ientacula.

CCXXIII. CXCIII.

† pueri.

Surgite, iam vendit † pueris ientacula pistor,
Christatæque sonant vndique lucis aues.

Ientaculum à iento; & hoc, à ieiunio dictum est, quod tunc ieiuna sint corpora. Est autem apud Romanos primus, qui in die sumitur, cibus, matutinus nempe. Afranius: *Hæc ieiuna iantaui, & dum exeo domum, iantare nulla inuitat.* Græcis ἀκρατισμὸν vel ἀκράτισμα dictum est. Isidorus: *Ientaculum, inquit, est primus cibus, quo ieiunium soluitur, vnde est nuncupatum.* Paullo aliter Apuleius ientaculum vsurpat pro *primo* nempe *gustu*, antequam accumbatur in cœna, & *ientaculum ambulatorium*. Veterum morem fuisse quorundam lego, vt quadrifariam epulas dispartirent: in *ientacula, & prandia, & cœnas, & commissationes.* Quod Dio & Suetonius de Vitellio scribunt. Et Athenæus lib. 1. refert ex Philemone, veteres vsos esse ientaculo, prandio, merenda, cœna. Quæris, quæ fuerint priscorum ientacula, aut quid ientarint. Apuleius lib. 1. Met. respondet. *En, inquam, paratum tibi adest ientaculum. & cum dicto manticam meam humero exuo, caseum cum pane prope ei porrigo.* Pomponius nauticum panem pro ientaculo ponit. Plutarchus lib. 8. Sympos. εἰώθει ἐσθίειν ἄρτον ἐν ἀκρατισμῷ καὶ μηδὲν ἄλλο. *Consueuit esse in ientaculo panem & nihil aliud.* Et subiungit ob eam causam ἀκράτισμα appellatum ientaculum διὰ τὸ ἄκρατον, quod simplex panis, non varius sumeretur. Festus tamen ientaculum idem cum prandio esse dixit, & silatum appellauit hoc est, vinum sili herba conditum, quod ante meridiem bibebant. Hodie operis & pueris ientacula parantur, vel pulmentaria, vel ex offa paneue. Turnebus ait se reperisse in veteribus libris *adipata ientacula*, & veteres putat vnctis & ganeatis cibis vsos in ientaculo.

SVRGITE IAM VENDIT] Erudite in Varijs, Mercurialis lib. 4. cap. 17. docet pueris ferè solis ientacula sumpta, vt vbique gentium mos obtinet. ea propter in curculione Plautus facit Phædromum adolescentulum Veneri ientaculum curare, & in Truculento Phronesium. Non negat tamen idem senes valetudinis gratia ientasse, alios non putes consuesse vnquam ientaculis vti aut certe in genere lurconum, ganeonum & commissatorum habitos esse. Plura rute ibidem ex Clemente Alexandrino, & alijs collecta legas. Lælius Bisciola lib. 9. c. 15. multis tabulis & testibus contra ac pleriq; hactenus sensere factum ostendit, præsertim de prandio. Quamuis interim à nobis non procul reapse abeat cum pag. 649. littera H. dicit: *Certe qui crebrius edebant, aut vel pueri, vel senes, vel infirmi, vel comedones erant. Ientaculum & merenda sane puerorum & gulonum erant propria, prandium cum cœna plurium: cœna omnium.*

CRISTATÆQVE SONANT V. L. AVES] Lucretius.

—— *Quin etiam noctem explaudentibus alis*
Auroram clara consuetum voce vocare.

Plinius: *Gallos vigiles nostros in excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; somno natura genuit. Norunt sidera, & ternas distingunt horas interdiu cantu. cum sole eunt cubitum, quartaq; castrensi vigilia* (quæ est hora tertia post mediam noctem) *ad curas laboremq; reuocant. Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq; venientem nunciant cantu, ipsum vero cantum plausu laterum.* Sexcenta alia de gallo gallinaceo Ornithographi quos adibis. Nos ope cœlesti adiuti, post multa & diurnas, & nocturnas lucubrationes tandem ad hoc Martialis ientaculum læti properauimus, quod si forte patres eruditionum, iam saturi scientiæ, non gustabunt; optabunt tamen ij, quos nuper in clientes Musæ adoptarunt.

❧ (o) ❧

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR VEL ILLVSTRANTVR.

A

Alpha

B.

 Boreas

C

Carmeli

Coco-

D.

Demo-

E.

Edu-

F.

Fama

G.

Germa-

H.

Hære-

I.

Iouianus

K.

L.

Lentis

Lucius

M.

Morio

N.

Nasum

O.

Oedi-

Ostreo-

P.

Pera

Rosaria

Sexta-

V

L l Vale-

Vita

Vsus

FINIS.